

32=10=

Prohibitum ex Decreto 1700

VITÆ
PAPARVM
AVENIONENSIVM,

3


Hoc est,

HISTORIA PONTIFICVM ROMANORVM
qui in Gallia sederunt ab anno Christi MCCCV.
usque ad annum MCCCXCIV.

STEPHANVS BALVZIVS Tutelensis magnam partem nunc primùm edidit, reliquam emendavit ad vetera exemplaria, Notas adjecit & collectionem actorum veterum.

TOMVS PRIMVS.








2

Paul du Mont

PARISIIS
Apud FRANCISCVM MVGVET Regis, Cleri Gallicani,
& Illustrissimi Archiepiscopi Parisiensis Typographum.

MDCXCIII.
CVM PRIVILEGIO REGIS.



LVDOVICO MAGNO

REGI

CHRISTIANISSIMO.







ISTORIAM illius ſeculi quo curia Romana ſedem fixit ad Rhodanum, quæ eſt nobiliſſima portio hiſtoriæ eccleſiaſticæ, cùm ego in publicum edere & illuſtrare inſtituiſſem, REX MAGNE, *jamque eò perventum eſſet ut nihil ſupereſſe videretur ad ejus emiſſionem, ex more inſtitutoque*

majorum quærendus fuit huic operi patronus & tutor, cujus virtuti, fidei, felicitati commendaretur. Neque verò ille mihi diù quærendus fuit in hoc rerum humanarum ſtatu, in hoc imperij tui ſplendore. Tua quippe majeſtas mihi ſtatim occurrit, ſtatim mihi venit in mentem, ob eam quoque rationem quòd civitas Avenionenſis, in qua Romani Pontifices qui tum vixere conſederunt, poſita eſt intra terminos regni tui, & quòd illi ex eodem regno tuo oriundi fuere, tum etiam quia in miſerabili illo ſchiſmate quod tum diſtraxit Eccleſiam Reges qui per eas tempeſtates apud nos imperitabant oſtenderunt, quod tu quoque hodie facis, maximè ſibi cordi eſſe pacem & unitatem Eccleſiæ. Cui porrò potiùs dicandum veniret hoc opus quàm tibi, MAGNE REX: *qui cùm nobis datus à Deo fueris poſt longam Annæ matris ſterilitatem ut alter Samuel, magnificatus es ut ille apud Dominum, & ceteros Reges ac Principes ita hodie anteis, ita inter eos emines, tanto illis antecellis quanto ceteros homines regia dignitas antecedit, ut verbis ſancti Gregorij cognomento M. utamur ad Childebertum Regem Francorum ſcribentis. Abundas enim citra*

controversiam & adulationem laudibus civilibus & bellicis, ab ipsa penè infantia ad administrationem regni, ad scientiam rei militaris traductus, non alienis præceptis, sed tuis imperiis, tuis victoriis ac triumphis. Et tamen, quæ tua est moderatio, innutritus bellicis laudibus, quod de Trajano dicebat Plinius, pacem amas, pacem inter victorias tuas offers hostibus conjuratis. Idem velut alter Karolus M. imperij tui terminos in immensum propagasti, leges condidisti quibus bona disciplina constitueretur, bonarum literarum studia fovisti, ceteris bonis artibus honorem habuisti, earum professores præmiis decorasti. Adde, quæ tua præcipua laus est, priscam religionem restitutam, expulsos illius adversarios, templa eorum demolita, præmia constituta iis qui ad bonam mentem redirent. Hæc tua sunt, REX MAGNE, *in his tu te ipse agnoscere potes. Cùm ergo quærerem cuinam potissimùm dicarem hanc historiam, tu mihi statim, ut antea dixi, occurristi. Illam ego ex veterrimis illorum temporum codicibus partim erui, partim sic emendavi ut nunc primùm prodire meritò dici possint ea omnia quæ de hoc argumento edita fuerant hactenus, à*

me verò recusa denuo prodeunt. Eandem illustravi cum summa diligentia, etiam, ubi occasio se obtulit, vindicando virtutem famamque Gallorum adversùs eorum æmulos & inimicos, præcipuè verò Karolum V. Regem sapientissimum adversùs malignitatem recentioris cujusdam scriptoris, cujus audacia eò usque progressa est ut sanctissimam optimi Principis memoriam maledictis petulantissimè dictis vexare non dubitaverit. Accipe igitur, Domine, hoc devotissimi obsequij mei testimonium ea qua soles benignitate, tuumque huic operi favorem impende, quo tutum esse possit adversùs obtrectatorum invidiam & acerbitatem. Deus sacram majestatem tuam nobis & Ecclesiæ suæ diù servet incolumem.

Lutetiæ Parisiorum Kal. Novemb. MDCXCIII.

STEPHANVS BALVZIVS.



PRÆFATIO.


EPTVAGINTA illos annos quibus curia Romana sedit ad ripas Rhodani usque ad annum MCCCLXXVI. Itali deterrima comparatione vocarunt exilium Babylonicum, urbem Romam, quam sanctus Petrus Apostolus, ut rectè observatum à Baronio est, designavit sub vocabulo Babylonis, comparantes cum Hierosolymis, Avenionem cum Babylone. Ingens tamen magnumque discrimen est inter miserabilem statum populi Iudaici in captivitate constituti & florentem rei publicæ Christianæ statum sub Pontificibus Romanis qui cathedram suam collocarunt Avenioni. Quod adeo verum est ut etiam Ægidius Cardinalis Viterbiensis loquens de hoc ipso exilio non dubitaverit ista scribere in oratione quapiam nondum edita, cujus fragmenta quædam refert Andreas Victorellus in additionibus ad Ciaconium. *Si urbis*, inquit, *& Romanarum Ecclesiarum ruinam inspexeris, hoc exilij tempus noctem dixeris; si mores sanctitatemque Pontificum, diem appellandum existimabis.* Præterea populus Iudaicus in captivitatem abductus est ab improbissimo principe Nabuchodonosore; sedes verò apostolica in Gallia, quam Baronius vocat portum Romanæ Ecclesiæ fluctuantis naviculæ Petri, constituta est à Clemente V. Pontifice Romano; cujus gesta si spectentur, ut ait Odoricus Raynaldus, religione, zelo, fideique augendæ studio magnis æquandum esse Pontificibus satis constabit. Denique idem populus Hierosolyma reductus est ab impio principe Cyro Rege Persarum. Romana verò cathedra revecta est Romam à Gregorio XI. sanctissimo Pontifice. Adde pacem datam populo Iudaico post reditum ex Ægypto, ejus autem loco discordiam, quæ summum malorum est, post restitutam cathedram urbi Romæ & obitum Gregorij invectam in Ecclesiam Dei, populum ejus, id est, gregem dominicum, divisum, dispersum, ac bellis plusquam civilibus attritum

Baron. an. 1181.

Odor. Raynald. an. 1314. §. 15.

& dilaceratum propter duos de summo pontificatu decertantes.

Iam si argumentis agere lubet, etiam argumentis ostendemus comparationem illam esse vitiosam, insulsam, & ineptam. Exul quippe à grammaticis & jurisconsultis & ab Augustino Episcopo Hipponensi is dicitur qui extra solum patrium ejectus est, extra solum seu patriam suam vagus, qui in aliena terra non sponte sua habitat, cui jure suæ civitatis interdictum est, cui locis & commodis publicis uti vetitum est, qui mortuorum loco censetur. Itaque si Romanus Pontifex non fuit in suo quandiu stetit ad Rhodanum, uti prædicant Itali, si vagus fuit & exul, si jus Romanæ civitatis amisit, fateantur necesse est ejus territorium esse circumscriptum terminis arctissimis & non protendi extra regiones suburbicarias strictè sumptas. Quo argumentandi genere si quis utatur, difficile dictu est quantum vulnus infligat auctoritati Romani Pontificis. Itaque alia nobis terenda via est, adeoque ostendendum falsò cum Babylonico exilio comparari septuaginta illos annos quibus curia Romana sedem omnium rerum ac fortunarum suarum Avenioni collocavit. Etenim qui in suo est, exul profectò dici non potest. Romanos porrò Pontifices qui sederunt Avenioni fuisse in suo, id est, verè Romanos Pontifices fuisse, quamvis sedem suam haberent extra Romam, ne illi quidem negare possent, si viverent, qui comparationem illam primi invenerunt. Nam cùm certum sit Romanum Pontificem esse caput Ecclesiæ universalis, ad eum pertinere curam & sollicitudinem totius Ecclesiæ, certum propterea est illius eam esse amplitudinem, eam potestatem, eam jurisdictionem quæ nullis terrarum terminis circumscribatur, adeoque sedem Petri & Ecclesiam Romanam illic esse ubi Papa est. Neque verò nova est hæc opinio, sed antiqua, utpote qua pro Innocentio II. adversùs Petrum Leonis adversarium ejus, qui se vocabat Anacletum istius nominis secundùm, usus est Petrus venerabilis Abbas Cluniacensis. Electi illi fuerant in loco Honorij II. nuper defuncti; & prævalentibus Anacleti viribus, Innocentius aufugit in Gallias pro more Romanorum Pontificum qui minores erant viribus & potestate. Interim Anacletus cathedram Romanam tenere videbatur. Et tamen Ecclesia catholica Innocentium ut legitimum justumque Pontificem agnovit, Anacletum summo consensu rejecit. Qua de re ad eundem Innocentium scribens Petrus Abbas Cluniacensis ait illum*, ubicunque tandem terrarum sit, esse verum Papam, ei obediendum esse, Veios habitante Camillo, Romam illic testimonio Lucani fuisse. Ex quo collegit Baronius Romam illic esse ubi Papa est. Ac ne quis putet eam consequentiam exemplo destitutam esse, afferam testimonium Herodiani antiquissimi scriptoris; apud quem in libro primo historiarum

August. tract. 47. in Ioann.

Pompeianus,

Pompeianus, cùm Commodum Imperatorem, quem voluptatis illecebræ Romam evocabant, ab eo itinere revocare vellet, ea inter ceteras ratiocinatione usus est ut diceret Romam illic esse ubi Imperator est. Quam ob causam Genselinus de Cassanhis in glossa ad extravagantem Joannis XXII. *Execrabilis* ait: *Ubi est ergo summus Episcopus, qualis est Papa, ibi est Romana Ecclesia, ibi est sedes apostolica.* Meritò ergo Andreas Victorellus in additionibus ad Ciaconium pag. 853. agens de cathedra apostolica apud Avenionem collocata à Clemente V. scribit illum Avenione Romanum Episcopum fuisse universumque orbem Christianum fuisse moderatum. *Quocunque pergat Romanæ Ecclesiæ præses*, inquit, *D. Petri successor, Ecclesiæ suæ titulum & habenas tenet.*

Rursum Itali, quia nihil est in hoc orbe terrarum pulcrius aut augustius majestate regnantium, nihil quod tantas commoditates afferat civitatibus & populis, gravissimam & acerbissimam, sed tamen verissimam querimoniam jactant adversùs translationem apostolicæ sedis in Gallias, eam à Clemente V. factam esse scribentes cum magno Christianorum incommodo. Qua de re antè quàm dicere incipiam, necessarium in primis arbitror observare Romanos semper ægrè tulisse absentiam Pontificum suorum & Innocentium IV. Perusij consistentem missa legatione hortatos esse, etiam cum asperitate verborum, ut in urbem rediret. Quippe *absurdum eis videbatur*, inquit Matthæus Parisius, *quòd ipsa sola Roma, quæ domina dicitur civitatum, inter omnes civitates suo per tot tempora antistite & superstite viduaretur.* Eandem illi ob causam varias legationes misere ad Pontifices qui Avenione sederunt, etiam minas interdum jactantes, quia se ex eorum absentia videbant frustrari magnis commodis quæ curia Romana solet afferre. Hinc orta sententia depositionis adversùs Ioannem XII. & mox substitutus Antipapa.

Matth Parif. p. 865. edit. ann. 1640.

Aiunt ergo scriptores Itali post Platinam curiam Romanam in Galliis ad septuaginta quatuor annos remansisse cum magno Christianorum incommodo. Eam rem verbis atrocioribus, ut solent rhetores, descripsit Blondus Flavius aiens illam curiæ translationem multas Dei Ecclesiæ prævaricationes, multa invexisse Christiano populo detrimenta. Antonius Campus scribit illam multa damna intulisse Christianitati. Odoricus Raynaldus noluit horum scriptorum verbis uti, sed novo genere dicendi eam sedis translationem improbavit, Clementem quintum scribens vocatum fuisse ad apostolatum magno rei Christianæ malo, nimirum quia is primus omnium cathedram suam collocavit apud Avenionem. At Andreas Victorellus illo moderatior & sapientior hanc culpam, si qua fuit, transtulit in exulceratissima seculi illius tempora, Clementis rectam fuisse mentem

Camp. lib. 3 hist. Cremon.

apertè pronuntians dum ſedem fixit in Gallia, tranſtuliſſe quippe illam ob Italicas ſeditiones, quibus, ut ait Raphael Volaterranus, mederi non poterat. Albertus etiam Krantzius ait Clementem execratum Romanorum tumultus, quos illi magis ac magis intentabant, ſedem fixiſſe Avenioni.

Krantz. lib. 8. Metropol. cap. 49.

Et tamen, quæ eſt Galliæ noſtræ infelicitas, inventus eſt ſuperiore ſeculo homo apud nos natus, inter nos educatus, Regum noſtrorum beneficiis ornatus, Gilbertus Genebrardus, qui in libro quarto ſuæ chronographiæ ſcriberet hanc ſedis apoſtolicæ tranſlationem valde fœdaſſe antiquam Eccleſiæ faciem, introductas quippe tum diſpenſationes & ſanctorum canonum enervationem, periiſſe illud divinum, ut ipſe vocat, jus quo ſecularia ſecularibus & regularia regularibus committi debent, maximè in Gallia, dum Pontifices hujus tranſmigrationis plus quàm Babylonicæ, qui obſervantiam regularem, diſciplinam eccleſiaſticam penè totam, jura denique confuderunt & corruperunt, patriæ & principibus impiè favere geſtiebant. Et iſti quidem criminationi reſponderi facilè poſſet, ſi quis in eorum Pontificum vitam & mores inquirere vellet qui ante & poſt Avenionenſis ſedis tempora Romanam cathedram tenuere, quos conſtat multò graviora vulnera intuliſſe diſciplinæ eccleſiaſticæ quàm illos quorum vitam moreſque injuſtè & imperitè traducit Genebrardus, auctoreſque fuiſſe malorum quæ ab iſtis in Eccleſiam invecta eſſe idem conqueritur. Sed his omiſſis, quæ hujus noſtri inſtituti non ſunt, illud unum dicemus cum illuſtriſſimo Præſide Iacobo Auguſto Thuano, Genebrardum fuiſſe in ſcriptis ſuis iniquiorem & acerbiorem, vita quàm ſtylo temperantiorem creditum, & conſilij parum ſani notatum fuiſſe à Scævola Sammarthano in elogiis Gallorum doctrina illuſtrium.

Sanè non negamus veram eſſe Platinæ & aliorum obſervationem ſcribentium hanc ſedis apoſtolicæ tranſlationem maximè incommodam fuiſſe Italis, non quidem propterea quòd Romanos Pontifices illorum temporum cepiſſet oblivio rerum Italicarum, ſed quia Italicæ civitates, præcipuè verò Romana, his commodis privatæ erant quæ antea percipere ſolebant ex aula pontificia. Ceterùm ea reſedit in Galliis cum ſumma Eccleſiæ unitate & honore maximo, quemadmodum rectè obſervatum eſt à Symphoriano Champerio in libro de ſummis Pontificibus Gallis.

Nam ſi querelis locus heic eſſet, Gallia potiùs quàm Italia exclamare deberet adversùs commorationem Pontificum Romanorum apud Avenionem. Etenim cùm ad illa uſque tempora, ut ait Nicolaus de Clemangis, Gallia noſtra moribus frugalibus vixiſſet, peregrini & perverſi Italorum Avenionem commigrantium mores calamitatem in eam induxere, luxuque prodigioſo & vita ſoluta vivere docuerunt.

Nic. de Clemang. cap. 27 de corr. Eccl. ſtatu.

Hæc sunt verba Nicolai edisserentis clades & mala Ecclesiæ Romanæ illorum temporum : *Ex illo planè suam cladem imminere prænosse debuit ex quo propter suas fornicationes odibiles Romuli urbe relicta Avinionem confugit, ubi quanto liberiùs, tanto apertiùs & impudentiùs vias suæ simoniæ & prostitutionis exposuit, peregrinosque & perversos mores calamitatum inductores in nostram Galliam invexit, rectisque usque ad illa tempora moribus frugalibus disciplina instante, nunc verò luxu prodigioso usque adeo solutam ut meritò ambigere possis utrum res ipsa auditu mirabilior sit an visu miserabilior.*

Illam sedis apostolicæ translationem in Gallias & incommoda quæ ex ea secuta sunt enarrans Abrahamus Bzovius in annalibus ecclesiasticis hanc causam non tractat more historicorum, sed rhetorum, ita exardescens in hoc genere amplificationis ut multa dicat quæ à nemine hactenus prodita fuerant memoriæ literarum. Ait enim doluisse majori ac meliori parti Cardinalium eam Clementis V. dispositionem qua jussit Cardinales ex Italia properare in Galliam, non tam quòd se contemni precesque suas nihili fieri arbitrarentur quàm quòd viderent libertatem ecclesiasticam oppressum iri & quandoque perniciosum schisma in Ecclesia exoriturum ingenti damno totius christianitatis ex translatione sedis in Gallias, ubi summus Pontifex apud Regem prophanum quasi in potestatem secularium redactus omnia dicere & facere & jubere cogeretur non ex majestate pontificia, neque ex potestate plenaria, sed neque ex justitiæ præscripto, sed ut Rex & proceres vellent adeoque mandarent. Addit deinde eam rem futuram conquestum esse Matthæum Rubeum Vrsinum quum hoc facinus Cardinali Ostiensi exprobraret.

Antequam hanc inconsideratissimam & dementissimam narrationem excutiamus, referenda est in primis historia Matthæi Rubei quam heic attingit Bzovius. Post mortem Benedicti illius nominis undecimi, ut tradit Ioannes Villanius, divisum in duas partes fuit collegium Cardinalium; quarum unius caput erat Matthæus cum Francisco Gayetano Bonifacii VIII. nepote, alterius Neapoleo Vrsinus & Nicolaus Pratensis. Cùm post pacta inter eos inita Clemens V. electus fuisset in loco Benedicti, illeque Cardinales Lugdunum evocasset ad peragendam coronationem suam, eorum sanè major pars id ægrè tulit, in primis verò hic Matthæus, qui omnium antiquior erat. Hic ergo dolorem suum ulturus his verbis usus esse dicitur ad Nicolaum Pratensem : *Assecutus es voluntatem tuam in ducendo curiam ultra montes, sed tardè revertetur curia in Italiam.* Hæc tantùm Ioannes Villanius & ex eo sanctus Antoninus Archiepiscopus Florentinus. Nihil illic de schismate, nihil de libertate ecclesiastica oppressa, nihil de Philippi Regis Francorum imperio. Quæ omnia à Bzovio

Ioa. Villan. lib. 8. cap. 80.

S. Antonin. par. 3. tit. 21. cap. 1.

per summam audaciam excogitata sunt & inventa, per summam inquam audaciam, quia scriptores historiarum nihil scribere debent quàm quod invenerunt in antiquis. Hæc autem Bzovius apud neminem eorum invenit qui temporum illorum historiam conscripserunt.

Nam si argumentis agere luberet in hoc loco, annon proclivius esset existimare homines Italos Italico cælo assuetos graviter tulisse mandata Clementis quia cogebantur relinquere Italiam patriam suam quàm quód timerent libertatem ecclesiasticam oppressum iri? Vnde enim hic metus, præsertim apud Gallos, quos constat laudatos semper fuisse ob reverentiam impensam Pontificibus Romanis & ob auxilium illis præstitum in rebus adversis? Iam quod de schismate prævisо dicitur, id verò fatuitatem nominari oportere nemo est opinor qui non videat, cùm istud somniari non potuerit ante sexaginta & quatuor annos quàm schisma oriretur in Ecclesia. Sed in primis notanda est insulsa temeritas Bzovij Philippum IV. Regem Francorum Christianissimum vocantis Regem prophanum, tanquam si de Cyro loqueretur aut de Nabuchodonosore vel Tarquinio superbo. Bzovio sapientior in hoc loco fuit Alphonsus Ciaconius: qui tametsi magnam partem verborum Bzovij descripserit in opere suo de vita & rebus gestis Pontificum Romanorum & Cardinalium, hunc tamen locum referre noluit. Nihilo magis vera est expostulatio Bzovij conquerentis omnia quæ à Pontificibus Romanis qui in ora Rhodani consederunt dicta & facta sunt, ea omnia dicta factaque fuisse prout Reges & proceres Galliæ volebant atque mandabant. Videndi tantùm annales ecclesiastici. Ii fidem faciunt illam conquestionem non esse veram.

Sanè tetrum illud ac miserabile schisma quod per tot annos duravit fuit appendix, ut verbo Bzovij utamur, translationis apostolicæ sedis in Galliam. Sed non ideo damnandus est Clemens V. tanquam hujus mali auctor, quem certò constat illius immunem omnino fuisse, quippe quod excitatum est post sexaginta & quatuor annos ab excessu ejus. Alioqui miserrima esset virorum principum conditio, quorum factis imputarentur omnia mala quæ diù post eos extinctos evenirent in re publica. Quid si nos diceremus ex secessione Pontificum è Gallia ortam esse malignitatem temporum quæ Ioannem XXIII. Paulum II. Alexandrum VI. & Iulium II. homines, ut plerique putant, nequissimos evexit ad solium apostolicæ dignitatis? Sed hæc inania sunt & futilia, neque merentur ut in iis ampliùs immoremur. Accedamus ad materiam schismatis.

Nimiùm in hoc peccant scriptores historiarum, eam causam ita calidè & acerbè tractantes ac si etiamnum durarent partes & causæ

irarum & odij, non animadvertentes finem huic malo datum esse à synodo Constantiensi, ab eaque nihil præjudicatum adversùs jura contendentium de summo pontificatu. Neque ego sanè Italos in hoc damno Vrbanum VI. reponentium in numero Pontificum Romanorum, Clementem inter Antipapas. Fruantur illi suo judicio, avorum suorum vestigiis inhæreant; qui cùm sibi semel persuasissent Vrbanum rite ac canonicè electum fuisse Papam, ejus propterea successorumque ejus partes foverunt. Porrò aliter mihi sentiendum est de Gallis & Hispanis, qui post causam istam accuratè discussam putarunt meliorem esse conditionem Clementis. Et tamen recentiores quidam scriptores Hispani Gallique, homines profectò harum rerum, uti apparet, non admodum periti, Clementem per summam eorum temeritatem & inscitiam semper & ubique vocant Antipapam & Cardinales ab eo creatos Anticardinales, in primis verò Ioannes Laborator, *Le Laboureur*, in prolegomenis ad vitam Karoli VI. ubi cùm pro sua impotentia Regem Karolum V. atroci contumelia insecutus esset ob susceptas Clementis VII. partes, mox juvenili, ut ita dicam, calore inconsideratior insurgit furiosus in Cardinales qui tum apud Avenionem erant cum Clemente, eos describens tanquam nefarios templorum totiusque Ecclesiæ prædones & helluones nequissimos patrimonij ecclesiastici. Verùm tametsi Italos excusem reponentes Vrbanum in catalogo Paparum, eos interim non excuso qui Clementem ejusque partem damnant ut schismaticos & malos homines, multò minùs Odoricum Raynaldum, qui cùm scriberet annales ecclesiasticos, meminisse debuerat instituti sui, id est, sic scribere debebat ut in neutram partem inclinaret, sed jura partium ostenderet ex æquo. *Quis enim*, inquit Ægidius Bellamera tum vivens, *audiens duos contendentes de papatu & quemlibet in sua regione reputari pro Papa non habeat dubitare quis verus Papa existat?* Bellam. in c. Cùm non ab homine. ext. de judic.

Et certè jus partium adeo dubium & incertum erat adhucque est ut, quemadmodum ad Benedictum XIII. recenter electum scripsit universitas studij Parisiensis, *viri ingeniosi & erecti quamplurimi vix quicquam ibi videant*, & Nicolaus de Tudeschis Cardinalis, vulgò dictus Panormitanus, fateatur probabilem fuisse pontificatum ejusdem Benedicti, *quia quæstio ardua erat in jure & in facto*. Quam ob causam ejus auditor Franciscus de Zabarellis Cardinalis in tractatu de schismate disertè pronuntiat non esse simpliciter verum Cardinales alterutrius partis fuisse schismaticos, omnes enim ex utraque parte salvari, dum tamen non errent scienter, quia heic est dubitatio facti & juris, quia utraque pars putat se fovere jus. Thomas quoque de Vio vulgò dictus Cardinalis Caietanus in tractatu de auctoritate Papæ & Concilij universalis eos reprehendit qui Clementis & Vrbani co-

Tom. 4. hist. Univ. Paris. pag. 743. Panormit. in procem. decretal. Zabarell. pag. 569. cap. 8.

rumque successorum obedientias, uti tum loquebantur, damnant ut schismaticas, apertè scribens jus utrorumque fuisse & esse dubium, neque rationi consentaneum esse existimare Martinum Papam V. voluisse declarare obedientias Benedicti & Gregorij XII. fuisse extra Ecclesiam cùm approbavit decreta synodi Constantiensis, in qua Benedictus & Gregorius dejecti fuerunt de summo fastigio. Eadem fuit sententia Sylvestri Prieratis, qui è numero schismaticorum excludit eos qui in divisione Ecclesiæ adhærent ei quem credunt esse verum Papam, & habent causam ita credendi, & pro utraque parte sunt rationes vehementes; *ut accidit*, inquit, *inter Vrbanum & Clementem.* Rationes autem ita sentiendi sic explicat sanctus Antoninus Archiepiscopus Florentinus: *Multæ disputationes factæ sunt circa istam materiam, multi libelli pro utriusque partis defensione. Peritissimos viros in sacra pagina & jure canonico habuit toto illo tempore quo duravit id schisma utraque pars seu obedientia ac etiam religiosissimos viros &, quod majus est, etiam miraculis fulgentes; nec unquam sic potuit quæstio illa decidi quin semper remaneret apud plurimos dubia. Nam etsi necessarium sit credere, sicut unam esse catholicam Ecclesiam, non plures, ita & unicum ejus pastorem vicarium Christi, tamen si contingit plures per schisma creari seu nominari Pontifices summos uno & eodem tempore, non videtur saluti necessarium credere istum esse vel illum, sed alterum eorum, qui scilicet fuerit canonicè assumptus. Quis autem fuerit canonicè electus non tenetur quis scire, sicut nec jus canonicum, sed in hoc populi sequi possunt majores suos seu prælatos.*

Summa Sylvestr. in verbo *Lex*, q. 13.

S. Antonin. par. 3 tit. 22. cap. 2.

Suppar Antonino fuit Wernerus Rolevvinx auctor fasciculi temporum, cujus hæc sunt verba de hoc schismate: *Schisma XII. omnium schismatum quæ antè fuerunt pessimum & subtilissimum. Adeo enim perplexum fuit ut etiam doctissimi & conscientiosi viri non valerent discutere cui esset magis adhærendum. Et fuit continuatum per annos quadraginta cum grandi scandalo totius cleri & grandi jactura animarum propter hæreses & alia devia quæ tunc pullularunt, eò quòd non esset disciplina in Ecclesia contra hujusmodi. Et ideo ab isto Vrbano VI. usque ad Martinum V. nescio quis fuit Papa.* Deturbatis enim Benedicto XIII. & Gregorio XII. auctoritate Concilii Constantiensis, Martinus V. in eorum loco positus est concordibus omnium qui ad eam electionem faciendam electi erant suffragiis; adeo ut is qui hodie Romanæ Ecclesiæ præsidet vir optimus & sanctissimus, is juxta sententiam Werneri non magis successerit Vrbano quàm Clementi, non minùs Clementi quàm Vrbano. Itaque rectè ad eodem illustrissimo viro quem suprà nominavi Francisco Bosqueto rectè scriptum est in Notis ad vitam ejusdem Clementis: *Clementem septimum vel Vrbanum sextum, neutrum vel ambos, veros Pontifices ne quæras. Jampridem, ita volente Deo, coalita*

Ecclesiæ schismate illa quæstio sopita est, quæ frustra nunc vel malo animo retractaretur. Sufficiat ambos electos, eorumque successoribus abdicatis Martinum verum Pontificem ab universali Ecclesia agnitum fuisse.

Idem sensisse videtur R. P. Daniel Papebrochius. Ait enim in conatu chronico-historico ad catalogum Pontificum Romanorum à se editum nolle se *judicem agere illius controversiæ cujus decisionem nec tentare quidem Ecclesia voluit congregata in synodo primùm Pisana, deinde & Constantiensi, sed aliam commodioremque viam unionis reformandæ ingressa, finem optatum tandem est consecuta.* Sibi tamen statim repugnare videtur vir clarissimus. Cùm enim dixisset se ab ea controversia judicanda consultò abstinere quam sacrosancta Concilia intactam reliquere, mox Clementem ejusque successorem Benedictum collocat inter Antipapas, quia *Ecclesia Romana, cui boni fideles libentiùs adhærent, Vrbani partem constanter amplexa, Clementem ejusque successorem Benedictum pro Antipapis semper habuit.* At ego contendo falsum id esse. Sanè vigente schismate verum est Romanos adhæsisse Vrbano, Clementem verò & Benedictum rejecisse ut Antipapas, eo modo quo Galli Clementem venerabantur ut verum Papam, Vrbanum & successores ejus vocabant intrusos & Antipapas. Verùm eo tempore quo de constituenda pace agebatur, modesta erat utraque pars, à convitiis & contumeliis abstinebat, neutra aliam vocabat schismaticam. Post constitutam demum pacem & synodi generales & ipsi Romani Pontifices mentionem facientes eorum qui in schismate se dicebant Pontifices Romanos, illos iis honorificis titulis prosecuti sunt quos illi sibi indiderant post electionem suam, addentes *in sua obedientia*, non solùm quoad eos qui sederant Avenioni, sed etiam quoad eos qui cathedram Romanam tenuerant, uti mox ostensuri sumus. Itaque falsa est observatio Papebrochii ac ita parum sibi constans ut posteriora cum prioribus non conveniant, adeoque potiùs hominis in partes transgressi consilium esse videatur quàm scriptoris volentis juris æquabilem tenere rationem.

Hactenus ostendimus eam fuisse gravissimorum magnæque auctoritatis virorum sententiam ut existimarent causam istius schismatis magnas & insuperabiles habere difficultates, adeo ut necesse non videatur illud ipsum ostendere aliis argumentis. Quia tamen pervicax obstinatarum mentium pertinacia ea vulgò solet esse ut à semel conceptis opinionibus avelli se vix patiantur, nisi cogantur rationibus quibus obsisti non possit, afferam etiam testimonia Conciliorum quæ per ea tempora habita sunt apud Pisas & Constantiam, deinde eorum quoque Romanorum Pontificum qui tum & postea in loca eorum successere qui de summo pontificatu contendebant in hoc miserabili schismate. Verùm antè quàm synodi Pisanæ, quæ prima est ex iis

quas commemoravimus, auctoritatem in medium proferamus, operæ pretium videtur nonnulla dicere de iis quæ inter Benedictum XIII. & Gregorium XII. acta sunt pro extinctione schismatis & unione sanctæ Dei Ecclesiæ. Convenerat inter Cardinales qui Benedictum elegerant, è quorum ille numero tunc erat, ut is qui in loco Clementis eligeretur jurejurando polliceretur se daturum pacem Ecclesiæ, etiamsi oporteret illum cedere pontificatu; illudque ipsum decretum & actum fuerat ab iis Cardinalibus qui Gregorium elegerant. Vtraque pars, ut videtur, optabat finem dari discidio Christianorum. Statim post electionem Gregorii actum est ut ambæ partes in unum coirent, modos exquirerent sarciendæ concordiæ, uti ambo Pontifices se magistratu abdicarent, & tertius ab utraque parte eligeretur verus & indubitatus Romanus Pontifex. Scriptæ hinc inde literæ à Gregorio & Benedicto, absque ullo discrimine, pari scribendi modo. Sic enim ad Gregorium scribebat Benedictus: *Benedictus Episcopus servus servorum Dei Angelo dicto Corario, quem nonnulli sibi in hoc perniciosa schismate adhærentes Gregorium nominant, pacis & veræ unionis affectum.* Gregorius autem sic: *Gregorius Episcopus servus servorum Dei Petro de Luna, quem nonnulli in hoc miserabili schismate Benedictum XIII. appellant, pacis & unionis affectum.* Omnia isthic paria sunt.

In prima itaque sessione Concilii Pisani, quod congregatum fuerat ad dandam pacem Ecclesiæ, ante omnia quidam ex iis qui conventum agebant *se transtulerunt ad valvas Ecclesiæ, & alta voce proclamaverunt an Petrus de Luna & Angelus de Corario, qui Benedictus & Gregorius dicebantur, de papatu contendentes, essent hic præsentes.* Et mox sessione IX. & XIII. idem Concilium declaravit licuisse recedere liberè & purè ab iisdem Petro & Angelo improbè contendentibus de papatu & ab ipsorum cujuslibet obedientia propter eorum pertinaciam, contumaciam, & obstinationem. Isthic rursum omnia sunt paria, nisi quòd Benedictus, utpote prior electus, priore loco nominatur. Ex quibus facile est colligere Ecclesiam tum congregatam existimasse Benedictum & Gregorium ambiguo aut æquo jure niti, adeoque electionem Gregorij non fuisse extra controversiam. Atque ego sanè faciliùs Ecclesiæ sic censentis judicio assentior quàm Odorico Raynaldo, qui isthic pronuntiat tanquam è cathedra Gregorium verum fuisse Pontificem & pontificatum ejus ambiguum videri non posse nisi apud errantes tantùm. Et tamen ipse paulò pòst, quo judicio præditus erat, fatetur omnes illos qui Gregorij XI. successores se ferebant usque ad tempora Concilii Constantiensis vocatos à Romanis Pontificibus fuisse non simpliciter Papas, sed addito *in sua obedientia*, huncque morem postea tenuisse.

Odoric. Raynald. an 1409. §. 79.

Ibid. §. 80.

In

In sessione XXI. ejusdem synodi Pisanæ continetur sententia Alexandri V. recenter electi pro cassatione processuum hinc inde factorum per Petrum de Luna & Angelum Corario, quos ille absque ullo discrimine vocat nuper de papatu contendentes, & per Bartholomæum Archiepiscopum Barensem, Petrum de Thomacellis, Cosmatum, & Robertum de Gebenna dictorum nuper contendentium prædecessores; in eaque sententia scriptum est in dubio fuisse apud multos viros graves & doctos *quis à tempore dicti schismatis fuerit verus Romanus Pontifex, seu quis veri vicarij Iesu Christi fungeretur officio*; & propterea Alexander *ad exonerationem conscientiarum utriusque obedientiæ, quæ etiam per Dei gratiam ad unum ovile reductæ sunt*, eosdem processus cassavit & abolevit. Idem Alexander in bulla confirmationis actorum Concilij Pisani de Vrbano & Clemente eorumque successoribus æquè loquitur, eos ita vocatos scribens in suis obedientiis, adversùs neminem præjudicans. Et cùm de Benedicto XIII. auctoritate ejusdem Concilij dejecto loquitur, illum vocat iniquitatis alumnum, Gregorium verò XII. eadem auctoritate depositum, perditionis filium.

Videamus nunc an celeberrimum illud Constantiense Concilium, cujus dignitatem & auctoritatem infringere & imminuere conantur paupercula quædam ingenia, videamus inquam quid senserit de jure duorum contendentium de summo pontificatu. In sessione XIV. disertè scriptum est sacrosanctam generalem synodum determinare & declarare *expediens & utile fore pro unione Ecclesiæ Dei & totali redintegratione per gratiam Dei procuranda quòd nomine illius Domini qui in sua obedientia dicitur Gregorius XII. fiat hic in Constantia cessio antequam Niciam accedatur, seu an Petrus de Luna, qui in sua obedientia dicitur Benedictus XIII, cedere velit vel nolit experiatur.* In sessione XX. lecta fuit relatio *ambaxiatorum missorum ad Petrum de Luna in sua obedientia Benedictum XIII. nominatum.* In sessione XXII. & XXIII. æquè nominantur Gregorius XII. Ioannes XXIII. & Benedictus XIII. ac si jura eorum paria fuissent nihilque adversùs unum objici posset quod in alterum retorqueri non posset. Vide etiam præfationem ad idem Concilium in editione Romana Conciliorum generalium.

Ioannes XXIII. in initio actorum ejusdem synodi Constantiensis spondens se pacem daturum Ecclesiæ per viam simplicis cessionis papatus, id facturum se ait *si & quando Petrus de Luna Benedictus XIII. & Angelus Corario Gregorius XII. in suis obedientiis nuncupati papatui quem prætendunt per se vel procuratores suos legitimos similiter cedant.* Idem in bulla qua episcopatum Vercellensem vacantem per depositionem Matthæi de Gisilbertis, qui stabat in parte Gregorij, contulit in Ibletum de Flisco, cùm de Vrbano VI. loquitur, addit *in sua obedien-*

tia; & infrà agens per occasionem de iisdem Gregorio & Benedicto, Gregorium vocat iniquitatis alumnum, Benedictum verò perditionis filium. Hanc bullam edidit Stephanus Ferrerius in libro de Episcopis Vercellensibus. Alias consimiles quoad ista exhibet Waddingus in annalibus Minorum to. v. in regesto pag. 22. 25. ubi etiam pag. 40. nominatur Clemens VII. in sua obedientia nuncupatus, itemque pag. 43. 53. 54. Bonifacius IX. in sua obedientia nuncupatus.

Martinus V. in bulla pro monetariis civitatis Avenionensis, quæ extat in codice 596. bibliothecæ Colbertinæ, describens eam quam in eorum gratiam dederat Clemens VII. ait: *Nuper siquidem à quondam Clemente VII. in sua obedientia nuncupato quædam literæ emanarunt.* Idem Benedictum XIII. Innocentium VII. & Ioannem XXIII. eodem modo nominat apud Waddingum to. v. in regesto pag. 56. 58. 59. 79. 98. 103. 128. 131. 159. 182. sicut eos omnes verbis generalibus involvit in bulla de exemptionibus edita in sessione XLIII. Concilij Constantiensis, in qua eas revocat quæ à tempore mortis Gregorij XI. factæ fuerant per nonnullos Romanos Pontifices aut pro Romanis Pontificibus se gerentes & in suis diversis obedientiis reputatos.

Innocentius VIII. in bulla confirmationis statutorum Ecclesiæ sancti Germani de Manso Sereno in diœcesi Lemovicensi fundatæ ab executoribus testamentariis Hugonis Rogerij Cardinalis ait illam fuisse erectam in collegiatam *de licentia, voluntate, mandato, & auctoritate quondam Roberti de Gebennis tunc Clementis septimi in sua obedientia nuncupati.* Data est hæc bulla Romæ apud sanctum Petrum anno incarnationis dominicæ MCCCCLXXXIV. v. Idus Decembris. Atque ea sentiendi & loquendi ratio ita certa tum erat in terris Romanæ Ecclesiæ subjectis ut anno MCCCCXCI. in actis quibusdam publicis apud Avenionem confectis, quæ extant in eodem codice 596. bibliothecæ Colbertinæ, referantur *confirmatoria electionis factæ de Paulo Redorterij quondam præposito generali monetæ Avinionensis emanata à Reverendissimo Domino Francisco Archiepiscopo Arelatensi Camerario fe. re. Domini Clementis Papæ septimi*, & mox alia *pro Petro Vsoli mercatore de Avinione emanata à Reverendissimo Domino Francisco Archiepiscopo Narbonensi Domini Papæ Camerario sub data Avinioni die ultima mensis Ianuarii anno à nativitate Domini* MCCCXCVIII. *pontificatus Domini Benedicti Papæ XIII. anno quarto.*

Iam si scriptorum quoque ecclesiasticorum, uti par est, ratio habeatur, Ioannes Grossi Prior generalis ordinis Carmelitarum, qui ea omnino tempestate vivebat, in tractatu de exordio ejusdem ordinis quem inscripsit Viridarium, Vrbanum VI. & Clementem VII. vocat ex æquo summos Pontifices. Onuphrius Panvinius, vir sine controversia summus, Clementem VII. semper & ubique vocat Papam

& Pontificem maximum, itemque Benedictum XIII. ejus successorem donec in Concilio Constantiensi dejectus est; tumque illum successoremque ejus Clementem VIII. vocat Antipapas. Suprà retuli sententiam illustrissimi Bosqueti de Pontificibus horum temporum. Henricus Spondanus Episcopus Appamiarum Vrbanum & Clementem ex æquo semper vocat Pontifices *ex sensu eorum*, inquit, *qui eis in dubio adhæserunt*. His quoque ultimis temporibus vir illustrissimus ac religiosissimus Ioannes Thomas de Rocaberti Archiepiscopus Valentinus in libro non ita pridem edito de infallibilitate Romani Pontificis Clementem VII. Vrbani adversarium agnoscit pro vero summo Pontifice, uti fecere olim qui eas regiones habitabant in quibus natus & altus est idem Archiepiscopus & in quibus archiepiscopatum amplissimum administrat, in primis verò celeberrimus ille sanctus Vincentius Ferrarius Valentinus & Iacobus Arragonius Cardinalis & ejusdem Valentinæ Ecclesiæ antistes. Quibus adjungam etiam virum doctissimum ex eo sodalitio ex quo prodiit idem Archiepiscopus, Franciscum Didacum, qui in historia provinciæ Arragonensis ordinis Prædicatorum ait non dubitare se quin Vrbanus fuerit verus Pontifex Romanus, neque tamen damnare illos qui Clementem putarunt esse verum Papam.

Spond. an. 1378. §. 18.

Rocaberti cap. 8 numero 821.

Diago lib. 1. hist. Arragon. fol. 54.

At Odoricus Raynaldus, portio Balei de acerbitate, litem sua auctoritate decidit quam ceteri scriptores bonæ mentis & docti reliquerunt intactam, & à spiritu agitatus inimico pacis & concordiæ, eam historiam in annalibus suis non tractavit more historicorum, sed ut Advocatus consistorialis, ita intemperanter transgressus in partes Vrbani & successorum ejus ut omnia ab eis dicta factaque rectè ac justè dicta factaque esse contendat, contrà adversæ partis omnia in pessimum sensum interpretetur, præcipuè verò excandescat in omnibus occasionibus adversùm Reges Francorum totamque gentem Gallicam. Itaque necesse nobis fuit interdum in illum invehi; qui cùm alicubi coactus sit fateri omnes vocatos fuisse Pontifices decreto Concilii Pisani & sui juris non esse hanc controversiam dirimere, (quod est optimi historici, ut rectè monuit Trithemius) nullam tamen occasionem prætermittit Clementem eosque qui partes ejus fovebant dilacerandi, nec ab optimorum quidem Principum contumeliis abstinens. Parcant ergo mihi Itali si interdum adversùs hominem exardesco qui se omni moderatione & temperantia sublata palam ac publicè professus est hostem Gallici nominis. Nobis enim licet refellere maledicta in gentem nostram asperè & ferociter dicta, cùm veritas læditur.

Odor. Raynald. an. 1409. §. 80. & seq.

Trithem. in Chron. Hirsaug. tom. 2. pag. 259.

Nos sanè causam schismatis, quæ multùm obscura & intricata est, definire nolumus. Illud tantùm observandum esse censuimus, jus

partium, uti suprà diximus, fuisse valde ambiguum & distracta tum fuisse in partes judicia virorum sanctissimorum & doctissimorum. Ceterùm si sepofito partium studio, jus in ambiguo relinquatur, & ad eos tantùm quorum occasione primùm exortum est schisma respicere lubet, id est, ad Vrbanum & Clementem, quantum inter eos discrimen inveniemus, si persona cum persona conferatur. Etenim Clemens, præter nobilitatem generis, ab omnibus traditur natura lenissimus homo, omnibus in rebus comis atque humanus, liberalis, pauperum pater, scientia literarum spectabilis, fautor eorum qui illarum studiis dediti erant, sapiens in dubiis, & patiens in adversis, nec iratus in injuriis, aut commotus conviciis. Contrà Vrbanus describitur natura ferox, melancholicus, bibax, ebriosus, furiosus, vindictæ appetens, crudelis, immanitate barbarus; ac ne id quidem ab adversariis tantùm & inimicis ejus, sed ab iis quoque qui partes ejus tuebantur, & à recentioribus etiam scriptoribus historiarum qui Romæ scribebant his ultimis temporibus. Et veterum quidem testimonia adversùs eum relata sunt in Notis nostris; quibus addendus videtur Bartholomæus Platina, qui suppar Vrbano fuit, qui ait illum fuisse hominem rusticum & inexorabilem & paucos admodum ejus mortem flevisse. quod etiam testatur Bonifacius Simoneta. E recentioribus proferam tantùm eos qui ævo nostro lucubrationes suas composuerunt in urbe Roma, Ciaconium nimirum, & Waddingum; si modò priùs monuero Onuphrium quoque Panvinium tradere Vrbanum fuisse nimis contumacem, asperum, & inhumanum.

Notæ pag. 1238. & seq.

Ibid. pag. 1259. 1270.

Alphonsus Ciaconius de illo agens ait præclaras in eo virtutes ante pontificatum eluxisse, eruditionem propè singularem, amorem justitiæ & castitatis, odium simoniæ ac munerum, benevolentiam ingentem erga bonos doctosque viros. Sed *virtutes illas*, inquit, *Pontifex factus, visus est aut nunquam habuisse, aut uno veluti momento amisisse tunc cùm magnoperè illis indigebat.* Scio ista ad verbum sumpta esse ex opere Papirij Massoni de Episcopis Vrbis. Verùm Ciaconius illa edidit Romæ, non tanquam Massoni, cujus nulla apud eum mentio in hoc loco, sed tanquam sua: adeoque propterea censenda sunt esse Ciaconij, qui illa describendo sua fecit. Eadem recusa sunt Romæ anno MDCXXX. & in novissima editione R. P. Augustini Oldoini è societate Iesu.

Lucas Vvaddingus ait Vrbanum, cùm in honore esset, non intellexisse, & oblitum statim qualis fuerit, virtutes quibus antea illuxerat obscurasse, & prudentiam qua priùs enituerat omnem exuisse, elati illum animi virum scribens fuisse. Idem alibi eum vocat hominem turbulentum & asperum, inexorabilem, extinctum aiens nullo bonis relicto sui desiderio nullisque, præter consanguineos, mortis impresso

Vvadding. an. 1378. §. 2.

Idem an. 1389. §. 1.

dolore. Quibus addit Onuphrius Panvinius illum obiisse *nullo recepto Ecclesiæ sacramento.*

Et tamen, licèt Vrbanus omnium scriptorum consensu tradatur fuisse sævus & inhumanus, præcipuè verò culpetur ob crudelem & occultam mortem quorundam Cardinalium ab eo in carcerem ex quibusdam suspicionibus conjectorum, inventus est ætate nostra unus homo Polonus, Simon Starovolscius, qui scribere auderet illum de Cardinalibus quos in carcere habebat dignum vitæ supplicium sumpsisse. Timebat haud dubiè Starovolscius ne si acerbum quippiam de hoc Pontifice traderet, acerbum aliquid adversùs eum Romæ scribentem decerneretur, non animadvertens nihil adversùs Ciaconium & Waddingum dictum factumve esse, quamvis pessima de moribus ejusdem Vrbani scripsissent. Veritas enim semper vincit, ab ipsis quoque amatur quos ei maximè adversari putes. Nam etiam novissima editio Ciaconij, quæ exhibet duram illam narrationem de Vrbano, nullam contradictionem passa est, quamvis procurata sit in urbe Roma.

Sed de his hactenus. Nunc nobis pauca præfanda sunt de vitis Pontificum Romanorum quæ continentur in hac nostra collectione. Earum nonnullas primus heic Lutetiæ edidit anno MDCXXXII. vir illustrissimus, quem suprà nominavi, Franciscus Bosquetus Iurisconsultus ea tempestate Narbonensis, postea verò Episcopus Lodovensis ac Monspeliensis, sed adeo mendosas & corruptas in multis locis ut illæ fuerint occasio quorundam gravissimorum errorum in historia, adeoque necesse fuerit illas emendare ad fidem veterum exemplarium bibliothecæ regiæ & sancti Victoris Parisiensis, tum etiam Fuxensis, cujus apographum repertum est inter schedas viri celeberrimi Andreæ Duchesnij. Aliquas etiam contulimus cum vetustis codicibus bibliothecæ Colbertinæ, eas nimirum quæ compositæ fuerunt à Bernardo Guidonis Episcopo Lodovensi. Istarum ergo duæ fuerunt antiquitus editiones, una prolixa, altera brevior, quasi quidam manualis libellus, ut ait actor in codice 735. bibliothecæ Colbertinæ, in cujus præterea margine hæc scripta sunt antiquitus: *Primum opus respectu istius secundi dicitur præcedens catalogus Pontificum Romanorum seu flores chronicorum, ubi singula de Romanis Pontificibus, & Imperatoribus & Regibus Francorum latiùs describuntur, in præsenti verò opusculo breviter & succinctè.* Et in schedis Duchesnianis reperi adnotatum ab eo fuisse Bernardum Guidonis varios libros scripsisse de Pontificibus Romanis, nonnullos breviter, alios fusiùs.


Præter vitas ab illustrissimo Bosqueto editas nos plures alias invenimus in antiquis codicibus MSS. bibliothecæ regiæ, tum etiam in Colbertina, & in Sorbonica. Consuluimus etiam codices Vaticanos

ope & beneficio viri istarum literarum nostrique amantissimi Hieronymi Cardinalis Casanatæ.

Addidimus Notas nostras sanè amplissimas, multò tamen prolixiores futuras si omnia congerere voluissemus quæ de Cardinalibus illorum temporum scripta & edita reperimus. Verùm ad vitandam eam prolixitatem consultò utplurimùm abstinuimus à referendis iis quæ prostant apud vulgatos historiæ Cardinalium scriptores. Quoniam verò multi ac propemodum innumeri apud eos reperiuntur errores, cura nostra fuit ostendere loca in quibus erratum ab illis est, ne quis deinceps in ea impingat. In concinnandis porrò Notis nostris magno nobis usui fuere excerpta ex libris obligationum seu instrumentorum quibus Episcopi & Abbates promittebant se soluturos communia servitia, ut tum vocabant, Papæ & Cardinalibus, & libri solutionum eorundem servitiorum, qui extant in archivo Vaticano, quorum verò excerpta amplissima ad me misit vir clarissimus & doctissimus Domnus Claudius Stephanotius monachus Benedictinus congregationis sancti Mauri.

Post Notas nostras sequitur locupletissima collectio actorum veterum illius ævi, uti sunt epistolæ Pontificum Romanorum, Regum, Principum, fundationes Ecclesiarum collegiatarum, testamenta Cardinalium & aliorum magnatum, & alia hujuscemodi ad eam historiam pertinentia.

Denique, ne quid deesset huic operi illustrando, in fronte post hanc præfationem posuimus numismata eorum Pontificum quorum vitæ isthic describuntur, sumpta ex museo viri istarum rerum peritissimi Ioannis Foy-Vaillant Antiquarij regij, qui ea nobiscum humanissimè communicavit.



Numismata Paparum Avenionensium.

Ex musæo V.C. Ioannis Foy-Vaillant Antiquarij Regij.




CLEMENTIS. V.



IOANNIS. XXII.



BENEDICTI. XII.



CLEMENTIS. VI.



INNOCENTII. VI.




VRBANI. V.



GREGORII. XI.



CLEMENTIS. VII.



BENEDICTI. XIII.



VITÆ PAPARUM AVENIONENSIUM.

PRIMA VITA CLEMENTIS V.

Auctore Joanne Canonico sancti Victoris Parisiensis.

ANNO MCCCV. in vigilia Pentecostes apud Perusium Cardinales degentes in Papam concorditer elegerunt Bertrandum Archiepiscopum Burdegalensem fratrem Beraldi quondam Archiepiscopi Lugdunensis & pòst Cardinalis Episcopi Albanensis olim in Francia Legati: cui in Pictavia in sua provincia, ut moris est, causa visitationis existenti allatum est decretum cum sigillis Cardinalium; factusque est Papa prout consuetum est & coronatus Lugduni, Cardinalibus, Rege Franciæ, & Baronibus assistentibus, die dominica post festum sancti Martini hyemalis, Cardinalibus advocatis ad diem suæ coronationis, vocatusque est alterato nomine Clemens quintus.

Primo anno pontificatus sui Lugduni decem novos Cardinales creavit, & duos de Columna, Iacobum scilicet & Petrum, de consilio fratrum & Regis Franciæ in statum pristinum revocavit, reddita eis dignitate cardinalatus.

In coronatione Domini Papæ Lugduni ex casu muri & pressura populi plures læsi sunt & nonnulli mortui; ibique fuit mortuus bonæ memoriæ Iohannes Dux Britanniæ; cui successit Arturus primogenitus ejus, nepos Regis Angliæ ex filia.

Frater Iohannes Parisiensis de ordine fratrum Prædicatorum, subtilis homo & expertus in multis scientiis, actuque regens in theologia, ponens de corpore Christi in sacramento altaris positionem novam & Parisius non consuetam audiri vel poni, ab Episcopo Parisiensi Guillelmo de Orillac & Magistris & Bacalariis theologiæ pluries auditus, tandem ab Archiepiscopo Bituricensi Ægidio & Episcopo Ambianensi Guillelmo & magistris theologicæ facultatis & multis aliis viris discretis examinata ejus positione, prohibitus est ampliùs legere & disputare Parisius. Sed ipse ad curiam appellavit & ivit, & postea ibidem obiit.

Hoc anno per totam æstatem maxima siccitas temporis fuit per totam Franciam, fluviique nimis constricti sunt & fontes, adeo quòd in profundis puteis vix aqua poterat inveniri.

In mense Septembri Ludovicus primogenitus Regis Franciæ Vernone duxit uxorem filiam primogenitam Ducis Burgundiæ ex filia sancti Ludovici, sibi cognatione conjunctam, habita super hoc dispensatione à curia Romana. Tuncque datum eidem Ludovico regnum Navarræ, quod ei competebat ex successione materna. Et filius Ducis & heres ducatus contraxit ibidem sponsalia cum filia Domini Karoli ex herede Constantinopolitani imperii primogenita, quæ erat quatuor vel circiter annorum, præsentibus patribus & parentibus utriusque & consentientibus.

Clemens V. Papa moram faciens Lugduni ab Episcopis & Abbatibus Franciæ qui habebant negotiari in curia innumerabilem pecuniam extorsit. Sed Rex Franciæ & fratres ejus Baronesque Francorum ipsum invenerunt propitium ac benignum. Clericis Gallicis gratias largas fecit. Circa Purificationem idem Dominus venit Cluniacum, ubi multa damna fecit. Similiter apud Bituricas & Nivernum fecit expensas immoderatas. Vnde Ecclesiæ Franciæ coactæ facere subsidium plurimùm sunt gravatæ. Postea Burdegalensem urbem adiens, non est benignè receptus.

Rex & Barones Franciæ dispositis negotiis post natale Domini in Franciam reversi sunt. Et tunc in Martio sequenti Dux Burgundiæ obiit Vernone, & sepultus Cistercii cum honore.

In fine anni præcedentis & in principio hujus anni MCCCVI. tres Cardinales venerunt Parisius, Gentilis frater Minor Papæ Pœnitentiarius tituli sancti Martini in montibus Presbyter Cardinalis, Nicolausque frater Prædicator Regis Franciæ quondam Confessor tituli sancti Eusebii Presbyter Cardinalis, & alius quidam Anglicus natione, multique alii nuntii ex parte Papæ, qui Gallicanam Ecclesiam non modicum gravaverunt ob petitam pecuniam vel expensas.

Eodem anno primò ver, pòst æstas fuerunt siccitate intemperata. Vnde damna terræ fructibus provenerunt.

Feria tertia post Ascensionem factum est Parisius maximum & solemnissimum festum à Prælatis regni & civibus Parisiensibus, qui cum maximo apparatu & cereis innumerabilibus grossis, Rege præsente & fratribus & Baronibus regni, conduxerunt caput sancti Ludovici Regis in vase pretiosissimo collocatum à monasterio sancti Dionysii in Francia usque ad capellam Regis Parisius, in qua cum ceteris reliquiis repositum est cum honore. quam capellam idem sanctus Ludovicus construi fecerat dum regnabat. Unam quoque costam ejusdem sancti dedit Rex Philippus IV. Ecclesiæ beatæ Mariæ Parisiensis. Diesque illa tanquam solemnis & festiva habita est à populo Parisiensis urbis, & deinceps sic fieri Parisius est institutum. Pro dicta autem translatione, procu-

rante Rege, à Papa, Cardinalibus, & Prælatis data est indulgentia maxima verè pœnitentibus & confessis.

Eodem anno in die Trinitatis obiit Parisius magister Petrus de Morneio Episcopus Antissiodorensis, qui primò fuerat Aurelianensis & Regis Franciæ Consiliarius, vir in multis expertus & in utroque jure peritus excellenter. Cujus corpus sepultum est in majore Ecclesia Antissiodorensi cum honore. Eique post aliquot menses successit magister Petrus de Bellapertica Parisiensis Decanus, vir etiam in utroque jure peritus & Regis Francorum sigillifer. Sed ipse brevi circiter uno anno præfuit. Vir siquidem satis favorabilis omnibus & benignus.

Tunc in Iulio Prælati Franciæ in pluribus locis fecerunt Concilia ad deliberandum quid possent facere super gravaminibus quæ inferebantur à Papa & suis Ecclesiis Gallicanis, consilioque Regis & regalium usi sunt in hoc casu.

Hoc etiam anno, in Augusto & Septembri, omnes Iudæi, nisi fortè pauci qui baptizari voluerunt, de regno Franciæ sunt expulsi; eorumque bona Rex habuit & fecit colligi per ministros, nisi quòd cuilibet Iudæo data est portio aliqua pecuniæ pro via extra regnum complenda; quorum multi in itinere mortui sunt præ lassitudine vel dolore.

Tunc Papa & Cardinales venerunt Pictavim; ubi longiorem moram, ut dicitur, quàm voluissent fecerunt, Rege Francorum & ejus complicibus & ministris illic eos quasi detinentibus violenter. Nam Papa, ut dicitur, sub alterius fictione personæ aliquando tentavit cum paucis, summariis tamen oneratis argento & auro præcedentibus, versùs Burdegalam proficisci. Sed à quibusdam qui pro Rege erant agnitus, cum rebus quas illuc volebat transferre compulsus est Pictavim remeare. Igitur Papa de consilio Regis & Cardinalium habito Lugduni convocavit per nuntios solemnes Pictavi magistros Hospitalis & Templi transmarinos; magisterque Templi de Cypro venit Pictavim, sed magister Hospitalis fortuito bello impeditus est in mari, unde per Dei adjutorium obtinuit victoriam. Nam quandam insulam vi obtinuit. Ob hoc non ita citò venit, sed postea quando potuit, & bene se excusavit.

In mense Ianuario Philippus Regis Franciæ Philippi IV. secundò genitus duxit uxorem Iohannam filiam Ottonis Comitis Burgundiæ ex filia Roberti Comitis Attrabatensis, quam Dominus Ludovicus frater ejus primogenitus jamdudum fiduciaverat, sed non desponsaverat: quorum nuptiæ, Rege & Baronibus Franciæ nobiliumque innumerabili comitiva præsentibus, sunt tunc Corbolii apud Hospitale cum gaudio mirabili celebratæ.

Hoc anno in finibus Scotiæ apud Carlolium obiit Edoardus IV. Rex Anglorum, prudens siquidem & fortunatus princeps & in bellis expertus, in multisque bellis periculosis prosperatus, anno vitæ suæ circiter LXXX. regni verò sui XXXVI. inchoato, sepultusque Lundoniis in Vestmonasterio cum prædecessoribus in festo sancti Edoardi Regis. Reliquitque ingenuos & elegantes filios ex Blancha Regina Regis Franciæ Philippi IV. sorore: quorum unus Thomas nomine Cornubiæ comitatum obtinuit pacificè, ut dicebant. Ipsi autem Edoardo in regno Angliæ & Hiberniæ filius ejus æquivocus, scilicet Edoardus quintus, ex Comitissa Pontivensi successit, jam annos circiter XXV. ætatis habens.

Circa Pentecosten Philippus Rex Franciæ ivit Pictavim ad Papam, illicque & in via diù moram contraxit.

Dominus Ludovicus Regis Franciæ frater Comes Ebroicensis, audito quòd

soror sua quondam Angliæ Regina esset orbata marito, de voluntate Regis Philippi fratris sui & Mariæ matris suæ eodem anno ad videndum eam & consolandum cum bona comitiva in Angliam transfretavit, satisque benignè susceptus est à novo Rege ipse & sui, & à sorore libentissimè visus.

Magister Bertholdus de sancto Dionysio Episcopus Aurelianensis, vir subtilis & in multis scientiis expertus & famosus, obiit; eique postea successit magister Nicolaus dictus Grosparmi clericus Regis, multùm expertus in jure.

Anno MCCCVII. cùm Rex Philippus pro se & filiis suis quendam Militem nomine Fortunium constituisset regni Navarræ rectorem, ipse propter absentiam longam Regis & Francorum locorumque distantiam, ambitione & elatione commotus, paulatim cœpit aspirare ad regnum, principum ac nobilium civiumque patriæ corda allicere, ut pro se essent in hoc casu; fueruntque ei ferè omnes faventes, præter illos nobiles & cives qui erant de urbe quæ Stella vocatur vel de confiniis ejus; fecitque omnes complices & fautores suos jurare quòd hoc secretè celarent & nemini revelarent. Sed quidam Miles patriæ innotuit Regi & ejus secretariis hoc intentum; supplicavitque cum quibusdam aliis nobilibus fidelibus Regi quatinus ipse vel Rex suus illuc iret regnum accepturus pariter & coronam. Hoc igitur anno in Iulio misit Rex primogenitum suum Ludovicum in Navarram cum Galchero de Castellione Franciæ Constabulario & Comite Bononiæ aliorumque bona & fideli comitiva. Qui habito adjutorio & conductu Senescallorum Regis Franciæ & nobilium viæ per quam transibant secundùm præceptum Regis, post aliquantulam moram in aliquibus locis pro consilio habendo, tandem sine bello, saltem aperto, regnum obtinuit de facto quod sibi de jure debebatur, & fuit solemniter, ut moris est & decens, in Regem Navarræ Pampiloniæ coronatus. Secumque rediens adduxit dictum proditorem Fortunium & quosdam alios sui complices usque Tolosam carceri mancipandos. Sicque confirmatus in regno ab omnibus, & receptis homagiis nobilium, Franciam reversus est prosperè atque gaudenter.

In Octobri decessit Episcopus Antissiodorensis magister Petrus de Bellapertica. Cui post vacationem plurium mensium successit magister Petrus de Gressibus Cantor Parisiensis. Sed quia non erat sacerdos, se fecit ordinari.

Tunc in crastino sancti Dionysii apud sanctum Audoenum juxta sanctum Dionysium obiit Imperatrix Constantinopolitana uxor Domini Karoli Comitis Valesiæ & Andegaviæ, & apud fratres Prædicatores Parisius cum honore sepulta est.

In crastino, feria sexta, III. Idus Octobris, accidit casus mirabilis ab antiquis temporibus inauditus. Magister scilicet transmarinus Templi, qui de Pictavia, ubi diù fuerat, in Franciam venerat, quibusdam de Cardinalibus hoc jamdudum tractantibus & ordinantibus & Regi Francorum executionem tradentibus, captus est Parisius apud Templum, & omnes Templarii regni Franciæ ex improviso capti fuerunt eadem die & diversis carceribus mancipati. Ex quo mirati sunt universi, curia Romana hoc ordinante, Rege præcipiente, Domino Guillelmo de Nogareto Milite & Reginaldo de Roye exequentibus. In domibus autem eorum ex parte Regis positi sunt custodes, qui ei & Papæ tempore & loco de bonis eorum mobilibus & immobilibus redderent rationem. Causa autem captionis eorum fuit re vera vitium hæreseos, blasphemiæ, & contemptus Christi ac fidei Christianæ, & sodomiæ impositio. Quod fuit scitum diù

antè per aliquos magnos ordinis sui & per quosdam nobiles & ignobiles qui Templarii fuerant, ut putatur, quos Dominus Guillelmus de Nogareto captos in diversis partibus regni Franciæ fecit ad testificandum adduci & Corbolii in carcere reservatos diu & secretissimè custodiri; cujus custodiæ præceptor & dispositor erat frater Ymbertus Prædicator & Regis confessor. Hi se opponebant viriliter & audacter ad probandum crimina prætacta esse in eis etiam ex eorum professione communi. Et detenti fuerunt Corbolii usquequo magister & alii capti fuerunt & dicta crimina saltem pro parte recognoverunt. In crastino captionis eorum, die scilicet sabbati, congregatione facta in capitulo Ecclesiæ beatæ Mariæ Parisiensis magistrorum Universitatis & Canonicorum ejusdem Ecclesiæ, dictus Guillelmus de Nogareto cum Præposito Parisiensi & quibusdam aliis Regis ministris, ipse Dominus Guillelmus, cui principaliter commissum erat negotium, totum factum retulit, & quinque casus enormissimos in quibus accusabantur narravit. Videlicet quomodo in sua professione facta semper de nocte Christum abnegabant, ejus imaginem conspuebant & conculcabant, & caput quoddam cum inclinatione & reverentia adorabant. Receptorem suum in tribus locis osculabantur. Sacerdotibus ordinis præcipiebatur ne in hora consecrationis corporis Christi in Missa sua verba consecrationis proferrent, & ne cum mulieribus coirent, sed ad invicem hoc facerent, & alter alteri non negaret. Item die dominica sequenti Idus Octobris publicus sermo factus est in viridario Regis; ubi primò à fratribus, postea à Regis ministris causa captionis eorum intimata est & prædicti casus tacti, ne populus scandalizaretur de eorum tam subitanea captione. Erant quippe potentissimi divitiis & honore. In quo sermone fuerunt populus & clerus omnium parrochialium Ecclesiarum Parisiensium. Postea congregatione generali omnium magistrorum & scholarium cujusque facultatis facta apud Templum, magister transmarinus adductus & quidam alii coram omnibus confessi sunt quosdam articulorum prædictorum, & dixerunt aliqui eorum quòd credebant hunc modum professionis suæ maledictæ cœpisse jam erant quadraginta anni & ampliùs, & hactenus fuerat occultatum. Item in alia congregatione coram Universitate magister & alii plures totum simpliciter sunt confessi, & magister pro toto ordine. Item Eleemosynarius Regis thesaurarius Templi Parisiensis hoc etiam recognovit. Unde positi sunt in carceribus sequestratim; quidam in ipso Templo, ubi fama referebat plures mortuos fuisse præ inedia vel cordis tristitia vel ex desperatione suspendio periisse. Alii apud Luparam ducti sunt, alii alibi, secundùm Regis imperium & ministrorum regalium voluntatem. Postea magister transmarinus & tres alii magni viri quondam ducti sunt apud Corbolium, & ibidem in ipsa domo regia in carcere sigillatim servati. Eleemosynarius autem Regis & magistri quidam locorum Franciæ apud Moretum sunt ducti, & alii ad alia loca destinati, donec secundùm judicium Romanæ curiæ expedirentur. Dicebatur autem quòd Papa captione Templariorum per totum regnum audita plurimùm turbatus est, quia Rex hoc videbatur nimis festinanter & quasi præcipitanter egisse. Ob hoc ei primo impetu displicebat. Sed postea placuit & captionem approbavit, ita tamen quòd Rex absque judicio Papæ & curiæ Romanæ executioni non præsumeret demandare. Et ob hoc Rex in suis parlamentis Meleduni & alibi de hoc sollicitè tractabat cum Principibus & Prælatis.

Hoc anno venit magister Hospitalis transmarinus Pictavim, & inde postea in Franciam venit ut loca Hospitalis visitaret & fratres sibi subjectos; à Papaque & curia similiter & à Rege Franciæ & aliis receptus est cum honore; mansitque hic & ibi diù. Cùmque Papa esset Pictavis, data est pro transfretatione indulgentia maxima III. Idus Augusti, de qua infrà.

Eodem anno, in Ianuario, in die conversionis sancti Pauli, Edoardus V. Rex Angliæ desponsavit, Romana curia consulente & procurante propter bonum pacis, filiam Regis Franciæ Philippi IV. nomine Isabellam; quæ ei ducta est honorificè, prout decebat, à nobilioribus proceribus usque Boloniam; ubi patre fratribusque suis Karolo ac Ludovico Comitibus, fratribusque dictæ Isabellis Ludovico Rege Navarræ, qui redierat nuper de Navarra, Philippoque & Karolo & tota nobilitate Franciæ præsentibus sunt nuptiæ solemniter celebratæ, pluresque Barones ipsam adduxerunt usque in Angliam, ubi à Rege Angliæ & nobilibus cum ingenti gaudio sunt recepti. Erat autem dicta Isabellis circiter duodecim annorum.

Tunc etiam Rex Francorum Philippus IV. dedit uxorem Karolo tertiogenito suo alteram filiam Ottonis quondam Comitis Burgundiæ ex filia Comitis Attrebatensis Roberti, quorum nuptiæ sunt apud Hedin astantibus amicis utriusque Regeque præsente solemniter celebratæ.

Eodem anno Domina Margareta relicta Edoardi IV. venit in Franciam, tribus filiis suis sub custodia dimissis; mansitque cum matre sua Maria aliquanto tempore in terra suæ dotis.

Anno MCCCVIII. cùm Papa Pictavi diù cum curia resedisset, Rex se movit de Francia ut eum visitaret & cum eo & Cardinalibus loqueretur de multis, præcipuè de negotio Templariorum; fecitque parlamentum nobilium & ignobilium de cunctis regni sui castellaniis & urbibus Turonis congregari, consilium habiturus, antequam ad Papam accederet, quid de Templariis fieri secundùm eorum confessionem deberet. Diesque est assignata omnibus qui fuerant invitati mense proximo futuro post diem Paschæ. Intendebat enim Rex sapienter agere. Et ideo volebat hominum cujuslibet conditionis regni sui habere judicium vel assensum, ne posset in aliquo reprehendi. Unde proponebat non solùm reportare secum deliberativum judicium nobilium & litteratorum, sed & civium & laicorum: qui personaliter illuc comparentes, ferè omnes dixerunt communiter eos esse meritò reos mortis. Parisiensis etiam Universitas, præcipuè magistri in theologia requisiti expressè suam dare sententiam vel censuram & mittere confessionem magistri Templi & quorumdam aliorum magnorum, sabbato post ascensionem Domini facta congregatione generali, per manum tabellionis scriptam dictam confessionem Regi mandaverunt & copiam litterarum magistri Templi, quibus omnibus fratribus suis intimabat quòd hæc & hæc fuerat confessus, & quòd idem confiterentur omnes velut antiquo decepti errore; mandaveruntque Regi standum esse curiæ Romanæ censuræ, quæ specialiter habet de religiosorum actibus & hæresibus seu criminibus enormibus judicare. Tunc Rex ivit Pictavim fratrum ac filiorum & Consiliariorum discretorum comitiva munitus. Fuitque ibi prætactum negotium, factis allegationibus & rationibus pro parte Papæ, & responsionibus pro Rege, rationibusque & replicationibus multis utrinque, coram Cardinalibus cleroque & ceteris qui aderant morosè discussum. Tandemque conventum est inter eos quòd Rex bona eorum omnia levaret seu levari faceret fide-

liter per ministros & servaret ea usquequo Papa cum ipso Rege deliberasset quid agi expediret, sed punitionem corporum Rex non faceret sine Papa, corpora tamen eorum servari faceret, sicut fecerat, & de proventibus domorum Templi sustentari usque ad Concilium generale futurum, corpora tamen eorum ex tunc ponebat Papa in manu sua. Illuc quoque, antequam Rex in Franciam remeasset, ducti sunt magister transmarinus Templi & plures alii, qui voluntatem Papæ & Regis audierunt, sed post breve tempus sunt ad pristinas prisiones reducti usque ad Concilium generale, quod tunc ordinatum est fore Viennæ post duos annos in octavis omnium sanctorum; & extunc intimari cœpit à Papa quantum ad remotiores partes orbis in quibus Christianitas viget. Postea longa mora contracta Pictavi, & eundo ac redeundo, Rex & sui in Franciam redierunt. Papa quoque circa Augustum, Concilio generali ordinato & quibusdam aliis negotiis cum Rege Franciæ & aliis expeditis, aliquibusque dilatis vel suspensis, de Pictavi recessit; curiaque soluta & Cardinalium pluribus licentiatis, & aliquot secum ductis, in Vasconiam ivit, habitans satis prope Burdegalensem urbem; & Cardinales qui secum erant in loca vicina vel propinqua suam habitationem fecerunt.

Circa hoc tempus captus est Dominus de Vlmeto prope Corbolium, Miles satis nobilis & dives, & ductus Parisius in castelleto, districtoque carceri mancipatus. Capti sunt etiam alii pro eadem causa & ibidem incarcerati. Quæ siquidem causa fuit quia uxorem suam nobilem Dominam, moribus gratiosam, filiam Domini Matthæi de Tria senioris, quæ in nuptiis Regis Angliæ Edoardi V. nuper Bononiæ celebratis ferè præ cunctis aliis Dominabus de morum venustate & decore corporis ab omnibus fuerat commendata, ob amorem inordinatum suæ concubinæ procuraverat veneficiis vel maleficiis post reditum à nuptiis dictis occidi vel extingui secundùm judicium medicorum. Ob hoc igitur dicta concubina & quædam aliæ criminis hujusmodi fautrices & reæ Parisius ductæ vitam turpiter amiserunt ignis combustione vel subterratione, prout dignæ erant.

Karolus Comes Valesiæ frater Regis duxit uxorem filiam Comitis sancti Pauli; & primogenitus Hugonis quondam Comitis Blesensis, Comes scilicet futurus, duxit uxorem filiam dicti Comitis Karoli ex uxore sua defuncta herede imperii Constantinopolitani.

Dominica ante festum sancti Dionysii in Octobri facta congregatio populi & cleri in virgulto Regis, quia jam captus fuerat & apud Luparam Parisius arcto carceri mancipatus Guichardus Episcopus Trecensis, primùm in abbatia ejusdem urbis de ordine sancti Benedicti monachus & pòst Abbas, postea factus præsul, pro eo quòd Dominus Ludovicus Rex Navarræ ob suspicionem exortam & inquisitionem postmodum rite factam invenerat eum, ut dicebatur, suspectum de obitu matris suæ, quæ dicebatur veneficiis vel invocatione defuncta. Quicquid fuerit, prædictus Episcopus Trecensis, nullius privilegii fretus vel fultus juvamine, turpiter est detentus in carcere, longoque tempore reservatus.

Anno MCCCIX. Alberto Regi Alamanniæ per electionem solitam successit Henricus Comes Lucemburgi, juvenis, sed strenuus in armis.

Magister Petrus de Gressibus quondam Cantor Parisiensis, vir nobilis genere, & in utroque jure peritus, frater scilicet Iohannis de Gressibus Militis Franciæ Marescalli, Campaniæ Briæque Cancellarius & Navarræ, in festo sancti Thomæ Apostoli à Guillelmo

Parisiensi Episcopo fit sacerdos apud Montem Lethericum, & postea Dominica prima Ianuarii, videlicet in vigilia epiphaniæ, cum honore Parisius est in Episcopum Antissiodorensem consecratus; illaque die fecit convivium festivum & solemne apud fratres Minores.

Circa idem tempus indulgentia valde magna transfretantibus in subsidium terræ sanctæ vel pecuniam suam largientibus, quam Papa anno Domini MCCCVII. III. Idus Augusti Pictavis concesserat, & magistrum Hospitalis transmarini executorem seu receptorem constituerat, est per regnum Franciæ publicata.

In principio veris venit Papa de Burdegala, ubi hyemaverat, Avinionem; ibique in domo fratrum Prædicatorum pro se diligenter parata habitans, longo tempore in eadem urbe mansit; secutique sunt eum Cardinales. Et fuit ibi curia usque quò eundem fuit ad Concilium generale; quod inquam Concilium tunc habita deliberatione retardatum est usque ad annum Domini MCCCXI. nuntiique super hoc intimando tunc per omnes provincias Christianitatis directi.

Rex Siciliæ Karolus II. obiit post Pascha anno regni sui XXI. pluribus liberis superstitibus sexus utriusque relictis; quorum primogenitus est postmodum eodem anno à Papa, Cardinalibus consentientibus, Avinione in Regem Siciliæ coronatus. Filiarum autem præfati Karoli una erat Arragoniæ Regina, Domini Iacobi uxor, alia Siciliæ domina uxor Frederici, & alia filii Regis Majoricarum uxor, altera Principi Tarentino de heredibus Sabaudiæ desponsata.

Eodem anno in Pascha obiit Stephanus Bequart Archiepiscopus Senonensis, cùm præfuisset dictæ sedi annis circiter sexdecim, Et eodem anno Philippus de Marrigniaco natione Nortmannus de Cameracensi episcopatu translatus est per Papam & Regem ad metropolitanam sedem Ecclesiæ Senonensis. Et successit ei in episcopatu Cameracensi Petrus de Merapicio priùs Episcopus Magalonensis.

Eodem tempore post Augustum fuit bellum in Hispania. Rex namque Castellæ nomine Alfonsus filius Domini Sansonis contra quosdam Reges Sarracenorum pugnavit cum exercitu suo. Et cùm quidam Christiani, inter quos erat Episcopus Sibilæ, cum paucis pro præda cum hostibus subitò irruentibus confligerent, à Sarracenis fugati sunt & devicti. Sed brevi elapso tempore in majori prælio habuerunt Christiani victoriam. Tuncque filius Regis Granadæ & frater ejusdem cum multis aliis Sarracenis à Christianis Hispaniæ, & præcipuè à Rege Arragoniæ Iacobo, & à filio Regis Majoricarum, devicti sunt, dictis filio Regis Granadæ & fratre occisis, aliisque omnibus captis vel occisis vel vix per fugæ subsidium liberatis.

Henricus Rex Alamanniæ jamdudum à paribus Alamanniæ in Imperatorem Romanum electus, & ab eis Papæ & Cardinalibus propter hoc implendum seu confirmandum præsentatus, prout moris est, hoc anno habuit consensum eorundem habendi imperii dignitatem, si aliorum ad quos de consuetudine pertinebat eum recipere posset favorem obtinere.

Anno MCCCX. Prælati Franciæ ex Papæ præcepto quilibet in sua diocesi fecerunt de Templariis inquestas solemnes.

Eodem anno inter Pascha & Pentecosten, inquisitione sufficienti facta de Templariis tam ab illis octo quibus specialiter hoc erat commissum quàm à Prælatis Franciæ in locis suis, & nullo contingentium, ut arbitramur, omisso, fuit plurimi Templariorum in diversis partibus regni seu provinciis coram

coram clero & populo in locis publicis velut rei criminum suprà tactorum ab Archiepiscopis traditi justitiæ seculari; quorum quidam erant sacerdotes, sed ibidem degradati positi sunt in numero ceterorum. Sunt itaque per manum justitiæ secularis infra brevem moram Parisius combusti. Nempe, ut ferunt, tunc fuerunt quinquaginta quatuor incendio concremati, & similiter alibi multi, & meritò, prout plurimis videbatur. Eorum autem quidam sunt iterum in carcere detenti quousque deliberatio plenior haberetur. Quidam autem vestibus illius religionis abjectis, & secularibus assumptis, sunt absoluti & liberi dimissi. Nam illi qui præfatos casus enormes de se & de aliis publicè confessi sunt & postea negaverunt, velut prolapsi combusti sunt. Qui autem nunquam voluerunt fateri, in carceribus detinentur. Qui verò primò confessi sunt & semper confitentur, pœnitentes & veniam postulantes, liberi sunt dimissi.

Ludovicus primogenitus Regis Franciæ Rex Navarræ duxit in Iunio validum Francorum exercitum in Burgundiam contra Archiepiscopum Lugdunensem Regi patri ejus, prout videbatur, rebellem, eumque captum adduxit circa festum Mariæ Magdalenæ; coëgitque eum parere regiæ potestati.

Tunc erant duo Cardinales in Francia, frater Nicolaus Normannus quondam Regis Franciæ Confessor, & quidam alius, qui de quibusdam negotiis, puta de Templariis & de Episcopo Trecensi, de quo suprà aliqua tulimus, tractaverunt. Sed hæc & alia sunt determinationi generalis Concilii reservata.

In Septembri duxit uxorem Dominus Ludovicus Clarimontis filius filii sancti Ludovici sororem juvenis Comitis Hannoniæ: quorum nuptiæ factæ sunt apud Pontisaram solemniter & festivè.

Anno MCCCXI. ut dicitur, in die epiphaniæ fuit Henricus Rex Alamanniæ & jam Imperator vocatus Mediolani, prout Imperatorum moris est, coronatus.

Eodem anno Archiepiscopus Narbonensis Consiliarius & magister curiæ Regis Franciæ de sede Narbonensi translatus est ad Rothomagensis Ecclesiæ præsulatum.

Eodem anno duxit Guido juvenis Comes Blesensis uxorem unam filiarum Domini Karoli fratris Regis circa Magdalenam, eorumque nuptiæ cum magno festo apud Silvanectum sunt factæ.

Eodem anno venit Imperator Romam corona aurea coronandus. Cui venit obviam Rex Siciliæ Robertus, obsidens eum infra urbem. Mandaverat autem dictus Rex Imperatori petenti homagium ab ipso quòd nihil tenebat ab eo, & quòd regnum suum progenitores sui cum gladio de voluntate Ecclesiæ acquisierant & propter defectum Imperatoris qui tunc vivebat, qui contra Ecclesiam rebellavit, & quòd si versùs Romam procederet, ei viriliter obviaret. Fuit igitur gravis controversia & pugna inter eos, & ex utraque parte plurimi ceciderunt, tamen plures ex parte Imperatoris. Tamen victoria sibi cessit, ita quòd Regem oportuit terga dare. Quibusdam autem mediatoribus intervenientibus treugæ sunt inter eos confirmatæ.

Eodem anno Papa tenuit Concilium in Vienna, in quo fuit de Templariis ordinatum, & redditus eorum Hospitalariis assignati in subsidium terræ sanctæ. Ibi fuit magna altercatio de exemptis, quia Prælati petebant quòd exempta collegia tam religiosa quàm secularia eorum regimini subderentur. Sed noluit Papa consentire. Dicitur à pluribus quòd pro extorquenda pecunia Concilium fuit factum. Ibi facta fuit constitutio de regula Minorum ad

ſedandum ſchiſma inter eos ortum. Quidam enim ſeparabant ſe à modo communi vivendi, dicentes quòd regulæ ſancti Franciſci repugnabat, cùm ſecundùm ipſam paupertas perfecta & victus parcitas voveretur, quibus non concordabat ædificiorum & veſtimentorum pretioſitas & ciborum copia. Vnde tales curtos habitus & viles aſſumpſerunt. Alii autem vocabant eos Sarabaitas & excommunicatos, qui tamen à populo dicebantur ſpirituales, & tantum in provincia Narbonenſi prævaluerunt quòd de conventu Narbonenſi & Biterrenſi alios expulerunt, populo favente eis. Nec tamen ratione illius conſtitutionis potuit illud ſchiſma extirpari uſque ad tempus Iohannis Papæ XXII.

Papa Clemens pontificatus ſui anno octavo canonizavit ſanctum Petrum eremitam, qui Papa Cæleſtinus vocatus ſederat & ſe depoſuerat, & eum pro ſanctitate vitæ & miraculorum veritate, de quibus inquiri fecerat diligenter, ſanctorum confeſſorum catalogo de Cardinalium conſilio & aſſenſu & omnium Prælatorum tunc apud ſedem apoſtolicam exiſtentium ſupplicatione devota duxit adſcribendum. Obiit autem ſupradictus Chriſti confeſſor Petrus XIV. Kal. Iunii, & canonizatus eſt Avinioni III. Nonas Maii pontificatus Clementis anno octavo.

In fine hujus anni Scoti cum Anglicis pugnantes ſunt ſuperati. Dominus autem Ludovicus frater Regis Franciæ & Comes Ebroicenſis volens eos concordare in Angliam transfretavit, & ad ejus procurationem ſunt inter eos unius anni treugæ confirmatæ. Rogavit autem Principes ut in ſequenti Pentecoſte Pariſius convenirent ad honorandum Regem, qui tunc debebat tres filios ſuos militia inſignire. Omnes verò Principes Anglici huic petitioni conſenſerunt & præſentiam promiſerunt. Sequenti igitur Pentecoſte venit Pariſius juvenis Rex Angliæ Edoardus & Regina ſimiliter Regis Franciæ filia. Non eſt memoria quòd unquam fuerit in Francia tantum feſtum. Omnes enim Duces Franciæ, Comites, & Barones affuerunt, qui ornamenta tribus vicibus in die mutaverunt. Omnes artifices proceſſionaliter incedebant, & illi de ſingulis artificiis habebant diſtincta ornamenta ab aliis. Quidam cum hoc infernum effingebant, alii paradiſum, alii proceſſionem vulpis, in qua ſingula animalia effigiata ſingula officia exercebant. Fuit autem tota civitas ſericis & pretioſis lineis cooperta, & erant per omnes vicos luminaria infinita. In die igitur Pentecoſtes fecit Rex tres filios ſuos Milites & multos nobiles cum iiſdem. Prima die fecit Rex prandium copioſum, ſecunda Rex Navarræ, tertia Rex Angliæ ſolemniſſimum, quod fuit factum in tentoriis in horto ſancti Germani de Pratis nobiliſſimè coaptatis. Rex autem Franciæ omnes Dominas habuit illa die in Lupara feria quarta. Ludovicus Ebroicenſis Comes prandium miniſtravit, & in craſtino Karolus frater Regis. Illa quarta feria facta fuit crucis ſignatio in inſula ſanctæ Mariæ; ubi fuit Dominus Nicolaus ſancti Euſebii Cardinalis & Prælati plures, qui cruces volentibus porrigebant. Igitur Rex Franciæ & tres filii ejus & Rex Angliæ & omnes novi Milites & Barones crucem ceperunt. Quod videntes eorum uxores, omnes in craſtinum cruces ſimiliter ceperunt, conditione appoſita quòd ſi viri earum minimè transfretarent, vel ſi aliqui eorum antequam iter arriperent morerentur, à voto liberæ eſſent. Quinta feria omnes artifices & burgenſes ſe in equis & pedites oſtenderunt proceſſionaliter ab inſula ſanctæ Mariæ per clauſtrum uſque ad Regis palatium incedentes, ita quòd Rex cum multis nobilibus eos

vidit per fenestras ; & æstimati sunt equites viginti millia, & pedites triginta millia. Et sic hora vespertina versùs sanctum Germanum de pratis perrexerunt. Quos videns Rex Angliæ obstupuit & omnes sui. Vix enim credere valerent quòd de una sola civitate tanta & tam nobiliter parata potuerit exire multitudo. Postquàm per octo dies duraverat dictum festum, Reges Franciæ & Angliæ iverunt Pontisaram ut mutuum haberent parlamentum. Sed quadam nocte ignis in gardaroba Regis Angliæ est accensus, & multam supellectilem perdiderunt. Rex & Regina undique in camisiis de incendio aufugerunt.

Eodem anno videns Imperator quòd suo proposito frustrabatur, eò quòd Rex Robertus sibi in omnibus resistebat, inde tactus dolore cordis intrinsecus lecto prosternitur, & sicut potuit ad capellam veniens, sacro Domini corpore se munivit. Et quia veniendo ad capellam laboraverat ultra vires, apostema quod latebat in corpore ex inordinatis armorum laboribus generatum ipsum in brevi suffocavit. Multi tamen dixerunt quòd Confessor suus de ordine Prædicatorum ei potum in calice ministravit venenatum. Ex quo Pisani & Theutonici amici dicti Imperatoris fratribus multas injurias irrogarunt, licèt medici dixerint coram Papa ipsum veneno exstinctum non fuisse. Obiit autem prope Pisis.

Anno MCCCXIV. Nicolaus Cardinalis de mandato Papæ ordinavit de Templariis, multis Prælatis & clericis congregatis. Quidam autem ex Templariis dictos errores confessi sunt; & in confessione perdurantibus illis est vita tanquam pœnitentibus data. Alii semper negant, & isti in carcere detinentur. Tertii primò confessi sunt, sed dixerunt postea se mentitos propter vehementiam tormentorum. De quibus non fuit magister generalis, quia sine omni tormento errores plenariè recognovit. Nec est verisimile quòd viri tam nobiles, sicut multi inter eos erant, unquam tantam vilitatem recognoscerent nisi veraciter ita esset. Vnde tales sunt ad incendium judicati, magisterque fuit combustus in parva insula sub capella.

Hoc etiam anno Papa Clemens feria tertia post quindenam Paschæ obiit apud Carpentras. Gascones autem qui cum eo steterant, intenti circa sarcinas, videbantur de sepultura corporis non curare, quia diù remansit insepultum.





SECVNDA VITA CLEMENTIS V.

Auctore Ptolemæo Lucensi ordinis Prædicatorum.

ANno MCCCV. quinta die Iunii Dominus Bertrandus de Gutto Archiepiscopus Burdegalensis apud Perusium in summum Pontificem eligitur, & de Perusio mittuntur nuntii ad ipsum, qui distabat à Perusio per triginta dietas; miseruntque sibi decretum per tres probos viros, officiales videlicet curiæ. quod sibi Burdegalæ præsentarunt. Eodem tempore & anno prædictus Papa post decretum receptum Clemens quintus vocatus deliberat in comitatu Veneysini residentiam facere nec unquam montes transire, sicut nec fecit, quamvis promiserat.

Eodem anno dictus Papa apud Lugdunum coronatur; in cujus festo & coronatione Rex Franciæ interfuit. Et hæc coronatio fuit infra octavas sancti Martini, die dominica, & hoc in Ecclesia sancti Iusti de Lugduno. In qua coronatione istud apparuit signum notabile quòd cùm Papa de sancto Iusto descenderet ad civitatem Lugdunensem & deduceretur per Principes, unus murus qui erat super viam cecidit super multitudinem & multos oppressit de his qui Papam dextrabant nobiles, sed præcipuè Ducem Britanniæ, qui mortuus est ibidem, Dominum Karolum fratrem Regis Franciæ, qui erat ab alio latere Papam dextrans, multùm læsit; & multi Milites ibidem mortui sunt. Papa etiam fuit in periculo, & cecidit corona de capite ejus, equusque ejus lapidibus est coopertus &, ut tradunt, mortuus. Rubinus etiam qui erat in capite coronæ tunc fuit perditus, pretii sex millium florenorum, sed postea reinventus fuit.

Eodem anno Papa circa festum beatæ Luciæ fecit duodecim Cardinales, quatuor de genere suo, & duos fratres Prædicatores, videlicet Confessorem Regis Franciæ, Confessorem Regis Angliæ, Episcopum Tolosanum, Biterrensem, duos Columnenses, & duos alios, videlicet Archidiaconum Brugensem Cancellarium Regis Franciæ, & Abbatem sanctæ Crucis, qui fuit Vicecancellarius.

Anno Domini MCCCVI. circa principium Februarii rebellarunt Marchioni Estensi Mutina & Rhegium, expulsis inde omnibus stipendiariis ejus & spoliatis; redieruntque omnes exules in propria, & civitates reintegratæ sunt. Causa autem ponitur hujus rebellionis quia videbatur velle Marchio dictas civitates uxori suæ filiæ Regis Karoli assignare in dotem. Vnde civitates circumstantes, ut Bononia & Parma, eisdem in dicta rebellione non modicum auxilium præstarunt.

Eodem anno Papa Clemens Legatum statuit in Italia Dominum Neapolionem de Vrsinis pro reformanda pace. Idemque venit Bononiam, existentibus ibidem ambaxiatoribus Florentinis & Lucanis.

Eodem anno, III. Kal. Februarii, revocat duas constitutiones Papæ Bonifacii. Vna fuit quam direxit Regi Franciæ, in qua scribebat eidem ipsum Romanæ Ecclesiæ subjectum in spiritualibus & temporalibus. Alia quæ continetur in sexto libro, quæ incipit:

Clericis laicos. Revocat etiam omnia quæ ex ipsa consecuta sunt.

Eodem anno in Maio Papa confirmat Regem Arragonum in regno Sardiniæ.

Eodem anno accidit miraculum in valle Nebulæ in episcopatu Lucano de quibusdam rusticis qui secaverant frumentum in festo beati Iohannis Baptistæ, & posuerant in manipulis ad siccandum; & sequenti die fulmen ibidem percussit & combussit spicas, relictis paleis.

Eodem anno in fine Iulii fuit Lucæ terræ motus permaximus in crepusculo diei. Hic autem terræ motus fuit quasi generalis in longum ferè per quadraginta milliaria.

Eodem anno facta est concordia inter Bononienses & Marchionem Estensem propter gravamina quæ Legatus eisdem inferebat.

Eodem anno, mortuo Rege Bohemiæ, filius suus, qui coronatus erat in Hungaria, rediit Bohemiam, & regnavit ibidem. Orta autem turbatione cum quodam Principe, quidam Miles vassallus dicti Principis sub prætextu cujusdam secreti colloquii occidit eum.

Eodem anno Andronicus Imperator Constantinopolitanus misit filium suum Ianuam, natum de sorore Marchioni Montisferrati. Et ibi accepit in uxorem filiam Domini Obizini de Spinolis, qui eo tempore Capitaneus erat Ianuæ. Quo facto, paravit eidem gentem militarem & pedestrem ad intrandum terram Marchionis Montisferrati, quæ de jure sibi debebatur ratione matris, deficiente prole masculina in eodem dominio.

Eodem anno Philippus Princeps Tarentinus & filius Regis Karoli navigavit in Græciam, & occupavit principatum Achaiæ, qui Morea dicitur, ex antiquo jure quo patri debebatur ratione sui fratris Philippi, qui filiam Principis Achaiæ in uxorem habuerat. His peractis, quòd in omnem eventum jus dominii pertineret ad Regem, tunc voluit intrare principatum Despoti, sed epidimia impedivit eum, & ipsa Despotina socrus ejus.

Anno Domini MCCCVII. in Ianuario facta est conjunctio Iovis cum Saturno in scorpione, & secuta est postea magna aquarum inundatio. Sed in medio Februarii sole intrante signum piscium & luna signum cancri, Iove verò & Saturno & Marte in medio signo scorpionis, major facta est alluvio cum magna intemperie aëris, ventorum, grandinum, & aquarum.

Eodem anno Rex Franciæ fecit suspendi Parisius quosdam Parisienses usque ad triginta de burgensibus ex eo quòd concitabant populum contra ipsum ratione monetæ.

Eodem anno curia vadit Pictavum pro tractanda concordia & consummanda inter Regem Franciæ & Regem Angliæ. Quæ quidem curia ratione infirmitatis Papæ per unum annum quasi sopita stetit.

Eodem anno in quadragesima Episcopus Vercellensis cum Inquisitoribus Lombardiæ hæreticæ pravitatis congregavit exercitum contra quendam hæreticum qui vocabatur Dulcinus, qui morabatur in montibus Novariæ, & multos habebat fautores multosque sequaces. Accidit autem quòd propter intensa frigora multi qui erant in dictis montibus præ frigore & fame sunt mortui. Vnde ascendentes fideles dictos montes ceperunt Dulcinum & cum Dulcino circa CL. personas. Mortui verò sunt tum fame tum frigore propter abundantiam nivium circa CCC. cum interfectis gladio. Cum Dulcino verò fuit capta quædam mulier malefica & nigromantica quæ vocabatur Margareta. Hic Dulcinus multa de Pontifice & contra Romanam Ecclesiam dixit. Vnde Papa Clemens mandavit prædi-

cari crucem contra ipsum, & longo tempore Inquisitores hæreticorum insecuti sunt ipsum. Captus autem fuit die cœnæ Domini. quod sine mysterio non fuit, quia in sacramentum peccabat quod ea die fuerat institutum.

Eodem anno hoc est MCCCVII. quædam petitiones per Regem Franciæ summo Pontifici fuerunt porrectæ apud Pictavum, quas Cardinales judicaverunt non exaudiendas. De quibus in curia exorta est non modica discordia, quia petitiones transcendebant regalem statum. Unde facta est commissio sex Cardinalibus, & nihil usque modò est obtentum.

Eodem anno Dulcinus superiùs nominatus mandatur per Papam tanquam hæreticus puniri. Propter quam causam Vercellenses ipsum ad favorem populi occiderunt & membra sua minutatim conciderunt.

Eodem anno in Augusto, luna existente in scorpione, fulmen percussit in multis partibus Lucæ. Nam apud Lunatam occidit unum peditem & unum in equo. Quidam hoc videns descendit de asino & projecit se in foveam. Tamen subitò percussit caput asini, & mortuus est. Percussit etiam in una domo Lucæ. Sed quia erat in domo illa Agnus Dei, nullam læsionem fecit quantum ad personas. Percussit tamen in ostiis domus, & ipsas confregit non sine magna multorum admiratione.

Eodem anno in Octobri capti fuerunt omnes Templarii una die in toto regno Franciæ, accusati de hæresi pessima. Unde confiscata sunt omnia bona eorum, quæ nunc tenet ordo Hospitalariorum, & ipsi in duro carcere detinentur.

Eodem anno Rex Arragonum occupari mandavit bona Templariorum in regno suo circa Kalendas Decembris; & ipsi sunt capti, & aliqui volentes fugere, exposuerunt se in mari, sed ventus repulit eos ad plagiam, & ad manus Regis venerunt cum thesauro multo.

Eodem anno, adhuc vivente Clemente, Rex Karolus vadens ad curiam Pictavis impetravit gratiam de eo quod Ecclesiæ debebat propter censum, cujus summa ascendebat ultra mille millia & sexcenta millia florenorum auri.

Eodem anno per Legatum, videlicet Dominum Neapolionem, suspensum fuit interdictum in Tuscia à divinis celebrandis, ut sic traheretur populus ad obediendum.

Anno Domini MCCCVIII. filia Regis Franciæ contraxit cum Rege Angliæ; transitoque mari per Regem Angliæ ad suam uxorem traducendam, Rex Franciæ occurrit ei Bononiæ; videruntque se mutuò, & pacem firmaverunt ad invicem; & tunc Rex Angliæ fidelitatem juravit eidem super terris quas habet citra mare.

Eodem anno moritur Marchio Estensis sine herede legitimo, nec de filia Regis filium habuit. Tunc Bononienses & Paduani cum Ferrariensibus convenerunt, ordinaveruntque quòd filius illegitimus Marchionis, dictus Dominus Fliscus, succederet in dominio cum certis pactis, & gabellis & exactionibus diminutis.

Eodem anno post Pascha Rex Franciæ congregavit Prælatos regni sui apud Turonis, habens ibidem consilium super quæstione Templariorum, adhuc existente curia Romana Pictavis, & vivente Clemente V.

Eodem anno occisus fuit Rex Alamanniæ Albertus à nepote suo filio sui fratris; cujus causa fuit, ut fertur, quia omnia dabat filiis, & de ipso non curabat, cùm tamen ipse esset filius primogeniti.

Eodem anno orta est discordia inter Regem Angliæ filium Edoardi generum Regis Franciæ & Barones suos ex eo quòd quendam Vasconem scu-

tiferum, qui cum ipso nutritus fuerat tempore patris, Militem fecit, in tantum fascinatus ab ipso quòd neptem suam filiam sororis & Comitis Wintoniensis eidem in uxorem dedit. Item comitatum Cornubiæ dederat ei & multa alia, sicut fascinatus ab ipso, in depressionem regiæ dignitatis. Ex quibus Barones regni opponebant Regi perjurium, quia suam vilificabat coronam. Dictus autem scutifer vocabatur Petrus de Gavastone.

Eodem anno circa festum Pentecostes Rex Franciæ venit ad curiam, ipsa adhuc existente Pictavis, & cum suo consilio; & primò occurrentibus omnibus Cardinalibus osculum pacis dedit. Cùm autem ad Papam venit, videlicet Clementem, eidem se prostravit, & pedem osculatus est; sed Papa ipsum elevavit ad osculum oris. Sequenti autem die suas petitiones per Militem Guillelmum de Plasiano porrexit super facto Templariorum, exponens ipsos inventos fuisse hæreticos, petens dictus Miles in persona Regis ut dicti Templarii sicut hæretici puniantur. In qua petitione septem fuerunt aringantes ex parte Regis & regni, hoc idem replicantes quod primus, & ampliùs aggravantes. In quo facto Papa Clemens dicitur respondisse quòd super hoc satis audiverat querelam gravem, sed mirabatur quòd tale negotium sine ejus consultatione sic fuerat inchoatum ac etiam ventilatum, haberet tamen consilium cum suis fratribus, & super prædictis provideret prout meliùs posset. Et quamvis dictus Miles Regem excusaret quòd per Inquisitorem fecisset hæreticæ pravitatis, non tamen hoc acceptavit summus Pontifex quòd sine consultatione dictæ sedis tantum negotium assumpsisset.

Post hæc autem ad paucos dies volens Papa Clemens respondere super petitione præfata, primò petiit in possessionem personarum Templariorum poni ac rerum antequam aliquod det responsum. quod & factum fuit. Tunc Papa commisit uni Cardinali, videlicet Penestrino, Templarios & eorum bona custodienda.

Eodem tempore dum hæc aguntur, porriguntur Papæ per Militem præfatum in persona Regis & regni tres petitiones; quarum prima fuit de Cælestino Papa, quòd canonizaretur; secunda fuit quòd fieret justitia de Domino Bonifacio, ab ipso aliàs petita; tertia fuit quòd Guillelmus de Nogareto absolveretur cum suis de injuria Ecclesiæ illata. Ad quod respondit Papa Clemens jamdictus in primo articulo Regem exaudiendum, sed factum indigere ex sui natura majori inquisitione. Ad secundum respondit quòd licèt non crederet Dominum Bonifacium errasse, quia facta ejus in Ecclesia solemne perhibent testimonium in contrarium, justitiam tamen negare non poterat. Ad tertium verò cum detestatione loquens, ipsum dixit non esse exaudiendum.

Eodem anno præsentantur Papæ Templarii circa LXX. examinati per officiales Regis, qui confessi fuerant suam iniquitatem per abnegationem Christi; qui ex mandato Papæ Clementis transmittuntur ad Cardinales quibus examinatio commissa fuerat, in tantum quòd hoc idem confitentur, qualiter post professionem suæ regulæ in loco privato coram suis majoribus porrigebatur eis imago crucifixi, quam cogebantur abnegare & in faciem ejus spuere. Et quædam alia turpia confitebantur, sed non omnes. quod turpe esset dicere, nedum scribere.

Post hæc autem, quia inveniebantur circa regales examinatores extorsiones indebitæ, inde summus Pontifex Clemens prædictus cum collegio sic statuit circa Kalendas Augusti ejusdem anni, octavi videlicet, quòd iteratò per diocesanos cum Inquisitoribus

hæreticæ pravitatis & cum aliquo eis adjuncto, per ipsos fiat examinatio de Templariis in toto regno Franciæ, & examinatione completa, Metropolitani cum suffraganeis suis Concilium celebrent, & ipsorum judicio condemnentur personæ, judicium verò circa statum ordinis & circa dubia fidei, quæ Templarios tangunt, reservaretur Concilio generali.

Eodem tempore & anno, hoc est, anno octavo, curia adhuc existente Pictavis, judicatum fuit per Papam cum collegio quòd curia transferretur Avinionem; & hoc pronuntiatum fuit ex ore summi Pontificis. In qua translatione sic fuit diffinitum, quòd circa octavas epiphaniæ omnes essent ibidem, interim autem unicuique liceret ire quò vellet. Propter quam causam Cardinales disperguntur per diversa loca.

Eodem etiam die & anno & contextu verborum pronuntiatum fuit Concilium generale tunc celebrandum Viennæ super Rhodanum à Kalendis Octobris tunc sequentis usque ad duos annos ratione Templariorum & ratione multorum aliorum negotiorum quæ tunc emergebant, quæ maxima indigebant deliberatione.

Eodem anno in principio mensis Maii, hoc est, in festo sancti Iohannis ante portam Latinam, combusta est Ecclesia sancti Iohannis de Laterano Romæ. Qua de causa exorta est magna lamentatio in urbe, quasi divinam sententiam indicans super ipsos. Et inde factæ sunt processiones in urbe, & multæ factæ paces, & multæ sedatæ discordiæ. Dominæ urbis & viri timorati assumunt casum ac sollicitantur ad reparationem Ecclesiæ memoratæ; & in tantum dictæ Ecclesiæ deferunt quòd ipsas quadrigas oneratas lapidibus mulieres trahebant in Ecclesiam, non permittentes quòd animalia eam violarent.

Anno Domini MCCCIX. una pars Cardinalium, videlicet decem, pervenit Avinionem de diversis partibus. Alia pars sequebatur Papam de Pictavis in Vasconiam, sed maximè de Tolosa usque Avinionem.

Eodem anno in principio Henricus Comes de Lucemborgh eligitur in Regem Alamanniæ, & in epiphania Aquisgrani coronatur.

Eodem autem tempore facta est conjunctio Martis cum Saturno. Post quam secuta sunt frigora, cùm tamen primò esset tempus multùm temperatum. Et apud Avinionem fuit ventus aquilonaris permaximus; post quem secutæ sunt nives.

Eodem anno, in crastino beati Matthiæ, luna passa est eclipsim in crepusculo diei, & primò fuit sanguinea, postea nigra. Postea secutæ sunt nives & pluviæ ultra modum & cursum naturæ.

Eodem etiam anno Flamingi iverunt ad Regem Alamanniæ, & se sub sui protectione posuerunt; & ipse eos recepit contra omnem personam.

Hoc eodem anno in die cœnæ Domini factus est processus per Papam multùm durus contra Venetos ratione Ferrariæ, ubi Ecclesia dicitur magnum jus habere. Comparuerunt Veneti; sed non fuerunt auditi, quia non habuerunt plenum mandatum; factique sunt contumaces, & Ecclesiæ guerram movent. Tunc verò mittitur Legatus Dominus Arnaldus de Pelagrua Cardinalis consanguineus germanus Clementis Papæ in favorem Ferrariensium ac contra Venetos, qui tenebant per vim castrum Thebaldi, burgum & campum ultra Padum, palis & vallis munitum, & inde Ferrariensibus plurima damna dabant.

Eodem anno ambasiatores Regis Castellæ & Regis Arragonum venerunt ad curiam, petentes decimas in regnis suis, quia intendebant ire contra

contra Regem Granatæ; & obtinuerunt.

Eodem anno ambaſiatores Ianuenſes venerunt ad curiam cum magna ſolemnitate, adhuc vivente Clemente; petuntque epiſcopatum Lucanum; ſed non obtinuerunt, quia erat ibi electus, & quia dictus epiſcopatus eſt de provincia Tuſciæ.

Eodem anno Veneti expelluntur de Ferraria cum verecundia & damno. Nam primò datis duobus bellis contra Venetos per dierum intervalla, deinde die feſto ſancti Auguſtini devicti ſunt. Nam primò campum amiſerunt, deinde pontem, poſtmodum caſtrum Thebaldi, & conſequenter burgum; fueruntque ibidem per exercitum Legati de Venetis & de eorum parte tam in terra quàm in aqua plurimi interfecti; & qui vidit, teſtimonium perhibet de his; faventibus Lombardis prædicto Legato Domini Papæ, ſed ſpecialiter Bononienſibus; propter quam cauſam abſolvuntur ab excommunicatione qua innodati erant per Dominum Neapolionem Legatum Domini Papæ, & magna privilegia conſecuti, & hoc per Dominum Clementem V. prædictum, qui ipſos diligebat.

Eodem anno, ſcilicet nono, expulſi de Ianua, videlicet Grimaldi, guerram movent interioribus, captis aliquibus caſtris in riparia.

Eodem anno circa feſtum reſurrectionis Rex Karolus moritur, & in domo fratrum Prædicatorum Neapolis ſepelitur. Tunc Robertus filius ejus Dux Apuliæ in Regem aſſumitur ſecundùm ordinationem Eccleſiæ, quamvis ſecundò genitus, ſubſtituto filio primogeniti jam defuncti, videlicet Karoli Martelli, in regno Vngariæ, cui debebatur ratione matris. Et ipſe ibidem nunc eſt Rex, quamvis cum multo conatu, eò quòd Rex Bohemiæ jam occupaverat; ſed dimiſit ex multis infortuniis quæ acciderunt, de quibus infrà dicetur.

Eodem anno pars expulſa de Ianua Ianuam aggreditur, Dominus videlicet Conradus de Auria cum Grimaldis. Dominus autem Opiſinus vadit eis obviam; & dum aggreditur, in civitate pugnant. Quod cùm audiſſent qui erant cum Capitaneo Spinola, paulatim ab ipſo ſe ſubtrahunt. Quod videns dictus Dominus, ad caſtrum ſuum ſe confert. Sicque Dominus de Auria & Grimaldi & quidam de Spinolis redierunt ad propria, & fecerunt commune dominium.

Eodem anno venerunt ambaſiatores Henrici Regis Alamanniæ ſolemnes ad curiam, videlicet Comitis Lucemburg. Dicti autem ambaſiatores fuerunt tres Comites & duo Epiſcopi, petentes confirmationem dicti electi. Quibus reſponſum fuit per Papam Clementem quòd aliqualiter admittebat ipſum, & eum volebat ulteriùs nominari Regem Alamanniæ & Romanorum, & quòd interim poſſet agere quæ Regis erant & adminiſtrare à Purificatione uſque ad duos annos, recepturus coronam Romæ niſi aliud obſtaret impedimentum. quod & accidit, ut infrà patebit.

Eodem anno Rex Robertus in prima Dominica Auguſti coronatur à Papa Clemente apud Avinionem. Et circa iſta tempora Piſtorienſes excuſſerunt jugum à Lucanis & Florentinis, faventibus tamen Florentinis eiſdem; & inter noctem & diem fecerunt ſiccatum, & evacuaverunt foſſata, & ædificaverunt murum ad ſiccum in gyrum in altitudine unius cannæ.

Eodem anno, circa idem tempus, venerunt ad curiam circa xxx. millia inter Anglicos & Theutonicos, ſed de Theutonicis plures, ſpectantes poſſe transfretare cum Hoſpitalariis. Sed Hoſpitalarii noluerunt eos recipere, dicentes ſe habere gentem ſufficientem. Qui ibant ad capiendum inſulam Rhodi, ſicut & ceperunt. Et quia

Papa non providit eis, recesserunt ad propria cum scandalo multo.

Eodem anno, in die festi beati Bernardi, in crepusculo noctis, luna passa est eclipsim; & fuit maxima, ac diù duravit.

Eodem anno in Septembri Papa Clemens propter instantiam Regis Franciæ & suorum in publico consistorio sic denuntiavit, ut liceat prosequi contra bonæ memoriæ Dominum Bonifacium vel etiam defendere & excusare; quem primò dictus Papa excellentissimè commendavit. Post hæc autem ad mensem hanc denuntiationem in scriptis redegit, & portis Ecclesiarum mandavit affigi, assignans omnibus terminum peremptorium ad comparendum, videlicet Dominicam quadragesimæ. In hoc etiam rescripto Papa multùm commendavit prædictum Dominum Bonifacium.

Eodem anno Veneti fuerunt devicti apud Ferrariam ab exercitu Legati Domini Papæ, & castra perdiderunt, ubi de Venetis fuerunt occisi ultra tria millia hominum, & magnam partem navigii perdiderunt. Tunc etiam fuit captum castrum quod dicebatur Marchabo & destructum. In hoc autem exercitu fuerunt Bononienses, Florentini, & Lucani, inter quos in pugna Lucani sunt magis commendati. Propter quam causam omnes fuerunt absoluti à sententiis Legatorum.

Eodem anno orta est turbatio in domo Regis Karoli ex adulterio imposito uxori Domini Philippi Principis Tarentini, quæ fuit filia Despoti. Propter quam causam Comes Camerarius, qui tempore Regis fuerat dominus in regno, proscriptus est & multi cum ipso. Vnde & Neapolitani in magna fuerunt commotione. In quo facto non fuit actum ut debuit: quia talia naturam habent stercoris, quod tanto plus volvitur, tanto plus fœtet.

Eodem tempore navigium Hospitalariorum, quod ibat ultra mare, naufragium passum est, perdita una navi multisque galeis, quæ ad diversas partes sunt dispersæ. Quod malum dicitur accidisse propter fraudem commissam in crucesignatis, de quibus dictum est suprà.

Eodem anno exercitus Regis Aragonum obsidet Almariam & multa prœlia committit cum Sarracenis, in quibus prævalet dictus Rex. Et similiter Rex Castellæ cum suo exercitu prævalet, & multa castra de suis occupat, & regionem devastat.

Anno Domini MCCCX. ultima die Ianuarii in octava hora diei apud Avinionem fit eclipsis solis, & eclipsatus est ultra medietatem, sicque notabiliter quòd si aliqua scintillatio, sicut apparet de nocte in casu unius stellæ secundùm vulgi opinionem, notabilis tunc fuisset in nostro hemisphærio, visa fuisset; duravitque ultra nonam horam. Eodem anno, XIV. die Februarii, circa occasum solis, fuit eclipsis lunæ. Post quæ hæc duo mala exorta sunt. Primò, quia Reges Hispaniæ qui iverunt contra Regem Granatæ decepti sunt ab eo in promissionibus, & ab infestationibus cum multa epidimia & infirmitatibus hominum ac morte ipsorum, & in Italia magnæ crudelitates exercitæ. Placentini habent durissimam pugnam contra Mediolanenses & suos exicios. Lucani immutant statum quantum ad populum, quia multi excluduntur à societate populi, & magnæ novitates ibidem apparent insolitæ.

Eodem anno, feria secunda post secundam Dominicam quadragesimæ, venit Guillermus de Nogareto & Guillermus de Plasiano Avinionem contra Dominum Bonifacium, multaque mala dicunt de ipso. Sed responsum est eis juxta merita; duravitque quæstio quasi per magnam partem anni. In qua

quæstione dantur exceptiones pro defensione Domini Bonifacii, quòd non sit danda audientia talibus. Item quòd ista quæstio non pertineat ad Papam, cùm par in parem potestatem non habeat, sed ad solum Concilium pertinere videtur. Item quòd dicti Guillermi non erant personæ habiles ad accusandum talem Dominum.

Eodem anno Templarii omnes qui erant in regno Franciæ mittuntur Parisius. Multi eorum revocant quod dixerant. Movetur quæstio contra eos utrum talis revocatio posset dici relapsio, & judicatur contra eos quòd sic. Vnde Parisius comburuntur quinquaginta quatuor, stantibus eis in proposito quòd veri catholici essent.

Eodem tempore, hoc est, anno decimo, recedit Rex Robertus versùs Lombardiam, & inde Tusciam, postea in regnum.

Eodem anno ambasiatores ad curiam venerunt ex parte Regis Alamanniæ, insinuantes curiæ quòd se parabat ad veniendum ad terras imperii. Propter quam causam petebant duos Legatos, unum in Italia, & alium in Theutonia. Ad quod fuit responsum per Clementem Papam, & hoc apud partes Avinionenses, quòd suum acceptabat adventum tanquam de filio Ecclesiæ.

Eodem anno quasi per totum annum acciderunt in Italia verberationes hominum. Ex quo infinitæ paces sunt factæ ultra opinionem hominum; & mirabilia dicuntur apparuisse in imaginibus, licèt multa falsa sint inventa. Sed quicquid sit, hoc fuit verè mirabile, quia quod Principes vel optimates facere non potuerunt, hoc fecit in eis qui ad invicem inimicabantur virtus divina, quia patres requirebant hostes quorum filios occiderant ad faciendum pacem.

Eodem anno in Augusto luna passa est eclipsim in duodecima hora noctis usque ad medietatem, & facta est nigra sive cinericia, & duravit plusquam duabus horis usque ad crepusculum diei.

Eodem anno, videlicet decimo, venit Rex Robertus Lucam, ibidemque fuit gratiosè receptus. Nam eidem exiverunt obviam omnes societates armorum.

Eodem anno circa finem Augusti maxima fuit tempestas in aëre in conjunctione Martis cum sole & luna.

Eodem anno Rex Robertus veniens Lucam, aliquam moram ibidem traxit. Quibus temporibus octo Milites fecit. Et illa die magnum convivium fecit, invitatis dictis Militibus & duabus millibus personarum; ac ducentæ Dominæ comederunt cum Regina, & ambo cum corona in capite.

Eodem anno circa festum Magdalenæ filius Regis Alamanniæ filiam Regis Bohemiæ accepit in uxorem, quia dicta puella heres erat regni. Inde dictus filius Regis, videlicet Henrici, factus est Rex Bohemiæ, quamvis Bohemi ipsum concorditer non receperunt.

Eodem tempore & anno decimo Dominus Tyrensis frater Regis Cypri occisus est, eò quòd fratrem suum Regem Cypri exulare fecerat in Armenia, assumpto dominio pro ipso; & inde rediens dictus Rex, resumpsit dominium.

Eodem anno Henricus VII. Rex, sed VI. Imperator, jam coronatus Aquisgrani intrat Italiam circa festum omnium sanctorum; & primò venit Taurinum, deinde in civitatem Astensem; ibique novitates facit; sed pacem reformavit. Eodem tempore venit Vercellas, & hoc idem facit, postea Mediolanum, ubi etiam pacem reformavit cum Turrianis & Vicecomitibus.

Eodem anno, videlicet trecentesimo decimo, in quatuor temporibus circa natale Domini, Clemens V.

fecit quinque Cardinales, & fuerunt omnes Vascones, Vicecancellarium, qui erat ordinis Cistercienfis, Camerarium suum, qui fuit Episcopus Albienfis, Archiepiscopum Arelatensem, & duos suos nepotes, videlicet Dominum Raymundum de Fargiis, & Dominum Bernardum de Garvo.

Eodem anno luna fuit conjuncta cum Saturno, & hoc in scorpione, & aggravavit passiones capitis in cerebro, ita ut homines caderent subitò ac cespitarent in eundo.

Anno verò CCCXI. Rex Alamanniæ Henricus VII. Rex, sed VI. Imperator, apud Mediolanum in epiphania Domini, quam festum Regum appellant, coronam ferream recipit, quam Archiepiscopus ejusdem loci eidem contulit, licèt ipsam deberet recipere in Modoetia sive in Vincentia; sed ex causa fecit. Et eodem tempore Rex prædictus requiri fecit civitates Lombardiæ & Tusciæ de homagio faciendo; per quos dantur diversa responsa. Eodem tempore, hoc est, in die epiphaniæ, quando coronam recepit, ob reverentiam dictæ coronæ fecit de diversis nationibus Milites CC. cuilibet faciendo donum cum uno equo.

Eodem anno, hoc est, in Ianuario, circa finem, facta est conjunctio Martis & Saturni in fine sagittarii & principio capricorni. Post quam conjunctionem secuta sunt frigora & nives maximæ, quæ diù duraverunt, cùm primò esset tempus satis temperatum.

Eodem anno, hoc est, undecimo, orta est turbatio in Mediolano ex quibusdam exactionibus, ut eis videbatur, indebitis. Propter quam causam illi de Turre pro majori parte exiverunt civitatem & ad sua præsidia se colligunt.

Eodem tempore Cremonenses propter eandem causam licentiaverunt officiales Domini Regis. Tunc conturbatus Imperator contra ipsos vadit. Sed tandem Cremonenses ad misericordiam redeunt, & ipse ignominiosè ipsos pertractat. Idem fecit & de Laudensibus, qui sibi rebellaverant. Interim autem pars Tusciæ Guelfa mittit solemnes nuntios ad curiam; & jam per octo menses ibidem fuerunt, volentes se regere consilio Ecclesiæ circa obedientiam Imperatoris.

Eodem anno & tempore Veneti reconciliantur Ecclesiæ, dando cameræ Domini Papæ centum millia florenorum; sed retardatum fuit usque ad XIII. annos.

Eodem anno circa mensem Aprilis ambasiatores Regis Franciæ concordiam tractant cum Bonifacianis. Unde & illi cedunt accusationi, & isti defensioni. Insuper & Rex excusatur à captione Domini Bonifacii prædicti multis rationibus & causis. Sed Guillermus de Nogareto absolvitur cum pœnitentia dura, quia adjudicatur passagio ultramarino & omnibus peregrinationibus quas consueverunt facere Christiani. Tunc ambasiatores Regis offerunt cameræ Domini Papæ centum millia florenorum quasi pro quadam recompensatione laborum circa dictam causam.

Eodem tempore & anno pars Tusciæ Guelfa magnum apparatum facit, videlicet Florentini, Lucani, & Senenses cum ipsorum comitiva, & cum eis etiam Perusini, ad obviandum Regi Romanorum pro corona imperii, ne videlicet per terras eorum transeat, aggenerata eis suspicione propter favorem quem videbatur dare Gibellinis & Albis, dans eis dominia civitatum, & non Guelfis, faciensque eos magis sibi familiares & consiliarios.

Eodem anno, scilicet undecimo, circa Maium Brixienses Imperatori rebellant, pars videlicet Domini Theobaldi de Brusiacis, & cum quadam desperatione, ita quòd in circuitu

civitatis ad quatuor milliaria omnia devastarunt, ita quòd exercitus Regis nullum haberet refugium ad sui provisionem. Eodem tempore Rex vadit cum exercitu contra eos. Tunc exeunt sæpius contra exercitum Regis, & lædunt & læduntur. Tunc enim habebat bonam militiam circa octingentos. Accidit autem quòd Dominus Theobaldus semel exivit cum certa militia, & insidiis circumventus captus est & traditus in manibus Regis.

Eodem anno & tempore iteratò Brixienses exeunt de civitate, & viriliter exercitum Regis invadunt, qui fecerunt magnam stragem de gente Regis. Vnde illi qui erant cum Rege turbati venerunt ad Regem, & petierunt sibi dari Dominum Theodebaldum, ipsumque assumptum interficiunt frustratim & ignominiosè pertractant. Quod audientes interiores, omnes captivos quos habebant suspenderunt ad muros. Idemque fecit gens Regis de suis.

Eodem anno venerunt Tartari cum Armenis & Iorgianis in Syriam & Palæstinam contra Soldanum; & devictus est Soldanus, occisis de suis ultra decem millia equitum, Soldano fugato.

Eodem anno & tempore post festum resurrectionis in Romania, hoc est, in Achaia, Comes de Brenna, qui factus erat Dux Atheniensium, pugnavit cum Catalanis & Turchis circa Amira in finibus Parthiæ, habens secum milites octingentos & mille inter arcarios & balistarios & alios pedites; & devictus est ab eis, & multi sunt ex eis occisi, & ipse Comes decapitatus. Quod traditur accidisse quia Comes injuriosè se habuit quoad eos, & injusto titulo ducatum tenebat. Eodem anno Catalani præfati venerunt usque Thebas & Athenas, & occupaverunt regionem. Terrigenæ verò fugerunt in Nigroponte, qui custoditur à galeis Venetorum.

Eodem anno, videlicet undecimo, ambasiatores Regis Romanorum venerunt ad curiam, videlicet sexto anno Clementis, & petierunt coronam pro Imperatore. Vnde Dominus Papa concessit ei pro dicta petitione quatuor Cardinales, unum pro Legato Italiæ, qui semper esset cum eo ad exequendum quæ erant imperii, videlicet Episcopum Sabinensem, qui erat de familiaribus Papæ. Tres verò deputavit pro corona, videlicet Dominum Albanensem, cui nomen Dominus Leonardus de Garcino. Secundus fuit Ostiensis. Tertius verò Dominus Lucas de Flisco. Fuit eis etiam commissum de concordia tractanda cum Brixiensibus & Rege; sed quantum ad Tuscos reducendos ad Regem, solùm Domino Albanensi & Domino Lucæ.

Eodem anno, scilicet undecimo, circa principium Augusti, frater Regis Romanorum moritur; cujus mors à diversis diversimodè narratur. Quidam enim dicunt quòd de una sagitta à Brixiensibus, eo appropinquante ad muros, existente adhuc Rege in obsidione circa dictam civitatem. Alii, quòd post illud vulnus morte propria.

Post hoc, eodem anno, Cardinales ad Imperatorem perveniunt, & circa finem Augusti de concordia tractant inter Imperatorem & Brixienses; sed adhuc non est finis. Primò enim, ut scribitur, posuerunt se in manu Imperatoris, sed postea pœnituerunt. Vnde Rex provocatus statim mandat expugnari civitatem; sed malè eidem cessit, combustis gattis Regis. Et in illa pugnâ multi ceciderunt de exercitu Regis, sed de Ianuensibus præcipuè cum ipsorum muschetis. Adhuc autem manentibus Brixiensibus in sua pertinacia, iteratò tractant de concordia & per se & per suos Capellanos, petuntque Brixienses salvari in persona & in rebus; & sic se reddiderunt Imperatori. Non tamen eis servavit pacta de muris.

Eodem anno, hoc est, undecimo, circa medium Septembrem Papa cum Cardinalibus vadit Viennam de Venesino ad Concilium ibidem celebrandum juxta tempus statutum. Post hæc, circa medium Octobris constituitur prima sessio in Concilio, in qua agitur de tribus, videlicet de Templariis, de passagio terræ sanctæ, & de reformatione Ecclesiæ. Interim autem vocantur Prælati cum Cardinalibus ad conferendum de Templariis. Leguntur acta ipsorum inter Prælatos; & in hoc conveniunt requisiti à Pontifice sigillatim ut det Templariis audientiam sive defensionem. In hac sententia concordant omnes Prælati Italiæ præter unum, Hispaniæ, Theutoniæ, Daciæ, Angliæ, Scotiæ, & Hiberniæ. Item Gallici, præter tres Metropolitanos, videlicet Remensem, Senonensem, & Rotomagensem. Hoc autem actum est sive actitatum in principio Decembris.

Eodem tempore cùm venisset Rex Romanorum Ianuam, gratiosè est ab eis receptus. Tota tamen pars Guelfa Tusciæ apparatum facit contra ipsum apud Sarzanam, militiam mittunt, passus claudunt, ut per terram transire non possit.

Eodem tempore Rex Franciæ novitatem facit super Longobardis qui erant in regno, & præcipuè contra usurarios.

Eodem tempore & anno Rex Angliæ concordat cum Principibus suis, & Petrus de Gavaston, quem ipse fecerat Comitem Cornubiæ, à regno excluditur & omnes sui complices pro meliori statu regni.

Eodem anno epidimia magna invasit gentes Regis Romanorum Ianuæ existentes, extenditque se tam ad homines quàm ad equos. Vnde Regina ibi mortua est, multique Barones & alii nobiles. Ex tali etiam epidimia infecti sunt Ianuenses, & multi mortui sunt.

Eodem anno in Decembri Rex Robertus fratrem suum Iohannem misit Romam ad petitionem Vrsinorum cum quingentis militibus contra Regem Romanorum. Totam autem militiam aliam misit Calabriam & Abruzium ex suspicione Frederici, qui Regi Romanorum videbatur conjunctus.

Eodem tempore & anno Parmenses & Rhegini contra dictum Regem Romanorum rebellant, favente Domino Gilberto.

Eodem anno in Decembri Dominus Albanensis prædictus Lucæ moritur die sexta Decembris, & in domo Prædicatorum sepelitur.

Anno Domini MCCCXII. Cremonenses exititii rebellant Imperatori cum Domino Gilberto de Parma & Domino Cavalgabon, & cum exercitu magno vadunt contra civitatem Bononiæ, adjunctis sibi Rheginis, & diù pugnant cum Vicario dicti Regis & cum Domino Galiacio Mediolanensi, quos postea favente populo Cremonensi cum confusione expellunt & damno. Eodem tempore Rex Romanorum Dominum Cavalgabon cum Domino Gilberto & eorum comitiva diffidavit & bannivit. Et hoc idem fecit de Tuscis.

Eodem tempore, & mense Februario, Imperator recedens de Ianua vadit per mare Lorice, & inde Pisas militiam Tuscorum quæ Sarzinæ erat ad obviandum. Fertur autem quòd in suo regressu privilegiavit Ianuam.

Eodem tempore Placentini & Papienses rebellant Imperatori. In mense autem Aprilis, cùm Dominus Guillermus Cavalgabon ivisset ad expugnandum quoddam castrum de episcopatu Cremonensi, exierunt illi.

Eodem anno, hoc est, duodecimo, in principio Aprilis, ordo Templariorum in Concilio condemnatur in personis & rebus; quæ bona Papa sibi reservat ex virtute ipsius Concilii & collegii Cardinalium.

Eodem tempore pars Guelfa de Aste expellit Gibellinos cum adjutorio Senescalli Regis Roberti.

Eodem tempore Paduani rebellant Regi Alamanniæ & Romanorum occasione Vincentiæ, quam dictis Paduanis abstulerat. Propter quam causam pugnaverunt cum Veronensibus, & devicti sunt ab eis.

Eodem tempore, hoc est, anno duodecimo, Rex Robertus multiplicat militiam in urbe ad obviandum Imperatori ne ibidem coronam recipiat. Vnde ibidem pugnat militia Regis Roberti contra Columnenses, & prævalet militia ejus. Tunc Rex Alamanniæ fortificat se Pisis, & Marchiones in favorem Regis Alamanniæ movent guerram Lucanis, qui videbantur impedire adventum Imperatoris. Et eodem tempore Lucani rebellant aliquo tempore in Limisiana sicut vermicula ruosi sanctus Stephanus; sed Lucani mittunt exercitum contra eos.

Eodem tempore in Concilio filii Regis Franciæ & fratres opponunt se Regi Alamanniæ, & impediverunt litteras papales quæ dirigebantur contra rebelles prædicto Regi.

Eodem tempore & anno in tota Lombardia maxima exorta est fames propter caristiam victualium: quæ tanta facta est quòd non est in memoria hominum quòd similis fuerit.

Eodem anno die sexta Maii inter Pascha & Pentecosten Rex Alamanniæ Henricus recedit de Pisis, & vadit versùs Romam per maritimam, ubi priùs damnificaverat aliquos Lucanos in gregibus quos ibidem in hyeme consueverunt nutrire. Toto autem tempore quo Rex fuit Pisis, quod fuit per quatuor menses, nulla novitas est facta inter ipsum & Tuscos. Veniens autem Rex Henricus Romam, suam gentem locat in sancto Iohanne de Laterano.

Eodem anno Rex Scotiæ fortificat se in militia & peditibus, & in magna parte suum regnum recuperat occupatum ab Anglicis. Quod accidit propter divisionem quæ exorta est inter Barones Angliæ & Regem occasione Petri de Gavaston.

Eodem tempore in Ascensione Domini terminatur Concilium, & curia statim recedit & vadit Avinionem.

Hoc eodem tempore Barones Angliæ obsident Petrum de Gavaston in Castro novo, quod ad ipsum pertinebat ratione sui comitatus. Rex verò occultavit se, ita quòd non inveniebatur. Et tandem dictus Comes captus est.

Eodem tempore in Lombardia illi de Lombardia cum Dominis de la Scala devicti sunt à Cremonensibus, duce Domino Gilberto de Corrigia, & ceperunt tunc trecentos currus oneratos de victualibus, quæ portabantur pro exercitu Veronensium.

Eodem tempore per Dominum Philippum de Sabaudia talis fraus dicitur esse facta, quòd sub simulatione matrimonii contrahendi requisivit Comitem Philipponem de Papia quòd mitteret aliquos ad dictum festum honorandum. Qui misit eidem filium suum & octo de melioribus civitatis; quos omnes detinuit in carcere. Simile de aliquibus aliarum civitatum fertur fecisse.

Eodem anno occisus est Ricardus de Camino à quodam assisino, nec potuit sciri quis fuerit auctor suæ mortis, quia statim assisinus fuit frustratim neci datus. Succeditque in dominio frater ejus, quia filium non habebat ex filia Ducis de Galura uxore sua; quæ vocata est Domina Iohanna, filia filiæ Marchionis de Este.

Eodem anno citatur Comes Flandriæ ad Parlamentum Franciæ; cui imponebatur quòd non servasset pacta quæ in pace Flamingorum intervenerunt.

Eodem anno, xxv. die Maii, Rex Romanorum occupat capitolium; & inde sua gens assumit audaciam ad veniendum versùs sanctum Petrum; descendentesque de Capitolio, veniunt versùs domum Domini Gentilis prope Minervam, aperientes per violentiam vias clausas vallis & fossatis, magnoque impetu invadunt partem adversam, multosque vulnerant & occidunt. Quod cùm pervenisset ad majores alterius partis, Catalani cum Tuscis venerunt contra partem Regis prædicti. Magnum bellum & atrox inchoatum est prope domum Domini Gentilis, qui dicuntur Alperici; duravitque certamen ab hora tertia usque ad horam nonam. Tandem succumbit pars Imperatoris, magnaque strages facta est, multique Principes ejus sunt occisi & alii nobiles; inter quos fertur de Episcopo Leodiensi. Post hæc utraque pars se vallat, & in tantum infortiant se quòd una pars ad aliam ire non poterat sine periculo; & Imperatore impellente nihilominus exercitant se continuè ad singulare certamen, & nunc hunc nunc illum consumit gladius.

Eodem tempore capto Petro de Gavaston, post octo dies suæ captionis veniens ad manus Baronum, decapitatus est ab eis; quia imponebatur sibi quòd dementasset Regem, insuper quòd totam cameram Regis spoliasset, & quòd retraxisset eum ab amore Reginæ; quæ filia erat Regis Franciæ, & de pulcrioribus mulieribus mundi. De quo fertur mirabilem exitum habuisse. Cùm enim videret mortem sibi imminere, petivit fratres ad suam confessionem; & post confessionem advocavit Barones, & sic ipsos alloquitur. Ex quo, inquit, me mori oportet, peto ut mihi liceat disponere de me ipso. Primò ego indulgeo omnibus qui me læserunt, præter illos qui mihi imposuerunt infamiam de infami peccato. Deinde petivit à Baronibus Capellanos qui celebrarent in perpetuum pro anima sua; & à diversis fuerunt oblati quinque. Abinde posuit se in feretro, & tanquam mortuus esset, fecit eo vivente celebrari Missam de mortuis. Missa autem dicta, rogavit Barones quòd antequam decapitaretur, perfoderetur gladio in pectore & renibus & circa cor, ut sic mortuus decapitationem non sentiret. quod & factum fuit.

Eodem tempore & anno Imperator attentat cum gente sua ire ad sanctum Petrum, & invadit aliam partem in quinque locis; sed male cessit eidem: quia altera pars, scilicet Regis Roberti, multùm bene erat munita & incastellata. Vnde cum balistis perforabant eos, vitantes bellum campale pro majori eorum securitate, credentes Imperatorum sive gentem ejus vincere ex defectu victualium & expensarum. Interim tamen Rex sive Imperator munit se gente & vallis, & alia pars magis; & ambo stant in fortaliciis suis.

Eodem anno in Italia facta est epidimia quasi per totum.

Eodem anno in festo Apostolorum Petri & Pauli, quia in sancto Petro Henricus Imperator coronari non potuit propter adversarios, fuit coronatus à tribus Cardinalibus, videlicet Legato, Domino Ostiensi, & Domino Luca, de mandato Papæ in sancto Iohanne de Laterano. Eodem tempore, modica mora ibidem contracta, inde recedens vadit versùs Tudertum, ubi cum ipsis intravit territorium Perusinorum, & multa damna eisdem infert. Perusini verò ex suspicione civium suorum non fuerunt ausi exire contra Imperatorem. Inde venit Arecium; & ibidem quasi nulla mora contracta, intravit territorium Florentinorum.

Eodem autem anno, videlicet duodecimo,

duodecimo, Rex Castellæ moritur in exercitu contra Sarracenos, acquisitis aliquibus castris regni Granatæ.

Eodem anno Principes Angliæ conveniunt contra Regem apud Londonias post mortem Petri de Gavaston, requirentes eum super ordinationibus factis in Parlamento de beneplacito Regis pro bono statu regni. Et quia Rex videbatur turbatus de morte Petri, Legatus Domini Papæ missus & Ludovicus frater Regis Franciæ existentes cum Domino Rege Londoniis se interponunt ad concordiam faciendam.

Eodem tempore Imperator veniens de Roma, ipso jam coronato in Imperatorem, intravit territorium Florentinorum, & venit ad montem Gracchi; qui modica expugnatione reddiderunt se sibi. quibus omnibus donavit immunitatem ad certum tempus. Et inde recedens, venit Anicissam, ubi resistentia fit per Florentinos, & bellum habuit, & aliqui mortui, ultimò tradiderunt se sibi. Abinde usque ad sanctum Salvi descendit sub spe habendi Florentiam, ut creditur; ibique se fixit cum duobus millibus militum & xv. millibus peditum, & castrametatus est, contrahens ibidem moram per mensem cum dimidio; nec aliquam habuit resistentiam, licèt multotiens fuerit dictum quòd interiores exirent ad pugnandum cum ipso, quia erant in duplo quàm ipse; ubi convenerant Lucani, Bononienses, & Romandioli, & Senenses, cum aliis. Tandem Imperator recedit de sancto Salvi, & vadit ad sanctum Cassianum, ubi per mensem Novembris & Decembris moram fecit; & in Octobri recessit de urbe.

Eodem anno luna passa est eclipsim xv. die Decembris circa principium noctis, & fuit quasi tota eclipsata. Et in sequenti die Papa vocavit quosdam religiosos inter quos erat scisma, & dedit sententiam contra eos; & quosdam illius ordinis absolvit ab officio, quosdam autem pænitentiavit, quia non fuerunt obedientes eidem, immo appellaverunt contra ipsum. Ab inde fecit legi constitutionem super capita ipsorum, in qua multùm artabantur.

Eodem anno, hoc est, duodecimo, in Decembri & quatuor temporibus, fecit Papa Clemens novem Cardinales; inter quos quatuor fuerunt Doctores juris, videlicet Archiepiscopus Aquensis, qui modò vocatur Penestrinus, Episcopus Avinionensis, Biterrensis, & Abbas sancti Severi. Duo verò alii fuerunt magistri in theologia; unus de ordine Prædicatorum, qui legebat in sacro palatio curiæ, dictus frater Guillermus Petri de Baiona; alius frater Minor, dictus frater Vitalis de Furno. Alii duo fuerunt familiares Papæ. Sed nonus fuit Bachallarius in theologia & secularis.

Anno Domini MCCCXIII. in Ianuario nuntii Imperatoris veniunt ad curiam pro ratificatione coronationis quam Imperator in urbe receperat.

Eodem anno & mense Ecclesia concedit Roberto Regi dominium Ferrariæ sub annuo censu ad ipsius beneplacitum.

Eodem anno Veneti reconciliantur Ecclesiæ, solvendo eidem centum millia florenorum, obligando se per juramentum & sub certa pœna de non reædificando castrum dictum Martabon.

Eodem anno in fine Ianuarii Imperator transfert suum exercitum ad podium Boniti contra Collum & sanctum Geminianum, dictumque castrum de podio Boniti reædificatur. Fertur autem quòd Imperator ascendit dictum castrum & in omnibus angulis castri primum jecit lapidem, sed in porta orientali unum anulum, meliorem quem habebat in digito, ibidem profundavit.

Eodem anno & mense Imperator

recedit de castro podio Boniti propter defectum victualium & epidimiam, & venit Pisas; ubi & quæstionem movet Pisanis super quadam summa pecunia quam eidem promiserant.

Eodem anno circa Pascha Princeps Tarentinus, filius Regis Karoli, accepit duas filias Domini Karoli fratris Regis Franciæ; & unam copulavit sibi, alteram filio suo. Pro sua accepit in dotem imperium Constantinopolitanum, quia matri debebatur. Pro alia habuit in dotem regnum Thessalonicense. Mater enim earum filia fuit Imperatoris Balduini, cui imperium abstulit Pallialogus. Et quia una de dictis filiabus desponsata erat secundogenito Ducis Burgundiæ, dispensandum fuit. Abinde accepit in uxorem filiam Comitis Hanoniæ; & Princeps ei dedit principatum Achaiæ, quem in dotem assignavit prædictæ filiæ Comitis.

Eodem anno & mense, post octavas Paschæ, Clemens V. Cælestinum V. (qui papatui cessit in anno Domini MCCXCV. cui successit Bonifacius VIII.) post longum tempus de vita & miraculis inquisitione præhabita sub catalogo sanctorum annumerat, mandatque ipsum vocari sanctum Petrum confessorem, quia sic vocabatur ante papatum, videlicet frater Petrus de Murrone. Per quod videtur dictus Dominus Clemens ratificasse renuntiationem, quia noluit ipsum vocari Cælestinum.

Eodem anno oritur tribulatio inter Barones Castellæ post mortem Regis, eò quòd reliquerat filios teneros; & facta est contentio super tutela primogeniti Regis. Nihilominus tamen omnes juraverunt fidelitatem prædicto puero.

Eodem anno Imperator bannivit Regem Robertum & privavit terris imperii & omni honore, & quicunque vellet de bonis ejus occupare posset, & absolvit omnes Milites & Barones suos à fidelitatis juramento. Et hoc fuit circa Pascha. Interim autem fiunt concertationes particulares; & modò uni parti malè cedit, modò alteri. Eodem tempore Senescallus Regis Roberti prævalet contra partem imperii in Pedemonte & contra Marchionem Montisferrati, magnamque gentem capit & occidit.

Eodem anno, hoc est, decimo tertio, in Pentecoste, Parisius fit festum solemnissimum, quia Rex fecit Milites filios suos, & cum eis fiunt Milites multi, &, ut fertur, inter Barones & alios Principes circa mille. Ad istud festum venit Rex Angliæ & Regina, quæ erat filia Regis Franciæ. In hoc festo fuerunt multa singularia. Primò, quia propter multitudinem non permittunt aliquem equitare, fit molendinum quod molit sterlingos, fit aquæductus de vino & de vernacia, burgenses Parisienses fecerunt nemus de omni genere animalium. Rex autem post festum accepit crucem de manu Legati & ipse & filii & Rex Angliæ & quasi tota baronia. Tanta autem ostensa est amoris affectio inter istos duos Principes quòd vix lingua explicare posset, eò quòd sic se haberent sicut pater & filius, & unus alteri faveret in suo regimine, sed præcipuè Rex Franciæ, quòd nonnisi in evidentissimis causis appellationi deferret.

Eodem tempore gens Imperatoris intravit Vercellas, & vi belli intravit Petram sanctam, & ceperunt Serazanum burgum & castrum. Circa paucos verò dies venerunt duodecim galeæ Regis Roberti, & ceperunt omnes barchas quæ portaverant victualia genti Imperatoris.

Eodem tempore Imperator jam coronatus, ut suprà patet, recedit de Pisis & vadit Romam cum militia magna, relinquens civitatem Pisanam bene munitam. Et eodem tempore

Imperator concessit Pontem tremulum illis de Fieſcho.

Eodem tempore circa medium Augusti Imperator in comitatu Senensi existens apud Bonconventum & quasi languens infirmabatur & moritur &, ut dicitur, multùm devotè; delatumque est corpus ejus Pisas. Moritur autem XXIII. die Augusti morte naturali, quamquam aliqui malivoli dixerunt quòd fuerat datum sibi venenum in eucharistia. Infirmitas autem sua incepit ab apostemate in coxa, & inde venit ad febrem; de qua decima die moritur, sicut à fide dignis accepi qui fuerunt præsentes.

Eodem anno circa principium Septembris Papa Clemens fecit constitutionem in qua promulgat sententiam excommunicationis contra omnem hominem qui armata manu & hostiliter intraret regnum Apuliæ, sive ratione terræ capiendæ sive lædendæ, sive ratione Regis Roberti & suorum subditorum. Hæc autem sententia sic lata est quia aliqui opinati sunt & consuluerunt Imperatori quòd non incidebat in sententiam si iret contra personam & non contra regnum.

Eodem tempore, post mortem Imperatoris, Dominus Clemens Regem Robertum senatorem constituit urbis.

Eodem tempore, hoc est, tertia die Decembris, in undecima hora, luna passa est eclipsim; & fuit particularis & cinericia.

Anno Domini MCCCXIV. post mortem Imperatoris convenerunt Electores ad locum destinatum, sed non potuerunt convenire. Vnde inde discordes recesserunt.

Eodem tempore in Ianuario & usque ad Februarium fuerunt nives & frigora magna secuta post conjunctionem planetarum, videlicet Iovis cum Marte, & oppositionem ipsorum cum Saturno, & eclipsis lunæ.

Eodem anno in Kalendis Martii in Carpentorato, ubi curia tunc erat, apparuerunt tres soles in oriente naturales; duo in meridie, unus naturalis, & alter contra cursum naturæ; & diù duraverunt, & quilibet suos radios emittebat.

Eodem tempore, XIV. die dicti mensis, publicatæ sunt quædam constitutiones factæ in Concilio Viennensi, quæ jam dicentur: quarum una fuit declarativa eorum quæ ad Imperatorem pertinebant circa Papam, videlicet quòd tenetur ad juramentum præstandum Papæ de conservando eum & ipsius jura. Et sunt duo. Vnum quod debet facere antequam Romam veniat; & habetur in Decreto dist. LXIII. cap. *Tibi Domino*. Secundum est quando venit Romam pro aurea corona. Quod quidem juramentum continetur in pontificali Domini Papæ. Secunda constitutio fuit quòd post mortem Papæ, in civitate ubi est audientia fiat electio, si Papa moriatur extra locum audientiæ. Tertia fuit de sancta trinitate, in qua fit confessio fidei. Quarta fuit de revocatione sententiæ Imperatoris contra Regem Robertum. Sed ista non fuit facta in Concilio, sed tunc quando in scriptis revocavit omnem processum factum per Imperatorem contra Regem Robertum. Insuper constituit dictum Regem Vicarium in Italia in tota terra imperii.

Eodem tempore, XI. die Aprilis, Clemens V. occasione suæ infirmitatis de castro novo, quod est Episcopi Avinionensis, recedit, & versùs Burdegaliam se disponit.

Eodem anno in cœna Domini factus est processus per Papam contra Mutinenses & exititios Bononienses & alios de Romandiola & Mantua propter hostilem impugnationem Vicarii Marchionis nepotis Papæ Clementis, qui Vicarius vocabatur Ramundus Othonis de Aspello, & qui antè fuerat Comes in Romandiola. Hic veniebat

cum thesauro Ecclesiæ & Marchionis prædicti & in magna summa, & dictus Vicarius erat cum quadraginta personis; & cùm assecuratus esset, nulla fide servata occiderunt eum prope Mutinam, & omnia bona rapuerunt.

Eodem anno die XII. Kal. Maii Clemens V. moritur in quodam castro Regis Franciæ quod dicitur Rochamaura. Fuerat autem multo tempore infirmus de tortionibus, ex quibus perdidit appetitum. Immo interdum patiebatur fluxum, & per ipsum mitigabantur tortiones. Interdum verò patiebatur vomitum. Et sic de talibus passionibus moritur; nec unquam fuit postea sanus postquàm constitutionem contra religiosos mendicantes renovavit, sicut audivi à suo confessore fide digno.

TERTIA VITA
CLEMENTIS V.

Auctore Bernardo Guidonis Episcopo Lodovensi.

CLEMENS V. natione Vasco de loco qui Vilhandrau dicitur Burdegalensis diocesis oriundus, ex patre Beraudo Milite, fuit electus in Papam apud Perusium in vigilia Pentecostes, quæ fuit Nonis Iunii, anno Domini millesimo trecentesimo quinto. Sedit annis VIII. mensibus X. diebus XV. à die electionis suæ usque in diem sui obitus computando. Vacavit autem sedes annis duobus, mensibus tribus, diebus septendecim. Hic priùs vocabatur Bertrandus de Gotho, fuitque primò Episcopus Convenarum, & exinde translatus in Burdegalensem Archiepiscopum, electusque est in Papam, & tunc temporis suam provinciam in Pictavia visitabat. Rediens autem de Pictavia Burdegalam in mense Iulii subsequentis, receptus fuit cum ingenti gaudio & honore, ubi recepit decretum electionis suæ in crastino sanctæ Mariæ Magdalenæ. Et sequenti die, scilicet XI. Kalendas Augusti, in præsentia Prælatorum & magnatum in Ecclesia cathedrali sancti Andreæ sede sua sedens in cathedra Clemens vocari voluit & elegit, & ex tunc cœpit agere & se gerere sicut Papa. De Burdegala verò recessit in fine sequentis mensis Augusti, pervenitque Lugdunum; conveneruntque ad eum Cardinales; fuitque coronatus Lugduni in Ecclesia sancti Iusti Dominica infra octavas sancti Martini, scilicet XVIII. Kalendas Decembris, præsente Domino Rege Franciæ Philippo.

Hic Clemens Papa Pontificatus sui anno primo, in adventu Domini subsequenti, scilicet XVIII. Kalendas Ianuarii, fecit unam ordinationem Cardinalium; inter quos fuerunt, Petrus de Capella Episcopus Tolosanus, Berengarius Fredoli Episcopus Biterrensis, Arnaldus de Cantalupo electus Burdegalensis, frater Thomas Anglicus magister in Theologia, & frater Nicolaus Gallicus Confessor Regis Franciæ, ambo de ordine Prædicatorum, Stephanus Archidiaconus Brugensis Cancellarius Regis Franciæ, Guillermus Atrufati, Arnaldus de Pelagrua, Raimundus de Gotho nepos Papæ, Petrus Arnaldi Bearnensis Abbas sanctæ Crucis Burdegalensis; cui non fuerunt anni attributi in cardinalatu, sed obiit infra annum. Item Iacobum & Petrum de Columna patruum &

nepotem, quos Bonifacius Papa deposuerat, reposuit in cardinalatu, Rege Franciæ procurante.

Anno autem Domini MCCCVI. Clemens Papa recedens de Lugduno rediit Burdegalam, ubi sedit cum sua curia illo anno.

Deinde anno Domini MCCCVII. Clemens Papa cum sua curia de Burdegala vadit apud Pictaviam, ubi stetit curia anno uno & ampliùs.

Eodem anno in festo sancti Eduardi Regis, III. Idus Octobris, fuerunt capti Templarii ubique in toto regno Franciæ subitò una die.

Anno autem Domini MCCCVIII. circa finem mensis Augusti Clemens Papa cum curia sua recessit de Pictavi, versùs Avinionem dirigens gressus suos, ubi cum curia sua sedit.

Anno autem Domini MCCCIX. venerunt nuntii & ambaxiatores Regis Alamanniæ Henrici apud Avinionem petentes confirmationem electionis & coronationem imperii ab ipso Papa sibi dari. Papa verò ejus electionem admisit & confirmavit, volens ipsum nominari Regem Alamanniæ & Romanorum, & coronationem imperii promisit, tempus eidem assignando ut à festo Purificationis ad duos annos Romam veniret coronam ibidem imperii percepturus.

Eodemque anno Domini MCCCIX. Idibus Septembris apud Avinionem Clemens Papa ad instantiam Regis Franciæ Philippi & suorum in publico consistorio pronuntiavit ut liceret prosequi volentibus procedere contra memoriam damnandam Bonifacii Papæ VIII. qui ab eisdem jamdudum de crimine hæresis extiterat infamatus.

Anno autem Domini MCCCX. quinto Idus Maii per Archiepiscopum Senonensem cum suis suffraganeis in Concilio provinciali Parisius congregatis fuerunt sententiati & judicati Templarii ex propriis confessionibus tanquam inpœnitentes super nefanda & profana professione sua; fueruntque relicti curiæ seculari, & per eandem igni traditi & combusti. Vnum autem mirandum fuit, quòd omnes & singuli eorum confessiones suas, quas priùs jurati fecerant in judicio, retractarunt, dicentes se falsa fuisse confessos, nullam super hoc reddentes causam aliam nisi vim aut metum tormentorum quòd de se talia faterentur.

Hic Clemens Papa pontificatus sui anno sexto, dominicæ verò incarnationis anno MCCCX. in sabbato quatuor temporum adventus, scilicet XIV. Kalendas Ianuarii, apud Avinionem fecit secundam ordinationem quinque Cardinalium; qui fuerunt, Arnaldus de Falgueriis Archiepiscopus Arelatensis, Bertrandus de Bordis Episcopus Albiensis, qui obiit infra annum sequenti mense Septembris, Arnaldus Novelli Abbas Fontisfrigidi Cisterciensis ordinis, Raimundus de Fargis nepos Papæ ex sorore, Bernardus de Garvo de sancta Liberata.

Hic Clemens Papa pontificatus sui anno septimo, dominicæ verò incarnationis anno MCCCXI. in Kalendis Octobris apud Viennam supra Rhodanum generale Concilium convocavit; fuitque prima sessio Concilii inchoata XVII. Kalendas Novembris; & inter colloquia & tractatus super agendis deductum est tempus per totam hiemem subsequentem. In sequenti verò mense Martii, feria quarta in hebdomada sancta, XI. Kalendas Aprilis, summus Pontifex multis Prælatis cum Cardinalibus coram se in privato consistorio convocatis, per provisionis potiùs quàm condemnationis viam ordinem militiæ Templariorum cassavit & penitùs annullavit, personis ac bonis ejusdem ordinis dispositioni & ordinationi suæ & Ecclesiæ reservatis. In sequenti verò mense Aprilis, tertia

die ejusdem mensis, anno dominicæ incarnationis jam mutato, scilicet MCCCXII. fuit secunda sessio Concilii celebrata; in qua prædicta cassatio ordinis Templariorum fuit per summum Pontificem radiante Concilio promulgata, præsente Rege Franciæ Philippo cum tribus filiis suis, cui negotium erat cordi. Sicque annullatus est ordo Templi post annos CLXXXIV. quibus militaverat, impinguatus ac dilatatus nimis. In sequenti verò mense Maii, pridie Nonas ejusdem mensis, in festo sancti Iohannis ante portam Latinam, sabbatho infra octavas ascensionis Domini, fuit tertia & ultima sessio celebrata, & Concilium, quod ferè septem mensibus protractum fuerat, terminatum, in quo fuerunt multæ constitutiones editæ. Post celebrationem verò Concilii Clemens Papa cum curia suâ versùs Avinionem revertitur de Vienna.

Eodem verò anno Domini MCCCXII. sabbatho in jejuniis quatuor temporum adventus, scilicet x. Kalendas Ianuarii, apud Avinionem Clemens Papa fecit tertiam ordinationem novem Cardinalium, quos assumpsit, qui fuerunt, Guillelmus de Mandagoto Archiepiscopus Aquensis, Iacobus de Osa Episcopus Avinionensis, Berengarius Episcopus Biterrensis, Arnaldus de Auxio Episcopus Pictaviensis, frater Guillelmus Petri magister in Theologia, Lector palatii, de ordine Prædicatorum, frater Vitalis de Furno magister in Theologia de ordine fratrum Minorum, Michael de Becco Gallicus Decanus sancti Quintini, Guillelmus Testa Condomiensis, item Abbas sancti Severi ordinis sancti Benedicti.

Hic Clemens Papa pontificatus sui anno octavo, dominicæ verò incarnationis anno MCCCXIII. quinta die Maii in sabbatho apud Avinionem canonizavit fratrem Petrum de Marrone quondam Papam Cælestinum, & sub nomine sancti Petri sanctorum confessorum catalogo annotavit, à transitu ejusdem sancti Petri anno decimo septimo; fuitque ejus festivitas instituta XIV. Kalendas Iunii, qua die transiit ex hoc mundo.

Anno autem dominicæ incarnationis MCCCXIII. circa finem hujus anni, in festo sancti Benedicti Abbatis, in castro de Montiliis prope Carpentoratem civitatem, in qua tunc curia morabatur, Clemens Papa fecit coram se in consistorio publicari constitutiones quas priùs fecerat ordinari, ex quibus decreverat fieri librum unum, quæ dicuntur constitutiones Clementinæ; cœpitque exinde ægrotare, unde pòst obiit tricesima die, scilicet XII. Kalendas Maii; & sic constitutiones illæ non fuerunt missæ ad studia generalia, ut est moris, nec expositæ communiter ad habendum, sed remanserunt sic quadriennio in suspenso, donec postmodum per successorem ejus fuerunt publicatæ & sub bulla ad studia generalia destinatæ.

Hic Clemens Papa cùm de Carpentorate civitate infirmus portatus fuisset ultra Rhodanum apud castrum de Rocamaura, obiit ibidem XII. Kalendas Maii, pontificatus sui anno nono, dominicæ verò incarnationis anno MCCCXVI. fuitque revectum corpus ejus ultra Rhodanum apud Carpentoratem civitatem, ubi Cardinales cum alia curia residebant. Sequenti verò mense Augusti de Carpentorate fuit transvectum corpus ejus in Vasconiam patriam suam; fuitque sepultum, sicut elegerat, in Ecclesia beatæ Mariæ de Vsesta diocesis Vasatensis.

Defuncto autem Clemente Papa, Cardinales numero XXIII. qui apud Carpentoratem civitatem cum alia curia residebant, intrantes conclave in palatio episcopali pro electione summi Pontificis facienda, cùm ibidem

aliquandiu perstitissent non valentes concordare, suborta gravi & grandi turbatione & commotione exteriùs inter familias eorundem, ipsum conclave circa festum beatæ Mariæ Magdalenæ concorditer exierunt, statuentes tempus infra quod redire deberent ad eundem locum ad electionem summi Pontificis celebrandam. Sed subortis variis quæstionibus & jurgiis in invicem, quæ stilo magis relinquenda sunt quàm scribenda, illuc minimè redierunt, sed in diversis civitatibus & villis dispersi sunt; steteruntque sic divisi loco & proposito annis ampliùs quàm duobus, fueruntque tractatus plures habiti per personas medias inter eos: quorum finis tandem fuit, mediante Domino Philippo tunc Comite Pictaviæ germano Regis Franciæ Ludovici, cui successit in regno, quòd congregati sunt in Lugduno, ubi convenerunt in conventu fratrum Prædicatorum in vigilia Apostolorum Petri & Pauli anno Domini MCCCXVI. ibique diligentia, arte, & ingenio præfati Domini Philippi & consilii sui fuerunt omnes conclusi, nec exire permissi, cùm priùs nescirent nec crederent se ibi debere concludi. Non enim potuissent in unum divisis animis aliàs congregari.

QVARTA VITA CLEMENTIS V.

Auctore Bernardo Guidonis Episcopo Lodovensi.

CLEMENS V. natione Vasco de loco qui Vilhandrau dicitur Burdegalensis diocesis oriundus, ex patre Beraudo Milite, fuit electus in Papam in Perusio in vigilia Pentecostes, quæ fuit Nonas Iunii, anno Domini millesimo trecentesimo quinto. Hic priùs vocabatur Bertrandus del Got, seu de Gotho. Hic fuit primò Episcopus Convenarum factus per provisionem Bonifacii Papæ VIII. anno Domini MCCXCV. fuitque Episcopus Convenarum annis quinque, & exinde transtulit ipsum idem Bonifacius in Burdegalensem Archiepiscopum paulò ante natale Domini anno ejusdem Domini MCCXCIX. ubi jam sederat Archiepiscopus annis quasi sex, & tunc temporis suam provinciam visitabat in Pictavia. Cùmque Cardinales pro electione summi Pontificis in Perusio inclusi stetissent mensibus XI. & artati, divisi inter partes æquales, non est inventus in iis lapis aliquis angularis qui utrumque parietem conjungeret unumque faceret ex eisdem. Tandem versùs occidentem dirigentes contuitum, in istum Burdegalensem Archiepiscopum suos oculos erexerunt, & summum Pontificem elegerunt. Rediit autem de Pictavia Burdegalam Idibus mensis Iulii subsequentis; receptusque fuit Burdegalis processionaliter à toto clero & populo cum ingenti gaudio & honore totius civitatis ac patriæ, undique concurrentibus Baronibus & Prælatis. Adhuc tamen more tantùm Archiepiscopi se gerebat ut priùs, electionis suæ decreto nondum recepto, quod postea sibi missum à Cardinalibus de Perusio recepit in Burdegala in crastino sanctæ Mariæ Magdalenæ secretè, sed palam & publicè sequenti die, scilicet XI. Kalendas Augusti, in præsentia Prælatorum & magnatum in Burdegalensi Ecclesia

cathedrali, ubi ſedens in cathedra vocari Clemens voluit & elegit, & ex tunc cœpit agere & ſe gerere tanquam Papa. De Burdegala verò receſſit in fine ſequentis menſis Auguſti, versùs Lugdunum dirigens greſſus ſuos, pertranſiens per Agennum & Toloſam ac Montempeſſulanum. Cardinaleſque ad ſe vocavit.

Fuit autem coronatus ſollemniter in Lugduno in Eccleſia ſancti Iuſti Dominica infra octabas ſancti Martini, in craſtino ſancti Bricii, ſcilicet XVIII. Kalendas Decembris, littera dominicali C tunc currente; ubi Philippus Rex Franciæ fuit præſens cum ſua nobili comitiva. Cùmque de loco coronationis ut Pontifex procederet coronatus cum comitiva papali pariter & regali, concurrentibus & comprimentibus ſe turbis, ut viderent eum tanquam Regem Salomonem in ſuo diademate coronatum, depulſa maceria cujuſdam muri non magni corruit prope Papam ac etiam circumſtantes; ceciditque corona de capite ejus, & in caſu avulſus fuit carbunculus pretioſus, cujus pretium dicebatur ſex millia florenorum; & ipſe Papa depoſitus eſt de equo, ſed minimè fuit læſus. Fuerunt tamen de circumſtantibus uſque ad duodecim ſic colliſi quòd infra paucos dies obierunt; inter quos unus major fuit & præcipuus Dux Britanniæ Iohannes, qui ſic colliſus, paucis diebus ſupervivens, diem clauſit extremum. Frater verò Regis Franciæ Dominus Karolus fuit graviter, ſed non letaliter, concaſſatus. Ex quibus mirati ſunt univerſi, & more vulgi multi plurima præſagiebant.

Hic eodem anno Domini, pontificatus ſui anno primo, in adventu Domini ſubſequenti, XVIII. Kalendas Ianuarii, in Lugduno fecit decem novos Cardinales; inter quos fuerunt, Petrus de Capella Toloſanus Epiſcopus, poſtmodum Peneſtrinus, Berengarius Fredoli Biterrenſis Epiſcopus, poſtmodum Tuſculanus, Arnaldus de Cantalupo electus Burdegalenſis, frater Thomas Anglicus magiſter in theologia tituli ſanctæ Sabinæ, frater Nicolaus Confeſſor Regis Franciæ tituli ſancti Euſebii, ambo de ordine Prædicatorum, Presbyteri Cardinales, Stephanus Archidiaconus Brugenſis Cancellarius Regis Franciæ, Guillelmus Arrufati, Arnaldus de Pelagrua, Raimundus del Got ſeu de Gotho nepos Papæ, Petrus Arnaldi Bearnenſis Abbas ſanctæ crucis Burdegalenſis; cui non fuerunt anni attributi in cardinalatu, ſed obiit infra annum. Item duos veteres renovando, quos olim Bonifacius Papa VIII. depoſuerat, ipſe repoſuit in cardinalatu, Iacobum & Petrum de Columna, patruum ſcilicet & nepotem.

Eodem anno in Kalendis Februarii Clemens Papa revocavit duas conſtitutiones Bonifacii quondam Papæ, unam quam direxerat Regi Franciæ, in qua ſcribebat eidem ipſum Regem eſſe ſubjectum Romanæ Eccleſiæ in ſpiritualibus & temporalibus, aliam verò quæ in ſexto libro decretalium eſt inſerta, quæ incipit: *Clericis laicos*. Revocavit etiam omnia quæ ex ipſis fuerant conſecuta.

Anno Domini MCCCV. in menſe Martii Clemens Papa confirmavit Regem Arragonum in regno Sardiniæ. Dictuſque Rex juravit fidelitatem Papæ pro dicto regno, promittens ſub juramento aſcendere dictam inſulam in menſe Septembri tunc proximo venienti.

Eodemque anno, mutata tamen incarnatione, ſcilicet MCCCVI. Papa de Lugduno recedens rediit Burdegalam, tranſiens per Bituricam & Lemovicas, ubi fuit in feſto ſancti Georgii, & Petragoram; ſeditque in Burdegala cum ſua curia illo anno.

Anno Domini MCCCVI. in feſto ſanctæ

sanctæ Mariæ Magdalenæ de mandato & ordinatione Regis Franciæ fuerunt capti omnes Iudæi ubique in regno Franciæ quasi imperceptibiliter una die, & confiscata fuerunt omnia bona ipsorum quæcunque potuerunt inveniri; fueruntque à regno expulsi, ulteriùs minimè reversuri.

Anno eodem MCCCVI. Hospitalarii cum exercitu Christianorum oppugnare cœperunt insulam Rhodi cum circumadjacentibus insulis circiter quinque, quæ ab infidelibus Turcis inhabitabantur sub dominio Imperatoris Constantinopolitani. Ceperunt autem statim ab initio aliquas insulas & castella; steteruntque in pugna & conflictu obsidentes pariter & obsessi annis quatuor contra Turcos, & obtinuerunt finaliter Christiani.

Anno Domini MCCCVII. Clemens Papa cum curia de Burdegala vadit Pictavim magna ex parte pro tractanda & consummanda concordia inter Regem Franciæ Philippum & Angliæ Edoardum; stetitque Pictavi curia anno uno & ampliùs. Eodemque anno, mense Iulii, obiit Rex Angliæ Edoardus, vir in omni probitate famosus; cui successit in regno filius ejus nomine similiter Edoardus, qui eodem anno in sequenti mense Februarii duxit in uxorem filiam Regis Philippi nomine Isabellam.

Anno eodem res mira, res magna, nostris accidit temporibus, quæ futuris scribitur memoranda. In festo siquidem sancti Eduardi confessoris, III. Idus Octobris, feria sexta, fuerunt capti primò Templarii ubique in regno Franciæ ex ordinatione Regis & consilii inopinatè sanè, mirantibus cunctis audientibus antiquam Templi militiam ab Ecclesia Romana nimis privilegiatam una die subitò captivari, causamque ignorantibus captionis tam repentinæ, exceptis paucis secretariis & juratis. Quæ causa tandem detecta fuit & publicè in fama, profana videlicet professio eorundem cum abnegatione Christi & exspuitione super crucem in opprobrium crucifixi. Fueruntque plures ex eis etiam de majoribus illius ordinis confessi suæ nephandæ professionis ritum tam abominabilem quàm execrabilem, quàm nephandum, qui antea à nemine potuerat unquam sciri. Plurimi autem ipsorum confiteri minimè voluerunt, quamvis nonnulli ipsorum subjecti fuerint quæstionibus & tormentis. Demum sedes Romana, cui priùs factum incredibile videbatur, & captionem prædictam ægrè ferebat, effecta est certior in Pictavi, ubi tunc curia morabatur; Templariisque nonnullis perductis coram Papa & aliquibus Cardinalibus ibidem denuo confitentibus & confessiones factas à se antea recognoscentibus esse veras, ipsorum confessionibus intellectis, consequenter extitit ordinatum ut ubique Templarii caperentur & veritas prodiret in lucem.

Eodem anno in quadragesima subsequenti Inquisitores hæreticæ pravitatis in partibus Lombardiæ superioris de ordine Prædicatorum cum Episcopo Vercellensi, cruce cum plena peccatorum indulgentia prædicata, congregaverunt exercitum magnum contra Dulcinum Novariensem hæresiarcham imitatorem non tam veterum quàm novorum errorum & perversorum dogmatum inventorem, qui multos infecerat, multosque traxerat, & habebat plurimos discipulos & sequaces, morabaturque cum suis in montanis Novariensibus. Accidit autem quòd propter intensa frigora multi qui erant in dictis montibus, fame & frigore deficientes à viribus & à vita, in suis erroribus perierunt. Ascendentes autem fideles de exercitu ceperunt ibidem Dulcinum & cum eo circa centum quinquaginta personas. Mortui verò fame & frigore cum interfectis

gladio quadringenti & ampliùs sunt inventi. Cum eodem quoque Dulcino fuit capta Margarita non tam malefica quàm hæretica consors ejus in scelere & errore, quæ fuisse fertur de diocesi Tudertina. Prædicta verò captio facta fuit in septimana sancta, in die sancto cœnæ, anno incarnationis Domini MCCCVIII. inchoato. Contra prædictum Dulcinum de mandato apostolico fuerat antea crux cum indulgentia prædicata, & Inquisitores pluries moverant exercitum contra ipsum; sed non poterant prævalere, quia sequaces & fautores ac defensores ejus multiplicati erant super numerum in partibus Lombardiæ. Tandem facta fuit debita executio justitiæ de eisdem per curiam secularem, cui per sententiam & judicium Ecclesiæ tanquam hæretici fuere traditi & relicti. Fuitque dicta Margarita ante Dulcini oculos membratim concisa. Dehinc & ipse Dulcinus membratim inciditur, & amborum ossa & membra pariter comburuntur cum quibusdam aliis suis complicibus, prout eorum scelera merebantur; non tamen perversum dogma Dulcini, ipso extincto, penitùs est extinctum.

Anno MCCCVIII. fuit occisus Albertus Rex Alamanniæ à nepote suo filio fratris sui. Cujus causa fertur, quia omnia dabat filiis, & de ipso parum curabat, quamvis ipse esset filius primogeniti.

Eodem anno in festo sancti Iohannis ante portam Latinam combusta est Ecclesia sancti Iohannis de Laterano Romæ. Vnde in urbe magna lamentatio facta fuit, quasi hoc super se ipsos divinum judicium reputantes; feceruntque clerus & populus processiones ad Dei misericordiam & gratiam implorandam. Hincque in urbe sedantur discordiæ, paces fiunt, viri quoque timorati ac mulieres devotæ Romanorum assumunt lamentum, signa pœnitentiæ demonstrantes. Ad reparationem verò Ecclesiæ omnes sollicitè dant operam & mutuò se hortantur. Summus quoque Pontifex his auditis doluit, & ad reparationem manum apposuit adjutricem.

Anno Domini prætaxato MCCCVIII. mittuntur nuncii & legati à Papa frater Ægidius de ordine Prædicatorum Patriarcha Gradensis & procurator ordinis fratrum Prædicatorum & fratrum Minorum in curia ad Regem Raciæ, qui priùs ad Papam suos nuncios destinarat innuens quòd volebat fidei & obedientiæ Romanæ Ecclesiæ se submittere & subesse & regnum suum pertrahere ad hoc ipsum. Fueruntque præfati nuncii Papæ recepti à Rege debito cum honore. Finis tamen intentus nullus fuit aut modicus subsecutus, quia ipse matris suæ & fratris metu retractus, penitùs nihil egit.

Eodem anno Domini prætaxato MCCCVIII. in mense Augusti Papa Clemens ad universa christianitatis tam regna quàm climata litteras apostolicas destinavit ut ubique Templarii caperentur, & contra singulares personas illius ordinis per diocesanos cum adjunctis sibi personis religiosis inquisitio fieret super articulis editis contra ipsos, & judicarentur in singulis provinciis in metropolitano concilio æqua lance. Fuerunt insuper per Papam delegati viri spectabiles & insignes in diversis partibus christianitatis superintendentes, qui de toto ordine inquirerent, ut posset illius ordinis reformatio debita vel totalis dejectio fieri in proximo futuro Concilio generali.

Eodem anno in festo sanctæ Catherinæ Electores Regis Alamanniæ convenerunt in Francheburg & elegerunt in concordia Comitem Lucemburgensem Henricum nomine in Regem Alamanniæ & Romanorum; fuitque coronatus in Regem Alamanniæ Aquisgrani in festo epiphaniæ subsequenti.

Eodemque anno circa finem præcedentis mensis Augusti Clemens Papa cum curia sua recesserat de Pictavi; transivitque per Burdegalam, & Agenesium, & Tolosam; fuitque Tolosæ in festo natalis Domini usque ad epiphaniam. Recedensque de Tolosa, declinavit ad sedem sancti Bertrandi confessoris diocesis quæ dicitur Convenarum; ubi in festo beati Marcelli Papæ, scilicet XVII. Kalendas Februarii, corpus sacrum sancti Bertrandi Episcopi & confessoris, cujus ipse fuit consors in nomine & successor in sede, de loco in quo priùs erat in capsam transtulit pretiosam, quam ad hoc idem Papa fecerat suis sumptibus fabricari. Magnam quoque concessit indulgentiam visitantibus ibidem sacras confessoris reliquias annuatim.

Anno Domini MCCCIX. in cœna Domini in Avinione Clemens Papa magnum processum fecit contra Venetos, eosque anathematizavit & privavit consortio aliarum civitatum, & personas ac res ipsorum exposuit volentibus & valentibus occupare, omnesque religiosos mandavit exire de Venetiis & de quibuscunque locis aliis eorum ditioni subjectis, quia Veneti Ferrariam civitatem contra Ecclesiam indebitè occupabant. Fuitque missus Legatus à latere Papæ Dominus Arnaldus de Pelagrua Diaconus Cardinalis in Italiam festinanter. Et subsecuta est hominum magna strages. Fuitque capta & recuperata Ferraria per Legatum in sequenti mense Augusti, in festo sancti Augustini, non sine multo effuso sanguine Ferrariensium & Venetorum in prælio juxta Padum, captis & expulsis Venetis de castro Theobaldi, quod conjungitur civitati, unde ipsam civitatem graviter expugnabant; ipsumque castrum cum burgo & turri quæ est in capite pontis ac pontem priùs Veneti occupaverant & tenebant. Fertur autem numerus occisorum hominum una die quinque millia, exceptibus mortibus plurimorum quæ præcesserant & postmodum ibidem & alibi sunt secutæ.

Eodem anno MCCCIX. quinta die introitus mensis Maii obiit Karolus II. Rex Siciliæ Comesque Provinciæ, filius quondam primi Karoli Regis Siciliæ, anno regni sui, computando ab obitu patris sui, vigesimo quinto. Cui successit in regno & comitatu Robertus filius ejus, qui fuit coronatus & unctus in Regem per Clementem Papam V. apud Avinionem Dominica prima sequentis Augusti anno Domini prætaxato.

Anno eodem venerunt nuncii sollemnes & ambasiatores Regis Alamanniæ Henrici ad Papam apud Avinionem, scilicet tres Comites, & duo Episcopi, petentes confirmationem electionis & coronationem imperii ab ipso Papa sibi dari. Papa verò ejus electionem admisit & confirmavit in Avinione mense Iulii subsequenti, volens ipsum nominari Regem Alamanniæ & Romanorum, & quòd posset agere quæ Regis erant, & coronationem imperii promisit, tempus eidem assignans ut à festo Purificationis ad duos annos Romam veniret coronam ibidem imperii recepturus.

Sequenti verò mense Septembris transfretat Episcopus Ruthenensis Legatus in terram sanctam ad partes transmarinas cum magistro Hospitalis & alia multitudine hominum copiosa pro quodam præparatorio ad futurum passagium generale, concessa à Papa transeuntibus plena indulgentia peccatorum. Sed ventis in mari contrariis per sequentem hyemem fuit cum multo personarum & rerum incommodo & jactura navigatio impedita; & pervenientes apud Brundusium, multo tempore in illa vicinia substiterunt, vernum tempus ad navigandum prosperum expectantes.

Eodem anno Domini MCCCIX. Idibus Septembris apud Avinionem Clemens Papa ad instantiam Regis Franciæ & suorum in publico consistorio pronuntiavit ut liceret prosequi volentibus procedere contra memoriam Bonifacii Papæ VIII. defuncti, qui ab eisdem jam dudum de crimine hæresis extiterat diffamatus.

Eodemque anno Domini MCCCIX. ultima die Ianuarii circa meridiem fuit eclipsis solis, non tamen tanta quòd dies notabiliter fuerit obscurata, quæ priùs à plerisque futura major fuerat publicata.

Anno Domini MCCCX. fuerunt pluviæ multæ & inundationes magnæ in partibus Tolosanis & Albigensibus & Carcassonensibus in toto ferè tempore verno & æstatis; & secuta est magna sterilitas bladi & vini; tantaque fuit in ipso anno subsecuta victualium caristia quantam nulla tunc ætas meminit se vidisse nec etiam audivisse in illis partibus ac ferè in toto regno Franciæ & in multis aliis regionibus, ita quòd carto frumenti vendebatur Tolosæ XIII. libris Turonensibus, & quod gravius fuit, non inveniebatur bladum ad vendendum, nec panis in foro, & pauperes herbas sicut bestiæ comedebant; & de Tolosa plurimi propter inediam discesserunt.

Anno eodem, V. Idus Maii, feria secunda, per Archiepiscopum Senonensem cum suis suffraganeis in Concilio provinciali Parisius coadunato fuerunt sententiati & judicati ex propriis confessionibus quinquaginta quatuor Templarii, & relicti curiæ seculari tanquam impœnitentes super nephanda & profana professione sua; & sequenti die Martis, scilicet IV. Idus Maii, in festo sanctorum Nerei & Achillei, fuerunt per secularem curiam Domini Regis igni traditi & combusti. Et post paucos dies fuerunt ibidem quatuor alii similiter judicati. Item paulò pòst infra mensem in alio Concilio provinciali celebrato in Silvanecto per Archiepiscopum Remensem cum suffraganeis suis fuerunt alii novem Templarii eadem causa & modo consimili pariter sententiati, & consequenter per secularem curiam concremati. Vnum autem mirandum fuit, quòd omnes & singuli sigillatim confessiones suas, quas priùs fecerant in judicio, & jurati confessi fuerant dicere veritatem, penitùs retractarunt, dicentes se falsa dixisse priùs & se fuisse mentitos, nullam super hoc reddentes causam aliam nisi vim vel metum tormentorum quòd de se talia faterentur.

Anno eodem in festo assumptionis beatæ Mariæ exercitus Christianorum cum Hospitalariis obtinuerunt civitatem Rhodi, quæ est caput & metropolis totius regionis & insularum vicinarum. Et ex tunc insula Rhodi & aliæ insulæ circumvicinæ redactæ sunt sub potestate & dominio Christianorum, Turcis penitùs subjugatis. Sunt autem ibi multi portus, & patet inde aptus transitus Christianis in terram sanctam, in Achon, & in Cyprum.

Eodem anno Henricus filius Regis Alamanniæ accepit in uxorem filiam Regis Bohemiæ, quæ erat heres regni. Vnde & ipse factus est Rex Bohemiæ cum eadem.

Eodemque anno, tempore autumnali, Henricus prædictus Rex Alamanniæ & Romanorum intravit Italiam jura imperii percepturus. Et primò venit Taurinum, deinde in civitatem Astensem, deinde Vercellas, postea Mediolanum; ubi in epiphania subsequenti recepit coronam ferream, quam eidem Archiepiscopus Mediolanensis imposuit, quàm tamen accipere debebat in Modoecia ex more antiquo; sed ex causa hoc fecit in Mediolano. Et in festo illius coronationis fecit Milites ducentos de diversis nationibus

Deinde requirit civitates alias Lombardiæ de homagio faciendo. Cremonenses verò & Laudenses subesse à principio noluerunt; sed paulò pòst non valentes resistere consenserunt. Brixienses verò diù & plurimùm usque ad sanguinem & stragem hominum restiterunt; sed postmodum voluntati ejus se submiserunt, & civitatem reddiderunt. De quo finaliter doluerunt.

Anno eodem Clemens Papa pontificatus sui anno sexto, in sabbato quatuor temporum in adventu, scilicet XIIII. Kalendas Ianuarii, in Avinione fecit secundam ordinationem quinque Cardinalium; fueruntque tunc assumpti in Cardinales Arnaldus de Felgueriis Archiepiscopus Arelatensis in Episcopum Sabinensem, Bertrandus de Bordis Episcopus Albiensis & Camerarius Papæ, qui obiit infra annum sequenti mense Septembris, Arnaldus Novelli Abbas Fontis frigidi Cisterciensis ordinis Vicecancellarius, in Presbyteros Cardinales, Raimundus verò Guillelmi de Fargis nepos Papæ ex sorore & Bernardus de Garvo de sancta Liberata nepos Papæ ex consanguinea germana, in Diaconos Cardinales, qui nondum erant subdiaconi ordinati.

Anno Domini MCCCXI. quarta die exitus mensis Aprilis, scilicet V. Kalendas Maii, in Avinione per Clementem Papam fuit in consistorio publicè excusatus Philippus Rex Franciæ de his quæ egerat contra memoriam Bonifacii quondam Papæ; & pronunciatum ad excusationem Regis quòd ea egerat bona intentione & bono animo atque zelo, præsentibus ibidem nunciis Regis; & hæc fuerunt consequenter bullæ papalis testimonio confirmata; fuitque ibidem Clementi Papæ commissum totum negotium totusque processus habitus Bonifacii memorati ab utraque parte, scilicet accusante & defendente, & renuntiatum atque conclusum per viam pacis tractatæ. Papa verò suscepit super se negotium examinandum & finaliter terminandum. Item ibidem Papa Clemens absolvit Guillelmum de Nogareto præsentem & petentem absolvi à sententia qua tenebatur propter Bonifacii Papæ captionem; fueruntque ibidem sibi per Papam impositæ & injunctæ in pœnitentiam peregrinationes aliquæ faciendæ, & insuper quòd in primo generali passagio transmarino transeat ipse mare ibidem quandiu viveret moraturus, nisi secum per sedem apostolicam fuerit dispensatum.

Anno eodem fuit epidimia magna atque tanta mortalitas hominum, nedum pauperum, sed etiam divitum, subsecuta in partibus Tolosanis, & maximè in Tolosa & circumvicinis regionibus, quòd vix inveniebatur domus Tolosæ in qua non plangeretur aut non doleret infirmus plangens; fuitque etiam non modica caristia bladi & vini, sed ad aliam præcedentem non pervenit, ita quòd carto frumenti sex libris Turonensibus vendebatur. Sed respexit tunc Dominus plebem suam; & quod impossibile hominibus videbatur, tempore verno sequenti, quando magis secutura seu futura major ex communiter accidentibus verisimiliter timebatur, cœpit bladum in quadragesima & paschali tempore abundantiùs inveniri, & precium bladi viluit plusquam duplo.

Anno eodem in Kalendis Octobris fuit per Clementem Papam V. apud Viennam supra Rhodanum generale Prælatorum Concilium convocatum; fuitque prima sessio Concilii inchoata XVII. Kalendas Novembris, sabbato ante festum beati Lucæ. Vbi Concilio residente summus Pontifex proposuit de agendis, videlicet de statu ordinis militiæ Templi, qui de infanda professione graviter culpabatur, de pas-

sagio etiam transmarino ad recuperationem terræ sanctæ, ac generaliter de reformatione totius status Ecclesiæ & conservatione ecclesiasticæ libertatis, ut Prælati recogitarent super prædictis salubriter ordinandis & circumspectione provida terminandis. Post prædictam verò sessionem inter colloquia & tractatus deductum est tempus per totam hyemem subsequentem.

Eodemque anno, in festo sanctæ Agnetis secundo, scilicet v. Kalendas Februarii, nata est filia primogenita nomine Iohanna Ludovico Regi Navarræ primogenito filio Regis Franciæ Philippi.

Sequenti verò mense Martii, feria quarta in hebdomada sancta, xi. Kalendas Aprilis, summus Pontifex, multis Prælatis cum Cardinalibus coram se in privato consistorio convocatis, per provisionis potiùs quàm condemnationis viam ordinem Templariorum cassavit & penitùs annullavit, personis ac bonis ejusdem ordinis ordinationi suæ & Ecclesiæ reservatis.

In sequenti verò mense Aprilis, tertia die introitus ejusdem mensis, anno incarnationis dominicæ jam mutato, scilicet MCCCXII. fuit secunda sessio Concilii celebrata; in qua prædicta cassatio ordinis Templariorum extitit per summum Pontificem Concilio radiante publicè promulgata, præsente Rege Franciæ Philippo, cui negotium erat cordi, ac Domino Karolo fratre suo, & tribus liberis ejusdem Regis, scilicet Ludovico primogenito Rege Navarræ, & Philippo, & Karolo; sicque annihilatus est ordo Templi post annos circiter centum octoginta quatuor quibus militaverat, impinguatus ac dilatatus nimis, multis libertatibus ac privilegiis sedis apostolicæ communitus.

In sequenti verò mense Maii, pridie Nonas ejusdem mensis, in festo sancti Iohannis ante portam Latinam, quod fuit in sabbato infra octabas Ascensionis Domini, tertia & ultima fuit generalis Concilii sessio celebrata; fuitque Concilium, quod septem ferè mensibus protractum fuerat, terminatum anno Domini prætaxato, præsidente in Concilio Clemente Papa V. pontificatus sui anno septimo in Vienna. In quo Concilio bona quondam Templariorum fuerunt applicata & concessa cum certis conditionibus & pactis ordini Hospitalis sancti Iohannis Hierosolymitani, sicut ea Templarii priùs possidebant ubique terrarum; exceptis regnis Hispaniæ seu Castellæ, Portugaliæ, & Arragoniæ, & Majoricarum, pro eo quòd propter bona quæ in dictis regnis habebant Templarii, tenebantur ipsi contra fronterias Sarracenorum & Granatæ in illis partibus militare, defendere, ac tueri, sicut ibidem in Concilio fuit propositum. Verùm postmodum in regno Majoricarum & Arragoniæ bona ordinis quondam Templi ipsi Hospitalarii, sicut & alibi, similiter habuerunt. De personis verò Templariorum sic extitit ordinatum, ut quibusdam nominatim expressis dispositioni sedis apostolicæ reservatis, ceteri omnes dispositioni Conciliorum provincialium in singulis provinciis sunt relicti, quatinus juxta diversitatem conditionum ipsorum cum eis per eadem Concilia procedetur, ita videlicet quòd illis qui super erroribus exigente justitia fuerint absoluti, de bonis præfati quondam ordinis unde juxta status sui decentiam sustentari valeant ministretur. Circa eos autem qui de præfatis erroribus fuerunt confessi, consideratis eorum conditionibus, modoque confessionis pensato, rigor justitiæ cum affluenti misericordia mitigetur. Circa impœnitentes verò & relapsos, si qui inventi fuerint, justitia & censura ecclesiastica observetur. Quoad illos verò qui etiam

suppositi quæstionibus, se prædictis esse involutos erroribus negaverint, per eadem Concilia reservaretur & fieret quod justum foret & æquitas canonum suaderet, & collocarentur singuli in domibus ipsius quondam ordinis Templi aut in religiosorum aliorum monasteriis ad expensas ordinis quondam Templi, ita tamen quòd in una domo unove monasterio multi simul nullatenus ponerentur. Illi autem cum quibus nondum fuerat inquisitum, & qui sub potestate Ecclesiæ minimè tenebantur, & qui erant fugitivi, fuerunt citati cum edicto peremptorio & publico in Concilio generali, ut præcisè & peremptoriè infra annum coram dioecesanis suis personaliter comparerent subituri eorum examen, & secundùm Conciliorum judicium pro meritis recepturi. Qui verò infra annum minimè comparerent, excommunicationis sententiam incurrerent ipso facto; quam si per annum substinerent animo pertinaci, ex tunc velut hæretici damnarentur.

In prædicto quoque Concilio fuerunt multæ constitutiones editæ; inter quas fuit una quæ incipit *Exivi de paradiso* super declaratione seu interpretatione regulæ fratrum Minorum; super qua & ejus observatione pars una fratrum Minorum, qui spirituales dicebantur, contra alteram tumultuans & altercans, privatim & publicè contendebat, & judicium sedis apostolicæ postulabat.

Eodemque anno, tempore Concilii, Philippus Rex Franciæ habuit Lugdunum integraliter, data recompensatione in redditibus Archiepiscopo Lugdunensi pro jure quod sibi in Lugduno Ecclesia vindicabat. Super quo priùs Clemens Papa per Archiepiscopum consultus assensum non præbuit nec dissensum, sed reliquit Archiepiscopum in manu consilii sui. Ipse verò Papa tunc in Vienna Concilium celebrabat. Et sic deinceps Lugdunum ad Regem & regnum Franciæ pertinet tali jure.

Post celebrationem verò Concilii generalis Papa cum curia versùs Avinionem revertitur de Vienna.

Eodemque anno, XII. Kalendas Augusti, obiit Bernardus Comes Convenarum apud Busetum in dioecesi Tolosana; indeque delatum fuit corpus ejus sepeliendum in abbatia de Bonofonte Cisterciensis ordinis in sepulchro parentum.

Eodem anno, in sabbato quatuor temporum adventus, quod fuit X. Kalendas Ianuarii, apud Avinionem, Clemens Papa quintus fecit tertiam ordinationem novem Cardinalium, quos assumpsit; qui fuerunt, Archiepiscopus Aquensis Guillelmus de Mandagato, item Episcopus Avinionensis Iacobus de Oza, & Berengarius Biterrensis ac Arnaldus de Auxio Pictavensis Episcopi, item frater Guillelmus Petri de Godino Baionensis magister in theologia, lector curiæ, de ordine Prædicatorum, & frater Vitalis de Furno Vasatensis magister in theologia de ordine fratrum Minorum, item Michaël de Becco Gallicus Decanus sancti Quintini, item Abbas sancti Severi, & Guillelmus Testa Condomiensis.

Anno Domini MCCCXIII. V. die Maii in Sabbato apud Avinionem, ubi tunc curia residebat, fuit frater Petrus de Murrone quondam Celestinus Papa V. canonizatus & sub nomine sancti Petri confessoris sanctorum confessorum catalogo annotatus per Clementem Papam V. pontificatus sui anno octavo, à transitu verò præfati sancti Petri anno decimo septimo. Et ejus festivitas fuit instituta XIV. Kalendas Iunii celebranda, qua die exiverat de hoc mundo.

Anno Domini MCCCXIII. in festo Pentecostes, quod fuit IV. Nonas Iunii, Rex Franciæ Philippus tenuit Parisius curiam valde magnam Comitum &

Baronum & Militum regni sui, in qua interfuit Rex Angliæ Eduardus gener ejus cum sua conjuge Isabella filia ejusdem Regis Franciæ Philippi; in quo festo idem Philippus Rex Ludovicum suum primogenitum Regem Navarræ ac alios duos filios suos Philippum & Karolum accinxit baltheo militari. Fueruntque in dicto festo facti novi Milites & accincti circiter quadringenti, sicut fuit talis numerus communiter divulgatus.

Item in eadem hebdomada Pentecostes tres præfati Reges, videlicet Philippus Franciæ, Eduardus Angliæ, & Ludovicus Navarræ, cum præfatis duobus filiis Regis Franciæ Philippo & Karolo, ac etiam cum duobus fratribus præfati Regis Philippi, videlicet Karolo Comite Valesii & Ludovico Comite Ebroicensi, cum multis aliis nobilibus regni Franciæ crucem suscipiunt transmarinam de manu Domini Nicolai tituli sancti Eusebii Presbyteri Cardinalis, qui pro prædicanda cruce & promovendo negotio passagii transmarini per Clementem Papam V. ad regnum Franciæ fuerat destinatus; cœpitque inde crux pro prædicto passagio in regno Franciæ publicè prædicari.

Eodem anno, in vigilia beati Gregorii Papæ, in die Lunæ, Parisius fuit combustus magister ordinis quondam Templi cum quodam alio magno ejusdem quondam ordinis præceptore; qui tamen fuerant priùs cum peritorum & Prælatorum consilio judicati ad agendum aliam pœnitentiam. Sed audiens Rex Philippus & curiales & filii sui quòd dicti Templarii confessiones suas revocabant, dicentes se falsa fuisse confessos, eosdem indilatè perduci fecerunt ad locum supplicii & comburi, nullo judicio alio ecclesiastico super hoc expectato, quamvis essent Parisius tunc præsentes duo Romanæ Ecclesiæ Presbyteri Cardinales.

Anno Domini MCCCXIII. in festo beati Benedicti Abbatis, scilicet XII. Kalendas Aprilis, in castro de Montiliis prope Carpentoratem civitatem, in qua tunc curia morabatur, Papa Clemens fecit coram se in consistorio publicari constitutiones quas priùs fecerat ordinari, ex quibus decreverat fieri librum unum, quem volebat septimum decretalium appellari, sicut fecerat sextum Bonifacius Papa antecessor. Cœpitque Clemens Papa exinde ægrotare. Vnde pòst obiit XXXI. die, scilicet XII. Kalendas Maii. Et sic liber ille non fuit missus ad studia generalia, ut est moris, nec expositus communiter ad habendum; sed remanserunt constitutiones illæ sic ferè quadriennio in suspenso, donec postmodum per ejus successorem fuerunt publicatæ & bullatæ & ad studia generalia destinatæ.

Hic Clemens Papa sedit annis VIII. mensibus X. diebus XV. à die creationis suæ usque in diem sui obitus computando. Obiit autem in nocte præcedente die sabbati subsequentis, quod fuit XII. Kalendas Maii, pontificatus sui anno IX. anno Domini MCCCXIIII. apud Rochammauram, quod est castrum Regis Franciæ super Rhodanum in finibus regni sui; fuitque inde reportatum corpus ejus ultra Rhodanum extra regnum Franciæ apud Carpentoratem civitatem, ubi Cardinales cum alia curia residebant. Sequenti verò mense Augusti de Carpentorate transvectum fuit corpus ejus in Vasconiam patriam suam; fuitque sepultum, sicut elegerat, in Ecclesia quæ appellatur beatæ Mariæ de Vsesta diocesis Vasatensis, ubi paulò priùs Canonicos instituerat regulares in villula minùs insigni, satis sterili & exili. Vacavit autem sedes annis II. mensibus III. diebus XVII.

Defuncto Clemente Papa, Cardinales numero XXIII. qui apud Carpentoratem

toratem civitatem cùm alia curia residebant, intrantes conclave in episcopali palatio pro electione summi Pontificis facienda, cùm ibidem aliquandiu perstitissent, non valentes concordare, suborta gravi & grandi turbatione exteriùs inter familias eorumdem, ipsum conclave circa festum beatæ Mariæ Magdalenæ concorditer exiverunt, statuentes tempus infra quod redire deberent ad eundem locum ad electionem summi Pontificis celebrandam. Sed subortis variis quæstionibus in invicem, quæ stilo magis relinquendæ sunt quàm scribendæ, illuc minimè redierunt, sed in diversis civitatibus & villis dispersi sunt; steteruntque sic divisi loco & proposito annis ampliùs quàm duobus; fueruntque tractatus plures habiti per personas medias inter eos, quorum finis tandem fuit mediante Domino Philippo Comite Pictaviæ, postmodum verò Rege Franciæ & Navarræ. Qui congregati sunt in Lugduno pactis præviis quòd non includerentur, & quòd possent de Lugduno liberè recedere quando vellent. Quæ tamen fuerunt eis minimè observata, quatinus pro majori bono reipublicæ, quæ præfertur privatæ, compellerentur Ecclesiæ providere.

Anno Domini MCCCXIIII. feria sexta in vigilia beati Andreæ Apostoli, sede Romana vacante, obiit Philippus Rex Franciæ anno currente trigesimo regni sui, in castro de Fonte-Bliaudi, ubi natus fuerat in hunc mundum; fuitque sepultum corpus ejus apud sanctum Dionysium, cor verò ejus apud Pissiacum in monasterio sanctimonialium quod ipse fundaverat dum vivebat. Cui successit in regno filius ejus primogenitus Ludovicus, qui tunc erat etiam Rex Navarræ.

In sequenti verò mense Aprilis anno Domini MCCCXV. inchoante obiit uxor prima Domini Ludovici Regis Franciæ, filia Ducis Burgundiæ, quæ ob crimen adulterii in privata tunc custodia morabatur.

Eodemque anno, ultima die mensis Aprilis, in qua concurrit vigilia ascensionis dominicæ, Engelrandus de Marigniaco Miles natione Normannus fuit ex multis contra ipsum accusationibus factis suspendio elevatus, qui tempore Domini Philippi Regis major post eum non tam merito quàm de facto fuerat nominatus in regno, ita ut secundus regulus videretur, ad cujus nuptum regni negotia gerebantur. Quos enim ipse volebat exaltabat, & quos volebat deprimebat, & quod volebat fieri factum erat. In modico tempore fuit superexaltatus & elevatus nimis, & post paululum audimus eum tali exitu defecisse. Itaque exemplo ejus & alterius qui præcessit, scilicet Petri de Brussia, qui elapsis jam tunc annis ferè XXXVII. olim tempore alterius Domini Philippi Regis avi istius Domini Ludovici, postquam supermagnus effectus fuerat, post similem fortunæ gloriam, consimilem ignominiam est perpessus. Discant & pertimescant tam præsentes quàm posteri in gradu consimiles & fortuna sobriè & justè ac piè vivere in hoc seculo, præcaventes ne casum consimilem meritò patiantur.

Eodemque anno, ultima die mensis Iulii, præfatus Ludovicus Rex desponsavit sibi in facie Ecclesiæ in uxorem Clementiam filiam quondam Karoli Martelli, qui fuit filius primogenitus Karoli secundi Regis Siciliæ. Sequenti verò die dominica prima Augusti, in festo inventionis sancti Stephani, fuit inunctus in Regem Francorum Remis civitate per Archiepiscopum Remensem cum memorata Domina Clementia sponsa sua. Et mox inde processit Rex versùs Flandriam rebellantem cum exercitu magno valde, collectis viribus regni, non quidem electo verno tempore opportuno, quo solent

Reges ad bella procedere, sicut rei eventus postmodum comprobavit. Venitque Rex cum suo exercitu contra castrum de Cortrayo, ubi castrametati fixere tentoria. Ex adverso autem erat Comes Flandriæ cum magno exercitu Flamingorum in castro de Cortrayo, & in circuitu ejus in tentoriis præparatis ad resistendum ne transirent ulteriùs Gallici ultra aquam fluvii qui vocatur Lys, qui utrorumque exercitus suspectis passibus & paludibus dividebat. Descenderuntque de cælo pluviæ magnæ nimis, factaque sunt luta magna & profunda in terra illa, in quibus & ex quibus equi & equites totusque exercitus nimiùm gravabantur; nec fuit consilium ulteriùs procedendi nec ibi diutiùs subsistendi. Vnde circa finem sequentis mensis Septembris Rex cum suo exercitu inde recessit non absque multo rerum incommodo & dedecore aliquali. Erant enim in exercitu Regis circiter xv. millia equitum armatorum. Peditum autem erat numerus magnus, qui non posset tunc faciliter numerari. Et nunc Reges & Principes intelligant & erudiantur qui judicant terram sic agere sicque disponere justum bellum ut summo opere præcaveant ne cum exactionibus pecuniarum indebitis & subjectorum violentiis parent bella, quia non habet eventus sordida præda bonos, & cùm bellandi causa ingruerit, tempus noverint eligere congruum ad bellandum.

Eodemque anno Iudæi permittuntur redire ad regnum Franciæ pecunia mediante, à quo dudum depulsi fuerant, bonis suis omnibus confiscatis, & æstimabantur nunquam ulteriùs reversuri.

Eodemque anno in festo sanctæ Luciæ, in sabbato, obiit apud Pontisaram Gasto Comes Fuxi & dominus de Bearnio in juvenili ætate, fuitque sepultus Parisius in Ecclesia fratrum Prædicatorum, tres post se filios & totidem filias derelinquens, quorum primogenitus erat septem annorum.

Eodemque anno circa natale stella cometa apparuit, cursum suum per noctem faciens circa polum, comamque suam longam nunc versùs occidentem, nunc versùs orientem, & aliquando ad partes alias protendebat; duravitque usque ad finem mensis Februarii. Paulò pòst apparuit secunda stella cometa alia in parte orientali, sed minor quàm alia videbatur.

Anno Domini MCCCXVI. sabbato infra octabas Pentecostes, Nonis Iunii, obiit Rex Franciæ Ludovicus regni sui anno secundo, fuitque corpus ejus cum honore regio in monasterio sancti Dionysii tumulatum, unicam filiam suam relinquens ex prima uxore, secunda verò uxore Domina Clementia remanente gravida & prægnante. Gubernacula verò utriusque regni, Franciæ scilicet & Navarræ, sub nomine non Regis sed Regentis tenenda suscepit Dominus Philippus germanus ejus Comes Pictavensis, si puer masculus nasceretur, usquequo ad intelligibilem ætatem annorum XIV. pervenisset; si verò filia nasceretur, ipse Philippus Rex Francorum fieret & regnaret, & duæ filiæ Ludovici haberent & sibi dividerent regnum Navarræ & comitatum Campaniæ. Et hæc dicuntur fuisse pacta primò inita & firmata, quamvis postmodum aliter fuerit ordinatum. Post hæc verò XIV. die mensis sequentis Novembris, dominica die, sub nocte media præcedenti, memorata Domina Clementia Regina peperit filium suum primogenitum Parisius, & Iohannes vocatum est nomen ejus; & multi in nativitate ejus gavisi sunt, sed gaudium citò pertransiit. Nam septimo die à nativitate infans obiit, & abiit regnum sibi accipere sempiternum, regnumque Francorum præfato Domino Philippo remansit.

QVINTA VITA CLEMENTIS V.

Auctore quodam Veneto coætaneo.

CLEMENS V. natione Vasco sedit annis VIII. menses x. dies XV. Hic fuit Episcopus Convenarum annis quinque. Inde per Bonifacium Burdegalas translatus est. Hic recepto decreto Lugdunum profectus, evocatis ad se Cardinalibus, ibi coronatus est, & ibidem x. Cardinales fecit, & duos de Columna restituit. MCCCIX. electionem Henrici confirmavit de mense Iunii. Eodem anno misit nuncios ad Regem Rasiæ, qui ad obedientiam Ecclesiæ Romanæ promiserat se venturum, quia Veneti cum Karolo sine terra concordaverant super recuperando Constantinopolitano imperio. Videns autem propter mortem uxoris dicti Karoli, quæ Imperatrix vocabatur, tractatum non procedere, papales nuncios vacuos remisit. MCCCX. fecit aliam ordinationem v. Cardinalium XIIII. Kalendas Ianuarii. MCCCXI. congregavit Concilium apud Viennam, & in prima sessione XVII. Kal. Novembris proposuit de agendis, videlicet de ordine Templariorum, qui graviter culpabatur, de passagio transmarino, & generaliter de reformatione totius status Ecclesiæ & conservatione ecclesiasticæ libertatis. In sequenti Martio, XI. Kal. April. multis vocatis Prælatis cum Cardinalibus in privato consistorio ordinem Templariorum cassavit. Tertia autem die Aprilis MCCCXII. fuit secunda sessio Concilii, & prædicta cassatio coram omnibus publicata est. Tertia sessio fuit pridie Nonas Madii. Fuitque Concilium prædictum quasi mensibus septem. Pro passagio congregata fuit pecunia & armorum ac aliarum rerum copia, offerentibus fidelibus viris ac mulieribus jocalia & quæ habebant carissima, Hospitalariis ad hoc missis, qui vili pretio distrahebant. De passagio verò nihil secutum est. Propter quæ magnum scandalum in Christiano populo secutum est. Eodem anno x. Kal. Ianuarii fecit tertiam ordinationem IX. Cardinalium. MCCCXIII. ad consistorium produxit constitutiones priùs editas; & intendebat septimum librum Decretalium componere, sed morte præventus non potuit.

DE CETERIS EMERGENTIBVS.

Henricus ex Comitibus de Lucemborch operibus quàm opibus memorabilioribus in festo sanctæ Catharinæ electus, & in sequenti epiphania Aquisgrani coronatus est. Sequenti verò anno, id est, MCCCIX. ad Papam Clementem nuntios misit Episcopos duos & Comites tres, coronam petens imperii. Ille verò de Iulio confirmavit electum, assignans coronationis diem post biennium, festum purificationis virginis.

Hic strenuus in agendis, pacatis usque ad oceanum Alamanniæ finibus, & primogenito in Regem Bohemiæ coronato, quod tunc Romano vacabat imperio, Carinthiæ Duce summoto, ad partes Italiæ divisione concussas venire disponit, pollicentibus subsidia non paucis, qui à concivibus in Lombardia ac Tuscia pulsi erant. Igitur

præmissis Episcopis & legatis, ut populorum sibi favorem conciliet, denuntians in pace degentibus se eorum......biles approbare monitiones, injuriam passis restitutionem, universis pacem, Alpes transgressus Italiam adiit. Taurinum ingresso nonnulli ex Tusciæ & Lombardiæ partibus obviavere. Inde Astem properans, cunctis pacificatis, vicarium instituit, & meram tradidit regiminis potestatem. Tunc cœperunt oppressi bene sperare. Qui verò concives propulerant territi, in fomentum suum cogitant Cæsari adulari. Quorum Philippus Papiæ Comes, Simon de Colubiano Vercellarum & Antonius de Fisiraca Laudi rectores, paribus votis status urbium salubres esse civibus persuadere conati sunt, pollicentes auxilia ad partes reliquas obtinendas. His Cæsar suisque populis pacem pollicitus, jussit bono animo esse & bene sperare. Consequenter nuntii Alboini & Canis de Scalis, deinde Pisani grandia obtulerunt.

Interea Gallis, Germanis, Italisque ad eum confluentibus, Guido de la Torre Mediolani præpositus milites infra districtus sui limites continuit, & munitionum ac urbium vigilem curam egit, veritus ne ....Matthæi de Vicecomitibus sibi contraria moliretur. Vno mense hinc Rex commotionem urbis expectat. Inde Guido instabilem fieri Regis exercitum & Lombardiæ ac Tusciæ præstolabatur auxilium. Deinde Cæsar Mediolani appropiat ut Guidoni fiat formidini, factiosis audacia; & Guidonem interpellans ut imperialibus jussis obtemperet, Vercellas intravit. Annuit Guido. Auxit verò tam validè Mediolani deditio Regis famam ut omnis Lombardia, demta Alexandria, fidelitatis juramenta præstiterit. Bononia autem ad rebellionem se præparat. Padua verò in proposito vacillat.

Anno MCCCXI. Cæsar unam de coronis imperii Mediolani à diocesano sumit. Quod Modoicia ægrè tulit, ubi hoc fieri consuevit.

Parvo autem pòst tempore, dum omnia viderentur pacata, gravis emersit turbatio. Cùm enim in Regis adulationem hinc Guido, inde Matthæus majorem suadent regio fisco contributionem fieri, centum millium florenorum summa taxata est. Hoc verò audito, cœpit populus palam Regi detrahere, servitutem asserens se commutasse, non evasisse, & Theotonicorum importabilem esse furorem. Et dum acriùs colligendæ instatur pecuniæ, in foro vox clamantis ad arma insonuit, quæ facilè universam commovit urbem. Tunc Cæsaris principes prosiliere cum suis: quorum nonnulli ad Turrianorum loca, quæ magis suspecta, concurrentes, triginta hastatos reperiunt, qui priùs victores, regiorum tandem equitum non potuerunt sustinere concursum. Iungitur exinde Theotonis Galaaz Matthæi filius, & sævit in hostes.

His auditis, prima ubique revixere diffidia. Crema & Cremona, pulsis vicariis, excussere jugum. Regini expulerunt fautores imperii. Macii Brixiæ paulò antè dominatores in Tebaldum de Brusatis & suos paulò antè imperatorio jussu receptos insurgunt atque succumbunt. In Parma Rubei per Cæsarem introducti cum Gilberto de Corrigia initam pacem frangentes, victi urbe diffugiunt.

His eventibus stupefactus Cæsar, perquirens salubria audit consilia ut regii corripiantur domestici, Mediolanensium reconciliatio fiat, commotionum hujusmodi causæ dulciter perquirantur, pecuniarum moderentur exactiones. Primò igitur ad se vocatis familiaribus suis ait: Deum obtestor, commilitones, pernecessarii, atque propinqui, quòd nulla me honorum ac

temporalium rerum affectio ad hos turbines commotionum adduxit. Deum sursum, Clementem Papam deorsum intueor. His ducibus vehor, eorum de proximi dilectione & cura mandatis astringor. Quis oro primus est, Germanus vel Gallus, Longobardus vel Tuscus, Guelfus vel Gibilinus, cui hoc impendam caritatis mandatum? Proh nefas, ad quid veni? Num incensor schismatum antiquorum? Si quos vestrum delectant talia, retrorsum abite, aut vobis sævite auctoribus, non me principe vel auctore. En Italiæ diù talibus concussa vulneribus, justa indignatione hujusmodi refugit, cùm viventia quæque monente natura perniciosa devitent.

Post hæc missi ad reconciliandam Cremonam audiunt populum inedia afflictum impotentem esse ad gravem contributionem, & Theotones data licentia in Latinos sævire, vicarios institui Gibilinos ut Guelfum abradant, proinde amicorum communicato consilio respondebunt.

Interea verò nuntii Iannensium subjectionem professi sunt, & ad coronationis conductum propriis sumptibus navigia spondent.

Cæsar Cremonenses ut imperii rebelles damnat, & Ameus Sabaudiæ Comes eorum depopulationem indixit. Tradita enim Cæsari civitate Laudi, omnis Cremonensium virtus emarcuit, & Cæsari civitas tradita est.

Brixienses verò propter replicatos contemptus omni spe reconciliationis abjecta segetes & quæque viridia colligunt, imbelles abiciunt, pro defensione cuncta disponunt.

Interea Cæsar suæ coronationis dilationem accepit. Et nuntii Paduani civitatem illi subiciunt. Legati verò Cæsaris à Venetis, nulla quæsita fidelitate, solam navigii petunt copiam, si necesse fuerit, ad coronationis progressum. Inde Tervisium profecti, à Richardo de Caino domino oppidi honorificè suscepti sunt. Iam enim Cæsari dato tributo subnixus erat. Postea Paduam redierunt ad tollendum qui orti erant inter Paduanos & Vicentinos lapides scandalorum. Consequenter, post bellorum & cladium hinc inde jacturas varias, Brixia, mediante Cardinale Domino Luca de Flisco, Cæsari se tradidit. Inde digressus Cremonam, ex subditis civitatibus ad coronationem vocat. Placentini obviam ei facti, claves civitatis ei offerunt, Albertum Scotum de tyrannide accusantes, nec ipso in civitate manente possibile aiunt pacem rebus dari. Igitur vicario instituto discessit. Albertus verò parvo post tempore bellum urbi intulit.

Congregatis nuntiis Yporegiæ, Novariæ, Vercellarum, Cumarum, Mediolani, Papiæ, Pergami, Placentiæ, Brixiæ, Mutinæ, Rhegii, Parmæ, Cremonæ, Laudi, Mantuæ, Veronæ, Vincentiæ, jubente Cæsare concionatum est quia pro pacanda Lombardia non modò vigilasset consiliis, sed & armis etiam decertasset, nec ad plenum valuisset civilia odia extirpare & veterum factiones, id suo tempore adimpleret. Poscebat interim super hoc à prædictis nuntiis secreta ab unoquoque dari consilia. Et cùm paratus esset ad iter, pulsi urbibus lamentabili vociferatione conquesti, nil aliud quàm benigna responsa consecuti sunt. Rex autem versùs Terdonam iter arripuit, & Gabii colles transgressus, Ianuam descendit. Ibi cives longævis accensi discordiarum schismatibus affligitant Regem querelis. Cæsar verò, potestate summoto, vicarium instituit; Abbati ipsi præfecto, solo nomine dimisso, satellites abstulit, & urbem ad sexaginta millium aureorum largitionem coëgit.

Interea Lombardia solitis inquietatur motibus; nuntiaturque Cæsari quòd Gilbertus de Corrigia cum Tuscis atque

Lombardis conjuraffet, quòd Marchiones de Cavalcabo cum Tuscorum, Bononienfium, & Longobardorum cohortibus bellum intuliffent Cremonæ & vicarium expuliffent, quòd inter G. de Latere & Philiponem Comitem de Langufto nova interveniffent sponsalia, quòd Macii adverfarios Brixia expuliffent, quòd Placentiæ res novæ tractarentur, quòd in Asta, Vercellis, ceterisque locis in Gibilinos Guelfi fævirent. Tunc Canis de la Scala, Alboino fratre defuncto Veronæ, de Ianua redire coactus est. Cæfar autem Guarnerium de Oemborch instituit præsidem Lombardiæ, misitque dato præsidio ut emergentia coërceret. Sed vix obtinuit recipi cum centum infra Placentiam, & audit ubilibet per vicarios Guelfis injurias irrogari, & hoc impatientiæ causam esse. Hacque repulsa Guarnerius ad Cæfarem rediit. Tuncque Margarita Augusta moritur MCCCXI. in festo beatæ Luciæ, & in loco fratrum Minorum tumulata est. Venerunt deinde quafi ad Augusti solatium nuntii Pisanorum plurima pollicentes. Venit & Rizardus Gambatesa Regis Roberti secretarius, & introductus est magna principum ambitione. Paucis tractatus innotuit. Infectoque negotio rediit.

Interea Romam Iohannes germanus præfati Regis ingressus est cum armatorum caterva. Cæfar autem Lodovicum de Sabaudia ad urbem transmittit; qui per Columnenses introductus, Lateranum conscendit. Statimque urbs in varia divisa vota, ubique patet discrimini, ubique propugnacula eriguntur. Hoc autem omnem Italiam variè sperare suasit. Admiratus etiam Federici Regis aliqua tractaturus ad Cæfarem venit, & post dies paucos in Siciliam rediit. Florentia autem cum suis complicibus ex civitatibus Senarum, Perusii, civitatis Castelli, Lucæ, aliorumque locorum, simulque Bononia, Degonem Marefcalcum Regis Roberti cum præsidio militum venientem susceperunt.

Iam imminutæ erant ad danda stipendia Cæfaris facultates. Iam gravati Ianuenses contributione sexaginta millium florenorum publicè clamitant sine causa collum submisisse jugo, qui Federici dominium spreverant, amisisse divitias, nec posse vacare mercationum lucris, quin nec licere vivere corrupto aëre. Tunc Cæfar pro suis mittit Pisanis ut ferant subsidia. Tunc Paduani, redeuntibus nuntiis & adversa narrantibus, è muris pictas aquilas detrahunt.

Egressus Ianua Cæfar, in portu Veneris quadraginta penè diebus perstitit, tempestate suborta. Inde Pisas profectus, curiam auxit, concurrentibus de Tuscia & Romandiola Gibilinis, & multa tractavit. Deinde per Plumbinum ac maritimam paucis comitatus, sola Romanorum factione confisus, Viterbium petiit, & manipulum militum per pontem qui Molis dicitur in urbem transmisit. Ipse verò in tuto extra civitatem mansit. Venerunt autem ei obviam cum clero qui ei favebant Romani, & in Lateranense papale introduxerunt palatium; & continuò disposuit, munita urbe, præoccupare loca. Vocavitque quasi ad familiare convivium absque differentia nobiles; eisque completo convivio sic fatus est. Quid me, ô Quirites, huc attraxit nisi extollendi animo imperii, cui quasi defectione Romanus penè ut barbarus erat ignotus? Quid frequentes litteræ, quid nuntii celebres totiens petiere, nisi ut meum carum visitem senatum populumque Romanum, quo exultante in capitolium vehar? Venione violentus invasor? A Clemente Papa missus, Cardinales tres testes adduxi. Frustrane ergo missus adsum, vocatus adveni? Sciam igitur in hac caritate convivii

quæ vos vota alliciant, quæ vobis fulcientibus adjuverunt. Id edat optio singulorum. Tunc Stephanus de Columna se, suos, ac sua obtulit, nec defecturum etiam in mortis periculo. Nicolaus de Comite se ait decus militiæ à Rege Karolo suscepisse, suique fuisse propositi nunquam ejus posteris adversari. Anibaldus de Anibaldis & Iohannes de Sabello & Theobaldus de Campofloris se obtulerunt in omnem eventum contra omnes Cæsari pariturus, suæ cognationis viris duntaxat exceptis. Erant enim Vrsinorum affines. Hanc conditionem Cæsar ægrè tandem admisit, & in scriptis redigi imperavit. Postea Stephanum, receptis obsidibus, liberum ire permisit. Ceteros verò comprehensos retineri jussit & fortalitia reddi. Hinc protinus oriuntur insultus, vulnerationes, & cædes. Privata odia publicè deteguntur. Vincuntur primùm Cæsaris partes, postea debellantur; & crescente Vrsinæ fama victoriæ, fautores Cæsaris penitùs subtrahuntur. Admiratus Regis Roberti vocatos à Cæsare Pisanos balistarios invadens, nonnullis mortuis, ceteros duxit Neapolim.

His Cæsar agitatus angustiis, soli expediendæ coronationi intentus, cùm id in Ecclesia Apostolorum Petri & Pauli obtinere non posset, vix cunctantibus Cardinalibus, ne quasi transgressores apostolici rescripti redargui valeant, in Laterano aureum imperii diadema suscipere valuit. Artatus denique pecuniarum & victualium inopia, & turbato Romano populo ob quæsitam contributionem, Tiburim Cæsar abiit, relicto in urbe cum Columnensibus trecentorum militum præsidio. Ad Iohannem verò Regis Roberti germanum milites undique confluebant. Interea verò papalibus rescriptis tam Cæsaris quàm Regis copiæ pelluntur ab urbe.

Bellum exinde Tuscis illaturus Cæsar abiit; & Perusinis territis, Viterbium petiit. Florentinos verò multipliciter læsit. Tandem in castris cum fame, peste suborta, Pisas contendit.

Eo tempore Rex Robertus R. Gambatesa Florentiam mittit, ut civitatem quinquennio sibi commissam pro se gubernet. Cæsar verò contra Regem quasi contra hostem sententiam tulit, quæ in septimo decretalium multipliciter reprehenditur. Fortunam postea in mari experiri voluit, & Federicum Admiratum suum fecit, pollicente eo galeas viginti octo, Ianuensibus viginti & unam, Pisanis duodecim. Summus autem Pontifex Philippi Regis Franciæ litteris excitatus excommunicationis tulit sententiam in quemlibet invasorem regni, etiamsi pontificali, imperiali, vel regali præfulgeat dignitate. Cæsar autem nil minùs per Tusciam, urbem, & regnum sedulus erat tractare varia, polliceri multa. Certa denique dies navigii constituta est, ut cùm Terracinam applicuerint XXVII. millibus distantem ab urbe, Cæsarem expectent cum mille quingentis militibus. Profectus itaque usque Origiam fluvium XII. distantem ab Senis millibus, peracta cœna, in fluvii ripa consedens, tinctis ob refrigerationem in amne cruribus, subeuntem sensit langorem; & comperta sub dextri cruris genu pustula, quæ antras vocatur, noctem duxit insomnem. Summo autem diluculo signo dato tollendorum castrorum, ad Bonconventum transit pagum XII. millibus ab Senis distantem; ibique viam universæ carnis ingressus est, regni sui anno quinto, imperii anno uno, mense uno, & diebus viginti quatuor, in festo beati Bartholomæi.

SEXTA VITA CLEMENTIS V.

Auctore Amalrico Augerii de Biterris Priore S. Mariæ de Aspirano in diœcesi Helenensi.

CLEMENS V. natione Vasco, de loco Vilaudran Burdegalensis diocesis, ex patre Bernardo milite fuit natus. Et post Benedictum XI. apud Perusium in vigilia Pentecostes, quæ fuit Nonas Iunii, in Romanum Pontificem fuit assumptus. Et post beatum Petrum Apostolum extitit Papa centesimus quintus anno à nativitate Domini millesimo trecentesimo quinto.

Item quòd iste Clemens ante suam promotionem Bertrandus del Got vocabatur. Qui primò fuit Episcopus Convenarum per provisionem Bonifacii Papæ; in quo sedit annis quinque. Et deinde ipse Bonifacius eum transtulit ad Ecclesiam Burdegalensem, in qua stetit sex annis. Et tunc ipse visitabat in Pictavia provinciam suam quando in Papam fuit electus, sede apostolica tunc vacante.

Item quòd cùm Cardinales sanctæ Romanæ Ecclesiæ post mortem dicti Benedicti Papæ XI. apud Perusium undecim mensibus pro electione futuri Romani Pontificis inclusi extitissent, & in duas partes æquales semper super hujusmodi electione facienda divisi fuissent, tandem post diversas monitiones plurium & tractatus ad ipsum Clementem Papam tunc Archiepiscopum Burdegalensem ipsi unanimiter & concorditer vota sua direxerunt & eum in Papam elegerunt.

Item quòd cùm tempore electionis ipsius Clementis Papæ ipse esset in Pictavia visitando provinciam suam, tunc nova de sua electione Romana ad ipsum devenerunt. Qui quidem versùs Burdegalam gressus suos direxit. Cùmque ipse hujusmodi civitatem intrasset, processionaliter à clero & populo cum summo gaudio & honore totius civitatis & patriæ tam à Prælatis & Baronibus & Comitibus pluribus & diversis extitit receptus, quamvis ipse Clemens tunc non ut Papa sed ut Archiepiscopus se gereret, quia nondum ipse receperat decretum suæ electionis. quod quidem decretum à dictis Cardinalibus de Perusio sibi missum recepit in festo sanctæ Mariæ Magdalenæ. Et tunc crastina die sequenti, scilicet undecimo Kalendas Augusti, in præsentia multorum Prælatorum, Baronum, Militum, Comitum, cleri & populi in Ecclesia Burdegalensi cathedrali tunc sedens in sua cathedra Clemens vocari voluit, & istud nomen elegit, & ex tunc ut Papa agere & gerere incepit.

Item quòd postea ipse Clemens in fine sequentis mensis Augusti Lugdunum pro se ibi coronando perrexit. Et super hoc prædictis Cardinalibus hujusmodi civitatem Lugdunensem assignavit. Qui quidem transeundo per Agennum, Tolosam, Biterrim, Montempessulanum, Nemausum, apud Lugdunum exinde pervenit. Et ibi præsentibus suis Cardinalibus & Philippo Rege Franciæ cum summa militia sua & multitudine gentium copiosa, cum summa solemnitate in Ecclesia sancti Iusti in crastina die sancti Bricii, quæ erat dies dominica, extitit coronatus.

Item

Item quòd cùm dictus Clemens Papa apud Lugdunum coronatus fuisset, statim post suam coronationem per civitatem Lugdunensem cum suis Cardinalibus, Prælatis, & clericis universis, prout moris est, equitavit, & suam coronationem omni populo publicè tunc ostendit, præsentibus Philippo Rege Franciæ & Karolo fratre suo, Iohanne Duce Britanniæ, & Galhardo de Goto dicti Clementis fratre germano, & aliis quampluribus Comitibus, Baronibus, & Militibus, qui pedestrando equum dicti Clementis Papæ per frænum ab utraque parte & in circuitu dirigebant. Cùmque ipse Clemens Papa cum dicto Rege Franciæ & aliis supradictis juxta muros civitatis Lugdunensis transiret, tunc una pars dicti muri antiqui, super qua erat gentium multitudo, corruit, & ipsa cecidit penitùs in terram: cujus lapides equum dicti Clementis Papæ percusserunt taliter quòd equus suus in terram cecidit & tiara seu corona de capite suo, in qua erat unus carbunculus valde pretiosus & ad sex millia florenorum communiter æstimatus; cujus botus, ut dicitur, postea non fuit in terra inventus. Et deinde omnes Milites & Barones qui in circuitu dicti Papæ destrabant læsi fuerunt & concassati, & taliter quòd inter alios Iohannes Dux Britanniæ & Galhardus de Gotho frater dicti Clementis Papæ post paucos dies decesserunt.

Item quòd ipse Clemens anno primo sui pontificatus in quatuor temporibus ante festum nativitatis Domini, videlicet XVIII. Kalendas Ianuarii, fecit & creavit de novo duodecim Cardinales, scilicet Petrum de Capella Episcopum Tolosanum, qui postea fuit Episcopus Penestrinus, Berengarium Fredelli Episcopum Biterrensem compilatorem sexti libri Decretalium, qui fuit postea Episcopus Tusculanus, Arnaldum de Cantalupo tunc electum Burdegalensem, fratrem Thomam Anglicum magistrum in theologia tituli sanctæ Sabinæ, fratrem Nicolaum confessorem Regis Franciæ tituli sancti Eusebii, ambos ordinis Prædicatorum, Presbyteros Cardinales, Stephanum Archidiaconum Brugensem in Ecclesia Morinensi & tunc Cancellarium Regis Franciæ, Guillelmum Aruffati, Arnaldum de Pelagrua, Raimundum de Gotto nepotem suum, Petrum Arnaldi Bearnensem tunc Abbatem sanctæ crucis Burdegalensis, qui infra annum decessit. Et nihilominus Iacobum & Petrum de Columna olim Cardinales per Bonifacium VIII. depositos ad dignitatem & cardinalatum tunc restituit atque reintegravit.

Item quòd ipse Clemens eodem anno revocavit & renovavit decretales factas & editas contra Regem Franciæ per Bonifacium Papam VIII. prædecessorem suum; in quarum prima declaraverat regnum Franciæ tam in spiritualibus quàm in temporalibus sibi & Ecclesiæ Romanæ fuisse & esse subjectum. Alia autem incipit: *Clericis laicos*. Et nihilominus omnia quæ vigore istarum duarum decretalium fuerant subsecuta etiam ipse penitùs revocavit. Et deinde Regi Arragonum confirmavit regnum Sardiniæ, præstito tamen priùs fidelitatis juramento, sub quo tunc expressè sibi se obligavit hujusmodi insulam Sardiniæ infra unum annum personaliter visitare.

Et etiam in isto anno in die sanctæ Mariæ Magdalenæ omnes Iudæi de regno Franciæ congeati fuerunt, & eorum bona omnia extiterunt Regi Franciæ confiscata.

Item quòd dictus Clemens postea anno sui pontificatus secundo de Lugduno recessit & ad civitatem Burdegalensem se mutavit, in qua cum curia sua stetit per unum annum.

Et etiam in isto anno Fulco magister militiæ Hospitalariorum cum magno exercitu Christianorum cum magna sanguinis effusione ipsi ceperunt insulam Rhodarum, quam tunc Turci sub dominio Imperatoris Constantinopolitani schismatici tenebant.

Item quòd ipse Clemens anno tertio sui pontificatus de Burdegala ivit ad Pictaviam pro pace tractanda & concordia inter Regem Franciæ & Regem Angliæ tunc facienda: quæ quidem finaliter fuit facta & concordata, matrimonio inter ipsos mediante. Nam Rex Angliæ tunc Isabellam filiam dicti Regis Franciæ in uxorem recepit. Propter cujus matrimonium multa scandala & infinita mala exinde in regno Franciæ fuerunt subsecuta; quæ adhuc non sunt transacta, ut apparet de præsenti.

Item quòd tempore hujus Clementis Papæ contigit, ut fertur, quòd in quodam castro regio diocesis Tolosanæ per officiales dicti Regis Franciæ quidam nomine Squinus de Floriano civis Biterrensis cum quodam fratre militiæ Templi apostata pro suis maleficiis capti fuerunt & in forti carcere ambo insimul positi extiterunt. Cùmque dictus Squinus & ejus socius Templarius propter maleficia quæ perpetraverant de die in diem de sua vita more navigantium se desperarent, adinvicem peccata sua confessi fuerunt. Qui quidem Templarius sibi extitit confessus multos errores contra Deum & periculum animæ suæ atque unitatem fidei catholicæ, quòd in ingressu sui ordinis & postea pluribus vicibus se communicasset; quorum maleficiorum speciem per ordinem enarravit. Quibus auditis, à cancellaria sequenti die majorem officialem alterius castri regii ad se fecit convocari & ad eum adduci. Qui quidem obtulit unum magnum factum Regi Franciæ revelare de quo plures utilitates ipse Rex habere poterat quàm si de novo acquireret unum regnum. Et ideo me bene captum & vinculatum ad eum perduci faciatis, ut dixit, quia nulli de mundo nisi dicto Regi revelaret, esto quòd ipse mortem subiret temporalem.

Item quòd cùm ipse officialis regius vidisset ut eum blandimentis, promissionibus, oblationibus, & demum quòd ipse cum comminationibus præfatum Squinum inducere non poterat quòd prædictum factum sibi revelaret, ideo omnia præmissa per ordinem dicto Philippo Regi Franciæ scripsit & significavit. Qui quidem statim sibi rescripsit & injunxit ut ipsum Squinum sub fideli custodia ad eum Parisius mitteret.

Item quòd cùm postea ipse Squinus juxta mandatum Regis eidem Regi Parisius fuisset præsentatus, statim ipsum traxit ad partem ob scire veritatem de præmissis, promittens sibi securitatem corporis & commodum, si illa quæ dicebat veritatem continerent. Cùmque Squinus confessionem dicti Templarii apostatæ per ordinem sibi explicasset, confestim ipse Rex aliquos Templarios capi fecit, & super hoc cum eis informationem fieri fecit. Qua facta, & super præmissis veritate reperta, ipse Rex Franciæ scripsit multùm cautè & secretè omnibus officialibus suis in toto regno suo institutis & cuilibet ipsorum ut certa die ipsi cum bona societate bene armati essent parati, & deinde in sequenti nocte quasdam litteras suas secretas quilibet ipsorum officialium aperire deberet & non antè sub pœna capitis, quas cum aliis prædictis Rex prædictus miserat eisdem.

Item quòd cùm dicti officiales Regis litteras suas recepissent, statim illa die omnes bene armati & associati fuerunt, videlicet III. Idus Octobris, qui fuit dies Veneris. Et tunc in

sequenti nocte apertis litteris regiis supradictis, statim quilibet ipsorum officialium per omnia loca eis commissa accesserunt & omnes Templarios qui inveniri potuerunt ceperunt, & eos sub fideli custodia in fortalitiis suis posuerunt. Et deinde quilibet officialis captiones ipsorum Templariorum dicto Regi Franciæ significaverunt, prout ab ipso hoc habuerunt in mandatis. De quorum captione totus mundus fuit admiratus.

Item quòd cùm postea magister militiæ Templariorum cum multis militibus & viris magnis sui ordinis captus apud Parisius coram Rege productus fuisset, tunc quidam ipsorum propter verecundiam veritatem de præmissis denegaverunt, & quidam alii ultra ipsam sibi confessi fuerunt. Sed postea illi qui denegabant, cum tormentis ipsam tunc libenter confitebantur, & aliqui ipsorum in tormentis sine confessione moriebantur vel comburebantur. Et tunc de confitentibus ultra veritatem ipse mitiùs se habebat.

Item quòd cùm postmodum dictus Rex Franciæ de præmissis legitimè informatus fuisset, statim omnia bona tam mobilia [quàm immobilia] dictorum Templariorum quæ in suo regno reperta fuerunt confiscari fecit, & ipsa tanquam rite confiscata sibi applicari pronuntiavit. Et deinde copiam omnium processuum quos fecerat contra ordinem Templariorum & personas ipsorum & confiscationes eorum sub sigillo suo ad ipsum Clementem Papam, qui apud civitatem Pictavensem tunc cum sua curia residebat, per solemnes nuncios transmisit. De quibus fuit valde gavisus. Nam antea ipse & Cardinales & plures alii & universi super hoc dubitabant, cùm ille ordo fuisset tam à sede apostolica quàm ab omnibus Principibus mundi summè privilegiatus & pluribus & diversis spiritualibus & temporalibus esset ditatus.

Item quòd cùm deinde dictus Clemens cum suis Cardinalibus dictos processus Regis Franciæ bene examinasset, & nihilominus Templarios quosdam & eorum confessiones audivisset, videlicet quòd omnes dicti ordinis Templariorum in eorum ingressu Dei filium abnegabant & super crucem in vituperium ipsius spuebant, & postea homagium diabolo faciebant ut majorem fortunam & bonorum temporalium multiplicationem ipsi haberent, & si aliquis de ingredientibus ordinem eorum prædicta facere recusaret, postea ab ipsis interficiebatur, & deinde pro dissimulando nephandam & detestabilem vitam atque conversationem ipsorum magnas eleemosynas Christi pauperibus erogabant, & in eorum Ecclesiis valde devotè persistebant, & multa sacrificia ibi celebrari faciebant, & infra & extra valde honestè incedebant. Et ulteriùs contra ipsos extitit repertum quòd ipsi magnum consilium, auxilium, & favorem, communionem & confœderationem cum perfidis Sarracenis ultra mare contra Christianos habebant, & quòd ipsi, ut fertur, fuerunt causa perditionis civitatis Achon & totius terræ sibi conjunctæ, quam antea Christiani crucesignati pro Christi fide & cum eorum magna sanguinis effusione acquisiverant & eam longo tempore possederant pacificè & quietè. Cùmque idem Clemens de præmissis bene fuisset informatus, statim ipse scripsit per universum mundum omnibus Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, & sub bulla eis mandavit atque commisit ut omnes Templarios quos in eorum civitatibus & diocesibus invenire possent, ipsos caperent & contra ipsos juxta articulos per ipsum Papam eis transmissos inquirere & procedere deberent cum magno consilio & deliberatione, ut ipse in proximo suo Concilio generali

providere posset, & iste ordo Templariorum reformari vel potiùs annullari deberet.

Item quòd postea anno Domini millesimo trecentesimo octavo ipse Clemens confirmavit electionem Henrici tunc Comitis Luceburgensis in Imperatorem electi, quem postea eodem anno in Imperatorem coronari fecit. Et postea ipse cum totâ sua curia de Pictavia recessit, per Burdegalam & Agennum transivit. Et deinde apud Tolosam venit. Et ibi in festo nativitatis Domini remansit usque ad epiphaniam. In quo festo ipse in civitate Convenarum supervenit, in cujus Ecclesia cathedrali corpus sancti Bertrandi confessoris transtulit, & in quadam capsa auri & argenti & cum lapidibus pretiosis miro modo de novo facta per eum ipsum sanctum corpus cum summa devotione & solemnitate reposuit ad Dei gloriam & honorem.

Item quòd deinde ipse Clemens transeundo per Carcassonam, Biterrim, Montempessulanum, & Nemausum, apud Avinionem devenit, & ibi remansit cum curia sua. Cùmque de novo ad suam audientiam pervenisset quòd adversùs Deum & justitiam Veneti ad Ferrariensem civitatem pugnabant & ipsam occupare & eorum jurisdictioni subjugare volebant, ideo ipse Clemens contra ipsos Venetos suos processus fecit. Verùm quia propter hoc desistere non curabant, ideo dictus Clemens contra eos noviter majorem processum fecit & ipsos aggravavit, & in die cœnæ Domini ipsos anathematizavit, & omnes religiosos & clericos de toto ducatu Venetorum ex ordinatione exire mandavit. Et nihilominus Arnaldum de Pelagrua Diaconum Cardinalem in Italiam pro Legato & contra dictos Venetos ipse transmisit. Post cujus adventum summa hominum strages fuit subsecuta. Et dicta civitas tunc extitit capta & recuperata in die festo sancti Augustini anno à nativitate Domini millesimo trecentesimo nono.

Et in isto anno, quinta die mensis Maii, Karolus secundus Rex Siciliæ & Comes Provinciæ & filius quondam Karoli primi Regis Siciliæ anno regni sui vicesimo quinto decessit. Cui in regno & comitatu supradictis Robertus filius suus successit. Qui quidem anno quo suprà prima die dominica sequentis mensis Augusti apud Avinionem per ipsum Clementem Papam inunctus & coronatus est cum magna solemnitate Prælatorum, cleri & populi, præsente multitudine gentium copiosâ.

Item quòd postea anno quo suprà in mense Septembri Episcopus Ruthenensis tunc Patriarcha Hierosolymitanus & apostolicæ sedis Legatus & Fulco de Villareto magister militiæ universalis Hospitalariorum cum magno exercitu crucesignatorum & cum plenissima indulgentia peccatorum ad terram sanctam ultramarinam perrexerunt; sed tunc propter ventorum contrarietatem tunc regnantem ad portum inimicorum fidei venire nequiverunt, sed apud Brundusium per totam hyemem sequentem moram traxerunt.

Item anno quo suprà quinto Idus Maii Archiepiscopus Senonensis cum suis suffraganeis & eorum Prælatis Concilium provinciale apud Parisius solemniter celebravit. In quo quidem Concilio inter alia cum magna deliberatione quinquaginta & quatuor Templarii ex propriis eorum confessionibus voluntariis, sed postea ab ipsis denegatis, sententiati & canonicè judicati fuerunt, & postea juxta juris formam seculari curiæ ipsi traditi extiterunt; & deinde per ipsam secularem potestatem igne combusti extiterunt. Et deinde post paucos dies alii quatuor Templarii eodem modo condemnati extiterunt & combusti. Et postea

alii novem Templarii in Concilio Remensi infra mensem per Archiepiscopum Remensem & suos suffraganeos cum suis Prælatis in Silvanecto solemniter celebrato eodem modo & causa condemnati fuerunt & seculari curiæ traditi. Et deinde per ipsam curiam extiterunt combusti.

Item quòd postea anno à nativitate Domini MCCCX. in die festo assumptionis beatæ Mariæ cum magna Christianorum sanguinis effusione civitas Rhodarum, quæ est caput & metropolis totius illius regionis & insularum conjunctarum, & specialis transitus in regnum Cypri, terram sanctam, Achon, & alias terras infidelium, per dictum exercitum crucesignatorum cum magno triumpho fuit capta & sub potestate & dominio Christianorum extitit redacta, Turcis ab ore gladii interfectis & deinde subjugatis.

Item quòd ipse Clemens postea anno quo suprà & sui pontificatus anno sexto, die sabbati quatuor temporum de adventu Domini, XIV. Kal. Ianuarii, apud Avinionem fecit secundam creationem quinque Cardinalium de novo, videlicet Arnaldum de Felgeriis Archiepiscopum Arelatensem & postea Sabinensem, Bertrandum de Bordis Episcopum Albiensem & Camerarium suum, qui infra annum decessit, Arnaldum Novelli Abbatem tunc Fontis frigidi ordinis Cisterciensis & sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vicecancellarium Presbyteros. Raimundum de Fargiis, Bernardum de Garvo fecit Diacones Cardinales, quamvis isti duo ultimi nondum ad sacros ordines promoti fuissent.

Item quòd iste Clemens primò apud Avinionem in consistorio publico ad requisitionem Regis Franciæ pronuntiavit & licentiam dedit generaliter omnibus quibuscunque accusandi Bonifacium Papam VIII. prædecessorem suum de crimine hæresis, de quo ipse erat diffamatus. Coram quo Dominus Guillelmus de Nogareto, qui eum ceperat, multa super hoc crimina in consistorio publico contra ipsum Bonifacium proposuit & objecit. Et ex adverso quidam Cardinalis, qui erat de genere dicti Bonifacii Papæ, ipsum super ipsis criminibus objectis multipliciter excusavit, & Regem Franciæ & dictum Guillelmum de Nogareto & Sciarram de Columna cum multis aliis super captione dicti Bonifacii & thesauri sui deprædatione terribiliter accusavit. Pro quibus de magno scandalo quotidie dubitabatur. Nam dictus Guillelmus de Nogareto cum magna societate armata ex una parte & dictus Cardinalis eodem modo ex altera in consistorium Papæ pro celebrandis suis dietis conveniebant.

Item quòd postea anno à nativitate Domini MCCCXI. quinto Kal. Maii ipse Rex Franciæ de his quæ coram Clemente Papa super captione dicti Bonifacii Papæ & sui thesauri fuerat accusatus, per dictum Clementem in consistorio publico fuit purgatus, & nihilominus super iis quæ ipse Rex contra dictum Bonifacium fecerat probo zelo & intentione fecerat. Et sic fuit pronuntiatum & declaratum tam verbo quàm postea, ut dicitur, sub bulla. Et deinde processus hujusmodi causæ utriusque partis jam erat conclusum, ipse Clemens per modum tractatus pacis ad se retinuit & suscepit. Et deinde prædictum Guillelmum de Nogareto præsentem à sententia excommunicationis qua per dictum Bonifacium fuerat innodatus tunc absolvit, & pro peregrinatione terræ sanctæ ultramarinæ in primo passagio & per quinque annos continuos ibi stare pro pœnitentia sibi dedit & assignavit, nisi aliàs per sedem apostolicam cum eo super hoc esset dispensatum.

Et in isto anno fuit tanta mortalitas

hominum in partibus Tolosanis & circumvicinis locis quòd vix fuit domus in qua non reperiretur aliquis defunctus. Et nihilominus fuit tanta caritas & caristia quòd nullum bladum inveniebatur ad vendendum.

Item quòd postea anno Domini MCCCXI. prima die Octobris apud Viennensem civitatem super Rhodanum ipse Clemens Papa venit pro suo generali Concilio celebrando, & postea celebrare incepit XVII. Kal. Novembris, in quo omnes Prælatos jam antè convocaverat. Et tunc eis exposuit quare ipsos convocaverat, & dixit quòd principaliter super statu militiæ Templi & sancto passagio ultramarino faciendo & reformatione status Ecclesiæ & conservatione libertatis, unde super iis providendis quilibet Prælatus procedere deberet. Et sic ipse Clemens Papa cum suis Cardinalibus & Prælatis per totam hyemem sequentem continuè in pluribus tractatibus diversis permansit.

Item quòd in sequenti anno MCCCXII. XI. Kal. Aprilis prædictus Papa Clemens cum suis Cardinalibus & multis Prælatis secretè in suo consistorio privato clauso ordinem dictorum Templariorum cassavit & ipsum penitùs annullavit, & deinde personas & bona illius ordinis suæ & Ecclesiæ dispositioni atque ordinationi ipse reservavit.

Item quòd anno quo suprà, tertia die mensis Aprilis, præfatus Clemens Papa in consistorio publico, præsente Philippo Rege Franciæ cum tribus filiis suis, videlicet Ludovico, Philippo, Karolo, ac etiam alio Karolo fratre dicti Regis, cum magna militia, quibus hujusmodi negotium erat summè cordiale, & præsente gentium multitudine copiosa, cassationem ordinis dictorum Templariorum solemniter publicavit. Qui quidem ordo jam duraverat per centum & octuaginta annos vel circa. Qui licèt ipsi vixerint cum multis bonis temporalibus & sedis apostolicæ & Principum secularium, tamen ipsi cum bonis suis universis una die perierunt.

Item quòd in dicto Concilio generali super statu personarum & temporalium bonorum sic salubriter fuit ordinatum ut omnia bona dictorum Templariorum pro defensione fidei catholicæ & infidelium persecutione essent & esse deberent cum suis privilegiis & libertatibus diversis temporibus militiæ Hospitalis sancti Iohannis Hierusalem, cum certis tamen pactis & conditionibus super hoc solemniter impositis & à dicta militia gratis receptis & approbatis.

Item quòd aliquæ personæ notabiles & majores dictorum Templariorum sub ordinatione & reservatione Romani Pontificis reservatæ fuerunt, & quòd de ceteris aliis Templariis per Metropolitanos & suos suffraganeos in Conciliis eorum provincialibus, prout de ipsis ad quemlibet eorum pertinebit, disponere debeant & possint atque ordinare, & quòd etiam de illis Templariis qui ultra errores suos confessi fuerunt corde contriti ponentur in aliis religionibus à sede apostolica approbatis juxta ipsorum electionem ut ibi Deo serviant & de bonis olim Templariorum sua victualia habere debeant; de illis Templariis qui fugerunt & legitimè non comparuerunt, juxta Concilia provincialia contra ipsos canonicè procederent. Super autem statu Ecclesiæ & libertate ipsius in dicto Concilio plura statuta salubria statuta & facta fuerunt, quæ hodie Clementinæ nuncupantur. Sed ipse Clemens in multis aliis negotiis arduis impeditus, & postea morte præventus, istas constitutiones publicare nequivit.

Item quòd celebrato dicto Concilio dictus Clemens anno quo suprà de

Vienna recessit, & apud Avinionem venit. Qui quidem postea in jejunio quatuor temporum ante natale Domini tertiam creationem novorum Cardinalium fecit & de novo creavit decimo Kal. Ianuarii, videlicet Guillelmum de Mandagoto Archiepiscopum Aquensem diocesis Nemausensis, Iacobum de Oza Episcopum Avinionensem diocesis Caturcensis, qui postea [fuit Papa Iohannes XXII.] Berengarium Fredoli de Veruna Magalonensis diocesis tunc Episcopum Biterrensem, Arnaldum de Auxio tunc Episcopum Pictavensem, fratrem Guillelmum Petri de Godino Baionensem magistrum in theologia ordinis Prædicatorum tunc lectorem sacri palatii apostolici, Vitalem de Furno ordinis fratrum Minorum magistrum in theologia Vasatensis diocesis, Michaelem de Beco Gallicum tunc Decanum sancti Quintini, Abbatem sancti Severi, & Guillelmum de Testa Condomiensem.

Item quòd postea anno à nativitate Domini MCCCXIII. quinta die Maii apud Avinionem frater Petrus de Morono quondam Cælestinus Papa V. per dictum Clementem Papam solemniter extitit coronatus atque canonizatus, & sub sancti Petri nomine catalogo aliorum sanctorum confessorum fuit per eum aggregatus, anno decimo octavo à suo transitu computando; cujus festum celebrari tunc fuit ordinatum XIV. Kal. Iunii, qua die ad Christum migravit.

Item quòd anno quo suprà in festo Pentecostes venit Nicolaus tituli sancti Eusebii Presbyter Cardinalis apostolicæ sedis Legatus ex parte dicti Clementis Papæ in Franciam; à quo Philippus tunc Rex Franciæ, qui tunc tres filios suos & quosdam alios de genere suo cum quadringentis extraneis, quos Milites de novo fecerat, apud Parisius cum magna militia pro faciendo passagium ultramarinum solemniter præsente fidelium multiudine copiosa signaculum sanctæ crucis reverenter & devotè unà cum Rege Angliæ ibi tunc præsente & Rege Navarræ filio suo & duobus aliis filiis & etiam aliis duobus fratribus suscepit.

Item quòd postea anno quo suprà, in vigilia beati Gregorii Papæ, magister militiæ Templariorum cum uno alio magno de suo ordine Parisius publicè de mandato Regis Franciæ extitit combustus, qui tamen cum consilio Prælatorum & peritorum ad aliam pœnitentiam peragendam priùs fuerant condemnati. Nam Philippus Rex Franciæ cum consilio suo noluit pati quòd propter revocationem confessionis suæ, quam priùs fecerat dictus magister militiæ Templi & multi alii sui ordinis, evaderent mortem temporalem; nullo tamen super hoc judicio ecclesiastico convocato, neque ipso expectato, quamvis tunc apud Parisius duo Cardinales apostolicæ sedis Legati essent præsentes.

Item quòd postmodum anno quo suprà, XII. Kal. Aprilis, quibus fuit festum S. Benedicti Abbatis, dictus Papa existens cum curia sua apud castrum de Montiliis diocesis Avinionensis, coram se in consistorio publico suas constitutiones decretales, quas in Concilio Viennensi ordinaverat, publicari fecit, quæ hodie Clementinæ vocantur; sed postea infirmitate præventus, ad studia generalia per eum transmissæ non fuerunt, sed sic publicatæ tunc remanserunt donec per suum successorem executioni demandatæ fuerunt.

Item quòd ipse Clemens post multos labores, anxietates, & tribulationes apud castrum de Rupemaura supra Rhodanum, quod est Regis Franciæ, die Veneris de nocte qua intitulabatur XII. Kal. Maii ad Christum migravit anno à nativitate Domini MCCCXIV. & apud civitatem Carpentoratensem ultra Rhodanum, ubi tenebat curiam

ſuam, & ubi tunc erant Cardinales, ſuum corpus fuit deportatum, & ibi honorificè extitit traditum eccleſiaſticæ ſepulturæ; ſed poſtea apud Vaſconiam juxta ordinationem ſuam in quadam villa modici valoris ipſum corpus fuit portatum, & ibi in Eccleſia collegiata Canonicorum ſecularium, quæ vocatur Eccleſia beatæ Mariæ de Vſeſta Vaſatenſis dioceſis, cum magno honore extitit ſepultum. Qui quidem rexit Eccleſiam octo annis, decem menſibus, & quindecim diebus, à die ſuæ creationis computando. Et tunc vacavit ſedes apoſtolica duobus annis, tribus menſibus, & ſeptem diebus.

Item defuncto iſto Clemente, Cardinales numero viginti-tres, qui erant apud civitatem Carpentoratenſem, ubi dictus Clemens ſuam curiam tenebat, in palatio epiſcopali ſecundùm juris formam in conclavi incluſi fuerunt, & pro electione Romani Pontificis uſque ad feſtum ſubſequens ſanctæ Mariæ Magdalenæ ibi pacificè & quietè interfuerunt. Sed extunc inſtinctu diaboli, propter diſcordias graviſſimas quæ inter familiares dictorum Cardinalium exortæ ſunt, & quæ per aliquem de mundo tunc pacificari non poterant, ideo dictos Cardinales de dicto conclavi oportuit exire. Qui quidem inter ſe promiſerunt & ſtatuerunt quòd pacificatis eorum familiis ad dictum conclave redire deberent. Cùmque ipſi exiviſſent de dicto conclavi, dictos familiares pacificare nequiverunt, immo majores diſcordiæ & capitales inimicitiæ tam inter ſe quàm inter dictos familiares dictorum Cardinalium hoſte antiquo procurante ſupervenerunt. Quare ipſi Cardinales præcaventes & dubitantes plura pericula & ſcandala quæ ſupervenire poterant, ad dictum conclave redire noluerunt, immo ipſi ſingulariter per civitates & caſtra per duos annos & plus diſperſi extiterunt.

Item quod cùm poſtea perveniſſet ad notitiam Philippi Regis Franciæ, tunc Comitis Pictaviæ, ſtatim apud Lugdunum venit. Qui quidem multùm cautè & gratioſè omnes prædictos Cardinales ad ſe in domo Prædicatorum convocavit & congregavit, & inter eos concordiam & veram pacem tractare incepit & eis oſtendere quanta pericula propter eorum diſcordias in hoc mundo eſſe imminebant. Cùm autem dicti Cardinales poſt conſilium ad villam in domos proprias pro comedendo recedere voluiſſent, juxta ordinationem dicti Philippi Comitis Pictaviæ ab illo loco exire non potuerunt, immo ibi incluſi pro tractanda electione Romani Pontificis futuri remanſerunt in vigilia ſanctorum Petri & Pauli. Et tandem ipſum Papam elegerunt poſt quadraginta dies, computando à die incluſionis ipſorum, anno à nativitate Domini. MCCCXVI.



PRIMA

PRIMA VITA
IOANNIS XXII.

Auctore Ioanne Canonico sancti Victoris Parisiensis.

CARDINALES apud Carpentras ut de pastore providerent Ecclesiæ convenerunt. Sed effusa est contentio super principes, nec poterant concordare. Italici talem eligere intendebant qui ad Romanam sedem curiam revocaret. Quod Cardinales Gascones facere formidabant: quia cùm sui de Gasconia Italicis multas injurias irrogassent, certi erant quòd si in manibus Romanorum inciderent, æquipollentiam sustinerent. Fuerunt ergo diù in tali discordia, licèt inclusi multa incommoda sustinerent, quia cibaria eorum subtrahebantur, & domus eorum desuper dissipatæ. Tandem hæc Wascones non ferentes ignem in palatio posuerunt, per quem combusta est pars maxima civitatis. Et sic dispersi Cardinales. Et licèt secundùm statutum in urbe qua moritur Papa debeat electio celebrari, tamen Italici omnino discordabant, volentes quòd electio ad curiam Romanam trnasferretur, & alii alibi. Ideo sunt dispersi.

Anno MCCCXV. [Ludovicus cognomento Hutinus Franciæ] Rex novus misit nuntios solemnes ad Regem Siciliæ ut sibi mitteret Clementiam neptem suam filiam Regis Vngariæ fratris sui, proponens eam accipere in uxorem: quam dum diutiùs expectaret, juvenili ardore accensus fræna incontinentiæ laxavit. Largus erat & prodigus & admodum puerilis, licet à patre super hoc fuisset pluries, dum viveret, castigatus. Dicta autem Clementia per mare veniens passa est naufragium ut vix ipsa & sui maris periculum evitarent. Multis autem jocalibus perditis pretiosis, tandem in Franciam est advecta. Rex autem tunc versùs Remis, ubi debebat coronam regni recipere in assumptione sanctæ Mariæ, festinabat. Et dum esset in quodam manerio prope Trecas quod dicitur sanctus Lætus, duxit dictam Clementiam in uxorem, nec curavit quòd pro hoc magnus fieret solemnitatis apparatus. Remis autem coronatus versùs Flandriam properavit cum exercitu magno & regni sui Baronibus, qui sponte ad ejus rogatum cum apparatu congruo convenerunt. Pacificaverat enim omnes dum esset apud nemus Vicennarum, promiseratque quòd subditos in pace regeret sine extorsionibus & gravaminibus sicut sanctus fecerat Ludovicus.

Anno MCCCXVI. misit Rex fratrem suum Comitem Pictavensem ad congregandum, si posset fieri, Cardinales & ad tractandum de loco in quo posset Papæ electio celebrari.

Hoc tempore Comes Pictavensis venerat Lugdunum, ubi congregaverat hoc pacto Cardinales quòd nulla eis violentia inferretur nec cogerentur ad eligendum carcerem introire. Sed dum hæc agerentur, circa Pentecosten Rex frater suus valde gravem ægritudinem incurrit in nemore Vincennarum hoc modo, ut refertur. Cùm sicut puer ad jactum pilæ diù laborasset, admodumque fuisset calefactus, indiscretè sequens sensibilem appetitum,

H

in quandam frigidissimam caveam est adductus, & sine mensura bibens vinum, frigus eum usque ad viscera penetravit, & statim decumbens in lecto obiit in vigilia Trinitatis, & ita vix per triennium Miles fuit. Sepultus est igitur cum corona duplici Franciæ & Navarræ apud sanctum Dionysium in Francia juxta patrem. Remansit autem Regina vidua imprægnata. Comes autem Pictavensis audiens mortem fratris, admodum fuit stupefactus. Non enim utile videbatur ulteriùs trahere moram in Lugduno nec electionis Papæ negotium dimittere imperfectum. Consilio igitur habito judicatum extitit per prudentes quòd de non includendis Cardinalibus erat illicitum quod fecerat juramentum, & ideo non servandum. Tunc eos omnes in domo Prædicatorum ad colloquium convocavit. Quibus dixit quòd inde non recederent donec de Papa Ecclesiæ providissent. Positis ergo custodibus qui eos exire non permitterent, ipse in Franciam est reversus. Tunc Regina apud nemus erat desolata. Sed Dominus Karolus Comes Valesii erat ei in solatium, promittens quòd eam & fructum suum fideliter conservaret. Veniens autem Comes Pictavensis habuit consilium quòd tanquam Regem se gereret & in possessione regni se poneret donec per Barones esset aliud ordinatum. Venit ergo Parisius, & posuit se in regali palatio, & fecit claudi omnia ostia præter unum. Regina autem Clementia se prægnantem ei certitudinaliter nuntiavit. Convocatis itaque Baronibus regni, sic fuit finaliter ordinatum, quòd Comes Pictavensis esset regni Franciæ gubernator & omnes proventus reciperet & Reginæ necessaria ministraret, & si masculum pareret, Comes regni gardiam usque ad annos XXIV. retineret & bella & missas alias ministraret, & Reginæ viginti millia librarum redditus assignaret, de quibus quatuor millia hereditariè possideret, in anno autem vicesimo quinto regnum puero tamquam vero heredi liberè resignaret & ei tanquam domino obediret; si autem femina oriretur, Comes ex tunc pro Rege ab omnibus haberetur, & puellæ prout jus & consuetudo requireret provideret. Quo pacto & promisso, tanquam gubernatori fecerunt ei homagium Principes & Barones, excepto Duce Burgundiæ, qui neptem filiam sororis suæ Reginæ Navarræ, quam Rex Ludovicus, dum viveret, pro filia legitima recognovit, voluit habere penes se, ne fraus aliqua fieret contra eam; quæ ad nutriendum sibi tradita fuit.

Eodem anno Cardinales ad concordiam pervenerunt & in sabbato festum sancti Laurentii præcedente Dominum Iacobum de Portu Cardinalem, quondam Avinionensem Episcopum, in summum Pontificem elegerunt, virum non multùm magnum in statura, sed in scientia magnum, & habentem testimonium bonæ vitæ. Iohannes XXII. nominatus. Hic post coronationem suam & moram aliquantulam in Lugduno transtulit apud Avinionem sedem suam.

Tunc Papa fratres Minores, qui schisma habebant inter se, voluit ad concordiam revocare; citatique sunt ad curiam fratres qui se à communitate separaverant & conventum Biterrensem & Narbonensem occupabant, ut suprà dictum est. Qui venientes ductorem habuerunt fratrem Bernardum de Montepessulano. Qui dum pro dictis fratribus spiritualibus allegaret, per Dominum Papam & etiam per duos Cardinales arrestatus est & traditus Camerario carceri mancipandus. Quod scientes regales procuraverunt quòd fuit traditus Dominis Appamiensi & sancti Papuli Episcopis examinandus super iis & super proditione contra

Regem attentata, scilicet quòd Ferrandus filius Regis Majoricarum ad ejus prædicationem reciperetur dominus in Albia & Cordua & etiam in Carcassone. Quæ omnia vera sunt inventa tam per confessionem ejus quàm per testes. Ideo fuit degradatus & carceri in pane & aqua & vinculis ferreis condemnatus. Permansitque in dicto carcere Carcassone in custodia Inquisitoris ordinis Prædicatorum, quos fuerat persecutus, ut dicitur, & sic obiit.

Anno decimo nono sequenti Dominus Papa dictos fratres remisit ad prælatos communitatis ordinis memorati, & quædam contenta in dicta regula declaravit. Quidam verò illorum noluerunt in hoc summo Pontifici obedire dicentes quòd Papa dictas declarationes facere non poterat, tanquam hæreticus & vitæ evangelicæ dissipator: quorum quatuor per Inquisitores ordinis Minorum in Aquensi provincia traditi sunt justitiæ seculari, & apud Massiliam sunt combusti. Quidam verò ex ipsis fugæ præsidio se dederunt.

Eodem tempore hæresis illa in tantum invaluit in provincia Narbonensi quòd multi tam Minores quàm Begardi de tertio ordine sancti Francisci publicè asserebant Dominum Papam & omnes ei obedientes hæreticos esse & de secta Antichristi, non de Ecclesia Christi, sed de synagoga satanæ, pertinentes ad meretricem magnam Babylonem per Dominum reprobatam, & in illis solis Christi Ecclesiam remanere qui vitam Christi pauperem & humilem observabant. Dicebant Papam mysticum Antichristum ac præcursorem veri Antichristi. Et pro isto errore tuendo multi permiserunt se comburi, & multi ad ignem ultronei se offerebant, vocantes jam combustos martyres gloriosos. Habuit autem ortum hæc hæresis ex doctrina cujusdam fratris Minoris qui Petrus Iohannis Biterrensis diocesis dicebatur, qui quandam postillam composuit super Apocalypsim, in qua per octo magistros in theologia plusquam sexaginta hæreticales articuli sunt inventi. Fuit autem dicta hæresis multùm periculosa & multorum simplicium infectiva propter illorum simulatam sanctitatem in verbis, victu, & vestitu. Sed per diligentiam Prælatorum & Inquisitorum in illis partibus dicta hæresis est extincta.

Hoc tempore Flamingi in tanta angustia erant quòd nec per terram nec per mare poterant eis victualia deportari. Vnde communis erat opinio, dum tamen passus fideliter servarentur, quòd sine omni bello ipsi infra breve tempus tabe & inedia defecissent. Mittentes autem Pontisaram nuncios solemnes ad regales, quædam occulta consilia tractaverunt, multa quæ non intendebant facere promittentes, sicut eventus postea comprobavit. Fuit autem publicè divulgatum quòd quædam matrimonia tractabantur ut filius Comitis Nivernensis Ludovici contraheret cum filia Comitis Ebroicensis Domini Ludovici, & quòd Comes Flandriæ ei dimitteret dominium comitatus, retentò dum viveret usufructu, & sic, si Comes Nivernensis decederet ante patrem, puer non posset amittere comitatum. Et sub hac spe delusi regales treugas Flamingis concesserunt. Et Comes Nivernensis, qui tot mala regno intulerat, in regalem gratiam est receptus, & sui sibi redditi comitatus. Tunc Flamingi per mare & per terram liberè sibi de victualibus providentes, intra tempus breve melius forum habebant de pane & vino quàm in Francia haberetur. Et satis citò pòst Baionenses confœderati sunt cum Flamingis; & in mari facientes impetum contra Gallicos, quatuor de navibus eorum combusserunt.

Regina Clementia incidit in quartanam, qua longo tempore laboravit; & tenello fœtui in ejus utero nocuit ægritudo. Peperit igitur circa festum sancti Martini puerum masculum, qui Iohannes in baptismate vocatus est, sed modico tempore supervixit. Post cujus mortem Comes Pictavensis regnum obtinuit. Sed Dux Burgundiæ contradixit. Dicebat enim quòd neptis sua, tanquam Regis filia ex fratre suo defuncto propinquior, debebat succedere ipso jure. Cui in oppositum dicebatur quòd in regno Franciæ mulieres succedere non debebant. Hoc tamen probari non poterat evidenter. Et ideo Dux & mater ejus Ducissa ad diversos Barones litteras transmittebant rogantes quòd coronationi dicti Comitis minimè consentirent. Ipse tamen Comes armata manu in festo epiphaniæ Remis veniens, civitatis portis firmiter obseratis, fecit se ab Archiepiscopo consecrari & coronari. Comes autem Valesii noluit præsens esse. Frater autem ejus Karolus Comes Marchiæ in mane de urbe recesserat indignatus. Rex igitur novus Parisius veniens à civibus receptus est cum honore.

Anno MCCCXVII. tractatus est habitus cum Flamingis. Et Comes Valesii malens filiam suam fieri Flandriæ Comitissam quàm fratris sui filiam, Comitis scilicet Ebroicensis, tractavit quomodo illud matrimonium mutaretur, & ad tantum negotium est deductum quòd jam dies nuptiarum erat assignata & necessaria jam parata quando mandavit novus Rex totum differri, quia una de filiabus suis debebat cum dicto filio maritari. Cùm ergo Rex ageret de concordia cum Flamingis, in omnibus pactionibus non poterant convenire. Propter hoc ordinatum fuit quòd ad Papam recurreretur pro punctis super quibus erat dissensio concordandis. Vnde ex utraque parte nuncii missi sunt solemnes. Et cùm Papa vellet eos super omnibus concordare, dixerunt nuncii Flamingorum quòd mandatum non habebant aliquid confirmandi, sed suis referrent omnia, si vellent quod ordinatum fuerat approbare. Tunc Papa misit in Franciam Archiepiscopum Bituricensem & magistrum ordinis Prædicatorum, qui partibus auditis concordiam confirmarent. Flamingi igitur quærentes occasiones frivolas discordandi dicebant quòd libentissimè consentirent, dummodo daretur eis firma securitas quòd regales non infringerent pacem factam. Et dum Rex hoc annueret, tamen recipere noluerunt. Et ita nuncii Papæ infecto negotio redierunt. Habuerunt autem parlamentum Rex Franciæ & Dux Burgundiæ discordantes, & amicis intervenientibus ad concordiam sunt adducti. Rex autem filium non habebat, quia unicus, quem de uxore habuerat, cùm esset in Burgundia pro Cardinalibus congregandis, obierat paulò antè. Habebat autem plures filias, quarum majorem natu dedit Duci Burgundiæ in uxorem. Et cùm guerra de Flandrensibus timeretur, fuerunt usque ad Pascha sequens treugæ ordinatæ; quæ postea usque ad Pentecosten prolongatæ, tandem ad Pascha futurum in antea protenduntur.

Cùm Papa Clemens in Concilio Viennensi aliqua suspensa reliquisset donec ad studia generalia sub bulla mitterentur, sperans, ut credo, quòd ad limam iterum devenirent, Iohannes XXII. Papa hoc anno sub bulla publicari fecit. Pro quo Beguinæ specialiter sunt turbatæ, quoniam sine omni distinctione status beguinagii condemnatur.

Anno MCCCXVIII. in festo Trinitatis Dux Burgundiæ duxit filiam Regis primogenitam in uxorem, sicut sibi fuerat ordinatum. Et de voluntate Regis & Ducis neptis eorum filia Regis juvenis Ludovici data est filio Ludovici Comitis Ebroicensis. Et cùm

tamen esset impubes, nihilominus per verba de præsenti fuit matrimonium solemniter celebratum. Vnde multi potuerunt meritò admirari.

Eodem anno in quindena assumptionis beatæ Mariæ citatus fuit solemniter ad comparendum coram Rege Ludovico Comes Nivernensis, de quo suprà, protestatione habita quòd sive veniret, sive non, fieret ei justitia pro excessibus retroactis. Cùm enim à principio guerræ Flandriæ ipse fecisset homagium Regi Philippo patri hujus pro comitatu Nivernensi & pro baronia de Donziaco, pro comitatu etiam Restellensi, quem ratione uxoris tenebat, se transtulit ad Flamingos Domino Regi rebelles, quantumque poterat contra eum machinando, tractatus pacis impediendo, & communitates Flandriæ in sua malitia confortando. Propter quæ Rex in manu sua omnia posuerat supradicta, de comitatu Restellensi ejus uxori pro provisione sua duo millia librarum redditus assignando. Intervenientibus autem amicis, sub certis pactionibus, quas apud Gisortium promisit, sunt ei omnia, ut dictum est, restituta. Posito autem dominio Restellensi, statim uxori suæ subtraxit, tanquam crudelis, provisionem suam antea assignatam, necnon etiam quædam arreragia quæ pro præterito tempore debebantur immisericorditer occupavit, ita quòd bona illa Domina cogebatur jocalia sua & vestes vendere pro necessariis ad vivendum. Cùm autem nobiles de Picardia quandam colligationem fecissent quæ Regi contraria videbatur, & dictus Comes Nivernensis sciret discordiam inter Regem & Ducem Burgundiæ inchoatam, statim cautè & malitiosè tractare cœpit cum Duce ut similis colligatio fieret in Campania & Burgundia contra Regem, & munire cœpit villam de Maceriis & alia fortalicia in Restellensi comitatu. Quod minimè Regem latuit & regales. Propter hæc & alia multa, quæ quando facta est pax inter Regem & Ducem fuerunt declarata, & quia pactiones quas apud Gisortium fecerat minimè tenebat, ideo prædicta citatio emanavit. Ipse autem nec per se nec per alium in die comparuit assignata, sed se & liberos suos transtulit ad Flamingos.

Papa iterum alios nuncios in Flandriam misit, fratrem Petrum de Palude ordinis Prædicatorum, & alios duos fratres Minores portantes litteram papalem bullatam, cujus series continebat quòd securitates quas Rex offerebat Flamingis sufficientes reputabat, consulens quòd eas pacificè acceptarent; sin autem, eos reputabat perjuros & impeditores passagii transmarini. Qui responderunt: Papa nihil nobis præcepit, sed tantùm consulit. Vnde non nos reputamus in aliquo obligatos. Tamen acceptaverunt diem in Compendio ad tractandum in octabis assumptionis sanctæ Mariæ. Redeuntes autem nuncii Papæ quod audierant retulerunt. Qui misit Procuratorem ordinis Prædicatorum, & quendam magistrum in theologia ordinis fratrum Minorum, qui in tractatu prædictæ diei personaliter interessent. ad quam Rex misit solemnes nuncios ad tractandum. Sed venientes Compendium neminem pro parte Flamingorum invenerunt nisi duos juvenes, qui dixerunt se non esse missos ad aliquid ordinandum, sed dixerunt: Animalia perdidimus, & venimus ad quærendum. Et sic delusi tam papales nuncii quàm regales ad propria sunt reversi. Tentaverant autem Flamingi conjungere se colligatis simili juramento, ut contrà Regem fierent fortiores; sed alligati eos recipere noluerunt.

Eodem anno Rex Siciliæ Robertus volens summum Pontificem visitare, veniens per mare, Ianuam applicavit: cujus cives divisi ab invicem, pars una

expulit aliam extra urbem. Erant autem Guelfi intranei, qui pro dicto Rege erant, & extranei Guibellini, qui eidem contrarii existebant, & adventu Regis cognito, intraneos obsederunt. Et dum Rex vellet prosequi iter suum & ad Papæ curiam se transferre, dixerunt intranei quòd si eos dimitteret indefensos, opprobrium ei esset sempiternum. Et sic eum ibidem oportuit remanere. Mandavit autem Reginæ Clementiæ nepti suæ quòd ad Papam, qui in Avinione posuerat sedem suam, veniret satis citò. Venit ergo dicta Regina Avinionem, avunculum videre cupiens; & recepta curialiter à Papa, de ejus consilio ivit Aquis, & ibi diù avunculum expectavit. Transacta hyeme & ad navigandum tempore opportuno Rex Robertus fecit armari circa XXIV. galeas, & misit eas, præcipiens ut prope civitatem Sagonam, quam munierant Guibellini, portum acciperent & obsidionem ponerent contra eam & statim igneam flammam accenderent copiosam, qua visa Rex ad eas multitudinem mitteret armatorum. Et cùm in portu vellent descendere civitatis, intranei adventu eorum cognito obviam exeuntes, portum accipere prohibentes, non potuerunt ad terram descendere, sed retrocedere sunt compulsi. Venientes igitur ad portum cujusdam castri quod dicitur sancti Andreæ, quod munierant, ut dicitur, Guibellini, & obsidentes castrum, in brevi ipsum capientes, copiosam flammam accenderunt: quam videntes Rex & in Ianua habitantes, & scientes quòd extraneos non lateret, & reputantes eos non immeritò stupefactos, exierunt armati cum magna multitudine contra eos; & facta pugna gravissima inter eos, multi mortui sunt hinc & inde. Superveniente autem noctis caligine clamatum est quòd in crastino reverterentur in idipsum. Et mane facto, cùm armati intranei exivissent in campo, neminem invenerunt. Forenses enim Sagonam amittere metuentes tota nocte ad succursum ejus currere non cessarunt, portantes secum de suis sarcinulis quicquid tollere potuerunt. Venientes intranei ad castra quotquot invenerunt ibi homines occiderunt, & multa cibaria & aliam supellectilem rapuerunt. Sed Rex ad obsidendam Sagonam misit multitudinem armatorum, mandans Clementiæ Reginæ quòd in Pentecostes festo sequenti proponebat esse apud Massiliam; ubi frater suus Ludovicus, qui jam canonizatus fuerat, debebat solemniter elevari. Interim tamen dum esset civitas Sagona sic obsessa, Dominus Petrus de sancto Genesio Miles capitaneus exercitus obsidentis cum pluribus armatis progrediens ad prædandum, ut exercitui de victualibus provideret, dum à castris per longum spatium esset elongatus, ipsum multi de adversariis insequentes, & inter cuneum ejus & tentoria se ponentes, ne ad ea rediens salvaretur, ipsum viriliter sunt aggressi, & conserta pugna gravissima inter eos, licèt multi fuerint de hostibus interfecti, ipse tamen succubuit, & ipso capto ab hostibus, omnes, ut dicitur, ejus socii sunt occisi.

Anno MCCCXIX. post ascensionem Domini obiit vir illustris Comes Ebroicensis Ludovicus Regis Franciæ Philippi & Dominæ Mariæ Reginæ filius, & feria tertia pòst in Ecclesia fratrum Prædicatorum honorificè est sepultus. Interfuerunt ejus sepulturæ Rex & Regina cum multis Baronibus & nobilibus. Missamque celebravit Dominus Gaucelmus tituli sanctorum Marcellini & Petri Presbyter Cardinalis. Hic missus erat à Papa in Franciam cum Trecensi Episcopo ad tractandum de pace inter Regem Franciæ & Flamingos. Qui Cardinalis versùs Flandriam proficiscens imposuit Episcopo Tornacensi,

in cujus diocesi Flandria situatur, ut adventum suum Flandrensibus nuntiaret. Qui Episcopus non audens illuc ire, misit duos fratres Minores, qui fuerunt de mandato Comitis captivati. Comes autem congregavit exercitum ut intraret terminos Insulenses, habens secum communiam de Gandavo. Cùm autem tentaret Liliæ fluvium pertransire, dicti Gandavenses noluerunt contra Regem proficisci, dicentes quòd de treuga servanda fecerant juramentum. Indignatus Comes multavit eos in magna pecuniæ quantitate, quantam solvere noluerunt. Quare Comes passus & vias per quas erat transitus in Gandavum cautiùs faciebat observari, ingredientes & egredientes occidendo aut carceri mancipando. Gandenses verò ipsum & suos viriliter impugnabant. Tandem dictus Cardinalis obtinuit quòd Comes & ejus filii in terræ suæ confinio ad ejus colloquium accesserunt. Affuerunt etiam nuncii regales. Et ibi fuit ordinatum quòd Comes veniret Parisius in medio quadragesimæ facturus Regi homagium & conventiones priùs habitas firmaturus. Qui tamen die non comparuit assignata, excusationes frivolas allegando.

Eodem anno Rex Robertus ad Papam venit auxilium petiturus. Qui Papa decem galeas fecerat præparari cum sufficienti armatura, quibus quendam probum præfecerat Admiraldum paratum ad partes iter arripere transmarinas & ibi portum accipere opportunum, quem exercitus, cùm esset passagium, inveniret. Sed Rex Robertus dictas galeas in suum auxilium impetravit, & adjunctis aliis XIV. misit omnes in succursum Ianuensium obsessorum. Quorum adventum Guibellini præscientes, extranei ipsis viriliter occurrerunt. Quibus captis, & adversariis interfectis, civitati gravissimum fecerunt insultum, portum cum suburbiis capientes. Dictus autem Rex cum Papa moram faciens ita cum suis negotiis occupabat quòd nihil aut parum expediebatur in curia, immo etiam negotia Papæ personalia totaliter infecta remanebant.

Anno MCCCXX. venit Comes Flandriæ Parisius ad instantiam Cardinalis. Qui de ejus voluntate & aliorum consilio fecit homagium Regi Franciæ. Qui secum adduxerat filiam suam sagacem Dominam, uxorem quondam Domini de Cuciaco Enjoranni. Affuit & Comes Nivernensis & procuratores communiarum Flandriæ cum potestate pacem pro eis cum Rege Franciæ faciendi. Erat autem unus Advocatus nomine Balduinus, qui semper ipsum fovebat in suis rebellionibus, rationes pro eo frivolas allegando. Qui procurationi prædictæ conficiendæ noluit interesse, & apponi fecit in ea clausulam quandam fraudulenter, quòd ipsi in pace cum Domino Comite concordarent; per quam videbatur innui quòd ipsi pacem non possent cum Rege sine Domino suo Comite confirmare. Facto igitur homagio, ab omnibus exstitit æstimatum quòd pax esset penitùs confirmata, quia non erat verisimile quòd dominum vassallus aut dominus vassallum impugnaret. Fuit igitur dies assignata ad firmandos pacis articulos. Comes autem noluit consentire nisi Rex redderet sibi Bethuniam, Insulam, & Duacum, dicens quòd per Enjorannum procuratorem Regis fuerat hoc promissum. Cùm enim dictus Enjorannus diù antè tractasset cum Comite de pace facienda, quia Comes nondum Regi assignaverat redditus, sicut in prima concordia fuerat ordinatum, Rex pro dictis redditibus villas suas illas detinebat. Suasit ergo Enjorannus Comiti quòd pro honore Regis quittaret villas illas, promittens se facere apud Regem quòd sibi restitueret de gratia speciali. Concessit ergo Comes quòd de quittatione fierent

litteræ, sed Regi minimè traderentur donec de prædicta restitutione facienda securitas haberetur. Confectis igitur litteris, ad sigillandum Cancellario Comitis præsentatis, noluit ille sigillare, dicens quòd videret exhereditationem Comitis in dictis litteris contineri. Et projecto sigillo, fuerunt per alium sigillatæ, & traditæ Enjoranno. Qui in Franciam rediens, litteras dedit Regi, nulla facta securitate de restitutione præhabita facienda. Quod cùm ad dicti Comitis notitiam devenisset, & reputans se deceptum, ad dictas villas recuperandas modis quibuscunque poterat aspirabat. Hac ergo causa noluit dictis pactionibus consentire. Vnde Rex non modicum provocatus juravit per animam patris sui quòd Comes dictarum villarum dominium in perpetuum non haberet, rogans avunculum suum Comitem Valesii & fratrem suum Comitem Marchiæ & Barones qui aderant ut juramentum hujusmodi confirmarent. Qui protinus consenserunt. Comes autem contra voluntatem filiæ exire de Parisius festinavit, versùs Flandriam proficiscens, antequam tempus securi conductus à Rege sibi traditi expiraret; & per tres leucas procedens post prandium, ibi cum famulo pernoctavit. Prædicti igitur procuratores communitatum videntes pacis negotium perturbatum, miserunt de suis ad Comitem qui sibi dicerent in hæc verba: Domine, licèt procuratio nostra innuere videatur quòd sine vobis pacem cum Rege Franciæ non firmemus, de hoc tamen certi sumus, quòd si ad mittentes nos redierimus pace non firmata, non remanebunt nobis capita quæ in nostris capuciis ponere valeamus. Vnde constat nobis quòd nunquam de Francia recedemus donec inter nos & Regem concordia sit firmata. Comes autem hoc audito obstupuit, sciens quòd si Rex haberet pro se communias, statim perderet comitatum. Et Parisius rediens, omnes pactiones præhabitas confirmavit; & vallata fuit omnia juramento. Habebat autem Rex quatuor filias; quarum primam habebat Dux Burgundiæ uxorem, aliam Delphinus juvenis Viennensis, tertiam debebat habere juvenis Rex Castellæ, quartam Regina mater apud Longumcampum fecerat Minorissam; de qua credebatur quòd educta de monasterio Comitis Nivernensis filio traderetur, sed noluit mater sustinere. Et ideo tertia fuit dicto filio in uxorem data. Et dicto Comiti fuerunt comitatus Nivernensis & Restellensis sub conditionis restituti quòd supra nobiles & religiosos Nivernenses judicium non haberet, quoniam ab eo gravati ad Regem appellaverant, nec causa fuerat adhuc terminata, & quòd in comitatu Restellensi Comitissa, quæ erat heres, quam Dominus Comes repudiarat iniquè & sine causa, provisionem trium millium librarum haberet annis singulis cum arreragiis retroactis. Quo facto, fuit dies ad dictum complendum matrimonium assignata; ad quam dictus Comes veniens cœpit subterfugia frivola quærere & ambages. Propter quæ fuit ferè totum negotium dissipatum. Sed Cardinalis, qui ad hoc venerat, timens ne in vacuum laborasset, totis egit viribus quòd veniret dictum negotium ad effectum. Vnde in festo sanctæ Mariæ Magdalenæ fuit matrimonium celebratum.

Eodem anno circa principium orta est quædam commotio, cujus causa penitùs ignoratur. Nam quidam divulgarunt malitia exquisita quòd pastorelli debebant acquirere terram sanctam. Inter quos erat quidam Presbyter qui propter maleficia sua fuerat parrochia sua spoliatus, & quidam alius apostata à sancti Benedicti ordine; ad quorum exhortationem multi irrationabiliter concurrentes, etiam pueri sexdecim

sexdecim annorum & quatuordecim, custodes ovium & porcorum, dimissis pecoribus in campis & invitis parentibus, cum baculis & sine pecunia confluebant. Et facta est talium maxima multitudo; quorum aliqui propter eorum maleficia in carcere ponebantur. At alii cum multitudine venientes aperiebant carceres violenter, & eos contra justitiam liberabant. Venerunt igitur Parisius; ubi cùm eorum aliqui in sancti Martini de campis carcere propter eorum maleficia tenerentur, per eorum violentiam sunt extracti. Ad castelletum postea venientes Præpositum sibi resistere attentantem per quosdam gradus eum præcipitaverunt, unde graviter fuit collisus. Inde ad sanctum Germanum de pratis recepti sunt curialiter; & comperto quòd nullus ibi de sociis eorum tenebatur, recesserunt, & in prato quod dicitur scholarium se receperunt. Audierant enim quod Miles vigilum cum multitudine armatorum contra eos venire debebat, & ipsi ibi tutiùs se custodirent. Miles autem non venit, nescio quo consilio impeditus. Recesserunt itaque de Parisius versùs Aquitaniam procedentes, nec fuerunt in Francia per aliquem arrestati ex quo Parisienses eos recedere permiserant sic immunes. Ad partes verò venientes Aquitaniæ passim omnes Iudæos, quotquot invenire poterant, occidebant & bonis propriis spoliabant. Iudæi autem qui evadere poterant, de villa in villam ab eorum facie fugiebant. Tandem ad quoddam castrum in quo turris erat alta & fortis cum multitudine venientes, & à custode castri, quod erat Regis Franciæ, protectionis auxilium postulantes, in turri dicta de ejus licentia sunt recepti. Pastorelli verò protinus eos obsederunt, & illi se viriliter defendebant ligna super eos & lapides jacientes; sed propter hoc obsidio non cessavit. Cùm autem eos ligna & lapides defecissent, pueros loco lapidum projecerunt. Quod pastorelli videntes ignem in porta turris posuerunt, cujus fumus Iudæos mirabiliter affligebat. Videntes autem quòd evadere non poterant, malentes se occidere quàm ab incircumcisis sibi mors inferretur, dixerunt uni de suis qui fortior videbatur quòd omnes gladio jugularet; qui fere quingentos protinus interfecit, quibusdam tantum pueris reservatis. Qui descendens quod fecerat pastorellis nuntiavit, petens cum pueris baptizari. Cui illi: Tu in gentem tuam tantum flagitium perpetrasti, & effugies ita mortem? Statim membratim extitit laniatus. Parcentes pueris, ipsos fecerunt à fidelibus baptizari. Inde versùs Carcassonam processerunt. Sed custos patriæ his auditis fecit præconizari per villas in eorum itinere constitutas ut Iudæos tanquam Regis servos à pastorellorum violentia defensarent. Sed multi de interitu Iudæorum gaudentes dixerunt quòd pro infidelibus contra fideles se opponere non debebant. Quod videns custos exercitum congregavit imperans subditis sub pœna capitis ne præstarent favorem aliquem pastorellis. Quotquot autem de ipsis potuit invenire carceri mancipavit. Alii autem fugientes ab ejus facie sunt dispersi. Et procedens versùs Tolosam, per loca in quibus flagitia sua fecerant, hic viginti, & illic triginta, hic plus, hic minùs, patibulis & arboribus sunt suspensi. Et sic evanuit illa congregatio indiscreta.

Anno MCCCXXI. Rege Franciæ in Pictavia existente, extitit ei nuntiatum maleficium propter quod in Aquitania omnes leprosi sunt combusti. Ipsi siquidem sunt confessi quòd fontes & puteos infecerant illo fine ut omnes Christiani aut leprosi fierent aut citiùs morerentur, intendentes per totam Franciam & Germaniam suum male-

ficium dilatare. Et ad hujus confirmationem Dominus de Parteniaco sub sigillo suo misit Regi confessionem cujusdam magni leprosi qui de hoc in terra sua fuerat accusatus & recognovit quòd quidam dives Iudæus ad hoc eum induxerat & tradiderat potiones, & datis sibi decem libris promisit ei quòd ad corrumpendos aliquos leprosos magnam sibi pecuniam ministraret. Et cùm quæreretur ab eo recepta talium potionum, dixit quòd fiebant de sanguine humano & urina & tribus herbis quas noluit aut nescivit nominare. Ponebatur etiam in eis corpus Christi. Et cùm essent omnia desiccata, usque ad pulverem terebantur; qui missus in sacculis ligatis cum aliquo ponderoso, in puteis & fontibus jactabatur. Quapropter omnes leprosi sunt in Francia carceribus mancipati donec deliberatum esset quid fieret de eisdem. Et sic fuit ordinatum, quòd culpabiles igni traderentur, alii in leprosariis collocarentur nunquam exituri. Vnde autem ortum habuerit error iste à diversis diversimodè dicebatur. Verior tamen opinio videbatur quòd Rex Granatæ, qui frequenter per Dominum Petrum avunculum Regis Castellæ fuerat debellatus, volens se de Christianis sibi adversantibus vindicare, habuit colloquium cum Iudæis si per eos posset tale maleficium commode promoveri, promittens eis pecuniam infinitam & copiam potionum. Qui dixerunt quòd hoc per eos non poterat commode procurari, quia si fontes Christianorum & puteos frequentarent, suspecti protinus haberentur, sed per leprosos eorum, qui dejecti ab eis faciliter consentirent ad talia donis & promissis inclinati. Iudæi igitur majores leprosos ad colloquium vocaverunt, qui promissis & diaboli suggestionibus consenserunt catholicam fidem abnegare, & corpus Domini dictis potionibus miscuerunt, sicut plurimi eorum sunt confessi. Dicti igitur leprosi majores per omnes provincias & leprosarias christianitatis nuntios miserunt ut de qualibet aliqui ad certa loca mitterentur eorum consilium audituri. Fuerunt igitur per eos in quatuor partibus quatuor consilia congregata, nec fuit aliqua leprosaria de qua non adesset aliquis qui ceteris nuntiaret; exceptis duabus in Anglia, ut aliqui sunt confessi. Inter ea verò quæ leprosis promittebant hoc erat, quòd Christianis interfectis aut infectis, principatus & regna inter eos dividerentur. Et jam erant aliqua aliquibus assignata. Et quia multi Iudæi sunt inventi culpabiles in hoc facto, in pluribus partibus omnes sine differentia sunt combusti. Parisius autem soli culpabiles,& alii sunt exilio perpetuo condemnati, quibusdam ditioribus reservatis donec debita omnia recuperaverint & centum quinquaginta millia librarum solverint fisco, & postea perpetuò extra regnum exulabunt.

Hoc anno per summum Pontificem quædam nova positio fuit reprobata, & auctor vel principalis positor hujus ad curiam papalem vocatur; qui cum aliis quibusdam asserebat quòd illi qui confessi erant fratribus Prædicatoribus & Minoribus & ab eis absoluti, eadem peccata propriis sacerdotibus confiteri iterum tenebantur. Et hoc determinaverat in scholis publicis magister Iohannes de Polliaco Doctor in theologia natione Picardus, & in publico prædicavit. Quapropter multi à dictis fratribus declinabant. Papa igitur ad omnes Prælatos Ecclesiæ misit litteras bullatas in hæc verba. *Iohannes Episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, ac dilectis filiis electis ad quos præsentes litteræ pervenerint salutem & apostolicam benedictionem. Vas electionis doctor eximius & egregius prædicator &c.* ut in Extravag. comm.

Eodem anno circa principium Augusti Dominum Regem Franciæ Philippum duplex gravis arripuit ægritudo, scilicet dyssenteria & quartana, quæ nunquam potuerunt curari auxilio medicorum, sed per quinque menses jacuit continuè in languore. Tandem tertia die sequentis Ianuarii ante noctis medium expiravit, receptis priùs devotè omnibus ecclesiasticis sacramentis, & die epiphaniæ sequenti in abbatia sancti Dionysii est sepultus. Mortuo Rege, ut dictum est, successit ei in regno sine controversia aliqua Dominus Karolus Comes Marchiæ frater ejus.

Eodem anno Papa commiserat Episcopis Parisiensi & Belvacensi & magistro Gaufrido de Plessiaco Notario Romanæ curiæ & Decano Parisiensi ut ipsi inquirerent de matrimonio quod olim dictus Rex novus Franciæ cum Blancha filia Comitissæ Attrabatensis, quæ in castro Gaillardi tenebatur, contraxerat, utrum inveniretur aliquod in contractu impedimentum per quod posset judicari matrimonium nullum esse. Quam inquestam diligenter factam summo Pontifici transmiserunt. Et anno MCCCXXII. in vigilia Ascensionis Papa sufficienter informatus quòd dicta Comitissa Attrabatensis dictæ Blanchæ mater de fonte levaverat dictum Regem, quare fuit spiritualis cognatio contracta inter Regem & prolem dictæ spiritualis matris, pro qua sine dispensatione non poterant matrimonialiter copulari, etiam quia in dicto contractu fuit dispensatio prætermissa, Papa sententiavit in publico consistorio nullum esse.

Postea quidam addidit.

Papa Iohannes in Avinione moritur quarta mensis Decembris, pontificatus sui anno decimo nono. Vacavitque sedes diebus XVI.

SECVNDA VITA IOANNIS XXII.

Auctore Bernardo Guidonis Episcopo Lodovensi.

IOHANNES XXII. de Caturco civitate natus, electus fuit in summum Pontificem in conventu fratrum Prædicatorum Lugduni VII. Idus Augusti, in sabbato, dominicæ incarnationis anno millesimo trecentesimo decimo sexto. Erat autem Cardinalis Episcopus Portuensis. Fuitque coronatus more Pontificum Romanorum Lugduni in Ecclesia cathedrali Nonis Septembris, Dominica prima ejusdem mensis. Hic priùs vocabatur Iacobus, & exinde Iohannes vocatum est nomen ejus. Fuerat autem priùs Episcopus Forojuliensis in provincia Aquensi, & inde translatus factus fuit Episcopus Avinionensis, & inde assumptus factus est Cardinalis; & sic gradatim ascendendo, tandem assumptus est ad papatum.

Hic de Lugduno circa finem mensis Septembris recedens pervenit Avinionem secunda die mensis Octobris in sabbato, ubi cum curia sua sedit. Et in sequentibus jejuniis quatuor temporum in adventu Domini, feria sexta, scilicet XVI. Kalendas Ianuarii, fecit unam ordinationem octo Cardinalium, quos assumpsit; qui fuerunt, Bernardus de Castaneto dudum Albiensis, tunc verò Aniciensis Episcopus, Iacobus de Via nepos ipsius Papæ ex

sorore, Gaucelmus Iohannis de Caturco Vicecancellarius, Bertrandus de Poieto diocesis Caturcensis, Petrus de Reblayo Gallicus Cancellarius Regis Franciæ, Bertrandus de Montefaventio Caturcensis, Galhardus de Mota Vasco natione, Iohannes Gaietani Romanus de Vrsinis.

Hic Dominus Iohannes Papa pontificatus sui anno primo apud Avinionem canonizavit & sanctorum confessorum catalogo annotavit sanctum Ludovicum Episcopum Tolosanum, filium quondam Karoli secundi Siciliæ Regis, VII. Idus Aprilis, dominicæ incarnationis anno millesimo trecentesimo decimo septimo.

Eodemque anno, defuncto præfato Domino Iacobo de Via Cardinali, fecit Cardinalem Dominum Arnaldum de Via germanum ejusdem circa festum sancti Iohannis Baptistæ.

Eodem quoque anno, tam in mense Iulii quàm Augusti, Ecclesiam cathedralem Tolosanam sancti Stephani erexit in archiepiscopalem sedem, primumque Archiepiscopum instituit in eadem Dominum Johannem de Convenis. Diocesim verò Tolosanam, quæ in redditibus episcopalibus plurimùm abundabat, in sex episcopatus divisit, quorum Episcopi essent suffraganei Archiepiscopi Tolosani; sexque villas in novas civitates erexit, videlicet villam Montisalbani, villam de Rivis, villam & abbatiam de Lomberiis, villam cum abbatia de sancto Papulo, villam de Vauro, villam de Mirapisce, Episcopos ac episcopales sedes constituens in singulis earundem; fueruntque consequenter jussu & ordinatione ejusdem summi Pontificis dioceses certis terminis limitatæ. Item in archiepiscopatu Narbonensi duos episcopatus fieri ordinavit, quorum primum & priùs posuit in Limoso, & Episcopum instituit in eodem, sed paulò pòst sedem inde transtulit ad abbatiam de Electo. Secundum verò episcopatum instituit infra annum, & sedem ejus posuit in abbatia sancti Pontii; fueruntque dioceses limitatæ consequenter. Item episcopatum Albiensem divisit in duos, episcopalem sedem instituens in abbatia monachorum apud Castras, villam Castrensem in novam erigens civitatem. Item episcopatum Agennensem divisit in duos; villamque Condomiensem in novam erigens civitatem, episcopalem sedem posuit in abbatia sancti Petri de Condomio; fuitque consequenter diocesis limitata. Item in episcopatu Lemovicensi alium fieri ordinavit, Episcopumque & sedem episcopalem constituit in abbatia Tutellensi, novam ibidem erigens civitatem. Item in episcopatu Petragoricensi, in villa de Sarlato, modo consimili, in novam erigens civitatem, in abbatia instituit novam sedem. Item in episcopatu Clarimontis in villa sancti Flori novam instituens civitatem, consimiliter instituit novam sedem. Item in episcopatu Ruthenensi episcopatum alium ordinavit, sedemque ejus posuit in abbatia ac villa de Vabro, eandem in novam erigens civitatem. Item in episcopatu Pictaviensi duos episcopatus alios instituit, sedem propriam & diocesim novam cuilibet assignando. In abbatia siquidem de Mallesio sedem esse constituit, & Malleacensis diocesis appellatur. In villa verò de Lucionio in abbatia sedem posuit, & Lucionensis diocesis nominatur. Item in nonnullis villis in Tolosano, Carcassesio, Albigesio, & alibi instituit collegiatas Ecclesias Canonicorum secularium cum dignitatibus & præbendis, redditibus singulis Ecclesiis assignatis. In Montealbano siquidem collegiatam Ecclesiam instituit cum Decano & Canonicis, qui unà cum monachis abbatiæ dicti loci, ubi sedes est episcopalis, ad electionem de Episcopo faciendam con-

venirent. Item in Castro novo de Arrio collegiatam Ecclesiam instituit cum Decano & Canonicis, qui unà cum monachis sedis episcopalis sancti Papuli concurrerent ad electionem Episcopi celebrandam. Item in Ecclesia sancti Pauli de Fenolhedesio diocesis Electensis collegiatam Ecclesiam instituit cum Decano, Canonicis, & præbendis, qui unà cum monachis sedis Electensis concurrerent ad electionem Episcopi celebrandam. Item in villa de Burlato Albigesii collegiatam Ecclesiam instituit cum Decano & Canonicis, qui unà cum monachis sedis cathedralis Castrensis concurrerent ad electionem Episcopi celebrandam. Item in villa de Insula Iordani diocesis Tolosanæ, & in villa sancti Felicis ejusdem diocesis, & in castro Montisfregalis Carcassonensis diocesis, collegiatas Ecclesias instituit cum Decanis & Canonicis & præbendis.

Item anno Domini MCCCXVII. in mense Novembris, pontificatus sui anno secundo, fecit publicari & cum bulla papali ad studia generalia destinari constitutiones quas Clemens prædecessor ejus fecerat, quæ Clementinæ vocantur, & nondum fuerant ad generalia studia destinatæ, sed usque tunc steterant in suspenso.

Item anno dominicæ incarnationis MCCCXVII. idem Dominus Papa, post gravem dissensionem & turbationem subortam in ordine Grandimontis, ad sedandum eandem ordinavit & statuit ut ipse prioratus Grandimontis, qui totius ordinis noscitur esse caput, abbatia deinceps censeatur, & Abbatis ejusdem electio pertineat ad conventum, & in triginta novem domibus ejusdem ordinis sint prioratus collegiati, & Priores à collegio eligantur, & ad Abbatem pertineat confirmatio eorundem. Actum est hoc elapsis jam tunc temporis annis ducentis quadraginta ab exordio ordinis computando.

Hic Dominus Iohannes anno Domini MCCCXVIII. in mense Augusti archiepiscopatum Tarraconensem, qui unus tantùm erat in regno Arragoniæ, divisit & constituit esse duos, sedem Cæsaraugustanam episcopalem in archiepiscopalem erigens pro secundo, quinque sibi suffraganeis Episcopis designatis ex illis undecim quos priùs Tarraconensis metropolis obtinebat, sex priori suffraganeis reservatis.

Item anno Domini MCCCXIX. pridie Idus Martii instituit novum ordinem qui diceretur de militia Iesu Christi in regno Portugalliæ ad resistendum in regione illa infidelibus Sarracenis, secundùm regulam & instituta Calatravensis ordinis.

Item anno Domini MCCCXIX. æstatis tempore veterem abbatiam Montis Cassini sancti Benedicti Abbatis in novam sedem episcopalem erexit, primumque Episcopum instituit in eadem.

Hic Dominus Iohannes Papa anno Domini MCCCXX. XV. Kalendas Maii, pontificatus sui anno quinto, apud Avinionem canonizavit & sanctorum confessorum catalogo annotavit sanctum Thomam Anglicum quondam Episcopum Herfordensem, à felici ejus transitu ex hoc mundo anno trigesimo octavo.

Hic quoque Dominus Iohannes anno Domini MCCCXX. XIII. Kalendas Ianuarii, feria sexta in jejuniis quatuor temporum adventus, fecit ordinationem unam septem Cardinalium, quos assumpsit, videlicet Reginaldum la Porta de Alassaco Lemovicensis diocesis Archiepiscopum Bituricensem, fratrem Bertrandum de Turre de Cambolico Caturcensis diocesis, de ordine fratrum Minorum, magistrum in theologia, Archiepiscopum Salernitanum, Petrum de Prato diocesis Caturcensis Archiepiscopum Aquensem, Simonem

de Archiaco diocesis Santonensis electum Viennensem, Pilum Fortem de Rapistagno de sancto Georgio prope fluvium Tarni diocesis Albiensis, Episcopum Rivensem, Petrum Textoris de sancto Antonino diocesis Caturcensis, Vicecancellarium curiæ, Raimundum de Rufo de Caturco civitate.

Anno verò dominicæ incarnationis MCCCXXII. in mense Augusti idem Dominus Papa suspendit sententiam excommunicationis ac pœnas alias contentas in constitutione Nicolai Papæ tertii edita super regula fratrum Minorum, quæ incipit *Exiit qui seminat*, extra de verborum significat. libro sexto, contra glosantes vel aliter exponentes nisi grammaticaliter, aut determinantes in scholis, seu prædicantes, aut docentes.

Hic Dominus Papa pontificatus sui anno septimo, dominicæ verò incarnationis MCCCXXIII. XV. Kalend. Augusti apud Avinionem canonizavit & sanctorum confessorum catalogo ascripsit sanctum Thomam de Aquino de ordine fratrum Prædicatorum, Doctorem egregium, anno quinquagesimo decurrente à felici ejus transitu de hoc mundo.

Item eodem anno Domini MCCCXXIII. pridie Idus Novembris ad perpetuam rei memoriam perpetuo declaravit edicto quòd pertinaciter affirmare quòd Christus & ejus Apostoli nihil habuerunt in speciali nec etiam in communi hæreticum sit censendum, assertionemque hujusmodi pertinacem deinceps esse erroneam & hæreticam diffinivit, cùm contradicat scripturæ sacræ, quæ in plerisque locis ipsos nonnulla habuisse testatur. Item pertinaciter affirmare quòd Christo ejusque Apostolis in his quæ ipsos habuisse scriptura sacra testatur nequaquam jus ipsis utendi competierit, nec vendendi illa seu donandi jus habuerint aut ex ipsis alia acquirendi, deinceps fore erroneum & hæreticum declaravit, cùm scriptura sacra testetur ipsos præmissa fecisse seu facere potuisse supponat expressè, cùm talis assertio usum ipsorum evidenter includat in præmissis fuisse non justum. quod utique de salvatore nostro sentire nefas est & scripturæ sacræ contrarium & doctrinæ catholicæ inimicum. Prædictamque declarationem & diffinitionem apostolicam cum bulla sua ad generalia studia destinavit.

Hic quoque summus Pontifex anno Domini MCCCXXV. sabbato primo quadragesimæ, videlicet VI. Idus Februarii, reprobavit & sententialiter condemnavit in consistorio quandam pestiferam postillam fratris Petri Iohannis de Serinhano diocesis Biterrensis de ordine fratrum Minorum continentem dogma pestiferum & articulos erroneos & hæreticos, è qua sumebat fomentum secta quædam pestifera illorum qui Beguini vulgariter appellantur, qui se fratres pauperes de tertio ordine sancti Francisci communiter nominabant; ex quibus plures fuerunt tanquam hæretici condemnati & combusti.

Hic Dominus summus Pontifex pontificatus sui anno duodecimo, dominicæ incarnationis MCCCXXVII. feria sexta in jejuniis quatuor temporum adventus, videlicet XV. Kalend. Ianuarii, fecit tertiam ordinationem decem Cardinalium, quos assumpsit, videlicet Iohannem de Convenis Archiepiscopum Tolosanum, Anibaldum Gaitani Romanum Archiepiscopum Neapolitanum, Iacobum Cisterciensis ordinis, magistrum in theologia, Episcopum Mirapiscensem, Raimundum Ruthenensis diocesis Episcopum sancti Papuli, Petrum de Mortuomari Lemovicensis diocesis Episcopum Autissiodorensem, Petrum de Capis Episcopum Carnotensem, fratrem Mat-

thæum de Vrsinis Romanum, de ordine Prædicatorum, magistrum in theologia, Archiepiscopum Sipontinum, Petrum de Toleto Hispanum Episcopum Carthaginis vel Murciæ, Iohannem de Columna Romanum, Imbertum de Puteo de Montepessulano.

Hic summus Pontifex plures constitutiones edidit utiles & salubres.

Hic quoque contra Ludovicum Ducem Bavariæ, qui in contradictione in Imperatorem electus fuerat, sed ejus electio per sedem apostolicam, sicut est moris & juris, non fuerat approbata, & pro Imperatore se gerebat, multos fecit processus per temporum debita intervalla cum publicis & peremptoriis citationum edictis; qui tamen non duxit comparendum nec juri parendum; fuitque tandem per eundem summum Pontificem privatus jure, si quod sibi ratione talis electionis competierat aut competebat, necnon excommunicatus, & fautor & defensor hæreticorum adjudicatus. Qui Ludovicus pravo usus malorum consilio contra eundem summum Pontificem Vicarium Domini Iesu Christi & adversùs apostolicam sedem & Ecclesiæ unitatem multipliciter & barbaricè se erexit; veniensque Romam, quendam Pseudoantipapam Romæ fieri fecit legibus & ordine perversis & execratis orationibus execrari potiùs quàm sacrari sub anno dominicæ incarnationis MCCCXXVII. in mense Maii: cui Antipapato ipse Ludovicus reverentiam exhibuit tanquam summo Pontifici, & tanquam Papam manutenuit & deduxit in grave scandalum Ecclesiæ Domini Iesu Christi.

Præfatus Pseudoantipapa fuit frater Petrus Rainallucii de Corbario Reatinæ diocesis, de ordine fratrum Minorum; qui antequam habitum ejusdem ordinis assumeret, uxorem habebat Iohannam Matthæi de Corbario, cum qua cohabitaverat conjugaliter annis quinque, & rupto fœdere conjugali, ipsa vivente & invita, spreta fide conjugii, ad fratres Minores se contulit, & habitum eorum sumpsit, & beati Francisci regulam est professus. Hic Petrus de Corbario, spreta tam religionis quàm catholicæ fidei professione, profanæ & insanæ electioni in Antipapam manum dedit & animum, & se Nicolaum Papam quintum à suæ partis consortibus voluit nominari; cœpitque sinuando agere & se gerere tanquam Papa Romanus in ipsa urbe in opprobrium dictæ urbis; fecitque Cardinales secum complices in vesania, & conatus est scindere Ecclesiæ unitatem, utpote minister & membrum Antichristi. Præfata autem Iohanna uxor ejus ipsum repetiit in judicio coram Episcopo Reatino oblato libello: pro qua Iohanna contra prædictum Petrum per Dominum Iohannem Episcopum Reatinum lata fuit sententia publicè, servato juris ordine, penultima die mensis Novembris anno dominicæ incarnationis MCCCXXVIII. sicut in transsumpto sententiæ pleniùs legimus contineri.

Quoniam autem tam præfatus Ludovicus Bavarus quàm æterna miseria dignus prædictus Petrus de Corbario de secta Nicolaitarum, quam Iohannes in Apocalypsi odibilem describit, adhuc in malitia perseverat & debacchatur in pejus, & nondum venit finis malorum suorum, idcirco in præsenti, scilicet inchoante jam anno dominicæ incarnationis millesimo trecentesimo vigesimo nono, distulimus scribere longiorem narrationis seriem suo post tempore scribendorum.

Præfatus itaque frater Petrus Rainallucii de Corbario, à patre suo rustico & paupere sic agnominatus, postquam fuit per dictum Ludovicum Bavarum inthronizatus in urbe, sicut præmissum est, stetit in eadem urbe Romana à Kalendis Maii usque ad

quartam diem sequentis mensis Augusti cum eodem Bavaro. Qua die idem Bavarus compulsus urbem exivit cum suo Antipapa, gressus suos ad civitatem Viterbiensem tanquam fugitivi pariter dirigentes. Tandem per maritimam cum multis infortuniis ad civitatem Pisanam pervenerunt, receptique fuerunt à Pisanis; ubi dictus Petrus Antipapa resedit & curiam suam tenuit in palatio archiepiscopali donec prædictus Bavarus civibus Pisanis odiosus effectus inde exivit. Qui ibidem dimisit Vicarium loco sui quendam Tarlatum nomine; qui post recessum dicti Bavari de civitate Pisana, callidè cogitans sibi appropriare dominium civitatis, de voluntate civium Pisanorum, qui erant de tyrannide Bavari gravati multipliciter & afflicti, cœpit tractare de pace cum parte Ecclesiæ & civibus Florentinis; & tunc dederunt commeatum prædicto Petro Antipapæ ut inde recederet & abiret. Cùmque peteret à prædicto Tarlato ut sibi provideret de securo conductu donec pervenisset ad Bavarum, qui adhuc erat in partibus Lombardiæ, denegavit Tarlatus. Et tunc prædictus Antipapa secretiùs dedit se ipsum in manibus Bonifacii Comitis Novelli de Donairatico Pisani. Et ipse Bonifacius fecit eum de nocte occultè duci cum quodam suo Anticardinali fratre Paulo de ordine fratrum Minorum ad unum castrum suum in maritima quod vocatur castrum de Burgari, quod distat à civitate Pisana per triginta quinque milliaria; ubi cum prædicto Paulo Anticardinali occultus latuit circiter per tres menses. Verùm cùm cives Florentini quacunque ex causa duxissent exercitum gentis suæ versùs partes illas, dubitans & timens dictus Bonifacius Comes ne hoc facerent ut prædictum Antipapam scirent ibi latere & quærerent ipsum habere, fecit eum quanto potuit occultiùs reduci ad domum suam in civitate Pisana, ubi tenuit eum absconditum & occultum usque ad quartam diem mensis Augusti sub anno Domini millesimo trecentesimo trigesimo. Dum autem sic teneretur occultus per dictum Bonifacium, per quandam personam cœpit paulatim negotium detegi & secretiùs illis qui erant pro parte Ecclesiæ revelari, & obstetricante manu Episcopi Lucani actum fuit cum præfato Bonifacio multis modis ut ipsum detegeret & redderet. Qui à principio negavit penitùs se ipsum eundem habere. Sed tandem post multos tractatus habitos cum eodem & amicis suis, expositis sibi malis & periculis quæ, nisi ipsum detegeret & redderet, sibi & suæ domui imminebant, saniori usus consilio acquievit ipsum reddere, & intimavit Domino Papæ se eundem Antipapam redditurum juxta suum beneplacitum & mandatum. Et tunc Dominus Papa per certum nuntium suas transmisit litteras apostolicas Archiepiscopo Pisano & præfato Episcopo Lucano quatenus dictum Antipapam reciperent à Bonifacio supradicto, & si certos articulos in litteris Apostolicis expressos abjuraret, & vellet redire ad Ecclesiæ unitatem, ipsum possent absolvere à sententiis excommunicationum quibus erat ligatus. quod & factum fuit. Sicque fuit positus in galea in portu Pisano, & traditus clerico Domini Papæ ad hoc destinato cum pluribus armatis & conductu securo in vigilia beati Dominici anno Domini MCCCXXX. sicque deductus est tam per mare usque Massiliam quàm per terram; per provinciam Provinciæ transeundo, errores suos in villis publicè recognoscendo. Vbique autem in toto itinere ab omnibus populis in villis & civitatibus maledicebatur eidem Antipapæ. Perductus est igitur prædictus Antipapa anno & mense

immediatè

immediatè præscriptis apud Avinionem ad præsentiam Domini Iohannis Papæ XXII. & Cardinalium, & coram eodem summo Pontifice & Cardinalibus publicè in consistorio pluribus astantibus confessus est & recognovit in judicio ore proprio & in scriptis, & etiam cum publicis tabellionum instrumentis, errores suos devios, in quibus inciderat. Quos ut propriùs explicemus, verbis confessionis suæ utentes, in sequentibus duximus explicandos, non ad sequendum eos, sed magis ad abhorrendum eosdem & præcavendum futuris temporibus cunctis fidelibus, prout ex littera apostolica sub vera bulla plumbea Prælatis directa eos collegimus & vidimus contineri, quibusdam paucis verbis decisis studio brevitatis.

CONFESSIO ANTIPAPÆ.

IN nomine Dei patris omnipotentis & filii & spiritus sancti. Quoniam juxta doctrinam sapientis ocultanti scelera sua denegatur denedictio, purè autem confitenti & ea penitùs deserenti est misericordia repromissa, idcirco ego frater Petrus de Corbario, de ordine fratrum Minorum, sceleratissimus peccatorum, hoc considerans & attendens, volens in viam veritatis, quam iniquè deserui, dirigi & misericordiam & gratiam invenire, quamvis nuper Pisis existens coram Reverendis Patribus Domino Simone Archiepiscopo Pisano & Domino Guillelmo Episcopo Lucano & discreto viro magistro Raimundo Stephani clerico papalis cameræ & apostolico nuntio, præsentibus quoque multis Prælatis aliis ac religiosis & nobilibus ac popularibus civitatis Pisanæ, errores meos & scelera spontaneè cum ingenti cordis amaritudine confessus fuerim, & à præfatis Archiepiscopo & Episcopo auctoritate apostolica per litteras apostolicas patentes eis in hac parte concessa, recepta priùs confessione mea & abjuratione errorum meorum, & præstito juramento de stando & parendo mandatis apostolicis, beneficium absolutionis habuerim ab omnibus sententiis juris & hominis, nihilominus tamen adhuc errores meos & scelera mea in præsentia sanctitatis vestræ Domini Iohannis superna providente clementia summi Pontificis, veri & unici Domini nostri Iesu Christi in terris Vicarii, ac Ecclesiæ sacrosanctæ catholicæ, & in præsentia sacri vestri collegii Dominorum Cardinalium constitutus intendo & volo recognoscere & abjurare errores meos & alia facere quæ vestra sanctitas duxerit ordinanda. In primis itaque confiteor & cum ingenti amaritudine animi recognosco quòd cùm seductor ille schismaticus & hæreticus manifestus Ludovicus de Bavaria, dudum jure, si quod sibi quæsitum fuerat ex electione discordi de ipso in Regem Romanorum celebrata, justè privatus fuisset per sedem apostolicam & eandem sanctitatem vestram, ac ut hæreticus & fautor hæreticorum notorius de multis hæresibus & fautoriis hæreticorum ac schismatiibus condemnatus, ad urbem Romam imbutus diabolico spiritu pervenisset, religiosus vir minister Romanæ provinciæ ordinis fratrum Minorum ac Dominus Iohannes Dei gratia sancti Theodori Diaconus Cardinalis sedis apostolicæ & sanctitatis vestræ Legatus pro majori observatione interdicti, cui tunc erat per vos, sanctissime Pater, supposita urbs prædicta, ejusdem Ludovici adventu percepto, mihi & aliis fratribus in eadem urbe morantibus sub virtute obedientiæ & excommunicationis pœnis, quas non parentes ipso facto incurrerent, publicè injunxissent ut dictam urbem omnes & singuli exiremus, ego infelix peccator præceptis hujusmodi non

obstantibus in eadem urbe præsente dicto pessimo hæretico & schismatico Ludovico, & assistentibus ei pluribus aliis schismaticis & hæreticis condemnatis & reprobatis per sanctitatem vestram & Ecclesiam sanctam Dei, pertinaciter remanere præsumpsi, & in ea, licèt esset justè & sanctè per vos ecclesiastico interdicto supposita, celebravi divina sæpius, immo, quantum in me fuit, veriùs prophanavi. Deinde cùm idem perfidus Ludovicus datus in sensum reprobum se de facto fecisset in Imperatorem à certis perfidis coronari, & contra vos, beatissime Pater, diabolicam & iniquissimam depositionis immo verò abusionis promulgasset sententiam & processus diversos falsos & temerarios & injustos, meque ad quorundam infidorum principalium Romanorum clericorum & laicorum instantiam ejus sequacium unà cum certis de clero & populo perfidis ejus complicibus & fautoribus ad hoc secum vocatis in Papam & summum Pontificem immo veriùs Antipapam damnatum & pestiferum elegisset, ego miser inductus immo seductus fui suis & multorum tam clericorum quàm laicorum ejus fautorum & sequacium dictæ urbis precibus importunis & perniciosis instantiis ac infestis falsò & erroneè asserentium quòd Papam Imperator deponere poterat & loco depositi alium ordinare, & quòd per consequens eidem hæretico & schismatico Ludovico, qui tunc in futurum & falsum Imperatorem denuo se coronari de facto fecerat, & vos, Pater beatissime, abusivè deposuerat, hoc licebat, mea superbissima elatione more Luciferi ambitioneque damnabili nihilominus excœcatus, hujusmodi electioni tam nefandæ quàm reprobæ immo nulli malitiosè consensum meum temerarium & omni pœna dignissimum non erubui adhibere, ac subsequenter consecrari immo execrari ab hæretico & schismatico Iacobo dudum Castellano Episcopo excommunicato & deposito & coronari à dicto Ludovico de Bavaria hæretico me permisi, licèt ad eum, etiamsi verus Imperator existeret, sicut re vera non erat, egoque verè essem Papa, sicut in veritate non eram, sed Antipapa potiùs schismaticus, hæreticus, & iniquus, nequaquam talis coronatio pertineret. Item quod Cardinales immo veriùs Anticardinales & omnes officiales quos verus Papa est habere solitus de facto ordinare præsumpsi, bullamque more Papæ, licèt essem reprobus & damnatus, fieri feci & habui, eaque falsò usus fui temerè & iniquè. Et ut statum meum pravissimum & Ludovici prædicti damnati ac falsas opiniones hæretici & schismatici Michaelis de Cæsena dudum ministri generalis ordinis fratrum Minorum, scilicet quòd Christus & ejus Apostoli in his quæ habuisse dicuntur non habuerunt nisi tantùm usum facti simplicem, possem fortiùs & promptiùs stabilire, Dei timore postposito, extendens ad omnia illicita manus meas, processus & depositionis sententiam Ludovici prædicti hæretici manifesti contra vos, sanctissime Pater, habitam & etiam fulminatam, supplens omnem defectum, si quis esset in ipsis, ex certa scientia & de plenitudine potestatis, non solùm illos confirmare & mei scripti communire patrocinio non erubui, sed etiam denuo sententiare, pronuntiare, declarare publicè omnia & singula in processibus promulgata præsumpsi. In quibus quidem processibus Ludovicus prædictus pronuntiabat fore hæreticum & scripturæ sacræ contrarium dicere quòd Christus & Apostoli in his quæ habuisse leguntur habuerunt aliud quàm simplicem usum facti. Ex qua quidem pronuntiatione evidenter concluditur ipsum & me etiam ex

confirmatione, pronuntiatione, & prædicatione prædictis in damnatam hæresim per constitutionem vestram apostolicam de fratrum vestrorum promulgatam consilio incidisse. Et nihilominus ad diversos Reges & Principes meas litteras destinavi; per quas ad eorum notitiam deducebam quomodo vos, Pater beatissime, cui multa falsa, hæretica, & erronea in eisdem litteris imponebam, suggerentibus dictis hæreticis sceleratis Ludovico ac Michaele, ac juxta votum suum ordinantibus, per eundem Ludovicum ac per me fueratis depositus & sententialiter condemnatus, eosdem Reges & Principes exhortando nihilominus & rogando quòd vobis tanquam Papæ non parerent in aliquo, nec favores aliquos exhiberent, sed contra vos potiùs mihi & dicto Ludovico præberent auxilium, consilium, & favorem. Nec his contentus, tam in urbe quàm in pluribus civitatibus & locis aliis clericos seculares & regulares compulit ut non obstante interdicto cui per vos, sanctissime Pater, erant supposita loca ipsa, in eisdem celebrarent, immo veriùs, quantum erat in me, prophanarent divina. Tallias quoque in Ecclesiis imposui tam in urbe quàm alibi, pro quibus calicibus ornamentis, & nonnullis rebus aliis ipsas Ecclesias spoliavi. Fideles insuper prælatos nonnullos ac alios clericos in dignitatibus & beneficiis aliis ecclesiasticis constitutos suis privavi prælationibus, dignitatibus, & beneficiis aliis ecclesiasticis, in illis præficiendo vel hæreticos vel schismaticos vel eorum fautores, & plerunque non absque simoniaca pravitate; quibus etiam, illis scilicet quorum hoc prælatio requirebat, de facto, cùm de jure non possem, per me vel per alium munus consecrationis immo veriùs execrationis impendi. Contra fratres quoque Minores non parentes Michaeli prædicto tanquam generali ministro, qui tum depositus erat justè, & condemnatus de hæresi, hæreticus ac schismaticus declaratus, & alius per generale capitulum in generalem concorditer assumptus, & contra servantes interdicta per vos vel Legatos seu officiales vestros alios promulgata utroque, spirituali videlicet & temporali, gladio procedere non expavi, eidem Michaeli & sequacibus suis hæreticis & schismaticis impertiendo injustè & temerè auxilium & favorem, indulgentias insuper & dispensationes sedi apostolicæ reservatas concedendo de facto & etiam faciendo. Nonnullis quoque qui pro Pontificibus se gerebant commisi ut sacros ordines celebrarent; in quibus ordinibus plures, ut credo, ad sacros ordines promoverunt temerè, cùm eis virtute præfatæ licentiæ non liceret. De patrimonio quoque beati Petri in nonnullis locis ad tempus & interdum in perpetuum disponere non expavi. Hæc omnia & plura alia contra Deum & sanctam catholicam Ecclesiam ac vos, beatissime Pater, verum & unicum Iesu Christi Vicarium recognosco & confiteor nulla fore & cassa & inania, velut ab illo cui ea faciendi non competebat jus aliquod attentata, quòdque quantum ad me spectare potest, quatenusque processerunt de facto, revoco & nulla fore & fuisse pronuntio & declaro. Confiteor insuper me credere & tenere fidem illam quam sancta Romana Ecclesia tenet ac vos, Pater beatissime, tenetis, prædicatis, atque docetis.

Post hæc autem facta confessione prædicta in judicio, abjuravit omnes & singulos errores & articulos erroneos supradictos expressim & singulatim, & juravit parere mandatis Ecclesiæ & Domini Papæ, petens misericordiam & absolutionem à vinculis excommunicationum & reintegrati

ecclesiasticæ unitati, à qua deviaverat. Fuitque per eundem Dominum Papam absolutus & reintegratus ecclesiasticæ unitati, reservata ordinatione & declaratione pœnitentiæ sibi injunctæ pro præmissis. De quibus omnibus & singulis fuerunt ad æternam rei memoriam facta publica instrumenta. Datum Avinioni VIII. Idus Septembris, potificatus præfati Domini nostri Papæ anno XV. dominicæ incarnationis MCCCXXX. Quibus peractis præfatus Petrus fuit clementer & misericorditer susceptus ad pœnitentiam & positus in decenti custodia ad cautelam, ut probaretur an ambularet in tenebris vel in luce. Ibique hodie quo hæc scribimus tractatur ut familiaris, sed custoditur ut hostis.

TERTIA VITA
IOANNIS XXII.

Auctore Bernardo Guidonis Episcopo Lodovensi.

IOANNES XXII. de Caturco civitate oriundus ex patre Arnaldo fuit electus in summum Pontificem VII. Idus Augusti in sabbato anno Domini MCCCXVI. in conventu fratrum Prædicatorum Lugduni, ubi Cardinales XXIII. numero, postquàm à Carpentorate civitate ob gravem & grandem turbationem & commotionem à conclavi quod priùs intraverant exeuntes discesserant, & dispersi in diversis civitatibus & villis steterant annis ampliùs quàm duobus, tandem congregati fuerunt pariter & inclusi diligentia, arte, & ingenio Domini Philippi tunc Comitis Pictaviæ germani Regis Franciæ Ludovici, cui successit in regno Franciæ, qui ad hoc antea anno ferè dimidio laboraverat multis modis, cùm non potuissent in unum locum aliàs congregari. Et quadragesima die ab inclusione ipsorum, quæ facta fuit in vigilia Apostolorum Petri & Pauli, ipsis tamen quòd tunc deberent includi nescientibus pariter & invitis, tandem tractatu præhabito in præfatum Dominum Iohannem omnes pariter consenserunt. Erat autem Cardinalis Episcopus Portuensis, & Iacobus vocabatur, sed Iohannes exinde vocatum est nomen ejus; fuitque coronatus more Pontificum Romanorum cum honore sollemni Nonas Septembris, Dominica prima ejusdem mensis, Lugduni in Ecclesia cathedrali.

Hic priùs fuit Episcopus Forojuliensis in provincia Aquensi annis XI. & exinde translatus factus fuit Episcopus Avinionensis per Clementem Papam V. anno MCCCX. ac deinde assumptus fuit in Cardinalem per eundem Clementem sabbato in jejuniis quatuor temporum adventus anno Domini MCCCXII. apud Avinionem, ubi tunc curia morabatur, & tandem ex cardinalatu assumptus est ad papatum. De Lugduno verò circa finem mensis Septembris sabbato recedens, pervenit Avinionem secunda die Octobris in sabbato, ubi priùs futuram curiam publicè fecerat proclamari.

Hic fecit unam ordinationem octo Cardinalium, quos assumpsit apud Avinionem feria sexta in jejuniis quatuor temporum adventus, scilicet XVI. Kalendas Ianuarii, anno Domini MCCCXVI. quorum nomina sequuntur. Dominus Bernardus de Castaneto dudum Albiensis, tunc verò Aniciensis Episcopus, quem fecit Episcopum

Portuensem, & nihilominus episcopatum Aniciensem tenendum commendavit eidem anno XLI. episcopatus sui tunc ferè completo. Item Dominus Iacobus de Via de Caturco civitate, nepos Papæ ex sorore, electus tunc Avinionensis, quem fecit Presbyterum Cardinalem tituli sanctorum Iohannis & Pauli, & sibi episcopatum Avinionensem tenendum pariter commendavit. Item Dominus Gaucelmus Iohannis de Caturco civitate, tunc Vicecancellarius, Presbyter Cardinalis tituli sanctorum Marcellini & Petri. Item Dominus Bertrandus de Poieto de Castro novo Raterii diocesis Caturcensis, Presbyter Cardinalis tituli sancti Marcelli. Item Dominus Bertrandus de Montefaventio de prædicto Castro novo Raterii, Diaconus Cardinalis sanctæ Mariæ in Aquiro. Item Dominus Petrus de Reblayo Gallicus, Cancellarius Regis Franciæ, tituli sanctæ Susannæ Presbyter Cardinalis. Item Dominus Gaillardus de Mota Vasco natione, Domini Clementis Papæ V. quondam ex nepte nepos, Diaconus Cardinalis tituli sanctæ Luciæ. Item Dominus Iohannes Gaietani natione Romanus de Vrsinis Diaconus Cardinalis sancti Theodori.

Eodem anno MCCCXVI. Philippus prædictus Comes Pictavensis, frater Ludovici Regis Franciæ & Navarræ tunc defuncti fuit coronatus & inunctus in Regem Franciæ V. Idus Ianuarii.

Item canonizavit & sanctorum confessorum catalogo annotavit sanctum Ludovicum Episcopum Tolosanum, filium quondam Karoli secundi Siciliæ Regis, VII. Idus Aprilis, apud Avinionem anno Domini MCCCXVII.

Item deposuit à pontificali ordine & dignitate Episcopum Caturcensem Hugonem Geraldi, ablatis ab eo omnibus pontificalibus insigniis, videlicet anulo, atque mitra, & capa, cum Romana camisia & birreto; sicque relictus primò in simplici habitu clericali, fuit adjudicatus perpetuo carceri quarta die mensis Maii apud Avinionem anno Domini MCCCXVII. Postmodum verò extitit in forma à jure tradita actualiter degradatus per Cardinalem Episcopum Tusculanum; sicque ultimò degradatus fuit traditus curiæ seculari; per cujus judicium fuit tractus publicè, & in aliqua sui parte corporis excoriatus, & demum combustus in mense Iulii subsequenti, quia, sicut dictum fuit, in mortem summi Pontificis fuerat machinatus.

Anno Domini MCCCXVII. circa festum sancti Iohannis Baptistæ fecit Cardinalem Diaconum sancti Eustachii Dominum Arnaldum de Via suum ex sorore nepotem, loco Domini Iacobi de Via germani Presbyteri Cardinalis, qui octava die præcedenti obierat.

Eodemque anno tam in mense Iulii quàm Augusti cathedralem Ecclesiam sancti Stephani Tolosanam erexit in archiepiscopalem sedem, primumque Archiepiscopum instituit in eadem Dominum Iohannem de Convenis, quem transtulit de Magalonensi sede in novam metropolim Tolosanam. Episcopus verò Tolosanus sine episcopatu remansit; cui postmodum de Regensi episcopatu idem Dominus Papa providit, quem noluit acceptare. Diocesim verò Tolosanam, quæ in redditibus episcopalibus plurimùm abundabat, in sex episcopatus divisit, quorum Episcopi essent suffraganei Archiepiscopi Tolosani; sexque villas in novas civitates erexit, videlicet villam Montisalbani, villam de Rivis, villam & abbatiam de Lomberiis, villam de sancto Papulo, villam de Vauro, villam de Mirapisce, Episcopos ac episcopales sedes constituens in singulis earumdem; fueruntque consequenter iussu & ordinatione summi Pontificis dioceses certis terminis limitatæ.

Item in archiepiscopatu Narbonensi duos episcopatus fieri ordinavit; quorum primum & priùs posuit in Limoso, & Episcopum instituit in eodem, sed paulò pòst sedem inde transtulit ad abbatiam de Electo; secundum verò instituit episcopatum infra annum, & sedem ejus posuit in abbatia sancti Poncii; fueruntque limitatæ dioceses consequenter. Item episcopatum Albiensem divisit in duos, episcopalem sedem instituens in abbatia monachorum apud Castras, villam Castrensem in novam erigens civitatem. Item episcopatum Agennensem divisit in duos; villamque Condomiensem in novam erigens civitatem, episcopalem sedem posuit in abbatia sancti Petri de Condomio; fuitque consequenter diocesis limitata. Item in episcopatu Lemovicensi alium fieri ordinavit, Episcopumque & episcopalem sedem constituit in Abbatia Tutellensi, novam ibidem erigens civitatem. Item in episcopatu Petragoricensi in villa de Sarlato modo consimili novam erigens civitatem, in abbatia instituit novam sedem. Item in episcopatu Claromontensi, in villa sancti Flori novam erigens civitatem, consimiliter constituit novam sedem. Item in episcopatu Ruthenensi episcopatum alium ordinavit, sedemque ejus posuit in abbatia de Vabro, eandem in novam erigens civitatem. Item in episcopatu Pictavensi duos alios episcopatus instituit, sedem propriam & diocesim novam cuilibet assignando. In abbatia siquidem de Mallesio sedem esse constituit, & Malleacensis diocesis appellatur. In villa verò de Lucionio in abbatia sedem posuit, inde Lucionensis nominatur.

Item in nonnullis villis de Tolosano & Carcassesio & Albigesio & alibi fecit & instituit collegiatas Ecclesias Canonicorum secularium cum dignitatibus & præbendis, congruis redditibus singulis Ecclesiis assignatis. In Montealbano collegiatam Ecclesiam instituit, cui præesset Decanus, & tam ipse quàm Canonici ejusdem Ecclesiæ unà cum monachis abbatiæ ad electionem faciendam de Episcopo convenirent. Item in Castro novo de Arrio collegiatam Ecclesiam instituit, quæ Decanum haberet, & tam ipse quàm Canonici ejusdem Ecclesiæ unà cum monachis abbatiæ sancti Papuli concurrerent ad electionem Episcopi celebrandam. Item in villa de Burlato Albigesii collegiatam Ecclesiam pari modo instituit cum Canonicis & Decano, jusque eligendi Episcopum Castrensem unà cum monachis eisdem contulit & concessit. Item in villa sancti Felicis diocesis Tolosanæ collegiatam Ecclesiam instituit cum Decano & Canonicis & præbendis. Item in villa de Insula Iordani collegiatam Ecclesiam instituit, quæ Decanum haberet & Canonicos cum præbendis. Item in Ecclesia sancti Pauli de Fenolhedesio diocesis Electensis instituit collegiatam Ecclesiam cum Decano & Canonicis & præbendis, jusque eligendi Electensem Episcopum unà cum monachis de Electo eos habere voluit & decrevit. Item in villa Montisregalis Carcassonensis diocesis collegiatam Ecclesiam ordinavit cum Decano & Canonicis ac præbendis.

Item pontificatus sui anno secundo sub anno Domini MCCCXVII. edidit declarationem rationabilem, cujus tenor incipit *Sedes apostolica*, ad dubitationis scrupulum amovendum quid censendum sit & tenendum quoad beneficia vacatura per litteras impetrata in memoratis diocesibus priùs integris & postmodum subdivisis, ac etiam quoad litteras apostolicas justitiam continentes in eisdem diocesibus impetratas.

Item edidit salubre statutum, cujus tenor incipit *Suscepti regiminis*, circa perceptionem fructuum primi vel secundi aut alterius cujuscunque sequentis

anni beneficiorum vacantium rationali libræ moderamine dividendam inter illos quibus dudum de consuetudine, privilegio, vel statuto applicabantur in totum & illos qui ipsa beneficia obtinent, ad quos alias de jure fructus ipsi spectare deberent, ut tam ii quàm illi in fructuum prædictorum perceptione participent, & Ecclesiæ debitis servitiis non fraudentur.

Item edidit sacram constitutionem, cujus tenor incipit *Execrabilis quorundam*, contra execrabilem abusum habendi ab uno in diversis Ecclesiis & partibus plures dignitates, præbendatus, officia, seu prioratus, aut diversa beneficia ecclesiastica curam habentia animarum, per quam talium ambitio cupida & insatiabilis debito moderamine regulatur, & effrenata multitudo statuto salubri edito refrenatur.

Item anno Domini MCCCXVII. mense Novembri fecit publicari & sub bulla sua ad generalia studia destinari constitutiones quas Dominus Clemens prædecessor ejus fecerat tam in Viennensi Concilio quàm antè & pòst, quæ nondum fuerant ad generalia studia destinatæ, sed usque tunc steterant in suspenso.

Anno Domini MCCCXVII. Dominus Iohannes Papa XXII. post gravem dissensionem & turbationem subortam in ordine Grandimontensi, ipsum antiquum ordinem reformando in aliquibus prout sequitur innovavit. Ordinavit siquidem ut ipsa domus Grandimontensis, quæ totius ordinis noscitur esse caput, Priorisque ac prioratus nomine à sui initio regebatur, deinceps Abbatis & abbatiæ titulo & vocabulo censeatur, & Abbatis electio pertineat ad conventum. De reliquis verò domibus totius ordinis, quæ in diversis partibus & regionibus plures erant, sic extitit ordinatum, ut XXXIX. prioratus collegiati in locis seu domibus potioribus fierent, & facti sunt ex eisdem, in quorum singulis eligerentur Priores singuli à collegio, & ad Abbatem Grandimontensem tanquam ad superiorem suum eorum confirmatio pertineret; reliquæ verò domus fierent unitæ singulis prioratibus & subjectæ, nonnullis tamen Abbati & abbatiæ Grandimontensi sine medio reservatis. Item tribus visitatoribus ordinis ab antiquo institutis unum superaddidit, & quatuor esse deinceps statuit & decrevit. Hæc autem cum quibusdam aliis circa dictum ordinem ad ejus reformationem rationabiliter sunt provisa, ut obviaretur frequentibus scandalis & in distribuendis domibus & instituendis rectoribus earundem maturitas gravior & major æqualitas servaretur, & voluntatum partialitas vitaretur, quando non per unius hominis voluntatem, sicut priùs, sed per communem electionem plurium canonicè fieret provisio de personis, & in beneficiorum distributione personarum merita pensarentur, & vigeret ampliùs correctio in ordine tam in capite quàm in membris, ubi plures essent oculi vigilantes. Acta sunt hæc anno Domini MCCCXVII. prætaxato, pontificatus Domini Iohannis Papæ anno secundo, elapsis jam tunc temporis annis CCXL. ab exordio ordinis computando, quo beatus Stephanus primus ejus institutor & fundator primùm advenit ad eremum de Mureto, quod quidem fuit anno Domini MLXXVI. sicut in gestis ejusdem sancti Stephani pleniùs continetur & habetur.

Anno Domini MCCCXVIII. in mense Augusti Dominus Iohannes Papa archiepiscopatum Tarraconensem unicum tunc in regno Aragoniæ divisit, & constituit esse duos, episcopalem sedem Cæsaraugustanam in archiepiscopalem erigens pro secundo, quinque sibi suffraganeis Episcopis designatis ex illis XI. quos priùs Tarraco-

nensis metropolis obtinebat, sex sibi tantùm suffraganeis reservatis.

Anno dominicæ incarnationis M. CCCXIX. pridie Idus Martii idem Dominus Papa pontificatus sui anno tertio de fratrum suorum consilio instituit novum ordinem Militum qui dicerentur de militia Iesu Christi in regnis Portugaliæ & Algarbii ad resistendum in illis partibus Sarracenis pro defensione fidei & Christianorum; cujus ordinis caput seu domum principalem esse constituit in castro Marino Silvensis diocesis, concessitque & donavit Dominus Papa Militibus bona omnia cum pleno jure quæ fuerant ordinis quondam Templi in prædictis regnis; accedente ad præmissa beneplacito & consensu Regis Algarbiæ, qui prædictum castrum eidem ordini munificentia regia contulit & concessit, sede apostolica confirmante. Ordo verò prædictus debet vivere & militare Deo pro defensione fidei & infidelium impugnatione secundùm regulam & instituta ordinis Calatravensis, & quando opus fuerit, debet visitari, corrigi, & reformari tam in capite quàm in membris per Abbatem de Alcobacia Cisterciensis ordinis diocesis Vlixbonensis. De præmissis verò & de forma juramenti præstandi pro tempore Regi Portugaliæ per magistrum ejusdem ordinis, necnon & Abbati præfato nomine Romanæ Ecclesiæ, ac etiam de aliis conditionibus & circumstantiis appositis & servandis, in litteris apostolicis inde confectis seriosiùs ac pleniùs continetur. Actum Avinioni ad perpetuam rei memoriam.

Item anno Domini MCCCXIX. æstatis tempore veterem abbatiam Montis Cassini sancti Benedicti Abbatis in novam episcopalem sedem erexit, eidem de primo Episcopo suo tempore provisurus.

Item anno Domini MCCCXX. XV. Kalendas Maii apud Avinionem canonizavit & sanctorum confessorum catalogo annotavit cum sollemnitate in hujusmodi consueta sanctum Thomam Episcopum Herfordensem, à transitu ejus XXXVIII. qui fuit vir nobilis genere, nobiliorque vita & moribus, præditus scientia & doctrina, Doctor in decretis, & magister in theologica facultate; cujus præclara & ingentia merita ingens fama virtutum tam præcedentium quàm sequentium miraculorum longè latèque declarant; non solùm in beneficiis & remediis sanitatum, verùm etiam in pluribus mortuis ejus meritis suscitatis, in quibus mirificavit Dominus sanctum suum, & colendum eum exhibuit universis.

Item in eodem anno in mense Maii fuit pax & concordia reformata pariter & firmata Parisius inter Regem Franciæ Philippum ex parte una & Robertum seniorem Comitem ac communitates comitatus Flandriæ ex altera; dictusque Comes Flandriæ fecit Regi homagium personaliter, fidelitatemque promisit ut domino; & communitates villarum per procuratores idoneos cum sufficienti mandato homagium fidelitatemque Regi similiter promiserunt, pactis & conditionibus hinc inde habitis quæ in forma pacis pleniùs continentur, interveniente pro majori fœdere matrimonio filiæ Regis nomine Margaretæ vix octennis cum Ludovico primogenito filio Ludovici Comitis Nivernensis filii primogeniti præfati Roberti Comitis Flandriæ senioris, in sequenti mense Iulii Parisius nuptiis sollemniter celebratis, in pactis inter cetera hoc adjecto, quòd præfatus Ludovicus filius primogenitus Ludovici Comitis Nivernensis debeat succedere in Flandriæ comitatu. Guerra autem inter partes prædictas duraverat annis amplius quàm viginti cum multis damnis & jacturis rerum & corporum hinc inde illatis &

& cum multa effusione humani sanguinis in bellis & præliis. Multi quoque tractatus & colloquia & interdum treugæ præcesserunt; quorum omnium finis extitit pax, ut præmittitur, reformata, cooperante ad hoc sollicitudine diligenti ac labore & ministerio Domini Gaucelmi Iohannis Presbyteri Cardinalis ad partes illas per Dominum Iohannem Papam XXII. hac de causa specialiter destinati.

Anno verbi incarnati MCCCXX. nova quædam pestis in regno Franciæ est suborta, cui consimilis reperitur in cronicis elapsis jam annis LXXX. aliàs contigisse. Quæ ideo futuris temporibus scribitur memoranda ut ex eventu præteritorum malorum pericula similia à posteris evitentur, & dum oriri cœperint, in suo mox ortu eis obvietur, & per Principum & præsidentium tam providentiam quàm potentiam comprimantur. Subitò siquidem insurrexit quædam congregatio hominum promiscui sexus, qui se pastorellos vocare cœperunt, confingentes se zelum habere & animum transfretandi ad recuperandam terram sanctam, nullum habentes super se Ducem aut Principem nec aliquem navigii apparatum; crescebantque in numero, & multiplicabantur cotidie paulatim, addebanturque ad eos inopes & aliàs vagi viri & mulieres velamen quærentes malitiæ libertatem; euntesque ibant de loco ad locum, petentes sibi præstari subsidium sub specie pietatis arte & genere mendicandi; & dabantur eis victualia abundanter, insonuitque rumor eorum in toto regno Franciæ & alibi extra regnum. Quibus favor populi non modicum præbuit incentivum, non dijudicans neque prævidens pericula in futurum, dicentibus simplicibus rem à Deo fieri, ut per eos excitaretur & promoveretur fieri generale passagium ultramarinum. Videntes autem pastorelli turbam suam crescere cotidie & augeri, ausi sunt temeraria aggredi; fueruntque inter eos nonnulli in malitia & astutia acriores. Et ut eorum favor ampliùs cresceret in populo, & zelus aliqualiter appareret, communem fecerunt vocem ut omnes Iudæi, ubicunque reperirentur, qui nollent baptizari, interficerentur ab eis, nullo alio judicio præeunte. quod & opere impleverunt. Perquirentesque Iudæos in civitatibus, castris, & villis, & nolentes baptizari, absque omni judicio trucidabant, bona eorum diripientes & suis usibus applicantes; factaque est strages Iudæorum grandis ab eis in regno Franciæ, & specialiter in provincia Burdegalensi & in partibus Vasconiæ & in provincia Tolosana & in diocesibus Caturcensi & Albiensi. Crevitque tantum in pejus eorum numerus & dementia quòd etiam ipsis communitatibus villarum & castrorum & rectoribus & præsidentibus in eisdem & Principibus & Prælatis ac divitibus terrorem sui nominis & formidinem incusserunt; castrumque Virdunum Regis in dioceſi Tolosana, in quo Iudæi confugerant, ut eos inde extraherent, obsederunt, & in ipsa civitate Tolosana suam vesaniam connivente & favente vulgo exercentes, Iudæos una die subitò trucidarunt, regalis curiæ & Consulum potentia non obstante. In ipsa quoque civitate Parisiensi priùs signa suæ dementiæ erigentes, Præposito Parisiensi & servientibus regalis curiæ restiterunt, nec ab inceptis ausibus destiterunt, sic quòd proficientes in pejus, videntes nomen suum esse majoribus ad terrorem, & favorem sibi à pluribus etiam personis gravibus exiberi, ampliùs in malitia gloriantes, & mala malis accumulantes, quamplures profugi & latrunculi additi sunt ad eos, & facta est turba turbans pariter & turbata, ita ut audederent invadere & prædari. Cœperunt autem vix tandem præsidentes &

rectores communitatum villarum & locorum eis vias præcludere & obsistere & fortalitia contra eos claudere & munire; & nisi prudentia & potentia majorum de populo obstitisset, procedebant versùs Romanam curiam apud Avinionem, ubi eorum fama per infamiam ad ipsum Dominum Papam & Cardinales advenerat, & à Prælatis majoribus eorum insania plurimùm timebatur; quia ubicunque venirent, habebant fautores, qui rem à Deo fieri credebant aut se credere simulabant. Fuitque detectum postmodum per nonnullos ex eis quòd in clerum & religiosos habentes divitias insurgere & eorum bona diripere disponebant. Sed præclusa est via ipsorum malitiæ ipso anno, tempore autumnali; nec potuerunt ultra Carcassonam progredi, ubi capti fuerunt plurimi & suspendio elevati. Et deinde in Tolosano territorio plures capti sunt & suspensi, & alii aufugerunt & dispersi sunt. Et sic dissipati sunt, nec compuncti. Et quasi in momento tanquam cucurbita exorti sunt, sed ad solis radios arente radice subitò aruerunt, & tanquam fumus evanuerunt.

Anno Domini MCCCXX. XIV. Kalendas Ianuarii, feria sexta in jejuniis quatuor temporum adventus Domini, Dominus Papa fecit ordinationem unam septem Cardinalium, quos assumpsit, quibus postmodum singulis singulos titulos assignavit, videlicet Dominum Rainaldum la Porta de Alassaco Lemovicensis diocesis Archiepiscopum Bituricensem, cui datus est titulus Presbyteri Cardinalis sanctorum Nerei & Achillei, Dominum fratrem Bertrandum de Turre de Cambolico diocesis Caturcensis, de ordine fratrum Minorum, magistrum in theologia, Archiepiscopum Salernitanum, cui datus est titulus Presbyteri Cardinalis sancti Vitalis, Dominum Petrum de Prato diocesis Caturcensis Archiepiscopum Aquensem, cui datus est titulus Presbyteri Cardinalis tituli sanctæ Potentianæ, Dominum Simonem de Archiaco diocesis Sanctonensis electum Viennensem, cui datus est titulus Presbyteri Cardinalis sanctæ Priscæ, Dominum Pilum Fortem de Rapistagno de sancto Georgio prope fluvium Tarni diocesis Albiensis, Episcopum Rivensem, cui datus est titulus Presbyteri Cardinalis sanctæ Anastasiæ, Dominum Petrum Textoris de sancto Antonino diocesis Caturcensis, Vicecancellarium curiæ Romanæ, cui datus est titulus Presbyteri Cardinalis sancti Stephani in Cœliomonte, Dominum Raimundum Rufi de Caturco, cui datus est titulus Presbyteri Cardinalis sanctæ Mariæ in Cosmedin.

Anno Domini MCCCXXI. agente actore & amatore salutis humanæ fuit detecta & depressa concepta nequitia leprosorum contra sanos in regno Franciæ. Machinantes siquidem malè sani in corpore & insani mente contra salutem populi, disposuerant ut aquas fluminum & fontium atque puteorum inficerent, appositis venenosis & infectis atque inficientibus confectis pulveribus in eisdem, ut homines sani bibentes ex eis aut utentes eisdem aquis efficerentur leprosi aut morbidi, aut penitùs necarentur, sicque leprosorum numerus augeretur & sani deficerent; & quod dictu incredibile videbatur, in villarum & castrorum dominium aspirabant, jamque inter se diviserant locorum dominationes, & sibi imposuerant nomina Potestatum, Comitum, & Baronum in diversis terris, si id quod conceperant eveniret. Fueruntque capti & deprehensi quamplures in malitia & nequitia, & confessi de se & de aliis detexerunt conciliabula & conventicula quæ priùs habuerant in diversis locis annis quasi duobus, in quibus præceptores seu commendatores eorum qui majores erant

inter eos fecerant congregationes, quas sua vocabant capitula, ad tractandum. Sed misertus est populi sui Deus, & veritate comperta, fuerunt combusti in diversis civitatibus atque villis & castris & territoriis quotquot reperti fuerunt culpabiles & complices nequissimæ factionis. In plerisque autem locis in detestationem horrendi facinoris leprosi ipsi viri & mulieres in domibus suis conclusi cum omnibus rebus suis fuerunt ignibus appositis à populo absque alio judicio concremati. Tandem verò maturiori consideratione & consultatione præhabita, reliqui omnes & singuli qui superstites remanserunt, & non fuerunt inventi culpabiles, provida circumspectione in futurum inclusi sunt & reclusi in locis ex quibus nunquam egrederentur, sed ibi degerent & tabescerent perpetuò, ne possent nocere nec multiplicari, viris à mulieribus penitùs separatis.

Anno dominicæ incarnationis M. CCCXXII. in mense Augusti apud Avinionem Dominus Iohannes Papa XXII. suspendit sententiam excommunicationis dudum latam per Dominum Nicolaum Papam III. contra quoscunque glosantes vel exponentes constitutionem quandam per ipsum editam super regula fratrum Minorum, quæ constitutio incipit *Exiit qui seminat*, ac contra determinantes in scholis seu prædicantes contra contenta in constitutione prædicta.

Anno Domini MCCCXXIII. XV. Kalendas Augusti Dominus Iohannes Papa XXII. apud Avinionem in consistorio, ut est moris, cum solemnitate debita canonizavit & sanctorum confessorum adscripsit catalogo sanctum Thomam de Aquino ordinis Prædicatorum, à felici ejus transitu de hoc mundo anno quinquagesimo decurrente, de vita ejus & miraculis inquisitione duplici prævia diligenti. Hic siquidem sanctus Thomas Doctor egregius, nobilibus ortus natalibus, de domo & illustri prosapia Comitum Aquinorum traxit originem; puerque nobilis genere & animi virtute, virgo electus à Domino, apud Neapolim missus, deditusque studio scholasticæ disciplinæ, magno pollens ingenio, supra omnes coætaneos suos proficiens, infra annos pubertatis existens habitum fratrum ordinis Prædicatorum suscepit, & in eodem regularis professionis emisso voto, in brevi tempore vita, scientia, & moribus sic profecit quòd adhuc ætate juvenis ad theologiæ magisterium Parisius promotus extitit, ibique multis annis in magno honore & profectu scientiæ & doctrinæ cathedram tenuit magistralem clarè in fama & doctrina & sanctitate vitæ; cujus scripta & opera testimonium perhibent veritati. Hic propter ejus eminentem scientiam vocatus à Gregorio Papa X. ad generale Concilium Lugdunense, veniensque de Neapoli, ubi famosè legebat ut Doctor, cùm pervenisset ad monasterium Fossænovæ ordinis Cisterciensis Terracinensis diocesis in Campania, ibidem susceptis cum devotione & fide mirabili Ecclesiæ sacramentis, in Domino obdormivit, virgo mente & corpore, clarus opere & doctrina; ob cujus sanctitatis præconium & virginitatis titulum declarandum, post ejus obitum elapsis septem mensibus una vice, & iterum elapso septennio vice altera, & tertiò annis circiter XIV. evolutis, in apertura sepulcri ejus diversis ex causis per vices temporum sæpius patefacti, singulis vicibus ex ejus sacro corpore odor magnus & suavissimus emanavit, qui locum replens mirificè fundebatur, & omnem fragrantiam aromatum superabat; multisque aliis miraculis in vita claruit & post mortem.

Item eodem anno, pridie Idus Novembris, concertationi quorundam asserentium quòd Christus & ejus

Apostoli nihil habuerunt in speciali vel etiam in communi finem imponens, ad perpetuam rei memoriam perpetuo declaravit edicto quòd in posterum pertinaciter affirmare Christum & ejus Apostolos nihil habuisse in speciali necnon in communi hæreticum sit censendum, assertionemque hujusmodi pertinacem deinceps esse erroneam & hæreticam diffinivit, cùm scripturæ sacræ contradicat, quæ in pluribus locis ipsos nonnulla habuisse testatur. Item pertinaciter affirmare quòd Christo ejusque Apostolis in his quæ ipsos habuisse scriptura sacra testatur nequaquam jus ipsis utendi competierit, nec illa vendendi donandive jus habuerint aut ex ipsis alia acquirendi, deinceps fore erroneum & hæreticum declaravit, cùm sacra scriptura testetur ipsos præmissa fecisse seu facere potuisse supponat expresse, cùm talis assertio usum ipsorum evidenter includat in præmissis fuisse non justum. quod utique de salvatore nostro sentire nefas est & scripturæ sacræ contrarium & doctrinæ catholicæ inimicum. prædictamque declarationem & diffinitionem sub bulla ad omnia generalia studia destinavit.

Anno Domini M C C C X X V. sabbato primo quadragesimæ, quod fuit sexto Idus Februarii, Dominus Iohannes Papa XXII. reprobavit & sententialiter condemnavit in publico consistorio, assistentibus Cardinalibus & Prælatis & magistris in theologia & Doctoribus utriusque juris, quandam pestiferam postillam quam frater Petrus Iohannis Olivi ordinis fratrum Minorum de Serinhano diocesis Biterrensis fecerat super librum Apocalypsis beati Johannis, tanquam continentem pestiferum & hæreticum dogma contra unitatem Ecclesiæ catholicæ & potestatem summi Pontificis Romani & apostolicæ sedis. Continebat etiam plures articulos erroneos & hæreticos. Ex qua postilla sumebat originem & fomentum secta quædam pestifera illorum qui Beguini sunt vulgariter appellati, qui se fratres pauperes de tertio ordine sancti Francisci communiter nominabant; ex quibus quamplures fuerunt per judicium Prælatorum & Inquisitorum hæreticæ pravitatis tanquam hæretici condemnati & relicti judicio curiæ secularis & combusti in diversis locis in provincia Narbonensi & ultra Rhodanum & in aliquibus partibus Tolosanis.

Hic Dominus summus Pontifex pontificatus sui anno duodecimo, dominicæ incarnationis anno M C C C X X V I I. feria sexta in jejuniis quatuor temporum adventus, videlicet XV. Kalendas Ianuarii, fecit tertiam ordinationem decem Cardinalium, quos assumpsit, videlicet Iohannem de Convenis Archiepiscopum Tolosanum, Anibaldum Gaytani Romanum Archiepiscopum Neapolitanum, Iacobum Cisterciensis ordinis magistrum in theologia Episcopum Mirapiscensem, Raimundum Ruthenensis diocesis Episcopum sancti Papuli, Petrum de Mortuomari Lemovicensis diocesis Episcopum Antissiodorensem, Petrum de Capis Episcopum Carnotensem, fratrem Matthæum de Vrsinis Romanum de ordine Prædicatorum, magistrum in theologia, Episcopum Sipontinum, Petrum de Toleto Hispanum Episcopum Carthaginis & Murciæ, Iohannem de Columna Romanum, Imbertum de Puteo de Montepessulano.

Hic summus Pontifex plures constitutiones edidit utiles & salubres.

Hic quoque contra Ludovicum Ducem Bavariæ, qui se pro Imperatore gerebat, multos fecit processus per temporum debita intervalla: qui non duxit comparendum, sed pravo usus malorum consilio, contra summum Pontificem vicarium Domini nostri Iesu Christi & contra Ecclesiæ unitatem

& apostolicam sedem multipliciter & barbaricè se erexit, & quendam Pseudoantipapam Romæ fieri fecit dictum fratrem Petrum de Corbario ordinis fratrum Minorum anno Domini MCCCXXVII. qui scindere nisus est & adhuc hodie nititur unitatem Ecclesiæ & tunicam inconsutilem Domini nostri Iesu Christi. Et quando adhuc debacchantur in pejus, & nondum venit finis malorum, idcirco in præsenti latiùs scribere distulimus longiorem narrationis seriem suo pòst tempore scribendorum.

Sequentia addita sunt à quodam alio, sed coætaneo.

Item anno Domini MCCCXXXI. feria sexta infra octabas Pentecostes, videlicet IX. Kal. Iunii, præfatus Dominus Iohannes Papa fecit Cardinalem Dominum Talayrandum Episcopum Antissiodorensem, fratrem Comitis Petragoricensis, & nullum alium ista vice.

Item postea eodem anno, feria sexta quatuor temporum Decembris, fecit Cardinalem Dominum Petrum tunc Episcopum Æduensem, & nullum alium illa vice nec postea.

Obiit autem idem Dominus Iohannes Papa anno Domini MCCCXXXIV. Dominica prima Decembris summo mane, quod fuit II. Nonas Decembris, pontificatus sui anno XIX. apud Avinionem, & elegit ibidem sepeliri in Ecclesia beatæ Mariæ de Domps in capella omnium sanctorum. Vacavit sedes XVI. diebus. Et die XVII. fuit electus Dominus Benedictus tituli sanctæ Priscæ Presbyter Cardinalis, de ordine Cisterciensi, magister in theologia, oriundus de Savarduno diocesis Rivensis. Et fuit coronatus Avinioni octava die Ianuarii proximè sequentis, quæ fuit Dominica post epiphaniam, in domo Prædicatorum.

QVARTA VITA IOANNIS XXII.

Auctore quodam Veneto coætaneo.

IOHANNES natione Caturcensis Lugduni electus est VII. Idus Augusti, ubi XXIII. Cardinales, postquam recesserunt à Carpentorate ob gravem ibi turbationem subortam, & in diversis locis dispersi erant annis plus duobus, tandem diligentia Domini Philippi tunc Comitis Pictavensis, postea Regis Franciæ, inclusi sunt in vigilia Apostolorum Petri & Pauli. quam inclusionem minimè suspicabantur. Et XLI. die ab inclusione in hunc Pontificem consenserunt, virum ardentis ingenii, & in jure ecclesiastico ac divino valde peritum. Hic fuit primò Forojuliensis Episcopus in Aquensi provincia annis XI. inde per Clementem in Avinionensem translatus MCCCX. & MCCCXII. ad cardinalatum promotus in quatuor temporibus adventus. Factus summus Pontifex plura fecit & grandia, multa emendare nisus. Pòst fecit unam ordinationem VIII. Cardinalium XVI. Kal. Ianuarii. A pontificali dignitate & sacerdotali ordine ceterisque deposuit Caturcensem Episcopum: qui degradatus, & seculari brachio traditus, ex parte excoriatus est, deinde combustus. MCCCXVII. ad titulum sancti Eustachii promovit

Dominum Arnaldum de Via suum ex sorore nepotem. Eodem anno Tolosanam sedem fecit archiepiscopalem, & diocesim Tolosanam, quæ nimis affluebat divitiis, in sex episcopatus divisit. Item in archiepiscopatu Narbonensi de duabus abbatiis fecit duos episcopatus. Item episcopatum Albiensem divisit in duos. Idem fecit in episcopatibus Agennensi, Lemovicensi, Petragoricensi, Claromontensi, Rutenensi, Pictavensi. Eodem anno catalogo sanctorum ascripsit sanctum Ludovicum ordinis Minorum Episcopum Tolosanum. Ejus enim magister fuerat, & ex continua conversatione cum eo de ipsius sanctitate certior, puta qui ejus gesta & acta vir subtilis indaginis & oculis & experientiæ manibus contrectavit. Eodem anno fecit Septimum publicari, & sub bulla ad generalia studia transmisit. MCCCXVIII. archiepiscopatum Tarraconensem unicum in regno Arragoniæ divisit in duos, secundam sedem archiepiscopalem ponens in Cæsaraugusta. MCCCXIX. ordinem militarem instituit qui vocatur de militia Iesu Christi in regnis Portugaliæ & Algarbii ad resistendum in illis partibus Sarracenis; cujus domum principalem constituit in castro Marino Silvensis diocesis; illisque Templariorum bona concessit in regnis prædictis. Eodem anno veterem abbatiam Montis Cassini in episcopatum convertit. Eodem anno fecit aliam ordinationem Cardinalium; & inter ceteros promovit fratrem Beltrandum ordinis Minorum, quem priùs fecerat Archiepiscopum Salernitanum, & ad Regem Franciæ transmiserat. MCCCXX. canonizavit sanctum Thomam Episcopum Herfordensem à transitu ejus anno XXXVIII. qui nobilis fuit genere, sed nobilior moribus & scientiæ ac vitæ splendoribus. Doctor fuit in sacra pagina & Decretis. Pluribus miraculis claruit, & mortuos suscitavit. MCCCXXIII. fratrem Thomam de Aquino ordinis Prædicatorum Doctorem egregium similiter ascripsit catalogo sanctorum. MCCCXXVIII. fecit aliam ordinationem.

¶ Iste Venetus adulator nihil dicit de tyrannide gesta per Papam istum, de trucidatione Christianorum facta suo jussu, de partialitate animosa ejusdem, & de quampluribus aliis diabolicis gestis ejusdem. Expectabat quidem Bergulus iste pileum rubeum veritatem tacendo & exprimendo mendacia. Vir quidem sanguinum fuit Iohannes iste nec Ecclesiæ Dei satis dignus. *Ita scriptum est antiquitus in codice MS.*

DE CETERIS CONTINGENTIBVS.

Anno MCCCXX. congregatio multorum facta est in partibus Gallicanis, valde periculosa, qui Pastorelli vocabantur. Hi omnis superioris potestatis jugum abjecerant. Et ut suis non solùm necessitatibus sed etiam avaritiæ consulerent, Iudæorum baptizari renuentium bona rapiebant, & nonnullos interimebant, locis & castris per quæ transibant violentias inferebant & damna, & maximè in bonis clericorum & Ecclesiarum. Et cùm dicerentur versùs Avinionem declinare, Camerarius Domini Papæ contra eos eorumque fautores per religiosos prædicari mandavit. Citò autem incomposita & agrestis illa multitudo evanuit.



QVINTA VITA.
IOANNIS XXII.

Ex appendice Ptolemæi Lucensis.

IOHANNES XXII. hujus nominis, natione Caturcensis, sedit annis XVIII. menses IV. & vacabat sedes diebus XVI.

Hic in Lugduno est electus anno Domini MCCCXVI. septimo Idus Augusti; ubi etiam XXIII. Cardinales, postquàm à Carpentorate recesserant ob gravem turbationem subortam, & in diversis locis dispersi fuerant annis plusquam duobus, tandem diligentia Domini Philippi tunc Comitis Pictaviensis, postea Regis Franciæ, inclusi sunt in vigilia Apostolorum Petri & Pauli. quam inclusionem minimè suspicabantur. Et XLI. die ab inclusione in hunc Pontificem consenserunt, virum ardentis ingenii, & in jure ecclesiastico & divino valde peritum. Qui primò fuit Forojuliensis Episcopus in Aquensi provincia, inde per Clementem V. in Avinionensem translatus, ubi curia residebat.

Factus summus Pontifex plura concessit, & statum Alamanniæ perturbavit cum suis processibus factis contra Ludovicum, qui tamen malè servabantur, & grandia multa emendare nisus. Primo anno fecit unam ordinationem Cardinalium apud Avinionem XVI. Kal. Ianuarii. A pontificali dignitate & sacerdotali ordine deposuit Caturcensem Episcopum: qui postea degradatus & seculari brachio traditus, in parte excoriatus & combustus est.

Anno MCCCXVII. ad titulum sancti Eustachii promovit Dominum Arnaldum de Via suum ex sorore nepotem.

Eodem anno Tolosanam sedem fecit archiepiscopalem. Diocesim autem Tolosanam, quæ nimis affluebat redditibus, in sex episcopatus divisit. Item in archiepiscopatu Narbonensi duos episcopatus in duabus abbatiis de novo constituit. Item episcopatum Albiensem in duos divisit. Idem fecit in episcopatibus Agennensi, Lemovicensi, Petragoricensi, Claremontensi, Ruthenensi, Pictaviensi.

Eodem anno canonizavit Ludovicum fratrem ordinis Minorum Episcopum Tolosanum, cujus fuit magister, ex continua conversatione cum eo de ipsius sanctitate certior, puta quòd ejus gesta & acta vir subtilis indaginis & oculis vidit & experientiæ manibus contrectavit.

Eodem anno (qui est MCCCXVIII.) septimum librum decretalium fecit puplicari, & ad studia generalia sub bulla, ut moris est, destinavit.

Archiepiscopatum Tarraconensem unicum in regno Arragoniæ divisit in duos, secundam sedem archiepiscopalem in Cæsaraugusta ponens.

Anno MCCCXIX. ordinem militarem instituit, qui vocatur de militia Iesu Christi, in regnis Portugaliæ & Algarbii ad resistendum in illis partibus Sarracenis, & domum principalem esse constituit in castro Marino Silvensis diocesis; illisque Templariorum bona concessit in regnis prædictis.

Eodem anno veterem abbatiam montis Cassini ordinis sancti Benedicti ad episcopalem dignitatem erexit.

Anno MCCCXX. canonizavit sanctum Thomam Episcopum Herfordiensem à

transitu ejus anno XXXVIII. cum gloria secundùm quendam prophetam ab utero & à ventre, sed major à moribus & scientiæ ac vitæ splendoribus. Doctor namque fuit in sacra pagina & decretis. Pluribus miraculis claruit, ita ut etiam mortuos suscitaverit.

Anno MCCCXXIII. fratrem Thomam de Aquino ordinis Prædicatorum Doctorem egregium & præclarum catalogo sanctorum adscripsit.

Anno autem Domini MCCCXXXIII. VII. Kal. Augusti in publico consistorio quod habuit Iohannes Papa apud Avinionem in palatio suo ad petitionem Regis Philippi Francorum passagium generale prædicavit, constituendo eum ducem illius exercitus, & decimas regni sui sibi per sex annos concessit in subsidium terræ sanctæ & passagii prædicti. Ecclesiæ autem Romanæ per sex annos decimas universalis Ecclesiæ reservavit similiter pro passagio, quod incipiendum disposuit à Kalendis Augusti per tres annos proximos subsequentes. In prædicto etiam consistorio Petrus Archiepiscopus Rothomagensis & Iohannes Episcopus Morinensis & Decanus Parisiensis & Henricus Miles dictus de Avalgoria habentes procuratorium sufficiens in animam prædicti Regis juraverunt quòd iret in propria persona ultramare, vel filius suus Iohannes, si causa legitima patrem impediret quòd passagium perficere non posset, & quòd decimas prædictas sibi per sex annos concessas in alios usus non converteret quàm in subsidium terræ sanctæ; quam personaliter visitare juravit per procuratores prædictos, ut suprà est prælibatum.

Anno autem Domini MCCCXXXIII. cœpit movere quæstionem [circa] visionem [beatificam,] in qua sibi Rex Francorum & studium Parisiense restiterunt unà cum magistris theologiæ. Vnde Papa tunc motus in consistorio fuit coram Cardinalibus, Prælatis, & Capellanis quòd in prædicta quæstione nihil definiendo sed recitando dixerat, & quòd paratus esset revocare si qua erronea dixisset, & plures auctores pro & contra collegerat. Quæ fecit tunc legi in consistorio quinque diebus à festo innocentium usque ad epiphaniam Domini, & conclusit ut suprà.

Eodem anno circa quadragesimam incepit tractare cum septem Cardinalibus ex procuratione Regis Bohemiæ quòd Ludovicus, qui se Imperatorem intitulabat, deberet cedere, & quidam Henricus Dux Bavariæ consanguineus prædicti Ludovici deberet eligi in Regem & promoveretur ad imperium. Quod tamen fuit contra Regem Robertum, qui ex hoc cœpit Papæ indignari: cui Rex Hungariæ favit cum Gibellinis tyrannis, qui jura imperii usurparant, & cum Guelphis, maximè Florentinis, qui super hoc impediendo suos ambassiatores unà cum ambassiatoribus Regis Roberti & Regis Hungariæ ad Papam Iohannem direxerant ne ipse creationi novi Imperatoris consentiret. Rex autem Francorum unà cum Iohanne Rege Bohemiæ laborabant ut eligeretur Henricus Duc Bavariæ, in Imperatorem promovendus.

Item eodem anno Domini MCCCXXXIV. in vigilia Paschæ, dum Papa Iohannes officium celebraret, & communione facta, vellet unum Diaconum Cardinalem, qui sibi ministraverat, communicare, scilicet Dominum Iacobum Gaytani, cùm porrigeret sibi partem hostiæ, & crederet se ori ejus imposuisse, ille respondit se nihil percepisse, & ideo per horam quæsita fuit pars illa hinc inde in sede Papæ, ubi steterat, & tandem fuit inventa in plica casulæ papalis, & data prædicto Cardinali. Officio autem finito, Papa dixit se visibiliter vidisse quòd corpus Domini de manibus suis descendendo comparuit, & casulam videre non poterat, ubi

ubi se reservavit, nisi post inquisitionem factam diligenter, inventa est pars hostiæ in plica casulæ ut suprà, & Papa hoc pro miraculo factum reputavit. Et factum est hoc XVIII. anno pontificatus sui.

Illo etiam anno & in septimana illa expulsus fuit Dominus Ostiensis Episcopus Cardinalis de Bononia, qui fuit Legatus per totam Lombardiam bene XVI. annis; & amissis quasi omnibus, reversus fuit in festo Pentecostes.

Reversus fuit etiam Dominus Iohannes Gaytani Diaconus Cardinalis post mortem Iohannis Papæ & ante electionem Papæ Benedicti XII. Qui fuit Legatus in Tuscia, & similiter ibi nihil profecit. Sed ambo infinitum thesaurum expenderunt, & vacui recesserunt.

Item prædictus Pontifex Dominus Iohannes instituit quòd festum trinitatis solemniter celebrari deberet singulis diebus dominicis post festum Pentecostes, licèt Romana Ecclesia hoc festum antea singulari officio non consueverit celebrare, ut extrà de feriis. Instituit etiam ut post orationem dominicam in canone Missæ in sua capella flexis genibus sacerdos dicat psalmum *Lætatus sum* cum aliquibus certis collectis contra hostes Ecclesiæ. Et hoc etiam non fuit de antiqua constitutione, quæ prohibet dominicis diebus fieri publicè genuflexiones, ut in decretis patet.

Anno autem prædicto MCCCXXXIV. cùm Papa Iohannes duabus arduis causis valde diligenter intenderet, scilicet creationi Imperatoris novi, in quo facto Rex Philippus Francorum & Iohannes Rex Bohemiæ filius Henrici Imperatoris sibi multùm favebant, & determinationi quæstionis visionis, an scilicet sancti in patria ante resurrectionem haberent visionem essentiæ divinæ, & dum prædictis & aliis causis sollicitus intenderet, & IV. Nonas Decembris consistorium mandâsset ut aliquas provisiones quibusdam faceret, in nocte præcedenti Nonas prædictas post cœnam & primum galli cantum invasit eum morbus. Et sic omisso consistorio, illa die IV. Non. Decembris nihil fecit. Sed tertio Nonas, die sequenti, post Vesperas, fecit vocari omnes Cardinales qui erant in Avinione. Hoc dico propter Iohannem Gaytani, qui non erat præsens tunc in civitate, & propter Dominum Neapolionem Romanum Diaconum Cardinalem, qui erat in cardinalatu antiquior omnibus Cardinalibus: qui licèt in civitate esset, & vocatus per Papam, ipse tamen noluit venire, nec interesse obsequiis, nec testamento Papæ. Et præsumitur quòd ex eo fecerit quia Papa in sua electione, quæ apud Lugdunum celebrata fuit, juravit se nunquam ascensurum equum vel mulum nisi iret Romam. Quod & servavit, quia navigio ivit usque ad Avinionem, & pedes ascendit palatium; de quo postea nisi intrando Ecclesiam majorem, quæ contigua palatio est, non exivit. Et sic suum sacramentum servavit, quia post sacramentum præstitum, sicut fecit, nunquam equitavit. Vnde prædictus Cardinalis sibi non favit. Sed Papa nihilominus coram aliis Cardinalibus disposuit rite & legitimè testamentum suum, recommendans sanctam Ecclesiam & nepotes suos Cardinalibus. Et sic II. Non. Decembris post auditam Missam in aurora diei, & communione percepta, orando migravit de hoc seculo hora tertia, & dominica die, quæ erat tunc II. Non. Decembris. Sepultus est autem Avinioni in Ecclesia cathedrali Nonis Decembris. Sedit autem annis XVIII. & mensibus IV. minùs duobus diebus. Et vacavit sedes sexdecim diebus.

SEXTA VITA
IOANNIS XXII.

Auctore Petro de Herentals Canonico Præmonstratensi & Priore Floreffiensi.

IOHANNES XXII. fuit electus in Papam anno Domini MCCCXVI. Lugduni, ubi Cardinales XXIII. numero postquam à Carpentorate civitate ob gravem turbationem commotam à conclavi quod priùs intraverant discesserant, & dispersi in diversis civitatibus & villis steterant annis ampliùs quàm duobus, tandem congregati fuerunt pariter & inclusi diligentia Comitis Pictavensis germani Regis Franciæ Ludovici, & ibi omnes in dictum Iohannem consenserunt, qui priùs vocabatur Iacobus, & fuerat Cardinalis Episcopus Portuensis, sed antea erat Episcopus Avinionensis. Hic recedens de Lugduno venit Avinionem, & ibi mansit curia.

Hic sanctum Ludovicum Episcopum Tolosanum, filium quondam Karoli Regis Siciliæ, canonizavit VII. Idus Aprilis anno Domini MCCCXVI.

Dictus etiam Papa anno pontificatus sui quarto instituit novum ordinem militum qui dicerentur de militia Iesu Christi in regno Portugaliæ ad resistendum in illis partibus Sarracenis pro defensione fidei Christianorum.

Item anno Domini MCCCXIX. usus conversationis Beghinarum deletus & prohibitus est per constitutionem Clementis Papæ quinti prædecessoris dicti Iohannis Papæ ex eo quòd suggestum fuerat dicto Clementi quòd dictæ Beghinæ intromittebant se disputare de summa trinitate contra articulos fidei, prout habetur in dicta constitutione, quæ incipit *Ad nostrum, qui desideranter*, de hæreticis in Clementinis. Quam constitutionem moderando revocavit Iohannes Papa per unam quæ incipit: *Recta ratio non patitur ut innocentes ad paria cum nocentibus judicentur.*

Item anno Domini MCCCXX. XVI. Kal. Maii apud Avinionem dictus Iohannes Papa canonizavit sanctum Thomam Episcopum Herefordensem à transitu ejus anno XXXVIII. qui fuit vir nobilis genere, sed nobilior moribus & vita, scientia & doctrina, Doctor in decretis, & magister in theologia, præclarus in miraculis, tam in beneficiis sanitatum quàm resuscitatione mortuorum.

Anno quoque Domini prædicto surrexit in regno Franciæ quædam nova pestis, cui similis reperitur in chronicis elapsis jam LXX. annis aliàs contigisse. Subitò siquidem surrexit quædam congregatio hominum simplicium promiscui sexus, qui se pastorellos vocare cœperunt, confingentes se zelum habere transfretandi mare ad recuperandam terram sanctam, nullum habentes conductorem neque aliquem navigii apparatum. Multiplicabantur cotidie euntes de loco ad locum, subsidium sibi præstari sub specie pietatis petentes: quibus populus multùm favebat, non prævidens pericula in futurum. Nam sic multiplicati commune fecerunt votum ut omnes Iudæi, nisi baptizari vellent, ubique interficerentur ab eis, nullo alterius potestatis judicio præcedente. quod & opere impleverunt, bona Iudæorum occisorum diripientes & suis usibus applicantes.

Sicque de malo in pejus proficientes, profugi & latrones eis adjuncti sunt. Tandem fuit per nonnullos ex eis detectum quòd in clerum & religiosos insurgere necnon bona eorum diripere disponebant. Vnde plurimi ex ipsis fuerunt capti & suspendio occisi. Sicque ceteris fugientibus & ultrà non comparentibus, dissipati sunt.

Item anno Domini MCCCXXI. leprosi in regno Franciæ convicti & confessi fuerunt quòd in suis conventiculis, quæ sua capitula ad tractandum vocabant, simul conspiraverant quòd aquas fontium & fluviorum ubique inficerent appositis venenosis pulveribus, ut homines sani bibentes ex dictis aquis infectis efficerentur leprosi aut morbidi aut necarentur, sicque numerus leprosorum augeretur in tantum quòd dominationes nobilium & Baronum obtinerent. Propter quod omnes inventi culpabiles combusti fuerunt, & reliqui sic inclusi quòd vita eorum durante non exirent, viris à mulieribus separatis.

Anno Domini MCCCXXIII. dictus Papa Iohannes canonizavit apud Avinionem in consistorio sanctum Thomam de Aquino ordinis Prædicatorum à die transitus sui de hoc mundo anno quinquagesimo. Hic siquidem sanctus Thomas Doctor egregius, nobilibus ortus natalibus, ex illustri prosapia Comitum Aquinorum traxit originem, virgo mente & corpore, puer apud Neapolim missus ad studium, habitum fratrum ordinis Prædicatorum suscepit, & in brevi tempore sic vita, scientia, & moribus profecit quòd adhuc ætate juvenis ad theologiæ magisterium Parisius extitit promotus; cujus scripta & opera laude sunt digna. Hic propter ejus eminentem scientiam vocatus à Gregorio Papa X. ad generale Concilium Lugdunense, veniens ad quoddam monasterium Fossænovæ ordinis Cisterciensis in Campania, ibidem obdormivit in Domino, clarus miraculis in vita & post mortem ejus.

Eodem anno damnavit opinionem quorundam asserentium quòd Christus & ejus Apostoli nihil habuerunt commune vel speciale, misitque super hoc declarationem ad studia generalia sub sua bulla.

Hic Papa Iohannes plures fecit constitutiones utiles & salubres, quæ Iohanninæ vocantur.

Item dictus Papa coram se in consistorio fecit comparere magistrum Iohannem de Poliaco magistrum sacræ theologiæ, qui tenuerat publicè prædicans quòd confessi fratribus mendicantibus habentibus licentiam generalem audiendi confessiones tenentur eadem peccata quæ confessi fuerant iterum confiteri suo proprio sacerdoti. Secundò tenuit & prædicavit quòd Papa Romanus non potest facere quòd parrochianus non teneatur suo Curato semel in anno confiteri stante illa decretali de pœnitentiis & remissionibus *Omnis utriusque sexus*. Quæ opiniones reprobatæ fuerunt in consistorio, & præceptum dicto magistrò Iohanni quòd publicè in scholis & suis prædicationibus revocaret prædictos articulos tanquam contrarios veritati. Super quo fecit unam constitutionem quæ incipit: *Vas electionis*.

Item iste Papa Iohannes propter quædam verba per ipsum allegata in sermone ab ipso facto in festo omnium sanctorum quæ beato ascribuntur Bernardo prædicavit & prædicare fecit animas sanctorum non videre divinam essentiam clarè ante generalem diem judicii & corporis resurrectionem, & quòd visio quam nunc habent animæ de divina essentia evacuabitur in extremo judicio. Vnde Dominus Durandus Episcopus de ordine fratrum Prædicatorum fecit tractatum de hac materia contra opinionem Iohannis Papæ prædicti. Propter quod fuit

citatus, sed per Regem Franciæ defensatus.

Item anno Domini MCCCXXXIV. III. Nonas Decembris, die dominica, hora diei prima, ipse Iohannes anno pontificatus sui XIX. quadam infirmitate depressus, cùm se moriturum videret, ad exhortationem amicorum suorum submisit se & doctrinam suam judicio Ecclesiæ Romanæ in hæc verba. *Credimus quòd animæ separatæ à corporibus & purgatæ sunt in cælo cælorum regno seu paradiso & cum Christo in consortio angelorum congregatæ vident Deum & divinam essentiam facie ad faciem clarè in quantum status & conditio animæ separatæ patitur.* De qua revocatione scripsit pulchram litteram sub hac forma. *IOHANNES Episcopus servus servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Ne super iis quæ de animabus separatis à corpore & purgatis ante resumptionem corporum divinam essentiam visione illa videlicet quam vocat Apostolus facialem videant tam per nonnullos alios in præsensia nostra recitando & allegando sacram scripturam ac originalia & dicta sanctorum illis alias ruminando sæpiùs dicta sunt, aliter per nonnullos quàm per nos dicta & intellecta auribus fidelium inculcabantur. Ceterùm nostram intentionem, quam circa statum animarum separatarum habemus & habuimus, serie præsentium declaramus. Fatemur siquidem & credimus quòd animæ separatæ & purgatæ à corporibus sint in cælo cælorum regno & paradiso cum Christo in consortio angelorum congregatæ & videant Deum facie ad faciem & divinam essentiam clarè in quantum conditio & status patitur animæ separatæ. Si verò alia & alia contra materiam hujusmodi per nos dicta & prædicata vel scripta fuerunt, quæ quoquo modo illa prædicavimus vel scripsimus contra præmissa vel alia quæ fidem concernant catholicam sacramque scripturam aut bonos mores, illa abnegamus, & determinationem Ecclesiæ & sacræ scripturæ approbamus. Aliàs autem dicta vel scripta illa habemus & habere volumus pro non dictis & scriptis, eaque revocamus expressè, ac prædicta omnia & quæcunque dicta & prædicata fuerunt vel scripta per nos de quacunque materia ubicunque & in quocunque loco & in quocunque statu quem habuimus & habemus vel habuerimus, omnia submittimus determinationi Ecclesiæ at successorum nostrorum. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ declarationis infringere vel eam ausu temerario contraire. Datum Avinione* III. *Nonas Decembris, pontificatus nostri anno* XIX.

Hac siquidem revocatione facta, statim die & hora supradictis expiravit.



SEPTIMA VITA
IOANNIS XXII.

Auctore Amalrico Augerii Priore B. Mariæ de Aspirano.

IOHANNES vicesimus secundus de Caturco civitate oriundus ex patre Arnaldo de Oza filius post dictum Clementem Papam V. apud Lugdunum in domo Prædicatorum VII. Idus Augusti in Romanum Pontificem fuit assumptus, & postea in Ecclesia cathedrali fuit coronatus in die Nonarum Septembris, & post beatum Petrum Apostolum extitit Papa ducentesimus sextus, anno à nativitate Domini MCCCXVI.

Item iste Iohannes ante suam promotionem Iacobus de Oza Cardinalis Portuensis vocabatur. Qui quidem primò fuit Cancellarius Roberti Regis Siciliæ, & postea ad sui instantiam fuit Episcopus Forojuliensis, & deinde ad episcopatum Avinionensem extitit translatus, & postea Cardinalis factus, & deinde in Papam electus.

Item iste Iohannes post suam coronationem secunda die mensis Octobris apud Avinionem venit ad tenendum ibi curiam suam, quam ibi antea publicè præconizari fecerat. In qua quidem civitate in sequentibus quatuor temporibus adventus Domini fecit Cardinales, videlicet Bernardum de Castaneto tunc Episcopum Aniciensem, quem etiam fecit Episcopum Portuensem, & nihilominus episcopatum Aniciensem sibi commendavit, item Iacobum de Via de Caturco nepotem suum tunc Avinionensem Episcopum, cui titulum sanctorum Iohannis & Pauli Presbyteri Cardinalis dedit, & nihilominus Ecclesiam Avinionensem sibi commendavit, item Gaucelmum Iohannis de Caturco legum Doctorem tunc sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vicecancellarium, cui titulum sanctorum Marcellini & Petri ipse assignavit, item Bertrandum de Pogeto legum Doctorem Castrinovi Caturcensis diocesis, cui titulum sancti Marcelli Presbyteri Cardinalis ipse dedit, item Bertrandum de Montefaventio legum Doctorem Castrinovi diocesis prædictæ Caturcensis, cui titulum sanctæ Mariæ de Aquiro Diaconi Cardinalis ipse assignavit, item Petrum de Riblaya legum Doctorem de Britannia tunc Cancellarium Regis Franciæ, cui titulum sanctæ Susannæ Presbyteri Cardinalis ipse dedit, item Galhardum de Mota Vasconem quondam Clementis Papæ V. nepotem, cui titulum sanctæ Luciæ Diaconi Cardinalis ipse assignavit, item Iohannem Gaytani Romanum de genere Vrsinorum, cui titulum sancti Theodori Diaconi Cardinalis ipse assignavit.

Item quòd postea ipse Iohannes apud Avinionem VII. Idus Aprilis anno Domini MCCCXVII. solemniter præsente fidelium multitudine copiosa canonizavit sanctum Ludovicum Episcopum Tolosanum filium Karoli secundi Regis Siciliæ & ipsum sanctum & gloriosum coram Deo in sua gloria pronuntiavit, & postea catalogo omnium aliorum sanctorum confessorum ipse eum aggregavit.

Item quòd ipse Iohannes à Berengario Fredelli Episcopo Tusculano Cardinali publicè apud Avinionem præsente gentium multitudine copiosa deponi fecit per ordinem, prout infrà

sequitur, Hugonem Geraldi tunc Episcopum Caturcensem ab omnibus insigniis episcopalibus atque doctoralibus, & primò videlicet anulo, mitra, camisia Romana cum capa, & ultimo birreto suo doctorali, cùm esset legum Doctor. Et sic tantùm remansit in suo habitu clericali. Qui quidem postea perpetuo carceri tunc fuit judicatus anno quo suprà, quarto die mensis Maii. Sed postea per dictum Cardinalem de mandato ipsius Iohannis Papæ solemniter extitit degradatus, & deinde secundùm formam juris seculari curiæ traditus & remissus, per quam postea in parte ipse fuit excoriatus, & deinde per villam usque ad palliam pertractatus, & demum combustus anno quo suprà in mense Iulii. Prout tunc dicebatur, ipse conspiraverat & machinatus fuerat in personam seu mortem dicti Iohannis Papæ postquam ad sedem apostolicam fuerat assumptus.

Item quia anno quo suprà circa festum sancti Iohannis Baptistæ decesserat Iacobus de Via Cardinalis nepos ejusdem Iohannis Papæ, ideo post octo dies in loco ipsius idem Iohannes Papa de novo fecit & creavit in Cardinalem Arnaldum de Via germanum fratrem dicti Iacobi de Via jam defuncti, cui titulum sancti Eustachii Diaconi Cardinalis assignavit.

Item quòd postea anno quo suprà tam in mense Iulii quàm Augusti Ecclesiam Tolosanam tunc episcopalem in Ecclesiam metropolitanam de novo erexit, & certos redditus sibi assignavit & limitavit. In qua quidem Ecclesia Iohannem fratrem Comitis Convenarum tunc Episcopum Magalonensem transtulit. Et Galhardo antea Episcopo Tolosano de Ecclesia Regensi, quæ est modici valoris, providit & transtulit ad ipsam. quam Ecclesiam Regensem acceptare noluit.

Item quòd ipse Iohannes postmodum diocesim Tolosanam in sex episcopatus divisit, & cuilibet certos & limitatos redditus assignavit: quorum quidem ipsi pro suffraganeis Archiepiscopo Tolosano extiterunt deputati, & in certis locis solemniter fuerunt assignati. Et primò villam Montisalbani, secundò villam de Rivis, tertiò villam & abbatiam de Lomberiis, quartò villam de sancto Papulo, quintò villam de Mirapisce, sextò & ultimò villam de Vauro; in quibus Ecclesias cathedrales ipse temporibus perpetuis constituit & ordinavit.

Item postea in villa sancti Pontii Thomeriarum in abbatia & deinde in villa de Electo in abbatia cum auxilio aliquorum redditruum Ecclesiæ Narbonensis & diocesis ipse Iohannes posuit sedes episcopales, & cuilibet ipsorum certos & limitatos redditus assignavit, & jure metropolitano Archiepiscopo Narbonensi subjecit.

Item quòd iste Iohannes postmodum episcopatum Albiensem in duos episcopatus divisit, & apud villam Castrarum in abbatia Ecclesiam cathedralem constituit, & de redditibus Ecclesiæ Albiensis ipsam in parte dotavit atque fundavit, & jure metropolitano Archiepiscopo Bituricensi Ecclesiam Castrarum subjecit, prout Ecclesia Albiensis erat ab antiquo.

Item quòd ipse Iohannes deinde episcopatum Agennensem in duas partes divisit, & apud villam Condomiensem de novo episcopatum constituit in abbatia illius loci, & cum auxilio reddituum diocesis Ecclesiæ Agennensis ipsum episcopatum dotavit & assignavit, & jure metropolitano Archiepiscopo Burdegalensi ipsam Ecclesiam subjecit, prout Ecclesia Agennensis ab antiquo sibi erat subjecta.

Item quòd ipse Iohannes exinde Ecclesiam Lemovicensem in duos episcopatus divisit, & apud villam Tutellensem de novo episcopatum constituit

in abbatia ibi posita, & cum auxilio redditũum diocesis Lemovicensis ipsum episcopatum dotavit, & jure metropolitano Ecclesiæ Bituricensi subjecit, prout etiam Ecclesia Lemovicensis sibi erat ab antiquo subjecta.

Item quòd ipse Iohannes postmodum Ecclesiam Petragoricensem in duos episcopatus divisit, & apud villam de Sarlato in sua abbatia de novo Ecclesiam cathedralem constituit, & cum auxilio redditũum diocesis Petragoricensis ipsum episcopatum dotavit, & jure metropolitano Ecclesiæ Burdegalensi tunc subjecit, prout dicta Ecclesia Petragoricensis sibi ab antiquo subjecta erat.

Item quòd postea ipse Iohannes Ecclesiam Claromontensem in duos episcopatus divisit, & apud villam sancti Flori in sua abbatia Ecclesiam cathedralem constituit, & episcopatum ibi erexit, & cum auxilio redditũum Ecclesiæ Claromontensis eam dotavit, & jure metropolitano Ecclesiæ Bituricensi, sicut est Ecclesia Claromontensis, ipsam Ecclesiam deputavit, prout dicta Ecclesia Claromontensis priùs erat ab antiquo subjecta.

Item quòd ipse Iohannes deinde Ecclesiam Ruthenensem in duos episcopatus divisit, & apud villam de Vabro in abbatia Ecclesiam cathedralem constituit, & cum auxilio redditũum diocesis Ruthenensis ibi episcopatum dotavit, & jure metropolitano Archiepiscopo Bituricensi, sicut antiquitus dicta Ecclesia Ruthenensis erat subjecta, ipse sibi subjecit & deputavit.

Item quòd ipse Iohannes postea Ecclesiam Pictavensem in tres episcopatus divisit atque limitavit: quorum unum de novo constituit in villa de Malhesio in sua abbatia, & alium in villa de Lucionio in abbatia. Quos quidem episcopatus cum auxilio redditũum Ecclesiæ Pictavensis & diocesis ipsius dotavit atque fundavit, & jure metropolitano Archiepiscopo Burdegalensi, sicut Ecclesia Pictavensis ab antiquo sibi erat subjecta, suppoſuit atque subjecit.

Item quòd ipse Iohannes postmodum in pluribus & diversis civitatibus, castris, & villis fecit & constituit multas Ecclesias collegiatas cum dignitatibus & præbendis certis & congruis cum redditibus eis assignatis prout sequitur. Et primò apud civitatem Montisalbani unam de ipsis fecit, & ibi Decanum constituit, qui cum suis Canonicis vacante Ecclesia cathedrali in electione novi Pontificis unà cum monachis Ecclesiæ cathedralis interesse & ipsum Episcopum eligere deberent. Item aliam Ecclesiam consimilem fecit & constituit in Castronovo de Arrio sancti Papuli diocesis. Item aliam consimilem in castro de Burlacio Castrensis diocesis. Item aliam consimilem in castro sancti Felicis de Caramanno Tolosanensis diocesis. Item in castro Montisregalis Carcassonensis diocesis. Item aliam consimilem in villa sancti Pauli de Fenolhedesio Electensis diocesis.

Item quòd ipse Iohannes postea anno Domini MCCCXVII. fecit de novo tres constitutiones seu decretales extravagantes; quarum prima incipit *Sedes apostolica*, secunda incipit *Suscepti regiminis*, tertia *Execrabilis quorundam*. quas quidem aliqui decretorum Doctores jam glosaverunt seu ipsas exposuerunt.

Item deinde anno quo suprà in mense Novembris præfatus Iohannes Papa constitutiones factas in Concilio Viennensi & antè & pòst per Clementem Papam V. apud Avinionem publicavit, & postea ipsas sub bulla ad studia generalia transmisit in scholis legendas & judiciis nostris. quæ tamen diù steterant in suspenso.

Item quòd cùm magna discordia

exorta fuisset inter monachos abbatiæ ordinis Grandimontensis ex una parte & Priores conventuales ejusdem ordinis ex altera super electione Abbatis eorum, ideo dictus Iohannes declaravit super hoc & ordinavit ut de cetero vacante eorum abbatia monachi ipsius abbatiæ tantùm ipsum Abbatem eligere possent & ad ipsos totaliter electio Abbatis pertinere censeatur, & quòd ad monachos singulorum prioratuum conventualium ejusdem ordinis electio Priorum suorum duntaxat pertinere noscatur, quamvis aliàs omnes monachi & Priores conventuales dicto Abbati tanquam capiti eorum remaneant & existant subjecti. Et nihilominus voluit & addidit tribus eorum visitatoribus alium, ita quòd sint de cetero quatuor visitatores, quia reformatio ipsius meliùs & utiliùs consilio plurium fieri potest quàm paucorum.

Item quòd cùm in regno Arragoniæ tempore hujus Iohannis Papæ non esset nisi unica Ecclesia metropolitana valdè lata & diffusa, ideo prædictus Iohannes Ecclesiam Cæsaraugustanam in metropolitanam erexit & ordinavit, cui quinque Ecclesias cathedrales jure metropolitano assignavit & limitavit, ex illis undecim cathedralibus quas Archiepiscopus Terraconensis jure metropolitico habebat subjectas sibi ut priùs remanere debere, anno Domini MCCCXVIII.

Item quòd postea anno Domini MCCCXIX. præfatus Iohannes Papa canonizavit sanctum Thomam Episcopum Herfordensem virum nobilem, vita & moribus præclarum, scientia & doctrina peromatum, in sacra pagina & jure canonico magistrum atque Doctorem profundissimum, & multis virtutibus fultum, & ipsum esse sanctum & coram Deo in sua gloria constitutum pronuntiavit & catalogo aliorum sanctorum Pontificum & confessorum aggregavit.

Item quòd postea anno Domini MCCCXIX. præfatus Iohannes Papa de consilio fratrum suorum instituit & ordinavit novum ordinem militiæ, qui vocari deberet militia Christi, in regnis Portugalliæ & Algarbiæ ad resistendum Sarracenis in partibus illis & etiam pro defensione fidei catholicæ Christianæ; cujus caput seu domum principalem constituit in castro Marino Silvensis diocesis. Et nihilhominus ipsi militiæ dedit & assignavit omnia bona cum omnibus juribus & pertinentiis universis quæ antea fuerunt in dictis regnis Templariorum, maximè cùm omnia prædicta procederent de assensu & beneplacito dictorum Regum, qui olim donaverunt Templariis supradictis. Qui quidem ordo debet vivere & militare Deo pro fidei & fidelium defensione secundùm regulam & instituta ordinis Calatravæ, & quando opus fuerit, quòd ipse ordo possit visitari, corrigi, & reformari per Abbatem monasterii de Alcobacia Cisterciensis ordinis diocesis Vlixbonensis; ut constat de omnibus præmissis per litteras apostolicas exinde confectas, quas ipse ordo noscitur habere hinc ad æternam rei memoriam.

Item quòd postea anno quo suprà dictus Iohannes Papa antiquam abbatiam montis Cassini ob reverentiam & honorem illius sanctissimi patris beati Benedicti Abbatis & confessoris & patris atque institutoris omnium monachorum in Ecclesiam cathedralem erexit atque sublimavit.

Item quòd postmodum anno Domini MCCCXX. tempore ipsius Iohannis Papæ quædam terribilis pestis in regno Franciæ fuit exorta, in tantum quòd nisi altissimus super hoc providisset, magna pericula & scandala Ecclesiis & personis ecclesiasticis & aliis Christi fidelibus finaliter supervenissent. Quare ad æternam rei memoriam prout Ecclesiæ aliàs hoc idem accidit est denotandum.

tandum. Nam anno Domini MCCCXX. subitò surrexit quædam congregatio hominum simplicium utriusque sexus, qui se pastorellos vocari faciebant, confingentes & asserentes se habere bonum zelum & animum ultra mare transfretandi pro recuperanda terra sancta, invadendo Sarracenos, nullum tamen habentes ducem nec principem nec alicujus navigii apparatum nec etiam victualia nisi quantum à Christi fidelibus eis amore Dei administrabantur. Immo ipsi pro majori parte erant malè induti & calciati. Qui quidem quotidie numero crescebant & augmentabantur, & bini processionaliter cum vexillo sanctæ crucis præcedente sine aliquo verbo per civitates, castra, & villas incedebant. Et omnes Ecclesias majores eodem modo ipsi visitabant, petendo subsidium eis dari sub specie pietatis atque paupertatis, in tantum quòd victualia eis dabantur abundanter Dei amore.

Item quòd cùm postea dicti pastorelli vel majores ipsorum vidissent tantam multitudinem seu multiplicationem, concepta fraude & malitia in cordibus eorum, ut populus in factis ipsorum confidentiam & fidem adhiberet, ideo ipsi contra Iudæos irruerunt, & omnes quos invenire potuerunt, qui baptizari refutabant, non expectato judicio interficiebant, & omnia bona eorum ipsi occupabant atque sibi appropriabant. Quorum persecutio & commotio tanta fuit quòd rectores & communitates civitatum, castrorum, & villarum, necnon etiam Prælatorum, clericorum, & dominorum secularium valde dubitare inceperunt; maximè quia castrum de Verduno Tolosanæ diocesis, quod est Regis Franciæ, jam tunc obsederant de facto propter aliquam catervam Iudæorum qui ad hujusmodi fortalicium præ timore ipsorum confugerant; ut etiam in civitate Tolosana omnes Iudæos, non obstantibus officialibus Regis & capitolii civitatis, interfecerunt, & ipsorum bona sibi appropriaverunt. De quibus non est multùm admirandum, quia similia & pejora in civitate Parisiensi fecerunt & in partibus illis.

Item quòd cùm postea dicti pastorelli incepissent bona dictorum Iudæorum sic occupare & deprædari sine alicujus contradictione & resistentia, tunc tam in civitatibus, castris, villis, bona ipsorum locorum & Ecclesiarum ut latrunculi furati fuerunt & multa alia mala facere inceperunt. Propter quæ rectores locorum, civitates, & singulares personæ, atque Prælati Ecclesias & fortalicia contra ipsos custodierunt & ea victualibus muniverunt, & victualia eis vendere denegaverunt, & omnes passus viarum seu itinerum stabiliri & custodiri fecerunt, & tantum & taliter contra ipsos processerunt quòd multi de ipsis interfecti & suspensi & alii effugati extiterunt. Et sic ipsi dispersi fuerunt, & tanquam umbra evanuerunt. Et deinde civitas Avinionensis, in qua dictus Iohannes Papa cum suis Cardinalibus suam curiam tenebat, quam invadere ipsi nitebantur, gratia divina suffragante sic ab ipsis fuit liberata.

Item deinde anno à nativitate Domini MCCCXX. in quatuor temporibus ante natale Domini, XIV. Kal. Ianuarii, præfatus Iohannes Papa fecit & de novo creavit septem solemnes Cardinales, & primò Reginaldum Laporta de Alassaco Lemovicensis diocesis tunc Archiepiscopum Bituricensem, cui datus fuit titulus sanctorum Nerei & Achillei, item Bertrandum de Turre de Chambolacio diocesis Caturcensis ordinis fratrum Minorum, item Petrum de Pratis diocesis Caturcensis tunc Archiepiscopum Aquensem, item Simonem de Archiaco Xanctonensis diocesis tunc electum in Archiepiscopum Viennensem, item Pilum Fortem

de Rapistagno castri de sancto Georgio Albiensis diocesis, item Petrum Textoris de sancto Antonio Caturcensis diocesis tunc sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vicecancellarium, item Raimundum Ruffi de civitate Caturcensi.

Item quòd anno Domini MCCCXXI. tempore hujus Iohannis Papæ fuit inventa & de novo detecta summa & inenarrabilis & nefanda proditio leprosorum universorum nequitia. Et quia ipsa tangit Ecclesiam & ecclesiasticas personas, ideo non est prætermittenda, immo ad perpetuam rei memoriam hìc est inserenda. Nam universi leprosi in regno Franciæ constituti instinctu diaboli & sua fraude inducti contra universum Dei populum tam ecclesiasticum quàm secularem conspiraverunt & in personas ipsorum summè machinati fuerunt & in tantum quòd ipsi convenerunt quòd in omnibus fontibus, puteis, & stagnis pulveres venenosos & alias potiones ponere deberent, ut exinde Christiani sani & illo morbo nec infecti nec corrupti, qui de illis aquis potarent, dictum morbum ipsorum incurrere vel saltim mori deberent, ad finem quòd aut ipsi leprosi aut alii sani essent in eorum morbo, vel quòd domini ipsius Franciæ regni leprosi remanerent. Vnde propter hoc jam inter se ordinaverant pro Rege, Ducibus, Comitibus, Baronibus & dominis castrorum & villarum, prout fertur. Sed quia Domini est terra & plenitudo ejus, idcirco tantam detestabilem machinationem & Ecclesiæ ac populi sui destructionem pati noluit, immo detegi & Christi fidelibus voluit revelari. Cùmque hujusmodi eorum iniquitas detecta & inventa extitisset, statim ipsi leprosi, qui reperiri potuerunt, combusti publicè extiterunt; & in quibusdam aliis partibus in domibus suis propriis ipsi & eorum mulieres in detestationem tanti criminis concremati etiam fuerunt. Et sic coronam Franciæ & regni dignitates, quas habere sperabant, unico actu ipsi perdiderunt. Illi autem qui culpabiles inventi non fuerunt, in domibus suis propriis perpetuò inclusi fuerunt, & ipsorum conjuges & filii in alia domo ab eis separatè positæ & inclusæ fuerunt, ne ipsi alicui nocere possent de cetero nec multiplicari.



PRIMA VITA
BENEDICTI XII.

Editio Bosqueti collata cum vetustis codicibus MSS.

Benedictus Papa XII. natione Tolosanus de loco Savarduno Appamiarum diocesis oriundus post dictum Iohannem Papam XXII. immediatè fuit electus in Papam in Avinione die XVI. mensis Decembris anno Domini MCCCXXXIV. die verò vigesima fuit coronatus.

Hic priùs fuit vocatus Iacobus Furnerii, aliàs cognominatus Novelli; qui in juventute sua sub habitu regulari & monastico decrevit Domino famulari; fuitque receptus & indutus in monachum in monasterio Bolbonæ ordinis Cisterciensis diocesis Mirapiscensis; ubi postquam fuit edoctus in regularibus observantiis & claustralibus disciplinis, diutiùs circa studia litterarum insudavit tam Parisius quàm alibi permanendo; in quibus adeo profecit quòd tandem fuit effectus sufficiens & notabilis magister in sacra theologia, deinde primò ad monasterium Fontis frigidi diocesis Narbonensis, secundò ad Appamiarum, tertiò ad Mirapiscensem fuit promotus Ecclesias. Demum verò per dictum Papam Iohannem XXII. fuit assumptus in Presbyterum Cardinalem, habuitque titulum sanctæ Priscæ. Et exinde fuit, ut præmittitur, electus in Papam; seditque annis septem, mensibus quatuor, & diebus quindecim.

Hic decretalem condidit quæ incipit *Benedictus Dominus Deus in donis suis* ad decisionem quæstionis inter theologos diutiùs agitatæ de Dei faciali visione sanctorum & aliorum beatorum ante diem judicii, quam dictus Papa Iohannes XXII. prædecessor suus morte præventus non determinaverat, licèt hoc facere disposuisset. Vnde declaravit idem Benedictus Papa quòd animæ sanctæ, quæ non egent purgatione, statim faciem Dei vident, mandans sub pœna anathematis ac incursionis hæresis ne quis contra hujusmodi determinationem suam dogmatizaret aut crederet.

In consistorio etiam publico primo vel secundo quod tenuit revocavit omnes commendas factas per prædecessores suos de Ecclesiis cathedralibus & abbatiis quibuscunque personis, Cardinalibus & Patriarchis duntaxat exceptis.

Hic etiam Papa in sui pontificatus principio misit nuntios suos ad Ludovicum Ducem Bavariæ rebellem & inobedientem Romanæ Ecclesiæ occupatoremque imperii, qui ipsum monerent & exhortarentur sui parte ut ab inceptis & attentatis desistendo, ad dictæ Ecclesiæ obedientiam humiliter redire vellet, credens & sperans erga eum potiùs proficere tali modo quàm si continuaret processus contra ipsum inchoatos per Dominum Iohannem Papam XXII. prædecessorem suum. Tamen nec sic cum ipso profecit, cùm induratus & pertinax permanserit sicut priùs. Non tamen aliter Papam persecutus est, nec etiam Papa ipsum, sed sic in tali quali quiete suo tempore remanserunt.

Ipse etiam Papa eodem tempore deliberavit transferre curiam suam ad partes Italiæ moramque suam facere in civitate Bononiensi, dummodo ipsum debitè & honorificè ejus incolæ & cives vellent recipere & tractare sibique obedientiam vellent præstare & fidelitatem servare. Et hoc ipse dixit in publico consistorio, voluitque ut divulgaretur & publicaretur ubique, præsertim in partibus Italiæ supradictis. Volensque experiri & scire an ita facere vellent, misit ad dictam civitatem certos nuntios suos ad eis intimandum hujusmodi voluntatem, intentionem, & deliberationem suam; deditque eis in mandatis ut si ipsi viderent dictorum civium voluntatem conformari pro mansione sua, ibi palatium præpararent, librataſque pro Cardinalibus dividerent & ordinarent. Nuntii verò hujusmodi illuc accedentes invenerunt civitatem prædictam ad hoc malè fore dispositam, cùm adhuc cives ipsius essent in rebellione & inobedientia contra Romanam Ecclesiam, prout etiam erant tunc ferè omnes aliæ terræ ad eandem Ecclesiam in illis partibus pertinentes, quæ non diù antè (scilicet tempore Iohannis Papæ XXII.) suum Legatum vituperosè & violenter expulerant de civitate memorata. Quod dicti nuntii videntes redierunt Avinionem, Papæque retulerunt. Qui de hoc doluit. Sed videns quia tunc aliud facere non poterat, mutato proposito deliberavit manere in Avinione cum dicta curia sua. Incepitque ibi à solo ædificare palatium in loco ubi tunc erat domus episcopalis, & tandem hujusmodi ædificium quasi quandiu vixit continuavit, in tantum quòd suo tempore & per ejus ministerium factum est dictum palatium valde solemne miræque pulchritudinis in mansionibus & immensæ fortitudinis in muris & turribus, prout hodie luculenter apparet. Demum pro tempore ordinavit quòd Episcopus Avinionensis haberet pro mansione sua ac in recompensam alterius in cujus loco & solo dictum palatium erat ædificatum domum quæ nunc episcopalis appellatur, quæ est valde notabilis & solemnis.

Monasterium etiam Bolbonæ, in quo, ut prædicitur, priùs monachus extiterat, magnis & altis muris claudi & circui fecit cum suis magnis sumptibus & expensis.

Ecclesiam insuper beati Petri de urbe pro tunc in tectis valde demolitam & destructam fecit miro & sumptuoso opere reparari, prout ad ejus memoriam perpetuam in ea litteris grossis & patentibus scriptum reperitur.

Eodem tempore, scilicet in autumno, circa festum Apostolorum Simonis & Iudæ, insurrexit subitò tam validus & fortis ventus in diversis mundi partibus quòd multam domorum fecit ruinam, tecta etiam plumbea Ecclesiarum & domorum diversarum ad magnam distantiam asportavit. quod multis attulit stuporem pariter & timorem.

Item Philippus Rex Franciæ jam à diù deliberaverat cruce signari facereque passagium generale versùs partes ultramarinas pro recuperatione & acquisitione terræ sanctæ; miseratque ad Iohannem Papam XXII. nuntios suos solemnes ea de causa sui parte ista sibi intimandum & nihilominus petendum ab eo ad hoc subsidium decimarum regni sui, quod post multas instantias dictus Papa sibi concesserat. Sed quia dictum passagium non habuit effectum, dictus Benedictus Papa concessionem decimarum hujusmodi revocavit. Propter quod dictus Rex ad ipsum venit personaliter cum filio suo primogenito Iohanne Duce Normanniæ causa ipsum visitandi ac etiam remediandi circa revocationem prædictam. Sed satis

citò demum contigit quòd dictus Rex occupavit seu ad manum suam recepit ducatum Aquitaniæ, cujus superioritas seu dominium ad ipsum spectabat, tenebaturque in feudum ab ipso per Regem Angliæ, qui de tunc ipsum pro majore parte possidebat. Cujus occasione fuit orta guerra inter ipsos Reges, videlicet dictum Philippum tunc Franciæ & Edoardum tunc Angliæ Reges. Propter quod dictum passagium ultramarinum conceptum, ordinatum, & promissum per dictum Philippum Regem Franciæ, ut dictum est, potissimè fuit impeditum & turbatum. Nam idem Philippus voluit plus intendere ad dictam guerram prosequendam quàm ad dictum passagium faciendum, suspicans & verisimiliter dubitans quòd si ipse à regno suo tam in longinquum se absentaret, dictus Rex Angliæ suus inimicus regnum suum invaderet & damnificaret. Et sic revocatio prædicta in suo robore permansit.

Per idem insuper tempus orta hujusmodi guerra inter Reges memoratos, dictus Edoardus Rex Angliæ intravit in Alamanniam, venitque in Frankeford oppidum imperiale ad dictum Ludovicum Ducem Bavariæ, petens ab eo auxilium & juvamen contra dictum Philippum Regem Franciæ; fueruntque ad invicem contra dictum Philippum confœderati & colligati; dictusque Ludovicus, qui, licèt falsè, se gerebat pro Imperatore, talemque se nominabat, ipsum Regem Angliæ quantum in ipso fuit fecit & constituit vicarium imperialem in partibus Galliæ & nonnullis aliis terris. Cujus occasione & prætextu idem Rex Angliæ Cameracensem civitatem, quæ est camera imperii, voluit intrare; sed negato sibi aditu eam obsedit, civibus tamen ejusdem sibi viriliter resistentibus oportuit quòd ab inde recederet non mediocriter confusus.

Eodem etiam tempore dictus Ludovicus Raynaldum tunc Comitem Guelriæ in Ducem & Guillelmum tunc Comitem Iuliacensem in Marchionem sublimavit.

Cùm autem ad notitiam dicti Benedicti Papæ pervenisset quòd guerra inter Reges prædictos crescebat & continuè invalescebat, damnaque quamplurima hinc inde inferebantur, circa ipsorum pacificationem, prout etiam suo statui congruebat, partes suas interponere decrevit; destinavitque ad ipsos causa tractandi ac iniendi pacem & concordiam inter eos suos nuntios legationis officio fungentes Dominos Petrum Gomecii Hispanum tituli sanctæ Praxedis Presbyterum & Bertrandum de Montefaventio sanctæ Mariæ in Aquiro Diaconum Cardinales; qui per dictum Regem Franciæ in regno suo fuerunt honorificè recepti & gratiosè ac favorabiliter tractati; regnum autem Angliæ per ejus Regem intrare nullatenus sunt permissi, sed citra mare idem Rex misit nuntios qui cum eis loquerentur & tractarent vice & nomine suis super pace & concordia memoratis. Fueruntque in variis locis & terminis ad hoc ordinatis & procuratis per medium & ministerium Cardinalium prædictorum multa prælocuta & tractata inter ipsas partes. Sed tandem, Domino sic permittente, effectus fuit nullus, cùm nullatenus potuerit via conveniens inveniri per quam partes prædictæ valuerint ad pacem inclinari; sicque post labores multos moramque diuturnam redierunt ad dictum Papam Cardinales prædicti super illis pro quibus missi fuerant satis cum modico fructu, saltem quoad firmam pacem aut concordiam duraturam.

Fecerunt tamen dicti Cardinales per idem tempus opus admodum laudabile & memoria dignum. Primus enim bastitam quæ Hispaniæ appellatur,

secundus etiam aliam satis contiguam, quæ de Montefaventio nuncupatur, prope Avinionem, de bonis à Deo eis datis à solo ædificaverunt; in quibus sunt mansiones pulcherrimæ & omni amœnitate decoræ; habentque viridaria, vineas, & pascua, & alia delectabilia infinita; quæ potiùs fecisse & ordinasse censentur pro animarum suarum salute quàm complacentia corporali. Primus enim in sua instituit conventum notabilem dominarum sub regula seu ordine Prædicatorum degentium, pro quarum & certorum fratrum ejusdem ordinis eis assistentium sustentatione bona & sufficientes redditus & proventus circumquaque acquisivit, earumque usui deputavit, voluitque in Ecclesia valde solemni ibidem ædificata finaliter tumulari. Secundus verò in alia certum numerum Canonicorum regularium ordinis sancti Augustini instituit; pro quorum etiam sustentatione convenienti emit redditus & proventus complures, & multa alia bona sua disposuit & ordinavit, elegitque etiam in Ecclesia ibidem fabricata postremò sepeliri.

Eodem etiam tempore fuit ædificata, fundata, & dotata Ecclesia collegiata beatæ Mariæ Villænovæ prope Avinionem per Dominum Arnaldum de Via sancti Eustachii Diaconum Cardinalem, qui etiam ibi instituit certum numerum Canonicorum & Decanum qui ipsis præsideret; voluitque quòd collatio præbendarum alternatis vicibus ad Regem Franciæ pertineret.

Dicto etiam durante tempore surrexit quidam in partibus Alamanniæ, qui adunata sibi multitudine rusticorum Iudæos quoscunque reperire poterat trucidari ordinabat sub colore zeli fidei Christianæ. Sed demum hoc in perniciem & damnum Christianorum redundare incepit. Nam etiam tales sic coadunati in Christianos sævire tentarunt. Propter quod fuit eis obviatum, & præsertim per Ludovicum Ducem Bavariæ memoratum; qui licèt aliàs esset admodum perversus, prout sua facta demonstrant, tamen in hoc bene egit. Procuravit namque & operatus est quòd capitaneus seu ductor prædictorum occisus est, & sic demum illa congregatio dispersa & confusa disparuit.

Eodem tempore ad dictum Papam venit Avinionem Petrus Rex Arragonum, fecitque ei homagium & præstitit juramentum fidelitatis in forma debita pro regno Sardiniæ, quod tenet in feudum ab Ecclesia Romana. Fuitque idem Rex honorificè receptus per dictum Papam, licèt die introitus sui in curia magnum incendium fuerit in coquina ubi parabantur cibaria pro prandio dictorum Papæ, Regis, & Cardinalium, prout est fieri consuetum. Sed hoc non obstante omnia fuerunt bene disposita & parata sic & taliter quòd omnes remanserunt bene contenti. Venit etiam cum dicto Rege, qui tunc satis juvenis erat, Iacobus Rex Majoricarum; qui quasi dicti Regis pro tunc regimen & gubernationem habebat, saltem quoad personam.

Tempore etiam istius Papæ Alfonsus Rex Castellæ condicto prælio contra Regem Marrochiæ Sarracenum & infidelem triumphavit, & in signum victoriæ vexillum seu banderiam dicti Regis unà cum sua eidem Papæ misit; quæ usque ad longa tempora in capella papali appensæ permanserunt.

Item anno Domini MCCCXXXVI. die quarta mensis Iunii obiit Dominus frater Guillelmus Petri de Godino ordinis Prædicatorum Episcopus Sabinensis Cardinalis, qui diù fuerat Legatus in Hispania; ubi multa bona & salubria ordinavit, constitutionesque fecit quamplurimas, præsertim contra concubinarios ecclesiasticos, qui pro tunc erant in illis partibus infiniti. Hic,

quamquam esset modicæ immo quodammodo deformis staturæ, fuit multùm litteratus & cordatus ac virtuosus in omnibus factis suis; deditque etiam sibi Deus multa bona temporalia, de quibus fecit opera mirabilia quæ sequuntur. Construxit enim tres Ecclesias mirabilis pulchritudinis, adeo quòd ordo suus non creditur habere pulchriores & solemniores ubicunque, unam videlicet in conventu Avinionensi, aliam in conventu Tolosano, in qua jacet tumulatus, & aliam in conventu Baionensi, in quo fuerat vestitus & educatus. Fecit etiam tam in dictis conventibus quàm in aliis dicti ordinis multa alia bona admodum commendabilia & memoria digna.

Item tempore dicti Papæ, videlicet anno Domini MCCCXXXVII. die tertia mensis Iunii Venetiis fuit tanquam hæreticus condemnatus brachioque seculari traditus & deinde crematus igne frater Franciscus de Pistorio ordinis Minorum pro eo quia pertinaciter asserebat quòd Christus & ejus discipuli nihil habuerunt in proprio nec in communi, cujus contrarium determinaverat Iohannes Papa XXII. in constitutione quæ incipit *Cùm inter nonnullos*.



Dictus summus Pontifex Benedictus multùm fuit curiosus & intentus tempore suo circa reformationem ordinis & status monachorum nigrorum & Cisterciensium, qui, prout sibi videbatur, in multis erant laxati & collapsi. Deputavitque certos notabiles & valentes religiosos tam Abbates quàm alios in theologia & jure canonico Doctores, qui de mandato suo ut plurimum cœnobia seu monasteria dictorum monachorum ubicunque visitarunt, informaveruntque se quantum potuerunt quomodo & qualiter se gerebant ac in quibus deficiebant. Qui hujusmodi informatione facta, eidem Papæ retulerunt ea in quibus ipsos defectuosos invenerant ac in quibus reformatione indigebant. Qui eorum informatione audita & recepta, habitaque deliberatione matura circa ordinem & statum monachorum prædictorum, certas edidit constitutiones, quas perpetuò & inviolabiliter per eos voluit & præcepit observari. Et inter cetera statuit quòd in singulis provinciis quas in suis constitutionibus nominavit & limitavit de triennio in triennium per Abbates monachorum nigrorum earundem provinciarum concilium provinciale celebraretur, in quo intersint omnes Abbates cujuslibet provinciæ, & ibi referantur & audiantur illa quæ concernent statum ipsorum tam in spiritualibus quàm in temporalibus; quæ etiam tum reformentur, si & prout reformatione indigebant. Item constituit quòd de singulis monasteriis & prioratibus conventualibus tenentibus certum numerum monachorum certi monachi mittantur ad studia generalia litterarum causa ediscendi, & quòd eis in libris, victu & vestitu de proventibus dictorum monasteriorum vel prioratuum certo modo per ipsum ordinato & limitato provideatur. Item voluit, constituit, & ordinavit quòd annis singulis Cistercii celebretur capitulum generale, in quo omnes Abbates ejusdem ordinis per se vel per suos procuratores teneantur interesse, in quo reformentur reformanda, & fiant & ordinentur alia quæ ipsis fuerint necessaria ac etiam opportuna. Item quòd mittantur etiam ad studia generalia per Abbates suos de quolibet monasterio certi monachi, prout de monachis nigris ordinavit. Voluit tamen quòd tales qui mittentur & ad hoc deputabantur per ordinem & expensis ejusdem, non in jure canonico, & multò minùs in civili, sed solùm in primitivis aut philosophica vel theologica facultate studeant; & contra

oppositum attentantes excommunicationis sententiam fulminavit & promulgavit. Item constituit ac etiam ordinavit quòd ad ordines prædictos venientes de quibuscunque religionibus, etiam mendicantium, nullatenus recipiantur seu admittantur sine expressa licentia & dispensatione Papæ, etiam de constitutione sua hujusmodi expressam mentionem faciendo.

Item ad reprimendum gravamina quæ per Archiepiscopos & Episcopos ac alios quibus de jure vel consuetudine competit & pertinet visitare subditos suos ecclesiasticos talibus visitatis inferebantur in exigendo & levando procurationes debitas ratione visitationis hujusmodi, constitutionem edidit in qua procurationes tales in pecunia numerata solvi voluit, certo tamen modo limitato & ordinato per ipsum in dicta constitutione, quæ incipit *Vas electionis*. Plures etiam alias constitutiones fecit ad reformationem morum diversorum statuum, & specialiter curialium, secundùm quod sunt Advocati & procuratores curiam Romanam sequentes, quæ tanquam extravagantes permanent in cancellaria.

Florebant isto tempore in Italia, videlicet in studio Bononiensi, primò Iohannes Andreæ decretorum Doctor eximius, qui librum sextum decretalium glossavit, & super eo & decretalibus lecturam utilissimam fecit, quæ Novella appellatur. Clementinas etiam glossavit, & speculum juris additionavit. Item Paulus de Liazariis etiam Doctor profundissimus decretorum, qui super Clementinis valde notabilem lecturam composuit. Item Iacobus de Butrigariis Doctor mirabilis legum, qui in jure civili multa notabilia & profunda scripsit. Citra montes verò Parisius clarebat frater Nicolaus de Lyra Normannus ordinis Minorum, magister in theologia profundissimus, qui totam Bibliam profundissimè & subtilissimè postillavit. Item Tolosæ Guillelmus de Montelauduno Abbas monasterii Novi Pictaviensis, Doctor elegantissimus decretorum, qui super Clementinis lecturam perutilem edidit & sacramentale composuit. Item in Montepessulano Genselinus de Cassanhis Doctor notabilis decretorum, qui super Clementinis scripsit notabiliter, & Extravagantes Iohannis Papæ XXII. glossavit.

Eodem tempore ad dictum Papam præfatus Edoardus Rex Angliæ, orta jam guerra inter ipsum & Philippum Regem Franciæ memoratum, misit certos nuntios: qui Avinioni existentes, de nocte clam & occultè fuerunt capti per certos officiarios dicti Regis Franciæ, & ultra Rhodanum ad partes regni Franciæ captivi adducti, scientibus & consentientibus immo etiam faventibus aliquibus officialibus Papæ, & specialiter Marescallo suo. Quod cùm ad notitiam ipsius pervenisset, sibi summè displicuit, reputans se ex eo offensum, cùm curia Romana debeat esse omnibus communis & secura; & ob hoc pro honore sui ac jurisdictionis Romanæ Ecclesiæ conservatione statim fulminavit sententias, suosque fecit processus contra captivatores & detentores dictorum nuntiorum, supposuitque ecclesiastico interdicto omnia loca in quibus essent, aut ad quæ eos contingeret declinare; sicque viriliter in hoc processit quòd intra paucos dies nuntii prædicti deliberati fuerunt & Avinionem reducti. Ipse etiam volens de suis qui in hoc delinquentes extiterant justitiam facere, omnes illos qui de eo fuerunt inventi culpabiles duris carceribus fecit mancipari, statui seu conditioni nullius deferendo; quorum aliqui demum fuerunt ante valuas hospitii à quo dicti nuncii fuerant extracti suspensi, alii verò alibi seu aliàs trucidati. Et idem, ut dicitur, fieri

fieri mandaverat de dicto suo Marescallo; sed in carcere detentus, præ nimio dolore præmortuus est, se ipsum interimendo; fuitque palam publicè lata sententia contra ipsum jam mortuum tanquam culpabilem, decretumque & ordinatum ut cadaver suum ecclesiastica sepultura careret; fuitque positum in campis in loco ubi ponuntur malefici inclusum in una theca lignea inter duas bigas appensa ad terrorem aliorum.

Anno Domini MCCCXXXVIII. die XVIII. mensis Decembris, quæ fuit feria sexta quatuor temporum, dictus Benedictus Papa unam fecit creationem sex Cardinalium, quos in Presbyteros assumpsit, qui fuerunt isti; videlicet Dominus Gocius de Arimino Italicus tunc Patriarcha Constantinopolitanus, Dominus Bertrandus de Deucio diocesis Vticensis tunc Archiepiscopus Ebredunensis, Dominus Petrus Rogerii diocesis Limovicensis, monachus ordinis sancti Benedicti, tunc Archiepiscopus Rothomagensis, Dominus Guillelmus Curti diocesis Tolosanæ ordinis Cisterciensis, tunc Episcopus Albiensis, Dominus Bernardus de Albia diocesis Appamiarum, etiam Episcopus Ruthenensis, & Dominus Guillelmus de Aura diocesis Carcassonensis, tunc Abbas monasterii Montisolivi ordinis sancti Benedicti. Fuitque reputata creatio hujusmodi multùm notabilis. Nam omnes prænominati erant famosi & profundi Doctores in jure canonico vel civili aut magistri in theologia.

Hic summus Pontifex fuit maximus zelator fidei, ac in omni statu suo fervidus hæreticorum expugnator & rigidus persecutor. Fuit insuper bonæ immo & sanctæ intentionis in omnibus factis suis. Et inter cetera, quantum in ipso fuit dedit operam efficacem ut in beneficiis, dignitatibus, & prælaturis suo tempore vacantibus ponerentur & præficerentur bonæ & honestæ personæ providæque & discretæ ac sufficientes in litteratura ac maturæ in moribus, essentque ætatis provectæ juxta statum & conditionem ac qualitatem beneficiorum, dignitatum, & prælaturarum ad quæ vel quas essent assumendæ. Et in hoc voluit quòd præferrentur meliores & sufficientiores, aliter ad quascunque personas aspectum specialiter non habendo. Et in hoc multotiens se decipi formidavit. Et ob hoc, antequam provideret de talibus suæ dispositioni reservatis, inquirebat summa cum diligentia de meritis & sufficientia illorum qui ad hoc sibi nominabantur. Et cùm eos non reperiebat juxta gustum suum bene idoneos & sufficientes, potiùs volebat quòd vacarent & remanerent in manibus suis quàm si aliter provideret. Propter quod suo tempore multa beneficia, dignitates, & prælaturæ quamplures diutiùs in vacatione permanserunt. Dicebat enim quòd melius & securius erat quòd vacarent quam si haberent malos vel minùs idoneos præsidentes.

Ipse enim de suis consanguineis vel propinquis exaltandis vel promovendis nullatenus curavit. Non enim invenitur quod aliquem de genere suo ad quamcunque prælaturam promoverit nisi unum solum, quem præfecit Ecclesiæ Arelatensi, qui tamen ad hoc aliàs erat bene dignus & sufficiens; & hoc fecit etiam quodammodo precibus & instantia Cardinalium devictus. De laicis verò nullum exaltavit; immo nec voluit quòd statum suum, qui satis erat parvus & infimus, propter ipsum immutaretur. Vnicam enim neptem quam habebat per plures magnates pro conjugio petitam eis dare expressè negavit, dicens in vulgari, suo quòd non decebat talem equum hanc habere sellam; sed demum ipsam nuptui tradidit filio unius merca-

toris simplicis Tolosæ, dotem sibi secundùm statum ejusdem mercatoris constituendo.

Fuit etiam ipse multùm cordatus, constans & rigidus in evitando illa quæ in offensam Dei & animæ suæ periculum seu damnationem cadere posse existimabat, nec ad ea aliquatenus flectebatur. Fertur enim ipsum dixisse Philippo Regi Franciæ memorato, cùm ad ipsum, ut suprà recitatum est, venit, essentque ambo causâ audiendi & exponendi illa quæ idem Rex secum habebat agere, ac per ipsum fieri petere disponebat, quòd ipse ad eum in tantum afficiebatur sibique complacere cupiebat quòd si ipse haberet duas animas, unam sibi libenter daret & eam pro ipso exponeret, sed non habebat nisi unam, quam unicè & summè diligebat, eamque volebat posse tenus conservare. Quibus præsuppositis & præmissis dixit eidem Regi quòd secundùm hoc suas petitiones sic disponeret & limitaret quòd in eis non esset aliquid ad Dei offensam, & per consequens in suæ animæ periculum seu damnationem tendere videretur; quia si sic esset, nullo modo ipsum exaudire intendebat. Quod verbum licèt prima facie dicto Regi aliqualiter durum & extraneum extiterit, tamen ipso bene intellecto & ponderato, ipsum bene gratum habuit, & rationabile & sanctum judicavit, prout etiam in rei veritate fuit.

Ipse insuper mente, verbo, & opere totus extitit intentus ad ea quæ Dei erant posse tenus exequenda. Non tamen propterea illa quæ etiam mundiale regimen sibi commissum concernebant neglexit, immo in ipsis bene & utiliter agendis & gubernandis debitam adhibuit diligentiam providèque se gessit, nihil de contingentibus omittendo. Mundanam pompam & vanam gloriam in se & in suis omnino contempsit. Sicque fuit re & nomine Benedictus, benedictus inquam à Deo, & benedictus, hoc est, bene nominatus & reputatus à mundo, cùm ferè omnes, saltem boni, qui in mundo erant de ipso bene dicerent & æstimarent, & meritò. Nam sine cujusque præjudicio loquendo, considerando omnes alios sui nominis qui ipsum in statu papali præcesserunt, non reperitur quòd ipsum in meritis excesserint, immo nec per eaquæ de ipsis scribuntur attigerint, & si fas sit scribere, post martyres & alios quos Ecclesia veneratur & colit ut sanctos, inter meliores ipse unus fuit & est meritò reputandus. Qui plenus magnis meritis, post multaque opera virtuosa & laude digna, spiritum reddidit salvatori anno Domini MCCCXLII, die XXV. mensis Aprilis, pontificatus sui anno octavo; fuitque sepultus in Ecclesia majori Avinionensi, in qua adhuc jacet in capella pro ipso specialiter fabricata, etiam miraculis coruscando.



SECVNDA VITA.
BENEDICTI XII.

BENEDICTUS XII. ex patre Guillelmo, de castro Savarduno Rivensis diocesis Tolosanæ provinciæ oriundus, assumptus est ad summi pontificatus ministerium anno Domini MCCCXXXIV. in vigilia beati Thomæ Apostoli, de mense Decembris, in episcopali palatio Avinionensi, ubi conclave Dominorum Cardinalium tunc XXIV. ordinatum extiterat. Vacavit itaque sedes post obitum felicis recordationis Domini Iohannis Papæ XXII. (qui mortuus fuerat IV. die Decembris ejusdem) diebus sexdecim. Recepit suæ coronationis honorem in loco fratrum Prædicatorum de Avinione die octava mensis Ianuarii tunc immediatè sequentis de anno Domini MCCCXXXV. cum magna sollemnitate & cerimoniis consuetis. Sedit annis VII. & mensibus III. & diebus XVII.

Hic primò vocatus fuerat Iacobus de Furno monachus monasterii Bolbonensis Cisterciensis ordinis, quod fuerat tempore pubertatis ingressus; & magister in theologia; & ab ipso suo religionis ingressu fervidus erat fidei cum severitate zelator, & in Tolosanis partibus ferventer officium inquisitionis exercens, multas in illis hæreses extirpavit. Tandem in monasterio Fontisfrigidi Narbonensis diocesis præficitur in Abbatem, & spiritualiter ac temporaliter in illo profecit. Demum efficitur Appamiarum & deinde Mirapiscensis Episcopus per Dominum Iohannem Papam XXII. ac postmodum in tituli sanctæ Priscæ Presbyterum Cardinalem in jejuniis sanctæ Luciæ de mense Decembris anno Domini MCCCXXVII. per eundem Papam assumitur, & subsequenter in Papam eligitur, ut præfertur. Et sibi rectissimè nomen assumpsit Benedicti, quia tam in agro quàm in civitate benedictus extiterat, & tam solidæ sinceritatis & constantis conscientiæ benedictionem habuit & vigorem quòd Reges & Principes orbis terræ modicùm appretiatus est & æqualiter pertractavit.

Hic publicæ collationis lora continuit, & quos minùs habentes in examinis districti statera comperit, apostolicæ gratiæ decrevit esse indignos, & quosdam hujusmodi privavit beneficiis quæ habebant. quod non erat primitus consuetum. A seculi dissensionibus manus servavit innoxias, & quosdam rebelles de Italia sub titulo successionis imperii tunc de jure vacantis sub annuo certo censu pro iis quæ tam ab imperio quàm ab Ecclesia Romana tenebant ad suum & Ecclesiæ gremium revocavit.

Prælatos omnes ad eorum Ecclesias redire coëgit, volens eorum ambitiosis pravitatibus obviare; & commendas Ecclesiarum præterquam Dominis Cardinalibus factas, expectationes omnes secundùm formam juris canonici revocavit, & fugavit realiter simoniam, & aures ad posse mendacibus obturavit.

Hic quoque primus regestrum supplicationum signatarum induxit, multas removens fraudes quæ fiebant.

Errorem Bavaricum emendandum æstimans palliavit.

Pro Dominorum Franciæ & Angliæ Regum concordia Dominos Petrum tituli sanctæ Praxedis Presbyterum &

Bertrandum sanctæ Mariæ in Aquiro Diaconum Cardinales ut sedis apostolicæ nuncios; qui non pacem fecerunt, sed treugam, destinavit. Inter Reges Castellæ ac Navarræ tunc æmulos pacem & concordiam reformavit. Similiter etiam in multis provinciis idem fecit. Nam primò misit Dominum Bertrandum tunc Archiepiscopum Ebredunensem & secundariò Dominum Gotium Patriarcham Constantinopolitanum ad Dominos Robertum Ierusalem & Siciliæ Regem ac Fredericum Trinacriæ Regem, pacem inter ipsos facere, ut fecerunt. Item misit eosdem, diversis tamen adinvicem vicibus, in Romaniam aliasque circumstantes urbi provincias & in ipsam urbem, ac tandem per treugarum formam in aliquibus provinciis profecerunt.

Ecclesiæ fluenti thesauro frena dedit; sed illa diù tenere non potuit, quia domus quam ædificare desiderat magna est. Episcopale namque palatium Avinionense prædictum per modum permutationis cum Avinionensi Episcopo celebratæ ad sacrosanctam Romanam Ecclesiam applicatum à fundamentis instituit, & illud mirabiliter ampliavit, magnum in illo thesaurum expendens.

Hic pastor bonus gregis infirmitati compatiens, pro eo quòd sui pontificatus tempore fames valida in civitate Romana & partibus vicinis invaluit, de novem millibus florenorum ad frumentum emendum per alium modum in Romanorum cibum juxta ipsorum ordinationem & indigentiam convertendis ex ejus compassivis affectibus eidem urbi seu populo Romano subvenit. Similiter autem & per diversas mundi provincias occultas & pingues, nesciente sinistra quid dextra faceret, eleemosynas elargitus est, ex terrestribus opibus thesaurum sibi thesaurisans in cælis.

Hic Pontifex Benedictus anno nativitatis Domini MCCCXXXVIII. mensis Decembris die XVIII. quo tempore ordinatorum jejunia celebrat Ecclesia, fecit promotionem sex Dominorum Cardinalium, in qua Reverendos Patres & Dominos Gotium de Arimino de Marchia Anconitana, juris utriusque Doctorem, Constantinopolitanum Patriarcham, in tituli sanctæ Priscæ, Bertrandum de Deucio juris civilis & canonici professorem, tunc Archiepiscopum Ebredunensem & Auditorem contradictarum, in tituli sancti Marci, qui postea fuit Episcopus Sabinensis, Petrum Rogerii monachum ordinis sancti Benedicti, tunc Archiepiscopum Rothomagensem, sacræ theologiæ magistrum, in tituli sanctorum Nerei & Achillei, qui postea fuit Papa Clemens sextus, Bernardum tunc Episcopum Ruthenensem juris Doctorem in tituli sancti Cyriaci in Thermis, qui postea fuit Episcopus Portuensis, Guillelmum monachum ordinis Cisterciensis, magistrum in theologia, tunc Abbatem Bolbonensem, in tituli sanctorum quatuor coronatorum, qui postea fuit Episcopus Tusculanus, & Guillelmum monachum monasterii Lesati ordinis sancti Benedicti, tunc Abbatem monasterii Montisolivi, juris canonici professorem, in tituli sancti Stephani in Cœlio monte Presbyteros Cardinales assumpsit, & columnas illos Ecclesiæ statuit bene dignos.

Hic Pontifex audiens quòd tegumentum seu tectum basilicæ principis Apostolorum de urbe propter trabum antiquissimarum putredinem diù non poterat sustentari, cum novis & veteribus trabibus illud pristinæ soliditati restituit.

Hic ad villam Pontis Sorgiæ Avinionensis diocesis zelo fidei fervens quadam æstate se transferens, multis ad se sacræ theologiæ professoribus accersitis, quæstionem illam de visione divina, quam Dominus Iohannes Papa

XXII. in Romana curia disputando diù ventilaverat, de dictorum magistrorum consilio & Cardinalium concordia diffinivit; & Avinionem rediens, diffinitionem ipsam in sollemni Missarum celebritate satis ceremonialiter publicavit, & ex hoc sub bulla novam constitutionem edidit perpetuò valituram.

Hujus Pontificis tempore, quasi anno ultimo pontificatus ipsius, die Veneris, summo mane, gentes Domini Philippi, qui antea dicebatur de Valesio, tunc Regis Franciæ sine sua conscientia penitùs & consensu in quodam hospitio sito in carreria quæ dicitur Currateria infra civitatem Avinionensem, prædicto Papa ibidem cum tota Romana curia existente, ceperunt nobilem Nicolinum dictum Cardinalem de genere quondam Domini Innocentii IV. Papæ, de Flisco, civem Ianuensem, à Rege Angliæ tunc & de Anglia redeuntem, in lecto repertum, & ipsum extra Romanam curiam in regnum Franciæ per vias inaquosas & invias transduxerunt. Cujus captioni quidam juris peritus, sed in hac parte nec juris nec facti, Iohannes nomine civis Tolosanus, qui per ipsum Papam pro Romanæ curiæ reformatione vocatus marescallatus curiæ officium exercebat, consensum præstitit & favorem. Propter quod, nec immeritò, dictus Papa spiritu furoris accensus processus fecit terribiles & sententias fortissimas fulminavit, ad eundem Regem Franciæ repetitas litteras & diversos nuntios destinavit. Tandem dictum Nicolinum recuperavit, quia dictus Rex statim mandavit illum restitui, quia ejus captio summè sibi displicuit, tum etiam quia desiderabat dicto summo Pontifici complacere. Dictumque Iohannem Mareschallum cum quibusdam ex publicis servientibus captionis hujusmodi consciis capi jussit. Qui Mareschallus in reprobum sensum datus nunquam cibo vel potu nedum affluentissimè sed fidelissimè sibi dato voluit refici, sed nequissima propria conscientia morsus, se ipsum proditoris laqueo non suspendit ut Iudas, sed veneno per suos recepto ei propinato se sponte peremit, & velut diversis excommunicationum sententiis involutus, suumque non recognoscens in ultimis redemptorem, tanquam ejusdem Papæ curiæque Romanæ necnon & curialium omnium proditor manifestus & condemnatus, de carcere mitratus educitur, & videntibus omnibus circumquaque per civitatem super fidelium servientium humeros ad Rhodanum fertur; cujus in littore volatilibus cæli & reptilibus terræ non humandus exponitur, & memoria ejus cum sonitu periit, & nomen ipsius in secula pudor erit. Servientes autem illi qui servabantur in carcere, in trabe quadam foras tunc per fenestras emissa in eodem hospitio quo dictum Nicolinum ceperant, velut Aman ille comprimens, suspenduntur; & multi qui proditionis hujusmodi complices & conscii fuerant, sententiarum hujusmodi justa severitate perterriti Romanam curiam deserunt, & exilio profugi pro voluntate vagantur.

Pontifex iste piè considerans quòd quàmmulti religiosi sanctorum statuta patrum & eorum ordinum regulas aut insolentes aut desides negligebant, humerisque suis sentiens reformationis eorum onus incumbere, more galli se ipsum priùs alis excutientis quàm cantet, à perfecta caritate non discrepans, Cistercienses & sancti Benedicti ordines ex dicta jam negligentia reformandos inspexit, per quasdam constitutiones, quas ad perpetuam rei memoriam edidit, reformavit. Et nisi mors eum, prout Domino placuit, prævenisset, ceteros mendicantium ordines, velut habetur, in pluribus

negligentia deformes sua justa judicii lima similiter reformasset. Eorundem tamen ordinum fratres sine speciali & justa causa limina curiæ Romanæ terentes non redituros absque sedis apostolicæ licentia vel mandato jussit recedere de eadem.

Huic autem sanguis & caro non revelavit amorem. Vix namque nepotem suum Archiepiscopum Arelatensem effecit. Alios autem vel non habuit, vel non novit. Cuidam civi Tolosano, quem & ego videram in Tolosa divitem mercatorem, neptem ejus, ut asserebat, habenti, ad ejusdem Pontificis gratiam cum eadem uxore venienti respondit se Iacobum illos agnoscere, sed Papam consanguineos non habere. Sed quoniam ut cum viderent ad curiam venerant, jussit eis pro adventu & reditu de sumptibus provideri, & cum suæ duntaxat benedictionis gratia Benedictus hic Pontifex remisit.

Hic pastor bonus ex quadam antiqua tibiarum infirmitate fluenti cœpit plus solito infirmari; & volentibus medicis infirmitatis fluxum hujusmodi refrenare, supervenerunt. & alia propter quæ in die beati Marci Evangelistæ de mense Aprilis xxv. die anno nativitatis dominicæ MCCCXLII. migravit ad Christum in palatio quod fundaverat. Et sepultus est in Ecclesia cathedrali beatæ Mariæ Avinionensis in sepulchro quodam pro eodem constructo, ubi nondum quisquam positus fuerat.

TERTIA VITA
BENEDICTI XII.

ANNO Domini MCCCXXXIV. Idibus Decembris Cardinales omnes includuntur numero XXIV. per Comitem Noualium in palatio Avinionensi, in quo Papa Iohannes decessit. In vigilia autem Thomæ Apostoli XIII. Kal. Ianuarii anno Domini MCCCXXXIV. Cardinales prædicti numero XXIV. elegerunt in Papam unum ex se, videlicet Dominum Iacobum Presbyterum Cardinalem tituli sanctæ Priscæ, natum de provincia Tolosana, monachum ordinis Cisterciensis, magistrum theologiæ, & vocatus est Benedictus duodecimus.

Qui in primo consistorio quod habuit, scilicet XII. Kal. Ianuarii, mandavit reparari Ecclesiam Romanam sancti Petri, item Ecclesiam Lateranensem, & alias Ecclesias, & palatia ibidem desolata, & ad fabricam donavit quinquaginta millia florenorum. Item ad subveniendum necessitatibus suorum fratrum collegio Cardinalium donavit centum millia florenorum. Dixit etiam quòd vellet pacem reformare in tota Ecclesia. In die autem nativitatis Domini nostri Iesu Christi, in publica Missa, quam celebravit Dominus Petrus Episcopus Prænestinus, fecit gratiam omnibus qui interfuerunt, septem annos & septem quadragenas de injunctis pœnitentiis; diebus autem sanctorum Stephani & Iohannis, tres annos & tres quadragenas.

Anno autem Domini MCCCXXXV. Benedictus XII. descendit de palatio, in quo electus fuit, & ivit associatus cum Cardinalibus, ut moris est, ad locum fratrum Prædicatorum VII. Idus Ianuarii, & VI. Idus Ianuarii in crastinum ibidem coronatus est per Dominum Neapolionem Cardinalem Diaconum. Et V. Idus Ianuarii reascendit

suum palatium, & petitiones sibi oblatas primo die post coronationem recipere recusavit. Voluit enim nosse conditionem personæ supplicantis & summam redditium & si impetrans antè fuerit beneficiatus.

Item IV. Idus Ianuarii in consistorio suo quod habuit licentiavit omnes Prælatos & Curatos ut post festum purificationis irent ad sua beneficia; alioquin juris remediis uteretur erga eos, nisi causam legitimam standi haberent in curia, quam insuper scire volebat ab eis. Item. à XI. Kal. Februarii usque ad III. Kal. ejusdem mensis vacavit circa petitiones Cardinalium expediendas.

In purificatione beatæ virginis primo anno pontificatus sui celebrem fecit sermonem, & erat suum thema, *Ecce sponsus venit*, Matthæi XXV. in quo publicè dixit quòd sancti viderent clarè essentiam Dei contra opinionem prædecessoris sui, qui de hoc dubium fecerat, ut suprà dictum est de eo. Item pridie Nonas Februarii fecit vocari omnes illos ad suum consistorium qui prædicaverunt opinionem sui prædecessoris quòd visio non esset essentialis Dei, volens scire ipsorum motivum.

Item Rex Franciæ ad Papam misit suos ambassiatores, & petiit thesaurum Ecclesiæ pro passagio faciendo. Sed Papa dare recusavit, nisi intraret mare & passagium initiaret & promissionem impleret quam fecerat sub Iohanne Papa XXII.

Anno Domini MCCCXXXV. IV. Kal. Maii venit Comes Ludovicus de Oetingen ad Papam Benedictum cum tribus Clericis & Militibus & ambasciatis Domini Ludovici, qui se pro Imperatore gerebat, licèt per Dominum Iohannem Papam depositus & excommunicatus fuisset. Ipsis autem in curia existentibus, ambassiatores Mediolani & aliarum civitatum eis confœderatarum Papæ obedientiam faciunt & absolutionem obtinent à sententiis quibus per Iohannem fuerant irretiti, promittentes se nunquam aliquem pro Imperatore recepturos nisi priùs per Papam esset appellatus.

Item pridie Kal. Iunii Benedictus Papa revocavit in consistorio omnes commendas per suos prædecessores factas; exceptis Cardinalibus, quorum nondum commendas revocavit.

Insuper Legati Romanorum petebant instanter ut iret ad urbem. Quibus respondit se iturum, sed diem certum super hoc non assignavit eis.

Item III. Non. Iulii recesserunt ambassiatores prædicti Domini Ludovici de Avinione portantes quæ Papa petebat pro emenda suorum excessuum; quibus adimpletis, sperabatur eorum concordia.

Item pridie Nonas ejusdem mensis, scilicet sequenti die proxima, Papa Benedictus ivit ad Pontem Sorgiæ, volendo ibi vacationes deducere, & habuit secum plures magistros in theologia; & coram illis & Dominis Cardinalibus quibus placuit interesse fecit legere librum quem ipse Benedictus Papa composuit de visione, & auctoritates ibi positas fecit per dictos magistros examinari an essent pertinentes, & ibi quæstiones visionis examinavit.

Mortuus est autem Dominus Iohannes Gaytani in vigilia sancti Augustini Diaconus Cardinalis & Legatus, & sepultus est apud fratres Minores in die sancti Augustini.

Eodem anno in mense Septembri, secunda die ejusdem, iterum misit Dominus Ludovicus, qui se pro Imperatore gessit, prædictum Comitem de Oetingen, & Eberhardum de Thumenowen, magistrum Marquardum de Randegge Canonicum Augustensem, & magistrum Vlricum de Augusta Notarium suum, & fratrem Henricum de Cyphingen ad Papam Benedictum

Domini Rodulfi fratris sui Ducis Bavariæ & Comitis Palatini unà cum Comite Conrado Iuliacensi ad Dominum Benedictum Papam: qui eos bene recepit die prædicta qua ingressi fuerunt Avinionem; licèt antè fuerunt cum Philippo Rege Francorum, & de illo venerunt die supradicta ad Papam Benedictum. Qui Duci Bavariæ prædicto III. Kal Aprilis, Dominica qua cantatur *Lætare*, dedit rosam post Missam; in qua quatuor consecravit Episcopos & duos benedixit Abbates in sua capella Avinionensi. Prima autem die Aprilis venerunt ambassiatores Domini Regis Franciæ ad eum super causa prædicta. Item III. Idus Aprilis respondit prædictis nuntiis quòd dominus eorum non esset pœnitens, & idcirco ad præsens ipsum non posset absolvere. Et sic nunquam absolvit eum Papa Benedictus XII. quia moriebatur sub anno Domini MCCCXLII.

A tempore autem suæ creationis, videlicet Benedicti Papæ XII. usque ad annum septimum completum, præter præmissa nihil dignum relatione fecit, nisi quòd capellam sui palatii ampliavit, & quòd turrim magnam conjunctam suo palatio construxit & quasi perfecit, quæ etiam ad sui similitudinem magna & quadrata existit.

QVARTA VITA BENEDICTI XII.

BENEDICTUS XII. natione Tolosanus, de Savarduno Appamiarum diocesis, priùs nominatus Iacobus, Abbas Fontisfrigidi ordinis Cisterciensis, magister in theologia, deinde Episcopus Appamiarum, pòst Episcopus Mirapiscensis, demum per Dominum Iohannem XXII. prædictum creatus fuit tituli sanctæ Priscæ Presbyter Cardinalis, deinde mortuo Domino Iohanne quarta die Decembris anno Domini MCCCXXXIV. iste in papatu eligitur anno eodem, mensis ejusdem die vigesima, coronatus apud Prædicatores Avinionenses. Sedit autem annis VIII. diebus XVII.

Hic primus cœpit construere palatium apostolicum Avinioni in loco ubi solebat esse palatium episcopale, in quo Dominus Iohannes Papa residere consuevit.

Hic justus & durus per constitutionem *Ad regimen* erat. Beneficia quæ dispositioni sedis apostolicæ reservavit vix conferre voluit, timens, ut dicebatur, ne conferrentur indignis.

Hic multum thesaurum Ecclesiæ congregavit. Hic nihil dare voluit alicui de suo genere vel consanguinitate. Iste verò neminem timebat quin justitia fieret. Bonos dilexit, & malos odio habuit. Hic diversas extravagantes fecit. Hic Mareschallum suum propter traditionem quam ipse fecisse dicebatur tradendo quosdam Anglicos Avinioni tunc moram facientes in manus Domini Philippi Regis Francorum, inter quem & Regem Angliæ tunc guerra orta fuit, quæ multis annis duravit, suspendi fecit ante domum de qua Anglici proditi & educti fuerunt, fecitque illum in campo sepeliri. Sed Dominus Clemens VI. postmodum fecit illum extumulari & in cimiterio locari in favorem Regis Franciæ, sicut famabatur.

Hujus tempore cæperunt Cardinales ædificia ultra pontem facere, in quibus

æstivo tempore morabantur. Hic Papa aliquando moram fecit in Ponte Sorgiæ.

Iste sententias latas per Dominum Iohannem prædecessorem suum contra Ludovicum Ducem Bavariæ se pro Imperatore gerentem nunquam aggravavit; sed ei Legatos suos misit, monens & hortans ut ad Ecclesiæ rediret unitatem.

Anno secundo sui pontificatus, in festo sanctorum Simonis & Iudæ, die XXVIII. mensis Octobris circa horam Vesperorum, ventus improvisè surgens in diversis mundi partibus aërem adeo fortiter commovit turbinosum, nec tamen diù durans, ut multis in locis tecta Ecclesiarum & domorum, etiam plumbea, ad magnam distantiam transportaret, magnaque & multa fieret domorum ac Ecclesiarum & monasteriorum ruina.

Hic anno Domini MCCCXXXVI. & pontificatus sui anno secundo prædicto, IV. Kal. Februarii, decretalem, quæ incipit *Benedictus Deus in sanctis suis*, decisoriam quæstionis seu altercationis tempore Domini Iohannis inter theologos agitatæ de visione faciali Dei ante diem judicii, quam idem Dominus Iohannes morte præventus non determinavit, sed indecisam reliquit, edidit & declaravit, videlicet quòd animæ sanctæ nihil habentes purgabile statim ut decedunt faciem Dei vident, mandans sub pœna anathematis & incursionis hæresis ne quis contra hujusmodi determinationem dogmatizaret aut crederet.

Anno Domini MCCCXXXVII. tertia die Iunii combustus fuit in Venetiis anno pontificatus Domini Benedicti tertio frater Franciscus de Pistorio ordinis Minorum propter opinionem quam Ecclesia reprobabat de paupertate evangelica.

Iste suo tempore creavit sex Cardinales.

Hujus temporibus Eduardus Rex Angliæ jam factus inimicus Philippi Regis Franciæ venit in Frankenford Maguntinensis diocesis ad Ludovicum Bavariæ gerentem se pro Imperatore pro auxilio sibi ferendo. Qui Ludovicus eundem fecit Vicarium imperii. Cujus vicariatus prætextu renitentem sibi populum Cameracensem & civitatem, quæ est camera imperii in Francia, obsedit, sed non cepit. Idem etiam Ludovicus Raynaldum Comitem Gelriæ & Willelmum Comitem Iuliacensem, illum Ducem, & istum Marchionem creavit in Frankenfordia cœtu Principum congregato anno Domini MCCC....

Circa idem tempus surrexit quidam in partibus superioribus qui se Regem Armileder nominabat, qui adunata multitudine minorum & rusticorum Iudæos quoscunque reperire poterat trucidabat. Sed demum per Ludovicum Bavarum prædictum captus, occidi jussus est, & tota illa congregatio dispersa est.

Hujus Papæ temporibus Dominus Alphonsus Rex Hispaniæ contra Regem Marrochiæ conserto prælio triumphavit. Et in signum victoriæ idem Rex vexillum suum Domino Papæ misit, quod usque hodie in capella Papæ Avinioni conservatur.

Idem Dominus Papa multas constitutiones & ordinationes fecit circa ordines monachorum nigrorum & Cisterciensium.

Obiit autem anno Domini MCCCXLII. XV. die Aprilis, pontificatus sui anno octavo. Et vacavit sedes diebus XIII.



QVINTA VITA BENEDICTI XII.

BENEDICTVS XII. ex patre Guillelmo de castro Savarduni Rivensis diocesis fuit electus in Papam Avinione in palatio apostolico, ubi Cardinales habitaverant in communi, anno Domini MCCCXXXIV. in vigilia sancti Thomæ Apostoli. Hic primitus Iacobus vocabatur; fuitque coronatus in Ecclesia Prædicatorum Avinionensium VI. Idus Ianuarii anno Domini MCCCXXXV. more Pontificum Romanorum. Vacaverat sedes diebus XVII.

Hic autem tempore pubertatis monasterium Bolbonæ Mirapiscensis diocesis ordinis Cisterciensis ingressus, professionem fecit ibidem. Deinde ad monasterium Frontisfrigidi ejusdem ordinis Narbonensis diocesis se transtulit; cujus monasterii erat Abbas tunc recolendæ memoriæ Dominus Arnaldus avunculus ipsius, qui postea factus fuit sanctæ Romanæ Ecclesiæ tituli sanctæ Priscæ Presbyter Cardinalis. Hic existens Parisius sacræ theologiæ Bacallarius electus fuit Abbas monasterii Frontisfrigidi supradicti. Deinde factus Parisius sacræ theologiæ magister, idem monasterium per sex annos religiosè gubernavit. Qui postea factus Episcopus Appamiarum, dictum episcopatum prudenter rexit annis novem, eundemque hospitiis, jurisdictionibus, & nonnullis juribus ampliavit; hæreticos, qui in partibus illis ob negligentiam præsulum pullulaverant, extirpavit. Post hæc creatus Mirapiscensis Episcopus, ipsi Ecclesiæ præfuit mensibus viginti duobus. Deinde per Dominum Iohannem Papam XXII. prædecessorem suum factus sanctæ Romanæ Ecclesiæ tituli sanctæ Priscæ Presbyter Cardinalis in jejuniis quatuor temporum mensis Decembris. Octo annis in cardinalatu stetit. Deinde eodem Domino Iohanne Papa viam universæ carnis ingresso, propter vitam laudabilem ipsius, scilicet Benedicti, creatus extitit Papa tempore supradicto.

Hic animadvertens cupiditatem & carnalitatem nimiam in Ecclesia Dei esse, ipsam nisus est penitùs amovere. Quærens in papatu quæ sunt Christi, non cupiditati neque carnalitati deserviens, largitus est eleemosynas, fecitque multa opera pietatis. Episcopos, eorumque superiores, Abbates, prioratus, dignitates, personatus, & curata beneficia obtinentes in curia commorantes compulit de ipsa curia recedere, mandavitque eosdem etiam invitos in eorundem Ecclesiis & beneficiis residere. Insuper commendas per Dominum Iohannem prædecessorem suum præfatum de cathedralibus, regularibus, & collegiatis Ecclesiis factas nonnullis Prælatis & aliis clericis transgredientibus patrum terminos ab omnibus revocavit. Et quia Ecclesiæ erant de multis expectantibus auctoritate dicti prædecessoris sui quampluri-mùm oneratæ, omnes revocavit secundùm juris formam extr. de concess. præb. cap. ultimo. Preces etiam importunas Principum secularium & personarum ecclesiasticarum totaliter sprevit. Habentibusque beneficia congrua secundùm decentiam eorundem multiplicare seu conferre alia denegavit. Et quando habentibus beneficia alia majora contulit, eosdem compulit dimittere priora beneficia quæ habebant.

Hic fugavit à Romana curia simoniacam pravitatem. Fecit assistentes sibi quòd munera seu exenia non recipe-rent præstare corporaliter juramentum.

Rursus cùm tempore prædecessoris sui præfati multa erronea de faciali & beatifica Dei visione prædicata fuissent, & exinde plurima scandala suscitata, quæstionem præfatam cum consilio fratrum suorum Dominorum Cardinalium multorumque magistrorum sacræ theologiæ cum laboribus multis ad exaltationem fidei catholicæ laudabiliter terminavit, prout in constitutione sua super hoc edita seriosiùs continetur.

Item cùm multi inhabiles & indigni ante ipsum beneficia à sede apostolica impetrabant, ordinavit quòd omnes quibus de beneficiis ecclesiasticis gratiam faciebat deberent secundùm beneficiorum ipsorum conditionem per unum de suis ad hoc specialiter deputatum de idoneitate & scientia examinari, & reperti inhabiles privabantur gratiis impetratis. quod ante ipsum non fuerat consuetum. Pueris quoque minoribus quatuordecim annis non contulit canonicatus in cathedralibus Ecclesiis, nec cum minoribus in dignitatibus & prioratibus dispensavit. Item ordinem suum Cisterciensem bonis & justis ordinationibus reformavit. Sacram beati Benedicti regulam monachorum nigrorum in multis quasi collapsam ab observantia regulari reduxit ad observantiam debitam regularem cum nonnullis justis ordinationibus & statutis. Portitores novarum mendacia confingentes ab ipsorum vesania refrenavit. Item monuit secundò Prælatos & compulit sub excommunicationis pœna ad suas redire Ecclesias & ad residentiam in eisdem faciendam. Libenter beneficia contulit viris litteratis, etiam absentibus à curia, interdum etiam ignorantibus, de quibus sibi laudabile testimonium perhibebatur.

Porrò, quia temporibus retroactis, quando per Papam gratiæ seu supplicationes gratiarum signabantur, ipsæ supplicationes præsentabantur per Camerarios Domini Papæ aut per alios de ipsorum mandato, unde frequenter quæstus illicitos ab eis fieri contingebat, ordinavit idem Dominus Benedictus quòd petitiones hujusmodi signatæ per eum integraliter in palatio apostolico regestrarentur per regestratorem ad hoc specialiter deputatum, & eisdem supplicationibus regestratis bene ascultatis & correctis, supplicationes originales per clericum suum juratum ad hoc specialiter deputatum portarentur ad cancellariam in quodam sacculo sub sigillo suo secreto clauso & signato. Hic volens providere statui personarum inferiorum nequeuntium ad ipsum habere aditum de facili pro justitia obtinenda, ordinavit quòd unus de assistentibus sibi ad hoc per ipsum specialiter deputatus reciperet supplicationes justitiæ, & illas bene cerneret & examinaret; & repertæ justæ, committebantur, causæ sibi relatione facta. Per quem modum providebatur spoliatis & aliis oppressis, qui in suis partibus non poterant justitiam obtinere. Item statuta Ecclesiarum, fundationes capellarum & Ecclesiarum, renovationes privilegiorum firmabantur & fiebant, & multa alia utilia expediebantur ad Dei servitium & honorem in curia vel in partibus, prout justitia suadebat. De quibus quidem & aliis potest de eo dici veridicè quòd Ecclesiam Dei, quæ erat facta Agar, Sarram fecit, & de servitute ad libertatem perduxit.

Hic videns cathedrales Ecclesias, maximè regulares, à clericali & regulari observantia deviare, direxit viros prudentes, providos, & honestos ad illas pro reformatione ipsarum. Item

in tantum creverat ambitio monachorum & Canonicorum regularium quod de uno monasterio vel Ecclesia ad aliud se transferri cum instantia postulabant, & beneficia impetrabant & dignitates in illis. Quos quidem idem Dominus Benedictus in monasteriis in quibus professi fuerant voluit remanere, nec ipsis monasteria vel habitum mutare permisit. Religiosos mendicantes qui in curia morabantur absque justa & rationabili causa compulit recedere de eadem. Item ad Ecclesias cathedrales regulares misit reformatores, quæ circa numerum Canonicorum & multa alia honesta & utilia reformatæ fuerunt.

Item cùm hospitalia & leprosariæ detinerentur à multis indebitè & injustè, nec in illis hospitalitatis seu pietatis opera servarentur, mandavit ab ipsis hospitalibus seu leprosariis amoveri hujusmodi detentores & in eisdem hospitalitatem servari, hospitalia quoque & leprosarias prædictas personis idoneis conferri secundùm formam Concilii Viennensis extra de relig. dom. cap. *Quia contingit.*

Item animadvertens quòd pro multis necessitatibus interdum curia citra montes habet morari, hospitia nobilissima nomine Romanæ Ecclesiæ Avinioni construxit. Item Romæ Ecclesiam beati Petri & hospitia principalia fecit reparari, quæ erant in ruina, in Dei & beatorum Petri & Pauli servitio & honore.

Hic quoque advertens officiales prædecessoris sui præfati multa per impressionem & aliàs indebitè extorsisse, commisit personæ idoneæ querelas quorumcunque contra ipsos extortores, qui tandem compulsi sunt restituere multa quæ indebite reperti sunt extorsisse.

Item pro pace tractanda inter Reges Robertum & Fredericum & ad provincias Romanæ Ecclesiæ pacificandas ad Reges præfatos & dictas provincias Ebredunensem Archiepiscopum destinavit. Vnde pax in Benevento & Campania facta fuit, Romæ inter Vrsinos & Columnenses æmulos & ad invicem inimicos treugæ annorum plurium factæ fuerunt. Item in patrimonio beati Petri, ducatu Spoletano, Marchia Anconitana, & Romandiola pax & concordia in multis facta fuit inter gentes partium prædictarum. Hic fecit inquiri contra rectores & officiales ad præfatas provincias destinatos; & nonnulli ipsorum, qui indebitè extorserant, restituere sunt coacti.

Misit etiam ad tractandam pacem inter Reges Angliæ & Scotiæ, & inter Reges Castellæ & Navarræ, nuntios solemnes, viros prudentes, providos, & honestos. Vnde inter dictos Reges Castellæ & Navarræ fuit pax & concordia reformata.

Item in domo seu hospitio suo duodecim capellanos absque rochetis habere voluit, qui decantabant cotidie horas diurnas pariter & nocturnas. Item prioratus regulares vacantes in curia ad regulares suos reverti voluit & mandavit. Item prælaturis vacantibus in curia providit de viris providis & litteratis absque ipsorum scientia & procuratione.



SEXTA VITA
BENEDICTI XII.

Ex appendice Ptolemæi Lucensis.

BENEDICTUS XII. de partibus Tolosanis electus est anno Domini MCCCXXXIV. XII. Kal. Ianuarii. Hic anno quarto pontificatus sui in temporibus jejunii ordinavit sex Presbyteros Cardinales, videlicet Ebredunensem, Album nomine, Guillermum Montis olivarum, Dominum Gotium de Ariminis, Dominum Rothomagensem, Dominum de Rodés. Hic confirmavit atque roboravit sententias contra Ludovicum de Bavaria asserentem se Romanorum Imperatorem. Hic constituit Dominum Luchinum de Vicecomitibus tyrannum Mediolanensem & multarum aliarum civitatum & terrarum Pedimontis & Lombardiæ in vicarium pro Ecclesia, tanquam Romano imperio vacante & ad sedem apostolicam spectante. Item simili modo Dominum Mastinum de la Scala in Veronam & Vicentiam. Item Dominos de Gonzaga in Mantuam & Reginam civitates. Item Marchionem Ferrariensem in Mutinam, Constantiam, atque Argentinam. Anno illo pontificatus sui prædicto guerræ mortales & crudeles incipiebant inter Reges Philippum Franciæ & Eduardum Angliæ. Pro pace vel treuga inter ipsos ponenda duos nuntios Cardinales dictus Papa transmiserat, sed modicùm relevavit. Item suo tempore Rex Angliæ cum sua armata debellavit armatam Regis Franciæ in die sancti Iohannis Baptistæ supra Sclusam portum Flandriæ; in quo bello mortui fuerunt circiter triginta millia Gallici & Normanni, & amiserunt octingentas naves. Item Dominus Papa fieri fecit totum magnum palatium ubi ipse residentiam faciebat Avinioni cum turribus circumcirca atque viridario bene fabricatis cum veronibus circumcirca. Hic fuit homo durus & constans, magnus magister in legibus & divinitate, ac adeo justus & durus ut beneficia dispositioni apostolicæ reservata vix conferre vellet, timens ne conferret indignis. Hic multum thesaurum Ecclesiæ congregavit. Hic nihil dare voluit alicui de suo genere vel consanguinitate. Iste verò non timebat quemquam quòd jus & justitia non observaretur ubique per universum. Hic nimis bonos dilexit, & malos odio habuit. Hic primus cœpit construere palatium apostolicum Avinione in loco ubi solebat esse palatium episcopale, in quo Dominus Iohannes residere consuevit. Hujus tempore surrexit quidam in partibus superioribus qui se Regem Arculeder nominabat, qui adunata multitudine minorum & rusticorum Iudæos quoscunque reperire poterat trucidabat. Sed demum per dictum Ludovicum de Bavaria captus, occidi jussus fuit, & tota illa congregatio est dispersa. Tandem anno Domini MCCCXLII. in die sancti Marci Evangelistæ Avinione in palatio quod construi fecerat ad Christum migravit, de cujus morte tota curia ac christianitas condoluit; sepultusque est in Ecclesia cathedrali Avinionensi.

SEPTIMA VITA
BENEDICTI XII.

Auctore Petro de Herentals Priore Floreffiensi.

BENEDICTUS XII. qui priùs vocabatur Iacobus Cisterciensis ordinis Abbas, & postea Cardinalis, fuit electus in Papam anno Domini MCCCXXXIV. seditque annis VIII. in civitate Avinionensi. Multa in principio sui pontificatus ordinavit & statuit: inter quæ hoc unum fuit, quòd Capellani sui dicerent horas canonicas cum nota, & quòd omnes dormirent in uno dormitorio, nec haberent alios redditus quàm mensæ papalis victum & vestitum. Item anno Domini MCCCXXXV. dictus Papa Benedictus decretalem edidit quæ incipit *Benedictus Deus in sanctis suis*, in qua doctrinam supradictam in titulo Iohannis Papæ prædicti hæreticam ostendit & damnavit sub tenore qui sequitur.

Auctoritate apostolica diffinimus quòd secundùm communem Dei ordinationem animæ sanctorum hominum qui de hoc mundo ante passionem Domini nostri Iesu Christi decesserunt, necnon sanctorum Apostolorum, confessorum, martyrum, virginum, & aliorum fidelium defunctorum post sacrum eorum baptisma Christi susceptum, in quibus nil purgabile fuit quando decesserunt, nec & quando decedant in futurum, vel si tunc fuit aut erit purgabile aliquid in eisdem, cùm post mortem purgatæ fuerunt, aut quòd animæ puerorum Christi baptismate renatorum & baptizandorum, cùm fuerint baptizati, ante usum liberi arbitrii decedentium, mox post mortem suam & post purgationem præfatam in illis qui purgatione indigebant, etiam ante resumptionem suorum corporum & judicium generale post Ascensionem salvatoris Domini nostri Iesu Christi in cælum fuerunt & erunt in cælo cælorum regno & paradiso cum Christo angelorum sociatæ consortio, ac post Domini nostri Iesu Christi passionem & mortem viderunt, vident, & videbunt divinam essentiam visione intuitiva & etiam faciali, nulla mediante creatura in ratione objecti se habente, sed essentia divina se nudè & clarè & apertè eis ostendente, quòdque sic videntes eadem divina essentia perfruuntur, necnon quòd ex tali visione & fruitione eorum animæ qui jam decesserunt sunt verè beatæ & habent requiem æternam, & animæ illorum qui postea decedent eandem videbunt divinam essentiam ipsaque perfruentur ante judicium generale, ac etiam quòd hujusmodi divinæ essentiæ visio ejusque fruitio actus fidei & spei in eis evacuat, prout fides & spes propriè sunt theoricæ virtutes, quòdque postquam inchoata fuit vel erit talis intuitiva & facialis visio & fruitio, in eisdem visio & fruitio sine aliqua intercisione seu evacuatione prædictæ visionis & fruitionis contrariata existit & continuabitur usque ad finale judicium & ex tunc & usque in sempiternum. Diffinimus insuper quòd secundùm Dei communem ordinationem animæ decedentium in actuali mortali peccato mox post mortem suam ad inferna descendunt, ubi pœnis infernalibus cruciantur, & quòd nihilominus in

die judicii omnes homines ante tribunal Christi cum suis corporibus comparebunt reddituri de factis propriis rationem, ut recipiat unusquisque prout gessit in corpore suo, sive bonum fuerit, sive malum. Contrarium istorum & omnium singulorum scienter & pertinaciter tenens, asserens, vel defendens, sicut hæreticus habetur.

Anno Domini MCCCXLII. Papa Benedictus moritur, & in Avinione sepelitur. de quo tale metrum scribitur.

Iste fuit Nero, laicis mors, vipera clero,
Devius à vero, cuppa repleta mero.

OCTAVA VITA.
BENEDICTI XII.

Benedictus XII. de castro appellato Savarduno provinciæ Tolosanæ oriundus ex humili genere fuit electus in summum Pontificem inopinatè in anno Domini MCCCXXXIV. die XXI. mensis Decembris. Hic primò in ordine Cisterciensi magister in theologia, deinde Episcopus Mirapiscensis, ad cardinalatum per Dominum Iohannem, tandem ad papatum in Avinione fuit assumptus.

Anno primo pontificatus ejusdem ad perpetuam rei memoriam declaravit quandam opinionem à fide catholica satis extraneam, super qua prædecessor ipsius fecerat disputari, utrum animæ hominum videant Deum vel visuræ sint solùm post judicium; & sub bulla apostolica publicavit quòd affirmare pertinaciter quòd animæ beatorum non videant Deum sit hæreticum, cùm hoc sacræ scripturæ & fidei catholicæ contradicat.

Eodem quoque anno fecit unam constitutionem de apostatis, satis piam, quæ incipit *Pastor bonus*, in qua concessit quòd omnes apostatæ qui transiverunt non licitè, aliàs vagabantur in seculo, deberent ad ordines redire à quibus apostataverant, & quòd prælati deberent ipsos recipere & legitimè tractare, & super irregularitate, si quam contraxissent, dispensarent misericorditer cum eisdem.

Eodem insuper anno fecit multas reformationes circa statum monachorum nigrorum, de modo vivendi, & de regimine, & de multis aliis; ut patet intuenti reformationes illas, quæ communiter Abbatum illius ordinis dominium ampliarunt, & subditos coartarunt. Harum reformationum promotor & compilator fuit Dominus Petrus Carnotensis Cardinalis ordinis monachorum nigrorum, qui dictas reformationes inceperat tempore Domini Iohannis Papæ XXII.

Huic Domino Benedicto maximè insitum cordi fuit clericos & religiosorum ordinum professores & status reformare &, ut dicatur veriùs, infirmare. Paucos enim vel nullos bonos credebat, & omnes à via mandatorum Domini & consiliorum semita declinasse dicebat. Nullos vel paucos dignos promotionibus vel gradibus ecclesiasticis æstimabat.

Hic Dominus Benedictus Papa avarus, durus, & tenax, in conferendis gratiis remissus, tardus & negligens in providendo statum Ecclesiarum supra modum fuit; & in excusatione duritiæ suæ paucos ad hæc dignos vel sufficientes dicebat. Omnes Dominos Cardinales

Cardinales fore deceptores sui credebat. Raro supplicationes ipsorum recipere volebat, ipsosque non modicùm suspectos habebat. Ordines mendicantium supra modum per facti evidentiam exosos habebat. Paucos vel nullos de ipsis ordinibus ad prælationes promovebat. Dissensiones eorum libenter audiebat, & subditis contra prælatos favere videbatur mirabiliter.

In propositionibus turpibus & inhonestis plusquam in virtuosis habere complacentiam ex risibus & motibus aliis omnibus notum erat. Potator vini maximus ab omnibus curialibus dicebatur, adeo ut versum sit in proverbium consuetum dici: *Bibamus papaliter.*

Anno secundo pontificatus ejusdem ad instantiam Philippi Regis Franciæ fecit prædicari passagium terræ sanctæ futurum ab inde ad triennium. quod tamen effectum non habuit, cùm etiam propter delusiones præteritas minimè fiendum communiter crederetur.

Anno tertio pontificatus ejusdem fecit processus contra Bononienses, & privavit civitatem studio & privilegiis apostolicis & imperialibus propter expulsionem Domini Bertrandi Cardinalis olim in partibus illis Legati. Et tandem, aliquibus pactis præmissis, restituit dictam civitatem ad gratiam apostolicæ sedis. Et constituit Thadæum de Pepulis rectorem ibidem ad tres annos pro sancta Romana Ecclesia sub annuo censu, videlicet octo millium florenorum auri, non absque admiratione multorum.

Eodem anno tertio ejusdem pontificatus venerunt ambassiatores Ludovici de Bavaria, qui se pro Imperatore gerebat, petentes reconciliationem dicti Ludovici cum Ecclesia; quam sibi promissam, ut dicebatur, agente Philippo Rege Franciæ prædicto cum pluribus Cardinalibus, non potuit obtinere.

Anno quarto pontificatus ejusdem mota est guerra non modica inter Regem Franciæ Philippum & Regem Angliæ Edouardum super juribus regni Franciæ, dicto Edouardo Rege Angliæ dicente jus regni Franciæ sibi competere. Propter quod dictus Dominus Benedictus Papa ad hoc sedandum misit illuc Legatos Petrum Hispanum Sabinensem & Bertrandum de Montefaveso tituli sanctæ Mariæ in Aquiro Presbyterum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales; qui post multos tractatus habitos modicùm profecerunt, dicto Rege Angliæ multa damna & opprobria per terram & mare coronæ Franciæ inferente, Flandrensibus & Scotis & nonnullis aliis amplis terris sibi ac regno Angliæ pariter conligatis.

Anno eodem quarto ejusdem pontificatus Grandis Dominus Tartarorum misit ambassiatores, litteras, & exennia ad dictum Dominum Papam Benedictum; quos dictus Papa habitis multis tractatibus cum Cardinalibus honorificè pertractavit, & unum scutiferum Tartarorum ipsorum ambassiatorum servientem armorum suorum creavit; & dicto Domino Tartarorum litteras continentes articulos catholicæ fidei & exhortationes bonas & pulcra exennia destinavit.

Anno eodem quarto pontificatus ejusdem fecit unam ordinationem Cardinalium sex, quos assumpsit feria sexta quatuor temporum mensis Decembris; quorum nomina sunt hæc, scilicet Dominus Gochius de Ariminis Patriarcha Constantinopolitanus tituli sanctæ Priscæ Presbyter Cardinalis, Dominus Bertrandus Archiepiscopus Ebredunensis tituli sancti Marci Presbyter Cardinalis, Dominus Petrus Rogerii Archiepiscopus Rothomagensis tituli sanctorum Nerei & Achillei Presbyter Cardinalis ordinis sancti Benedicti, Dominus Bernardus de Albia Episcopus Ruthenensis tituli sancti Cyriaci in Thermis Presbyter Cardinalis,

Dominus Guillelmus Curti ordinis Cisterciensis magister in theologia Episcopus Albiensis tituli quatuor coronatorum Presbyter Cardinalis, Dominus Guillelmus de Aura Abbas Montisolivi tituli sancti Stephani in Cœlio monte Presbyter Cardinalis.

Anno verò pontificatus ejusdem Domini Benedicti Armeni fuerunt delati à quibusdam fratribus qui in Italia vocantur fratres Armeni.

PRIMA VITA
CLEMENTIS VI.

Editio Bosqueti collata cum vetustis codicibus MSS.

CLEMENS Papa VI. natione Aquitanus, de loco de Malomonte Lemovicensis diocesis, post dictum Benedictum Papam XII. immediatè fuit electus in Papam in Avinione die septima mensis Maii anno Domini MCCCXLII. & die XIX. ejusdem mensis fuit coronatus.

Hic prius vocatus est Petrus Rogerii, fuitque monastico habitu indutus in monasterio Casæ-Dei in Arvernia diocesis Claromontensis ordinis sancti Benedicti in suæ flore juventutis, ubi primùm edoctus extitit in regularibus observantiis; demum ivit ad studia litterarum, in quibus adeo profecit quòd fuit effectus profundissimus & solemnis magister in theologia. Pòst verò primò ad monasterium Fiscannense in Normannia, & ab inde ad Ecclesiam Attrebatensem fuit promotus; de qua demum successivè translatus extitit primò ad Senonensem, secundò ad Rothomagensem Ecclesias, & postremò per dictum Benedictum assumptus in Presbyterum Cardinalem, habuitque titulum sanctorum Nerei & Achillei; & tandem, ut præmittitur, electus fuit in Papam; seditque annis X. mensibus VII. & diebus V. & vacavit sedes diebus XIII.

Hic summus Pontifex satis citò post creationem suam optans quòd guerra jam à diu exorta inter Reges Franciæ & Angliæ sedaretur, misit ad ipsos suos nuntios legationis officio fungentes Dominos Petrum de Pratis Penestrinum & Hannibaldum Tusculanum Episcopos Cardinales causa reformandæ pacis inter eos. Qui diutiùs circa hanc laboraverunt & institerunt, non tamen ad pacem pervenire potuerunt; sed tamen finaliter, Domino cooperante, eos inclinaverunt ad treugas, quas pro tunc inierunt ad quatuor annos postea secuturos.

Eodem tempore, æstate jam inchoata, fuit maxima aquarum inundatio ferè in toto climate nostro à pluviis exorta, sic quòd etiam in montium cacumine scaturire viderentur, & loca inconsueta occuparent, pontesque & turres diruerent, & quod est mirum dictu, in civitate Coloniensi navibus ad muros scanderetur, & in civitate Avinionensi navigio transiretur.

Dictus Papa die XX. mensis Septembris, quæ fuit sexta feria quatuor temporum, anno prædicto MCCCXLII. fecit creationem decem Cardinalium, videlicet octo Presbyterorum & duorum Diaconorum. Presbyteri autem fuerunt, Dominus frater Helias de Nabilanis ordinis Minorum diocesis

Petragoricensis tunc Archiepiscopus Nicosiensis, Dominus Guido de Bolonia frater Comitis Boloniensis tunc Archiepiscopus Lugdunensis, Dominus Aymericus de Castrolucii diocesis Lemovicensis tunc Episcopus Carnotensis, Dominus Andreas de Florentia Italicus tunc Episcopus Tornacensis, Dominus Stephanus Alberti diocesis Lemovicensis tunc Episcopus Claromontensis, Dominus Hugo Rogerii monachus ordinis sancti Benedicti diocesis Lemovicensis tunc electus Tutellensis frater ipsius Papæ, Dominus Ademarus Roberti diocesis Lemovicensis tunc sedis apostolicæ Notarius, & Dominus frater Geraldus de Guardia diocesis Lemovicensis tunc generalis magister ordinis Prædicatorum consanguineus ejusdem Papæ. Diaconi verò fuerunt Dominus Bernardus de Turre in Arvernia diocesis Claromontensis tunc Subdiaconus Papæ, & Dominus Guillelmus Iudicis legum Doctor diocesis Lemovicensis nepos ipsius Papæ ex sorore.

Item Dominus Papa audiens guerras, dissensiones, & turbationes quæ erant & vigebant quasi communiter in partibus Italiæ, ex quarum occasione subversio earum verisimiliter poterat evenire, & etiam ex aliis rationabilibus causis ad hoc animum suum moventibus, per idem tempus misit Legatum suum de latere ad partes memoratas Dominum Guillelmum Curti tituli sanctorum Quatuor Coronatorum Presbyterum Cardinalem, qui aliquandiu ibidem permansit & in multis complevit sibi commissa, & quoad dissensiones & guerras prædictas, ipsas per bonas treugas sedavit.

Eodem tempore obiit Robertus Rex Siciliæ, nullis liberis masculis relictis; sed regnum suum jure hereditario devenit ad Iohannam dicti Roberti neptem ex filio defuncto Iohanne Duce Calabriæ, adhuc in ætate pupillari constitutam, quam per prius nuptui tradiderat Andreæ fratri Regis Vngariæ. Et quia pro tunc regimen & administratio dicti regni ad Ecclesiam pertinebat donec dicta Iohanna ad ætatem perfectam pervenisset, pro regimine & administratione hujusmodi dictus Papa misit Legatum suum de latere ad regnum prædictum Dominum Aymericum de Castrolucii tituli sancti Martini in montibus Presbyterum Cardinalem, qui ibi vel circumcirca permansit per aliquod tempus; sed circa regimen & administrationem regni memorati modicum facere potuit, per dictam Iohannam jam doli capacem impeditus. Processu verò temporis, dum dictus Andreas se disponeret ad coronam regiam recipiendam, fuit nequiter & proditionaliter interfectus, operantibus & consentientibus tam aliquibus cubiculariis suis quàm multis etiam domesticis suis de quibus specialiter confidebat. Modus autem necis suæ fertur fuisse quòd dum quadam nocte in Aversana civitate disponeret se ad eundum ad lectum cum dicta conjuge sua, fuit fraudulenter subitò & proditionaliter per ipsos vocatus ad quoddam deambulatorium, & ibidem cum fune in collo suo ligato strangulatus, & deinde præcipitatus ad viridarium quod erat subtus illud deambulatorium. Quæ res fuit magni scandali & iniquitatis inauditæ; fuitque in hoc virificatum illud vulgare dictum: *Nulla pejor pestis quàm familiaris inimicus &c.* Occasio autem hujus sceleris specialiter fuisse dicitur quia ipse, tanquam virtuosus & audax, verbo & facto monstrabat se velle punire aliquos quos videbat criminosos & malè se habentes quamprimum per coronationem plenum dominium dicti regni ad ipsum pervenisset. De quo malè sibi conscii & meritò formidantes cogitaverunt adversùs eum modo præmisso sibi ipsis præcavere. In quo discant

nova dominia assumentes quòd à principio non exasperent, molestent, aut terreant subditos, etiam quantumcunque demeritos, neque pandant interiora sui cordis, sed dissimulent, & potiùs tales alliciant, eisque blandiantur, donec habeant dominii sui firmitatem, dederintque ordinem per quem adversùs eos procedere valeant absque sui periculo & scandalo aliorum, quia ex opposito multi modo simili aut crudeliori periisse aut à dominiis suis dejecti fuisse leguntur. Fuerunt autem, qui capi & comprehendi potuerunt, neci traditi interfectores dicti Andreæ eorumque complices & fautores. Contra alios verò dictus Papa fecit processus & fulminavit sententias quantum ratio dictabat & justitia suadebat.

Per idem etiam tempus suscitata fuit guerra inter Petrum Arragonum & Iacobum Majoricarum Reges occasione homagii regni Majoricarum & aliarum terrarum suarum, quas dictus Rex Arragonum prætendebat ad se pertinere, alio hoc simpliciter denegante. Sed pro sedatione ejusdem dictus Papa misit nuntium suum legationis officio fungentem Dominum Bernardum de Albia tituli sancti Cyriaci Presbyterum Cardinalem; qui quoad pacem nihil profecit, sed ad certum tempus inter eos iniit & firmavit treugam.

Item eodem tempore dictus Papa ad instantiam & supplicationem Romanorum, qui hac de causa ad eum suos nuntios miserant, mutavit annum jubilæum de quinquagesimo in quinquagesimum, qui juxta ordinationem Bonifacii Papæ VIII. erat de centesimo in centesimum; voluitque & ordinavit quòd visitantes limina Apostolorum Petri & Pauli illo anno quinquagesimo, quem de cetero voluit esse jubilæum, habeant plenariam indulgentiam suorum peccatorum cum modis & conditionibus quæ in dicta ordinatione Bonifacii continentur.

Item dictus Papa renovavit processus perpriùs inchoatos per Iohannem Papam XXII. contra Ludovicum Ducem Bavariæ, eumque aggravavit, & finaliter ipsum ab imperio reprobavit, mandavitque electoribus imperii ut ad electionem alterius procederent; alioquin sedes apostolica, à qua jus eligendi ad ipsos pervenerat, de alio Imperatore provideret. Deposuit etiam Henricum tunc Archiepiscopum Maguntinensem tanquam fautorem & defensorem dicti Ludovici, & Gelracum fratrem Comitis de Nassov loco ejus Archiepiscopum ordinavit. Non tamen hoc suum potuit sortiri effectum. Nam ipse Henricus pertinax & induratus sententias parvipendens, quandiu vixit dictum archiepiscopatum tenuit & occupavit.

Item latis dictis sententiis contra dictum Bavarum per dictum Papam, ad mandatum ipsius Wolmarus Coloniensis, Balduinus Treverensis, & dictus Gelracus novus Maguntinensis Archiepiscopus, & Dux Saxoniæ, & Iohannes Rex Bohemiæ in villa dicta Rense diocesis Treverensis congregati Karolum tunc Comitem de Luxemborch dicti Regis Bohemiæ filium in Imperatorem seu Regem Romanorum elegerunt, aliis electoribus absentibus & fortè non vocatis tanquam adhærentibus Bavaro supradicto. Dictum autem Karolum sic electum Archiepiscopus Coloniensis memoratus in oppido suo Bunnensi suprà Rhenum coronavit corona ferrea, pro eo quòd locus Aquisgrani & villa de Frankefort, ubi consueverat fieri tam electio quàm coronatio Regum Romanorum, tunc Bavaro favebant & adhærebant.

Per idem tempus Dominus frater Guillelmus de Lauduno diocesis Vticensis ordinis Prædicatorum Archiepiscopus Tolosanus, jam cœcus effectus, videns se non posse pontificalia officia exercere, renuntiavit Ecclesiæ

suæ in manibus dicti Papæ, qui ad ipsam promovit Dominum Raymundum de Canillaco Præpositum Magalonensem ordinis sancti Augustini. Pro sustentatione tamen dicti Guillelmi cœci sibi assignavit certam pensionem super proventibus dictæ Ecclesiæ per ipsum quandiu viveret percipiendam. Qui etiam pòst vixit pluribus annis; fecitque multa opera bona ad Dei servitium, præsertim ordini suo & loco unde originem traxit. Fecit enim claustrum miræ pulchritudinis cum domibus pro recolligendis hospitibus in conventu Avinionensi, & in dicto loco suæ originis Ecclesiam valde solemnem, etiam dato quòd existeret cathedralis; in qua certas capellanias fundavit & dotavit, ad quarum servitium etiam Presbyteros certos in perpetuum deputavit.

Anno Domini MCCCXLIV. die XXVI. mensis Februarii, in qua fuerunt quatuor tempora, dictus Papa creavit duos novos Cardinales, videlicet Dominum Petrum Bertrandi juniorem de Columbariis diocesis Viennensis tunc Episcopum Attrabatensem; & hic fuit in Presbyterum assumptus, eratque nepos alterius Domini Petri Bertrandi senioris, qui adhuc in collegio superextabat. Secundum verò fecit Diaconum, videlicet Dominum Nicolaum de Bessia tunc electum Lemovicensem, de qua diocesi oriundus erat, nepotem suum ex sorore.

Eodem anno Dominus Edoardus Rex Angliæ mare transiens applicuit in portu Clusæ patriæ Flandriæ. Cui ibidem occurrit memoratus Philippus Rex Franciæ cum magno exercitu bellatorum; fuitque maximus conflictus inter eos, & strages hominum subsecuta tanta quòd aqua maris in dicto portu per plures dies sanguine intincta vel rubrata permansit. Victoriam tamen obtinuit Rex Angliæ supradictus: qui ea potitus, velut turbo per Picardiam more barbarico omnia cæde & incendio vastans, ad postremum Tornacum obsedit; ubi cùm nihil pro sua voluntate proficere posset, ab inde recessit. Tandem venit ante Calesium portum maris, ubi obsidionem posuit, & tamdiu tenuit quòd finaliter ipsum obtinuit. Nec in hoc sibi resistere potuerunt dicti Regis Franciæ potentia nec illorum qui erant ab intra magnanimitas & constantia; quæ fuit non mediocriter laude digna, cùm, ut fertur, longo tempore steterint equis, muribus, & aliis animalibus usui humano insolitis vescendo in fame & siti & aliis penuriis maximis antequam voluerint se reddere, continuè auxilium ab extra expectantes.

Circa obviandum autem malis quæ ex guerra Regum prædictorum assiduè contingebant dictus Papa quantum in ipso erat continuè vacabat & insistebat, pacemque inter ipsos reformari procurabat. Et ideo per idem tempus ad dictos Reges destinavit nuntios suos legationis officio fungentes Dominos Hannibaldum de Ceccano Episcopum Tusculanum & Stephanum Alberti tituli sanctorum Iohannis & Pauli Presbyterum Cardinalem; qui diù circa hoc institerunt, non tamen ad pacis fœderationem dictos Reges inducere potuerunt, sed tamen treugas ad certum tempus inter eos inierunt.

Eodem ferè tempore Willelmus Comes Hollandiæ, magna suorum multitudine amissa, à Frisonibus, nullo sibi herede superstite, interficitur. Propter quod Ludovicus Dux Bavariæ, qui se, licèt falsò, pro Imperatore gerebat, comitatum hujusmodi dedit filio suo Willelmo, quem usque ad tempora nostra pacificè tenuit posteritas sua.

Paulò pòst dictus Ludovicus Dux Bavariæ adhuc pertinax & in suis malitiis induratus moritur. Quo mortuo, & Karolo memorato jam in discordia electo, Henricus depositus Archiepis-

copus Maguntinensis, Marchio Brandeburgensis, & Comes Palatinus noviter convenientes, Guntherium Comitem de Narzemburg in campis Frankfordiæ, ubi Reges Alamanniæ eligi consueverunt, in Regem Alamanniæ & Romanorum elegerunt, atque armis, ne dictus Karolus ipsum perturbaret, defenderunt; quin immo ipsum Karolum, licèt verum Regem, vi armorum repulerunt. Karolus autem sentiens se pro tunc armis adversùs eos prævalere non posse, dicitur procurasse quòd dictus suus adversarius satis citò mortuus est; an autem toxico, sive alio modo, varii varia sunt locuti. Sed qualitercunque fuerit, non est sibi ad culpam imputandum, juxta illud dictum vulgare: *Non refert an armis habeatur palma dolisve.* Mortuo autem dicto Guntherio, idem Karolus per dictum Archiepiscopum Coloniensem fuit iterum Aquisgrani coronatus, ut aliàs erat fieri consuetum, & demum pacificè & cum honore tanquam verus Rex Romanorum & Alamanniæ à civitatibus imperii receptus; cujus electio fuit per dictum Papam cum solemnitatibus debitis processu temporis approbata.

Per idem tempus Engelbertus de Marcha Episcopus Leodiensis habens in sui adjutorium dictum Karolum Regem Romanorum & Iohannem Regem Bohemiæ patrem suum cum multis aliis Principibus Alamanniæ Leodiensibus guerram movit, & cum eis bello congressus est. Sed tandem Leodienses victores fuerunt; dictusque Karolus, qui priùs ibidem aquilam in vexillo erexerat, cum ea per fugam salvatus est illa die. Sed eodem anno dictus Episcopus cum eisdem Leodiensibus iteratò bellavit, & extitit victor, & demum fuit inter ipsos pax reformata.

Per idem tempus dictus Papa ad instantiam dicti Regis Bohemiæ Ecclesiam Pragensem suffraganeam Ecclesiæ Maguntinæ in archiepiscopalem erexit, & abbatiam Luthomussensem ordinis Præmonstratensis episcopalem Ecclesiam constituit, quam unà cum Olomucensi & Mussinensi Ecclesiis, priùs de Magdeburgensi provincia, pro suffraganeis dictæ novæ metropolis Pragensis ordinavit.

Erexit etiam ad instantiam Regis Castellæ villam Algesiræ noviter acquisitam & de manibus infidelium ereptam in episcopalem Ecclesiam, dictam villam civitatem constituendo.

Hoc etiam durante tempore Iohannes de Vicecomitibus Mediolani, tunc Archiepiscopus Mediolanensis, tyrannicè occupavit civitatem Bononiensem ad jus & proprietatem Romanæ Ecclesiæ pertinentem. Propter quod dictus Papa contra eum fecit processus suos ac sententias fulminavit. Sed tandem ad cor rediens fuit Ecclesiæ & Papæ reconciliatus, fuitque sibi dimissa civitas sub annuo censu duodecim millium florenorum & servitio quadringentorum hominum armatorum suis sumptibus quotiens Ecclesia haberet agere citra vel ultra montes.

Item per idem tempus Ludovicus Rex Hungariæ intravit regnum Apuliæ, occupavitque tam civitatem Neapolitanam quàm alias dicti regni, nec fuit qui ausus fuerit sibi resistere; fecitque magnas & asperas punitiones de illis qui adhuc restabant culpabiles super nece Andreæ fratris sui Regis Siciliæ; & fecisset majora, sed multi qui se culpabiles sentiebant, se absentantes ab illa patria, fugerunt à facie ejus. Ad mitigandum tamen eum & pacificandum, ac ut Iohanna dicti Andreæ relicta, ad quam dictum regnum jure hereditario pertinebat, ipso non privaretur, sed potiùs sibi restitueretur, dictus Papa misit ad dictum Regem & regnum memoratum Legatos suos de latere, primò Dominum Bertrandum de Deucio tituli sancti

Marci, & demum successivè Dominum Guidonem de Bolonia tituli sanctæ Cæciliæ Presbyteros Cardinales, qui post multos tractatus, Deo eis favente, sic operati sunt quòd dictus Ludovicus Rex Vngariæ retrocessit, & dictum regnum in pace remansit per dictam Iohannam in posterum possidendum, quæ venerat Avinionem ad dictum Papam dicti Regis tanquam hostis sui fugiens furorem. Quam dictus Papa gratè & honorificè recepit, & demum secum dispensavit, ut contraheret cum Ludovico Principe Tarenti, qui sibi secundo gradu consanguinitatis jungebatur. Filius enim erat Philippi Principis Tarentini defuncti, fratris dicti Roberti Regis avi dictæ Iohannæ. Inter quos postquam matrimonium fuit contractum, dictus Papa misit Neapolim Dominum Guillelmum de Guardia Archiepiscopum Bracarensem consanguineum suum: qui de ejus mandato dictum Ludovicum Regem Siciliæ & Apuliæ coronavit, & dicti regni regimen & administrationem sibi commisit.

Circa idem tempus Philippus Franciæ & Edoardus Angliæ Reges prope locum de Cressi inter se bellum habuerunt; in quo victoria Anglicis cedente, Iohannes Rex Bohemiæ, qui jam cæcus effectus ibidem bellaturus advenerat, & plures alii notabiles & magni viri interempti sunt.

Anno Domini MCCCXLVII. die XXVI. mensis Maii dictus Clemens Papa canonizavit, & sanctorum confessorum catalogo annotavit sanctum Yvonem Hallory Presbyterum de Britannia oriundum, dudum Advocatum pauperum, & tam in vita quàm in morte multis & magnis miraculis coruscantem.

Eodem tempore fuit in regno Franciæ, & præsertim in lingua Occitana, caristia validissima, & cum hoc fames pestifera, adeo quòd quandoque, quod est horrendum auditu, præ nimia fame repertum est quòd matres suos natos morsibus lacerabant & comedebant, ut de herbis crudis & immundis animalibus & aliis comedi insolitis taceamus, cùm talium usus eo tunc eis pro gratia speciali haberetur. Et hoc fuit initium mortalitatis maximæ quæ satis citò est subsecuta.

Anno Domini MCCCXLVIII. incepit tanta mortalitas ferè generaliter in universo orbe quòd vix est aliàs similis audita. Vivi enim ad mortuos sepeliendos vix sufficere poterant, aut ad hoc intendere abhorrebant. Tantus enim timor ferè omnes invaserat quòd statim dum ulcus seu bossa, quòd vel quæ ut in pluribus in inguine aut sub axella apparebat cuique, dimittebatur ab assistentibus, etiam quantumcunque propinquis. Pater enim filium & filius patrem in grabato relinquebat. Nec mirum. Nam cùm in domo aliqua persona tali infirmitate detinebatur & demum moriebatur, sæpissime repertum est quòd alii omnes inficiebantur & pari modo subitò moriebantur, immo, quod est terribili audire, etiam canes, catti, galli & gallinæ, cum ceteris animalibus ibidem morantibus quibuscunque. Propter quod qui sani erant, timore perterriti fugiebant. Et sic multi propter incuriam moriebantur, qui forsitan aliàs evasissent. Multi etiam qui arrepti hac infirmitate indubiè credebantur statim morituri, non habita discretione ad foveam pro sepultura portabantur. Et sic quamplures sepeliebantur vivi. Et huic malo superadditum est aliud. Nam insurrexit quædam vox quòd erant aliqui malefici, & specialiter Iudæi, qui in aquis & fontibus potiones immittebant, cujus occasione pestis prædicta sic incrassabatur. Propter quod multi tam Christiani quàm Iudæi innocentes & inculpabiles fuerunt cremati & trucidati & aliàs in personis malè tractati, cùm revera hoc

non esset nisi ratione constellationis aut divinæ ultionis. Et duravit hæc pestis ultra annum prædictum, immo & per duos subsequentes in diversis partibus ubi non fuerat se dilatando. Et hac durante tempestate dictus Papa in Avinione rem fecit maximæ caritatis. Nam pro pauperibus visitandis & alendis certos ordinavit medicos & alios qui eis in suis necessitatibus subvenirent in vita, & cùm decedebant, etiam necessaria ad sepulturam ministrabant. Et quia pro tunc cimiteria ordinaria non sufficiebant ad mortuorum corpora capienda, emit unum magnum campum, in quo cimiterium fecit consecrari, ubi generaliter omnes possent sepeliri, in quo infinitæ personæ ex tunc sepultæ fuerunt; fuitque ei nomen impositum, quod usque in diem hodiernum durat, *Campus floridus*.

Anno prædicto MCCCXLVIII. die Maii extra quatuor tempora dictus Papa assumpsit in Diaconum Cardinalem Dominum Petrum Rogerii nepotem suum ex fratre tunc sedis apostolicæ Notarium, qui tunc erat valde juvenis & teneræ ætatis, cùm judicio communi nondum annum decimum octavum complevisset. Erat tamen totus humilis & benignus bonæque indolis, aptus, ingeniosus, & subtilis, ac ad studium litterarum multùm intentus, & jam in jure civili secundùm tempus quo circa ipsum versatus fuerat bene sapiebat.

Eodem ferè tempore durante populares Romani quendam Nicolaum Laurentii Notarium Vrbis elegerunt & assumpserunt in Tribunum, spreto regimine nobilium & aliorum quorum consilio & auctoritate perpriùs regebantur. Hic autem Nicolaus assumpto hujusmodi officio, coadunatis sibi aliis quamplurimis, hostiliter persecutus est nobiles Vrbis, & præsertim Columnenses, de quibus una die multos interfecit. Quo facto, die sancto Pentecostes in concha Constantiniana lotus & Miles factus talem sibi titulum assumpsit seu usurpavit: *Candidatus aquæ Spiritus sancti Nicolaus Miles severus & clemens, liberator Vrbis, Zelator Italiæ, amator Vrbis, & Tribunus Augustus.* Hic Karolum Regem Romanorum & suos electores coram se citari fecit. Tandem post multa fatua quæ gessit, alienum habitum induens, dicti Regis curiam adiit, ipsius statum & animum scrutaturus. Sed cognitus captus est, atque eidem Regi præsentatus; qui demum ad Avinionem eum Papæ transmisit, ubi diutiùs incarceratus permansit. Sed tandem comperto quòd contra Ecclesiam nihil specialiter attentasset, relaxatus extitit, vel secundùm aliquos carceres fregit; & Romam rediens, paulò pòst à populo tumultuosè occisus fuit.

Per idem tempus obiit Iohanna Regina Franciæ dicti Philippi conjux, quæ Ducis Burgundiæ fuerat filia. Post cujus obitum & non multo tempore lapso dictus Philippus recepit in uxorem Blancham filiam Philippi Regis Navarræ, cum qua modico tempore mansit. Nam infra annum à tempore contractus, videlicet anno Domini MCCCL. mortuus est, dicta Blancha gravida remanente. Cui successit in regno Iohannes Dux Normanniæ suus filius primogenitus; qui demum, prout moris est, confestim fuit Remis coronatus & unctus, & in sui regiminis principio fecit capite truncari Radulfum de Fulcardimonte Comitem Augi Conestabularium regni sui pro eo, ut dicitur, quia de proditione fuerat culpabilis & reus inventus.

Eodem anno, qui jam erat per dictum Papam jubilæus ordinatus, fuit maximus concursus populorum peregrè Romam proficiscentium causa lucrandi plenariam indulgentiam propter quam erat peregrinatio hujusmodi generaliter constituta. Fuerunt tamen quam

quam plurimi per prædones, latrones, & piratas in itinere tam terræ quàm maris bonis suis spoliati & aliàs multis modis damnificati. Propter quod multi ab iis præcavere volentes in habitu dissimulato dictam peregrinationem arripuerunt & per Dei gratiam prosperè compleverunt, practicantes illud metrificum:

Tutius ut peterem laici sub imagine Romam,
Fas fuit ut sinerem luxuriare comam.

Eodem anno obiit Dominus Hannibaldus de Ceccano Episcopus Tusculanus Cardinalis, qui Romam perpriùs missus fuerat per dictum Papam Legatus & Vicarius ut ibi loco & vice suis pro illo tempore præsideret, ac si & ubi expediret, peregrini ad ipsum pro suis necessitatibus recursum haberent. Dicitur autem quòd toxico interemptus est. Ipse autem diù antè ædificaverat locum de Gentiliaco juxta pontem Sorgiæ prope Avinionem, in quo constituerat & fundaverat cœnobium fratrum Cælestinorum, pro quorum sustentatione condecenti tam in vineis, pratis, molendinis, domibus, & censibus circumquaque & etiam Avinioni existentibus multa acquisierat & ipsorum usui perpetuò deputaverat de bonis à Deo sibi datis pro suorum remissione peccatorum.

Eodem etiam anno memoratus Iacobus Rex Majoricarum per Petrum Regem Arragonum tam à regno suo quàm à comitatu Rossilionis priùs totaliter expulsus, Avinioni existens, & per dictum Papam aliquandiu sola humanitate sustentatus, vendidit locum & baroniam Montispessulani Regi Franciæ, à quo etiam per ipsum in feudum tenebatur, & de pretio inde habito aggrevavit gentes armigeras in numero satis magno, cum quibus intravit terras à quibus fuerat expulsus, eas vi recuperare intendens. Cui occurrit dictus Rex Arragonum, belloque secum congressus est, in quo dictus Iacobus victus extitit & interemptus, suusque filius captus & demum diù in carceribus detentus. Et sic qui injuriam quam sibi prætendebat illatam vindicare tentavit, eam supra & contra se duplicavit, dum post terras & bona, perdidit & personam.

Hoc etiam durante tempore Turci cum magno exercitu appropinquabant partes Romaniæ & circumvicinas, in tantum quòd verisimiliter timebatur quod ulteriùs progrederentur & ibi transirent, & demum tam illas quàm partes Neapolitanas invaderent & vastarent. Et quia pro eis obviando fuerat priùs per dictum Papam missus cum magno exercitu Patriarcha Constantinopolitanus, sed, Domino sic disponente, negotio imperfecto mortuus erat, idem Papa deliberavit fore expediens immo & necessarium ut alius cum magna potentia illuc ea de causa mitteretur; fuitque ad hoc per eum deputatus & ordinatus Imbertus Delphinus Viennensis hoc jam à diù cum instantia postulans & requirens, qui negotium hujusmodi cum magno apparatu navigiorum & armatorum exercitu aggressus est, direxitque vires suas contra Turcos memoratos. Sed Deo sic permittente nihil potuit proficere; sed vacuus rediens deliberavit relinquere mundum & statum mutare, elegitque in habitu regulari Domino deservire. Priùs tamen disposuit & ordinavit de suo Delphinatu modo subsequenti, videlicet quòd eo ipsum relinquente, sibi in eo succederet Rex Franciæ & sui perpetuò in regno successores, hac adjecta etiam conditione, quòd semper remaneret in manibus & regimine Regis vel filii sui primogeniti qui erit vel sperabitur esse in regno successurus. Facta autum hujusmodi ordinatione, religiosus effectus est & habitum Prædicatorum assumpsit. Dictus verò Papam ipsum demum,

existentes habere cortinas, cum quibus claudantur eorum logiæ quando dormient seu quiescent. Item quòd habeant duos servitores clericos vel laicos, prout eis magis placebit. Item quòd elapsis tribus diebus post suum introitum haberent ultra panem & vinum fructus, caseum, & electuaria, & unum ferculum carnium vel piscium duntaxat in prandio, & aliud in cœna. Super quibus edidit constitutionem perpetuò duraturam, quæ incipit *Licèt*; cujus contrarium, quoad prædicta, continebat caput prædictum *Ubi majus*, quod quoad alia omnia voluit in sua remanere firmitate.

Ipse etiam palatium Avinionis amplificavit rectè de media parte, cùm perpriùs per Benedictum Papam XII. prædecessorem suum licèt solemne factum fuisset de duobus angulis, ipsum tamen perficiendo fecit quadrangulare, totam plateam muris altis & turribus aliis primis æqualibus claudendo & circumeundo. In hac autem parte licèt omnia ædificata seu constructa sint admodum solemnia & aspectu valde decora, tria sunt tamen quæ reliqua specialiter excedunt, videlicet capella major, audientia, & terraciæ superiores, cùm, quoad id pro quo constitutæ & ordinatæ sunt, fortè non est in mundo palatium in quo, non dicam solemniores, immo nec pares existant, attenta præsertim eorum contiguitate, cùm de una ad aliam sine medio ascensus vel transitus facilis existat. Consistorium insuper in alia parte per dictum prædecessorem suum multùm solemniter ædificatum, quia remanserat tanquam tabula rasa in qua nihil depictum erat, miris picturis decoravit, & scripturis mirabilioribus adornavit. In quo considerationem habendo quòd locus ille solùm ad justitiam poscendam & reddendam deditus & ordinatus extitit, in pingendo per pictorem hunc ordinem voluit & in propria descripsit observari, videlicet quòd divina majestate in supremo throno depicta, circumquaque litteraliter effigies sanctorum & sanctarum ac aliorum qui in veteri vel novo testamento aliqua notabilia in judicio, jure, justitia, & æquitate, aut veritate scripsisse vel dixisse leguntur pingerentur, & sub cujuslibet effigie seu figura, aut in rotulis quos suis gestare videntur in manibus, sua dicta seu scripta super præmissis aut altero eorundem litteris grossis & legibilibus scriberentur, libros & capitula in quibus continentur rubeis litteris designando. Quæ omnia videntibus & legentibus non modicum proficere eosque allicere debent ut ab ipsis non devient, sed potiùs ad eorum observationem intendant.

Ipse præterea monasterium Casæ-Dei, in quo à principio professus extiterat, multis & magnis dotavit honoribus & privilegiis decoravit ac proventibus ampliavit, ejusque Ecclesiam quasi vetustate consumptam ac satis ruinæ proximam à solo ædificavit, tamen in multò solemniori statu quàm priùs.

Civitatem etiam Avinionensem cum suo territorio à Iohanna Regina Siciliæ, ad quàm perpriùs spectabat, tenebaturque in feudum ab imperio, pro Romana Ecclesia dato magno pretio emit, consensu tamen & voluntate memorati Karoli Regis Romanorum in Imperatorem electi; qui etiam auctorisando, approbando, & confirmando emptionem hujusmodi, voluit & concessit quòd in perpetuum pertinerent ad jus & proprietatem dictæ Ecclesiæ & præfati Papæ suorumque successorum canonicè intrantium, quòdque per eos liberè teneantur & possideantur in franco allodio, nec pro ipsis homagium seu fidelitatem, servitium seu recognitionem cuiquam in posterum facere teneantur. Et in signum adeptæ possessionis & translationis dominii

eorundem, de domo communi sita juxta Ecclesiam sancti Petri Avinionensis arma dictæ Reginæ in ea affixa amota fuerunt, & in ipsorum loco arma ipsius Papæ apposita & affixa. Quod quantum eidem Romanæ Ecclesiæ utile & fructuosum extiterit inæstimabile est, cùm hodie non habeat locum alium in toto orbe in quo liberiùs & securiùs commoretur, ut de ipsius sollemnitate ac situs commoditate taceatur.

Hic summus Pontifex toto tempore suo valde fuit intentus ad procurandum statum pacificum & tranquillum suorum omnium subditorum, & præsertim Regum & Principum ac aliorum potentum, ex quorum discordiis inferiores habent commoveri & turbari. Quod satis demonstravit in quasi assidua missione Legatorum & Nunciorum suorum, de qua suprà sæpe fecimus mentionem. Nec curavit se cum eis aut aliis in guerris involvere aut aliter dissentientibus intricare, nisi in quantum conservatio jurium & honoris Ecclesiæ sibi commissæ ipsum præcisè arctarunt quandoque ad oppositum; & adhuc tunc per viam justitiæ processit, factum posse tenus evitando. Propter quod satis pacificè & quietè vixit cum omnibus, considerata temporis tunc vigentis qualitate, & ob hoc liberiùs vacavit & perfectiùs intendit ad actus papales exercendos. In iis enim multùm sollemniter se habuit, utpote consistoria & consilia debitis temporibus indefectibiliter tenendo, divina officia celebrando, sermones & collationes excellentissimè & sæpe faciendo; in quibus etsi retroactis temporibus fortè quandoque habuerit sibi pares, excedentes tamen rarò, prout talium tenor penes plures permanens indicat manifestè.

Fuit insuper sicut nomine, ita & re clemens, misericors, & benignus. Non enim invenitur contra aliquem pro interesse proprio, quantumcumque sibi inimicus aut contrarius extiterit, aliquam ultionem exercuisse aut expetiisse vindictam. In cujus rei exemplum est hic notabiliter inserendum quòd unus qui perpriùs, eo in minoribus existente, sibi aliquas injurias irrogaverat etiam personales; qui æstimans ipsum aliis variis & magnis occupatum de ipso aut de ipsis injuriis non recordari, sibi quadam die supplicationem unam porrexit, in qua petiit aliqua pro se ipso. Qui licèt supplicationem hujusmodi benignè receperit, tamen in suo secreto existens, dum eam perlegisset, super vindicta de ipso assumenda per petitionis denegationem aut aliàs quodammodo tentatus, ipsam projecit ad terram pedibusque conculcavit; quam demum reassumpsit, & secundò simile prius fecit, & ea postremò reassumpta, ipse sibi loquendo, audientibus tamen aliquibus suis cubiculariis ibidem adstantibus, dixit: Vade diabole, quia hodie facere non poteris quòd me vindicem de quocunque. Et hoc dicto supplicationem prædictam illico ut petebat signavit, nec aliàs molestiam unquam intulit ipsam offerenti.

Habuit præterea hanc humanitatem, pietatem, seu benignitatem, ac liberalitatem generaliter ad omnes ad ipsum recurrentes seu suum præsidium aut juvamen implorantes quòd nunquam vel raro aliquem à se emiserit sine consolatione reali aut verbali, sæpius tamen ad rem quàm ad verba intendens. Pauperum etiam & egenorum, præsertim illorum qui aliàs abundabant & mendicare erubescebant, necessitatibus largissimè subvenit, considerans in iis omnibus quòd beati mites & beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequuntur.

Quàm piè igitur sperandum ipsum jam misericordiam consecutum vel consecuturum in futurum, si humana

fragilitate ipsum ad hoc impellente, in eo aliquid culpabile extiterit, ratione eorum quæ sequuntur. Suos enim fratres, nepotes, consanguineos, propinquos, compatriotas, & servitores valde dilexit. Plurimos namque ex eis qui tempore suæ promotionis erant in statu ecclesiastico, aut demum esse voluerunt, in altis & magnis prælaturis & dignitatibus sublimavit, multos verò inferioribus beneficiis ferè ubique terrarum existentibus collocavit. Et quamquam inter eos fuerint multi idonei & sufficientes, quia tamen quandoque ipsos prætulit ceteris magis aut æquè sufficientibus, alios verò sic passim & indistinctè & quasi ubique collocavit, fortassis aliquid ultra debitum caro & sanguis sibi revelasse censentur. De laicis, & præsertim de domo sua paterna prodeuntibus, quid dicendum? Suo enim tempore suoque favore ac propter eum multas divitias, magnos redditus, plurima dominia, honores, & status sublimes sunt multimodè consecuti; fueruntque per affinitates confœderati cum multis & magnis. Sicque generaliter actum est quòd in utroque statu post eum altero ex modis prædictis ipsum contingentium remanserunt paucissimi qui suam magnificentiam non senserint sibi & suis & in posteris etiam fuisse & esse utilem & fructuosam.

Ipse tamen finaliter infirmitate gravatus, humilis, pœnitens de commissis, devotèque receptis ecclesiasticis sacramentis, in veritate & sinceritate fidei ac unitate sanctæ matris Ecclesiæ spiritum Domino commendavit anno Domini MCCCLII. die sexta mensis Decembris, pontificatus sui anno undecimo; fuitque sepultus in Ecclesia majori Avinionensi, demum transferendus ad dictum monasterium Casæ-Dei, in quo vivens suam perpetuam elegerat sepulturam. Vacavitque sedes diebus duodecim.

SECVNDA VITA CLEMENTIS VI.

CLEMENS sextus ex patre ac matre natus est Lemovicensis ex castro Malimontis & in parrochiali Ecclesia sanctæ crucis, videlicet de Roseriis, [baptizatus.] Hic vocabatur Petrus, & à suis teneris annis monasterium Casæ-Dei in Claromontensi diocesi situatum ingreditur, & in illo beati Benedicti regulam est professus. Quem vitæ venerabilis Aniciensis Episcopus & Abbas ejusdem monasterii Casæ-Dei apprehensivæ mirabilis, discreti judicii, necnon memoriæ mirabilioris esse videntes, ipsum ad studendum Parisius destinarunt; ibique dictus Abbas paternis subventionibus eum nutrivit. Vbi puer ipse benedictionis & gratiæ tantum in artibus & philosophia & demum in theologia studendo, repetendo, atque libros omnes solitos ordinatè legendo profecisse comperitur quòd in tricesimo primo anno ætatis suæ, non per precum instantiam, aut per bullæ papalis tempus anticipantis gratiam, sed solùm virtutis merito in sacra pagina magistratur.

Hic expresso mandato Reverendi Patris bonæ memoriæ Domini Petri de Mortuomari tunc tituli sancti Stephani in Cœlio monte Presbyteri Cardinalis, qui eum ut filium diligebat, ad curiam Romanam venit; & primùm sancti Baudilii Nemausensis ordinis

sancti Benedicti à Domino Iohanne XXII. Papa obtinet prioratum, deinde verò per ejusdem Cardinalis & aliorum quamplurium Cardinalium auxilium ab eodem Papa in Abbatem Fiscannensem, & subsequenter in Atrebatensem Episcopum ordinatur. Propter quod, cùm illa sedes inter pares Franciæ signa regia deferendo computetur, in Regis Franciæ consilium & parlamentum inducitur, ac demum in Senonensem & paulò pòst in Rothomagensem Archiepiscopum promovetur. Et quia nullam habebat amaritudinem conversatio ejus, sed lætitiam & gaudium, cum eodem Rege Philippo tam ferventis amoris vinculo jungitur quòd eum ab oblato sibi per dictum Dominum Iohannem Papam cardinalatu compescuit, nolens ejus carere consilio & conversatione dulci. Sed eodem Papa universæ viam carnis ingresso, & eidem præfato Domino Benedicto XII. succedente, per eundem Dominum Papam Benedictum ad apicem cardinalatus assumitur, & demum post obitum Domini Benedicti XII. memorati, qui obiit xxv. die mensis Aprilis de anno nativitatis Domini millesimo trecentesimo quadragesimo secundo, in conclavi palatii Avinionensis, quod die dominica quinta mensis Maii sine medio subsequentis, eo computato, xvii. Domini Cardinales intraverunt, solo duntaxat Domino Bertrando de Montefavencio sanctæ Mariæ in Aquiro Diacono Cardinali extra conclave prædictum propter morbum podagræ remanente, die Martis septima ejusdem mensis Maii confestim ante vigiliam ascensionis Domini, hora tertiæ, in summum Romanum Pontificem concordia mirabili sublimatur. Vacavit sedes diebus duodecim. Nam in festo Pentecostes, quod tunc celebrandum fuit xix. die Maii, apud Ecclesiam fratrum Prædicatorum de Avinione cum maxima sollemnitate extitit coronatus, astantibus & servientibus ei Dominis Iohanne primogenito Regis Franciæ, tunc Duce Normanniæ, qui postea patri suo successit in regno, Iacobo Duce Borbonii, Philippo Duce Burgundiæ, Imberto tunc Dalphino Viennensi, & multis aliis; & in crastinum de mane omnibus adextrantibus honorificè fuit reductus; ita quòd sicut in Apostolos singulos in illa die prout lingua ignis apparuit, sic hunc summum Pontificem per carbunculum lapidem pretiosum lucentem ignis ad instar in tiaræ seu diadematis culmine positum descendisse seu apparuisse monstratur.

Hic anno primo pontificatus sui, à nativitate Domini anno millesimo trecentesimo quadragesimo secundo, ad Reges Franciæ & Angliæ misit nuntios pro triennali treuga tractanda, videlicet Reverendos Patres & Dominos Petrum Penestrinum & Annibaldum Tusculanum Episcopos Cardinales: qui tanquam industres & providi concordarunt.

Hic idem Reverendum Patrem Guillelmum tituli sanctorum quatuor coronatorum Presbyterum Cardinalem Legatum de latere in Italiam & Lombardiam præcipuè destinavit.

Idem Reverendum Patrem Dominum Andream tituli sanctæ Susannæ Presbyterum Cardinalem [misit] pro reformanda pace inter Dominos Arragoniæ & Majoricarum Reges ut Legatum, qui in Perpiniano diem suum clausit extremum. Et anno secundo pontificatus sui Dominum Bertrandum tituli sancti Marci Presbyterum Cardinalem ad dictos Reges pro eorum facienda concordia Legatum similiter destinavit; qui velut in patria notorum, & eisdem fortè Regibus magis gratus, de treuguis biennalibus eos concordans, statim in Romanam curiam remeavit.

Idem Pontifex contra Ludovicum

de Bavaria Dei & Ecclesiæ inimicum ad Ecclesiæ gremium redire nolentem sententias aggravavit & processus.

Hoc eodem pontificatus ejus anno secundo Dominum Henricum Patriarcham Constantinopolitanum Legatum mittit in partibus Romaniæ, & fideles hujus atque devoti in illis partibus negotia fidei prosperantur. Per Christianos etenim in illis partibus militantes [pro] nomine Iesu Christi civitas Smyrnensis acquiritur. Qui cùm sollemniter celebraret in campestri quadam Ecclesia pro reddendis gratiis de dicta victoria Smyrnarum, qui constantiore animo factus infidelium armis corpore cæso intrepidum spiritum Domino & se ipsum humiliter obtulit in holocaustum.

Hoc eodem anno, pontificatus ejus tertio, in regnum Siciliæ Legatum ex latere destinavit, scilicet Reverendum Dominum Aymericum tituli sancti Martini in montibus Presbyterum Cardinalem, non ex eo quòd Væ cujus regno Rex puer est, vel vacillanti sæpius sexui muliebri regnum subiceret, verùm & ex hoc maximè ne sacrosancta Romana Ecclesia ejusdem regni gubernationis de jure pertinentis ad eam in eo casu titulum perderet. Et dum dictus Legatus inibi diù stetisset & prudenter ac providè se gessisset, tandem in Romanam curiam anno quarto pontificatus ejusdem est reversus infra annum legationis suæ, per urbem almam transiens, ibidem & ubique per singulos honoratus. Et quia commissionem exequi non poterat, quia jam de regno discesserat, Domino Guillelmo Amici Episcopo Carnotensi commisit quòd Dominus Andreas in Regem & uxor sua in Reginam coronentur. Sed cùm dictus Rex, proh dolor, bullam suæ coronationis expectat, bellum suæ destructionis ingreditur quod incautus ignorat. Nam ex nonnullorum nequissimis machinationibus præviis in camera sua, dum cum Regina prædicta in civitate Adversæ castro regio moraretur, noctis tempore capitur, & foras cameram detestabiliter trahitur & martergiis ad collum ligatis non sine effusione sanguinis per nares & oculos fortiter stringendo suffocatur; & sic per suspendendos & dilaniandos juridicè Rex juvenis & innocens morti horrendi suspendii subicitur atque datur. Post hæc dictus Episcopus regnum illud in maxima dilaceratione dimittens in Romanam curiam remeavit, & dicto Domino Papæ informationem de omnibus plenè dedit. Qua quidem informatione concepta & consilio maturo digesta, dictus Pontifex anno Domini MCCCXLV. pontificatus sui anno quarto contra tanti sceleris patratores, conscios, & fautores, & eorum quomodolibet valitores, processus rigorosissimos publicat, terribilesque profert sententias, & tam in illis quàm in sermone quem super hoc luculentissimè fecit, cujus thema fuit, *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra*, debitam compassionem & justam mentis turbationem ostendit.

Eodem anno pontificatus ipsius egregius Princeps Dominus Imbertus Dalphinus Viennensis efficitur Vexillifer & capitaneus contra fidei hostes in partibus Romaniæ, & crucis etiam prædicatione suffultus & armigerorum copiis ad partes illas accessit. Nec primis ejus ultima responderunt, quoniam post paucum temporis rediens, seque jam ad procreandam sobolem impotentem inspiciens, & militiam secularem abiciens, clericalem amplexus est, & per eundem Papam Alexandrinus Patriarcha efficitur, & sibi Remensis Ecclesia commendatur. Qui suorum, ut dicitur, allectorum pecunia seductione devictus, primogenitum serenissimi Principis Domini Iohannis Francorum Regis illustris Karolum

nomine vivens adhuc &, ut solebat, incolumis de toto Dalphinatu sibi fecit heredem. quod an ad virtutem ei vel utilitatem ascribam nescio, Deus scit.

Eodem anno pontificatus ipsius dictus Dominus Rex Vngariæ, frater Domini Andreæ Regis mortui supradicti, armata manu dictum regnum ingreditur & occupando devastat, & quasi totum suæ subicit ditioni. Tandem Dominum Karolum Ducem Duracii, qui mortis Domini Andreæ Regis prædicti culpabilis dicebatur, in dicto castro Regis civitatis Adversæ, ac in eodem loco ubi suspensus extiterat frater suus, coram se captum & genuflexum decapitari mandavit; & statim fuit jussus regius executioni mandatus. Fratres autem Ducis ejusdem, videlicet Dominos Ludovicum atque Robertum, necnon & Dominos Karolum & Philippum germanos filios olim Domini Philippi Imperatoris Constantinopolitani ac Principis Tarentini fratris germani dicti Domini Regis Roberti, regnum ipsum, quia non propter illud sed ad fraternam vindictam propter sanguinem venerat, dissipatum quasi dimittens, secum in Vngaria captos ducit. Reginam autem & Dominum Ludovicum filium prædicti Principis Tarentini, qui se, simulatum nutriens in pectore zelum, cum eadem Regina in regio castro novo Neapolitano reduxit, eam in uxorem satagens desponsare, captos habere non potuit, & sic de regno prædicto cum honore discessit. Demum non post multos eos dies auctoritate propria inter se dicti Dominus Ludovicus & Regina matrimonio contracto & effectualiter consummato, venerunt ambo simul in curiam; & cum eis dictus Pontifex Clemens, volens clementer animabus eorum & dicti regni tribulationibus providere, misericorditer dispensavit, quoniam in secundo consanguinitatis gradu se invicem ex duabus stirpibus contingebant. Post hanc autem non parvæ misericordiæ gratiam ab eo qui cunctos vult fieri salvos obtentam, iidem Dominus Ludovicus atque Regina de redeundo in regnum sedula semper inter se ac suos consultatione revolvunt; sed sine qua mundana quæque deficiunt, eis deficiente pecunia, cogitabant consilia quæ stabilire non poterant. Nam propter hujusmodi regni guerras & intestinas discordias, quibus res etiam maximæ dilabuntur, gravi nimis inopia gravabantur. Et quoniam caritas ubique frigescit, nullum in curia poterant reperire subsidium. Quod dictus Pontifex circumspectus & providus velut Argus advertens, tanquam ille quem zelus domus Domini comedebat, opportunis exquisitis tractatibus & cautis intermediis viis, civitatem Avinionensem, qua præter urbem ad Romanam curiam opulenter alendam & decenter pensatis omnibus sustinendam nullam protinus aptiorem agnovit, omni modo jure & meliori quo potuit emit à Regina prædicta pro pretio invicem concordato, & civitatis ejusdem Romanus antistes temporaliter & spiritualiter dominatur. Quod quidem bonum opus atque laudabile meritò laudabitur in æternum. Et dicti Dominus Ludovicus atque Regina per venditionem hujusmodi pecunia redundantes, simul in regnum postea rediverunt.

Hoc eodem anno, quarto pontificatus ejusdem, dictus Pontifex fide ac spiritu plenus concedit decimas triennales ad exaltationem fidei Christianæ pro subsidio terræ sanctæ.

Anno verò quinto pontificatus ipsius anno nativitatis Domini MCCCXLVI. Reverendus Pater Dominus Bertrandus tituli sancti Marci Presbyter Cardinalis de mandato summi Pontificis totiusque collegii pro urbis & patrimonii beati Petri gubernatione in Tusia necnon & regni Siciliæ citra Pharum

ut

ut de latere Legatus accedit, & Papa inter regnum & insulam Trinacriæ treuguas indicit.

Summus hic Pontifex eisdem annis, pontificatus videlicet sui sexto, & nativitatis Domini millesimo trecentesimo quadragesimo septimo, canonisavit beatum Yvonem provinciæ Britanniæ oriundum, innumeris miraculis coruscantem; ejusque festum velut confessoris instituit celebrandum XIX. die mensis Maii, quæ, prout suprà scriptum est, dies extitit coronationis ejusdem.

Iisdem temporibus & anno prædicto Dominus Eduardus Rex Angliæ regnum Francorum invadit hostiliter, & per provinciam Picardiæ venit usque Parisius, Rege tunc Francorum absente. Quo subitò redeunte, dictus Rex Angliæ retrocessit, & multa villis & hominibus inferens damna in castro Calesii se reduxit.

Eodem quoque tempore Dominus Henricus Dux Lencastriæ filius Regis Angliæ supradicti Burdegalæ tunc existens ducatum Aquitaniæ vastat & provinciam Tolosanam ferventer impugnat.

Hoc eodem tempore, pontificatus videlicet ejusdem anno sexto, nativitatis vero dominicæ MCCCXLVII. in multis mundi provinciis successivè ac in Romana curia tam civium quàm curialium omnis gradus ab oriente progrediens tanta supervenit mortalitas quòd, ut in libro sapientiæ legitur, ad sepeliendos mortuos vix vivi sufficerent, nec Ecclesiarum cimiteria satis erant. Propter quod Papa prædictus emit extra civitatem Avinionensem agrum qui usque hodie dicitur ager sacer; ubi foveis profundissimis & largissimis fossis operiebat ut pecora gregatim terra defunctos. Et ibidem fundari fecit unam capellam in honorem beatæ Mariæ, quam dotavit decenter, & de campo sancto vulgariter cognomen accepit. Et duravit hæc epidemia usque ad annum septimum pontificatus sui, nativitatis verò dominicæ millesimum trecentesimum quadragesimum octavum inclusivè, sed totaliter non completum. Fecit autem Pontifex iste pius multa pietatis opera illis annis. Nam ut eorum quos illis temporibus mortis morsus tam rapidus rapiebat citiùs possent corpora sepeliri, ne plus aër inficeretur quàm esset infectus, duos grossos argenteos portantibus corpora pro quolibet corpore deputavit, & omnibus & singulis morientibus qui tali subsidio indigerent mandavit & fecit sudaria ministrari.

In Catalonia verò Dominus Petrus Rex Arragonum Dominum Iacobum Regem Majoricarum cognatum suum cum filiis & uxore sorore sua de regno Majoricarum violenter expellit. Quo pro restitutionis fiendæ sibi remedio ad Romanam curiam veniente, Papam prædictum satis favorabilem reperit. Sed quoniam induratum est cor dicti Regis Arragonum, nihil omnino profecit. Demum Regina consors dicti Regis Majoricarum in hoc exilio moritur. Et Rex ipse tunc uxore indigens Dominam Violantem consanguineam suam, à se primò cognitam, prout fertur, recepit in uxorem; & cum eis per Papam eundem nolentem addere turbationem afflictis & pro macula tollenda fuit dispensatum. Deinde verò Rex ipse classem modicam præparat, & versùs Majoricas per cives clam vocatus accedit. Sed Rex Arragonum ista præsentiens civitatem illam munivit, & navigio venienti Regi restitit, & descendentem illum cum primogenito suo & suis gentibus quas habebat in conflictu posuit & occidit; & primogenitum ejus nepotem suum, virtuosæ nimis indolis juvenem, percussum in facie, captum, & in Arragoniam ductum, adhuc hodie nutrit ut filium, sed eum de restituendo sibi dominio regni paterni obaudit.

Anno nativitatis dominicæ MCCCXLVIII. pontificatus ejus septimo Clemens hic Pontifex in vigilia ascensionis Domini assumpsit Dominum Petrum nepotem suum ex fratre suo germano Domino Guillelmo Rogerii Comite Bellifortis, Notarium tunc apostolicæ sedis, in sanctæ Mariæ novæ Diaconum Cardinalem, qui nondum vigesimum annum ætatis attigerat. Sed qui motiva Papæ nosse desiderat, sermonem videat quem de illo fecit in publico, cujus thema fuit verbum quod in actibus scribitur, scilicet: *Videntibus illis elevatus est.* quod licèt de Christo tunc ad patrem ascendentem sit dictum, convenienter tamen de dicto Domino Petro Cardinali tunc dictum est, quia, sicut alibi legitur, tunc ascendit Petrus in superiora domus, & etiam quia dici poterat quòd ad patrem, quoniam ad patruum suum patrem sanctum & summum Pontificem ascendebat. Et utinam ætatis ejus ultima primis respondeant. Virtus enim in illo, faciente Domino, supplet ætatem; & ut spes mihi firma suadet, filius hic sapiens gloria patris sui erit.

Anno nativitatis Domini MCCCXLIX. pontificatus autem ejus octavo Dominus Guido Portuensis Episcopus, qui Cardinalis Boloniensis vulgariter dicitur, per eundem Pontificem Legatus de latere in Vngariam mittitur, habens etiam, quia erat inde in anno quinquagesimo transiturus *** autem in urbe, per quam anno prædicto quinquagesimo propter indulgentias transiens in curiam rediit, ubique multipliter honoratus,

Eodem anno & pontificatus supradictis, nona videlicet die Septembris, circa horam primam, terræ motus maximi fuerunt in regno Siciliæ, in urbe, ac partibus convicinis usque ad civitatem Pisanam exclusivè, ac multa & magna ædificia palatiorum, Ecclesiarum, & turrium corruerunt, & multi fontes exsiccati sunt, & in multis locis ubi non erat aqua, fontes affluentes adhuc usque hodie scaturizant.

Hic summus Pontifex decretalem illam quæ distinguit vitam Dominorum Cardinalium in conclavi tenendam, cùm pro futura summi Pontificis electione clauduntur, de singulorum & omnium Dominorum Cardinalium digesto consilio & expresso consensu, quin immo ad eorum instantiam, districtè modificat & modestè reformat, prout in constitutione sua, quam ad perpetuam rei memoriam & sub bulla super hoc noviter edidit, clarè liquet.

Anno dominicæ incarnationis MCCCL. pontificatus autem ejusdem Pontificis anno nono serenissimus Princeps Dominus Philippus Rex Franciæ illustris, qui fuerat primò Comes Valesii, & primus ad quem extra lineam beati Ludovici quondam Regis Franciæ [regnum Franciæ est] devolutum, sicut Domino placuit, die XXV. mensis Augusti legem qua statutum est homini mori semel adimplens, regnum hoc temporale relinquens, & æternum accipere sibi regnum accelerans, viam est universæ carnis ingressus. Et ejus primogenitus ante regnum, videlicet Dominus Iohannes, ei statim in regno successit, & die XXVI. mensis Septembris ejusdem anni coronatus est Remis.

Huic summo Pontifici tantum propitiatus est Dominus quòd præter dictorum Regum concordiam cuncta sibi quasi prosperè successerunt, & juxta suæ largifluæ liberalitatis clementiam multa suæ collationi subjecit. Nam propter mortalitatis epidemiam supradictam quasi cunctas orbis Ecclesias Prælatis atque rectoribus renovavit, sed & collegium Dominorum Cardinalium, quod ex mortalitate prædicta, quæ multos ex eis, viros conscientia quidem & scientia reverendos, absorbuit, admodum remanserat diminutum, laudabiliter instauravit. Nam &

eodem anno nativitatis prædictæ & pontificatus ejus nono in temporibus jejuniorum beatæ Luciæ, de mense Decembris, sicut scriptum est, assumpsit sibi XII. quos vocavit Apostolos, Reverendos videlicet Patres Dominos Ægidium juris canonici Doctorem & omnes alios, quorum nomina ignoro. Et sic in vita sua XXV. Cardinales fecisse comperitur; pluresque fecisset, ut verisimiliter conjectura tenetur, nisi mors celeriùs eum quàm crederet prævenisset.

De anno nativitatis dominicæ MCCCLI. (qui fuit decimus annus pontificatus ipsius) ego Romæ tunc residens gesta non scribo, quia nec ab aliis digna memoratu percepi, nec ipse memini.

Anno verò MCCCLII. pontificatus ejus undecimo summus hic Pontifex clementia totus & liberalitate respersus, ut Romanus populus devotissimi & peculiares ejus & sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ filii quædam eis incumbentia possent non minùs faciliùs quàm celeriùs expedire, prædicto populo de quatuordecim millium florenorum auri quantitate subvenit.

Eodem anno, sui pontificatus undecimo, venerabilis pater Dominus Guillelmus de Guardia Bracarensis Archiepiscopus in regnum Siciliæ citra Pharum cum pleno legationis titulo per eundem Pontificem destinatur, & de commissione specifica sibi facta prædictus Dominus Ludovicus in Regem & dicta Domina Iohanna, dicti quondam Domini Roberti neptis, uxor ipsius, in Reginam dictorum regnorum Hierusalem & Siciliæ per eundem Archiepiscopum auctoritate apostolica in Ecclesia majori Neapolitana sollemniter juxta ritum sacrosanctæ Romanæ matris Ecclesiæ coronantur.

Adhuc Pontifex iste casus mundi considerans, ante prædictum Benedictinum palatium aliud valde mysteriosum & pulcrum & capellam amplissimam nimiumque decoram, sub qua modò causarum & contradictoriarum audientiæ tenentur, à fundamentis grossissimis fecit ædificare. Pontem insuper lapidum & lignorum, per quem de civitate Avinionensi in regnum Franciæ pertransitur, de quatuor arcubus qui deficiebant in illo plusquam pulcherrimè compleri mandavit, & factum est. Sacrosanctam insuper Lateranensem Ecclesiam, quæ mater & caput est Ecclesiarum urbis & orbis sedesque propria Romani Pontificis atque prima, tecto, quod deficiebat in illa, honorabiliter & pulcherrimè restauravit. Videns autem & audiens hæc & omnia supradicta manuum suarum opera perfectè completa, benedicens Dominum in vita sua, in dicta nova sua magna capella semel duntaxat, in omnium sanctorum festo videlicet, sollemniter celebravit & facundissimè prædicavit, ac de votis ejus utcunque completis dignas Deo laudes exsolvit.

Sed quia necessarium est, cùm venitur ad summum, ex illo descendere, quoniam ulteriùs ascendi non potest, & natus homo de muliere nunquam in eodem statu permanet, cùmque nil sit in hac vita perpetuum, dictum summum Pontificem diebus ultimis mensis Novembris de dicto dominicæ nativitatis anno MCCCLII. sui pontificatus undecimo, circa medium ejus anni, visitans manus Domini tetigit eum, visitatio cujus ejus spiritum custodivit. Illum enim quædam tunc invasit infirmitas, propter quam sexto die mensis Decembris tunc immediatè sequentis, in festo videlicet beatissimi Nicolai, spiritum Domino reddidit, & memoria ejus in benedictione semper erit. Exequiæ verò dicti summi Pontificis in cathedrali Ecclesia beatæ Mariæ Avinionensis fuerunt in crastinum sollemniter celebratæ. Et demum exinde corpus ejus juxta dispositionem ipsius ad prædictum Casæ-Dei monasterium, quod ipse Pontifex in Ecclesia & do-

mibus mirabiliter ampliavit & possessionibus augmentavit, fuit portatum per Dominos fratrem & nepotes ipsius Cardinales & Comitem Belliforitis aliosque nepotes & consanguineos ejus, simul & dolentissimè nec minùs cerimonialiter quàm honorabiliter sociatum, sed virtutis ejus honorum obsequium non attingit, & in sepulcro novissimo, quod ipsemet vigens & vivens in Villanova Avinionensis diocesis sibi fecerat fabricari, quodque pretiosissimi & politissimi operis est, illuc delato & in capella quam præter illas supradictas construi fecerat sepultus est clementissimus ille Clemens anno Domini MCCCLII. pontificatus sui undecimo, die sexta mensis Decembris; anima cujus in pace requiescat. Amen.

TERTIA VITA.
CLEMENTIS VI.

CLEMENS VI. in patria Lemovicensi & castro Malimontis ex patre & matre Guillelma natus est, & in parrochiali Ecclesia dicti loci, sanctæ crucis videlicet de Roseriis, baptizatus. Nec sine felici forsitan eventus præsagio ab ipso fonte baptismatis vocatus est Petrus, ut clarus omnibus intellectus existeret quòd in ea petra Deus homo Christus Iesus sanctam foret Ecclesiam suæ cuncta cernentis immensæ benignitatis clementia fundaturus, & quòd in re, prout in nomine, ejusdem Christi vicariatus officio successurus esset meritò Petro Petrus. Et dignè nimis in sanctæ crucis Ecclesia baptisma recepit qui crucem erat coram se tribus vicibus, ascendendo continuè, pro tribus prælationum fastigiis in individuæ trinitatis honorem super alios portaturus. Rectèque rosas in clypeo suæ generationis ut rosa flos florum floridus iste suorum in suavitatis odorem & signum protectionis assumpsit,qui de dictis odorem & signum protectionis assumpsit, qui de dictis Roseriis fidei scutum salvationis accepit. Sed verè nil aliud rosarum numerus voluit indicare senarius nisi quòd sicut per arithmeticos ipse perfectior reputatur, sic ob suorum dona virtutum super ceteros homines iste perfectior haberetur, & quòd sextum erat summi Pontificis fastigium inter Clementes Pontifices obtenturus.

Hic à suis teneris annis monasterium Casæ-Dei in Aniciensi diocesi situatum ingreditur, & in illo beati Benedicti regulam est professus, ibique religiosis & scholasticis disciplinis imbuitur; adeo quòd sicut puer iste crescebat in annis, sic multiplicabatur in virtute. Quem vitæ venerabilis Aniciensis Episcopus & Abbas ejusdem monasterii Casæ-Dei apprehensivæ mirabilis, districti judicii, necnon memoriæ mirabilioris esse videntes, ipsum ad studendum Parisius destinarunt; ibique dictus Abbas paternis subventionibus eum nutrivit ubi puer ipse benedictionis & gratiæ tantum in artibus & philosophia & demum in theologia studendo, repetendo, atque libros solitos ordinatè legendo profecisse comperitur quòd in tricesimo anno ætatis suæ, non per pretii seu precum instanciam, aut per bullæ papalis tempus anticipantis gratiam, sed solo virtutis merito in sacra pagina magistratur, & tam velox apud cunctos ac in tantum profundissimæ suæ scientiæ fama percrebuit quòd in omnem terram exivit

sonus ipsius, & quia temporibus suis nunquam homo ita facundè locutus est, in fines orbis terræ verba illius.

Hic Reverendi Patris bonæ memoriæ Domini Petri de Mortuomari tunc tituli sancti Stephani in Cælio monte Presbyteri Cardinalis, qui eum ut filium diligebat, expresso mandato Romanam venit ad curiam. Et primùm sancti Baudilii Nemausensis ordinis sancti Benedicti à dicto Domino Iohanne Papa XXII. obtinet prioratum. Deinde verò per ejusdem Cardinalis & aliorum quamplurimorum Cardinalium auxilium ab eodem Papa in Abbatem Fiscanensem, & subsequenter in Attrebatensem Episcopum, signa quoque regia deferens, cooptatur, in Regis Franciæ consilium & parlamentum inducitur, ac demum in Senonensem, & paulò pòst in Rothomagensem Archiepiscopum promovetur. Et quia nullam amaritudinem, sed lætitiam & gaudium conversatio ejus habebat, cum eodem Rege tam ferventis amoris vinculo jungitur quòd eum ab oblato sibi per eundem Dominum Iohannem Papam XXII. cardinalatu compescuit, nolens ejus consilio seu conversatione carere. Sed eodem Papa viam universæ carnis ingresso, & eidem præfato Domino Benedicto XII. succedente, per eundem Dominum Benedictum Papam ad apicem cardinalatus assumitur, & de Parisius ad Romanam curiam tunc Avinione manentem capellum nigrum in rubeum commutaturus accedit; ubi simul cum Domino Goso, qui velut apostolicus nuntius factus Cardinalis de Italia redibat, cum debita solita sollemnitate per Papam & Cardinales excipitur, & juxta sedis apostolicæ morem, post sumptum cum omnibus Cardinalibus prandium, capelli rubei flamine decoratur, sub quo per annos quasi tres in tanta consiliorum, prædicationum, gratarum conversationum, ac exemplarium operationum fama resplenduit quòd virtutibus hujusmodi præviis & clementia sibi divina favente post obitum Domini Benedicti XII. memorati (qui obiit die XXV. mensis Aprilis anno Domini MCCCXLII.) in conclavi palatii Avinionensis, quod die dominica quinta mensis Maii sine medio subsequentis, eo computato, XVII. Domini Cardinales intraverunt, solo Domino Bertrando de Montefaventio sanctæ Mariæ in Aquiro Diacono Cardinali extra conclave prædictum propter morbum podagricum remanente, die Martis ejusdem mensis Maii VII. statim ante vigiliam Ascensionis Domini, hora tertiæ, in summum Romanum Pontificem sublimatur, & thronus ejus eo ipso clementia roboratur. Nam petitus, ut moris est, quo nomine vocari placeret, clementissimus ille disponens in omnes exercere clementiam, nomen sibi Clementis assumpsit. quod magis ac magis in dies per effectum operis demonstravit. Nam rectè, sicut scriptum est, lex clementiæ in lingua ipsius; quæ sibi tantum naturaliter inerat quòd Cæsarianum illud memorabile verbum coram semper habebat, quempiam non decere videlicet de præsentia Principis non contentum abire. Habebat insuper doctrinam illam, quam & alios docuerat, menti semper impressam, quòd videlicet dum tempus habemus, ad omnes & maximè domesticos fidei bonum operari tenemur. Horum igitur semper, nec unquam, nisi cogente justitia, quam æquitatis & misericordiæ perfusus in pluribus mitigabat, usus est negativa.

Vacavit igitur, ut apparet, Ecclesia diebus XII. & ministeriosè nimis tunc in Papam assumitur. Nam cùm Dominus noster Iesus Christus ad patrem esset ascensurus ad biduum quo sine sponsi vicario sponsam suam vel absque dispensatore domum aut sine

remige navem dimitteret, ne gubernatoris terrestris auxilio carens, maris hujusmodi magni collideretur ad scopulos non decebat, sed ut coronationem ejus spiritus sanctus in sua celeberrima die, quo promissus in filios adoptionis effusus est, non sine mysterio forsitan sollemniter consummando perfecit. Nam in festo Pentecostes, quod tunc celebratum fuit XIX. die mensis Maii, apud Ecclesiam fratrum Prædicatorum de Avinione cum maxima sollemnitate celebritatis, & astantibus ac servientibus eidem Domino Iohanne primogenito Regis Franciæ supradicti, Duce autem Normanniæ, qui postea patri suo successit in regno, Iacobo Duce Borbonensi, Philippo Duce Burgundiæ, Humberto tunc Delfino Viennensi, & multis aliis tam Franciæ quàm Vasconiæ ac partium aliarum Comitibus, innumerisque Baronibus, extitit coronatus, & in convivio ibi facto permaximo multipliciter honoratus, & ad palatium apostolicum eisdem omnibus adestrantibus eum sequenti die lunæ honorificè nimiùm & quietè reductus; ita quòd sicut in Apostolos singulos illa die [spiritus sanctus] prout lingua ignis apparuit, sic in hunc summum Pontificem per carbunculum lapidem pretiosum lucentem ignis ad instar in tiaræ seu diadematis culmine positum descendisse seu apparuisse monstratur.

Hic primo anno pontificatus ipsius, nativitatis Domini MCCCXLII. juxta quod bene noverat verbum Dei, quo discipulos docuit pacem primùm optare, Dominorum Philippi Franciæ & Edouardi Angliæ tunc Regum illustrium discordiam ægrè ferens, sollemnes duos nuntios ad prædictos Reges quàm primò potuit eadem æstate destinavit, videlicet Patres Reverendos Dominos Petrum Penestrinum & Annibaldum Tusculanum Episcopos Cardinales; qui tanquam industres & providi, prudentes atque viriliter laborantes, eosdem Reges, non de pace, cùm nondum essent maturata negotia, sed de triennalibus treugis, quæ non plenè servatæ sunt, postea concordarunt.

Hic idem summus Pontifex rectissimè Clemens [vocatus] volens pauperibus clericis universis, de eo quod gratis acceperat gratis dare, bullam gratiæ suæ clementer aperuit ut infra duorum mensium spatium anno & æstate prædictis de suæ clementiæ plenitudine gratiam pro gratia cuncti reciperent, & de non avaro dispensatore, sed largo quidem atque munifico cunctis dato largifluum Deum, qui dat omnibus affluenter & non improperat, devotas illi gratias agentes humiliter collaudarent.

Eadem æstate, pontificatus sui prima, cunctis Ecclesiis cathedralibus, collegiatis, & aliis, quas prædecessor ejus immediatus, zelo forsitan justitiæ, rectoribus viduatas dimiserat, quarum numerum brevis hæc scriptura non clauderet, Episcopos & rectores restituit, singulis singulas conferendo, ne per prælatorum aut rectorum carentiam cultus divinus deficeret in eisdem, sed per cælestis influentiam gratiæ continuè reflореret, & fructum salubrem afferens, gratum Domino redderet suavitatis odorem, quamvis lucidè nosceret quòd proventus non modicos apostolicæ cameræ defalcabat. Benedicta sit igitur, si qua fuerit in Benedicto Papa XII. præfato, justitia, quæ habenti contulit, & abstulit non habenti, quòdque tam largo, tam libero donatori tantam donandorum copiam conservavit. Et cùm scriptum sit, *Misericordiam volo, & non sacrificium*, & quòd *melior est misericordia super vitas, labia mea laudabunt te*, in Clemente sexto clementiam, quæ per ejus prædecessorem rigorosè retenta, misericordiæ liquore

condita, dispergens omni petenti se tribuit gratiosum, & pauperes Domini panibus saturavit. Nec damnanda est ejus circumspecta prudentia; quæ volens quòd prudentiæ suæ semper de gratiis conferendis clementiæ de qua posset materia non deesset, dignitates omnes & illas etiam ad quas per electionem ascenditur reservavit, cùm voluntas & impotentia magnanimæ soleant generare.

Eodem anno Pontifex idem constitutionis per dictum Dominum Benedictum Papam XII. prædecessorem suum editæ super reformatione monachorum nigrorum rigorem attendens, illam oleo suæ clementiæ misericordis aspergens modificàvit in multis, & eam discretionis lima reformans, ad jugi dominici suavitatem & levitatem omnes cum æquitate reduxit.

Hic idem Pontifex universi gregis dominici se pastorem universalem advertens, ad instar illius veri pastoris cujus vicariatum exercet, fratres & discipulos suos ad diversa mundi climata misit ad pacem inter discordes quoslibet reformandam. Nam in Italiam & potissimè Lombardiam anno sui pontificatus primo & æstate prædictis Reverendum Patrem Dominum Guillelmum tituli sanctorum quatuor Coronatorum Presbyterum Cardinalem destinavit; qui velut homo Dei, justitiæque zelator, bonum ad omnes operatus est.

Iste Papa volens domum Dei pluribus Cardinalibus roborare, ut multas quæ in illa sunt mansiones tutiùs & accuratiùs custodiret, eodem sui pontificatus anno primo in occurrentibus tunc primò jejuniorum temporibus, de mense Septembris, post festum sanctæ crucis, decem in domo Domini supradicta statuit Cardinales orbis terræ. Nam Reverendos Patres Dominos fratrem Heliam de ordine fratrum Minorum tunc Archiepiscopum Nicosiensem, magistrum in Theologia, in tituli sancti Vitalis, Guidonem de Bolonia Archiepiscopum Lugdunensem in tituli sanctæ Cæciliæ, qui postea fuit Episcopus Portuensis, Aymericum Episcopum Carnotensem profundissimum juris utriusque Doctorem in tituli sancti Martini in montibus, Andream de Florentia Episcopum Tornacensem juris utriusque Doctorem in tituli sanctæ Susannæ, Stephanum Episcopum Claromontensem juris civilis Doctorem in tituli sanctorum Iohannis & Pauli, qui postea fuit Episcopus Ostiensis & deinde Papa, Hugonem tunc electum Tutelensem, ejusdem Domini Papæ germanum, monachum ordinis sancti Benedicti, in tituli sancti [Laurentii] in Damaso, Ademarum tunc sedis apostolicæ Notarium, juris utriusque Doctorem, in tituli sanctæ Anastasiæ, & fratrem Geraldum generalem magistrum ordinis Prædicatorum & sacræ paginæ professorem in tituli sanctæ Sabinæ Presbyteros, & Bernardum de Turre in sancti Eustachii ac Guillelmum Iudicis ejusdem Pontificis ex una sorore nepotem, Doctorem in jure civili, in sanctæ Mariæ in Cosmedin Diaconos Cardinales assumpsit.

Ad gratum hunc Domino & omnibus Pontificem summum cuncti Reges & civitates & populi mittunt sollemnes nuntios. Sed Romanus populus eos sollemniores destinavit, videlicet XVIII. cives eorum, sex videlicet de quolibet statu urbis majori, medio, & minori; per quos, licèt illis plura commiserint, de tribus tamen principaliter supplicarunt. Primò videlicet quòd Senatum, capitanatum, ceteraque urbis officia, quæ sibi tunc, ad ejus duntaxat vitam, tanquam Domino Petro Rogerii, non ut Clementi VI. summo Pontifici, per eorum procuratores & syndicum præsentabant, acceptare benigniter dignaretur. Secundò autem

quòd sibi placeret civitatem Romanam & sacrosanctam Lateranensem Ecclesiam, quæ mater Ecclesiarum omnium urbis & orbis existit ac prima & propria sedes ejus, tam longè, proh pudor, sessore privatam, seu quæ tamdiu sponsi sui visione caruerat, visitare. Tertiò verò, cùm propter statum fragilem humanæ creaturæ rarò quis valeat ad annum suæ vitæ pervenire centesimum, annum quem Dominus Bonifacius VIII. Papa visitantibus peregrè prædictam civitatem & beatorum Petri & Pauli Apostolorum Ecclesias per certum dierum numerum peccatorum omnium statuit remissionem commutare sive ad annum quinquagesimum misericorditer [reducere] dignaretur. Ad quas quidem petitiones per tres dictorum ambassiatorum, scilicet per magnificum virum Stephanum de Columna Senatorem dictæ urbis illustrem, ac venerabilem virum Dominum Franciscum de Vico, & nobilem virum Lellum Petri Stephani de Chosecis syndicum dictæ urbis ac magistrum ostiariorum dicti Papæ procuratorem ad hæc per dictum populum specialiter constitutum plusquam eleganter expositas idem Papa ad duos menses postea multùm gratè respondit, præterquam ad visitationem urbis, quam multis & coloratis rationibus prolongavit vel veriùs denegavit. Vrbis enim officia, quòd non præjudicaret eidem, conditionaliter acceptavit. Accessum ejus ad urbem non posse tunc, licèt velle, se asserens, ad tempus possibile reservavit. Quinquagesimum verò tunc & in posterum per decretalem illam quam Papa tunc noviter edidit & dictavit, quæ incipit *Vnigenitus Dei filius*, firmiter in perpetuum ordinavit; prout in suo sermone, cujus thema fuit illud quod scribitur ad Romanos, *Primò videlicet desidero vos &c.* usque *fidem vestram atque meam* inclusivè, per quem [modum] & in quo per facundam eloquentiam & profundam scientiam ac abundantiam seu clementiam vicit & transcendit clarissimè semetipsum, poterit scire hoc desiderans intueri. Post paucum verò temporis, adeo quòd hoc etiam decretalis illa complectitur, Lateranensem Ecclesiam sedem suam in eadem indulgentia prædictis Apostolorum Ecclesiis aggregavit, & omnium eam peccatorum remissionis plenissimæ privilegio in quinquagesimo visitantibus decoravit, & ipsos ambassiatores multipliciter munificus Dominus honoravit.

Hoc anno primo dictus Pontifex prædictum [Reverendum] Patrem Dominum Andream tituli sanctæ Susannæ Presbyterum Cardinalem pro reformanda pace inter Dominos Arragonensem & Majoricarum Reges destinat ut Legatum: qui bonum faciens legationis principium, tandem vocatus à Domino in Perpiniano regni Majoricarum castro viam est universæ carnis ingressus.

Anno ipso pontificatus ejusdem dictus Pontifex ad pacem semper intentus Dominum Bertrandum tituli sancti Marci Presbyterum Cardinalem ad dictos Reges pro eorum facienda concordia Legatum similiter destinavit: qui licèt satis vellet & multa sciret, Reges ipsos de pace vel treugis concordare nequivit. Quo postea curiam repetente Romanam, idem Papa non quietus in mente, Dominum Bertrandum tituli sancti Cyriaci in Thermis Presbyterum Cardinalem ad eosdem Reges destinavit. Et tandem eos de treugis biennalibus concordans, statim in Romanam curiam remeavit.

Idem Pontifex contra Ludovicum de Bavaria Dei & Ecclesiæ inimicum, ad Ecclesiæ gremium redire nolentem, sententias aggravat & processus.

Hoc eodem pontificatus ejus anno secundo, anno Domini MCCCXLIII. moritur vir inclitæ conversationis Dominus

Dominus Robertus Siciliæ Rex. Cui successit in regno Domina Iohanna neptis ejusdem Regis ex primogenito filio suo quondam Duce Calabriæ, quam idem Rex Domino Andreæ quondam Regis Vngariæ filio dederat in uxorem. Quod matrimonium per ipsum Regem ad statum tam regni quàm hominum ordinatum · ad instar virgæ Moysi, quæ in colubrum est conversa, dissensionis & turbationis extitit & destructionis per consequens causativum. quod nisi prolixitatis frenum stilus abbreviet, forsan infrà patebit.

Hoc eodem pontificatus ejus anno secundo, nativitatis verò dominicæ MCCCXLIII. Pontifex idem in jejuniorum quadragesimalium tempore ultra Rhodanum in domibus quondam Domini Neapoleonis Cardinalis existens, duas in domo Domini pro firmiori substentatione fidei columnas erexit, seu juxta thema propositum per eundem, pro dirigendo securiùs grege sibi commisso duas sibi virgas assumpsit, quia Reverendos Patres Dominos, videlicet Petrum Bertrandi de Columberio Viennensis provinciæ, tunc Atrebatensem Episcopum, Licentiatum in jure canonico & civili, sani consilii virum, tituli sanctæ Susannæ Presbyterum Cardinalem, & Nicolaum ejusdem Pontificis nepotem, tunc electum Lemovicensem, in sanctæ Mariæ in via lata Diaconum Cardinalem elegit, & eos in medio fratrum in honore locavit. Qui quidem Dominus Petrus de Colnmberio factus est postmodum Ostiensis & Velletrensis Episcopus juxta cursum collegii; fuitque tantæ virtutis, tantumque zeli fervorem habuit ad Ecclesias suas, quòd pro jurisdictionibus & honoribus Ostiensis Ecclesiæ conservandis labores mentis & corporis expensa que non metuit, sed hæc omnia constans & intrepidus animo cum liberalitate subivit. Et de Avinionensi civitate, ubi tunc Romana curia residebat, usque Romam pro benedictionis, inunctionis, & coronationis Imperatoris & Imperatricis Romanorum sollemniis, quæ ad Ostiensem, Portuensem, & Albanensem Episcopos Cardinales, distinctis singulariter actibus inter eos, prout est in libro qui pontificalis dicitur, & in Ostiensis summa describitur, pertinent, celebrandis, aliis remanentibus, ipse solus accessit; & ubique vadens & rediens honoratus, usus insuper pallio, prærogativa ejusdem Ecclesiæ Ostiensis fungens, omnium ibi prædictarum sollemnitatum ministeria laudabiliter & sollemniter adimplevit. Propter quod exemplariter nomen suum ejus fratribus est narrandum, & ipse in seculum in medio Ecclesiæ collaudandus.

Clemens hic Pontifex in anno Domini MCCCXLIV. pontificatus ejus verò tertio generosum virum Dominum Ludovicum de Hispania insularum fortunatarum de novo Principem statuit.

Hoc eodem anno, pontificatus ejus tertio, in dictum regnum Siciliæ, non ex eo quòd Væ terræ cui Rex puer est, & ne vacillanti sæpius muliebri regimini subjaceret, verùm ex hoc maximè ne sacrosancta Romana Ecclesia ejusdem regni gubernationis de jure pertinentis ad eam in eo casu titulum perderet, per eundem Pontificem Legatus unus de latere destinatur, scilicet Aymericus tituli sancti Martini in montibus Presbyter Cardinalis; qui infra annum legationis suæ, anno scilicet quarto pontificatus Pontificis prædicti, per urbem ad Romanam curiam est reversus. Et utinam ibidem diutiùs stetisset, quia fortè ea quæ postmodum facta fuerunt, facta non fuissent. Et sibi Dominus Guillelmus Amici Carnotensis Episcopus, sicut in episcopatu prædicto, sic in hujusmodi commissione successit. Cujus tempore Papa decrevit, & eidem Cardinali Legato

gubernatori primò, quod quidem exequi non potuit, quia jam de regno discesserat, ac demum secundò eidem Episcopo Carnotensi commisit quòd prædictus Dominus Andreas in Regem & uxor sua in Reginam coronentur. Sed cùm dictus Rex, proh dolor, bullam suæ coronationis expectat, bellum suæ destructionis ingreditur quod incautus ignorat. Nam ex nonnullorum nequissimis machinationibus præviis in camera sua, dum cum Regina prædicta in civitatis Adversæ castro regio moratur, noctis tempore capitur, & foras cameram detestabiliter trahitur, & injuriis martyriisque diversis afflictus, per suspendendos juridicè Rex juvenis & innocens suspendii morti datur, & sic cecidit corona de capite ejus. Væ autem illis qui peccaverunt. Post hæc dictus Episcopus Carnotensis ad curiam Romanam rediens, dedit plenam informationem super præmissis Romano Pontifici. Tandem Romanus Pontifex habito consilio cum fratribus suis in patratores & fautores sceleris antedicti processus rigorosissimos publicavit & sententias fulminavit.

Anno quarto Pontificis ejusdem, scilicet MCCCXLV. egregius Princeps Dominus Humbertus Dalfinus Viennensis efficitur Vexillifer & Capitaneus contra fidei hostes in partibus Romaniæ, & crucis etiam prædicatione suffultus & armigerorum copiis ad partes illas accessit. Nec primis ejus ultima responderunt; quoniam post paucum temporis rediens, seque jam ad procreandam sobolem impotentem sentiens, militiam secularem abiciens, clericalem amplexus est, & per eundem Papam in Alexandrinum Patriarcham præficitur, & sibi Remensis Ecclesia commendatur. Qui suorum, ut dicitur, allectorum pecunia seductione devictus primogenitum Iohannis Regis Franciæ Karolum nomine vivens adhuc &c., ut solebat, incolumis de toto Dalfinatu sibi fecit heredem. quod an ad virtutem ei vel utilitatem ascribam nescio, Deus scit.

Eodem anno Rex Vngariæ frater Andreæ Regis mortui armata manu dictum regnum ingreditur & occupando devastat, & quasi totum suæ subicit ditioni. Tandem Karolum Ducem Duracii, qui mortis Andreæ prædicti culpabilis dicebatur, in dicto castro regio prædictæ civitatis Adversæ, ac in eodem loco ubi suspensus fuerat frater suus, coram se captum decapitari mandavit, & factum est. Rex verò prædictus regnum dimittens dissipatum, in Vngariam rediens, multos secum nobiles duxit. Regina autem cum filio Principis Tarentini matrimonium propria auctoritate contraxit, qui se secundo gradu consanguinitatis attingebant. Tandem ad Romanam curiam venientes pro dispensatione obtinenda, obtinuerunt. Ipsi verò multùm gravati super expensis, non inveniebant consilium de quo possent ad locum proprium [redire.] Quod dictus Pontifex circumspectus & providus velut Argus advertens, tanquam ille quem zelus domus Domini comedebat, opportunis exquisitis tractatibus & cautis intermediis viis, civitatem Avinionensem, quam præter urbem ad Romanam curiam opulenter alendam nullam protinus aptiorem agnovit, omni modo juris meliori quo potuit emit à Regina prædicta pro pretio invicem concordato. Et sic Regina & ejus socius per venditionem hujusmodi pecunia redundantes, simul in regnum redierunt.

Eodem anno obstinatam jam diu pravitatem Bavaricam satagens extirpare, jussit Electoribus Romani Imperatoris ut idoneum eligerent ad imperium obtinendum. Erat enim inter ipsos Electores pecus unum infectum, quod primò ex illa congregatione

removit, videlicet Henricus Maguntinus Archiepiscopus, qui infectus hæresi reputabatur; qui tandem ab omni pontificali honore depositus, & ab Ecclesia Maguntina absolutus, omni beneficio officioque ecclesiastico privatus est.

Anno Domini MCCCXLVII. Dominus Karolus primogenitus Domini Iohannis Regis Bohemiæ illustris, adhuc suo patre vivente, cum ejusdem Pontificis [voluntate] & tractatu conscio omnium Cardinalium præhabito per omnes Electores imperii concorditer in Romanorum Regem & futurum Imperatorem eligitur, & in eodem anno per eundem Pontificem coram multitudine fidelium copiosa publicè prædicantem confirmatur.

Summus hic Pontifex eisdem annis pontificatus sui sexto & nativitatis dominicæ MCCCXLVII. canonizavit beatum Yvonem provinciæ Brittaniæ oriundum, innumeris miraculis coruscantem; ejusque festum velut confessoris constituit XIX. die Maii, quæ, prout suprà scriptum est, dies extitit coronationis ejusdem.

Post hæc autem, post aliquod temporis intervallum Ludovicus de Bavaria, qui se pro Imperatore gerebat, dum per saltum apros eques non currens insequitur, insidens equo subitò moritur. Sic igitur contradictore cessante, prædictus Dominus Karolus peramplius prosperatur.

Iisdem temporibus Edoardus Rex Angliæ regnum Francorum invadit hostiliter, & per provinciam Picardiæ venit usque Parisius, Rege Francorum tunc absente. Quo subitò redeunte, Rex Angliæ retrocessit, & multa villis & hominibus damna inferens in castro Calesii, unde venerat, se reduxit.

Hoc tempore, anno Domini MCCCXLVIII. in multis mundi provinciis ac in Romana curia tam civium quàm curialium omnis gradus ab oriente progrediens tanta supervenit mortalitas quòd, ut in libro sapientiæ legitur, ad sepeliendum mortuos vix vivi sufficerent, nec Ecclesiarum cimiteria satis erant. Propter quod Papa emit extra civitatem Avinionensem agrum qui usque hodie dicitur ager sacer, ubi foveis profundissimis & largissimis fossis operiebat ut pecora gregatim terra defunctos. Et ibidem fundari fecit unam Ecclesiam in honorem beatæ Mariæ, quam dotavit decenter, & de campo sancto vulgariter cognomen accepit. Et duravit hæc epidimia usque ad annum Domini MCCCXLVIII. inclusivè, sed totaliter non completum. Fecit autem Papa multa pietatis opera illis annis. Nam ut eorum quos illis temporibus mortis morsus tam rapidus rapiebat citiùs possent corpora sepeliri, ne plus aër inficeretur quàm esset infectus, duos grossos argenteos portantibus corpora pro quolibet corpore deputavit, & omnibus & singulis morientibus qui tali subsidio indigerent fecit sudaria ministrari. Sed adhuc majorem Clemens iste misericors clementiam & misericordiam omnibus est largitus. Universis enim & singulis metropolitanis orbe terrarum toto diffusis per se ipsos & eorum suffraganeos & rectores Ecclesiarum impendendi beneficium absolutionis omnibus & singulis in parrochiis eorum ex epidimia tunc morientibus & supplicantibus de eodem plenam concessit & liberam in forma Ecclesiæ per ejus literas potestatem.

Anno Domini MCCCXLVIII. Clemens Papa in vigilia Ascensionis dominicæ assumpsit Dominum Petrum nepotem suum ex fratre suo germano Domino Guillelmo Rogerii Comite Bellifortis, tunc Notarium apostolicæ sedis, in sanctæ Mariæ novæ Diaconum Cardinalem, qui nondum vicesimum annum ætatis attigerat. Et utinam ætatis ejus ultima primis res-

pondeant. Virtus enim in illo, faciente Domino, supplet ætatem; & ut spes mihi firma suadet, filius hic sapiens erit gloria patris sui.

Anno Domini MCCCXLIX. nona die Septembris, circa horam primam, terræ motus maximi fuerunt in regno Siciliæ & in urbe ac partibus maritimis usque ad civitatem Pisanam exclusivè, ac multa ædificia palatiorum, Ecclesiarum, & turrium corruerunt, & multi fontes exsiccati sunt, & in multis locis ubi non erat aqua fontes affluentes usque hodie scaturizant.

Anno eodem [obiit] Domina Iohanna Regina Franciæ, uxor quondam serenissimi Principis Domini Philippi de Valesio Regis Franciæ.

Hic summus Pontifex decretalem illam quæ distinguit vitam Cardinalium in conclavi tenendam cùm pro futuri Papæ electione clauduntur, de singulorum & omnium Cardinalium digesto consilio & expresso consensu, quin immo ad eorum instantiam, discretè modificat & modestè reformat, prout in constitutione sua, quam ad perpetuam rei memoriam & sub bulla super hoc noviter edidit, clarè liquet.

Anno Domini MCCCL. serenissimus Princeps Philippus de Valesio Rex Franciæ moritur. Et successit ei in regno Iohannes ejus primogenitus Dux Normanniæ.

Dominus Clemens Papa omnes Ecclesias quæ propter epidimiam suis pastoribus fuerant destitutæ de personis idoneis restauravit, atque de pastoribus novis renovavit. Sed & collegium Cardinalium, quod ex mortalitate prædicta, quæ multos ex eis, viros conscientia quidem & scientia reverendos absorbuit, admodum remanserat diminutum, laudabiliter instauravit. Nam & eodem anno in temporibus jejuniorum sanctæ Luciæ, sicut scriptum est, assumpsit sibi XII. quos vocavit Apostolos, videlicet Ægidium juris canonici Doctorem, tunc Archiepiscopum Toletanum, in tituli sancti Clementis, fratrem Pastorem ordinis fratrum Minorum, magistrum in theologia, tunc Archiepiscopum Ebredunensem, in tituli sanctorum Marcellini & Petri, Raimundum tunc Archiepiscopum Tolosanum in tituli sanctæ crucis in Hierusalem, Pictavinum juris civilis Doctorem, tunc Episcopum Albiensem, in tituli sanctorum XII. Apostolorum, Petrum sacræ theologiæ magistrum, tunc Episcopum Altissiodorensem, qui primò fuerat Silvanectensis, in tituli sancti Martini in montibus, Arnaldum juris canonici professorem, tunc Appamiarum Episcopum, in tituli sancti Sixti, Nicolaum civem Romanum, juris utriusque peritum, tunc Episcopum Urgellensem, in tituli sancti Vitalis, Guillelmum monachum ordinis sancti Benedicti, tunc Cæsaraugustanum electum, quem Dominus Papa à sua juventute nutriverat, in tituli sanctæ Mariæ in Transtyberim, Ægidium monachum ejusdem ordinis, magistrum in theologia, tunc Abbatem monasterii sancti Dionysii prope Parisius, in tituli sanctæ Praxedis, & fratrem Iohannem tunc generalem magistrum ordinis fratrum Prædicatorum, sacræ theologiæ professorem, in tituli sanctæ Sabinæ Presbyteros, necnon & Raynaldum de Vrsinis civem Romanum, tunc Notarium apostolicæ sedis, in sancti Adriani, & Iohannem pronepotem felicis recordationis quondam Domini Iohannis Papæ XXII. tunc similiter Notarium apostolicæ sedis in sancti Georgii ad velum aureum Diaconos Cardinales. Et sic in vita sua XXV. Cardinales fecisse comperitur.

Anno MCCCLII. pontificatus ejus XI. hic Papa clementia totus ac liberalitate respersus, ut Romanus populus devotissimi ac peculiares ejus & sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ filii quæ-

dam eis incumbentia possent non minùs faciliùs quàm celeriùs expedire, prædicto populo de quatuordecim millium florenorum auri quantitate subvenit.

Eodem anno pontificatus XI. Dominus Guillelmus de Gardia Bracarensis Archiepiscopus in regnum Siciliæ citra Pharum cum pleno legationis titulo per eundem Pontificem destinatur, & de commissione specifica sibi facta prædictus Ludovicus in Regem & Domina Iohanna, quondam Domini Regis Roberti neptis, uxor ipsius in Reginam prædictorum regnorum Hierusalem & Siciliæ per eundem Archiepiscopum auctoritate apostolica in Ecclesia majori Neapolitana sollemniter juxta ritum Romanæ Ecclesiæ coronantur.

Sunt & alia quædam, quæ si certo describi possent inchoationis ingressu, longum atque arduum executionis habuere progressum. Illa igitur quorum maximè recolo sine cujusquam temporis expressione describam. Ac in primis occurrit capella quæ magnæ turri, de qua cameram faciebat, annexa est, quam à fundamentis usque ad primum girum turris ejusdem in honorem sancti Michaelis erexit, illamque fecit picturis pulcherrimis exornari. Deinde magni consistorii locus & parvæ capellæ papalis palatii, quod prædecessor ejus fundaverat. Nam illum & illas nimiùm scientificè fecit & mysteriosè depingi. Nec abscedunt ab oculis opera multa quæ in Attrebatensi, Senonensi, & Rothomagensi Ecclesiis Clemens iste clementiæ puteus & fons irriguus pietatis exercuit; quia bene redituatas capellanias in earum qualibet ordinavit, multasque secretas ibidem & alibi nec tenues elemosynas est largitus, & maximè in papatu, in quo per alium modum etiam Pontifex iste misericordiæ pater domum sibi præparavit in cælis. Nam pro derelictis orphanis maritandis, & pauperibus viduis sustentandis, necnon & indigentibus nobilibus adjuvandis, & oppressis debitoribus omnibus relevandis, per mundissimas manus Reverendi Patris Domini Guillelmi tunc Archiepiscopi, nunc tituli sanctæ Mariæ in Transtyberim Presbyteri Cardinalis, quem de tenendo secreto sacramento pariter & mandato perstrinxit, ultra centum millia florenorum misericorditer erogavit.

Adhuc Pontifex iste casus mundi considerans, ante prædictum Benedictinum palatium aliud valde mysteriosum & pulcrum & capellam amplissimam nimiùmque decoram, sub qua modò causarum & contradictarum audientiæ tenentur, à fundamentis grossissimis fecit ædificari. Pontem insuper lapidum & lignorum, per quem de civitate Avinionensi in regnum Franciæ pertransitur, de quatuor arcubus qui deficiebant in illo compleri mandavit, & factum est. Sacrosanctam insuper Lateranensem Ecclesiam, quæ mater est Ecclesiarum urbis & orbis sedesque propria Romani Pontificis atque prima, tecto, quod deficiebat in illa, honorabiliter restauravit. Videns autem & audiens hæc & omnia supradicta manuum suarum opera perfectè completa, benedicens Dominum in vita sua, in dicta nova sua magna capella semel duntaxat in omnium sanctorum festo sollenniter celebravit & facundissimè prædicavit, ac de votis ejus utcunque completis dignas Deo laudes exsolvit.

Sed quia necessarium est, cùm venitur ad summum, ex illo descendere, quoniam ulteriùs ascendi non potest, & natus homo de muliere nunquam in eodem statu permanet, cùmque nil sit in hac vita perpetuum, dictum summum Pontificem diebus ultimis mensis Novembris de dicto dominicæ nativitatis anno MCCCLII. sui pontifi-

catus XI. circa medium ejus anni visitans manus Domini tetigit eum, visitatio cujus spiritum custodivit. Illum enim quædam invasit infirmitas, propter quam sexto die mensis Decembris tunc immediatè sequentis in festo beati Nicolai spiritum Domino reddidit, & memoria ejus in benedictionibus erit semper. Exequiæ ejus in Ecclesia beatæ Mariæ Avinionensis fuerunt in crastinum sollenniter celebratæ. Et demum exinde corpus ejus juxta dispositionem ipsius apud prædictum Casæ-Dei monasterium, quod ipse Pontifex in Ecclesia & domibus ampliavit, & capellaniis bene dotavit, & possessionibus augmentavit quam pluribus, decoravit honorificè, portatum fuit per Dominos fratrem & nepotes ipsius Cardinales superiùs nominatos, necnon per alterum fratrem ejus Dominum Comitem Bellifortis, aliosque nepotes & consanguineos ejus, quos in papatu bene noverat, nullo spreto, devotissimè simul & dolentissimè nec minùs cerimonialiter quàm honorabiliter sociatum, sed virtutes ejus honorum obsequium non attingit, & in sepulcro novissimo, quod ipse in Villanova Avinionensis diocesis fieri sibi fecerat fabricari, quodque politissimi & pretiosissimi operis est, illuc delato, & in capella quam præter illas supradictas pinguissimè reddituatam ad hoc à fundamentis ibi construi fecerat situato sepultus est clementissimus ille Clemens, clementiæ speculum, caritatis hospes, misericordiæ pater, pietatis alumnus, liberalitatis minister, justitiæ pugil, æquitatis athleta, concordiæ sator, & pacis amator, modestiæ norma, religionis exemplar, amicitiæ fomes; anchora spei, fidei basis, complacentiæ mos, eloquentiæ flos, honor generis, & patriæ decus; anima cujus requiescat in pace. Amen. Sedit annis XI. mensibus VI. & diebus XVI.

QVARTA VITA
CLEMENTIS VI.

Ex appendice Ptolemæi Lucensis.

ANno Domini MCCCXLII. nona die Maii Avinione ad locum Prædicatorum Clemens VI. natione Lemovicensis, de quodam loco dicto Mestrio Lemovicensis diocesis, fuit in Romanum Pontificem electus, & coronatus XIV. Kal. Iunii. Hic primò vocatus Petrus Rogerii, postmodum monachus & Abbas cujusdam monasterii nuncupati *la Casa de Dio*, postmodum Abbas Fiscanus in Normandia, deinde Archiepiscopus Rothomagensis, deinde in cardinalatum, & ultimatè in Papam vocatus, sedit annis decem, mensibus sex, diebus XXVIII. ab electione. Hic fuit vir magnæ divinitatis scientiæ atque fons sermocinorum. Hic largissimus fuit, atque in omnibus placidus & affabilis necnon conversabilis.

Hic anno primo pontificatus sui, temporibus jejunii Septembris, ordinavit Presbyteros Cardinales octo & Diaconos Cardinales duos, videlicet Dominum Tutellensem suum fratrem germanum, primò monachum Tutellensem, Dominum Guillermum suum nepotem ex parte sororis germanæ, Dominum de Guardia suum consanguineum, Dominum de Turre de Au-

vergnia, Dominum de Nicosia Archiepiscopum, Dominum Tornacensem de Florentia, Dominum Boloniensem, Dominum de Ciartis de Lemovicino, Dominum Claromontensem de Lemovicino, qui postea Innocentius VI. Papa, Dominum Ademarum Roberti Lemovicensem. Anno sequenti unum Presbyterum & unum Diaconum Cardinales, videlicet Dominum Lemovicensem suum nepotem ex parte suæ sororis germanæ Diaconum Cardinalem, & Dominum Atrebatensem nepotem alterius Domini Petri Bertrandi quondam Episcopi Antissiodorensis, Cardinalem Presbyterum.

Hic concessit Romanis rogantibus ut sicut eis Bonifacius VIII. concesserat quolibet anno Domini centesimo plenam indulgentiam & remissionem peccatorum visitantibus limina Apostolorum Petri & Pauli, tantum obtinerent in quolibet quinquagesimo, quotiens eveniret.

Hic instituit Episcopum Pragensem in Archiepiscopum metropolitanum Bohemiæ.

Postquam reconciliaverat Ecclesiæ prædecessor suus domum de Vicecomitibus Mediolanensibus, ex quibus unum fecerat Archiepiscopum Mediolanensem, & alterum in temporalibus Vicarium Ecclesiæ, licèt esset tyrannus, & in pluribus urbibus Lombardiæ, hic etiam acceptavit eosdem.

Hic etiam Dominum Eloisum fecerat atque coronaverat de regno insularum deperditarum, sed possessionem nunquam habuit.

Hujus tempore ferè omnes civitates, terræ, & castra patrimonii sancti Petri, Marchiæ Anconitanæ, & Romandiolæ se rebellaverunt sedi apostolicæ & ipsius in illis partibus rectoribus & officialibus, & omnes devenerunt in manibus tyrannorum, videlicet patrimonium in manibus Iohannis de Vico Præfecti urbis, Marchia in manibus Dominorum de Malatesta, & Galeoti de Arimino, Nelfii & Galassii & ejus fratrum, nepotum Comitis Guidi de Montefeltro, Domini Alogiti de Fabriano, nepotis Birogarutii de Mathelica, Simidarii de sancto Severino, nepotis Domini Gentilis de Varano, nepotis Maholis de Montemulano, nepotis Domini Pagani de Cingulo, Nicolai de Boscareto, filiorum Domini Raymundi de Esto, & quamplurium aliorum tyrannorum. Romandiola verò in manibus prædictorum de Malatestis, Francisci Sinibaldi capitanei Forolivii, Domini Iohannis de Manfredis de Faventia, & Bernardi de Polenta. Quas provincias prædicti tyranni cum eorum sequentibus occupatas tenuerunt per tempora, ipso Papa vivente.

Anno pontificatus sui quarto Comes de Arbi Anglicus cum ejus alligatis Vasconibus guerram mortalem & durissimam illò tunc manu potenti per Vasconiam, Petragoricensem & Pictavensem provincias fecerat, ferro & igne illas partes devastando. Necnon simili modo Comes de Norotono Anglicus cum suis alligatis Britonibus in dicto ducatu Britanniæ faciebat.

Hujus tempore & sub anno MCCCXLVI. de mense Augusti Rex Eduardus Angliæ cum octingentis navibus bene munitis ad guerram in Normandia illò tunc applicuit, & viribus armorum villam Cami & innumerabiles villas, castra, & loca in dicto ducatu occupavit, ferro & igne penè devastans usque ad sanctum Cloum prope Parisius; in quo loco dictus Rex Angliæ cum suo exercitu per diem totam & noctem sequentem castrametatus est. Per paucos verò dies sequentes, videlicet die sabbati XXVI. mensis Augusti antedicti, Rex Franciæ unà cum Rege Boemiæ, Rege Navarræ, & Rege Majoricarum, cum innumerabilibus Ducibus, Comitibus, Baronibus, ac

nobilibus, necnon communitatibus armorum prælium cum dicto Rege Angliæ & suis gentibus habuerunt. Denique dictus Rex Angliæ & suæ gentes bellum prædictum obtinuerunt, & dictus Rex Franciæ cum paucis apud Ambianum est receptus. Dictus autem Rex Angliæ per duos dies postea subtus tentoria die noctuque in loco qui dicitur Cresci, in quo fuit bellum, castrametatus est cum suo exercitu. In quo bello mortuus est Rex Boemiæ, Dux Lothoringiæ, Comes de Lansano frater dicti Regis Franciæ germanus, Comes Flandriæ, & alii multi Comites & Barones atque Milites Francigenæ; necnon, ut dicitur, plusquam duodecim millia hominum Gallicorum in dicto bello ceciderunt mortui. De Anglicis verò pauci mortui fuerunt. Obtento bello prædictus Rex Angliæ cum suo exercitu versùs villam Calesii iter assumpsit, & dictam villam obsedit, & ibi personaliter ipse Rex cum Regina & filiis atque suo posse in dicta obsidione stetit per XI. menses & XXVI. dies, donec ex vi & ex compulsione famis dictam villam liberam ad suam voluntatem & mandatum habuit illò tunc, invito Rege Philippo Franciæ & suis gentibus.

Item durante dicta obsidione gentes Regis Angliæ debellaverunt Regem Scotiæ & suam gentem in territorio Eboracensi; in quo bello plusquam decem millia Scotorum mortui ceciderunt, & dictus Rex Scotiæ vulneratus & captivatus est atque conductus & positus in turrim Londoniarum. Et hoc fuit de mense Octobris anno Domini MCCCXLVI.

Item durante dicta obsidione gentes dicti Regis Angliæ, quæ erant in ducatu Britanniæ, habuerunt prælium cum Duce Britanniæ & suis gentibus. Vltimatè prædictum bellum Anglici obtinuerunt, & trecenti Milites de gentibus dicti Ducis in dicto bello mortui ceciderunt, & dictus Dux vulneratus atque conductus in Anglia est positus in turrim Londoniarum.

Item in MCCCXLVI. Comes de Arbi, qui erat Locumtenens dicti Regis Angliæ in Vasconia, cum suis Vasconibus, Anglicis, & aliis quos de Anglia conduxit habuit bellum in mense Octobris cum Comitibus & Baronibus & nobilibus atque communitatibus penè totius illarum partium linguæ Auxitanen. in loco dicto de Albaroca. Vltimatè dictus Comes de Arbi & suæ gentes dictum bellum obtinuerunt. In quo bello mortui fuerunt Comes Aymoneus de Pictavo Comes & capitaneus Francorum cum multis aliis nobilibus, & circa tria millia inter mortuos & captivatos de Francigenis in dicto bello perierunt. Capti etiam fuerunt Comes de Insula, Riconetus filius Comitis Pictavi, & quamplures alii Comites & nobiles. Ceperunt dicti Anglici vi armorum, post hujusmodi bellum, civitatem Pictavensem, villam sancti Iohannis de Angelis, Tutelam, Bregeryatum, & multas alias villas ac loca, die noctuque huc illuc per dictas provincias discurrentes, ferro ac igne penè omnia consumentes, cum infinitis captivis & spoliis in civitatem Burdegalensem se cum honore postmodum recipientes.

Hic Papa miserat Delphinum Viennensem cum crucesignatis ad partes ultramarinas, sed modicùm relevavit Christianos.

Item misit Dominum Anibaldum Neapolitanum & Claromontensem Cardinales ad tractandum pacem vel aliquam treugam cum Regibus Franciæ & Angliæ ipsorumque regnis. Qui Cardinales in tantum operaverunt quòd eorum opera treuga triennalis inter dictos Reges ordinata extitit, sed parum observata, specialiter in Vasconia & Britannia.

Hujus

Hujus tempore fames validæ fuerunt penè per totum universum.

Item anno quinto sui pontificatus etiam per universum orbem terribilis mortalitas incepit, adeo ut in illius fine de centum utriusque sexus personis juvenibus & senibus in aliqua vix decem, in aliqua verò orbis parte vix quinque superviverent.

Hujus tempore inceptum fuit palatium novum cum audientia magna & capella atque turribus & quasi completum, necnon magna turris, quæ postmodum cremata extitit.

Hic etiam anno sexto sui pontificatus, XVI. Kal. Iunii, canonizavit sanctum Yvonem Presbyterum & confessorem Britannicum.

Item anno septimo sui pontificatus ordinavit Dominum Bellifortis suum nepotem germanum in Diaconum Cardinalem.

Hic approbavit processum & sententias latas contra Bavarum, & illo vivente ordinavit cum suis fratribus Cardinalibus de novi Imperatoris creatione. Quod & factum est, privato Archiepiscopo Maguntinensi, qui dicto Bavaro hæretico adhæserat. Electores quoque, ad quos electio Romani Imperatoris pertinebat, de consensu & voluntate sedis apostolicæ elegerunt & nominarunt in Regem Romanorum & Alamaniæ ac Imperatorem Dominum Karolum tertium filium Regis Boemiæ. quam electionem dictus Papa ratificavit & approbavit.

Hic etiam Domino Philippo Regi Franciæ & Iohanni Duci Normandiæ de thesauro Ecclesiæ in eorum gueris, ut dicitur, mutuavit. Aliqui dicunt quòd donavit circa octingenta millia florenorum auri.

Hic ditavit omnes fratres suos, cujuscunque conditionis vel status essent, tam de beneficiis ecclesiasticis quàm de thesauris & honoribus atque officiis & divitiis mundanis.

Hujus tempore Comes Haynoniæ penè cum omnibus suis nobilibus in bello habito cum Frisonibus mortui ceciderunt in ipso territorio.

Item Leodienses habuerunt bellum cum Brabantinis, in quo circa decem millia Leodiensium perierunt.

Hujus tempore Rex Hispaniæ vi armorum Regem Bellemarinum Sarracenum debellavit, cepitque per obsidionem villam Seveliæ, supra quam fuerat subtus tentoria Rex Hispaniæ cum suo exercitu per duos annos vel circa.

Hujus tempore etiam Dominus Luchinus de Vicecomitibus tyrannus Mediolanensis quasi omnes civitates & terras Pedimontis occupavit, & paulò pòst moritur. Dominus verò Iohannes suus germanus Archiepiscopus Mediolanensis efficitur Dominus Mediolanensis & omnium terrarum occupatarum per suos tyrannides. Hic Papa dictum Archiepiscopum & ejus nepotes excommunicavit propter occupationem factam per ipsos de civitate & comitatu Bononiensi & Pedimontis; ipsosque postea pro pecuniis absolvit, ac eis dominium & regimen dictæ civitatis Bononiensis pro duodecim futuris annis nomine Ecclesiæ concessit, solvendo duodecim millia florenorum anno quolibet Ecclesiæ Romanæ. Item simili modo concessit civitatem & districtum Ferrariensem Marchionibus Estensibus, solvendo dictæ cameræ anno quolibet decem millia florenorum auri.

Hujus tempore Andreas Rex Siciliæ & Apuliæ, frater Regis Vngariæ, occiditur à suis domesticis de dicto regno, consentientibus, ut dicitur publicè, aliquibus regalibus dicti regni & Regina sua uxore Iohanna. Propter quam mortem penè totum regnum fuit desolatum & destructum. Paulò pòst Rex Vngariæ cum infinitis gentibus armorum de consensu om-

nium Italicorum & communitatum atque aliquorum nobilium de dicto regno prædictum regnum manu potenti intravit, & penè totum ad suas manus pervenit, capiendo Ducem Durachii & ipsum decollari faciendo, dictamque Reginam cum Domino Loysio de Taranto, quem asserebat suum virum esse, in Provinciam ex timore dicti Regis fugando. Quod regnum Siciliæ & Apuliæ prædictus Rex obtinuit, & paulò pòst in Vngariam recessit, dimittendo in prædicto regno aliquos capitaneos suos cum gentibus armorum.

Item præfato tempore dictus Papa duos Legatos ex latere, unum in Italiam, & alium in Vngariam, Cardinales pro pace inter dictos Regem Vngariæ & Reginam ac Ludovicum facienda transmisit, Boloniensem videlicet & Neapolitanum. Qui Cardinales pacem inter ipsos posuerunt dictum regnum Siciliæ & Apuliæ in manibus dictæ Reginæ & Domini Ludovici nomine Ecclesiæ Romanæ possidendum, & in possessionem posuerunt dictum Dominum Ludovicum in Regem per Archiepiscopum Bracharensem apostolicæ sedis commissarium in hac parte de dicto regno coronatum.

Hujus tempore Archiepiscopus Mediolanensis & tyrannus transmisit circa tria millia barbutas & totidem pedites cum consensu & adjutorio nobilium Gebelinorum de Tuscia ad occupandum civitates & loca Tusciæ quæ erant in communi. Sed ultimatè modicùm eis profecit. Nam prædictæ civitates pacem cum prædicto Archiepiscopo habuerunt.

Hic Pontifex anno nono sui pontificatus, tempore jejunii de mense Decembris, ordinationem fecit de infrascriptis Cardinalibus, videlicet Ægidio Hispalensi Archiepiscopo, Guillermo Cæsaraugustano, Raymundo Tolosano, Pastore Ebredunensi Archiepiscopis, & de Domino Episcopo Albiensi, & Nicolao Capoci Romano Vrgellensi Episcopo, Domino Appamiarum, & Raynaldo de Vrsinis etiam Romano Protonotario Papæ, Iohanne de Caramagnia Protonotario, Abbate sancti Dionysii, & Domino de Molino generali Prædicatorum, ac de Petro Episcopo Antisiodorensi.

Hujus tempore Philippus Rex Franciæ moritur, & coronatur primogenitus suus Iohannes Dux Normandiæ de eodem regno.

Hujus tempore Dominus Guido Boloniensis Cardinalis de consensu Papæ & motu proprio ivit in Franciam suis expensis ad tractandum pacem cum dicto Rege & Edoardo Rege Angliæ. Veneruntque certi Duces & ambassiatores postmodum Avinionem tempore Innocentii VI. anno pontificatus sui primo ad perficiendum ea quæ ordinata erant per dictum Dominum Cardinalem circa dictam pacem. Sed ultimatè concordare non valentes, ad eorum regna recesserunt. Et hoc propter defectum partis Regis Franciæ denegantis observare, ut communiter dicebatur, ea quæ tractata, scripta, & sigillata, & per ipsos in manibus dicti Cardinalis jurata fuerant.

Hujus tempore Rex Majoricarum ejectus fuit de suo regno & de comitatu Rossillonis per Regem Arragonum. Qui Rex & Regina cum filiis suis Avinionem venit, & per plures annos in curia cum competenti statu permansit. Et paulò pòst dictus Rex Majoricarum cum suo posse civitatem Majoricarum manu armata intravit, sed resistere non potuit gentibus Regis Arragonum. Captus extitit per ipsos & decollatus fuit, necnon omnes sui sequaces perierunt in manibus Arragonum.

Hujus tempore Rex Iohannes de Francia fuit in curia ad visitandum

dictum Papam; quem dictus Papa honorificè recepit, & per tres dies bulla in forma pauperum aperta fuit generalis.

Hic non modicùm diminuit jura, jurisdictiones, libertates, thesaurum, atque patrimonia beati Petri & Ecclesiæ Romanæ.

Hujus tempore Pisani debellaverunt Florentinos super territorium civitatis Lucanæ. Et obsederunt dicti Pisani eandem civitatem per octo menses; & fame compulsi illam detinentes reddiderunt se dictis Pisanis, & civitas fuit totaliter in eorum manibus.

Hujus tempore quidam nomine Nicolaus Rentii de urbe Romana Notarius sui industria & sine consensu dicti Papæ, sed nutu ipsius & populi urbis factus Tribunus & dominus urbis regnavit per aliquod tempus in urbe. Præliavit illò tunc cum Columnensibus & eorum sequacibus ad portam sancti Laurentii dictæ urbis; quos debellavit, & mortui ceciderunt Stephanus de Columna cum Iohanne filio suo & tribus suis consobrinis & aliis quampluribus eorum sequacibus. Qui Tribunus post hæc aliqua præsumpsit contra jurisdictionem Ecclesiæ facere. Propter quod dictus Papa cum consensu suorum fratrum Cardinalium necnon aliquorum nobilium de urbe dictum Tribunum suo officio exclusit, ipsumque fugavit de urbe. Acceptavitque sibi in Almania apud Boëmiam. Qui captus extitit per nuntios Karoli electi in Imperatorem Romanorum, & Avinionem dicto Papæ conductus, captivatus extitit per tempora, & per suum successorem Innocentium relaxatus & transmissus paulò pòst per dictum Papam ad suum officium reassumendum. quod & factum est. Vltimatè paulò pòst per suos æmulos captus in capitolio & ibidem trucidatus.

Hujus tempore civitas Avinionensis empta fuit pro Ecclesia à Regina Iohanna, consentiente viro suo Domino Ludovico de Taranto postea coronato in Regem Siciliæ & Apuliæ de consensu dicti Papæ & Cardinalium.

Hic die sexta Decembris in die sancti Nicolai anno Domini MCCCLII. Avinioni in palatio apostolico ad Christum migravit. Sepultus est in monasterio de *la Casa de Dio* Claromontensis diocesis.

Quæ sequuntur, addita sunt ex codice Vaticano 3765. quem refert Odoricus Raynaldus.

CORpus portatum fuit in Ecclesiam beatæ Mariæ virginis cathedralem, ubi stetit usque ad æstatem. Deinde asportatum in monasterium Casæ-Dei, ubi pridem fuit monachus, quinque Cardinalibus comitantibus ipsum, in capella ab ipso constructa compositum & tumulatum.

QVINTA VITA CLEMENTIS VI.

Auctore Petro de Herentals Priore Floreffiensi.

CLEMENS VI. qui priùs Petrus Rogerii est nuncupatus, primò existens niger monachus, deinde factus est magister in theologia, & postmodum Episcopus Rothomagensis, pòst Cardinalis, & ultimò factus est Papa, cœpit anno Domini MCCCXLII. Qui cùm eodem anno circa Pentecosten

faceret gratias generales in Avinione tanta convenit multitudo clericorum volentium in gratia pauperum impetrare quòd numerus clericorum pauperum tunc in examinationibus diocesium per universum orbem fuit computatus ad centum millia clericorum, prout ego personaliter ibidem tunc existens veridicorum relatione intellexi.

Hic Papa cùm in principio sui pontificatus faceret reservationes abbatiarum & prælaturarum, electiones conventuum & capitulorum irritas habens, & super hoc sibi fuerit intimatum quòd hujusmodi reservationes à suis prædecessoribus minimè fuerint factæ, ipse fertur respondisse: Prædecessores nostri nesciverunt esse Papa.

Ipse sumptuosissimum tenuit statum & multùm pomposum ac secularem, ut audivi & pro parte cognovi.

Fertur quidam tunc suam dictæ Clementi dedisse supplicationem, addens eidem quosdam versus; qui, si ejus supplicatio admitteretur, ipsi versus legerentur recto ordine in laudem Papæ; si verò ejus supplicatio refutaretur, dicti versus legerentur ordine retrogrado in dicti Papæ vituperationem. & sunt tales.

Laus tua, non tua fraus, virtus, non copia rerum,
Scandere te fecit hoc decus eximium.
Pauperibus tua das, nunquam stat janua clausa.
Fundere res quæris, nec tua multiplicas.
Conditio tua sit stabilis, non tempore parvo
Vivere te faciat hic Deus omnipotens.

Anno autem MCCCL. fuit annus Iubileus per dictum Papam ordinatus & constitutus in Roma tanquam in loco dignissimo, in quo, ut ait beatus Gregorius, ultra sex millia corpora sanctorum in qualibet die anni requiescunt, prout in prologo dicti Iubilei dictus Papa Clemens asserit, qui sic incipit: *Ad memoriam.* Hic Papa Clemens dedit Romanis bullam de dicto Iubileo, in qua de consensu fratrum suorum Cardinalium, claves gerens cælestis Ecclesiæ, universis & singulis pro prima vice qua infrascripta dictæ bullæ audient vel legent largitur misericorditer quadraginta annos indulgentiæ.

Clemens Episcopus servus servorum Dei &c. Cùm natura humana ad statum magnæ senectutis minimè perveniat, & hoc ratione suæ grandis fragilitatis, qua incessanter vexatur, & de centum in centum annis in sancta civitate Romæ sit indulgentia plena & remissio peccatorum, & pauci sint quibus ad decrepitam ætatem liceat pervenire, propter quod à desiderio prædictæ indulgentiæ quamplurimi remanent frustrati, auctoritate nostra & potestate Apostolorum Petri & Pauli, qua fungimur, ex parte Dei omnipotentis omnibus Christianis venientibus ad sanctam civitatem patriarchalem, numerando à die qua alia indulgentia fuit & ab ipsa die completis quadraginta novem annis, totum quinquagesimum annum indulgentiæ & remissionis damus & ut sequitur impertimur. Quicunque igitur qui peregrinandi causa ad sanctam civitatem patriarchalem antedictam accedere proposuerit, illa die qua de hospitio suo viam arripere voluerit, eligere possit confessorem seu confessores & in via & in locis aliis quibuscunque: quibus quidem confessoribus auctoritate prædicta concedimus plenam potestatem absolvendi omnes casus papales ac si persona nostra personaliter ibi esset. Item concedimus quòd si verè confessus in via moriatur, ab omnibus peccatis suis sit immunis & penitùs absolutus. Et nihilominus prorsùs mandamus angelis paradisi quatenus animam illius à purgatorio penitùs absolutam in paradisi gloriam intro-

ducant. Item volumus & ordinamus quòd omnes Archiepiscopi & Episcopi, absque hoc quòd à nobis vel superioribus licentiam eis petere oporteat, possint suas provincias exire cùm ad prædictam voluerint accedere civitatem. Item concedimus de gratia speciali omnibus Rectoribus & Curatis in exemplar sanctarum animarum datis desiderantibus venire ad præfatam civitatem patriarchalem quòd ipsi possint suas Ecclesias vel sua beneficia per annum integrum arrendare. Et si contigerit eos in via ab hac luce migrare, volumus quòd titulus nostræ donationis illo anno roboris habeat firmitatem, & quòd nullus impetrans generaliter aut specialiter aliquod impedimentum inferre audeat sub amissionis suæ impetrationis pœna & maledictionis æternæ, & nihilominus ex tunc prout ex nunc suam gratiam annullamus. Item sancto ordini monachorum nigrorum & alborum concedimus privilegium speciale, videlicet quòd moti devotionis affectu, volentes visitare dictam sedem nostram, prædictam indulgentiam assequantur; & si eorum Abbas nollet eos ad hoc licentiare, monachus hujusmodi devotione ductus coram tribus antiquis possit eum requirere & repetere ab eodem ut ad prædictam indulgentiam sanctamque sedem visitandam licentiam sine difficultate conferat veniendi, necnon pretium sui victus, vestitus, & calciamenti ratione accessus & regressus totius anni habeat dare. Quòd si hujusmodi ordinationis nostræ contemptor fuerit, prædictum ire volentem impediendo, maledictionem Petri & Pauli Apostolorum eidem imprecamur, & eum ab omni officio suo perpetuò deponimus & privamus. Item moniales, si tamen illis qui eas regunt visum fuerit eas fore licentiandas, licentiam habeant antedictam. Si verò rectores earum aliquas ex eis ratione aliqua remanere judicaverint, unum psalterium qualibet septimana dicant, ut Deus eos qui prædictam indulgentiam acquisierint dignetur in sua gratia conservare, volentes quòd hujusmodi moniales indulgentiam habeant supradictam. Item illi qui in decrepita senectute vel alia incurabili infirmitate fuerint prægravati, si pro itinerantibus ad dictam sanctam indulgentiam qualibet septimana tres *Pater noster* dixerint, prædictam indulgentiam habeant pari modo. Si verò, quod absit, aliqui prædones, vespiliones, vel aliquis fur, vel cujuslibet alterius rei custos vel consors, vel etiam quicunque alii euntibus ad sanctam civitatem vel repatriantibus ab eadem impedimentum vel gravamen directè vel indirectè juvando vel consulendo ausus vel ausi fuerint opponere, propter quod obedienti filio eundo vel redeundo molestia inferatur, maledictionem Apostolorum Petri & Pauli, quam eis imprecamur, se noverint incurrisse. Et nihilominus, ne facilitas veniæ incentivum tribuat delinquendi, volumus quòd qui hujusmodi devotionis sanctæ fractor extiterit seu violator, nisi ad nos seu nostros pœnitentiarios Cardinales velocem habuerit recursum, & nisi in mortis articulo duntaxat, præmissa tamen damni illati satisfactione, absolutionis beneficio gaudeat quoquo modo. Volumus insuper quòd omnes Romipetæ patriæ Romæ, Campaniæ, Tusciæ, Apuliæ, Calabriæ, Principatus, Terræ Laboris, Italiæ, usque ad Pedem montis in prædicta civitate per unum mensem sequentem residentiam faciant, qualibet die visitando sanctum Petrum, sanctum Iohannem de Laterano, sanctam Mariam vocatam *le Majour*, sanctum Laurentium extra muros, sanctam crucem in Hierusalem, sanctum Sebastianum, ubi fuit dictum & in Romana curia scriptum: *In loco isto est divina promissio &*

peccatorum remissio & claritas perpetua meritis sancti Sebastiani, & propter catacumbas sanctas Apostolorum Petri & Pauli, & ratione cimiterii sancti Calixti quod ibi est, & ratione CLXXIV. *millium martyrum qui ibi sunt sepulti cum* XVI. *summis Pontificibus qui pro Christi fide martyrium pertulerunt.* Visitent etiam & sanctum Paulum, qui veritatis exstitit lucidissimus prædicator. Provinciales verò & Gallici, Arragonenses, Castellani, & Cathalani, Portugalenses, Navarri, Anglici, Hungarii, & ceteræ nationes per XV. dies in dicta civitate continuè resideant prædictas Ecclesias visitando. Cùm autem fideles prædicti ista devotione compleverint suas peregrinationes, ostendetur eis ex mandato nostro sudarium Domini nostri Iesu Christi. Quo viso, ab omnibus peccatis suis sint absoluti, & indulgentias habeant ab eisdem. Nosque ex parte Domini nostri Iesu Christi, cujus sumus in terra Vicarius, reducimus eos ad statum in quo erant die illo quo baptismum susceperunt de gratia speciali. Confirmamus insuper & virtutis robore solidamus omnes gratias & indulgentias quascunque ducentorum trium Pontificum qui fuerunt ab Apostolo Petro citra ab eisdem dictæ civitati patriarchali erogatas; quæ gratiæ seu indulgentiæ sunt innumerabiles, prout nobis constat per authenticas scripturas Doctorum & originalia earum approbata. Volumus insuper & de consensu fratrum nostrorum ordinamus quòd si aliqua persona de prædicta indulgentia rediens, instigante diabolo consentiat alicui peccato, & in peccatis perseverando contingeret eam mori, ratione peccatorum quæ de antea commiserat, quæ sub virtute anni quinquagenarii fuerunt ablata & indulta, nolumus quòd pœna inferni sibi aliquatenus inferatur nisi ratione illorum quæ postea fuerint perpetrata. Istam indulgentiam auctoritate Petri & Pauli Apostolorum de quinquaginta in quinquaginta annis præfatæ concedimus civitati. Istud enim est jocale mirabile & pretiosum ac etiam ab omnibus fidelibus desiderandum, quod nos per manus dictorum legatorum, videlicet Iacobi Savil, Bonifacii & Iacobi de Columna, & ceterorum civium civitatis Romanæ eidem civitati misericorditer destinamus. Si quis autem temeritatis arrogantia ausus fuerit infringere prædicta vel contra ea imprecari, excommunicationis sententiam & æternam maledictionem se noverit incurrisse. Datum Avinione IV. Kal. Iulii, pontificatus nostri anno tertio.

Prædicto autem anno, ut præfertur, instituto & publicato per totam Christianitatem, innumerabilis populus utriusque sexus perrexit turmatim ad Romanam civitatem pro prædictis indulgentiis impetrandis & habendis: cujus tanta fuit multitudo quòd, prout quidam Romipeta homo veridicus mihi narravit, cotidie infra dictum annum ad quinque millia peregrinorum intrantes & euntes Romam bene poterant computari.

Anno autem VIII. pontificatus dicti Clementis, videlicet anno Domini prædicto, discurrebant per diversas Alamanniæ provincias congregationes hominum utriusque sexus se mirabiliter flagellantes, de quibus feci mentionem in titulo de Karolo magno ultimo Imperatore. Horum verò sectam dictus Clemens auctoritate apostolica compescuit & annullavit per suam constitutionem, cujus tenor talis est ut sequitur.

Clemens Episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus Archiepiscopo Maguntinensi ejusque suffraganeis salutem & apostolicam benedictionem. Inter sollicitudines innumeras & immensas quibus ultra

vires ex apostolicæ servitutis debito perurgemur, illud cordi nostro potissime insidet & ad hoc attentiùs studia nostra convertimus & conatus ut apud omnes Christi nominis professores orthodoxa fides fulgeat, & sic catholicæ & apostolicæ Ecclesiæ norma sine quocunque fictionis, simulationis, seu velaminis pallio purè & laudabiliter observetur quòd à vinea Domini Sabaoth, cujus cura nobis licèt immeritis est commissa, vepres & urticæ tam periculosè quàm damnabiliter succrescentes evellantur radicitus, & vulpeculæ, quæ ipsam demoliri nituntur, per apostolicæ sedis providentiam abigantur. Sanè molesta nobis &c. *ut apud Odoricum Raynaldum ad an.* 1349. §. 20.

Postquam verò prædictus Clemens papatum tenuerat per decem annos, percussus apostemate in dorso, cùm familiares sui ivissent prandere, solo Camberlano secum relicto ipsius, apostema erumpens & cor ejus submergens, subitò exspiravit.

SEXTA VITA
CLEMENTIS VI.

CLEMENS sextus natione Lemovicensis electus in Papam anno MCCCXLII. in cathedra Petri sedit annis XI.

Anno primo sui pontificatus in æstate fuit tanta aquarum inundantia ferè per totum mundum, non à pluviis orta, sed undequaque scaturire, etiam in montium cacumine, videbatur, adeo quòd loca mansueta occuparet, & in civitate Avinionensi navigio iretur, & per muros multarum civitatum, & præsertim civitatis Coloniensis, à manibus scanderetur. Pontes & turres plurimæ ruerunt ab aquis suffossæ.

Eodem anno, de mense Ianuarii, præfatus Papa, præsentibus ambaxiatoribus Romanorum, in anno quinquagesimo futuro omnibus visitantibus urbem concessit indulgentiam plenariam; & annum illum instituit Iubilæum in perpetuum, quem olim Bonifacius octavus statuerat de centesimo in centesimum, iste de quinquagesimo commutavit in quinquasimum.

Dictus summus Pontifex anno secundo sui pontificatus, Idibus Aprilis, processus contra Ludovicum Ducem Bavariæ innovans, ipsum penitùs reprobavit, monuitque electores ut ad electionem procederent.

Eodem anno, de mense Iunii, Edoardo Rege Angliæ contra Philippum Regem Franciæ mare transituro prope Sclusam portum Flandriæ obviente, exercitus Francorum confligitur tanta strage quòd aqua maris plerisque diebus tincta sanguine videretur.

Dicti Pontificis tempore, anno quadragesimo septimo, inter Philippum Franciæ & Edoardum Angliæ Reges prope Cressy confligitur. Ibidem Rex Bohemiæ, Comes Flandriæ, & quamplures terrarum domini propter Regem Franciæ advenientes occisi sunt, victoria cedente Anglis.

Subsequenti anno circa purificationem beatæ Mariæ virginis cœpit mortalitas Avinioni, durans ibi ferè per annum; & deinde per partes alias serpendo per totam Franciam, Italiam, & Alamanniam crassabat tam vehemens ut vivi vix sufficerent mortuos præ multitudine sepelire, & multæ villæ & loca multo tempore deserta

manerent. Nascebantur hominibus ulcera sub axellis & in inguine. Ex iis natis post tertium diem supervivere non poterant. Aliqui etiam proprio sanguine suffocabantur. Hanc pestilentiam aliqui asserebant ex conjunctione aliquarum planetarum ortum habuisse in signo aquarii, cujus effectus viginti annis erat duraturus, & ex aëre corrupto, ita quòd homines se mutuò inficiebant, sicut ad hoc erant dispositi secundùm complexiones.

Anno sequenti Iudæi per totam Alamanniam fuerunt combusti, quibus impingebatur quòd fontes & puteos intoxicassent; & aliqui torti id confessi fuerant esse verum.

Subsequenti anno & septimo Septembris terræ motus fuit Romæ & in multis civitatibus Italiæ; tuncque Ecclesia sancti Pauli Romæ ac plura alia ædificia ceciderunt.

Hoc tempore Dalphinatus Viennensis venit ad manus Karoli primogeniti Iohannis Regis Franciæ ex ultimi Delphini renunciatione, qui ex Milite factus Patriarcha fuit Alexandrinus.

Anno Domini MCCCLI. visum fuit in Provincia portentum ignis in cælo quod à philosopho appellatur candela rotunda.

Quo anno in Alamannia surrexit quædam secta pestifera gentium, qui se pœnitentes cruciferos seu flagellatores appellabant. Confluebant hujusmodi ex diversis doctis cum indoctis, nobilibus cum ignobilibus, sine delectu personarum congregatis; & peregrè euntes sub vexillo crucifixi, triginta duobus diebus cum dimidio peractis, nunquam in loco uno præterquam diebus dominicis bina nocte quiescentes. Faciebant autem pœnitentiam mane & sero, nudantes corpora, solis femoralibus relictis, se flagellabant flagellis nodosis acubus infitis cum tribus chordis ictus dantibus. Hæc secta cœpit in superiori Alamannia; & ad inferiora descendens, demum ad partes Gallicanas. Et si prohibiti fuissent à clero, minabantur se violentiam facturos. Finaliter verò, nisi quia Dominus Papa sub sententia anathematis id prohibuit, mala plurima per eos attentata fuissent.

Et quia, ut præmissum est, dictus summus Pontifex electores imperii monuerat ut ad electionem procederent, ideo Coloniensis, Treverensis, & Maguntinensis Archiepiscopi, Dux etiam Saxoniæ, & Iohannes Bohemiæ Rex in villa Renso Treverensis diocesis Dominum Karolum dicti Regis Bohemiæ primogenitum in Regem Alamanniæ elegerunt, qui postea in oppido Bunnensi Coloniensis diocesis circa festum sanctæ Catharinæ corona ferrea extitit coronatus, eò quòd urbs Aquensis, ubi hoc fieri est consuetum, & Frankenfordia, ubi electio celebrari consuevit, Bavaro tunc viventi adhærebant. Hic Imperator anno LV. descendens in Italiam, coronam imperialem suscepit, & uxor ejus cum eo in basilica sancti Petri Romæ in die sancto Paschæ; statimque Romam exiens, vicarium fecit Marchionem Montisferrati in Italia, & Episcopum Augustensem in civitate Pisana. Verùm quia populus Romanus perpriùs, anno scilicet quadragesimo septimo, nobilium urbis regimine tyrannico conculcatus quendam Nicolaum Laurentii Notarium urbis in Tribunum elegerat, qui populi fretus auxilio multos nobilium occidit, seque lavare faciens in concha qua olim Constantinus Imperator mundatus est à lepra, ipso die sancto Pentecostes Miles factus, talem titulum sibi usurpavit: *Candidatus spiritus sancti Miles Nicolaus severus, clemens, liberator urbis, zelator Italiæ, amator urbis, & Tribunus augustus.* Iste gubernando urbem, pacem multam in ea & in vicinis ejus fecit. Dominum Karolum electum & electores

electores coram se citari mandavit docturos de jure suo, & alia multa egit quæ dignitati & juri imperii derogabant. Tandem habitum ignotum induens, curiam quidem Domini Karoli in Bohemia adiit stuistaturum; sed ipsum agnitum sibique præsentatum idem Imperator Papæ misit, qui ipsum Avinioni in carcere aliquandiu reclusit; sed comperto quòd adversùs Ecclesiam nihil attentasset, relaxatus dimittitur, & Romam rediens à populo tumultuante perimitur.

Dictus Imperator vir fuit peritus litterarum & multarum linguarum, astutus, sagax, qui regnum Bohemiæ optimè reformavit. In Italiam cum maximo veniens potentatu, ope & favore Vrbani quinti terribilis primò apparuit, sed citò cum magna pecunia, sed majori infamia, reversus est ad patriam ad lares proprios. Obiitque senex, cùm imperasset annis triginta.

PRIMA VITA
INNOCENTII VI.

Editio Bosqueti collata cum vetustis codicibus MSS.

INNOCENTIVS Papa VI. natione Aquitanicus, de loco de Monte diocesis Lemovicensis, post dictum Clementem VI. immediatè Avinioni fuit electus in Papam XVIII. die mensis Decembris anno Domini MCCCLII. & die XXIII. dicti mensis fuit coronatus. Hic priùs vocatus est Stephanus Alberti, fuitque Doctor legum, existens judex major senescalliæ Tolosanæ, ab inde verò promotus ad Ecclesiam Noviomensem, deinde translatus ad Ecclesiam Claromontensem, demum per dictum Clementem Papam VI. assumptus in Presbyterum Cardinalem, habuitque titulum sanctorum Iohannis & Pauli. Postea autem fuit factus Episcopus Ostiensis & Velletrensis & Pœnitentiarius major. Postremò verò, ut præmittitur, electus in Papam; seditque annis IX. mensibus VIII. & diebus XXV.

Hic factus Papa, die XV. mensis Februarii, quæ fuit feria sexta quatuor temporum anni LIII. jam inchoati, fecit Presbyterum Cardinalem Dominum Audoinum Alberti diocesis Lemovicensis, nepotem suum ex fratre, tunc Episcopum Magalonensem; cui assignavit titulum sanctorum Iohannis & Pauli, quem perprius habuerat ipse.

Hoc eodem anno tempore paschali fuit translatum corpus Clementis Papæ VI. de Ecclesia majori Avinionensi, in qua commendatum fuerat, ad monasterium Casæ-Dei in Alvernia diocesis Claromontensis; quod etiam concomitati sunt usque ad sepulturæ suæ perfectionem quinque Cardinales, videlicet frater, tres nepotes, & unus consanguineus sui, quos ipse consortio & collegio Cardinalium aggregaverat dum vivebat.

Eodem etiam tempore fuit magnus concursus populorum peregrè venientium ad monasterium sancti Petri Montismajoris diocesis Arelatensis, ubi esse dicebatur indulgentia magna, immo secundùm aliquos plenaria. Est autem talis indulgentia anno illo quo festum inventionis sanctæ crucis occurrit feria

sexta, quemadmodum fuit anno prædicto.

Hoc ipso tempore fuit aquarum inundatio maxima circum circa Avinionem, & abinde usque ad Arelatem, in tantum quòd tam in Rhodano quàm in aliis aquis adjacentibus multi ex dictis peregrinis perierunt & submersi fuerunt.

Tunc temporis omnes ferè civitates cum castris & locis quæ spectabant ad jus & proprietatem Romanæ Ecclesiæ in partibus Italiæ erant extra manus ipsius, tenebanturque seu veriùs detinebantur & occupabantur per tyrannos aut alios in dictæ Ecclesiæ præjudicium, detrimentum, & jacturam. Circa quod volens dictus Innocentius Papa providere dareque ordinem ut ad dictam Ecclesiam reducerentur, in sui regiminis principio misit ad partes illas Legatum suum de latere Dominum Ægidium Alvari Hispanum tituli sancti Clementis Presbyterum Cardinalem, ut circa reductionem & recuperationem prædictorum intenderet & vacaret. Qui cùm ad partes prædictas pervenisset, non invenit in omnibus terris & dominiis dictæ Ecclesiæ loca sub regimine ejus consistentia in quibus caput suum tutè posset reclinare nisi in patrimonii provincia locum & castrum Montisflasconis, & in ducatu Spoletano locum de Montefalco. Sed ab inde per Dei gratiam successivis temporibus satis dilatavit fimbrias suas, prout ex sequentibus apparebit.

Dicto etiam anno, scilicet quinquagesimo tertio, Karolus Rex Romanorum & Alamanniæ Metis existens cum curia sua comitatum Lucemburgensem, quem Wencezlao fratri suo dederat, constituit & ordinavit in posterum esse ducatum.

Eo etiam tempore duo fratres Minores, pro eo quia malè sentiebant in fide, & præsertim super articulo altæ paupertatis, Avinione combusti fuerunt.

Anno verò eodem, scilicet XVII. die mensis Decembris, fuit eclipsis solis, & duravit quasi per duas horas; quam demum sequuta est tanta hyemis asperitas ut fluvii magni per plures dies steterint congelati, & successivè tanta aquarum inundatio quòd pontes immo & turres quamplures subvertit.

Præterea dictus Papa desiderans reformationem pacis inter Reges Franciæ & Angliæ, circa ipsam tractandam & prosequendam intendere voluit in propria persona, credens plus proficere quàm si per alios fieret. Et ob hoc operatus est quòd dicti Reges pro tunc ad ipsum hac de causa miserunt Duces Borbonii & Lencastriæ, qui aliquandiu super hoc secum fuerunt; sed post multa nihil factum est quoad effectum de quo agebatur & quærebatur.

Dicto etiam durante tempore Petrus Rex Castellæ Blancham filiam dicti Ducis Borbonii duxit in uxorem; quam à principio tenerrimè dilexit, & meritò, cùm esset pulcherrima corpore & moribus admodum adornata, sed demum satis citò, dæmone operante, ipsam mirabiliter habuit ingratam & exosam; & hoc procurante, ut dicitur, quadam muliere quam perprius dictus Rex adamaverat; quæ videns se per dictum Regem propter ipsam haberi contemptui, immo & totaliter derelictam, machinata est odium supradictum, & hoc per medium seu ministerium unius Iudæi, qui etiam adversùs dictam Reginam specialiter conspiraverat pro eo quia ipsa videns quòd tam ipse quàm plures alii legis suæ multipliciter frequentabant dictum Regem, habebantque multos favores & honores in curia sua, jam tractabat & disponebat quòd ab his retraherentur, immo & à regno totaliter expellerentur. In quo eadem Regina minùs

se cautè habuit, cùm talia à principio debuerit aut ad tempus dissimulare aut sic cautè & occultè tractare quòd omnino lateret eos qui tangebantur, ne sequerentur quæ postea sunt subsecuta. Modus autem apertionis & inchoationis odii & ingratitudinis hujusmodi fuit, ut dicitur, quòd dicta Regina dederat eidem Regi unam zonam auream pulcherrimam, quam ipse admodum gratam habens sæpius pro sui ornatu deferebat. Dicta autem mulier ipsius Reginæ æmula callidè operata est quòd tam ipsa quàm dictus Iudæus zonam ipsam habuerunt, & arte magica sic fecerunt quòd una die festiva & solemni, dum Rex ipsa zona præcinctus esse crederetur, quasi tota sua præsente curia visus est tam ab ipso quàm ab omnibus loco zonæ uno serpente magno & terribili præcinctus & circumdatus. Qui hoc aspiciens, nec immeritò, fuit admodum territus & conturbatus. Dumque quæreret quid hoc erat, fuit sibi responsum per circumstantes, inter quos erant forsitan aliqui consentientes in præmissis, quòd hoc erat zona sibi pro munere & iocali data per Reginam conjugem suam. Propter quod ipsam ab illa hora in antea sic exosam habuit quòd noluit eam ulteriùs videre aut secum conversari; præsertim quia illi qui præmissa tractaverant Regi perampliùs confœderati sibi continuè assistebant, & ipsius animum adversùs eam continuè fortiùs inflammabant & concitabant. De quo nimiùm turbati fuerunt magnates & proceres regni utriusque status, ecclesiastici scilicèt & secularis, honorem & statum dictæ Reginæ, quam sciebant fore innocentem, adversùs prædictos æmulos & alios quoscunque defendere & manutenere etiam manu armata contendentes. Quocirca Rex exarsit in iram nimiam, cœpitque tales immaniter persequi; & de facto multos ex eis trucidavit, aliquos etiam Prælatos de suo regno fugere & exire coëgit; sicque totum suum regnum terribiliter conturbavit. Quibus ad notitiam dicti Papæ deductis, ipse, prout ad suum spectabat officium, circa eorum sedationem decrevit interponere partes suas; destinavitque ad dictum Regem legatum suum de latere Dominum Guillelmum Iudicis sanctæ Mariæ in Cosmedin Diaconum Cardinalem ad hoc ut dictum Regem cum dicta Regina conjuge sua pacificaret, regnicolas verò in regno pacificato cum eodem Rege retineret. Qui ipsum Regem pertinacem reperit & ferocem ac in nullo flexibilem ad alterum præmissorum. Reginam enim nec reconciliare voluit nec admittere suas excusationes. Quæ etiam non multo pòst lapso tempore dolore & tristitia obiit, vel secundùm aliquos dolosè extitit interempta. Fautores verò sui, inter quos erant tres naturales fratres dicti Regis, cum aliis multis qui à facie ejus fugerant & regnum totaliter exiverant, pro tunc exules remanserunt. Et quia perpriùs eis in regno manentibus, Rex occasionem sumpserat ipsos & alios immo & totum regnum conturbandi, ipsorum visa absentia, præsertim dicto Legato ad hoc cooperante, satis pro tunc pacificatus extitit & quietus. Quibus expeditis, dictus Legatus processu temporis rediit ad Papam supradictum.

Eodem etiam tempore currente fuit incendium terribile in civitate Bituricensi, in tantum quòd vix remansit in ea domus integra ultra Ecclesiam majorem. Quo durante fuit res mirabilis, quòd quater ventus mutatus est, flatus suos validissimos dirigens versùs partem ubi fortiùs ignis erat accensus, & illa totaliter consumpta, mutabatur ad aliam, ac si humano opere mutaretur. In loco etiam Montispessulani fuit tempestas validissima grandinis & lapidum grossorum ad modum

unius magni ovi; fueruntque fructus qui extabant consumpti, arbores evulsæ, & tecta domorum plurimarum totaliter destructa, præsertim quæ tegulis cooperiebantur.

Anno autem LV. in mense Octobris Edoardus Princeps Valliæ primogenitus Regis Angliæ mari transito venit Burdegalam; & ab inde cum magno exercitu bellatorum per Wasconiam transitum faciens, venit ad partes Tolosanas, & ulteriùs usque ad Capistagnum, ampliùs etiam progredi disponens donec fuisset in capite pontis Avinionensis. Quod, ut creditur, fecisset. Sed exercitus Regis Franciæ ipsum circum circa sequebantur, sic quòd non poterat se juxta suum velle securè dilatare. Cæde autem & igne transeundo omnia vastabat, præsertim in regressu, quo aliquibus diebus cum suis gentibus mansit in burgo Carcassonæ, & civitatem obsessam tenuit satis strictè, in tantum quòd si diutiùs stetisset, fuisset magnum periculum de captione dictæ civitatis, quæ tamen est fortissima & inexpugnabilis communiter æstimata. Hoc tamen erat propter carentiam aquæ. Putei enim vacui ab intra propter multitudinem occupantium & habitantium in ea erant & quasi jam arefacti, & ab extra non erat qui auderet egredi ad hauriendum aquas de fontibus aut fluvio, qui etiam propter temporis siccitatem pro tunc satis modicùm in aqua abundabant. Quæ ipse non advertens aut ignorans, æstimansque se nihil ibi posse proficere, sua castra abinde movit, dictum burgum incendio totaliter consumendo. Et idem fecit ferè de omnibus aliis locis ad quæ declinavit, quæ pro tunc in via sua erant quasi aperta & sine clausura, licèt extunc ut plurimum multùm solemniter reædificata fuerint & fortificata. Et sic prædictus Edoardus, dictis & aliis damnis quamplurimis illatis, absque alio præliali congressu regressus est Burdegalam; ubi & in circumjacentibus locis mansit per illam hyemem & usque ad tempus veris.

Eodem anno Petrus Rex Arragonum venit Avinionem ad dictum Papam, fuitque secum in festo natalis Domini; in cujus nocte, in matutinis, certos nobiles suos, qui secum venerant, in præsentia dicti Papæ militavit. Fecit insuper homagium eidem & recognitionem in forma debita de regno Sardiniæ, quod in feudum tenet à Romana Ecclesia.

Eodem etiam tempore Karolus Rex Romanorum in Imperatorem electus de voluntate & consendu dicti Papæ intravit Italiam, Romam proficiscens, coronam imperialem ibidem recepturus; pro qua sibi imponenda fuit missus per eundem Papam Dominus Petrus Bertrandi junior Episcopus Ostiensis Cardinalis, qui cum solemnitatibus debitis & consuetis ipsum coronavit. Quo facto, dictus Imperator in Alamanniam rediit; sed transitum faciens per Pisas, habuit rumorem cum civibus, qui contra ipsum & gentes suas hostiliter insurrexerunt; sed per Dei gratiam dato per ipsum bono ordine, licèt strages hinc & inde fuerint subsecutæ, tamen cum suis gentibus remansit ipse victor; fecitque justitia mediante magnam ultionem de his qui in causa & culpa fuerant prædictorum. Dum autem ad Alamanniam pervenisset, vocatis Principibus in Noremberch, multas leges edidit & constitutiones fecit statum & utilitatem imperii concernentes ac tendentes ad pacem & concordiam inter ipsum & Ecclesiam conservandas; procuravitque quòd ad ipsius instantiam dictus Innocentius festum solemne ordinavit de lancea & de clavis Christi in Alamannia & Bohemia observandum & colendum temporibus successuris. Ipse enim Imperator multùm

fuit curiosus & sollicitus in reliquiis undecunque congregandis, quas demum in magna veneratione habuit, & eas magnificè adornando in Ecclesiis & monasteriis civitatis Pragensis honorificè collocavit.

Eodem insuper tempore obiit Iohannes Dux Brabantiæ, cujus filiam cum ducatu recepit in conjugem Wencezlaus Dux Lucemburgensis frater dicti Imperatoris, licèt satis senem & in ætate provectam.

Pro tunc etiam fuit Parisius crudeli neci traditus Karolus de Hispania Conestabularius regni Franciæ, procurante & ordinante, prout dicebatur, Karolo Rege Navarræ, ac consentiente Comite de Haricuria; cujus occasione Iohannes Rex Franciæ fuit contra illos plurimùm indignatus & commotus, ipsosque ambos cepit & captivavit; sed tandem primum relaxavit, terris tamen suis quas habebat in Normannia in arresto sub manu regia manentibus; & secundum capite truncavit.

Eodem etiam anno (qui pro tunc erat LVI.) memoratus Edoardus Princeps Valliæ tempore vernali de Burdegala recedens ducatum Aureliianensem invadit, ac cæde & igne omnia consumens, ibidem infinita intulit damna. Ad cui obviandum & resistendum dictus Iohannes Rex Franciæ se mirabiliter disposuit, & cum magno & notabili exercitu sibi paulatim occurrit cum intentione & proposito ipsum debellandi. Quod cùm ad notitiam Domini Innocentii Papæ pervenisset, misit ad eos nuntios suos legationis officio fungentes Dominos Taylarandum de Petragoriis Episcopum Albanensem & Nicolaum de Capucia tituli sancti Vitalis Presbyterum Cardinalem ad hoc ut, si & in quantum possent, eos pacificarent, vel saltem impedirent quòd bellum non committeretur inter eos. Qui ad ipsos pervenientes tractaverunt & fecerunt quicquid potuerunt super ipsorum pacificatione: sed tandem nihil proficere potuerunt, nec etiam bellum impedire. Adeo enim dicto Regi assistentes pacificationem dissuadebant & belli congressum consulebant quòd de opposito verbum audire renuebat; immo per aliquos ex dictis astantibus tam dictis Cardinalibus quàm aliis ad pacificationem tendentibus notam falsitatis & proditionis impingere non verebantur, minimè considerantes quòd eventus belli dubius est, in belli congressu assertivè se tenebant debere esse victores, pro eo maximè quia erant in numero multò plures, erantque quasi in medio dicti regni, & sic si & ubi expediret, adventus majoris succursus erat ipsis opportunus & facilis, suo verò adversario quodammodo impossibilis videbatur. Qui etiam hoc perpendens bene & considerans, ad bonam pacem & concordiam flectebatur, offerebatque se velle recipere & facere multa & magna quæ etiam justa & rationabilia tractatoribus videbantur. Sed eis repulsis, Domino sic permittente, die XVIII. mensis Septembris anni prædicti juxta civitatem Pictavensem bellum inter eos commissum est; cessitque victoria dicto Edoardo Principi, dicto Rege & suis ferè omnibus captivatis, cæsis, aut in fugam conversis. quod fuit admodum mirabile & stupendum, attento maximè quòd pro uno ex victoribus victi erant decem & ultra. Eorum etiam apparatus tam in armis quàm equis & aliis ad bellum necessariis & opportunis erat multò solemnior & validior & ad vincendum alios magis dispositus in cunctis. Sed talis fuit voluntas Dei seu ordinatio, cui resistere nemo potest. Hoc autem expedito, dictus Rex captivus ductus est Burdegalam cum sua nobili comitiva, & ab inde transvectus in Angliam. Dicti verò Cardinales multo tempore

magnoque labore intenderunt circa dicti Regis liberationem & cum suis adversariis pacificationem tam citra Angliam quàm intra; qui ipsam hac de causa demum intraverunt, dictum Regem processu temporis subsecuti; sed tandem in nullo effectualiter proficere potuerunt.

Eodem anno in festo beati Lucæ Evangelistæ fuit magnus terræ motus in civitate & territorio Basiliensi; unde civitas ipsa penè tota corruit & ferè LXXX. castra & turres circum circa dictam civitatem ex hoc ad terram sunt prostrata; duravitque quasi per totum illum annum, licèt non continuè, sed per dilucida intervalla, circa Argentinam, Spiram, & Treverim, ac alias civitates propè Rhenum descendendo; fuitque terra in pluribus locis aperta, ex qua alba aqua fervens & sulphurea abundanter emanavit, quæ etiam loca admodum fortia ad terram prostravit. Et ex hoc demum subsecuta est aliarum aquarum abundantia maxima turres & muros diruens; & deinde fames valida, & pestilentia magna, ex quibus Alamannia passa est damna infinita.

Præterea eodem anno die XXIII. mensis Decembris dictus Innocentius Papa VI. creavit sex novos Presbyteros Cardinales, videlicet Dominos Petrum de Foresta Gallicum tunc Archiepiscopum Rothomagensem & Cancellarium Regis Franciæ, Heliam de sancto Aredio diocesis Lemovicensis monachum ordinis sancti Benedicti tunc Episcopum Vticensem, Franciscum de Tuderto Italicum tunc Episcopum Florentinum, Petrum de Monteruco diocesis Lemovicensis nepotem suum ex sorore tunc electum Pampilonensem, fratrem Guillelmum Farinerii de Gordonio diocesis Caturcensis tunc generalem ministrum ordinis fratrum Minorum, & fratrem Nicolaum Rosselli Catalanum tunc Inquisitorem hæreticæ pravitatis provinciæ Arragoniæ.

Circa idem tempus insurrexit quidam frater ordinis Minorum de conventu Aureliaci diocesis sancti Flori, dicens se habere spiritum prophetiæ, qui de futuris dicebat & in scriptis redigebat multa, vocatus frater Iohannes de Rupescissa; qui quia potiùs vaticinator quàm propheta meritò erat censendus, ad dictum Innocentium Papam fuit adductus; per quem fuit carceribus mancipatus, in quibus permansit per totum tempus ipsius. Et licèt in dictis & scriptis suis reperta fuerint multa quæ processu temporis contigerunt, propter quæ plures sibi fidem dabant, tamen etiam multa defuerunt; & sic apparebat quia non erat verè propheta, quia in illis, si talis fuisset, nullus fuisset defectus.

Circa idem etiam tempus multæ contigerunt turbationes ac commotiones insurrexerunt inter diversos ac in terris & regionibus multis. Et inter cetera fuit mota dissensio inter multos fratres ordinis Prædicatorum & fratrem Simonem de Lingonis tunc generalem magistrum dicti ordinis, ipsumque in quodam capitulo generali à dicto magisterio de facto absolverunt illi qui dicto capitulo tunc præsidebant. Sed demum quia visum est dicto Papæ Innocentio quòd injustè & indebitè ac mala intentione processerant, ipsum ad dictum magisterium reponi ordinavit.

Eodem tempore inter Ducem Brabantiæ & Comitem Flandriæ orta fuit guerra occasione infeudationis villæ Machliniæ factæ per capitulum Leodiense dicto Duci; fuitque bellum inter ipsos consertum, in quo victor extitit dictus Comes. cujus occasione Bruxella se reddidit eidem, & ferè tota Brabantia idem fecit. Sed tandem paulò pòst dictus Dux dictum locum cum tota terra sua etiam sine gladio recuperavit.

Tolosæ etiam insurrexerunt populares contra magnates, & præsertim in officiarios regios; inter quos erat Iohannes Comes Armaniaci Locumtenens regius in lingua occitana, quem occasione capitaggii noviter per ipsum impositi dicti populares hostiliter insecuti sunt, ipsum cum aliis officiariis trucidare quærentes; sicque de facto fecissent nisi se subitò in castro regio Tolosæ, Narbonensi vulgariter vocato, pro sui tuitione reclusissent; in quo etiam ipsos per unum diem tenuerunt obsessos, igne ingenti supposito loco ad quem se reduxerant pro majori sui securitate. Nec fuisset remedium quin in eorum manibus incidissent nisi nox quæ ipsos retraxit supervenisset. Ipsa autem adveniente, & ipsi se reduxerunt ad propria, & prædictum castrum & villam confestim exiverunt. Duravit tamen dictus rumor in crastinum, & per plurimos dies pòst, in quo & multi innocentes mortui sunt, & domus quamplurimæ dirutæ. Facta tamen demum debita ultione de illis qui talia perpetrarunt fueruntque causa commotionis prædictæ, ipsa cessavit, & dicta civitas pacificata remansit.

Eodem etiam quasi contextu contra Karolum Ducem Normanniæ & Delphinum Viennensem primogenitum Regis Franciæ, qui dicto patre suo tunc in captivitate detento regimen regni tenebat, insurrexerunt cives & populares Parisienses, adhærentibus sibi & consentientibus ferè omnibus aliis ejusdem status linguæ Gallicanæ, & facto sibi quodam capitaneo dicto *Jaques Bon-homme*, ipsum Ducem ac sibi assistentes deliberaverunt interficere. Et hac de causa una die iverunt ad palatium regale, ubi ipse tutus esse credebat, pluresque ex dictis sibi assistentibus in sui præsentia interfecerunt; idemque de ipso, ut creditur, fecissent; sed pro sui securitate dato sibi unius ex eis capucio, subitò & occultè eorum manus evasit, & exivit civitatem, quæ per aliquos dies sequentes in magna turbatione permansit. Et ex tunc memoratus Rex Navarræ ipsius dominium sibi conatus est usurpare; sed nequaquam iidem populares sibi obtemperare voluerunt, sed in suo furore persistentes, tam ibi quàm ferè per totam illam patriam cædes quamplurimas magnatum & nobilium fecerunt, & eorundem castra & fortalitia innumera totaliter diruerunt; duravitque ista maledictio per aliqua tempora. Sed tandem Domino disponente dictus Delphinus aggregatis sibi gentibus armigeris dictam civitatem ad sui obedientiam redegit, & præfatos insolentes viriliter compescuit, pluribus ipsorum interemptis; inter quos fuit eorum dictus capitaneus: qui quia perprius se Regem Iaqueorum nominabat, fuit cum uno tripede ferreo candenti seu ignito coronatus, & demum prout meruerat occisus. Et sic cessavit hujusmodi tempestas.

Qua etiam durante provinciam Provinciæ invaserunt quidam sociales nullum titulum habentes ipsam debellandi aut damnificandi nisi tamquam prædones publici & agrorum depopulatores, quorum ductor fuit & capitaneus quidam Vasco, dictus Arnaldus de Servola, vulgariter Archipresbyter de Verniis nominatus; fueruntque quamplurimi nationum & regionum diversarum; & complentes illa pro quibus venerant, fecerunt ibi damna infinita, castra, fortalicia, loca, & villas occupando, personas captivando, mutilando, verberando, & interficiendo, segetes & vineas & alia fructifera demoliendo. Et cùm aliquandiu talia perpetrando ibidem stetissent, nec pro tunc ibi esset qui eis resistere posset, tandem gentes illius patriæ se unanimiter congregantes deliberaverunt inter se super modo quem tene-

rent ut sociales præfati abinde expellerentur. Et quia per vim armorum visum fuit ipsis hoc non fore possibile, alium modum conceperunt, videlicet quòd ipsis victualia & alia eis necessaria sic subtraherentur & vetarentur quòd necessitate arctati abinde exire cogerentur; feceruntque edictum generale sub formidabilibus pœnis quòd bene & diligenter omnes custodirent munitiones suas, victualia quæcunque etiam & pecora in eis introducerent, quæ verò custodiri, servari, aut introduci non possent, diruerentur, cremarentur, aut aliàs consumerentur sic & taliter quòd prædicti se de aut cum ipsis aliqualiter juvare non possent, quòdque pro redemptione captivorum, etsi juxta qualitatem ipsorum pecuniæ eis darentur, victualia tamen aut quodcunque genus armorum aut vestium, equituræ evectores, ferra, seu clavi, aut alia instrumenta seu munimenta apta seu disposita ad aliorum offensionem sive eorum tuitionem seu conservationem nullatenus traderentur, etiamsi talia eis ministrando, & non aliter, captivi hujusmodi sperarentur liberari. Quod quidem edictum tali modo servaverunt quòd non multis lapsis temporibus fame & inedia ac multis aliis miseriis lacessiti post perditionem & ruinam equorum nimiam ac interitum plurimorum ex se ipsis dictam patriam deserere & exire sunt coacti; intraveruntque regnum Franciæ, unde priùs exiverant. Et ab istis primò sumpsit originem nomen socialium, quod satis saltim citra montes perprius ignorabatur; habueruntque ex tunc usquequaque quamplurimos re & nomine satellites & sequaces, qui in pluribus partibus dicti regni per plures annos pòst vagantes, in eis damna infinita intulerunt tam in personarum captivatione quàm locorum occupatione.

His etiam pendentibus, ad obedientiam dicti Innocentii Papæ & Romanæ Ecclesiæ reducta est civitas Bononiensis cum aliis pluribus tam locis quàm castris ac eorum detentoribus; inter quos fuit Malatesta de Malatestis, qui illis quæ perprius de pertinentibus ad dictam Ecclesiam occupabat ejus voluntati submissis, venit Avinionem ad prædictum Innocentium, cum quo fuit plenariè reconciliatus. Et hæc facta sunt per ministerium memorati Domini Ægidii Alvari Cardinalis Legati in illis partibus existentis, qui tam per vim armorum quàm aliàs virtute sua ad dictam obedientiam præfatos reduxit.

Præterea Petrus Rex Castellæ guerram movit & suscitavit adversùs Petrum Regem Arragonum, suumque regnum hostiliter intravit cum magno exercitu, igne & gladio cuncta consumens; captaque civitate Tirasonensi, multisque ex ejus civibus trucidatis, ac membris inhumaniter truncatis, obsedit civitatem Valentinam; evulsisque vineis & arboribus fructiferis, demolitisque segetibus ac viridariis & maneriis circumcirca ipsam existentibus, quæ admodum grata & delectabilia existebant, totaliter destructis, adeo eam artavit quòd fuit in procinctu ipsam totaliter capiendi. Et de facto, ut dicitur, sic contigisset nisi Deus quodam modo miraculosè obsessis de succursu satis inopinatò providisset. In ipsius tamen adventu obsidionem levavit, & ad alia loca se convertit. Ad horum autem malorum sedationem procurandam præfatus Papa Innocentius destinavit ad partes illas Legatum suum de latere Dominum Guidonem de Bolonia Episcopum Portuensem Cardinalem, qui diù circa hoc laboravit & institit, & tandem post multa dictos Reges ad pacem & concordiam reduxit; & sic dictis malis pro tunc fuit impositus finis.

Memorati etiam sociales seu alii eorum

rum vitam sectantes locum de sancto Spiritu occupaverunt, impedire & turbare intendentes per terram & aquam quòd provisiones necessariæ pro civitate Avinionensi & curia ibidem existente, quæ utplurimum per dictum locum aut ejus districtum habent transitum facere, ad eam nullatenus devenirent. De quo dictus Innocentius Papa cum tota sua curia, nec immeritò, fuerunt plurimùm conturbati. Et ob hoc, ad obviandum eorum malitiæ, per ipsum Papam tanquam contra hostes Dei, fidei, & Ecclesiæ fuerunt facti processus & data cruciata concessaque indulgentia plenaria omnibus expugnantibus & persequentibus ipsos. Quibus per varias partes divulgatis, venerunt quamplurimi crucis signaculo insigniti adversùs eos dimicare & certare disponentes; quibus idem Innocentius constituit capitaneum & ductorem Dominum Petrum Cardinalem Ostiensem superiùs nominatum. Sicque per Dei gratiam actum est quòd dicti malefici locum prædictum satis citò pòst dimiserunt.

Eadem insuper tempestate durante contra Iohannem Comitem Pictavensem filium Regis Franciæ deputatum per eum ad regimen patriæ linguæ occitanæ, tunc in partibus Tolosanis existentem, insurrexit hostiliter Gasto Comes Fuxi, ipsum suosque sequaces & adjutores expugnando & persequendo; inter quos fuere specialiter cives Tolosani; quorum quamplurimi una die incautè contra suum exercitum irruerunt. Fuerunt tamen devicti, multis ex ipsis immaniter trucidatis, reliquis captivatis, aut fugæ remedio liberatis. Sed tandem multis damnis & injuriis hinc inde illatis, licèt non æqualiter, cùm dictus Gasto continuè fortior extiterit, ad invicem pacificati fuerunt.

Per idem tempus venit Avinionem Dominus Richardus Archiepiscopus Armachanus in Hibernia secularis habitus, magnus & profundus magister in theologia; movitque quæstionem & litem generaliter contra omnes ordines fratrum mendicantium & eorum statum, tendens finaliter ad ipsorum extirpationem aut eorum in multis damnationem, pro eo quia, secundùm eum, in multis extendebant falcem suam in messem alienam, hoc est, plusquam à jure eis permittitur seu conceditur de pertinentibus ad Ecclesias parrochiales earumque rectores sibi usurpando; duravitque quæstio hujusmodi per aliquod tempus. Sed tamen indecisa remansit propter obitum suum qui supervenit; de quo dicti fratres potius de *Gaudeamus* quàm de *Requiem* cantaverunt.

Pro tunc insuper Rex Angliæ cum magno exercitu regnum Franciæ multimodè devastabat, nec erat qui suæ posset resistere potestati. Et licet perprius super pace & concordia inienda inter Regem Franciæ & ipsum se interposuerit Karolus memoratus Imperator, & Metis existens, ac ibi suas tenens curias, certos pro parte cujuslibet ad sui præsentiam evocaverit, tractaveritque inter eos per aliquot dies ac fecerit quicquid potuerit circa ipsorum pacificationem, tamen quia nihil proficere valuit, habuit hoc relinquere imperfectum; sicque dormivit seu cessavit labor circa tractatum hujusmodi per aliqua tempora; quibus durantibus, non mediocriter crescebant mala & damna memorata. Ad quæ nonnulli aspectum habentes, & specialiter Dominus Androinus de Rocha tunc Abbas Cluniacensis, ad id intendere & vacare decrevit; & tandem, Domino sibi assistente, post multos & varios labores in tantum operatus est quòd dictos Reges ad hanc concordiam inclinavit & induxit. Videlicet quòd terris tunc tentis & pos-

cessis ubicunque citra mare per Regem Angliæ penes eum remanentibus, jure superioris dominii ducatus Aquitaniæ salvo remanente penes Regem Franciæ, si & in quantum sibi perprius competebat, ducatus ipse limitatus sub modo & forma infrà descriptis à cetero ad dictum Regem Angliæ pertineret, ipsumque possideret & teneret in perpetuum hereditario jure, quòdque pro executione hujusmodi concordiæ illa quæ in dicto ducatu pro tunc per dictum Regem Franciæ tenebantur & possidebantur, liberè traderentur in manibus dicti Regis Angliæ seu deputandi per eum. Item quòd dictus Iohannes Rex Franciæ, qui pro tunc in Anglia captivus existebat, liberaretur pro certa summa pecuniæ in certis terminis exsolvenda. Quibus concordatis & appunctatis, & per partes ac illos quorum intererat approbatis, ad eorum executionem isto modo fuit processum. Videlicet quòd dictus Rex Franciæ ante omnia tradidit pro redemptione sua unam magnam summam pecuniæ dicto Regi Angliæ: quam quia pro tunc non habebat bene in promptu, recipere habuit nomine mutui sive doni à Galeazio de Vicecomitibus Mediolani, cujus occasione fuit data Barnaboni filio suo in conjugem filia dicti Regis cum comitatu Virtutum sibi constituto & ordinato pro dote. Pro residuo verò dictæ summæ ac complemento aliorum prædictorum dati sunt per eundem Regem obsides omnes filii sui, primogenito excepto, & quamplures alii principes & magnates regni sui, ac alii nobiles statuum diversorum. Et his expeditis, idem Rex fuit liberatus; venitque in Franciam, ac dedit ordinem circa traditionem & liberationem ducatus supradicti; ad quod faciendum fuerunt certi deputati per eum, & per Regem Angliæ alii qui de mandato suo haberent ejus possessionem recipere vice & nomine Edoardi sui primogeniti, cui ipsum dederat, ac per eum volebat teneri & gubernari. Commissarii autem Regis utriusque processerunt ad integram & realem executionem præmissorum, fuitque positus per ministerium prædictorum dictus Edoardus pro tunc Princeps Valliæ in possessionem civitatum & diocesium Agennensis, Condomiensis, Vasatensis, Pictavensis, Malleacensis, Lucionensis, Engolismensis, Petragoricensis, Sarlatensis, Lemovicensis, Tutellensis, Ruthenensis, Vabrensis, & Caturcensis, cum civitate Montisalbani & parte diocesis ejusdem quæ per flumen Tarni dividitur à comitatu Tolosano. Quibus expeditis, dictus Edoardus Princeps venit in propria ad ducatum memoratum; in quo mutato nomine Ducis, Princeps Aquitaniæ voluit nominari; dominatusque est cum maximo potentatu, cunctaque disposuit pro suæ libito voluntatis; nec fuit qui adversùs eum cervicem erexerit, quantumcunque magnus, ex omnibus subditis suis, quos tamen in pace & quiete ac tranquillitate tenuit, & per septem vel octo annos principatus est inter eos.

Circa idem verò tempus (quo currebat annus MCCCLX.) Engelbertus de Marcha Episcopus Leodiensis cepit castrum Scacheyn comitatus Lossensis aliàs de Loven, cum quo etiam totus comitatus prædictus ad Ecclesiam Leodiensem pervenit, Theodorico Comite dicti comitatus sine herede defuncto. Raynaldus etiam Dux Gueldriæ commisso prælio cum Edoardo fratre suo juniore capitur, & ipso in carcere detento, ducatus ejus per capientem obtinetur. Fratres insuper ordinis sanctæ Mariæ Theutonicorum in Prussia Kayscot Regem Lituanorum in bello capiunt, sed tamen captum retinere seu custodire nesciverunt. Nam de carcere eorum evadens multa ipsis damna

pòst intulit & injurias irrogavit.

Anno sequenti (qui fuit LXI.) fuit mortalitas magna quasi universaliter, sed præcipuè in regno Franciæ, mortuæque sunt personæ quamplurimæ de bossis, antraxibus, carbunculis, & similibus ulcerationibus & inflaturis; regnavitque hujusmodi pestis permaximè in locis & regionibus montanosis, quibus naturaliter consuevit esse purus aër; quæ loca utplurimum non invaserat pestis alia quæ regnavit anno quadragesimo octavo. In hac etiam dicuntur esse mortuæ plures personæ notabiles & magni status quam in alia, durationis ipsius tempore compensato. Non enim ultra sex vel septem menses duravit hæc, alia verò per annum & ultra.

Isto etiam eodem anno, die decima septima mensis Septembris, quæ fuit feria sexta quatuor temporum, præfatus Innocentius Papa fecit ordinationem octo Cardinalium, videlicet quinque Presbyterorum & trium Diaconorum. Presbyteri autem fuerunt, Dominus frater Fortanerius Vassalli diocesis Caturcensis ordinis fratrum Minorum tunc Patriarcha Gradensis, Dominus Petrus Iterii diocesis Petragoricensis tunc Episcopus Aquensis, Dominus Iohannes de Blandiaco diocesis Vticensis tunc Episcopus Nemausensis, Dominus Ægidius Aycelini de Monteacuto Arvernigena tunc Episcopus Morinensis & Cancellarius Regis Franciæ, & Dominus Androinus de Rocha natione Burgundus tunc Abbas Cluniacensis. Diaconi verò fuerunt, Dominus Stephanus Alberti diocesis Lemovicensis tunc electus Carcassonensis, pronepos Papæ, Dominus Guillelmus Bragose diocesis Mimatensis tunc electus Vabrensis, & Dominus Hugo de sancto Martiali diocesis Tutellensis legum Doctor, Præpositus Doacensis.

Tempore hujus summi Pontificis duo magni & illustres Principes mundum & ejus pompam seu vanitates reliquerunt, videlicet Dominus Petrus Infans Arragoniæ, patrinus Regis Arragoniæ, Comes de Pratis, qui ordinem fratrum Minorum ingressus est, & Dominus Karolus Comes Alenconii consanguineus germanus Iohannis Regis Franciæ, qui habitum suscepit fratrum ordinis Prædicatorum.

Dictus etiam Papa suo tempore fecit claudi & circuiri totam civitatem Avinionensem muris & turribus altis & fortissimis ac vallibus seu fossatis ad extra; ex quibus dicta civitas, quæ perprius erat omnino aperta, effecta est fortissima, & ad resistendum quibuscunque eam expugnare volentibus multùm bene disposita & parata; voluitque quòd clausura hujusmodi haberet magnum ambitum ad hoc ut processu temporis infra ipsam possent fieri nova ædificia ex quibus dicta civitas ampliaretur, includerentur etiam infra eam multa viridaria & loca amœna circa ipsam tunc existentia, ac etiam hospitale miræ pulchritudinis pro tunc noviter ibidem ædificatum & dotatum per Bernardum Rascasii legum Doctorem civem Avinionensem.

Ædificavit insuper idem Pontifex & dotavit in Villanova prope Avinionem domum Cartusiensem, Vallis benedictionis nominatam, constituens in ea certum numerum fratrum seu monachorum ejusdem ordinis, pro quorum sustentatione sufficienti multa bona deputavit.

In Tosola etiam, ubi à principio studuerat, fundavit notabile collegium pauperum scholarium, quod sancti Martialis voluit appellari, pro cujus dotatione multa bona exposuit à Deo sibi data.

Ipse fuit valde sollicitus & curiosus circa recuperationem terrarum Ecclesiæ in partibus Italiæ existentium; pro qua expendit & exposuit pecunias

infinitas, & per Dei gratiam non in vanum. Nam, ut supra tangitur, pro majori parte suo tempore recuperatæ fuerunt, & in ipsis pro earum tuitione multa castra seu fortalicia noviter constructa, & antiqua reparata. Circa etiam bonam & debitam expeditionem & prosecutionem aliorum omnium sibi incumbentium ac pertinentium ad officium sibi creditum cum magna diligentia vacavit & intendit, processitque in omnibus cum deliberatione & consilio tam Cardinalium quàm aliorum peritorum; nihilque de contingentibus omisit quandiu potuit laborare. Fuit tamen multùm oppressus & gravatus guta & podagra. Propter quod multotiens fuit impeditus in prædictis, & præsertim in suis ultimis diebus; in quibus fuit admodum debilitatus & valetudinarius, cùm esset etiam satis annosus, immo & senio confractus. Semper tamen habuit bonam & rectam intentionem in suis omnibus agendis. Dilexit etiam pauperes, & eis libenter subvenit. Viros insuper literatos fovit, eisque bene fecit, & multos promovit. Justitiam manutenuit & conservavit, & in curia specialiter voluit & ordinavit malos & insolentes puniri.

Suo enim tempore insurrexit in Avinione quædam societas, quæ Dampeprica vocabatur; cujus sectatores de nocte incedentes, furta, stupra, & maleficia multa committebant; de quibus idem Papa justitiam satis rigidam fieri mandavit, sic quòd multi ex eis, etiam qui se nobiles æstimabant, erantque apparenter satis magni status, submersi fuerunt aut aliàs trucidati; quorum exemplo alii perterriti aut fugerunt aut à prædictis destiterunt; & sic dicta societas evanuit satis citò.

Idem etiam Papa plures ex suis tam nepotibus quàm consanguineis in Ecclesia promovit & exaltavit. Ad quod faciendum caro ipsum aliqualiter traxit & inclinavit. Tamen utplurimum boni & sufficientes fuerunt, & in statu eis dato bene & laudabiliter se habuerunt. Paucos habuit in statu laicali sibi multùm propinquos. Illis tamen sic bene fecit quòd post ipsum bene & honorificè cum eorum posteris vivere & stare potuerunt. Non tamen aliàs ipsos magnis dignitatibus aut honoribus sublimavit.

Tandem verò post labores multos & anxietates innumeras, quas habuit tam in corpore quàm in mente propter varias & plurimas infirmitates & turbationes quæ suo tempore tam sibi quàm toti mundo, ut præmittitur, contigerunt, in pace quievit anno Domini MCCCLXII. die XII. mensis Septembris, pontificatus sui anno decimo, fuitque sepultus in Ecclesia majori Avinionensi, demum transferendus ad dictam domum Cartusiensem Villænovæ, in qua vivens suam perpetuam elegerat sepulturam. Vacavitque sedes diebus quadraginta quinque.

Et circa idem tempus paulò antè obierat Ludovicus Rex Siciliæ, Iohanna Regina conjuge ejus remanente sine quacunque prole,



SECVNDA VITA
INNOCENTII VI.

Auctore quodam Canonico Ecclesiæ Bunnensis in diœcesi Coloniensi.

INNOCENTIVS VI. natione Lemovicensis, priùs dictus Stephanus Alberti, per Dominum Clementem primò factus Noviomensis, deinde Episcopus Claromontensis, ultimò tituli sanctorum Iohannis & Pauli Presbyter Cardinalis, & deinde Ostiensis Episcopus, & summus Pœnitentiarius. Mortuo Domino Clemente in die sancti Nicolai, Cardinales intrarunt conclave Dominica post Luciæ, & die Martis proxima hunc elegerunt. Qui coronatus fuit in palatio apostolico Avinionensi dominica die infra octabas nativitatis Domini.

Et statim eodem anno mittitur Legatus in Italiam Dominus Cardinalis Ægidius Hispanus ad recuperandum omnes terras Ecclesiæ de manibus tyrannorum. Et in subsidium recuperationis indixit decimas per totum mundum. Sola Alamannia solvit subsidium loco decimarum. Pro quo missus fuit Dominus Philippus Episcopus Cavallicensis, postea Cardinalis.

Hujus anno secundo duo fratres ordinis Minorum propter hæresim de paupertate & alia quæ malè senserunt Avinioni combusti sunt feria tertia post Pentecosten.

Eodem anno Dominus Karolus Alamanniæ & Bohemiæ Metis curiam suam servans, Wenceslaum fratrem suum Ducem creavit Lucemburgensem de Martii mense.

Circa idem tempus fuit ventus validissimus in partibus istis circa Mosam & Rhenum.

Eodem anno die XVII. Septembris, hora tertiæ, fuit eclipsis solis durans quasi duabus horis. Hiems tam aspera fuit ut fluvii quasi septem septimanis congelati starent & carri magnis onusti ponderibus per glacies transirent. Egoque circa festum sanctæ Agnetis eques bis transivi.

Karolus de Hispania Connestabulus Franciæ occultè occiditur anno tertio pontificatus.

Anno verò Domini MCCCLV. circa medium Martii tanta fuit aquarum inundantia ut pontes & turres subverteret.

Eodem anno Dominus Karolus Rex Alamanniæ & Bohemiæ descendens in Italiam, coronam imperialem de manibus Domini Petri Episcopi Ostiensis ad hoc missi in basilica sancti Petri Romæ in die sancto Paschæ honorabiliter suscepit, & uxor ejus cum eo, statim Romam exiens eo die. Et Vicarium fecit Marchionem Montisferrati in Italia. Et Episcopum Augustensem fecit Vicarium in civitate Pisana.

Eodem anno duo Milites Avinionem venientes de Gasconia pœnitendi causa, coram Pœnitentiario trucidati fuerunt per suos æmulos nepotes quorundam Cardinalium. Et non longè pòst Cardinalis Appamiarum, cujus nepos id perpetrasse dicebatur, obiit insperatè.

Eodem anno die XI. millium virginum obiit Dominus Bertrandus Episcopus Sabinensis Cardinalis, qui fundavit Ecclesiam sancti Desiderii Avinionensis & dotavit pro clericis, licèt post ejus obitum fuerit consummatum,

Eodem anno captum proditoriè castrum Baucii Comitis Avellini prope Avinionem per quendam Robertum Comitem Duracii : qui tamen, licèt Cardinales foverent eum, coactus fuit illud reddere Comiti supradicto.

Eodem anno Rex Angliæ, cùm tractatus pacis cœptus per Cardinalem Boloniensem in Francia coram Papa perfici non posset, impugnare cœpit regnum Franciæ graviter circa Tolosam, ita quòd studium in Montepessulano suspensum fuit ad tempus.

Mense Octobris obiit Iohannes Dux Brabantiæ. Cujus filia cum ducatu data fuit uxor Domino Venceslao fratri Domini Karoli Imperatoris.

Eodem anno tanta nix cecidit in Avinione quòd à festo conceptionis beatæ virginis usque post nativitatem Domini perduraret. *In alio codice legitur*, à festo sancti Andreæ usque ad festum nativitatis Domini perduravit.

Mense Decembri excommunicatus fuit in publico consistorio Franciscus de Ordelassis invasor & occupator rerum Ecclesiæ.

Eodem mense venit ad curiam Dominus Petrus Rex Arragoniæ brevissimæ staturæ & deformis causâ componendi cum Ecclesia super regno Sardiniæ, quod ab ipsa Ecclesia tenebat.

Circa hæc tempora ad petitionem Regis Rassiæ missus fuit Episcopus Pactensis de ordine fratrum Carmelitarum ad baptizandum ipsum & populum. Sed illuc veniens, vacuus revertitur, eò quòd non sincerè petiit idem Rex, sed ut alleviaretur ab incursu Regis Hungariæ ipsum invadentis.

Hoc tempore fundatum fuit hospitale sanctæ Trinitatis Avinione per Dominum Bernardum Rascasii Militem Avinionen em.

Fuit etiam erecta capella extra Avinionem prope Ecclesiam de miraculis in loco qui dicitur Campus floritus; ubi tempore epidimiæ infinita corpora tumulata erant, quia non poterant in cimiteriis infra civitatem reponi.

Hic Papa fundavit in Villanova Avinionensis diocesis monasterium Cartusiense. Et ad petitionem Domini Imperatoris festum lanceæ & clavorum Christi instituit per Alamanniam & Bohemiam die Veneris post octabas Paschæ celebrandum.

Anno Domini MCCCLVI. pontificatus verò quarto Dominus Karolus Imperator convocatione facta Principum in Nuremberga multas leges condidit.

Eodem anno obsessam Papiam per Mediolanenses Dominus Marchio Montisferrati liberat.

Eodem anno Dominus Iohannes Rex Franciæ Dominum de Haricuria & quosdam alios nobiles regni decollari fecit, asserens eos traditionem tractasse cum Rege Angliæ, licèt ipse Rex excusaret eosdem. Unde credebatur veriùs quòd propter mortem Conestabuli supradicti, cujus dicebantur conscii, fecisset eos occidi.

Eodem anno infra octavas Pentecostes nuntii Imperatoris Constantinopolitani cum parva galea applicantes juxta Ecclesiam beatæ Mariæ de miraculis Avinionensis, offerentes Dominum suum esse rediturum ad Ecclesiæ unitatem, ut sibi ab Ecclesia subsidium fieret contra Turcos.

Eodem anno, die Martis post octabas Pentecostes, mittuntur in Franciam Legati à latere Cardinalis Petragoricensis, qui & Albanensis, & Nicolaus de Capociis, qui & Vrgellensis dicebantur, pro sedandis discordiis inter Reges.

Postea circa festum palmarum Dominus Comes Flandriæ infeudatus per capitulum Ecclesiæ Leodiensis de Machlinia ad Ecclesiam ipsam spectante, Dux Brabantiæ ex adverso se Comiti opposuit, & castrametati sunt juxta

Bruſſellas; ibique conſerto prælio, Comite triumphante, Bruſſellenſes ſe reddiderunt, & tota Brabantia ceſſit. Sed eodem anno Dux recuperavit totam terram ſine gladio.

Eodem anno Dominus Papa Regem Hungariæ Vicarium Eccleſiæ conſtituit in Italia. Idemque Rex Venetos impugnans obſedit Terviſium, ſed non profecit.

Eodem anno Eduardus primogenitus Regis Angliæ Princeps Walliæ vaſtavit ducatum Aurelianenſem, Duce Lancaſtriæ Britanniam devaſtante & Redonum obſidente.

Eodem anno die Lunæ Decembris XVIII. Edoardo Principe prædicto primogenito Regis Angliæ & Iohanne Rege Franciæ prope Pictaviam cum ſuis exercitibus congregatis, ipſo Rege, cùm eſſet fortior, pacis fœdera, ad quæ ſe Princeps obtulit, & quæ Domini Cardinales præfati tractabant, admittere renuente, conflictum extitit; & victoria cedente Principi, Rex ipſe cum juniore filio ſuo Philippo captus eſt, omnibus aliis aut fugientibus aut occiſis. Karolus verò filius ſenior & Dux Aurelianenſis frater Regis de prælio evaſerunt. Qui Karolus poſtea fuit Rex Franciæ poſt obitum patris ſui.

Anno eodem in ſuperiori Alamannia fuit terræ motus in die ſancti Lucæ & pluribus diebus, adeo quòd civitas Baſilienſis tota periit in ruina, & caſtra circa eam circa LXXX. ceciderunt, & montes & rupes hiulcis aperturis patuerunt, quæ toto anno ad clauſuram minimè pervenere. Homines illis diebus vagi in campis currebant, non audentes in civitatibus & locis ubi erant domus lapideæ permanere. Eodem anno fuit mortalitas & peſtilentia cum cariſtia in multis locis Alamanniæ.

Eodem anno Dominus Papa creavit ſex Cardinales in vigilia nativitatis Domini, inter quos erat Epiſcopus Florentinus. Et eodem tempore Rhodanus inundans, alveum ſuum exiens, loca plurima occupavit. Et ſimiliter in Alamannia & in partibus aliis fuit aquarum inundantia diù durans.

Eodem tempore Dominus Karolus Imperator parlamentum ſtatuit Metis de pace tractanda inter Reges, ſed non concluſit. Ibique clerus Alamanniæ loco decimarum ſubſidium obtulit ſe daturum.

Circa hæc tempora in die ſancti Bartholomæi fuit terræ motus in regno Portugaliæ fortalitia ſubruens atque caſtra.

Anno Domini MCCCLVII. pontificatus Domini Innocentii anno quinto inter Reges Caſtellæ & Portugaliæ orta guerra, civitas Tiraſonenſis capta eſt per Regem Caſtellæ.

Eodem tempore in cœna Domini iterum fuit in terra Baſileæ graviſſimus terræ motus, & poſtea de menſe Maii circa Spiram, Argentinam, & Treverim, ita quòd in multis locis terra hiulca albam aquam & fœtentem evomens caſtra & loca fortia caſui dedit & ruinæ.

In feſto nativitatis ſancti Iohannis Cardinales præfati Caleſii de pace tractabant inter Reges, Iohanne Rege in Angliam captivo traducto.

Menſe Iulio Miles quidam Gaſco dictus Archipresbyter collecta ſocietate intravit Provinciam, & plurima damna fecit & ſtrages; propter quæ tota curia Romana ſtupefacta, Papa data pecunia, pro qua ſe Provinciales obligaverunt, ipſum abire fecit, & tranſitum per Avinionem conceſſit. Sed interim Papa ſtipendiarios multos tenuit, civitatemque muris & portis ac foſſatis munivit; ad quæ omnes clerici in curia Romana degentes contribuere cogebantur.

Mittitur hoc anno die ſabbati XIV. die Octobris in Alamanniam Dominus Philippus Epiſcopus Cavallicenſis,

postea per Vrbanum Papam factus Cardinalis, qui promissum subsidium à clero Alamanniæ sustulit & recepit. Et Episcopus quidam Gurcensis ad provinciam Salsburgensem mittitur pro eodem subsidio extorquendo.

Die Lunæ XXIII. Octobris Dominus Sabinensis Legatus Italiæ revertitur, remanente pro eo ibidem Abbate Cluniacensi, & Malatestam tyrannum secum duxit ad præsentiam Domini Papæ.

Novembris die quinta provisum Ecclesiæ Monasteriensi de persona Domini Adolphi de Marcha nunc Comitis Clivensis.

Ejusdem mensis die octava Dominus Armachanus Archiepiscopus Primas Hiberniæ quæstionem cœpit coram Domino Papa contra omnes ordines mendicantium. Sed postea defunctus est, & quæstio consopita, nullo ulteriùs prosequente.

Eodem tempore fuit pestilentia per Alamanniam, Bohemiam, & Turingiam, & guerræ quasi universales per totum mundum.

Rex Arragoniæ cum Rege Marrochiæ confœderatus est ad resistendum Regi Castellæ.

Eodem tempore Dominus Petrus Episcopus Penestrinus Cardinalis Ecclesiam sancti Petri Avinionensis erigi fecit in collegiatam, & chorum & claustrum novum fecit, & pro Canonicis redditus comparavit.

Anno Domini MCCCLVIII. anno pontificatus sui sexto indictæ fuerunt talliæ per civitatem Avinionensem, pro quolibet capite medius florenus. Et processus facti contra prædatores Provinciæ.

De mense Martii Archipresbyter cum societate reversus in Provinciam, non obstante pecunia sibi soluta, civitatem Aquensem oppugnat. Dominus Papa tam pro defensione quàm munitione civitatis gabellas imposuit, & concessit quòd pro qualibet butta vini solveretur unus florenus. Et ne tabernarii nimis perderent, mensuræ diminutæ fuerunt ad mensuram unius vitri, quorum octo faciebant unum picerium.

De mense Aprilis civitas Avinionensis Domino Papæ obedientiam promisit, quam à tempore venditionis distulerant; & promissum fuit eis antiquas libertates servandas.

In festo sancti Georgii Dominus Rex Angliæ solemnissimam curiam fecit suis Principibus; à qua reversus Willelmus Dux Hollandiæ, amens effectus, & alienatus à sensu, clausus tentus est; venitque frater ejus Albertus pro terra gubernanda.

Circa hæc tempora propter violationem libertatum factam in Flandria mercatores circa litus maris oceani scapellum removentes à Brugis in Dordrato posuerunt, quem Brugenses postea cum difficultate rehabuerunt.

Hoc tempore Rex Navarræ concordiam faciens cum Anglicis, civitates Franciæ impugnans, Altissiodorum cepit, & loca multa vastavit.

Fuitque his temporibus pestilentia per totam Alamanniam à Basilea usque ad mare, & per Saxoniam & litora maris oceani.

De mense Octobris Dominus Sabinensis Cardinalis revertitur in Italiam. Dominus Boloniensis mittitur Legatus in Hispaniam. Novembris die sexta Canonici sancti Petri Avinionensis intraverunt Ecclesiam suam novam.

Anno Domini MCCCLIX. mense Aprilis Petragoricensis & Vrgellensis Cardinales revertuntur de Francia sine fine. Et Rex Navarræ cum Anglicis vastavit terras usque ad diocesim Aniciensem. Fuitque civitas Avinionensis, quæ muris & fossatis carebat, ampliùs fortificata in muris & fossatis, & collecta imposita civibus & cortesanis ac clericis.

Mense

Mense Iulii surrexit Avinioni societas nocturnalis dicta Alperughe, qui nocturno tempore furabantur in armis, & stupra commiserunt. Contra quos Papa justitiam fecit fieri, plerisque notabilibus occultè submersis.

Circa hæc tempora Dominus Karolus primogenitus Regis Franciæ capti & Rex Navarræ pacem mutuam firmabant.

Circa festum sancti Matthæi Canonici Ecclesiæ sancti Desiderii Avinionensis novam suam Ecclesiam per Dominum quondam Bertrandum Sabinensem fundatam intraverunt, quam antea consecraverat die XX. mensis Septembris Dominus Raynaldus Episcopus Æduensis Domini nostri Papæ Thesaurarius; fuitque corpus dicti Cardinalis translatum & humatum in ipsa.

Mense Octobris lata fuit sententia per Dominum Cardinalem Florentinum pro Domino Archiepiscopo Rigensi contra fratres ordinis beatæ Mariæ Theotonicorum.

Novembris die XIII. Durentia fluvius prope Avinionem tantum excrevit ut portam civitatis novam prope hospitale sanctæ Trinitatis Avinionensis dirueret & subverteret.

De mense Decembris Rex Angliæ devastavit terras Campaniæ circa Remis.

Anno Domini MCCCLX. Innocentii anno VIII. Dominus Mediolanensis obsedit Bononiam. Fuitque etiam nova tallia indicta clericis Avinionensibus pro complendis muris civitatis. Restituta fuit eodem anno Ecclesiæ Bononia per Dominum Iohannem de Olegio, & Dominus Papa Firmanam civitatem & aliquas terras in Marchia assignavit eidem. Et inter Mediolanenses & Ecclesiam gravis guerra orta est.

Circa ascensionem Domini Gerardus Comes de Monte in conflictu insperatè mortuus est.

Mense Iunii Dominus Bœmundus regimini Ecclesiæ Treverensis cessit. Cui Cono de Falkenstein successit, cedenti redditibus assignatis.

His temporibus caristia fuit Avinioni, & circa partes Lugdunenses pestilentia. Et in provincia Narbonensi die ultima Augusti fulminati fuerunt processus apostolici contra Bernabonem invasorem terrarum Ecclesiæ.

Circa hæc tempora pax reformata est inter Brugenses & mercatores, & scapellus reductus Brugis.

His temporibus Iohannes Rex Franciæ, receptis à tyrannis Mediolanensibus multis millibus florenorum, filiam suam tradidit uxorem filio Domini Galeacii.

Dominus Karolus Imperator Comitem de Wirtemberg sibi rebellem perdomuit.

Hoc tempore Iohannes Rex Franciæ pro tribus millionibus florenorum à carcere liberatus est & à regni sui populo receptus.

De mense Ianuarii anno Domini MCCCLXI. societas Anglicorum cepit villam sancti Spiritus prope Avinionem. Contra quos Dominus Papa prædicavit crucem. Fuitque factus capitaneus crucesignatorum Dominus Ostiensis. Et sæpe congressiones factæ per Anglicos de villa prædicta contra gentem Ecclesiæ stantem in villa Montis Draconis & circa. Finaliter gentes Ecclesiæ, cæsis ex eis plurimis & occisis, vacuæ redibant Avinionem. Et Anglici, recepta à Papa multa pecunia, id est, XXXIII. millibus florenorum, recesserunt de villa prædicta, ipsa totaliter spoliata.

De mense Februarii magnus ignis, quasi totus aër arderet, visus est in Alamannia, me tunc Bunnæ residentiam faciente in præbenda mea & vidente, die videlicet XVIII. ipsius mensis. Eodemque tempore Dux Iuliacensis mortuus est in villa Durensi, qua decubuit.

Eo tempore fuit hiems aspera, ita quòd multæ vites frigore perditæ amputatæ fuerunt in partibus Rheni.

Eo tempore in æstate mortalitas reincepit in Avinione, ita quòd æstate illa octo Cardinales mortui sunt & populus innumerabilis. Et caristia magna fuit in tantum quòd saumata bladi octo florenis vendebatur.

Eodem tempore Dominus Engelbertus Leodiensis Episcopus obsedit castrum Schoten de comitatu Lossensi, fuitque sibi redditum seu traditum in festo sancti Viti. Et per consequens totus comitatus cessit Ecclesiæ Leodiensi, Theoderico Comite Lossensi absque herede defuncto.

Hoc tempore Eduardus junior natus Ducis Gelriæ, conserto prælio cum seniore Raynaldo fratre suo jam Duce, ipsum cepit & ducatum obtinuit.

Hoc anno per fratres ordinis beatæ Mariæ Theotonicorum captus fuit Kuystud Rex Lituwanorum & positus in carcere castri beatæ Mariæ, & eodem anno fuga lapsus evasit.

Hoc anno, de mense Septembri, Dominus Innocentius creavit octo Cardinales, tres Diaconos, & quinque Presbyteros: quorum tres absentes intraverunt die Iovis post festum omnium sanctorum.

Eodem die Dominus Boloniensis Cardinalis tribus annis Legatus in Hispania, reformata pace inter Reges Hispaniæ & Arragoniæ, rediit ad curiam.

Eodem anno MCCCLXII. anno X. Domini Innocentii, de mense Martii, visus fuit cometa in Provincia inter orientem & aquilonem ante ortum diei, comas suas versùs aquilonem protendens.

Eodem tempore societas circa Lugdunum congregata prædis & damnis circa Sagonam omnes terras lacessivit. Contra quos boni homines Franciæ venientes victi fuerunt, victoria cedente prædatoribus, qui usque ad æstatem in Francia permanserunt.

De mense Martii fratres prædicti ceperunt castrum Regis Lituwanorum Kuystud in vigilia Paschæ, in quo filium Regis & sociorum ejus circa XXXVII. ceperunt, & circa duo millia occiderunt.

Eodem anno mortuus est Ludovicus Rex Siciliæ. Cujus exequias fecit fieri Dominus Papa de mense Iunii die XX. mittens ad partes illas nuntium Dominum Guillelmum Grimoardi tunc Abbatem Massiliensem, ordinis sancti Benedicti, qui postea electus est ibidem existens in Papam & Vrbanus V. appellatus.

De mense Augusti societas prædicta, quæ depopulata est Franciam & Burgundiam, recepta pecunia à Rege Franciæ recesserunt de Francia, & transitum faciebant per Villamnovam Avinionensis diocesis ituri in auxilium Regis Arragonum contra Petrum Regem Hispaniæ. Contra quem fuerunt eodem tempore processus publicati & portis Ecclesiarum affixi, quos Dominus Cardinalis Boloniensis fecerat, eò quòd pacta per ipsum Cardinalem, cùm esset Legatus, ordinata non servavit.

Post hæc Dominus Innocentius modicum decumbens, cùm esset senio & infirmitatibus confectus, die XII. mensis Septembris obiit, & XIV. sepelitur in Ecclesia beatæ Mariæ de Donis; ibique mansit usquequò translatus fuit, sicut infrà dicetur.

Hoc tempore, vacante Ecclesia Romana, obiit Dominus Willelmus Archiepiscopus Coloniensis. Cui successit Adulphus frater Comitis de Marcha. Et eo sponte cedente, quia ad laicatum aspirabat, successit Engilbertus patruus ejus tunc Episcopus Leodiensis, translatus ad Ecclesiam Coloniensem per Dominum Vrbanum Papam quintum.

TERTIA VITA.
INNOCENTII VI.

Ex appendice Ptolemæi Lucensis.

INNOCENTIUS VI. Stephanus nomine, natione Lemovicensis, de villa ex patre Hic primò procurator, & judex postea fuit, necnon doctoratus in jure canonico, postea clericus & Episcopus Claromontensis, deinde Cardinalis, & electus est in Papam per Cardinales anno Domini MCCCLII. die Martis XVIII. Decembris, hora tertiarum, & coronatus Dominica penultima dicti mensis Avinione in apostolico palatio. Sedit annis novem, mensibus octo, diebus viginti sex; & vacavit episcopatus ejus mense uno, diebus viginti.

Hic fuit vir justus & durus in concedendis beneficiis & jura ecclesiastica. Subitò post suam coronationem multas reservationes factas per Clementem suum prædecessorem suspendit, & constituit Prælatos & alios beneficiatos in curia illò tunc morantes unumquemque ad suum beneficium personaliter applicare & ibi residentiam facere sub pœna excommunicationis. quod & factum est.

Hic diminuit expensas & familiares suos & etiam omnium Cardinalium. Hic ordinavit stipendia Auditorum sacri palatii. Hic parcus & gotosus, fortis & robustus ad recuperandum provincias, terras, & jura sanctæ matris Ecclesiæ, quæ diù temporibus suorum prædecessorum fuerant per tyrannos occupatæ in partibus Italiæ; quas penè omnes ad mandata Ecclesiæ reduxit manu potenti.

Hic ordinavit & transmisit anno primo suæ coronationis Dominum Ægidium Hispanum Cardinalem in Legatum ex latere in istis partibus Italiæ ad recuperandum prædictas provincias, terras, & jura Ecclesiæ occupata per tyrannos, & facta est executio manu potenti per dictum Dominum Cardinalem infra quatuor annos cum multis laboribus & expensis thesauri Ecclesiæ.

Hic transmisit quamplurimos Prælatos Regibus Franciæ & Angliæ pro pace vel treuga ponenda inter ipsos & eorum regna, sed modicùm relevavit.

Hic anno secundo suæ coronationis transmisit Dominum Petrum Cardinalem Ostiensem in Legatum Romam ad coronandum Dominum Karolum IV. filium Regis Boemiæ in Romanum Imperatorem. quod & factum est.

Anno primo suæ coronationis, die XXV. Augusti, Ianuenses fuerunt debellati in Sardinia in mari per Venetos & Cathelanos. In quo bello dicti Ianuenses XXXIII. galeas perdiderunt, & submersæ fuerunt cum hominibus.

Hujus tempore dicti Ianuenses cum omnibus eorum castris & jurisdictionibus submiserunt se Archiepiscopo Mediolanensi tyrannidi. Et pòst paulò dicti Ianuenses debellaverunt Venetos in mari magno, ubi dicti Veneti amiserunt quadraginta galeas & alia navigia necnon homines qui erant in dictis navigiis.

Hujus tempore facta fuit pax inter dictos Ianuenses & Venetos, & exclusi fuerunt Cathelani à dicta pace.

Item sub MCCCLVI. de mense Iulii

Dominus Talarandus Petragoricensis & Dominus Nicolaus Capocii Cardinales transmissi fuerunt in Nunciis apostolicis per dictum Papam ad ponendum pacem finalem vel treugam fiendam inter Reges Iohannem Franciæ & Eduardum Angliæ ipsorumque regna. Qui Cardinales de mense prædicto de curia recesserunt, & continuando ipsorum dietas in regno Franciæ applicuerunt pro pace vel treuga inter ipsos Reges & regna ponenda.

Item sub prædicto anno dictus Papa unam ordinationem in die Veneris XXIII. Decembris ordinavit de infrascriptis Cardinalibus, videlicet de Domino Petro Archiepiscopo Rothomagensi, Domino Francisco de Tuderto Episcopo Florentino, Petro Episcopo Pampilonensi suo nepote, Helia Episcopo Vticensi, fratre Nicolao Provinciali ordinis Prædicatorum de Aragonia, fratre Guillelmo generali ordinis Minorum Lemovicensi.

Item eodem tempore & sub MCCCLVII. ordinavit Dominum Androinum de Burgundia Abbatem Cluniacensem in rectorem & gubernatorem omnium terrarum Ecclesiæ in Italia dum dictus Dominus Hispanus Legatus ibidem moram traheret. Et recessit de curia die ultima Februarii, & sub die quinta dicti mensis fuit ordinatus. De mense verò Augusti dicti anni dictus Legatus apud Berthonorium totaliter vices suas in spiritualibus & temporalibus dicto Domino Abbati commisit, & in paucos dies versùs Tusciam cum suis familiaribus & Dominis de Malatesta, de Arimino, & aliis nobilibus de Marchia & Romandiola causa applicandi ad curiam iter assumpsit. Die verò Lunæ XXIV. mensis Octobris in curia dictus Dominus Legatus Ægidius à Domino Papa & omnibus Dominis Cardinalibus & commorantibus in curia benivolè est receptus.

Hujus tempore & sub MCCCLVII. Dominus Arnaldus de Servola de Verniis, oriundus de Petragoricensi comitatu, ex tractatu Domini Amadei de Baucio, Domini Raymundi de Baucio Comitis de Avellino, Domini Karoli de Picerio, Domini Garmoti de Atrio, Domini Bertrandi de Bidossio, & Domini Iohannis de Rubufello, & ferè omnium nobilium de Provincia fecerunt, ordinaverunt, atque congregaverunt maximam partem equitum & peditum uniuscujusque Christianæ nationis, qui fuerunt in summa quatuor millia hominum, & vocabatur societas *del acquisto*. Et coadunaverunt se in Lemovicinio, in Auvernia, & per illas partes circa Rhodanum. Et sub die Iovis XIII. Iulii dicti anni de consensu Domini de Rossillon transiverunt Rhodanum, & applicuerunt continuatis eorum dietis in comitatu Venaissensi de consensu, ut publicè dicebatur, Domini Papæ & aliquorum Cardinalium de Lemovicino; necnon prædicta omnia dicebantur ordinata fuisse per Dominum Talayrandum.



QVARTA VITA INNOCENTII VI.

Auctore Petro de Herentals Priore Floreffiensi.

INNOCENTIVS Papa sextus, qui priùs dicebatur Stephanus, primò fuit Episcopus Claromontensis, deinde Cardinalis, & summus Pœnitentiarius, pòst Ostiensis Episcopus, postremò autem Papa, & cœpit anno MCCCLII.

Primo anno istius Papæ quidam de ordine fratrum Prædicatorum existens incarceratus in Avinione, quia de hæresi suspectus habebatur, multa prophetizabat de Antichristo & de summis Pontificibus futuris, & incepit prophetizare anno Domini MCCCXLV. tempore Clementis sexti. Multa de suis prophetiis visa sunt evenisse.

Secundo autem anno papatus dicti Innocentii, cùm ipse Innocentius, dum adhuc esset summus Pœnitentiarius, habuit unum Capellanum præ ceteris sibi dilectum & in septem Ecclesiis beneficiatum. Cùm ergo idem Dominus esset in summum Pontificem creatus, prædictus Capellanus adduxit sibi suum nepotulum ad aliquod beneficium ab eo impetrandum. Cui Dominus Papa, tanquam vir justus, justissimè respondit: Tu habes septem bona beneficia. Melius inter ea isti puero resigna. Hoc dicto, cùm Papa videret eum de hoc verbo contristatum, ait: Adhuc tu habes sex beneficia, & tibi sufficerent pro expensis tuis pauciora. Eligas ergo tibi de his tuis beneficiis tria meliora, & alia sine contradictione resigna, quæ dabo tribus clericis pauperibus propter Deum. De quo facto dictus Papa apud quamplures non modicùm est laudatus, qui potiùs spiritualis quàm carnalis affectionis viam est secutus.



PRIMA VITA
VRBANI V.

Editio Bosqueti collata cum vetustis codicibus MSS.

VRBANVS Papa quintus natione Gabalitanus de loco de Grisaco diocesis Mimatensis post dictum Innocentium sextum Avinioni fuit electus in Papam die XXVIII. mensis Octobris anno Domini MCCCLXII. & die sexta mensis Novembris immediatè sequentis consecratus & coronatus.

Hic priùs vocatus est Guillelmus Grimoardi, cujus pater fuit Grimoardus Miles. Et in adolescentia sua sub habitu monastico Domino voluit famulari; fuitque receptus in monachum in prioratu de Chiriaco dictæ diocesis à monasterio sancti Victoris Massiliensis dependente; ubi postquam fuit instructus in regularibus observantiis, se transtulit ad studia litterarum, in quibus adeo diligenter institit & insudavit quòd demum fuit effectus solemnis Doctor decretorum, legitque ex tunc multis annis tam in Montepessulano quàm in Avinione. Tandem verò suis suffragantibus meritis, primò ad monasterium sancti Germani Autissiodorensis, postea verò ad monasterium prædictum sancti Victoris Massiliensis, sub quo primitus ordinem sancti Benedicti professus extiterat, promotus fuit, & ab inde assumptus in Papam; seditque annis octo, mense uno, & diebus novemdecim.

Modus autem suæ assumptionis seu electionis magis à Deo quàm ab homine videtur processisse; attento præsertim quòd dicta sede apostolica tunc vacante erant in collegio Cardinalium multi valentes & sufficientes viri, qui tamen, ut creditur, Deo sic disponente, concordare nequiverunt ut ipsorum aliquis eligeretur. Sed post satis diuturnam vacationem habentes aspectum ad merita, virtutes, & sufficientiam, de quibus magnam experientiam habuerant cùm inter ipsos in plerisque officiis deputatus longis temporibus fuisset conversatus, in eum pro tunc absentem & in partibus Neapolitanis pro negotiis Ecclesiæ Romanæ existentem sua vota direxerunt. Non tamen ea publicaverunt donec & quousque ipse personaliter ad ipsos venit, hæsitantes an electioni suæ hujusmodi suum vellet præbere consensum, quem, licèt cum tremore & timore, præstitit, nolens divinæ & eorum contraire voluntati. Fuitque per eos inthronizatus debitis & solitis solemnitatibus observatis.

In hac autem electione fuit præsens & tanquam in ipsa vocem habens admissus & in conclavi cum aliis Cardinalibus introductus Dominus Androinus de Rocha priùs Abbas Cluniacensis, qui per dictum Innocentium Papam VI. factus fuerat Presbyter Cardinalis, tamen cùm nondum haberet titulum, nec vivente dicto Innocentio in consistorio fuerat installatus. Intravit enim primò curiam dum dictus Innocentius laborabat in extremis, immo & quasi hora qua moriebatur. Quod ideo hic notanter inserendum duxi ut appareat quòd sola assumptio seu promotio ad cardinalatum dat vocem in electione Papæ, & non tituli assigna-

tio. Et hoc expresſè denotat regularis ſeu communis obſervantia, quæ habet quòd noviter promoto ad dictum ſtatum per Papam clauditur os antequam ſibi titulus aſſignetur; ſicque manet ore clauſo, & vocem in nullo habens, donec demum ſibi aperiatur; & tunc ſibi titulus aſſignatur. per quod ut inpoſterum loquatur, vocemque liberam habeat tam in dicta electione quàm in aliis actibus ad ſtatum hujuſmodi pertinentibus, tribuitur eidem & conceditur facultas quæ per dictam oris clauſuram ſuſpenſa fuerat & effectualiter interdicta. Hoc etiam denotat verbum *claudere*, quod non poteſt locum habere niſi in re jam aperta. Et ita pro vero & indubitato & de jure tunc tentum, habitum, & determinatum extitit concorditer per Dominos Cardinales.

Dictus autem Vrbanus Papa modo præmiſſo electus, conſecratus & coronatus, ſatis citò pòſt Dominum Guillelmum Bragoſe ſancti Georgii ad velum aureum Diaconum Cardinalem ac majorem Pœnitentiarium, virum utique ſatis grandævum, qui perprius in ſtudio Toloſano Doctor ſolemnis decretorum exiſtens annis pluribus cathedram doctoralem ad perutilem inſtructionem ſeu informationem plurimorum rexerat, in Presbyterum Cardinalem ordinavit, ſibique titulum presbyteralem aſſignavit, videlicet ſancti Laurentii in Lucina. Ad quod faciendum præcipuè motus extitit ratione officii pœnitentiariæ, quod Presbytero magis quàm Diacono convenire judicavit.

Ad Eccleſiam inſuper Avinionenſem, quæ diù paſtore caruerat, cùm per duos prædeceſſores ſuos pro ſuis & Eccleſiæ neceſſitatibus vacans quaſi continuè retenta fuiſſet, promovit Dominum Anglicum Grimoardi Priorem Dienſem fratrem ſuum, de quo quaſi communiter dicebatur quòd in omni probitate, honeſtate, religionis obſervantia, ac diſcretione ſeu circumſpectione naturali, cum litteratura convenienti, ordo ſuus, ſcilicet Canonicorum regularium, etſi ſibi pares haberet, paucos tamen, excedentes verò nullos. Qui etiam ſuo tempore & ſucceſſivè, ultra bona multa quæ fecit in Eccleſia memorata, in Avinione à ſolo ædificavit monaſterium cum officinis & habitationibus neceſſariis pro monialibus de Furnis ordinis ſancti Benedicti, quæ priùs erant ab extra collocatæ in loco campeſtri & aperto; deditque eis multa bona & reliquias aliquorum ſanctorum, & ſpecialiter brachium ſanctæ Luciæ munitum & incaſſatum in argento. In Aptenſi etiam civitate à ſolo ædificavit & etiam dotavit monaſterium monialium ordinis Ciſtercienſis, & in Montepeſſulano collegium Canonicorum regularium ſub nomine ſancti Rufi, in quo conſtituit certum numerum Canonicorum qui Deo ibi ſervirent, & nihilominus intenderent circa ſtudia litterarum; dotavitque collegium hujuſmodi de redditibus & proventibus ſatis ſufficientibus ad ſuſtentationem dictorum Canonicorum; quibus etiam providit de pluribus bonis libris ac aliis ornamentis pro divino ſervitio & ſui continuatione ſtudii neceſſariis & opportunis.

Et eodem currente tempore fuit prælium inter Gaſtonem Comitem Fuxi & Iohannem Comitem Armaniaci; in quo idem Gaſto extitit victor, habuitque captivos tam dictum Iohannem quàm ferè omnes majores & nobiliores bellatores ſuos. Fuerunt etiam multi ex utraque parte interempti.

Poſt dictam etiam promotionem Vrbani Papæ ad ipſum ſatis citò venerunt Iohannes Francorum, Petrus Cypri, & Daciæ Reges cauſa ipſum viſitandi ſibique reverentiam exhibendi; qui demum cum ſuis voluntate & de-

liberatione & consilio ad faciendum generale passagium ultramarinum, & specialiter contra Turcos, se mutuò astrinxerunt, fueruntque cum multis aliis magnis & notabilibus viris cruce signati per dictum Papam; qui etiam pro tunc crucem contra dictos Turcos prædicavit, ordinans dictum generale passagium, cujus capitaneum constituit præfatum Iohannem Francorum Regem personaliter onus hujusmodi in se suscipientem; cui etiam adjunxit Dominum Talayrandum de Petragorio Episcopum Albanensem Cardinalem, quem Legatum de latere ordinavit secum profecturum pro passagii hujusmodi prosecutione. Fuitque pro tunc de consensu unanimi prædictorum missus dictus Petrus Rex Cypri ad partes occidentales causa exhortandi & inducendi earum principes ut vellent se accingere ac disponere ad passagium memoratum.

Circa idem verò tempus Iohanna Regina Siciliæ nupsit cum Iacobo Rege Majoricarum verbo tenus, cùm regnum suum totaliter teneretur per Regem Arragonum.

Eodem tempore dictus Vrbanus processus suos fecit contra Barnabonem & Galeacium de Vicecomitibus Mediolani, qui pro tunc occupabant aliquas terras ad jus & dominium seu proprietatem Romanæ Ecclesiæ pertinentes. Sed demum interponentibus se aliquibus actum est de concordia inter eos. Pro cujus tractatu & etiam regimine dictarum terrarum & aliquarum aliarum terrarum missus est ad partes Italiæ Legatus de latere præfatus Dominus Androinus de Rocha tituli sancti Marcelli Presbyter Cardinalis, per cujus ministerium facta fuit pro tunc dicta concordia inter eundem Papam & dictos Mediolanenses, fueruntque ipsi sibi & Ecclesiæ reconciliati.

Pro tunc etiam fuit quidam nobilis Alamannus, dictus Adulphus de Marcha, qui mirabiliter & inauditè Romanam Ecclesiam decepit atque illusit. Fuerat enim per eam primò ad Monasteriensem, & demum ac successivè ad Coloniensem promotus Ecclesias; quibus cùm aliquandiu præfuisset, licèt nondum in sacris constitutus, se ad laicalia vota transferens, præfatæ Coloniensi Ecclesiæ, cui ultimò præsidebat, renuntiavit liberè, matrimonium contrahendo; cui per dictum Vrbanum datus fuit in successorem Engilbertus tunc Episcopus Leodiensis.

Anno MCCCLXIV. in mensibus Ianuarii, Februarii, & Martii fuerunt quasi generaliter frigora intensissima geluque fortissimum, adeo quòd tam Rhodanus quàm alia flumina ita constricta fuere quòd super eis equites & quadrigæ etiam multùm oneratæ transitum haberent solidum & securum; duravitque in tantum quòd ejus nimia rigiditate seu fortitudine vites & arbores fructiferæ, & præsertim amigdali, & olivæ quamplurimæ, fuerunt perditæ & totaliter mortificatæ seu desiccatæ, immo & multæ per medium scissæ & confractæ.

Eodem tempore sociales quamplurimi totum ferè regnum Franciæ & præsertim in lingua occitana occupabant, discurrebant, & totaliter destruebant, cùm in ipso detinerent loca multa, immo & de die in diem alia noviter capiebant pro suæ libito voluntatis, à quibus nec expelli poterant, nec etiam erat qui eorum posset resistere potestati; fiebantque per ipsos mala & damna infinita in personis, locis, & rebus tam ecclesiasticis quàm mundanis. De quibus dictus Vrbanus Papa, prædictis ad sui notitiam & auditum perductis, valde stupuit doluitque, ac regno, locis, & personis ex his afflictis & turbatis pio affectu compatiens, eis posse tenus, quantum ad suum spectabat officium, obviare & occurrere decrevit; fecitque processus ac fulminavit

navit sententias contra ipsos eorumque fautores & receptatores ac eis qualitercunque verbo aut facto participantes, sive dantes consilium vel juvamen, ministrantesque ipsis quæcunque victualia aut necessaria quocunque titulo sive causa; hortatusque est & induxit omnes fideles ut adversùs eos insurgerent tanquam contra hostes Christi & fidei, immo & totius generis humani, certas etiam indulgentias spirituales eos persequentibus concedendo. Quibus ubicunque divulgatis, ipsis perprius faventes utplurimum se ab ipsis retraxerunt, ac omnes per eos oppressi & conturbati adversùs eos adeo animati sunt quòd alter alterum non expectando in eos & loca quæ occupabant unanimiter ac sic viriliter & subitò irruerunt quòd plura loca ad quæ se reduxerant, quamquam utplurimum fortia, immo & aliqua inexpugnabilia, satis faciliter & cum modicis insultibus per eos capta sunt & demolita, ac demum in eis inclusi trucidati; alii verò per longam obsidionem fame & siti in eis existentes macerati exire & deserere sunt coacti. Sicque per Dei gratiam &, ut creditur, ob merita dicti summi Pontificis actum est quòd in satis brevi tempore sociales hujusmodi terras & loca quæ sic per eos opprimebantur cum maximo discrimine dimittere & se ad alia divertere sunt compulsi, non tamen omnes, cùm eorum quamplurimi gladio, fame, igne, ac inedia fuerint interempti, prout etiam eorum demerita exigebant; & sic regio prædicta satis vel saltim plus solito tunc in pace quievit.

Anno eodem, die decima septima Ianuarii, obiit Iohannes Rex Francorum in Anglia, ad quam redierat postquam semel fuerat liberatus & Regi Angliæ suo adversario pacificatus, causa perficiendi & totaliter exequendi ea quæ inter ipsos ordinata fuerant & conventa cùm inter ipsos pax & concordia facta fuerat. Successitque sibi in regno Karolus suus filius primogenitus, tunc Dux Normanniæ & Delphinus Viennensis; qui eodem anno, die decima nona Maii, qua fuit solemnitas Trinitatis, Remis extitit coronatus.

Eodem ferè tempore nuntii Romanorum venerunt Avinionem ad prædictum Vrbanum Papam, petieruntque inter alia ut Romam cum sua curia se transferret. Qui eorum petitioni benigniter annuit, dixitque eis circa eam taliter Deo duce se facturum quòd ipsi deberent meritò contentari. Pro tunc tamen circa illud eis aliquid aliud non specificavit.

Anno sequenti, (qui fuit LXV.) mense Maii Karolus Romanorum Imperator venit Avinionem ad dictum Vrbanum Papam cum magna comitiva principum & nobilium Alamannorum, & ornatus insigniis imperialibus, per ipsum Papam & Cardinales fuit valde notabiliter & honorificè receptus; & die sancto Pentecostes tunc occurrente, dicto Papa solemniter celebrante, astitit in habitu imperiali diademate coronatus, in manu dextra sceptrum gestans. Deinde ivit Arelatem, cujus regnum ad ipsum spectabat, ubi se fecit in Regem per Archiepiscopum coronari. Tandem verò habitis multis colloquiis inter Papam & ipsum tam super statu Ecclesiæ quàm imperii, rediit ad propria cum bonis pace, amore, & favore Vrbani Papæ prædicti.

Paulò verò post recessum dicti Imperatoris Arnaldus de Servola, vulgariter Archipresbyter de Verniis nominatus, natione Vasco, coadunatis sibi aliis quamplurimis tam propriæ quàm aliarum diversarum nationum, tanquam sociales, Alsaciam partem Alamanniæ intraverunt, personas captivando, igne & gladio omnia consumendo. Ex quo inter principes & in-

colas Alamanniæ commotio seu turbatio fuit non modica exorta, præsertim quia suspicati sunt quòd hæc fiebant de consensu seu conniventia dicti Imperatoris; aggregatique fuerunt ad invicem & disposuerunt se ad eis viriliter resistendum ac eis impediendum ne ulteriùs progrediendo flumen Rheni possent transire. Quod prædicti audientes, sentientesque adversùs eos se prævalere non posse, retrocesserunt, multis tamen damnis illatis & etiam receptis, & se ad partes Galliæ reduxerunt; ubi satis citò pòst per aliquos ex suis crudeliter interfectus est Archipresbyter memoratus, prout etiam ejus demerita bene exigebant. Et hic notanter inserendum est quòd capitanei talium societatum utplurimum morte simili aut crudeliori tam perprius quàm ex pòst mortui fuisse referuntur. In quo Deus signanter ostendit quòd malam vitam sectantes seu ducentes ad eam similiter finiendam disponuntur, juxta illud evangelicum: *Qui gladio feriet, gladio peribit.*

Eodem etiam tempore cùm Leopoldus Dux Austriæ secundò genitus inter suos fratres filiam Barnabonis de Vicecomitibus Mediolani desponsasset uxorem, Radulphus ejus frater primogenitus Mediolani existens de fluxu ventris satis inopinatè mortuus est. An autem naturaliter vel dolosè, varii varia sunt locuti. Hoc tamen Dei judicio relinquatur.

Pro tunc etiam Petrus Rex Cypri videns quòd passagium ultramarinum perprius ordinatum cum Iohanne Rege Franciæ & aliis suprà nominatis progressum seu effectum habere non poterat propter dicti Iohannis Regis & etiam Cardinalis Legati ad hoc ordinati obitus, qui paulò antè supervenerant, coadunatis sibi quamplurimis notabilibus personis ad arma doctissimis, aggressus est Alexandriam civitatem, eamque vi armorum cepit die undecima mensis Octobris anni prædicti sexagesimi quinti. Considerans tamen quòd ipsam diutiùs tenere non poterat, cùm suus exercitus esset satis modicus & impotens ad resistendum infidelibus, qui in manu forti & innumera multitudine adversùs eum se disponebant, ipsam dimittere decrevit, & priùs bonis ipsius datis in prædam suis commilitonibus, eam pro majori parte incendio concremavit, & sic retrocessit ad propria.

Per idem tempus Philippus junior inter filios præfati Iohannis Regis Franciæ Margaritam filiam Ludovici Comitis Flandriæ relictamque Philippi Ducis Burgundiæ duxit in uxorem; qui etiam jure sui partagii à dicto Iohanne patre suo in donum habuerat ducatum Burgundiæ, qui ad ipsum patrem ratione propinquitatis seu successionis devenerat per obitum dicti Philippi ultimi Ducis, qui obierat nulla ex se sobole relicta. Suam autem dictam uxorem respiciebat universalis successio paterna & avitina; in qua veniebant comitatus Flandriæ, Burgundiæ, Artesii, Nivernensis, & Restellensis, ac baronia de Salinis. Et idem erat de materna; in qua veniebat ducatus Brabantiæ post decessum amitæ suæ Ducissæ, de cujus posteritate spes nulla erat. In istorum autem matrimoniali copulatione necessaria fuit apostolica dispensatio propter consanguinitatem qua satis de proximo jungebantur, quam memoratus Vrbanus Papa gratiosè & favorabiliter concessit, licèt eam perprius Regi Angliæ in personam unius ex suis filiis denegasset. In quo nullam sibi fecit injuriam, cùm hoc non à justitia, sed à sui mera gratia dependeret, & sic sibi licuit prout sibi placuit alteri concedere & sibi denegare. Et quòd sic factum fuerit à Deo creditur ordinatum. Si enim domus Angliæ ad successiones venisset memoratas, quæ admodum potentes

sunt adeoque latæ quòd majorem partem regni circumeunt aut contingunt, aut domus Franciæ statim ex toto absorpta fuisset, aut in tribulationibus, turbationibus, guerris, & dissensionibus domus utraque perpetuò remansisset; ex quibus quot mala secuta fuissent indicant illa quæ huc usque secuta sunt occasione ducatus Aquitaniæ, super quo tamdiu ad invicem disceptarunt. Quibus si modo præmisso dictus Vrbanus Papa occurrere & obviare decrevit, quod debuit fecit; primò obviando destructioni regni Franciæ, cujus Reges hactenus continuè fuere Romanæ Ecclesiæ manutentores & speciales defensores; secundò occurrendo turbationibus, guerris, & dissensionibus jam prætactis, cùm ad suum spectaret officium talibus viam præcludere & eam nullatenus aperire.

Per idem ferè tempus fuit prælium inter Karolum de Blesis & Iohannem Comitem de Monteforti super ducatu Britanniæ contendentes; in quo dictus Iohannes victor extitit, & fuit præfatus Karolus occisus; de cujus canonizatione demum instantissimè actum est ad Regis Franciæ procurationem, cùm fuerit homo multùm virtuosus, honestæ conversationis, & laudabilis vitæ; ferebaturque tam vivus quàm mortuus multis miraculis coruscare. Ducatum tamen prædictum per ipsum tunc usque pro majori parte possessum ab inde obtinuit Iohannes memoratus per Regem Angliæ suffultus & adjutus.

Dicto etiam tempore currente Amedeus Comes Sabaudiæ cepit Galliopolim, ipsam eripiens de manibus Turcorum, quam demum tradidit Imperatori Græcorum consanguineo suo.

Per idem etiam tempus præfatus Vrbanus Papa publicavit seu manifestavit suam intentionem super accessu suo & translatione curiæ versùs Romam; destinavitque certos nuntios tam Viterbium, ubi primò declinare & aliquandiu morari intendebat, quàm Romam, causa disponendi & ordinandi necessaria, reparandique sua palatia, & libratas pro Dominis Cardinalibus dividendi; & ad hoc assignavit seu ordinavit terminum tempus paschale immediatè post secuturum.

Eodem anno, (qui pro tunc currebat MCCCLXVI.) dictus Vrbanus Papa die XVIII. mensis Septembris, quæ fuit feria sexta quatuor temporum, tres creavit novos Presbyteros Cardinales, videlicet Dominos fratrem Guillelmum Sudre Tutellensis diocesis ordinis Prædicatorum tunc Episcopum Massiliensem, Anglicum Grimoardi fratrem suum tunc Episcopum Avinionensem suprà nominatum, & fratrem Marcum de Viterbio Italicum tunc generalem ministrum ordinis fratrum Minorum.

Postea verò circa principium anni LXVII. ivit ad Montempessulanum causa videndi & visitandi monasterium quod in honore sanctorum Benedicti & Germani à solo suis magnis sumptibus ædificaverat & solemniter dotaverat pro sustentatione certi & notabilis numeri monachorum jam per eum ibidem instituti & ordinati, partim ut divinis insistant officiis, & partim in litterarum studiis vacent pariter & intendant. Ipse enim tunc in propria altare majus hujus monasterii consecravit ac magnis privilegiis decoravit, & multis reliquiis, ornamentis, & jocalibus pretiosis adornavit.

Per eadem tempora cùm Petrus Rex Castellæ in suos inhumaniter desæviret, nunc unum jugulando, nunc alium mutilando, & quemque suis bonis spoliando, & alias generaliter eos persequendo, ejusque furore perterriti quamplurimi à suo regno exularent, essetque odium innatum, immo & irradicatum inter eos, saltim pro majori parte, fuit tractatus habitus ut expel-

lererent eum à regno suo. In quo consentientibus multis tam nobilibus quàm ecclesiasticis & popularibus, fuit vocatus, introductus, receptus, & admissus in Regem Henricus Comes de Trastamara suus frater naturalis, qui pro tunc à facie ejus fugiens tanquam profugus hinc inde vagabatur; qui satis citò sequaces multos habuit, & quasi ex toto obtinuit dictum regnum. Et cùm dictum Petrum Regem persequeretur, & ille pro tunc non haberet ad quem confugeret, cùm perprius ferè omnibus fuisset plusquam hostis & capitalis inimicus, clam habuit regnum ipsum deserere; venitque ad Regem Angliæ & Edoardum Principem Valliæ & Aquitaniæ primogenitum suum, thesauros innumerabiles secum ferens, petens eorum consilium & juvamen. Qui mediantibus thesauris prædictis secum confœderati sunt, sibique favoribus & auxiliis opportunis assistere promiserunt. Pro quorum majore firmitate dedit duas filias suas, quas secum duxerat, in conjuges duobus filiis Regis Angliæ memorati; ordinavitque earum primogenitam, quam recepit Iohannes Dux Lencastriæ, sibi debere succedere in suo regno, ubi ipsum decedere contingeret sine masculo legitimo & naturali. Quibus peractis, Edoardus Princeps prædictus cum magno exercitu armatorum ipsum secum ducens dictum regnum intravit, dictoque Henrico victo in prælio, fugæ tamen præsidio liberato, vi armorum intra paucos dies ipsum ad statum suum dictique regni sui regimen restauravit; & sic ipso ibidem relicto, triumphator gloriosus ad propria remeavit.

Circa idem tempus vacavit Ecclesia Cassinensis, quam dictus Vrbanus Papa ad abbatiam reduxit, prout antiquitus fuerat usque ad tempus Papæ Ioannis XXII. qui eam in sedem episcopalem erexit. Ad quod faciendum dictus Vrbanus motus fuisse dicitur ut religio monachorum nigrorum, quæ ibidem exordium habuit, ibi meliùs servaretur. quod æstimavit posse fieri sub Abbatis regimine quàm Episcopi convenientiori modo.

Eodem anno (scilicet MCCCLXVII.) die ultima mensis Aprilis præfatus Vrbanus Papa recessit de Avinione gressus suos dirigens versùs Romam. Et cùm applicuisset Massiliam, declinavit ad monasterium sancti Victoris, cui dudum præfuerat; quòd cùm priùs esset vetustate consumptum, minareturque ruinam in multis, ex quo ad papatum assumptus fuerat, multimodè fecerat renovari & reparari, murisque ac turribus altis claudi, circui, & fortificari, magnis etiam privilegiis decoraverat, & multis adornaverat reliquiis, jocalibus, & ornamentis pretiosis.

Ibidem insuper existens, die videlicet duodecima mensis Maii anni prædicti, assumpsit in Presbyterum Cardinalem Dominum Guillelmum de Agrifolio decretorum Doctorem, tunc sedis apostolicæ Notarium, jam sacerdotem. De quo non modicùm quamplurimi fuerunt admirati, cùm esset satis juvenis, nondum attingens annum XXVIII. ætatis suæ, & de ejus promotione, saltim ad illum statum, pro tunc nullatenus speraretur. Sed ad hoc faciendum motus fuisse dicitur consideratione Domini Guillelmi de Agrifolio senioris tituli sanctæ Mariæ in Trans Tyberim Presbyteri Cardinalis, cujus ipse Papa socius & familiaris fuerat cùm in minoribus existebat, & qui post Deum dictæ suæ assumptionis in Papam dicebatur fuisse præcipuus promotor & auctor, cujus dictus Dominus Guillelmus nepos existebat. Qui etiam in studio, in quo à sua adolescentia usque tunc versatus fuerat, bonæ famæ, vitæ laudabilis, & conversationis honestæ, ac inter

alios suos coætaneos satis esse sufficiens communiter ferebatur; eratque speciosus forma, statura decorus, & aliàs bene dispositus ad omne bonum.

Die verò vicesima dicti mensis idem Vrbanus Papa de Massilia exiens intravit mare cum mirabili apparatu galearum & aliorum navigiorum, de quibus honorifice valde sibi providerant Iohanna Regina Siciliæ, Veneti, Ianuenses, & Pisani; iterque suum persequens, die quarta sequenti prosperè applicuit Ianuæ, ubi fuit tam in portu quàm civitate per Ducem & cives solemniter receptus & debitè honoratus. Et quia pro tunc erant dies Rogationum, instabatque dies Ascensionis Domini, ibidem per illos remanere decrevit; & interim equitando per dictam civitatem, Ecclesiam majorem visitavit, & demum pro sua mansione descendit ad domum sancti Iohannis Hierosolymitani, in cujus Ecclesia in dicta die Ascensionis Domini solemniter celebravit. Et in crastino iter suum continuando abinde discessit, relicto ibidem Domino fratre Marco de Viterbio tituli sanctæ Praxedis Presbytero Cardinale pro sedandis guerris & dissensionibus quæ pro tunc vigebant inter dictam civitatem & Bernabonem de Vicecomitibus Mediolani; & divino sibi assistente præsidio pervenit feliciter ad portum seu plagiam Corneti die quarta mensis Iunii subsequentis circa ortum solis. Vbi mari exiens sibi obviam habuit Dominum Ægidium Alvari Hispanum Episcopum Sabinensem Cardinalem, tunc sedis apostolicæ Legatum in provinciis illis, concomitatum ferè omnibus notabilibus & magnatibus terrarum Ecclesiæ ac Prælatis & aliis quamplurimis armatis aut inermibus, prout eorum cujuslibet conditio seu qualitas exigebat. In litore autem parata fuerunt tentoria tam de pannis sericis quàm de frondibus seu ramis arborum virentium magna amœnitate decora; quæ cùm dictus Pontifex fuisset ingressus, ac in ipsis aliqualiter quievisset, parato ibidem altari Missam cum nota solemniter fecit coram se decantari. Qua finita, equum ascendit, venitque Cornetum hora prandii ad domum Minorum declinando, ubi mansit usque in crastinum diei instantis Pentecostes, in qua ipse ibidem solemniter celebravit. Veneruntque ad eum solemnes nuncii Romanorum pro eorum parte sibi plenum dominium urbis offerentes, ac claves castri sancti Angeli per ipsos priùs detenti secum deferentes. Ab inde autem recedens die nona dicti mensis intravit Viterbium, ubi fuit cum magno gaudio & solemnitate receptus. Veneruntque ad eum ibidem paulò pòst tam Domini Cardinales, qui post eum per terram iter suum prosecuti fuerant, quàm universaliter nobiles & magnates Prælatique & communitates partium Italiæ de suo adventu gaudentes.

Die autem XXIV. mensis Augusti immediatè suum dictum adventum subsequente obiit in Viterbio præfatus Dominus Ægidius Alvari Episcopus Sabinensis Cardinalis, vir utique vitæ laudabilis, immo etiam indelebilis in æternum. Fuit namque Legatus in dictis partibus continuè ferè per quatuordecim annos. Et licèt à principio repererit civitates, loca, castra, & terras quæ ad dominium, jus, & proprietatem Romanæ Ecclesiæ spectabant, sub manibus consistere tyrannorum, castris Montisflasconis & de Montefalco duntaxat exceptis, tamen divino fretus auxilio sic operatus est, nunc per tractatus amicabiles, nunc verò per insultus hostiles, quòd ferè omnia ad obedientiam dictæ Ecclesiæ suo tempore suoque ministerio sunt reducta; in quibus etiam castra, rochas, & alias munitiones utplurimum aut noviter fecit ædificari, aut quæ

hactenus fuerant renovari, ut essent in posterum in defensionem fidelibus, rebellibus verò ad offensionem & terrorem. Fuit insuper homo admodum virtuosus, litterarum scientia præditus, in agibilibus multùm circumspectus, corde magnanimus, corpore laboriosus, ac in factis armorum, non omissa pontificali decentia, valde doctus & expertus; scivitque in omnibus sic & taliter se gerere quòd in tota Italia vivens amabatur, aut saltim timebatur. Ipse verò de bonis à Deo sibi datis constituit, dotavit, & fundavit Bononiæ unum solemne collegium pro pauperibus scholaribus regionis suæ; pluraque alia bona fecit pro salute animæ suæ. Ejusque obitus fuit multùm toti Ecclesiæ damnosus & præfato Vrbano Papæ displicibilis & onerosus atque dolorosus, præsertim in sui dicti adventus principio, cùm speraret in suis agendis per eum utplurimum dirigi & juvari.

Pòst verò paucis elapsis diebus fuit rumor in Viterbio. Insurrexerunt enim cives contra curiales, domusque aliquorum Cardinalium hostiliter invaserunt. Propter quod tam illi quàm ferè alii omnes, Italicis exceptis, pro sui securitate se reduxerunt in palatio cum Papa, ubi manserunt per tres dies quibus duravit dictus rumor. Tandem verò dicti cives se malè egisse cognoscentes misericordiæ & voluntati Papæ se submittentes, in signum emendæ & culpæ recognitionis omnia arma dictæ civitatis cum catenis quibus carreriæ claudebantur ad dictum palatium portaverunt; erectisque patibulis in locis in quibus hujusmodi rumor ortum habuerat aut magis invaluerat, in eis culpabiliores suspenderunt. Et sic Papa cum ipsis mitè agens eis pepercit, rumorque cessavit, nec ex tunc aliquid mali contra dictos curiales egerunt.

Dicto etiam tempore currente Dominus Sugerius Gomecii Archiepiscopus Compostellanus concertans cum vassallis suis super juribus Ecclesiæ suæ fuit per eos crudeliter interfectus cum aliquibus officiariis suis.

Dicto Vrbano adhuc Viterbii existente, venerunt ad ipsum memoratus Amedeus Comes Sabaudiæ & Patriarcha Constantinopolitanus & aliqui alii viri notabiles missi pro parte Imperatoris Constantinopolitani, pro sui parte eidem Papæ promittentes ipsum rediturum ad Romanæ Ecclesiæ unitatem & super hoc breviter personaliter venturum ad ipsum Papam.

Qui Papa de Viterbio recedens die decima sexta mensis Octobris Romam intravit, occurrentibus sibi clero & populo Romanis, ipsumque solemniter recipientibus cum magno gaudio, ac Deum laudantibus de jucundo adventu suo. Postquam verò in Ecclesia beati Petri suam fecit orationem, ac in cathedra papali fuit more solito collocatus, declinavit ad palatium suum dictæ Ecclesiæ contiguum, quod priùs vetustate ac inhabitatione quasi consumptum & dirutum, saltim quoad tecta, opere mirabili fecit renovari. Die verò ultima dicti mensis, quæ fuit dies dominica in vigilia omnium sanctorum, primum in altari beati Petri Missam solemniter celebravit, & ibidem consecravit in Episcopum Sabinensem prænominatum Dominum Guillelmum de Agrifolio, qui longis temporibus antè non consecratus tituli sanctæ Mariæ in Trans Tyberim Presbyter extiterat Cardinalis. In dicto autem altari à tempore Bonifacii Papæ VIII. non fuerat celebratum propter diutinam absentiam summorum Pontificum, qui in ipso tantùm sunt soliti celebrare.

Satis citò post introitum suum in Roma præfatus Vrbanus Papa constituit Vicarium generalem pro regimine terrarum Ecclesiæ præfatum Dominum

Anglicum Grimoardi fratrem suum jam per ipsum factum Episcopum Albanensem Cardinalem, quem hac de causa destinavit Bononiam, voluitque quòd ibi suam continuam faceret mansionem.

Destinavit insuper dictum Dominum Guillelmum Sabinensem Episcopum Cardinalem ad partes Neapolitanas causa sedandi discordias & guerras pro tunc vigentes inter Principem Tarenti & Ducem Andriæ, ex quibus ferè tota illa regio mirabiliter turbabatur.

Anno Domini M CCCLXVIII. jam inchoato, die prima mensis Martii, dictus Vrbanus Papa venit ad Ecclesiam Lateranensem; ubi cùm in crastinum in sancta sanctorum Missam celebrasset, capita beatorum Petri & Pauli, quæ annis multis fuerant recondita, & sub altari in quo Missam celebraverat clausa servata, ascendens amphitheatrum dictæ Ecclesiæ ad communem plateam aspectum habens, toti Romano populo ibi astanti exhibuit & ostendit. Et cùm thecæ seu capsæ in quibus pro tunc erant reposita essent satis modici & parvi valoris, ex tunc alias novas ordinavit fieri pretiosiores. Ab inde verò ad palatium remeavit pacificè & quietè per urbem equitando rectamque viam tenendo; nec obliquavit hinc vel inde, etiam occasione illius fatuæ mulieris quæ aliquandiu papatum dicitur occupasse, & in eadem via abortum faciendo peperisse refertur, quemadmodum aliàs nonnulli ex suis prædecessoribus fecisse leguntur.

Præterea eodem mense ad ipsum Romam venerunt Iohanna Regina Siciliæ & Petrus Rex Cypri superiùs memorati. Et cùm tunc occurrerit Dominica *Lætare Ierusalem*, in qua consuevit dari per Papam rosa aurea viro notabiliori tunc in curia existenti, dictam rosam memoratæ Iohannæ, tanquam notabiliori, majori, & excellentiori, licèt vir non existeret, dedit, Regi prædicto ipsam in hoc præferendo; quæ more solito demum cum Cardinalibus & aliis nobilibus per urbem equitavit.

Eodem anno, tempore æstivo instante, idem Vrbanus deliberavit se transferre ad Montemflasconis, ubi aër purus est & sanus; fecitque ejus palatium, utique satis pro tunc ruinosum, collapsum, & deforme, reparari, renovari, & mirabiliter adaptari, ac novis officinis decorari. Et cùm locus ipse non haberet aquas potabiles nisi cisternales ab intra, in medio villæ puteum magnum & altum fodi & fieri fecit aquam abundanter proferentem. Cùmque ad dictum locum pervenisset, adeo in ipso delectatus est quòd moram suam in eo se velle facere etiam in æstatibus futuris ordinavit, audientia tamen causarum in Viterbio residente, cùm locus ipse pro tota curia non existeret bene capax. Volens insuper locum ipsum peramplius honorare, sedem episcopalem in ipso constituit, & Ecclesiam collegiatam in honorem beatæ Margaritæ dedicatam ejusdem loci matricem in cathedralem erexit, & à jurisdictione & subjectione Episcopi Balneoregensis, de cujus diocesi perprius existebat, ipsam eximendo subtraxit, eidem novum Episcopum præficiendo.

Eodem anno die XXVI. mensis Iulii obiit in dicto loco Dominus Nicolaus de Capocia Episcopus Tusculanus Cardinalis Romanus, vir utique magnæ litteraturæ, zelator maximus justitiæ, & pauperum continuus sustentator. Diebus enim singulis per hospitalia panem, vinum, & alia cibaria de & in domo sua præparata abundanter faciebat distribui & pauperibus ministrari. Vltra quæ de ipso duo laudabilia notanter referuntur. Primò quòd in consistoriis & consiliis sic liberè & intrepidè locutus est quòd propter neminem

sive præsentem sive absentem omisit dicere illud quod sua conscientia sibi dictabat. Secundò, cùm esset valde practicus in decisione & prosecutione causarum, amore Dei & pietatis intuitu pauperibus litigantibus, quos sciebat justas fovere causas, consilia dabat, eorum processus videbat, positiones & articulos ac alia eis ad hoc opportuna dictabat, formabat, & ordinabat, salaria etiam notariorum, procuratorum, & advocatorum de proprio ministrabat, & etiam quandoque victui necessaria, secundùm quod eorum inopia exigebat. De bonis etiam à Deo sibi datis in studio Perusiensi fundavit & dotavit notabile collegium pauperum scholarium, quod sanctæ Sophiæ voluit nominari. Fecitque etiam multa bona Ecclesiæ sanctæ Mariæ majoris de urbe, ubi jacet miraculis coruscando.

Eodem anno ex ordinatione apostolica & voluntate dicti Urbani Papæ corpus sancti Thomæ de Aquino, quod à tempore obitus sui tumulatum remanserat in monasterio Fossænovæ ordinis Cisterciensis, ubi decessit, translatum fuit ad conventum Prædicatorum Tolosæ; ubi per ministerium fratris Heliæ Raymundi tunc generalis magistri dicti ordinis, (qui dictum corpus à præfato monasterio, licèt cum inani gloria, priùs extraxerat) fuit sibi sepulchrum miræ pulchritudinis præparatum, habeturque ibi usque in præsens tempus in magnis devotione & veneratione.

Eodem etiam anno, in die nativitatis beati Iohannis Baptistæ, dictus Urbanus Papa de consilio Cardinalium fratrum suorum ordinavit quòd in Missa dictæ festivitatis & per octavas ejusdem diceretur in antea *Credo in unum Deum*, quod perprius non fiebat secundùm antiquas regulas. Licèt enim non fuerit de numero Apostolorum, non tamen reputandus est ipsis fuisse minor, & sic ejus festivitas in hoc non debet minùs honorari.

Eodem anno, die XXII. mensis Septembris, quæ fuit feria sexta quatuor temporum, præfatus Urbanus Papa in Monteflascons Dominos Guillelmum Iudicis sanctæ Mariæ in Cosmedin & Stephanum Alberti sanctæ Mariæ in Aquiro antiquos Diaconos Cardinales in Presbyteros ordinavit; & eadem die septem alios in Presbyteros Cardinales noviter assumpsit, videlicet Dominum Philippum Cabassole Avinionensem tunc Patriarcham Hierosolymitanensem, Simonem de Langan Anglicum tunc Archiepiscopum Cantuariensem monachum ordinis sancti Benedicti, Bernardum de Bosqueto Caturcensem tunc Archiepiscopum Neapolitanum, Iohannem de Dormannis Gallicum tunc Episcopum Belvacensem & Cancellarium Regis Franciæ, Stephanum de Parisius Gallicum tunc Episcopum Parisiensem, Petrum de Banhaco diocesis Lemovicensis tunc Abbatem Montismajoris, & Franciscum de Tebaldeschis Romanum tunc Priorem basilicæ sancti Petri de Urbe.

Eodem anno Leonellus filius secundogenitus Regis Angliæ Dux Clarenciæ duxit in uxorem filiam Galeacii de Vicecomitibus Mediolani; venitque ad civitatem Papiensem, in qua modico tempore pòst supervixit.

Eodem anno de mense Octobri Karolus Romanorum Imperator venit Viterbium ad dictum Urbanum Papam; ad cujus requestam cum magno exercitu intravit Italiam, invasores & occupatores terrarum Ecclesiæ & oppressores debellaturus. Veniensque Veronam, cum nobilibus de Scala pecuniis & pactis intervenientibus concordavit. Deinde contra Mediolanenses acies suas direxit, sed tandem nihil profecit. Propter quod iter suum continuare habuit versùs dictum Papam;

pam; quem cùm Viterbii, ut præmittitur, adiisset, ex ordinatione inita versùs Romam eum præcessit, ipsumque pòst sequentem expectavit in introitu urbis; ibique, scilicet in porta quæ est juxta castrum sancti Angeli, de suo equo descendens, stratoris vicem gessit, ac usque ad basilicam beati Petri pedester equi Papæ frænum tenens ipsum adextravit, ac demum usque ad altare majus deduxit. Mansitque in Roma expectando adventum Imperatricis; quam demum die omnium sanctorum in altari beati Petri dictus Vrbanus Papa, perprius inunctam per Episcopum Ostiensem Cardinalem, prout moris est, coronavit. Quo facto, dictus Imperator satis citò pòst recessit de Vrbe versùs Bononiam dirigens gressus suos, secumque duxit ex ordinatione Papæ Dominum Guidonem de Bolonia Episcopum Portuensem Cardinalem; quem discedendo de Italia suum vicarium constituit, & in Luca suam mansionem ordinavit.

Dicto etiam anno, die tertia mensis Decembris, quæ fuit prima Dominica adventus Domini, natus est Karolo V. Regi Francorum filius, cui nomen suum, scilicet Karolus, impositum est; fuitque in ejus nativitate magnum gaudium toti regno, cùm pro tunc nulla spes esset quòd ipse prolem esset habiturus.

Anno Domini MCCCLXIX. die XV. mensis Aprilis Romæ dictus Vrbanus Papa canonizavit & sanctorum confessorum catalogo annotavit sanctum Alziarium quondam Comitem Ariani natione Provincialem, multis & magnis miraculis coruscantem; in cujus commendationem fecit sermonem valde solemnem & audientibus multum utilem & ædificativum.

Eodem currente tempore contigerunt multa magnalia immo & terribilia ferè in toto mundo. Nam Ludovicus Dux Andegavensis, tunc Locumtenens Regis Francorum in partibus occitanis, conatus usurpare Provinciæ comitatum hostiliter invasit, ac per Rhodanum obsedit & demum cepit locum de Tarasco, ab inde ulteriùs progredi & procedere intendens in usurpatione memorata; sed per mediationem dicti Vrbani Papæ, qui per nuntios suos circa hoc se interposuit, à suo hujusmodi proposito totaliter destitit, & locum prædictum dereliquit.

Henricus etiam Comes de Trastamara frater naturalis Petri Regis Castellæ, qui, ut suprà scriptum, bello victus in fugamque conversus regnum Castellæ, quod semel usurpavit, fuerat compulsus exire, viribus resumptis, coadunatis sibi aliis quampluribus ad bella doctissimis, præsertim illis quos dictus Karolus Rex Francorum sub ducatu militis incliti Bertrandi de Clakin Conestabularii sui in ejus subsidium & adjutorium ordinaverat, regnum prædictum reintravit, dictumque Regem Petrum, qui propter sui tyrannidem ac atrocitatem maximam, quas inhumaniter in suos diutiùs exercuerat, paucos sibi fideles habebat, adeo viriliter & intrepidè persecutus est quod satis citò ipsum cepit & manibus propriis interfecit, & ab inde regnum ipsum obtinuit & possedit, nomen Regis sibi etiam assumendo; nec fuit qui in his sibi tunc non applauserit, vel saltim attentaverit suæ resistere potestati. Et sic hereditas Isaac ad Ismaëlem est perducta. Quod an justè vel injustè Dei est discernere, cujus judicia sunt abyssus multa.

Petrus insuper Rex Cypri suprà sæpius nominatus, qui ultra omnes Reges & Principes suos contemporaneos ad recuperationem & acquisitionem terræ sanctæ aspiraverat, & ad hoc alios multos incitaverat & induxerat, pro viribusque suis infideles multimodè expugnaverat, totus etiam bonus, virtuosus, & animosus, velut alter

justus Abel vel Ioseph innocens, per operationem & machinationem fratrum suorum fuit malitiosè & crudeliter interemptus.

Fuit præterea denuo suscitata guerra inter Reges Franciæ & Angliæ occasione ressorti seu superioritatis ducatus Aquitaniæ, in quo absque hujusmodi recognitione pro tunc dominabatur Edoardus Princeps Valliæ, qui in signum denegationis superioritatis hujusmodi etiam se Principem Aquitaniæ faciebat nominare. Cùmque etiam per ipsum aut officiarios suos in dicto ducatu gravamina inferrentur, non erat qui provocare præsumeret aut quomodolibet appellare. Si quis enim hoc attentaret, gravissimè puniebatur personaliter vel in bonis. Ex quo Prælati, magnates, nobiles, communitates, & generaliter omnes dicti ducatus se meritò gravatos æstimantes, & ampliùs in posterum gravari formidantes, quasi communicato consilio, saltim pro majori parte, deliberaverunt præmissis posse tenus obviare; habueruntque recursum ad Regem Franciæ, petentes ut pro sui & eorum juris conservatione ipsorum appellationes vellet admittere eosque appellantes protegere & defendere loco & tempore opportunis. Qui eorum votis annuens, eorum appellationes admittere eosque protegere ac tueri promisit. Quibus ad sui notitiam perductis, dictus Edoardus fuit turbatus vehementer; indignatusque graviter contra suos subditos memoratos, quos occasione hujusmodi incepit multimodè prosequi & hostiliter impugnare. Qui sibi resistere non valentes, adversùs eum consilium & auxilium expetierunt dicti Regis, nolentes etiam sub dominio ipsius ampliùs remanere, ne fortè in posterum eis deteriora contingerent, se ex toto sibi submiserunt, reddiderunt, & tradiderunt; quos ipse gratiosè recepit, & ad eorum defensionem se disposuit & paravit per ministerium Ludovici Ducis Andegavensis fratris sui suprà nominati; fueruntque occasione hujusmodi in dicto ducatu hinc inde insultus varii, locorum captiones, cædes hominum, & alia mala & discrimina infinita.

Anno etiam prænominato (scilicet MCCCLXIX.) ad dictum Vrbanum Papam Romæ existentem accessit Iohannes Palæologus Imperator Græcorum; fuitque receptus honorificè ac tractatus per dictum Papam & Cardinales paulò minùs quemadmodum si fuisset Imperator Romanorum. Qui demum fuit reductus ad Romanæ Ecclesiæ unitatem, juravitque eidem perpetuò obedire ac fidem ipsius servare in futurum. Super quo certam bullam Græcè & Latinè conscripsit & sua bulla aurea sigillavit, quam in archivis Ecclesiæ conservandam dicto Papæ assignavit. Quo expedito, paulò pòst ad propria remeavit, de dicto Papa, à quo gratias & favores multos reportaverat, valde bene consolatus & contentus.

Per idem tempus præfatus Vrbanus Papa tam spiritualiter processus & sententias fulminando quàm temporaliter ipsos manu armata expugnando, processit contra Perusinos eorumque territorium, pro eo quòd sibi & Romanæ Ecclesiæ obedientiam denegando, se ab ejus dominio, ad quod pertinebant, malitiosè subtrahebant; cujus occasione etiam ipsi multa mala passi sunt, & etiam certis terris & locis dictæ Ecclesiæ eis convicinis intulerunt, & præsertim cùm per satellites suos discurrerent ante Viterbium, dicto Vrbano ibidem existente, in cujus opprobrium multa ignominiosa & aliàs ferè inaudita perpetraverunt. Deus tamen eorum demum justus vindex extitit. Nam ipsorum patratores tandem mala morte perierunt.

Memoratus etiam Vrbanus Papa anno MCCCLXX. currente volens quòd

in monasterio Cassinensi, in quo, ut suprà memoratum est, religio monachorum nigrorum ex institutione & ordinatione beati Benedicti suum quasi sumpsit exordium, vigeret præcipuè, essentque religiosi in ipso vitam exemplarem ducentes, quemadmodum aliàs extiterant, postquam de episcopali dignitate ipsum ad abbatialem reduxit, tria fecit. Primò, quia erat quasi collapsum in ædificiis, quæ propter terræ motum erant pro majori parte diruta, ipsum fecit reparari & reædificari, & in hoc voluit exponi proventus ipsius quandiu vacavit. Secundò advocavit & collegit monachos religiosos & devotos de diversis aliis monasteriis in quibus sciebat vitam monasticam meliùs & strictiùs observari, quos ibidem instituit & ordinavit perpetuò residere, amotis abinde pluribus vagabundis & insolentibus, qui vitam secularem potiùs quàm regularem erant ibi soliti observare. Tertiò deliberavit eidem in Abbatem præficere aliquem qui juxta regulam præfati beati Benedicti vivens ad sic vivendum præfatos monachos suo exemplo alliceret & etiam compelleret ubi ad contrarium eos inclinatos inveniret. Et cùm licèt diutiùs perquisitum talem juxta suum votum in cœnobiis monachorum nigrorum non inveniret, ne in suo hujusmodi sancto desiderio frustraretur, ad eremum fratrum Camaldulensium sub regula eadem Domino servientium seu famulantium aspectum habuit; in quo quod optabat adinvenit, virum videlicet qui totus erat devotus, orationi & lectioni assiduè deditus, & aliàs Dei servitio semper intentus, beneque moriginatus, & in agendis circumspectus; qui etiam omni tempore ab esu carnium abstinebat, alias insuper abstinentias ordinationesque monasticas juxta præcepta & instituta dictæ regulæ indefectibiliter observabat. De quibus ipse plenè informatus, eum ad se vocavit, & licèt satis invitum & renitentem eidem monasterio præfecit in Abbatem, & ad perseverantiam in bonis operibus ac ut cum timore Domini officium sibi traditum sollicitè & debitè exerceret ipsum caritativè & dulciter admonuit & induxit. Qui tam onus sibi impositum quàm monita hujusmodi humiliter suscipiens, monachos sibi subditos ad similiter vivendum induxit, & in debitis religione & obedientia tenuit, monasteriumque ipsum pro tunc satis in spiritualibus & temporalibus reformatum in statu debito conservavit, deditque formam & aperuit viam suis successoribus & posteris ut similiter facerent in futurum.

Eodem anno cùm dictus Vrbanus Papa jam fecisset fieri seu fabricari imagines seu statuas pro conservandis capitibus beatorum Apostolorum Petri & Pauli, quæ erant de auro & argento mirabiliter operatæ, ornatæque multis gemmis & magnis notabilibusque lapidibus pretiosis, valorque earum communi æstimatione esset ad triginta millia florenorum & ultra, devotè & solemniter astantibus multis & magnis notabilibusque personis, capita dictorum sanctorum reponi & includi fecit infra ipsas; quæ etiam demum fuerunt processionaliter & publicè universis clero & populo Romanis ad hoc convocatis, præsentibus etiam aliquibus dominis Cardinalibus & Prælatis multis, per urbem deportatæ, & demum collocatæ super altare Lateranense in loco seu alto & eminenti ciborio super quatuor columnas marmoreas ad hoc specialiter miro opere præparato magnisque & fortibus januis ferreis circumdato.

Adveniente insuper tempore æstivo anno prædicto idem Vrbanus recedens de urbe, vadensque ad Montemflasconis, declinavit Viterbium; ubi primùm palam & publicè manifestavit se velle redire de proximo ad civitatem Avi-

nionensem, & ut omnes curiales ad hoc se disponerent ferias indixit à principio mensis Iunii tunc instantis usque ad principium mensis Octobris postea sequentis. Et ad hoc faciendum dixit se esse motum, inclinatum præcipuè, & inductum pro eo quòd videbat ab una parte regionem illam pro tunc esse satis in pacifico & tranquillo statu, & si quid fortassis esset dissensionis, illud sperabat breviter & ante discessum suum per tractatum aut aliàs debitè terminari; ab alia verò audiebat mala quæ continuè fiebant & majora fieri sperabantur occasione guerræ noviter suscitatæ & exortæ inter Reges Franciæ & Angliæ memoratos; quibus ut obviare posset, multùm inerat menti suæ, eratque intentionis suæ, Domino favente, circa hujusmodi guerræ sedationem totis viribus laborare & intendere, etiam in propria ad dictos Reges accedendo hac de causa, ubi aliàs super hoc se non posse proficere reperiret.

Eodem anno, die sexta mensis Iunii, quæ fuit feria sexta quatuor temporum post Pentecosten, in Monteflasconis idem Vrbanus creavit duos novos Presbyteros Cardinales, videlicet Dominos Petrum de Stagno diocesis Ruthenensis monachum ordinis sancti Benedicti, tunc Archiepiscopum Bituricensem, & Petrum de Corsinis Florentinum tunc Episcopum Florentinum.

Dicto autem Domino Petro de Stagno, cui jam titulum sanctæ Mariæ in Trans Tyberim assignaverat, Vicario in patrimonio & aliquibus circum adjacentibus provinciis ordinato, idem Vrbanus Papa iter suum arripiens mare intravit in Corneto die quinta Septembris; ubi invenit galeas & navigia ad sufficientiam, de quibus cum magnis excellentia & apparatu sibi providerant Reges Franciæ & Arragonum, Regina Siciliæ, civitas Avinionensis, & Provinciales. Sicque divino sibi assistente præsidio iter suum continuando Massiliæ feliciter applicuit die XVI. dicti mensis, & XXIV. Avinionem, ubi cum gaudio & exultatione maximis receptus est.

Eodem tempore civitas Lemovicensis, quæ noviter subtrahendo se ab obedientia & dominio Edoardi Principis Valliæ & Aquitaniæ, dominio Regis Franciæ se submiserat, secundùm quod fecerant ferè omnes aliæ civitates & loca notabilia dicti ducatus, obsessa fuit per dictum Principem & tamdiu viriliter expugnata quòd tandem vi & potentia armorum per eum capta fuit cum omnibus in ea existentibus tam incolis quàm aliis qui pro sui tuitione ad eam confugerant, ac multis notabilibus viris qui pro ejus succursu & adjutorio illuc advenerant; fuitque demum totaliter demolita & destructa, ac ædificia ejus ad terram prostrata, & exinde effecta inhabitabilis & deserta, sola Ecclesia cathedrali dumtaxat remanente.

Dictus etiam Vrbanus Papa quasi à principio sui pontificatus in plerisque locis continuè ædificavit, & primò in palatio Avinionensi, quod in magna parte ampliavit, in illa videlicet quæ hodie vulgariter Roma appellatur; in qua factæ sunt cameræ, habitationes, deambulatoria, & viridarium miræ pulchritudinis & amœnitatis habentia in se majorem delectationem quàm etiam quæcunque aliæ in toto palatio existentes. In loco etiam de Bedeosco diocesis Mimatensis, ubi erat Ecclesia baptismalis & parrochialis loci suæ originis, spectabatque ad domum suam paternam, à solo ædificavit pulchram & satis notabilem Ecclesiam, quam muris altis & turribus ad modum castri circumdedit; in qua constituit collegium certorum Canonicorum secularium & Decani, qui ibi haberent Deo perpetuò deservire in memoriam sui & parentum suorum, quorum

ſepultura eſt & erat ibi ab antiquo; dotavitque dictum collegium tam de bonis paternis quàm aliis bene & ſufficienter. In Eccleſia etiam de Queſaco dictæ diœceſis, ubi eſt oratorium ſpirituale & devotum beatæ Mariæ virginis, collegium novum inſtituit certorum Canonicorum ſecularium & Decani qui ipſis habeat præſidere; pro quorum ſuſtentatione ſufficienti redditus & proventus multos acquiſivit & ordinavit; fecitque dictam Eccleſiam muris & turribus altis circumdari. Idemque fecit in plurimis aliis locis & Eccleſiis Dei ſervitio deputatis in dicta diœceſi conſtitutis, de quibus dubitabat quòd tempore guerræ faciliter poſſent capi aut hoſtiliter impugnari. In Roma etiam exiſtens Eccleſias Lateranenſem & ſancti Pauli, quarum tecta erant totaliter demolita, fecit mirabiliter & ſumptuosè reparari. Et idem fecit de Eccleſia ſancti Petri in ea parte in qua reparatione indigebat. Ibidem etiam juxta palatium ſuum fodi & aptari fecit unam vineam maximi ambitus, de qua communiter, ſi bene & debitè colatur & operetur, annuatim colligentur ccc. dolia vini; in qua etiam noviter plantari fecit multas vites & arbores fructiferas, quas de diverſis & longinquis terris & partibus fecit aſportari. Ipſe inſuper tam in urbe quàm in aliis Eccleſiis ac locis religioſis & eccleſiaſticis, prout eorum neceſſitas exigebat, veſtes ſacras, calices, ornamenta eccleſiaſtica, & libros ad officium divinum opportunos innumerabiliter diſtribuit atque dedit, reliquiaſque multorum ſanctorum auro & argento, gemmis ac lapidibus pretioſis adornatas repoſuit in eiſdem.

Ipſe præterea fuit multùm diligens & intendens conſiſtoriis & conſiliis diebus & horis ad ea debitis & ordinatis; vacavitque cum omni ſollicitudine circa debitam & celerem expeditionem negotiorum Eccleſiæ & aliorum ſibi incumbentium, & præſertim illorum quæ pauperes concernebant, quæ etiam ſæpius aliis prætermiſſis expedivit. Iuſtitiam permaximè fovit & dilexit, deditque ordinem quo mediante ſuo tempore in curia mirabiliter fuit obſervata, & hoc ſpecialiter ne fierent brigæ, diſſenſiones, aut inſultus, prout aliàs fieri ſolebant, per familiares Cardinalium & alios curiales; de quibus, cùm talia attentarunt, per ſuos officiarios ordinavit ſic fieri juſtitiæ complementum quòd ceteri eorum exemplo perterriti à ſimilibus ſe multimodè retraxerunt. Abuſus etiam & obſervantiam ſeu veriùs corruptelam advocatorum & procuratorum curiæ, ex quibus cauſæ ibidem vertentes plurimùm protrahebantur, & ne ad expeditionem venirent impedimenta præſtabant, unà cum exactionibus indebitis, quæ in magnum gravamen & præjudicium litigantium antea per ipſos fiebant, caſſavit, annullavit, & interdixit, & ne à cetero ſervarentur aut fierent prohibuit, certas ordinationes etiam pœnales ſuper iis ſpecialiter faciendo.

Concubinarios & alios vitam inhoneſtam publicè ducentes, quàmmaximè eccleſiaſticos, rigidè compeſcuit, & ad correctionem & emendationem venire coegit. Vſurarios admodum perſecutus eſt, adeo quòd juſtitia mediante ſuo tempore de malè allatis in curia occaſione hujuſmodi reſtituta dicuntur ultra ducenta millia florenorum. Simoniacos autem execratus eſt. Ementes enim & vendentes beneficia ſive ſpirituales gratias, aut ſuper eis mercimonia illicita facientes, tractantes, aut procurantes, aut etiam occaſione talium exactiones indebitè facientes, puniri multimodè ordinavit, immo & eorum quamplurimos curiam exire coegit.

Beneficiorum multiplicationem, præſertim incompatibilium, in eandem

personam concurrentium invitissimè toleravit, immo multos ex illis qui plurima obtinebant privavit, relictis eis tantummodo illis quæ suis statui & sufficientiæ congruè convenire judicavit. Super quo etiam constitutionem edidit quæ incipit *Horribilis*; in qua quod suo tempore licere sibi non passus est suis successoribus indicavit. Viros litteratos valde dilexit, multosque ex ipsis promovit & exaltavit; & ut daret ceteris addiscendi materiam & opportunitatem, quandiu vixit in papatu suis expensis tenuit mille studentes in diversis studiis; ex quibus cùm aliqui jam erant provecti, aut aliàs deficiebant, illorum loco alios continuò subrogavit. Libros necessarios tam eis quàm aliis pluribus, quos scivit studio esse intentos ipsisque indigere, etiam ministravit.

In Montepessulano, ubi specialiter solet vigere scientia medicinæ, instituit unum collegium duodecim scholarium, qui studerent in dicta facultate & in ipsa haberent residere: pro quorum sufficienti sustentatione redditus certos acquisivit & ordinavit. Libertates & jura Ecclesiarum posse tenus manutenuit & conservavit; & si qui essent eis derogantes, ubi post admonitiones & exhortationes debitas se non proficere vidit, contra ipsos processus & sententias faciendo viriliter & rigidè insurrexit, cordatum, constantem, & animosum, licèt benignus cum quibuscunque existeret, in hoc se mirabiliter demonstrando, sic & taliter quòd suo tempore Ecclesiæ satis ubique in quiete & libertate permanserunt. De pauperibus & egenis aliisque miserabilibus personis semper sibi singulariter cura fuit, adeo quòd ubi ipsos pauperes esse cognovit, ipsorum inopiæ liberaliter & gratiosè subvenit, præsertim illorum qui aliàs abundantes extiterant, & demum ad paupertatem deducti erubescebant mendicare. Sciens etiam plures de clero multimodè fore vexatos propter guerras talliasque & deveria quæ hactenus earum occasione eis imposita extiterant, ipsisque pio affectu compatiens, in diversis provinciis tam regni Franciæ quàm aliorum, eorum decimam ad mediam reduxit, ut si in posterum eam ipsis indici contigerit, ex ejus solutione minùs gravarentur. Non etiam nova subsidia imposuit, nec aliàs impositis usus est, nisi in quantum necessitas Ecclesiæ ad hoc ipsum artavit. Non enim curavit coacervare pecunias; & si quas aliquando habuit, ipsas feliciter aut in negotiis Ecclesiæ exposuit, aut in piis operibus erogavit. Ad beneficiorum collationes provisionesque Ecclesiarum & monasteriorum habens procedere, magnam inquisitionem solertemque examinationem fieri semper fecit super meritis & sufficientia illorum de quorum provisione aut promotione actum fuit; per quas cùm bene meriti & sufficientes inventi sunt, ipsos liberaliter & gratiosè promovit, etiam quandoque inscios & non procurantes. Ubi verò inventum est oppositum, præsertim si fuerunt in vita vel conversatione maculati, aut scientia vel ætate notabiliter defectuosi, etiam quarumcunque precum seu intercessionum obtentu eos nullatenus, saltim scienter, admisit. Toto tempore suo diligentiam maximam adhibuit inquirendo mores & vitam generaliter omnium suorum subditorum, & præsertim ecclesiasticorum. Super quo modum tenuit valde notabilem & honestum. Secretissimè namque ferè de omnibus nationibus advocavit ad se aliquas personas devotas & discretas, Deum & suam conscientiam pertimescentes, quas super inquisitione hujusmodi per earum quamlibet in suis locis seu regionibus occultè fienda & demum sibi referenda specialiter oneravit. Sicque actum est quòd saltim no-

tabilium ferè omnium morum & vitæ satis notitiam habuit. Qua habita, bonos in bono confirmavit, malos verò à malo cohibuit, aut corrigi & emendari procuravit per visitatores aut reformatores quos ad hoc demum specialiter deputavit. Volensque curiales ecclesiasticos sic honestè vivere quod essent ceteris in exemplum, à principio suæ creationis pœnaliter ordinavit quòd omnes generaliter & indistinctè in adventu Domini & duobus diebus quartam feriam cinerum immediatè præcedentibus ab esu carnium abstinerent, & in dictis duobus diebus seculares sive laicos in curia existentes etiam voluit comprehendi.

Affectum carnalem nequaquam ad suos habere se demonstravit. Nullum enim ex eis ad quamcunque prælaturam promovit nisi duos duntaxat, videlicet memoratum fratrem suum, & unum nepotem ex consanguineò germano Doctorem decretorum, aliàsque bonum & sufficientem, quem Ecclesiæ sancti Papuli in Episcopum præfecit. Alios autem, quamquam essent boni & idonei, aut beneficiis satis simplicibus aut officiis curiæ voluit remanere contentos. De laicis etiam nullum exaltavit, immo nec per alios exaltari permisit. In cujus evidentiam expressè recusari ordinavit per patrem suum sexcentas libras renduales, quas Rex Franciæ sibi dederat ob sui favorem. Nepotem etiam suum unicum, ad quem paterna hereditas pertinere debebat, non cum altiori immo nec cum æquali sibi in genere voluit matrimonialiter copulari. Suscepit namque sibi in uxorem filiam cujusdam mercatoris Montispessulani satis simplicis, sui generis respectu; quam tamen, ut creditur, ipso adhuc in minoribus existente, dictus nepos minimè recepisset. Ipse etiam paternaliter & caritativè omnes dilexit. In his tamen quæ pertinent ad Deum neminem timuit nisi eum, cujus gratia suffultus sic & taliter rexit quòd universaliter amabatur à bonis & verebatur à malis. Fuit enim sanctæ & justæ intentionis faciendi in omnibus quæ Deo credebat fore placitura, & contraria evitandi; habuitque in mente constantiam, veritatem in ore, & efficaciam seu virtuositatem in operatione.

Postquam rediit de partibus Italiæ, totaliter mente disposuit in propria laborare circa pacificationem dictorum Regum Franciæ & Angliæ, ad quod etiam certa præparativa ordinavit. Sed satis citò magna infirmitas ipsum arripuit; ex qua sentiens se gravari, mortemque sibi propinquam existimans, ad ea vacare destitit, sed ad illa quæ animæ suæ salutem concernere poterant totaliter se convertit; humilitérque & devotè sæpius confessus est, & cetera ecclesiastica sacramenta suscepit. Præsentibus etiam Camerario, Confessore, pluribusque aliis familiaribus suis, ac aliis multis notabilioribus personis dixit & asseruit se tenere & credere firmiter sicque confessus est simpliciter quicquid sancta Ecclesia catholica tenet, docet, & prædicat, & si perprius docendo, legendo, conferendo, prædicando, aut disputando, vel aliàs aliud quovis modo prædicaverat vel dixerat, totum id revocavit, voluitque haberi pro non dicto, submittens se & dicta sua hujusmodi correctioni & determinationi dictæ sanctæ matris Ecclesiæ, à qua asseruit nunquam se deviasse scienter. Tandem verò post multa bona & virtuosa opera in Domino requievit die XIX. mensis Decembris anno Domini MCCCLXX. pontificatus sui anno nono, fuitque sepultus in Ecclesia majori Avinionensi, demum transferendus ad monasterium sancti Victoris Massiliensis, ubi vivens suam perpetuam elegerat sepulturam, magnis & stupendis miraculis coruscando. Vacavitque sedes diebus undecim.

SECVNDA VITA
VRBANI V.

Auctore Canonico Ecclesiæ Bunnensis.

PERACTIS exequiis Domini Innocentii more solito novem diebus, die decimo Cardinales numero viginti intraverunt conclave, die videlicet beati Mauricii. Et cùm inter se concordare non possent, in Dominum Guillelmum Grimoardi tunc Abbatem sancti Victoris Massiliensis absentem in regno Siciliæ nuntium sedis apostolicæ vota sua major & sanior pars direxit. Qui decreto electionis recepto, in vigilia omnium sanctorum reversus est Avinionem. Interim verò quod Cardinales erant in conclavi, Prælati quolibet die Missas celebrabant & sermones faciebant, rogando Deum pro felici & celeri Pontificis provisione, quodam speciali officio Missæ ad hoc ordinato, quod incipit: *Suscitabo mihi sacerdotem fidelem &c.* Die verò XXVIII. cùm Dominus Guillelmus Papa futurus applicuisset Massiliam, eodem die misit Dominis Cardinalibus adhuc in conclavi existentibus consensum electionis de se factæ. Tanta verò fuit inundatio Rhodani & Durantiæ quòd usque ad fossata pertingeret civitatis, & Dominus Papa intrare non potuit usque in vigilia omnium sanctorum. Tuncque inthronizatus fuit. Et facta insinuatione ad populum quòd Vrbanus quintus vocaretur, mox ab omnibus cantatum fuit *Te Deum laudamus.* Die quoque dominica sequenti, videlicet in festo sancti Leonardi, post festum omnium sanctorum fuit in palatio coronatus per Dominum Magalonensem, qui tunc fuit Ostiensis Episcopus. Sed post coronationem non equitavit per villam, ut moris est, licèt omnia parata fuissent, fastum vitans, prout dicebatur.

Hoc tempore Rex Angliæ quasi totam Aquitaniam recuperavit de manibus Regis Franciæ, videlicet Iohannis supradicti. Idemque Rex Iohannes mensis hujus die XX. intravit curiam; & mane pransus cum Domino Papa, moram traxit apud Villamnovam in domo quam Dominus Clemens inhabitare consuevit. Eoque præsente & tota frequentia curiæ corpus Domini Innocentii fuit portatum ad monasterium Cartusiense, ibique tumulatum in die sanctæ Cæciliæ.

Circa hæc tempora Comes Fuxi cepit in bello Comitem Armaniaci cum multis nobilibus, pluribus interfectis.

Mensis hujus die XXVIII. Dominus Papa citari fecit coram se Dominum Bernabonem, termino sibi præfixo ad primam diem Martii, ad audiendum sententiam condemnationis quòd esset hæreticus. Et per alias litteras mandavit citationem publicari per Prælatos sub alia data. Item fertur sententia contra eum in termino, & contra ad partem conceditur contra eum. Item proceditur contra communicantes, item contra faventes eidem. Demum lapso termino mandatur inquiri contra inobedientes præmissis, & iterum datur contumacia contra omnes per alias litteras.

In die sancti Nicolai fuit duellum inter duos Milites ultra pontem Rhodani in præsentia Regis Franciæ & plurium nobilium, neutro tamen interfecto.

Die

Die Lunæ XII. Decembris Dominus Papa providit Ecclesiæ Avinionensi de persona fratris sui nomine Anglici Canonici regularis in monasterio sancti Ruffi prope Valentiam, quæ vacaverat temporibus duorum Pontificum prædecessorum suorum. Fecit etiam Dominum Vabrensem, qui Diaconus Cardinalis fuerat creatus per Dominum Innocentium & Pœnitentiarius summus, Presbyterum Cardinalem. Ianuarii die octava Dominus Papa sacra generalia celebrans fratrem suum consecravit Episcopum cum aliis tam Abbatibus quàm Prælatis numero XXVIII.

Die XXVI. Februarii Rex Daciæ intravit curiam. Qua de causa, ignoratur.

Martii die tertia in consistorio publico declaratus fuit hæreticus Dominus Bernabos Mediolanensis, & non longè pòst conflictum habuit & bellum perdidit prope Bononiam.

Mensis hujus die quinta fuit eclipsis solis hora Nonæ quasi duabus horis.

Ejusdem mensis die Mercurii XXIX. Petrus Rex Cypri intravit curiam, & in die Veneris sancta cruce signatus est per Dominum Papam una cum filio Regis & multis nobilibus contra Turcos.

Anno Domini MCCCLXIII. & die XIV. Papa prædicavit crucem contra Turcos, ordinans passagium generale; cujus capitaneum constituit Iohannem Regem Franciæ tunc præsentem, qui ibidem juravit passagium facere à Martio præterito ad duos annos.

Anno Domini MCCCLXIII. prædicto missus fuit in Italiam Dominus Cluniacensis Cardinalis.

Maii die nona recessit Rex Franciæ de Avinione versùs Parisius. Et nocte sequenti obiit Dominus Cardinalis Magalonensis.

Maii die ultima recessit Rex Cypri de Avinione iturus ad Principes mundi eosque ad passagium inducturus.

Hoc anno fuit pestilentia gravissima quasi per omnes partes mundi. Et circa festum sanctæ Luciæ cœpit gelu fortissimum, ita ut omnia flumina congelata essent, me tunc Leodii morante & Mosam sæpius transeunte, & duravit usque ad mensem Martii.

Circa hos dies Dominus Bernabos reconciliatus fuit Ecclesiæ.

Obiit Dominus Petragoricensis Cardinalis Avinione anno Domini MCCCLXIV. mensis Ianuarii die XVII.

Dominus Iohannes Rex Franciæ reversus ad captivitatem in Anglia obiit, & fuerunt ejus exequiæ in capella Papæ celebratæ die Martis septima Maii.

Maii die tertia reversus fui Avinionem prosecuturus litem contra capitulum Bunnense, eò quòd me à fructibus præbendæ meæ suspenderunt.

Hoc mense intraverunt ambassiatores Romanorum supplicantes Papæ ut ad urbem se transferret.

Dominus Engelbertus Leodiensis Episcopus hoc tempore transfertur ad Ecclesiam Coloniensem.

Die XIX. Maii, Dominica sanctæ Trinitatis, coronatus fuit Remis in Regem Karolus primogenitus Domini Iohannis Regis Franciæ supradicti defuncti.

Die XI. Iulii Dominus Papa ivit ad Pontem Sorgiæ, & modicum stetit Avinioni, die XVI. Carpentorato & aliis locis quibusdam de comitatu Venaysfini visitatis. Hic fecit processus contra societates in regno Franciæ existentes, concedens euntibus contra eas plenam indulgentiam in mortis articulo.

Circa finem hujus mensis magnæ languste turmatim in tanta multitudine videbantur volare in aëre ut sole lucente umbram facerent super terram, nocte campos germinata depascendo cooperiebant, de quo multi multa præsagiebant; sed finaliter evanuerunt.

In alio exemplari hæc historia sic enarratur.

MENSE Iulii cœperunt in partibus orientis nasci animalia sine cauda similia gliribus aut magis muribus, quæ corchæ vulgariter dicebantur, blada omnia mirabiliter destruentia. Et paulò pòst bruchi cum grossis capitibus similes locustarum in tanta multitudine ab oriente venerunt ut omnem viriditatem usque ad radices vel duras fustes devorantes, terram sterilem albam relinquerent, & solem quodammodo ad terram descendere impediret nubes multitudinis eorundem, nullæque carnes porcinæ tunc essent in usu, sed propter esum bruchorum quasi venenatæ prohibebantur, ovaque gallinarum, quia eis similiter vescebantur, erant omnia rubea ultra modum & quodam modo similiter venenata. Nec poterant homines prohibere quovis remedio quin per ostia & tecta replerent domos & lectos earum. Hi faciebant foramina in terram quæ horum semine replebantur. Ex quo pestis desolatoria putebatur. Sed superveniens Favonius dum velarent eos in mari dejecit.

Idem Dominus Vrbanus V. misit ad Imperatorem Constantinopolitanum duos Episcopos ad sciendum an esset firmus in fide jurata per eum Romæ in manibus sui prædecessoris omnibus magnatibus & populis suis. Qui respondit ei gratam responsionem, dicens omnes progenitores in fide catholica vixisse & obiisse, & se similiter agere & semper facturum, nihil discrepando à fide Romanæ Ecclesiæ.

Anno MCCCLXV. Vrbanus revocat omnia domanialia regni Siciliæ tam vendita, impignorata, & perpetuò donata, quàm aliàs distracta, & mandat restitui instrumenta inde confecta cum gravissimarum pœnarum illatione. Et hoc fecit motu proprio & ad excusationem Reginæ in solemnissima forma.

Anno Domini MCCCLXV. pontificatus verò Domini nostri Papæ III. & die XXIII. Maii Karolus IV. Imperator Romanorum venit Avinionem ad Papam cum magna comitiva & cum imperialibus insigniis intrando à Domino Papa & Cardinalibus cum gaudio & honore receptus; qui quidem, visitata civitate Arelatensi antiqua sede regni sui, reversus est Pragam, recedens de Avinione die Lunæ secunda mensis Iunii.

Eodem anno Rodulfus Dux Austriæ, habens filiam Bernabonis in uxorem, Mediolani moritur.

Hoc tempore magna pestilentia fuit Coloniæ tanta quòd infra quatuor menses obierunt viginti duo millia hominum. Fuit etiam in Marchia Anconitana & aliis diversis provinciis.

Eodem anno, die XI. Octobris, capta fuit Alexandria per Petrum Regem Cypri; sed eam non fuit ausus tenere, dubitans de inimicis Christi, prædamque faciens & ignem immittens, eam dimisit.

Eodem anno & mense Dominus Papa existens in Massilia consecravit majus altare in monasterio sancti Victoris Massiliensis. Die XXIV. dicti mensis reversus est Avinionem, & die sequenti intraverunt ambaxiatores Romanorum.

Hoc tempore vir magnanimus & magnæ virtutis Ægidius Episcopus Sabinensis apostolicæ sedis Legatus in terris Ecclesiæ missus per Vrbanum ad parandum vias ipsi venturo contra tyrannos occupatores terrarum ipsius Ecclesiæ mirabiliter triumphavit, eosque subjugavit modis quos in aliis chronicis habes extensè, & tandem personaliter venit ad regnum Apuliæ, & egit quòd Regina dicti regni tunc potentissima venit ad eum Aversam, & recepit ab ipsa homagium. Deinde congregavit Neapolim concilium cleri &

populorum regni, in quo actum est ut universi magnates in suis manibus fidelitatem jurarent. Quod obtinere nequiverunt, cùm ad id Regi pro tempore tenerentur. Ex quo recessit non bene contentus, licèt alios fructus magnos egisset.

Anno pontificatus Domini Papæ quarto, mense Novembris, Dominus Papa, ut societates, quarum capitaneus erat Dominus Bertrandus de Cliquino, exirent de regno Franciæ, multam pecuniam promisit eisdem, pro quibus solvendis decimas indixit in Francia.

Eodem anno pontificatus Domini Papæ quarto Henricus Comes Transtamaræ frater naturalis Regis Petri Castellæ fretus auxilio Domini Bertrandi & societatum suarum intravit regnum Castellæ, & coronam regni suscepit de manu Episcopi Burgensis, vivente adhuc Rege Petro, de cujus sævitia & mala vita horribilia dicebantur; & postea cepit Hispalim, & consequenter totam Hispaniam obtinuit, prædicto Rege Petro interfecto per eundem Henricum.

Hoc tempore Philippus frater Regis Franciæ duxit uxorem filiam Ludovici Comitis Flandriæ viduam relictam Ducis Burgundiæ, & eundem ducatum obtinuit cum ipsa Domina.

Eodem anno, in mense Iunii, Dominus Papa concessit Regi Hungariæ prædicationem crucis contra Turcos.

Die sexta Augusti Admiratus Regis Cypri banderiam quæ capta fuit Alexandriæ Domino Papæ præsentavit Avinione.

Circa idem tempus Amedeus Comes Sabaudiæ cepit Gallipolim de manibus Turcorum, & reddidit Imperatori Græcorum, cujus consanguineus erat.

Eodem anno, de mense Septembris, Dominus Papa creavit tres Cardinales, videlicet fratrem suum, & alios duos, Episcopum Massiliensem Prædicatorum & Ministrum generalem Minorum ordinum, qui erat de civitate Viterbiensi, ubi pòst mortuus fuit.

Eodem anno, die XVII. Octobris, moritur Dominus Guillelmus de Grisaco grandævus Miles, genitor Domini Papæ.

Hoc mense fuerunt indictæ decimæ per Alamanniam in subsidium Domini Imperatoris ituri cum Domino Papa in Italiam.

Anno Domini MCCCLXVII. & die septima Ianuarii Dominus Papa ivit ad Montempessulanum, ubi cum gaudio & honore receptus consecravit monasterium novum per eundem fundatum. Et sequenti mense Martii reversus est Avinionem. Eodem anno die ultima Aprilis Dominus Papa recessit de Avinione versùs Italiam, pergens Massiliam, ubi modicùm stetit, & ubi in præsentia quinque Cardinalium, ceteris Avinione morantibus, Cardinalem de Agrifolio fecit. Et pòst intrans mare eundo versùs Italiam, die XXIII. Maii, quæ fuit die dominica ante ascensionem Domini, intravit Ianuam cum magna sollemnitate & lætitia populi receptus, ibique mansit usque ad diem Veneris. Et relicto ibi fratre Marco Cardinali ordinis Minorum prædicto tractaturo pacem inter Dominos Bernabonem & Galeacium de Mediolano cum civibus Ianuensibus diffidentes, cœpit navigare; ita quòd die tertia Iunii, quæ fuit die Veneris ante Pentecosten, intravit Cornetum; ubi mansit usque ad diem Pentecostes inclusivè, qua die celebravit in Ecclesia fratrum Minorum. Et die nona dicti mensis intravit Viterbium, cum magna jocunditate populi receptus in Rotha constituta pro Ecclesia per Dominum Ægidium Episcopum Sabinensem Legatum valentem, qui terras Ecclesiæ quasi ex toto perditas recuperavit; qui die XXIV. obiit, sepultus in Assisio in Ecclesia sancti Francisci.

Eodem mense Septembris orto rumore inter cives Viterbienses & familiares aliquorum Cardinalium, ... de civibus & quatuor de familiaribus mortui sunt, & facta fuit justitia de civibus aliquibus, ita quod decem fuerunt suspensi ante domos suas.

Eodem mense filius Bernabonis de Mediolano prædicti, qui cum magna societate gentium armorum intravit regnum Apuliæ, per Dominum Guillelmum nepotem dicti Legati missum per Dominum Papam contra dictam societatem fuit in bello devictus, ipso capto, & suis omnibus vel captis vel interfectis.

Eodem anno, die septima Octobris, venerunt Viterbium Amedeus Comes Sabaudiæ & Patriarcha Constantinopolitanus, & cum eis octo ambaxiatores Imperatoris Constantinopolitani promittentis redire ad Ecclesiæ unitatem.

Die sabbati XVI. prædicti mensis Dominus Papa intravit urbem, cum indicibili lætitia Romanorum receptus; ubi Dominus Marchio Estensis, qui dextraverat Dominum Papam, in platea sancti Petri fecit duodecim Milites, Domino Papa gradus sancti Petri ascendente. Die Lunæ sequenti visitavit Ecclesiam Lateranensem. Die dominica, quæ fuit vigilia omnium sanctorum, celebravit in altari sancti Petri, in quo à Bonifacio VIII. non fuerat celebratum.

Hoc tempore Dominus Cardinalis Albanensis frater Papæ factus fuit vicarius in terris Ecclesiæ, & ivit Bononiam ibi moraturus.

Anno Domini MCCCLXVIII. die quinta Ianuarii luna eclipsata est quasi circa tertiam horam noctis.

Die prima Martii Dominus Papa ivit Lateranum; & sequenti die capita Apostolorum, quæ pluribus annis in conclavi retenta fuerunt, [ostensa sunt] populo innumerabili; quibus Dominus Papa fecit fieri thecas preciosas de argento & gemmis, & ea in ipsis reponi fecit.

Hoc tempore Rex Cypri Petrus venit Romam, & Domina Iohanna Regina Siciliæ Dominum Papam visitavit, & habuit rosam de manu Papæ tanquam nobilior.

Dominica qua cantatur *Lætare Ierusalem*, circa finem mensis Aprilis, visa est cometa in occidente, comas ad meridiem protendens; quam sequuta est caristia anno sequenti.

Eodem anno, in mense Maii Dominus Papa ivit ad Montemflasconem, moraturus ibidem de æstate.

Hoc tempore Dominus Karolus Imperator prædictus cum multis armorum gentibus intrans Italiam, obsedit Veronam, quam non cepit.

Eodem anno, die quinta Iulii, Dominus Papa Montemflasconem, quæ antea erat Balneoregensis diocesis, in civitatem erexit, ponens ibi Episcopum, mensæ cujus redditum deputavit.

Eodem anno, de mense Augusti, Dominus Papa declaravit canonizandum sanctum Alziarium olim Comitem Arriani; cujus corpus est in civitate Aptensi in Provincia, & claret miraculis multis.

Die secunda Septembris Viterbii combusti sunt duo fratres Minores propter hæresim.

Die XXII. dicti mensis creavit octo Cardinales, inter quos Prior basilicæ sancti Petri fuit unus.

Die nona Octobris, rediturus ad urbem, recessit de Monteflascone, & intravit Viterbium; ubi Imperator exiens de civitate Senensi, venit ad Papam. Die XVII. dicti mensis & sequenti die iter arripiens præcessit Papam ad urbem, cum gaudio & honore receptus per Romanos.

Die sabbati vicesima prima dicti mensis Dominus Papa venit Romam, quem idem Imperator vice stratoris adex-

travit à porta collina, quæ est prope castrum sancti Angeli, usque ad basilicam sancti Petri, pedestris eundo, & tenendo frenum equi. Deinde descendendo Dominus Papa, idem Imperator ipsum deduxit usque ad altare; mansitque in urbe infra canonicam habitando, expectans adventum Dominæ Imperatricis uxoris suæ, quæ venit Romam die XXIX. dicti mensis cum decenti comitiva. Et die prima Novembris, Domino Papa celebrante in altari sancti Petri, Dominus Ostiensis Cardinalis inunxit eam, & idem Dominus Papa imposuit sibi diadema, ac comitantibus eam duobus Episcopis Cardinalibus post prandium ad Lateranum coronata perrexit in lætitia gentis quæ eam sequebatur. Et Dominus Imperator eodem die fecit Milites. In die sancti Clementis Domina Imperatrix recessit de urbe.

Hoc tempore imponitur decima omnibus monasteriis sub regula sancti Benedicti viventibus pro reparatione monasterii Casinensis de terræ motu olim collapsi.

Hoc tempore Dominus Papa fecit reparare multas Ecclesias in urbe, specialiter Ecclesiam sancti Iohannis de Laterano, & Ecclesiam sancti Pauli.

Hoc anno supradictus Rex Cypri per nobiles regni sui fuit interfectus.

Anno Domini MCCCLXIX. die dominica XV. Aprilis asscripsit sanctorum catalogo sanctum Alziarium prædictum, statuens ejus festum celebrandum XX. die Septembris.

Eodem anno, & die XVIII. dicti mensis, recessit ab urbe Dominus Papa eundo versùs Viterbium.

Hoc tempore Perusini ceperunt movere guerram Ecclesiæ.

Die prima Iulii venerunt Archiepiscopus Tharsensis & alii ambaxiatores Ianuensium & Venetorum; qui concordes in liga contra Soldanum, obtinuerunt indulgentiam absolutionis pro transfretando ad impugnandum Sarracenos.

Eodem anno, die octava Augusti, Dominus Papa publicari fecit processus contra Perusinos. Et eodem die recessit de Monteflascone, ubi fuerat de æstate, & ivit Viterbium. Stante ibidem & vidente de Rocha, exercitus Perusinorum intravit patrimonium manu hostili. Et Iohannes Aucuti Miles Anglicus ductor exercitus venit ante Viterbium, & inde recessit cum exercitu quasi statim, cremando vineas civium Viterbiensium, pergens versùs Montem altum, ubi in suburbiis aliquibus diebus mansit; contra quos pugnantibus Dominus Papa concessit indulgentiam.

Hoc tempore monasterium Casinense de Ecclesia cathedrali reduxit in abbatiam.

Similiter hoc tempore Viterbii fuit mortalitas transmontanorum, in qua mortui fuerunt quinque vel sex Cardinales.

Eodem anno, die XIII. Octobris, Dominus Papa venit ad urbem, ubi jam Dominus Imperator Græcorum nomine Iohannes Palæologus expectabat eum: qui in die sancti Lucæ in domo sancti Spiritus de urbe professionem fecit in præsentia quinque Cardinalium & duorum Protonotariorum, & juravit se perpetuò servaturum. Postea subscripsit manu propria cum sanguine conchylii & bulla aurea sigillavit cartam scriptam Græcè & Latinè repositam in archiviis Ecclesiæ. Et deinde Dominica XXI. dicti mensis Dominus Papa veniens ad gradus sancti Petri, eundem Imperatorem obvium ascendentem excepit; & simul euntes ad Ecclesiam, Dominus Papa in ejus præsentia celebravit.

Hoc tempore Dominus Karolus de Duracio cum Domina Margareta matrimonium contraxit.

Anno Domini MCCCLXIX. de mense

Ianuarii renovatum fuit altaris Lateranensis Ecclesiæ ciborium; in [cujus] cacumine locata sunt capita Apostolorum per Dominum Cardinalem Belliforti, qui postea factus est Papa, in duabus statuis argenteis, quas Papa, ut est dictum, fecit fieri.

Hoc tempore concessa est Ecclesia sanctæ crucis in Hierusalem de urbe fratribus Cartusiensibus.

Eodem anno, de mense Martii, recessit Dominus Imperator Græcorum cum quatuor galeis, cum quibus venerat. Tunc de novo Præfectus urbis movere cœpit guerram contra Ecclesiam.

Die Lunæ crastino Paschæ, xv. Aprilis, facta processione per clerum Romanum de mandato Domini Papæ, à sancto Petro usque ad Lateranum portare fecit, fuerunt ibidem repositæ statuæ argenteæ supradictæ datæ unà cum capitibus Apostolorum Petri & Pauli positis infra Ecclesiam Lateranensem per eundem Dominum Papam.

Die Mercurii sequenti Dominus Papa recessit de Roma, & venit ad Montemflasconem crastino sancti Marci Evangelistæ.

Hoc tempore exercitus Ecclesiæ obsedit Vetrallum locum dicti Præfecti; qui postea fuit reconciliatus per Dominum Papam, & venit ad eum apud Montemflasconem.

De mense Maii Dominus Papa rediturus Avinionem indixit vacationem à principio Iunii usque v i. Octobris. Et tunc privavit plures scriptores qui cum non fuerunt sequuti in Italiam.

Die ultima mensis Maii Dominus Cardinalis Hierosolymitanus factus est Sabinensis Episcopus.

Die Veneris v i. Iunii fecit duos Cardinales, Petrum Episcopum Florentinum, & Petrum de Stagno Archiepiscopum Bituricensem. Qui Bituricensis fuit factus vicarius, & antea erat missus pro Ecclesia Romana contra Perusinos in ducatu Spolatensi.

De mense Iulii eodem anno fuit [apud] sedem apostolicam Domina Brigida de regno Sueciæ petens confirmari regulam sibi revelatam à Deo, secundùm quam volebat vivere moniales & fratres in monasterio à se fundato in dicto regno in loco de Ventena, & obtinuit quòd secundùm regulam sancti Augustini viverent. Hæc Domina de pueritia revelationes divinas habuit, & claruit in vita & post mortem.

Eodem anno, die x x v i. Augusti, Dominus Papa recessit de Monteflascone, iturus versùs Avinionem, manens Corneti usque ad diem quintam Septembris; tuncque intravit mare, & applicuit Massiliam die x v i. dicti mensis, & pòst ivit Avinionem. Post ejus recessum Perusini pacem facientes se dederunt Ecclesiæ, & per sindicos suos missos Bononiam ad Dominum Legatum fratrem Domini Papæ recognoverunt civitatem & districtus eorum ad Ecclesiam Romanam pertinuisse ab antiquo & pertinere. Tuncque pronuntiata est pax, & Dominus Bituricensis Vicarius intravit Perusium, & possessionem recepit pro Ecclesia; cœpitque ædificare citadellam. Eoque post recessum Domini Albanensis de Bononia eunte Bononiam, mittitur Dominus Philippus Hierosolymitanus Cardinalis Sabinensis per Dominum Gregorium Papam XI. qui operi cœpto finem imposuisset, nisi quòd morte præventus fuit ibidem. Et post eum missus fuit Dominus Geraldus Abbas Majorismonasterii prope Turonis; qui cùm opus cœptum quasi complevisset, Perusinis rebellantibus expulsus aufugit, ut infrà dicetur.

Eodem anno, de mense Novembris, Dominus Papa exiens Avinione, infirmitate arreptus, portari se fecit de palatio apostolico ad domum fratris sui Cardinalis Albanensis adhuc commo-

rantis Bononiæ, ubi die xx. Decembris anno Domini MCCCLXX. migravit ad Dominum, & corpus ejus locatum in capella Papæ Iohannis XXII. quæ est in Ecclesia beatæ Mariæ de Dompnis; ibique mansit usque ad ultimam diem Maii anni sequentis, ubi Deus multa miracula operatur pro illis qui ipsum invocant devotè. Et de dicta die ossa ejus translata fuerunt cum innumerabili multitudine gentium laudantium Deum in omnibus quæ de ipso audierant ad monasterium sancti Victoris Massiliensis, cujus pridem Abbas fuerat; per quem Deus multa miracula facit, ut testantur infinitæ imagines cereæ appensæ ante sepulcrum & quasi per totam Ecclesiam dicti monasterii apportatæ per liberatos à diversis periculis & infirmitatibus ad invocationem nominis ejus. Vix est Ecclesia in mundo in locis sollemnibus quin sit imago ejus depicta & cum vigiliis & oblationibus honorata. Sedit autem in papatu annis octo, mense uno, diebus XVII. vacavit sedes diebus XIII.

In alio exemplari hæc leguntur.

ANNO Domini MCCCLXVI. idem Vrbanus publicavit suum accessum ad urbem & propriam sedem, quæ diù caruerat gaudio præsentis præsulis. Et tandem impedimenta Galliæ superans tam à fratribus procurata quàm à rogantibus adhibita solerter, ultima die Aprilis LXVII. iter arripuit, Avinione relicta, ad dictam urbem cum LX. galeis & pluribus navigiis, adeo quòd una maxima civitas ejus stolus videretur. Ipse in propria persona cum galea Antonicorum mirabiliter fabricata & nobilibus & aliis ornamentis ornata, præ omnibus aliis numero singularissima in toto mundo fuit reputata, ad civitatem Ostiensem se deponi fecit. Et quàm citò ibi fuit, misit diversos nuntios ad tractandum pacem in Vngaria, Sicilia, & Bernabone, cum potestate monendi renitentes ut revocarent gravamina cleri. Sed contra Perusinos publicantur processus facti sub data Idus Augusti anno septimo.

Huic nuntiavit devota Domina Brigida de Succia per Nicolaum Comitem Nolanum quòd si recederet, esset incipiens & non perficeret iter suum. Et sic contigit. Obiit autem XIV. Kal. Ianuarii, pontificatus sui nono.

TERTIA VITA.

VRBANI V.

Auctore Petro de Herentals Canonico Floreffiensi.

VRBANUS Papa V. primò fuit Abbas ordinis Benedicti in civitate Antisiodorensi, deinde translatus fuit ad abbatiam Marsiliæ; ipsoque apud Lombardiam existente in legatione, defuncto Innocentio Papa prædicto, Cardinales inter se discordantes in conclavi apud Avinionem, tandem mentio inter ipsos facta de dicto Vrbano, qui vocabatur Grimoaldus, subitò in ipsum direxerunt vota sua, atque eum elegerunt in summum Pontificem. Hic homo strictus fuit, pompositates odio habens, & maximè sumptuosos status Cardinalium quos invenit. Proposuit ergo ire Romam, sicut & fecit. Nam veniens Marsiliam, dum Cardinales recusarent eum sequi,

statim ibidem duos ordinavit Cardinales, asserens quòd in capillo capucii sui sufficientes habebat Cardinales. Unde Cardinales ejus constantiam videntes, suam audaciam priùs habitam mutaverunt in timorem, & secuti sunt eum. Veniens itaque Romam, primò constituit reparari Ecclesias Romanas. Fertur autem Abbas Ecclesiæ sancti Pauli Romæ dicto Papæ magnam summam florenorum obtulisse ad finem quòd ad cardinalatum posset promoveri. Accipiens itaque Papa hanc oblationem, de eadem constituit reparari Ecclesiam sancti Pauli, & Abbatem in suo statu reliquit absque promotione; sicque factum est quòd Papa de dicti Abbatis pecunia fecit quod ipse Abbas facere debuit. Hic Romæ Imperatricem, uxorem videlicet Karoli de Bohemia, coronavit. Multa bona in Roma fecit, & tandem reversus est, & non multùm pòst ibidem clausit diem extremum. Post cujus mortem multa dicuntur evenisse miracula circa ejus corpus tam in Avinione, ubi obiit, quàm in Marsilia, ubi ipsum corpus translatum fuit in Ecclesia ubi priùs fuerat Abbas. Sed nondum propter dicta miracula exstat canonizatus.

QUARTA VITA
URBANI V.

Auctore Aymerico de Peyraco Abbate Moyssiacensi.

URBANUS quintus monachus felicis recordationis & bonæ memoriæ multa construxit pro Ecclesia & ordine sanctissimi Benedicti, & pulcherrimam domum & Ecclesiam & monasterium in Montepessulano fieri fecit. Et audivi ab eis qui dicti operis faciendi erant commissarii deputati quòd in VII. millia francorum & ultra in opere illo expensa fuerant cum dependentibus subsequutis. Et de maximis donis & jocalibus ditavit dictum locum & de reliquiis pretiosis. Ubi constituit perpetuò monasterium monachorum studentium & claustralium. Et dicebatur quòd si diù vixisset, episcopatum vel abbatiam erexisset. Marsiliæ, ubi præfuit Abbas, in sancto Victore multa ædificavit, reparavit, & donavit, & inibi quasdam abbatias subjugavit, muros pulcherrimos & fortes cum vallatis Avinionensis civitatis, & quamplurima alia citra montes & ultra sumptuosa construxit, quæ quasi incredibilia reputantur, facta in parvo tempore suo. Clericos diligebat, & libentissimè dignos promovebat, & expensis suis & Ecclesiæ plures in diversis studiis tenebat. Et pro speciali dilectione septem pueros unà cum magistro suo in scientia musicali peritissimo destinavit studio Tolosano, qui in Missa majori studii voce dulci harmonisarent atque in aliis facultatibus proficerent & erudirentur. In studiis universis quosdam viros notabiles tenebat in habitu difformato pro explorandis meritis studentium & labores quos affectabat dignos nimiùm promovere. Simoniæ vitii fuit maximus extirpator & omnium bonorum & virtutum propagator. A cunctis mundi Principibus timebatur. Et si diù vixisset, scientia christianitatis incrementum habuisset. Erat magnanimus & valde robustus. Patrem carnalem habebat tempore sui papatus bonum Militem; cui parum dedit & assignavit, dicens,

dicens quòd bona Ecclesiæ sunt pauperibus dispensanda, & quòd genitor suus de propriis suis reditibus antiquis valebat congruè sustentari. Et quando prædictus pater ejus obiit præsens fuit, & eidem concessit plenariam indulgentiam peccatorum, & eundem benedictione papali sanctissima manu propria sanctificavit & benedixit. Fuit maximus clericus; & in Montepessulano, ubi specialem gerebat devotionem, legit ordinariè Decreta. Et vocabatur Guillermus Grimoardi de diocesi Mimatensi in Gavaldano. Et ad ipsius pedum oscula beatorum ferè cuncti Christiani Principes accesserunt, vel excusationes legitimas cum honorabilibus & notabilibus ambaxiatoribus transmiserunt. Et in eo refulserunt quasi omnium dona spiritus sancti gratiarum.

Cum magna precum Dominorum Cardinalium instantia fratrem suum promovit ad cardinalatus fastigium, licèt probissimus esset, ex eo quia scientiam eminentem non habebat. Qui fuit devotissimus & maximus pauperum & clericorum relevator; & etiam multa construxit in Montepessulano, Avinione, & multis locis. Et supervixit Papæ prædicto bene per viginti annos.

Dictus Dominus Vrbanus fuit in Marsiliensi monasterio debitè traditus sepulturæ, quam in vita sua fecit non minimùm sumptuosam de lapidibus ædificari. Et ibi per universum orbem miracula Deus pro ipso intercedente clementissimè operatur. Et audivi sæpius quòd in vita sua etiam frater suus Dominus Albanensis in quibusdam miraculis fuit gloriosissimè exauditus.

Ejusdem Papæ tempore universalis Ecclesia maxima pace & libertate plenissimè fruebatur. Et dominum de Milano tyrannum crudelissimum, qui ipsum in minoribus constitutum Nuncium apostolicum *, demum ad obedientiam Romanæ Ecclesiæ compulit devenire. * magnæ societatis ferè inhonestè tractavit. Totum regnum Franciæ dissipabant. Et quos ferro nec potentia Rex domare non poterat, subitò censura ecclesiastica & orationibus institutis per eundem exterminati fuerunt.

De isto enim Rege Franciæ Karolo, primitus receptis novis de nativitate ejusdem Regis nunciis destinatis, prædixit quòd erat natus Ecclesiæ & orbi universo, præsignans in futurum quæ de misericordia Dei erant profutura.

Anno secundo pontificatus ejusdem Vrbani, qui fuit millesimo trecentesimo sexagesimo tertio, hiems solito acerbior & nimis horrida & importuna fuit. Multi enim pauperum, infantium, & mulierum nimietate frigoris defecerunt, & in multis aquis pisces sub glacie absorti sunt. Glacies enim adeo spissa erat & valida ut vehicula onusta super eam ducerentur & quasi super solum equitaretur. Acciditque eo tempore quòd magnæ societates pervagantes & destruentes regnum Franciæ, properantes capere quendam locum de nocte, quoddam magnum stagnum illæsi transiverunt, existimantes se supra terram ambulare. Rigore dicti frigoris quidam equitans supra equum frigore nimio tactus interiit; quem equus mortuum detulit in quodam hospitio Carcassonæ in quo consueverat commeare; hospesque æstimans ipsum vivum, quia per apparentia vivus putabatur ex rigore frigoris, volens ipsum tangere, recipiendo per manus, indilatè & subitò cecidit. Qui quidem homo judicatus fuit per expertos per spatium unius leucæ obiisse. Dictusque Papa excommunicavit omnes transeuntes supra Rhodanum sic congelatum pro eo quia Arelati quidam submersi fuerunt confidentes de fortitudine glaciei. Nam tunc dicebatur quòd Rhodanus continebat in spissitudine xv. pedes glaciei. Propter quod

prædicta vehicula onusta super glaciem ducebantur, & Rhodanum sic congelatum tam pedes quàm eques homines pertransire non verebantur.

Pontificatus etiam Domini Vrbani anno tertio, anno Domini MCCCLXV. fuit factus Doctor Tolosæ sub Domino Guidone de Malesicco nunc Cardinale Penestrino Dominus Guillermus de Agrifolio Protonotarius Papæ. Et eadem die, quod admirabile & inauditum fuerat temporibus retroactis, dictus Dominus Guillermus doctoravit, videlicet Dominum Bertrandum de Pelaiano Abbatem sancti Severi de Bigorra pòstque Abbatem de Monteolivo ordinis sancti Benedicti, Petrum Olerii Abbatem Calesii ordinis Cisterciensis, Bernardum de Maloduino Priorem beatæ Mariæ Deauratæ Tolosæ, vita, religione, doctrina, prædicatione, pietate, ac multis aliis virtutibus insignitum, (cujus memoriam dum recolo, vix lacryma conquiescit, sub cujus magisterio gradum licentiæ & doctoratus assumpsi) Petrum de Cosnaco Priorem de Briva nunc Episcopum Tutellensem, Iohannem Alberti Priorem sancti Orientii diocesis Auxitanensis, pòst Abbatem Mansi Agenesii, Guillermum Noveleti postmodum Cardinalem sancti Angeli, Guillermum Sabbaterii Canonicum Agathensem, Rigaldum Astergii Canonicum Lingonensem Officialem Biterrensem, Bertrandum de Gregiis Canonicum Agennensem. Qua die fuit etiam Doctor in jure civili Dominus Guido Lesteria dein Miles & Senescallus Ruthenensis. Et anno Domini MCCCLXVII. Dominus Vrbanus prædictus, de cujus mandato, ut æstimo, prædictus actus excellentissimus factus fuit, dictum Dominum Guillermum de Agrifolio Protonotarium in Presbyterum Cardinalem motu proprio promovit in civitate Marsiliensi anno XXVII. ætatis dicti Domini Guillermi.

Dictus Dominus Vrbanus privilegiavit Tolosæ studium legendi & studendi & gradus utrosque recipiendi in facultate theologiæ; de quo civitas & studium magno jubilo exultavit. Idemque Dominus Vrbanus corpus beati Thomæ de Aquino ordinis Prædicatorum in jocale theologiæ ordinavit in Ecclesia Prædicatorum Tolosæ perpetuò persistere. quod quidem corpus fuerat pridem sublatum furtivè de monasterio Fossænovæ Cisterciensis ordinis, in quo ab olim fuerat depositum; & idem Doctor gloriosus plenus miraculis in magna devotione ibi colitur, mirabili sepultura artificioso opere & valore auri, argenti, & lapidibus pretiosis dignissimè perornata. quod mausolæum potest dici.

Tempore quo dictus Vrbanus fuit Viterbii prope Romam fuit maximus populi tumultus in prædicta civitate contra Papam & totam curiam, dicentes: *Vivat populus, Ecclesia moriatur.* Dictusque tumultus exordium habuit propter inhonestam spectationem cujusdam fontis vocati griffols. Et propter hoc Dominus Guillermus Bragose Cardinalis Vabrensis maximus Canonista & homo magni cordis fuit à populo malè tractatus. Idemque Papa dictum tumultum malum sedavit, & dixit quòd hoc erat initium malorum & Ecclesia debebat multa mala tolerare, quod perdiu non differretur.

Fratricellos vocatos nonnullos à fide catholica divertentes igne fecit concremari in Roma dum Romæ fuit.

De illis clericis quos dictus Papa in diversis scientiis & in diversis studiis sumptibus propriis tenebat Ecclesia Dei multipliciter illustratur, qui columnas Ecclesiæ viriliter sustentarunt. Ideo in prædictis studiis generalibus, considerando quòd Ecclesia sancta Dei viris litteratis maximè eget ad columnas Ecclesiæ sustentandas, studiosos & in ipsis scientiis graduatos multiplici-

ter ad beneficia & dignitates assumebat & promovebat, & sic Ecclesiam virtuosissimè & sanctissimè regebat.

Anno ejusdem pontificatus tertio fuit maximus conflictus sive bellum asperrimum & durissimum inter magnas comitivas jam per ipsum Papam excommunicatas & damnatas indebitè ferè totum regnum Francorum dissipantes & gentes armorum Regis Franciæ in plano de Villa-Dei diocesis Montisalbani. Et ex parte societatum erat principalis Perducatus de Lebreto & Aymarus de Duchelo olim Presbyter & alii usque ad numerum decem millium hominum armorum. Gallici verò strenuissimè se habuerunt. Et communiter dictum fuit quòd judicio Militum plus honoris tunc in dicto bello habuerunt victi quàm victores, qualitate facti circumspecta & strenuitate Gallorum. Sed quia sub justo clypeo quamplures Dei judicio subcumbunt, gentes Regis Francorum fuerunt devictæ in illo campo; inter quos fuit captus Guido de Basio, A. de Hispania prudentissimus Miles Senescallus Carcassonensis. Interfuit etiam Senescallus Bellicadri, qui de genere Baussorum in provincia Provinciæ, Vicecomes Narbonensis, Vicecomes de Caramanho, Dominus de Terrida, & quasi flos militiæ totius patriæ. Et quia granum frumenti mortuum nullum fructum producit seminatum, dicta victoria fuit destructio illarum maledicarum societatum. Nam expost certis institutis orationibus dicti Papæ & maledictionibus publicè contra eas fulminatis indignationem Dei & populi incurrerunt, & ferè cuncti fuerunt interfecti, & quasi ut fumus dissipati & turpissimè dispersi evanuerunt.

Contigit tunc res mirabilis satis, prout per informationem sufficientem fuit denuntiatum Papæ prædicto. Ex parte societatum illi qui interfecti & mortui fuerant supino corpore & facie versùs terram eversi reperiebantur in signum maledictionis. Illi verò qui ex parte Gallicorum seu patriæ facie erecta ad cælum & corpore adverso. Ego verò interfui prope dictum campum habito conflictu statim ferè per tres dies per ibidem faciens transitum de studio rediens ad larem proprium, auditis attestationibus multis prædicta veritate potiri. Gloriosus enim Deus Iesus Christus mirabilia opera propter dictum Papam faciebat.

Tempore dicti Vrbani quinti Princeps Aquitaniæ Eduardus, qui ducatum Aquitaniæ tunc tranquillè, strenuè, & pacificè regebat, tenuit quoddam solemne concilium in civitate Petragoricensi, ubi interfuerunt XVII. Episcopi dicti ducatûs. Atque sermo fuit commissus Domino Ostencio Episcopo Sarlatensi maximo & famoso theologo, in spiritualibus & temporalibus circumspecto, & affluenter in divitiis temporalibus communito. Qui Episcopus eundem Principem in sermone in quibusdam filio Dei comparavit. Propter quod quidam invidi, qui ejusdem celebrem famam offuscare volebant, in curia Romana prædictum Episcopum absque causa rationabili nisi fuerunt diffamare pervertendo ejus tunc catholicè dicta sanè intellecta. Et quia tela prævisa minùs feriunt, volens obviare eorum verbis malitiosis & suggestionibus falsis, ad curiam Romanam accessit, sperans se defendere veraciter de objectis clam contra ipsum prolocutis. Et nec ibidem interessendo personaliter quisquam partem fecit contra ipsum publicè vel occultè. Cùmque vocatus fuisset ad prandium, in collatione Dominus Vrbanus interrogavit ipsum si Papa & Ecclesia debebant gaudere de morte crudelissima Petri quondam Regis Hispaniæ noviter interfecti per spurium Hispaniæ fratrem suum, pro eo quia rebellis erat Ecclesiæ, fautor Sarracenorum & Iudæorum, &

quasi infidelis infidelium propagator, & patrator malorum, & populi Christiani interemptor, allegans sibi exemplum beati Benedicti de Presbytero qui beato Benedicto invidens de solio corruit & de ejus subitanea morte Maurus exultavit; de quo pater Benedictus discipulo pœnitentiam imposuit, qui de morte ejus Presbyteri gavisus fuit, ut beatus Gregorius in secundo libro dialogorum latiùs ostendit. Qui Episcopus taliter respondit, quòd de expiatione vitiorum ipsius exultabat, sed tanquam de homine condolebat; quia odio execrari debent peccata, non homines, pro fraternitate & dilectione caritatis. Et Papa ait: Nonne legistis in psalmo: *Lætabitur justus cùm viderit vindictam.* Tunc Episcopus propter sanctitatis suæ dignitatem supersedens responsioni dixit quòd totum remittebat ordinationi & diffinitioni papali. Et taliter petitio remansit insoluta, ad alia verba divertendo. Et hoc mihi Dominus Episcopus prædictus retulit tempore quo prioratum de Tanerio in Ecclesia sua existens monachus tunc habebam. Et ultra mihi adjecit quòd dictus Princeps non gratum accepit quod ad laudem in conspectu sui dixerat, secundùm quod sibi retulit quidam amicus suus: qui dum secretè confabularentur, dixit eidem Principi quid dicebat de sermone dicti Episcopi coram eo pridie dicto. Qui sibi respondit quòd dictus Episcopus, quamquam esset & eloquentia & scientia mirabilis & perspicacissimi ingenii, ab eo joculatorum debebat habere mercedem; quia nec magnificè in conspectu suo quisquam erat extollendus, maximè magnus Princeps, qui propter casus sinistros fortunæ inopinatè consternari, & sic actus præcedentes famosi poterant offuscari & ad nihilum redigi & penitùs confundi. Qui quidem Episcopus prædicta mihi asseruit, comprobando sapientiam dicti Principis Eduardi.

Ad dictum Dominum Vrbanum venit Imperator Romanorum, Imperator Græcorum, Iohannes Rex Franciæ, Iohanna Regina Siciliæ, & ferè cuncti Principes seculi hujus eundem timebant. Percepique quia quidam familiaris Cardinalis Petragoricensis eximii clerici & potentis domini paulò post creationem dicti Papæ interrogavit ipsum quid dicebat de Papa prædicto. Qui dicitur respondisse: Modò habemus Papam. Alios ex debito honorabamus, & istum necesse est nobis timere & revereri, quia potens est opere & sermone.

Idem Papa volebat quòd omnes clerici & studentes ostenderent honestatem in gestu, ut in eis nihil indecorum esset. Inhibuitque monachis nigris quòd de eorum capuciis auferrent cornetas, nec in papali palatio quemquam monachorum cum prædictis cornetis introducere patiebatur. alioquin à capucio per officiarios suos illico & incontinenti, interdum cum violentia, evellebantur. Cluniacenses etiam hunc morem observant, & per statuta habent in capuciis eorum non deferendi cornetas.

Etiam ipse certum modum & forum parvum pannorum & vestium statuit in universis studiis observari, ne clerici pretiositate vestium confunderentur & à continuatione studii penuria desistere haberent. quod & vidi in studio Tolosano tunc de facto observari.

Romæ accessit, ubi multa laudabilia & magnalia egit, & ferè in omni Italia, ubi per tres annos moram traxit continuam. Inchoataque noviter guerra inter Reges Franciæ & Angliæ, volens personaliter dicta regna visitare & dictos Reges insimul congregare, rediit Avinionem pro pace inter eos pertractanda. Vbi paulò post adventum suum infirmitate naturali detentus, in Domino laudabiliter obdormivit & obiit, pace imperfecta dictorum Regum & regnorum, anno Domini millesimo trecentesimo septuagesimo.

PRIMA VITA GREGORII XI.

Editio Bosqueti collata cùm vetustis codicibus MSS.

GREGORIUS Papa XI. natione Aquitanicus, de loco de Malomonte diœcesis Lemovicensis oriundus, post dictum Urbanum quintum fuit Avinioni electus in Papam die penultima mensis Decembris anno Domini MCCCLXXI. & die quarta mensis Ianuarii subsequentis Presbyter ordinatus, in crastinum verò consecratus & coronatus. Hic priùs vocatus erat Petrus Rogerii; cujus pater erat Guillelmus Comes Bellifortis. Et in adolescentia sua fuit primò Notarius sedis apostolicæ, & demum sanctæ Mariæ novæ Diaconus Cardinalis factus per Clementem Papam sextum, cujus erat nepos ex fratre.

Hic, quamquam esset satis juvenis quando fuit factus Cardinalis, cùm nondum attingeret octavum decimum annum suæ ætatis, tamen erat totus ingeniosus & aptus ac studio litterarum valde intentus; volensque in eis proficere ampliùs post promotionem suam ad statum hujusmodi, accersitis sibi notabilibus clericis, quos secum continuè habuit, audiendo & legendo circa legalem scientiam diutiùs insudavit, & adeo in ipsa profecit quòd unus de profundioribus & sufficientioribus totius orbis in ea fuit effectus. Demum se convertit ad canones, ad theologiam, ac philosophiam moralem, in quibus se adeo notabiliter profundavit quod in collationibus & consiliis ac aliis actibus suo statui congruentibus, in quibus de pertinentibus ad hujusmodi facultates actum fuit, sufficientissimè peroravit. Cum hoc etiam circa decisionem causarum diligenter institit, habuitque in ipsa tam juris quàm facti experientiam tantam quantam quicunque alius status sui. In expeditione verò negotiorum sibi commissorum aut aliorum quæ secum aut per eum tradenda occurrerunt adeo modum peritum, gratum, benignum, & mansuetum habuit quòd de ipso universaliter omnes secum agere habentes multùm remanserunt contenti. Et cùm esset humilis, modestus, circumspectus, & liberalis, ac aliis multis virtutibus dotatus, omnes tam seculares Principes quàm Prælati & alii quicunque ad ipsum recursum habentes, eum piissimè dilexerunt. Habuit etiam magnam gratiam in collegio Cardinalium, adeo quòd demum suis suffragantibus meritis per debitam concordiam fuit, ut præmittitur, ab ipsis electus in Papam die supradicta de mane, quam sola nox præcesserat ab introitu conclavis eorundem. Fuit tamen ipse in consentiendo multùm renuens & contradicens, immo difficillimè ad hoc potuit inclinari. Sed tandem cum omni humilitate divinæ & ipsorum se supposuit voluntati.

Eodem anno quasi toto tempore vernali fuit terræ motus in Avinione & in locis circumviciniis, & in partibus Tolosanis permaximus. Ex quo perierunt loca multa, & habitationes corruerunt.

Dictus etiam Gregorius Papa satis citò post assumptionem suam ordina-

vit nuntios suos legationis officio fungentes Dominos Simonem de Langan tituli sancti Sixti & Iohannem de Dormannis tituli sanctorum Quatuor Coronatorum Presbyteros Cardinales, quos destinavit ad Reges Franciæ & Angliæ causa tractandi pacem & concordiam inter ipsos. Sed tamen, licèt diutiùs circa hoc laboriosè & diligenter institerint, nihil proficere potuerunt, tum quia inimicitiæ erant inter dictos Reges nimiùm induratæ, tum etiam quia ipsi Cardinales videbantur partiales potiùs existere quàm tractatores, & meritò, cùm primus Angliæ & secundus Franciæ Regum prædictorum Cancellarii & familiares perpriùs extitissent. Hoc etiam non obstante dictus Gregorius Papa successivè simili de causa ad dictos Reges plures alios nuntios suos, alterius tamen status & conditionis, misit, immo & quandiu Ecclesiæ præfuit, continuè aliquos notabiles inter eos habuit circa tractatum hujusmodi laborantes.

Eodem anno civitas Perusina cum suo territorio fuit reducta ad obedientiam & dominium dicti Gregorii Papæ & Romanæ Ecclesiæ, cui longo tempore perpriùs inobediens extiterat & rebellis; & intravit ipsam Dominus Petrus de Stagno tituli sanctæ Mariæ in Trans Tyberim Presbyter Cardinalis, Vicarius pro dicta Ecclesia in provincia illa; fuitque receptus multùm honorificè & solemniter in eadem; cujus etiam regimen & gubernationem abinde suscepit & tenuit donec de alio per dictum Papam fuit ordinatum.

Dicto etiam anno, die sexta mensis Iunii, quæ fuit feria sexta quatuor temporum post Pentecosten, dictus Gregorius Papa fecit ordinationem duodecim novorum Cardinalium, videlicet octo Presbyterorum, & quatuor Diaconorum. Presbyteri autem fuerunt, Dominus Petrus Gomecii Hispanus tunc Archiepiscopus Hispalensis, Dominus Iohannes de Crosso diocesis Lemovicensis, tunc Episcopus Lemovicensis, consanguineus ipsius Papæ in tertio gradu, Dominus Bertrandus de Cosnaco diocesis Lemovicensis Canonicus regularis ordinis sancti Augustini tunc Episcopus Convenarum, Dominus frater Bertrandus Latgerii Alvernigena ordinis Minorum tunc Episcopus Glandatensis, Dominus Robertus de Gebennis frater Comitis Gebennensis tunc Episcopus Cameracensis, Dominus Guillelmus de Chanaco diocesis Lemovicensis monachus ordinis sancti Benedicti tunc Episcopus Mimatensis, Dominus Iohannes Fabri diocesis Lemovicensis tunc Episcopus Tutellensis, consanguineus germanus ipsius Papæ, & Dominus Iohannes de Turre in Alvernia tunc Abbas monasterii sancti Benedicti Floriacensis. Diaconi verò fuerunt, Dominus Iacobus de Vrsinis Romanus tunc sedis apostolicæ Notarius, Dominus Petrus Flandrini diocesis Vivariensis tunc Decanus Baiocensis, Dominus Guillelmus Noelleti diocesis Engolismensis tunc Archidiaconus Carnotensis, & Dominus Petrus de Vernhio diocesis Tutellensis tunc Archidiaconus Rothomagensis. Et isti tres ultimi erant etiam auditores sacri palatii & dicti Gregorii Papæ referendarii.

Eodem insuper anno dictus Gregorius Papa destinavit ad partes Italiæ pro regimine certarum terrarum Romanæ Ecclesiæ Dominum Philippum Cabassole Sabinensem Episcopum Cardinalem.

Eodem etiam tempore currente fuit pacificatus & reconciliatus Karolo Regi Franciæ Karolus Rex Navarræ, cui in recompensam terrarum quas perprius habere consueverat in ducatu Normanniæ fuit datus locus Montispessulani cum pertinentiis; qui etiam pro tunc venerat ad dictum Gregorium Papam causa ipsum visitandi &

de sua promotione sibi congaudendi.

Per idem tempus, cùm ducatus Aquitaniæ jam pro majori parte rebellasset Regi Angliæ & dominio ac regimini Edoardi Principis Valliæ sui primogeniti ad hoc per ipsum constituti, qui pro tunc satis graviter infirmabatur, & ad hoc personaliter intendere non poterat, dictus Rex deputavit Iohannem Ducem Lancastriæ filium suum secundogenitum, qui vice sua dictum ducatum adiret, eumque ad ipsum, si posset, reduceret, aut aliàs hostiliter expugnaret. Qui accersitis secum quamplurimis bellatorum, ipsum intravit, discurrit, vastavit & damnificavit ubi & in quantum potuit. Sed quia ejus adventus satis antea præscitus fuerat, optatis potiri non potuit ut volebat. Loca namque fortia utplurimum gentibus & victualibus munita fuerunt, adeo quòd ipsa intrare non potuit, sed in campis aut locis apertis seu debilibus ipsum oportuit permanere. Victualia insuper in locis clausis invenit recondita aut ab extra totaliter devastata. Et sic cum magno discrimine stetit diebus quampluribus per dictum ducatum equitando. Licet enim continuè peteret & appeteret inire prælium cum suis adversariis, non tamen fuit qui reciperet, ut sic ipse cum suo exercitu marcescerent & deficerent in se ipsis interirentque aut saltim absque ense vel gladio, scilicet fame & inedia, vincerentur; quemadmodum ipsis demum contigit, cùm plures ex eis modo præmisso in via defecerint, equis eorum & evectionibus pro majori parte mortuis aut consumptis. Qua de re coacti sunt nedum cum damnis innumeris, sed etiam cum vituperio ad propria remeare.

Eodem anno (scilicet MCCCLXXII.) qui fuit pontificatus dicti Gregorii Papæ secundus, in mense Maii, per ipsum missus est Legatus ad regna Hispaniæ Dominus Guido de Bolonia Episcopus Portuensis Cardinalis causa sedandi discordias & dissensiones quæ jam oriebantur inter Henricum Castellæ, Petrum Arragonum, & Karolum Navarræ Reges. Qui per Dei gratiam post multos labores sic operatus est quòd ipsos ad bonam concordiam inclinavit, fueruntque confœderati ad invicem per parentelas inter eos contractas. Nam Iohannes primogenitus dicti Henrici Regis Castellæ filiam Petri Regis Aragonum & Karolus primogenitus Regis Navarræ filiam dicti Henrici receperunt in uxores.

Eodem etiam tempore translatum fuit de Avinione corpus Vrbani Papæ V. ad monasterium sancti Victoris Massiliensis, in quo vivens suam perpetuam elegerat sepulturam, concomitantibus ipsum sex Cardinalibus per ipsum ordinatis; fecitque Deus extunc multa & magna ac stupenda miracula suorum meritorum obtentu, prout etiam perprius fecerat continuè à die obitus ipsius, & demum continuavit in præsenti.

Eodem etiam tempore currente cum Barnabos & Galeacius de Vicecomitibus Mediolani invaderent & occuparent aliquas terras ad Romanam Ecclesiam pertinentes, dictus Gregorius Papa fecit contra ipsos processus juridicos & contra talia attentantes in dictæ Ecclesiæ prajudicium aliàs fieri consuetos. Et inter alia volens quod novos favores aut amicitias cum aliis magnatibus & principibus non acquirerent per parentelas inter ipsos contrahendas, prohibuit & interdixit ne aliquis cum ipsis aut eorum filiis & filiabus matrimonialiter conjungeretur, decernens irritum & inane quicquid in contrarium attentaretur. quod aliàs vix aut rarò legitur fuisse factum. Ejus tamen occasione plures ab eorum confœderationibus se pro tunc retraxerunt, qui aliàs libenter ad eas processissent. Cùmque processus hujusmodi

ipsos non plenè à suis malitiis cohiberent, idem Gregorius Papa totus bene cordatus manu armata contra ipsos procedere decrevit, aggregavitque adversùs eos magnum exercitum armatorum tam de terris & colligatis suis quàm de regno Franciæ & confinibus ejus, cujus generalem capitaneum ordinavit Amedeum Comitem Sabaudiæ: qui onere hujusmodi in se assumpto viriliter aggressus est terras & dominia ipsorum, & per cædes, incendia, & alia in guerris fieri solita eis intulit multa damna, loca etiam quamplurima acquisivit. Sed quia nec sic ex toto domari potuerunt, locis jam captis penes ipsum aut Ecclesiam remanentibus, fuit facta quædam sufferentia seu treuga inter dictum Papam & ipsos; quæ licèt à principio reputata fuerit utilis & expediens pro Ecclesia, tamen effectus subsequens ipsam multimodè demonstravit esse damnosam. Nam ipsa durante prædicti se colligaverunt cum Florentinis & aliis civitatibus Tusciæ; sicque eorum pars fuit reddita fortior & difficilior ad vincendum.

Prædictis peractis, memoratus Gregorius Papa ordinavit & destinavit Vicarium suum generalem pro regimine civitatis Bononiensis & aliarum terrarum adjacentium Dominum Guillelmum Noelleti tituli sancti Angeli Diaconum Cardinalem. Gubernationem verò civitatis Perusinæ, patrimonii beati Petri, & certarum aliarum provinciarum commisit Domino Geraldo de Podio tunc Abbati Majoris monasterii Turonensis, volens quòd etiam nomine & officio vicariatus fungeretur.

Eodem etiam tempore dictus Gregorius Papa reconciliavit sibi & Ecclesiæ Romanæ insulam Siciliæ, quæ eidem ferè sexaginta annis inobediens extiterat & rebellis, fueratque per idem tempus ecclesiastico subjecta interdicto, & hoc ideo quòd cùm esset de feudo Ecclesiæ ac pars potissima regni Siciliæ, se subtraxerat à dominio & subjectione Regis Siciliæ & Hierusalem vassalli specialis Ecclesiæ, & in ipsa tyrannicè Fredericum de Arragonia dominari permiserat in ipsius Ecclesiæ & dicti Regis præjudicium, vituperium, & jacturam. Fuitque pax reformata inter Iohannam tunc Reginam Siciliæ & Hierusalem & dictum Fredericum dictam insulam detinentem; pro cujus confirmatione fuit in dicta insula per dictum Papam regnum noviter erectum, quod Trinacriæ nuncupatur, cui noviter dictus Fredericus fuit confirmatus & sublimatus in Regem sub pacto expresso quòd inposterum ipse & successores sui regnum hujusmodi tenerent in feudum immediatè à dicta Regina & successoribus suis, quòdque darent sibi in tributum sive in censum annuatim summam quindecim millium ducatorum. Pro reconciliatione autem hujusmodi modo debito fienda, amotione dicti interdicti, dicti Regis novi coronatione, pacisque prædictæ confirmatione, ac expeditione aliorum quæ circa hoc agenda videbantur, per dictum Papam missus fuit ad dictam insulam Dominus Iohannes de Revellone Episcopus Sarlatensis, qui omnia juxta sibi imposita feliciter consummavit.

Anno Domini MCCCLXXIV. fuit magna pestis mortalitatis tam in Avinione quàm in partibus circumvicinis; ob cujus timorem dictus Papa exiit Avinione & ivit ad alia loca circumadjacentia, quæ dicta peste non erant infecta.

Eodem etiam anno fuit in eisdem partibus magna bladi caristia, & permaxima in partibus Tolosanis, adeo quòd ibi vendebatur quarto frumenti pretio sexaginta florenorum, & quandoque etiam pro illo, immo etiam pro majori pretio non reperiebantur venditores.

ditores. Propter quod etiam multi divites & pecuniis abundantes fame perierunt. Sed mirum de Dei misericordia & pietate, quæ sic disposuit & ordinavit quòd eodem anno in dictis partibus ante novorum fructuum recollectionem fuit frumenti tanta sufficientia quod quarto habebatur pro decem florenis, immo & pretio minori.

Eodem anno Iacobus Rex Majoricarum accersitis sibi pluribus armigeris intravit regnum Arragonum causa recuperandi regnum & terras quæ aliàs fuerant patris sui, & quas jure hereditario ad se pertinere prætendebat. Sed nequaquam prævalere potuit. Immo ipso ibidem absque prole vita functo, sui commilitiones satis inanes & vacui ad propria retrocedere sunt compulsi.

Paulò pòst verò (scilicet anno MCCCLXXV.) Iohanna Regina Siciliæ ejus conjux recepit sibi in virum Othonem de Brunsvich etiam solo nomine Ducem, cùm nec terras haberet nec etiam dominia. Erat tamen Miles valde generosus, oriundus de Alamannia, statura pulcher, & admodum strenuus in armis.

Anno Domini MCCCLXXV. die vigesima mensis Decembris, quæ fuit Iovis ante feriam sextam quatuor temporum, dictus Gregorius Papa XI. creavit novos Cardinales, videlicet octo Presbyteros, & unum Diaconum. Presbyteri verò fuerunt, Dominus Petrus Iudicis diocesis Lemovicensis, monachus ordinis sancti Benedicti, tunc Archiepiscopus Rothomagensis, consanguineus germanus ipsius Papæ, Dominus Simon de Broussano Italicus tum Archiepiscopus Mediolanensis, referendarius ipsius Papæ, Dominus Hugo de Montelegum Britto tunc Episcopus Briocensis, Dominus Guido de Maleficco diocesis Tutellensis tunc Episcopus Pictavensis, consanguineus & referendarius ipsius Papæ, Dominus Iohannes de Grangia diocesis Lugdunensis, monachus ordinis sancti Benedicti, tunc Episcopus Ambianensis, Dominus Petrus de Sortenaco Caturcensis tunc Episcopus Vivariensis, Dominus Geraldus de Podio tunc Abbas Majoris monasterii, consanguineus ipsius Papæ & Vicarius suus in Perusio, & Dominus Iohannes de Buxeria Burgundus tunc Abbas Cisterciensis. Diaconus verò fuit Dominus Petrus de Luna Arragonensis, decretorum Doctor, Præpositus Valentinensis. Et hic attendendum quòd ista creatio non fuit facta die Veneris, secundùm quod aliàs est fieri consuetum; & hoc ideo quia illa die occurrit festum beati Thomæ Apostoli, qua die non fuit tenendum consistorium. Fuit etiam protelata dictæ creationis publicatio usque ad diem sabbati subsequentem propter dictum festum, cùm tamen aliàs in crastinum ipsius fieri debuisset.

Eodem tempore communitas Florentina contra dictum Gregorium Papam & Romanam Ecclesiam insurrexit, dolosèque & malitiosè operata est quòd ferè omnes civitates & loca alia quæ ad dictam Ecclesiam in Italia pertinebant ei se confœderaverunt & colligaverunt, in unumque convenerunt ut amodo excusso à se quocunque alio superiori vel domino, in sua libertate viverent & permanerent; factoque vexillo, in quo solùm magnis litteris erat descripta LIBERTAS, ordinaverunt magnam gentem armigeram, quæ cum vexillo hujusmodi dictæ ligæ adhærere volentes confoveret, resistentes verò vi & potentia ad eam sectandam comprimeret & arctaret. Sicque factum est quòd quasi uno contextu sive impetu omnes civitates locaque & castra dictæ Romanæ Ecclesiæ adversùs eam spiritum rebellionis assumpserunt, officialibus ipsius aut interfectis aut turpiter ejectis, rochæ castraque & munitiones quæ in ipsis erant aut ad ter-

ram funditus prostrata sunt, aut per alios tyrannice occupata. His autem dedit initium civitas Bononiensis, cujus incolæ præfatum Dominum Guillelmum Noelleti sancti Angeli Diaconum Cardinalem Vicarium generalem ibidem commorantem primò captivarunt, demum bonis suis spoliatum admodum ignominiosè abinde exire coëgerunt. Et idem ferè per omnia paulò pòst fecerunt cives Perusini de Domino Geraldo de Podio, qui etiam Vicarius ibidem permanens paulò antè fuerat factus Presbyter Cardinalis.

His verò ad notitiam dicti Gregorii Papæ deductis, ipse vehementer turbatus est & tristis effectus, providitque circa ea quantum sibi possibile fuit. Et primò fecit processus suos contra dictos Florentinos, qui eisdem, prout præmissum est, causam & occasionem præstiterant; quos etiam aggravavit, & reaggravavit. Et postquam eos sententialiter pronuntiavit hostes suos & Ecclesiæ, sub pœnis & sententiis contentis mandavit ne aliquis eis vel eorum alicui participaret loquendo, comedendo, bibendo, emendo, vendendo, aut aliàs quovis modo, daretque consilium, auxilium, vel favorem directè vel indirectè. In eorum etiam majorem detestationem pari modo mandavit quòd panni aut aliæ merces quæcunque per eos aut in earum territorio factæ sive titulo emptionis, sive donationis, aut aliàs qualitercunque ad usum aliquorum nullatenus cederent aut reciperentur, nisi inquantum hoc ad eorum damnum seu jacturam cedere posset. Confiscavit nihilominus omnia eorum bona tam mobilia quàm immobilia, ubicunque consisterent. Personas insuper eorum capientium suas fieri ordinavit. Quorum occasione multi tam in Avinione quàm aliis variis partibus collocati cum damnis & detrimentis innumeris ad propria redire sunt compulsi. Ex quibus eorum communitas ad cor minimè reversa est, immo fortiùs in sua malitia extitit indurata, continuè peiora prioribus contra dictam Ecclesiam procurando & machinando, libellos etiam diffamatorios, falsa tamen & erronea continentes, contra statum ipsius Ecclesiæ & personam dicti Papæ ubique transmittendo.

Fecit præterea dictus Gregorius Papa suos processus contra alios qui sibi & Ecclesiæ rebellaverant & alia commiserant superiùs enarrata, prout eorum cujuslibet demerita exigebant. Et quia nec sic ad emendationem seu reductionem inclinabantur, decrevit ad fortia apponere manum. Misit enim ad partes Italiæ Legatum suum de latere Dominum Robertum de Gebennis basilicæ duodecim Apostolorum Presbyterum Cardinalem cum ingenti exercitu armatorum, causa confovendi illos qui in fidelitate persisterent, infideles verò & rebelles compescendi, aut aliàs ad sui obedientiam reducendi; cui, ne in his majora obstacula occurrerent, dedit in mandatis ut transeundo per terras Mediolanensium, inter ipsum & eos pacem & concordiam iniret, si & prout sibi expediens videretur. Ipse verò cùm terras prædictas intravit, considerata negotiorum sibi impositorum qualitate, judicavit esse pro meliori ut ad dictam pacem firmandam procederet, prout & fecit. Oportuit tamen quòd pro ipsius solidatione ad prædictorum dominiorum loca perprius possessa seu detenta per ipsos, & quæ demum, guerra memorata durante, per gentes Ecclesiæ ab ipsis erepta fuerant, reducerentur. Quod non modicum fuit lamentabile aliquibus, illis præsertim qui se sponte Ecclesiæ reddiderant, cùm viderent se reductos ad manus illorum quos sciebant se in præmissis offendisse. Ab inde verò procedens venit ad provincias Ecclesiæ suo regimini decretas, in quibus viri-

liter operatus est quicquid boni potuit quoad conservationem illorum qui in bona fidelitate perstiterant. Quoad reductionem verò illorum qui rebellaverant nihil effectualiter profecit, duritia cordis eorum, malitiaque, & astutia tam Florentinorum quàm aliorum, cum quibus erant colligati, sibi obsistentibus ex adverso.

Dictorum autem rebellioni & revolutioni occasionem dedisse dicuntur tria; primò naturalis inconstantia, quæ patriam illam & ejus incolas in eodem statu permanere diutiùs non sinere consuevit; secundò appetitus seu ambitus dominandi, qui sic innatus est in cordibus eorum quòd invitissimè vident alium quàm se dominari; tertiò gabellarum, talliarum, daciarum, & similium impositio, ex quibus ipsorum judicio magna pars suæ substantiæ eis subtrahebatur per illos sub quorum regimine perprius consistebant. Et si hoc ultimum non extitisset, aut saltim magis mitigatum fuisset, forsitan hæc & eis similia tunc & aliàs retroactis temporibus non contigissent. Sed quia qui nimis emungit, sanguinem elicit, & qui nostra tollit, inimicus est, ideo non mirum &c.

Prædicta autem durante tempestate fuit per litteras & nuntios speciales insinuatum dicto Gregorio Papæ quòd si ipse personaliter veniret ad partes Italiæ, confestim prædicta omnia recuperaret & alia quæcunque præmissa ad statum debitum reducerentur, cessarentque machinata & procurata & tractata ultra tam contra statum suum quàm Ecclesiæ memoratæ, quæ secundùm relationes & considerationes plurium majora ac peiora prioribus existebant.

Ipse verò volens circa ea providere & ipsis posse tenus obviare, deliberavit se transferre ad partes Italiæ memoratas suosque gressus dirigere versus Romam, cùm etiam Romani sui optantes præsentiam, causa ipsum ad hoc alliciendi multa & magnalia promitterent se facturos in sui favorem & honorem quàm primùm ad ipsos declinaret. Qui sic disposuit facere & ordinavit, quamvis contra consilium & deliberationem quasi totius collegii omniumque amicorum suorum, & die decima tertia mensis Septembris anni Domini MCCCLXXVI. de Avinione recessit iter suum arripiendo versùs partes memoratas cum Dominis Cardinalibus; sex duntaxat exceptis, qui Avinioni remanserunt. Intravitque mare in Massilia, ubi invenit galeas & navigia ad sufficientiam pro se & concomitantibus eum; & ab inde progressus est dictum suum iter prosequendo; in quo multas turbationes habuit ac pericula plurima incurrit propter maris & temporis indispositionem, quæ quasi continuè duravit donec applicuit in Corneto, ubi tenuit festum nativitatis Domini & subsequentia festa. Demum ab inde discedens navigando intravit fauces Tyberis, & die decima septima mensis Ianuarii anni Domini MCCCLXXVII. ingressus est Romam equitando de sancto Paulo, ubi ad terram de navigio descenderat, usque ad sanctum Petrum, fuitque ibidem receptus cum magna solemnitate & honore.

Sciendum tamen quòd Romani de illis quæ sibi perprius promiserant paucissima attenderunt, præsertim circa illa quæ concernebant regimen urbis. Nam licèt in suo adventu Bandarenses & duodecim capita regionum, per quos regimen hujusmodi fuerat perprius occupatum, deposuerint, tamen illico eos reposuerunt ac ut regerent secundùm quod priùs voluerunt, nec potuit dictus Papa sine scandalo in hoc eorum resistere voluntati; de quo, nec immeritò, fuit ipse territus & turbatus, videns se fuisse deceptum & illusum tam per eos quàm alios qui sibi suggesserant quòd in ejus adventu tam prædicta

quàm alia quæ in sui & dictæ Ecclesiæ Præjudicium & jacturam priùs attentata fuerant in partibus illis ad statum debitum reducerentur & ad nutum suum disponerentur, cùm tamen de reductione aliquali nihil pro tunc actum fuerit, sed potiùs de nova rebellione locorum quæ usque tunc in obedientia & subjectione suis se persistere demonstrabant; quorum aliqua de patrimonio Ecclesiæ in dicti adventus sui procinctu realiter rebellarunt, operante & procurante Francisco de Vico Præfecto urbis, qui Viterbium & alia loca plura ad dictam Ecclesiam pertinentia tunc detinens, tanquam ejus hostis, contra ipsam guerram publicè facere non expavit. Et idem ferè fecerunt alii nobiles & tyranni Ecclesiæ subditi, & etiam contra ipsam cum memoratis Florentinis confœderati & colligati; adversùs quos oportuit dictum Papam pro sui & terrarum suarum defensione etiam validiorem quàm priùs guerram subintrare non sine magnis sumptibus, periculis, & detrimentis.

Per idem tempus Karolus Romanorum Imperator, qui aliquandiu antè Venceslaum Regem Bohemiæ filium suum primogenitum per electores imperii in Regem Romanorum eligi procuraverat, misit ad dictum Papam suos nuntios solemnes pro sui parte postulantes & requirentes dictos electum & electionem per ipsum in forma consueta approbari & confirmari. Qui hoc facere, licèt perpriùs requisitus, usque tunc distulerat, principaliter propter teneritudinem ætatis dicti Regis, qui tempore suæ dictæ electionis vix XVII. annum attingere dicebatur. Tamen quia ex tunc effluxerant tres anni & ampliùs, & sic pro tunc erat majoris ætatis, ad hoc procedere deliberavit. Ordinavit tamen quòd præpararentur & disponerentur illa quæ in simili facto erant aliàs fieri consueta; quæ adeo magni ponderis erant quòd bene non poterant perfici de toto anno subsequenti; quo currente, obitus dicti Papæ intervenit, prout infrà sequitur.

Eodem anno, adveniente tempore æstivo, dictus Gregórius Papa propter calores Romæ vigentes ab inde exivit, venitque Anagniam, ubi moram traxit per totam æstatem, cùm sit ibi bonus & purus aër.

Et eodem tempore obiit Edoardus Rex Angliæ, cui successit in regno Richardus filius unicus Edoardi Principis Valliæ primogeniti sui, qui paulò antè præmortuus erat; fueruntque in successione hujusmodi posteriorati alii tres filii Regis memorati vigore consuetudinis Anglicanæ, quæ habet filium debere succedere in omnibus in quibus pater, si viveret, successisset.

Eodem anno dictus Gregorius Papa in principio mensis Septembris, ob devotionem quam singulariter habebat ad passionem Christi & beatam Mariam virginem, ordinavit ea quæ sequuntur. Primò quod in posterum fieret officium integrum quod super hoc fecit solemniter ordinari de inventione & exaltationæ sanctæ crucis diebus quibus occurreret, cùm perprius in matutinis non dicerentur per earum quamlibet duntaxat nisi tres ultimæ lectiones, & aliæ sex de certis sanctis quorum festivitates dictis occurrunt diebus. Secundò quòd nativitas beatæ Mariæ virginis haberet vigiliam cum jejunio, pro qua etiam officium proprium Missæ ordinavit, cum tamen perprius nec esset die illa jejunium, nec Missa de vigilia hujusmodi cantaretur.

In mense verò Novembri pòst sequente dictus Gregorius Romam rediit. Et paulò post memoratus Franciscus de Vico Præfectus urbis fuit sibi reconciliatus & pacificatus. In cujus signum idem Papa in propria baptizavit quandam filiam suam, quæ hac de causa de Viterbio, ubi nata fuerat, Romam fuit asportata.

Intervenientibus autem & tractantibus aliquibus fuit tunc actum de pace & concordia iniendis inter dictum Gregorium Papam & Florentinos cum eorum colligatis, qui erant, ut superiùs est expressum, ferè omnes vassalli & subditi terrarum Romanæ Ecclesiæ in partibus Italiæ consistentium, comitatu Campaniæ duntaxat excepto. Fuitque pro appunctuatione & perfectione tractatus hujusmodi de communi partium consensu civitas Lucana ordinata, ad quam venerunt certi pro parte partium hujusmodi deputati. Et inter ceteros pro parte dicti Papæ Dominus Iohannes de Grangia tituli sancti Marcelli Presbyter Cardinalis illuc fuit destinatus; qui iter suum prosequendo transitum fecit per civitatem Viterbiensem noviter Ecclesiæ reconciliatam, ubi fuit receptus cum debitis solemnitate & honore.

Prædictis autem pendentibus memoratus Gregorius Papa à juventute satis debilis & valetudinarius, ac gravi infirmitate detentus, devotè receptis ecclesiasticis sacramentis cum magna cordis contritione, prout Domino placuit, die XXVII. mensis Martii anni prædicti MCCCLXXVIII. in pace quievit; fuitque primò corpus ejus delatum ad Ecclesiam beati Petri, & ibi pro eo solemnibus exequiis celebratis in crastinum translatum & sepultum in Ecclesia beatæ Mariæ novæ, in qua priùs Cardinalis existens fuerat intitulatus. Ejus autem obitus fuit occasio ne dictus tractatus perfectionem habuerit, aperuitque viam multis malis & scandalis quæ postea sunt subsecuta.

Ipse multùm dilexit suos, præsertim patrem, fratres, & nepotes, & alios de domo & genere suis prodeuntes; quos licèt de novo non exaltaverit, cùm perprius satis per patruum suum Clementem Papam sextum sublimati fuissent, tamen ipsos in suo statu hujusmodi conservavit, secumque tenuit, ac eorum consilio & instigatione ac favore multa fecit, præsertim in promotionibus nonnullorum quibus sufficientiores in moribus & scientia forsitan reperiri potuissent. Fuit tamen aliàs multùm virtuosus, Deo & beatæ Mariæ virgini singulariter devotus, quibus preces assiduas omni die cum magnis fervore & intentione effundebat. Fuit insuper pauperum & afflictorum pius sustentator, consolator, & largifluus benefactor. Dilexit etiam singulariter viros litteratos, multosque ex ipsis suo tempore promovit & exaltavit.

Quandiu Ecclesiæ præfuit, quasi continuè mentales anxietates habuit propter turbationes quæ eidem Ecclesiæ suo tempore contigerunt, quibus quantum potuit cum omni diligentia obviavit. Sed plenè non valens occurrere, etiam non minùs afflictus est in persona, quam gravela adeo gravavit quòd dies suos in magna parte minoravit. Nondum enim annum XLVII. ætatis suæ attigerat quando ejus spiritus, ut piè creditur, ad superos evolavit. Vacavitque ab inde sedes de jure carensque pastore vero & legitimo mensibus quinque & diebus viginti tribus.

Porrò ut etiam clareant & videantur illa quæ dicto currente tempore Romæ contigerunt, est hic inserendum quòd Romani seu eorum officiales & rectores suo vocabulo Bandarenses duodecim capita regionum nuncupati, coadunatis sibi aliis quampluribus tam civibus quàm foraneis natione Italicis, adhuc vivente dicto Gregorio, tamen infirmante, deliberaverant succedente obitu ipsius omnino sic operari & facere quòd à cetero in Roma vel saltem in partibus Italiæ curia resideret & remaneret. Quod se non posse obtinere æstimantes nisi per electionem in Papam alicujus Romani vel Italici, continuatis & iteratis vicibus sua fecerunt consilia, in quibus firmiter do-

creverunt Cardinales efficaciter requirere & hortari requisitosque & hortatos forte suis votis non acquiescentes viis & modis omnibus eis possibilibus compellere & arctare ut eligerent in Papam aliquem qui esset Romanus vel Italicus natione, prout ipsorum quamplurimi nonnullis ex dictis Cardinalibus retulerunt, ac etiam quòd in consiliis hujusmodi intervenerant Prælati notabiliores nationis ejusdem tunc Romæ existentes, per eos specialiter ad hoc vocati; quorum etiam aliqui ipsos ad hoc incitabant & inflammabant, immo & eis donaria magna promittebant si ipsos eligi procurarent. Adveniente igitur obitu dicti Gregorii, prædicta ad effectum deducere volentes, fecerunt sequentia, de malo in peius continuè procedendo. Nam primò Cardinales quandoque simul congregatos & quandoque ab invicem segregatos, sæpe & sæpius requisierunt & hortati sunt ut eligerent in Papam aliquem qui esset Romanus vel saltim Italicus natione, continuè subdentes ita fieri expedire pro reconciliatione totius Italiæ, & præsertim Romani populi, qui ad hoc in tantum afficiebatur quòd si contrarium fieret, contra eos graviter turbaretur, ex quo timendum ac verisimile erat quòd insurgerent contra ipsos, cùm civium corda scirent sublevata & ad hoc fortiter inclinata. Petierunt insuper ut dicti Cardinales de intentione eorum super hoc ipsos certificarent antequam conclave ingrederentur. Qui eis responderunt quòd de talibus tractari non debebat donec essent in conclavi, sed eo tunc super hoc cum Dei adjutorio maturè & debitè deliberare intendebant & facere illud quod videretur eis esse melius pro bono regimine Ecclesiæ & totius populi Christiani; rogaveruntque & requisiverunt ipsos ut cessarent à requestis & verbis hujusmodi, quæ minas expressè sapiebant, & ex quibus etiam impressionem ipsis per eos fiendam vehementer suspicabantur: quam si facerent, eos ex tunc advisaverunt & intimaverunt quòd si ejus occasione aliquem eligerent, ille non esset Papa, sed intrusus. Sed ipsi de istis non curantes, à requestis & verbis suis hujusmodi desistere noluerunt, immo in ipsis continuè perstiterunt. Et ne Cardinales possent Romam egredi aliumque locum adire, ubi eis faciendum fore videretur, pro electione futura liberiùs facienda, Romani prædicti claves & custodiam portarum & pontium urbis priùs existentes in manibus officialium Ecclesiæ sibi usurpaverunt, passus etiam & portus sui districtus per terram & aquam adeo claudi & custodiri ordinaverunt quòd sine ipsorum scitu, licentia, & voluntate ab inde nullus egredi poterat seu exire, nec etiam essent aliqui qui eorum malitiæ obviare possent, quique ne in dictos Cardinales insurgerent providerent de remediis opportunis. Nobiles insuper & Principes Romanos ad hoc sufficientes & opportunos facto edicto publico cum pœnarum magnarum adjectione de Roma expulerunt, locoque ipsorum rusticos homines effrænatos, utique bestiales ac ratione carentes, eorum vocabulo montanarios appellatos, ad dictorum Cardinalium terrorem in multitudine innumerabili Romam intromiserunt; qui die noctuque armati incedentes, ipsos eorumque familiares verbis opprobriosis & comminatoriis continuè flagitabant. Contra ipsorum etiam voluntatem de facto ordinaverunt custodes conclavis, qui per ipsos eligi consueverunt esseque viri probati, in talibus experti, ipsisque confidati, homines satis eis extraneos in talibus omnino inexpertos, de quorum etiam fidelitate multùm timere & suspicari poterant & debebant, cùm essent Romani, qui in cibariis ministrandis &

aliis contra ipsos multa mala poterant machinari & operari. Erant etiam simplicis conditionis & infimi generis, sic quòd non potuissent aliis malignare volentibus resistere quoquomodo. Ex eorum insuper ordinatione, hora qua Cardinales intrare debuerunt conclave, nedum dicti montanarii & rustici, sed etiam ceteri populares Romani utplurimum armati, congregati extiterunt in platea sancti Petri de directo sita ante portam palatii ubi dictum conclave erat paratum; qui omnes una voce tumultuosa & horribili clamaverunt & vociferaverunt aliqui dispositivè, *Romanum vel Italicum volumus* vel *habebimus*; aliqui præceptivè, *Romanum vel Italicum habeamus. Alioquin &c.* Sicque clamantes & vociferantes unà cum dictis Cardinalibus conclave sunt ingressi. Propter quorum pressuram nimiam vix & cum magna difficultate Cardinales conclave intraverunt. Post quorum ingressum prædictorum quamplurimi infra palatium remanserunt, immo ipsum quasi totum occupaverunt, se ipsos recludentes in cameris & locis quibus dictum conclave circumdabatur, & præsertim illis qui de directo erant subtus ipsum, in quibus fractis portis & muro violenter subintraverunt. Alii verò ab extra circum circa dictum palatium remanentes, sic & taliter ipsum circumdederunt quòd illud nullus intrare vel exire poterat nisi incideret in manus ipsorum. Dictis etiam Cardinalibus infra conclave existentibus, ac in propriis logiis seu cameris jam reductis, custodibusque conclavis ipsum claudentibus, contra morem solitum, qui est quòd nullus debet ad ipsos in conclavi inclusos ingredi usque post electionis Papæ celebrationem & publicationem, de hoc certificati, ipsum intraverunt duodecim capita regionum cum aliis pluribus ipsos concomitantibus, petentes quòd statim simul omnes in aliquo loco congregarentur, quia ipsi eis loqui volebant in communi; de quo ipsi valde turbati fuerunt. Dubitantes tamen eorum indignationem ipsosque contra eos amplius incitari, si in hoc non facerent quod petebant, licèt eis admodum displiceret, omnes in capella convenerunt, ubi ipsi affuerunt dicentes: *Domini, pro parte Romani populi aliàs vos sæpe requisivimus ut velitis eligere in Papam aliquem qui sit Romanus vel ad minus Italicus. Et quia usque nunc quid super hoc facere intenditis nihil nobis clarè respondistis, ideo iteratò vos de hoc nunc requirimus, volumusque ut modò expressè nobis dicatis voluntatem vestram, ut ipsam dicto populo nos mittenti referre valeamus.* Quibus dicti Cardinales dixerunt, secundùm quod aliàs in similibus requestis per eos ipsis factis fecerant, quòd non erat tunc hora de hoc faciendi mentionem, tamen auxiliante Domino in hoc facere proponebant illud quod videretur eis esse utilius pro bono regimine Ecclesiæ, ex quo, ut sperabant, totus mundus & ipsi deberent meritò contentari. Qui hoc audientes, & malè contenti, quia non clariùs exprimebant eis mentem suam, ipsis dixerunt. *Et nos clarè dicimus vobis quòd si non faciatis illud quod petimus, dictus populus de vobis malè contentabitur &, ut tenemus, contra vos commovebitur, ex quo sequentur scandala & pericula maxima, quibus de difficili poterit obviari. Et ita prædicimus vobis, ut bene deliberantes in agendis, provideatis circa securitatem seu indemnitatem personarum vestrarum.* Ad quæ dicti Cardinales responderunt, prout etiam aliàs in verbis similibus responderant, effectualiter protestando: *Ista verba manifestè sonant minas, & clarè indicant quòd impressio & violentia per vos & illos pro quorum parte ea dicitis contra nos procurantur & machinantur. Et ideo expressè nos dicimus vobis quòd si per vos aut ipsos*

aliqua contra nos attententur, prout sonant verba vestra, & contingat nos talium occasione aut timore aliquem eligere, credetis habere Papam, & non habebitis, quia non erit. Et sic ipsi conclave exiverunt. Regens verò officium Camerarii (qui pro tunc territus justo timore ipsorum, qui eum capere vel interficere fuerant machinati, in castro sancti Angeli reclusus ad hoc vacare non audebat, prout moris est) ordinavit quòd porta conclavis & ceteræ partes palatii fortiter clauderentur, ne aliqui ad loquendum cum ipsis Cardinalibus contra juris dispositionem aut pro ipsorum invasione ad eos de facili pertingere possent. Sed deputati ad custodiam palatii, qui erant de officialibus eorundem, hæc fieri minimè permiserunt, immo ex ipsorum ordinatione aliæ partes omnes ab illa hora in antea ex toto apertæ remanserunt, illam autem conclavis portam vix & magna difficultate claudi permiserunt satis debiliter, & hoc etiam hora tarda & inordinata, cùm jam ferè omnes Cardinales lectos intravissent. Prædicti insuper palatium occupantes & ab omni parte circumdantes tota illa nocte non cessarunt clamare & vociferare vocibus altis & terribilibus, aliqui *Romanum vel ad minus Italicum volumus, habeamus*, vel *habebimus*, aliqui verò *moriantur, moriantur.* Illi verò qui de directo erant subtus conclave, cum gladiis & lanceis ipsius solarium fortiter concutiebant ad eosdem Cardinales peramplius terrendum & molestandum. Aggregarunt etiam arundines sive cannas siccas & sarmenta in grandi quantitate ad supponendum ignem solario antedicto. Propter quod dicti Cardinales, nec immeritò, turbatissimi ferè totam noctem illam duxerunt insomnem. Qui dum de mane essent congregati in capella, suasque audirent Missas, Romani prædicti in loco ipsi capellæ contiguo soloque tantùm pariete ab ipsis distante adunati voces suas terribiliores ac altiores quàm priùs exaltare cœperunt in tantum quòd vix audiri & intelligi poterant Missas ipsorum celebrantes. Campanas insuper grossas campanilis Ecclesiæ sancti Petri palatio contigui ac etiam illam Capitolii ad martellum seu modum quo pulsari seu percuti solent cùm adunatur populus ad rumorem seu hostium invasionem, indesinenter uno impetu ac eodem contextu pulsaverunt; ad quarum sonum populares alii velut furibundi cucurrerunt ad palatium, utplurimum armati ipsum intrantes, quotquot infra recipi potuerunt, aliis ab extra manentibus ipsum undique circumdantibus, qui omnes una voce tumultuosè & horribiliter clamaverunt & vociferarunt se omnino habere velle Papam Romanum vel ad minus Italicum; venientesque ad portam conclavis, ictibus & percussionibus validissimis ipsam excutere cœperunt, alta voce ab extra petentes ut ipsius fenestra per Cardinales à parte interiori confestim aperiretur. Quo facto, petierunt ut ipsorum aliqui ad eos ibi venirent locutum. Ad quos de aliorum mandato iverunt tres Priores cujuslibet ordinis, qui ibidem viderunt & invenerunt multitudinem innumerabilem armatorum paratorum, ut evidentissimè demonstrabant, & eorum verba clarè indicabant, statim in eos irruere ipsosque interficere; clarèque & intelligibiliter eis dixerunt quòd statim & sine ulteriori mora eligerent in Papam aliquem Romanum vel ad minus Italicum, haberentque pro firmo quòd nisi ita facerent, confestim & indilatè & absque quocunque remedio omnes inciderentur per pecias sive frusta. Et hoc idem eis dixerunt & super eo advisaverunt ipsos aliqui cismontani, qui eos diligebant, ibi tunc existentes de eorum intentione jam certificati. Dicti autem tres Cardinales conati

conati sunt ipsos cum bonis & blandis verbis retrahere. Sed tunc unanimiter fortiùs infremuerunt & voces suas exaltarunt. Quæ cùm per ipsos aliis Cardinalibus relata fuissent, omnes, nec immeritò, attoniti & stupefacti cogitare cœperunt & inter se mutuò loqui quid facturi essent. Sed cùm clamor & tumultus prædictorum augerentur, de subito insultu timuerunt; fuitque de voluntate aliorum quòd dicti tres Cardinales, qui priùs eis locuti fuerant, ad dictam fenestram redirent causa ipsos retrahendi, si possent; quòd si non possent aliter, eis dicerent & promitterent pro parte omnium quòd haberent Papam Romanum vel Italicum, prout petebant, infra horam tertiam diei subsequentis, sperantes quòd sub hujus promissionis prætextu à suo dicto furore retraherentur. Quod & dicti tres Cardinales fecerunt. Sed nec sic illi se retrahere voluerunt, immo nec cessare ab inceptis. Tunc iidem tres Cardinales ad alios redeuntes, & eos de præmissis informantes, ad invicem conferre cœperunt quid Ecclesiæ & ipsis foret expedientius, in prædictorum manus incidere, aut contra conceptum seu velle proprium aliquem eligendo eorum inordinatæ condescendere voluntati. Sed propter augmentum dictorum clamorum & fortificationem percussionis ad portam æstimaverunt ipsius subitam fracturam & sic mortem jam propinquam ipsis imminere; cujus timor adeo corda eorum conturbavit quòd citra ulteriorem deliberationem insistere nequiverunt, sed solùm ad hoc declinaverunt ut omnino ad mortis evitationem totis viribus & viis omnibus intenderent & vacarent. Et quia visum hoc fuit eis non esse tunc possibile nisi juxta prædictorum petitionem & voluntatem eligerent Romanum vel Italicum, ad sic faciendum descenderunt ut instans periculum evitarent, aliàs tamen minimè facturi, si tunc ibi vel alibi in suis debitis libertate & securitate fuissent, secundùm quod aliqui eorum priùs secretè in præsentia Notarii & testium fuerant protestati, & ferè omnes saltim cismontani duas partes facientes effectualiter dixerunt in communi. Qui demum sic angustiati & molestati circa qualitates & merita personæ eligendæ debitè deliberare non valentes, tandem aspectum habuerunt ad Bartholomæum de Prinhano tunc Archiepiscopum Barensem, natione Italicum, utpote de Neapoli oriundum; ipsumque subitò & ex abrupto elegerunt, credentes firmiter quòd statum hujusmodi, etsi fortè pro eorum indemnitate ad tempus acceptaret, ipsum tamen citò pòst dimitteret, cùm de voluntate eorum, quæ ad hoc libera non fuerat, existeret informatus. Præsens enim fuerat in consiliis dictorum Romanorum in quibus violentiæ prætactæ ordinatæ extiterant, & cum illatæ fuerunt, oculata fide perspexit. Et cùm inter alios Prælatos tunc curiam sequentes æstimaretur bonæ conscientiæ ac timens Deum, essetque etiam informatus in jure, cùm Doctor in jure canonico existeret, ac stilo curiæ, cujus cancellariam tunc regebat, & sic sibi clarè constare poterat talem electionem factam per tam notoriam impressionem subsistere non debere, erat verisimiliter sperandum quòd statum prædictum cum sua & aliorum damnatione nullatenus retineret. Et ita expressè eo tunc dictum fuit inter dictos Cardinales. Qui demum dictis Romanis præsentibus, sicque cum instantia fieri poscentibus, ipsum inthronizaverunt. Qui ab inde nomine proprio derelicto, Vrbanus sextus voluit nominari. Nec fuit fas aut securum remedium dictis Cardinalibus Romæ existentibus quò minùs paulò post ipsum coronaverunt, ipsumque in ceteris actibus tractaverunt tanquam Papam,

attento quòd Romani in suo priori perverso proposito persistebant. Circa hoc etiam multa mala intervenerunt quæ temeritatem ac violentiam & impressionem Romanorum exaggerant, aggravant, & clarè demonstrant: quæ recitare omitto gratia brevitatis, & quia ad eorum damnationem satis credo sufficere quæ jam scripsi. Quæ etiam extra conclave attentata sunt ego ipse tunc Romæ existens utplurimum vidi. Super iis verò quæ intra conclave gesta vel dicta sunt me liquidè informarunt dicti Cardinales, cum quorum pluribus super iis sæpius sum locutus; & prout ea ab eis didici, in his scriptis redegi, ut ea nescientibus nota fiant, veniantque in memoriam aliorum qui de ipsis mentionem jam fieri audiverunt vel audient in futurum.

SECVNDA VITA GREGORII XI.

GREGORIVS XI. natione Lemovicus, ex patre Guillelmo Comite Bellifortis, fuit electus in Papam penultima die mensis Decembris in Avinione, & ibidem coronatus in palatio apostolico quinta die Ianuarii, quæ fuit die dominica, in vigilia epiphaniæ. Hic priùs vocabatur Petrus Diaconus Cardinalis Bellifortis: qui quarta die dicti mensis per Dominum Cardinalem de Bolonia factus fuit Presbyter, & in die epiphaniæ celebravit pontificaliter. Seditque annis septem, mensibus duobus, diebus XXVII. post annos nativitatis Domini MCCCLXXI. & in die suæ coronationis equitavit per civitatem Avinionis, præsente Domino Duce Andegavensi, qui eum destravit pedes.

Hic eodem anno, pontificatus sui anno primo, in feriis quatuor temporum post Pentecosten, fecit ordinationem duodecim Cardinalium, de quorum numero fuit Dominus Robertus Gebennensis, qui tunc erat Episcopus Cameracensis, qui successit in papatu Domino Gregorio XI.

Eodem anno, in æstate sequenti ivit ad Villamnovam Avinionensis diocesis, ubi stetit per aliquod tempus. Multa quidem & alia fecit illis temporibus quæ non sunt scripta hîc.

Anno verò Domini MCCCLXXIV. dictus Dominus Papa fecit processus contra Florentinos; & in fine fuerunt reputati schismatici, & fuerunt projecti de Avinione, & bona eorum capta.

Sequenti anno Domini MCCCLXXV. & pontificatus sui anno quinto, in feriis quatuor temporum ante nativitatem Domini, fecit ordinationem novem Cardinalium, de quorum numero fuit Dominus Petrus de Iudicia consanguineus dicti Domini Papæ, qui ante paucos dies fuerat Archiepiscopus Narbonensis, postea Archiepiscopus Rothomagensis, & in sequenti Cardinalis, ut dictum est, post mortem Domini Cardinalis Guillelmi fratris sui; qui obierat in domo sua propria anno Domini MCCCLXXIV.

Et dictus Dominus Papa recedens de Villanova, ivit versùs castrum de Novis, & transiens Avinioni, noluit intrare palatium, & postea de Novis ivit ad Orgonum, & de Orgono ad Celonem, & in dictis locis stetit per totam æstatem.

Eodem anno fuit maxima caristia in tota lingua occitana & in multis aliis locis, taliter quòd in Avinione valebat saumata frumenti decem florenis,

& in multis aliis valebat viginti, & in aliis valebat xxv. & ultra. In Avinione fuit ordinatum inter Papam & Dominos Cardinales quòd unusquisque provideret hospitalibus, taliter ut nullus juxta posse fame periret, & ita fuit factum & ordinatum inter eos.

Anno nativitatis Domini MCCCLXXVI. die Martis ante festum Pentecostes fuit missus Legatus à latere in Italiam Dominus Robertus Cardinalis Gebennensis, qui pro Ecclesia multa passus fuit. Et sequenti anno MCCCLXXVIII. venit Romam, ubi tunc Papa erat.

Anno nativitatis prædictæ MCCCLXX. sexto die sabbati intitulata die XIII. mensis Septembris dictus Dominus Gregorius Papa undecimus recessit ab Avinione causa eundi Romam. Et dum in palatio vellet ascendere equum, equus vix permisit ipsum ascendere; & quando fuit in villa juxta macellum, ex toto recusavit ipsum portare, & ipsum oportuit ibi descendere & ascendere alium equum. Et propter hoc & multa alia pericula quæ postea evenerunt in mari cogitatum & dictum fuit à multis quòd contra voluntatem Dei ibat Romam. Die verò XXII. dicti mensis intravit Massiliam, transeundo per sanctum Maximinum ob reverentiam beatæ Mariæ Magdalenæ; & per dictam civitatem Massiliæ honorificè equitavit, & venit ad sanctum Victorem, ubi stetit per aliquos dies. Et secunda die mensis Octobris intravit galeam, gressum suum arripiendo, & nona die dicti mensis intravit portum Villæfranchæ prope Niciam, & ibi stetit per aliquos dies, quia non erat ausus exire propter tempestatem maris. Et antequam esset ad dictum portum, dum esset in mari, fuit tanta pestilentia quòd oportuit multa bona projicere de galeis in mari propter elevationem. Die verò XVIII. dicti mensis intravit Ianuam, ubi stetit per undecim dies; & exeundo Ianuam, intravit portum Dalphinum, à quo non potuit exire propter tempestatem maris; sed ultima die dicti mensis exivit in terram, & ivit ad quoddam monasterium monachorum nigrorum quod vocatur sancti Hieronymi, & distat à portu per tria milliaria; ubi celebravit, & fuit factum officium sollemniter, ut est moris. Die verò septima Novembris intravit portum Livornæ prope Pisis, & stetit per novem dies propter tempestates maris. Et ibi præsentaverunt Pisani Domino Papæ vitulos, mutones, panem & vinum, & multa alia honorificè, & etiam cuilibet Dominorum Cardinalium duas botas vini, unam de Græco, aliam de clareto, duos vitulos, duos mutones, & quatuor saccos panis, & hospitia cuilibet sufficientia juxta qualitatem loci. Postea venit ad portum de Plumbis, & intravit castrum, & stetit per aliquos dies. Deinde venit in Bacellum. Stetit etiam per aliquos dies. Et ubicunque staret, stabat propter tempestatem maris. Postea venit Cornetum, ubi stetit cum Dominis Cardinalibus per omnia festa nativitatis Domini. Anno nativitatis Domini MCCCLXXVII. die Mercurii XIV. mensis Ianuarii dictus Dominus noster Papa venit ad portum Ostiæ prope Romam XVI. milliaribus. Die Iovis verò sequenti, quæ fuit XV. ejusdem mensis, venit ad sanctum Paulum, semper in galea stando per Tyberim. Die sabbati verò fecit celebrare in altari beati Pauli, & ibi audivit Missam; fueruntque ibi Romani semper cum eo. Et dicta Missa, dictus Dominus noster Papa intravit Romam cum dictis Romanis satis honorificè, præsentibus omnibus Dominis Cardinalibus, videlicet Domino Petro Episcopo Portuensi, Iohanne Episcopo Penestrino, Guillelmo tituli sancti Stephani in Cœlio monte, Francisco tituli sanctæ Sabinæ, Bertrando tituli sanctæ Cæciliæ, Hugone tituli quatuor coro-

natorum, Simone tituli sanctorum Iohannis & Pauli, Guidone tituli sanctæ crucis in Hierusalem, Iohanne tituli sancti Marcelli Presbyteris Cardinalibus, Iacobo tituli sancti Georgii ad velum aureum, Guillelmo tituli sancti Angeli, Petro tituli sanctæ Mariæ in Via lata, Petro tituli sanctæ Mariæ in Cosmedin Diaconis Cardinalibus. In Avinione verò remanserunt Domini Anglicus Albanensis, Ægidius Tusculanus, & Iohannes Sabinensis Episcopi, Petrus tituli sanctæ Anastasiæ & Guillelmus tituli sancti Vitalis Presbyteri, ac Hugo sanctæ Mariæ in porticu & Petrus sancti Eustachii Diaconi Cardinales, qui postea, [videlicet] dictus Cardinalis sancti Eustachii, sequutus fuit Papam in Italiam. Petrus Cardinalis Narbonensis tituli sancti Clementis, qui sequutus fuerat Papam, obiit in civitate Pisana vigesima die mensis Novembris, & in Ecclesia cathedrali sanctæ Mariæ fuit traditus in commendam anno MCCCLXXVI. qui postea translatus fuit Narbonam & tumulatus in sepulcro suo pulcherrimo, quem ipsemet ibidem fecerat ædificare. Et sic equitando dictus Dominus Papa per Romam pontificaliter venit ad sanctum Petrum cum maxima multitudine populi, & erat quasi hora vesperorum; & etiam alia maxima multitudo Romanorum expectabat eum in platea sancti Petri cum magnis cereis illuminatis in maxima quantitate, & etiam omnes lampades Ecclesiæ sancti Petri, quæ erant in numero, ut dicitur, quasi octodecim millia. Die verò vicesima prima dicti mensis, qua erat festum sanctæ Agnetis, celebravit summo mane secretè, januis clausis, in altari sancti Petri, & posuit Veronicam sanctam supra altare; & dicta Missa, retulit eam in loco suo. Item ibidem celebravit pontificaliter in festo cathedræ sancti Petri, & etiam in festo Paschæ. Item sextadecima die mensis Maii ejusdem anni, quæ erat vigilia sanctæ Pentecostes, venit ad Ecclesiam patriarchalem sanctæ Mariæ majoris, ubi in crastinum celebravit. Et in sequenti die ivit ad sanctum Iohannem Lateranensem. Postmodum die sequenti ad sanctum Paulum. Extitit verò in dicta Ecclesia sanctæ Mariæ majoris usque ad diem sabbati post festum corporis Christi. Et dicta die exivit de Roma pro eundo Anagniam, & secunda die Iunii anni prædicti intravit Anagniam, & stetit ibi usque ad quintam diem Novembris. Qua die exivit de dicta civitate pro revertendo Romam, & septima die ejusdem mensis intravit Romam. Die verò vicesima septima mensis Martii anni Domini MCCCLXXVIII. in secunda hora noctis in palatio apostolico diem suum clausit extremum. Sollemnitas verò exequiarum suarum facta fuit honorificè, ut decebat. In crastinum verò fuit deportatum [corpus ejus] sollemniter ad sanctam Mariam novam sitam prope Capitolium, ubi novena fuit integrè completa; factaque novena, omnes Domini Cardinales venerunt ad sanctum Spiritum, & fecerunt ibi celebrare Missam de sancto Spiritu. Et dicta Missa, fuerunt ibi Romani.

Et tunc Domini Cardinales ordinaverunt inter eos quòd quinque Romani, videlicet duo Episcopi, & tres laici, cum tribus ultramontaneis seu Gallicis, quorum nomina erant ista, videlicet Dominus Episcopus Massiliensis, P. de Murlis, & Bertrandus de Veyraco; qui quidem octo debebant cognoscere & honestè servare ipsum conclavum & ipsos Dominos Cardinales ab omni mala perturbatione & impedimento ac molestia &c. itaque attendere & servare juraverunt. Et dicta die intravit fulgur inflammatum in conclavi cum magno tonitruo, & fregit aliquantulum coperturam & plura alia, & postea exivit per fenestram,

videntibus omnibus ibi præsentibus. Sub illa verò confidentia sacramenti Romanorum dicti Domini Cardinales die septima Aprilis intraverunt ipsum conclavum, officialesque Romanorum omnes armati cum maxima multitudine Romanorum intraverunt etiam cum dictis Dominis Cardinalibus. Et quando socii dictorum Dominorum Cardinalium & alii Prælati, * * Dominus Episcopus Massiliensis, qui locumtenens Camerarii erat, qui Dominus Camerarius posuerat se in castro sancti Angeli tam pro custodiendo personam suam quàm pro custodiendo dictum castrum, dixit Romanis prædictis ut exirent de conclavi, & permitterent ibi stare Dominos Cardinales, quia volebat & intendebat claudere conclavum, ut facere possent illud quod debebant. Tunc verò isti maledicti Romani nolebant exire; transactaque quasi una hora, Dominus Massiliensis fecit tantum quòd exirent præter quadraginta vel quasi; qui etiam armati erant, & ipsi nolebant exire; sed perquisiverunt totum conclavum per omnes lotgias seu cameras Dominorum Cardinalium sub lectis & retro & in latrinis, dicentes: *Volumus videre si hic sunt homines armorum absconsi, aut si sunt foramina per quæ aliquis posset intrare vel exire.* Alii verò qui exierant custodiebant portam conclavi clamantes & dicentes alta voce in lingua eorum: *Romano lo volemo lo Papa, Romano lo volemo.* Tunc verò Dominus Episcopus Massiliensis eisdem Romanis dixit quòd malè faciebant quia non exibant conclavum. Et ipsi Romani responderunt & dixerunt: *Expectamus alios duos officiales istius civitatis qui debent venire ad recipiendum licentiam à Dominis Cardinalibus.* Et tunc quasi in continenti veniunt illi duo; & dum fuerunt infra conclavum, sic [dixerunt:] *Volumus loqui cum omnibus Dominis Cardinalibus.* Tunc intraverunt omnes parvam capellam, & ibi dederunt eis audientiam. Vnusque illorum inveteratus dierum malorum, Deum non habens præ oculis, proposuit coram dictis Dominis Cardinalibus, dicendo sic.

Reverendissimi Domini mei & totius mundi, totus populus sanctus Romanus recommendat se gratiæ omnium dominationum vestrarum, supplicando ut dictum sanctum populum placeat & dignemini habere recommendatum. Qui quidem populus sanctus per septuaginta annos & ultra de summo Pontifice & pastore stetit orphanus: & cùm civitas ista sit caput totius christianitatis secundùm ordinationem beatorum Petri & Pauli Apostolorum, quibus Iesus Christus claves regni celorum tradidit dicendo sic, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam. *Quare cùm dicti Apostoli fecerint & ordinaverint hic fundamentum totius fidei christianæ, videmus quia nulli Papa efficiuntur sancti nisi illi qui visitant dictum sanctum populum, sicut Dominus Vrbanus Papa V. qui ipsum populum sanctum visitavit; Dominusque Gregorius, qui nunc diem suum clausit extremum, etiam sanctus est, prout firmiter credimus, quia etiam visitavit ipsum populum sanctum, Deus verò facit multa miracula pro eo. Quare supplicatur vobis pro consolatione totius populi sancti prædicti facere habeatis unum Papam Romanum, quia hic invenietis multos magnos clericos nobiles, sapientes, idoneos ad dictum officium papatus gubernandum. Si autem hoc facere non vultis, perquiratis totam Italiam; quia bene erit mirum si non invenitur unus idoneus. Et si hoc facitis, magnam consolationem dabitis dicto sancto populo & etiam toti Italiæ. Si autem facere nolueritis, sciatis, sanctissimi Domini mei, quòd primò nos, qui officiales sumus, erimus mortui omnes & occisi, & certè vos etiam omnes, quia bene potestis audire clamorem populi clamantis: Romano lo volemo lo Papa, Romano lo volemo,*

ò al manco, al manco, Italiano. Quibus dixerunt dicti Domini Cardinales: *Exite aliquantulum foras, & loquamur insimul.* Qui exierunt. Consilio verò habito inter ipsos Dominos Cardinales, fecerunt dictos Romanos vocari. Et quando fuerunt coram dictis Dominis Cardinalibus, Dominus Cardinalis Florentinus, quia primus, dixit eisdem sic: *Nos miramur multùm de vobis, quoniam vos estis antiqui sapientes & clerici, habetisque canonicas authenticas, & scitis bene quomodo debet fieri talis electio, quia talis electio tanti pastoris non debet fieri ex requisitione, favore, metu, aut aliquo strepitu, sed tantummodo duntaxat ut omnes Cardinales unanimiter & concorditer ex nudo in contemplatione divina & inspiratione Spiritus sancti debemus & volumus facere talem electionem, & cùm ista non ignoretis, non debetis facere talem requisitionem, nec nos non debemus nec possumus aut tenemur aliquomodo vobis facere responsionem.* Et in continenti facta ista responsione, alter Romanus fortiùs requisivit ipsos Dominos Cardinales, supplicando eis & minando sicut priùs. Item etiam quidam alter Romanus eodem modo & fortiùs proposuit semper minando. Et tunc Domini Cardinales dixerunt eis sic: *Nos sumus in potestate vestra, & potestis nos occidere, si vultis; sed si sciremus mori, non faciemus nisi illud quod Deus nobis ordinabit & administrabit. Videte, cras dicemus unam Missam de sancto Spiritu, ut moris est, & postea faciemus quod Spiritus sanctus nobis inspirabit seu administrabit.* His dictis, exierunt dictam capellam, & Romani cum eis semper litigando, & alii Romani, qui stabant foris clamantes semper unanimiter & concorditer in lingua eorum dicentes ut suprà, videlicet, *Romano lo volemo lo Papa, ò al manco, al manco, Italiano.* Aliqui verò ultramontani sive Gallici dicebant: *Si fi, aco esto pla.* Tunc respondebant Romani: *Si in dispetto di Christo ò per las clavellatas deeu non l'averemo Romano ò al manco Italiano, e se non lo fanno, tutti quanti questi Cardinali & Francesi faranno tagliati à pezze.* Et hoc facientes & dicentes, venit unus illorum Romanorum qui erant infra conclavum; & aperuit fenestram conclavi, & dixit illis Romanis qui clamabant in lingua sua: *State in pace, perche li Signori Cardinali dicono cosi che domani faranno dire una Messa dello Spirito santo, e poi faranno che voi sarete contenti.* Qui verò Romani maledicti tunc responderunt sic: *No, mò lo volemo, mò.* Et interim ridebant inter se, & unus faciebat alteri signum ut plus clamarent ut suprà. In circuitu verò conclavi erat maxima multitudo Romanorum cum caboris & flautis, & eodem modo clamabant fortiter juxta posse. Et transactis quasi tribus horis noctis, Dominus Massiliensis fecit tantum cum ipsis Romanis quòd exierunt conclavum, sed non permiserunt conclavum claudere, immo dicebant quòd intendebant ipsum intrare & exire quando eis placeret. Et interim Dominus Massiliensis duxit illos magnates & officiales in camera papali, & fecit poni mensas, & dedit eis ad comedendum & bibendum quantum voluerunt, & fecit tantum cum eis quòd permiserunt claudere ipsum conclavum. Tamen bene perquisiverunt totum palatium & totum hospitium Domini Camerarii, & totum illud quod invenerunt deprædaverunt, & in majori parte vinum devastaverunt tam bibendo quàm per terram projiciendo. Omnis verò clamor iste duravit per totam illam noctem. Et quando venit in crastinum, in die Iovis, quæ erat octava dies Aprilis, dicti Romani miserunt quæsitum omnes alios Romanos ad juvandum in clamore & terrore. Et ut citiùs venirent & magis tumultus fieret & rumor, venerunt ad campanile sancti Petri juxta palatium,

& fregerunt portam, & ascenderunt ipsum campanile, & omnes campanas repicaverunt & pulsaverunt ita terribiliter quòd videbatur esse ignis per totam Romam. Et in momento venit tantus tumultus & innumerabilis populus maledictus Romanus cum gladiis & fustibus quòd videbatur quòd vellent omnes transmontanos & Gallicos occidere aut capere. Et quando Domini Cardinales audierunt tantos rumores & tumultus populorum, fecerunt quòd Dominus Cardinalis sancti Petri ivit ad januam conclavi, & fecit aperiri fenestram. Et dum loquebatur cum eis ut tacerent & expectarent aliquantulum, quia intentio erat Dominorum Cardinalium ut complacerent eis in iis quæ petebant, illi autem qui stabant à longè quærebant & petebat quid hoc esset. Qui responderunt: *Dominus Cardinalis sancti Petri.* Et illi intellexerunt quòd dictus Dominus Cardinalis sancti Petri esset Papa, & clamaverunt: *Papam habemus Cardinalem sancti Petri.* Et cum ista voce exierunt Romani quasi pro majori parte clamantes per villam & dicentes: *Viva, viva sancto Pietro.* Et iverunt ad hospitium suum sic clamantes, & deprædaverunt & destruxerunt omnia quæ habebat in ipso hospitio, & interim dicti Domini Cardinales steterunt aliquantulum in pace. Et dum ipsi Domini Cardinales essent in miserrimo prandio, Romani videntes quòd non aperiebant portas, venerunt cum terribili furore, & fregerunt portas ipsius conclavi. Et dum eas frangebant, nonnulli Dominorum Cardinalium fecerunt unum foramen ad fugiendum. Et dum fugam arripuissent per domum Domini Camerarii, in qua domo multi maledicti Romani erant, qui in continenti invenerunt Dominos Cardinales & eos malitiosè ceperunt & duxerunt in palatio per majorem portam ipsius in præsentia omnium violenter, ut si essent digni morte, adduxerunt ad conclavum. Alii verò Romani intraverant & fregerant dictum conclavum, & deprædabantur omnia quæ habere poterant de cameris dictorum Dominorum Cardinalium. Tamen servitores dictorum Dominorum Cardinalium reservaverunt aliqua bona ex favore aliquorum Romanorum qui erant de familiaritate eorum. Dicti verò maledicti Romani tenebant Dominos Cardinales & dicebant: *Verè abhinc non exietis donec feceritis nobis Papam Romanum vel Italianum.* Qui responderunt: *Nonne habetis vos Dominum sancti Petri?* Et Dominus Cardinalis de Britannia induit sibi chlamydem. Tunc dicti maledicti Romani receperunt eum, & juvaverunt sibi induere chlamydem, ponentes eum supra altare, impendendo eidem reverentiam, osculandoque ejus pedes & manus. Et ipse, ut fidelis catholicus, noluit acceptare. Immo clamabat: *Permittatis me ire, quia ego non sum Papa, nec volo esse.* Tunc respondentes increpabant eum dicentes: *O caye me pilha aquesto bacone.* Qui plus clamabat & maledicebat eos ut eum dimitterent. Et dicti Romani videntes hoc dixerunt: *Va, che tu sia maledetto.* Et dimiserunt eum. Et tunc servitores sui accesserunt ad eum, & receperunt eum quasi mortuum præ nimia fatigatione Romanorum, & deportaverunt eum in cameram papalem, ministrantes ei, & ibi requievit. Et interim omnes Domini Cardinales dixerunt Romanis: *Permittatis nos recedere, quia verò vos habetis Papam, & cras veniemus hic, & sollemniter, ut moris est, publicabimus eum.* Et tunc dimiserunt eos. Et recesserunt pedes, unus sine capa, alter cum capa, alter sine capucio, soli, sine sociis scutiferis. Sed maledicti Romani armati associabant eos taliter quòd videbatur ut ducerent eos ad carcerem. Et dum associabant Dominum

Cardinalem de Luna transeuntem per pontem sancti Angeli, illi qui erant in custodia castri cogitantes quòd ducerent ipsum ad carcerem, irruerunt in eos; sed Dominus Cardinalis dixit eis: *Permittatis, quia ipsi associant me usque ad domum meam.* Et permiserunt. Et interim aliqui dictorum Romanorum, qui erant bene armati, furore repleti, reversi sunt ad plateam sancti Petri clamantes terribiliter: *Mueyro le bracore toti quanti & le franchilone.* Et cum isto clamore venerunt ad domum Domini Cardinalis de Britannia, & deprædaverunt omnia quæ invenerunt, & abstulerunt sibi capam, & ceperunt omnes familiares suos quos poterant invenire, vestes & omnia quæ habebant eis abstulerunt, & aliquos ad carceres duxerunt. Et interim venit Dominus Guido de Proinis, qui tunc erat Senator urbis, & increpavit Romanos, & invenit dictum Dominum Cardinalem solum, & ordinavit quòd iret ad domum Domini Cardinalis sancti Eustachii, & ivit sine capa & capucio. Domini Cardinales stabant unusquisque in domo sua cum maximo timore. Facta autem nocte, aliqui Dominorum Cardinalium præ timore dissimulatè intraverunt castrum sancti Angeli, & aliqui exierunt urbem, aliqui verò in domibus suis remanserunt. Et die crastina, quæ erat die Veneris IX. Aprilis, post prandium, venerunt ad palatium, exceptis illis qui exierant urbem; & congregati insimul in capella vocaverunt Archiepiscopum Barensem, & publicaverunt ipsum fore Papam, & induerunt, cantantes cum miserrima voce *Te Deum laudamus*. pulsando campanam, & impenderunt ei reverentiam, ut moris est. In die verò sancto Paschæ, quæ erat XVII. Aprilis, fuit coronatus, & equitavit processionaliter, ut moris est, ad sanctum Iohannem Lateranensem, & ibi fecit cerimonias suas, & reversus in prandio ad palatium sancti Petri.

Post paucos verò dies Domini Cardinales inceperunt exire Romam, duo uno die, unus alia, unus cum licentia, alter sine licentia, & sic de aliis, taliter quòd nullus Gallicus remansit; & omnes iverunt Anagniam volentes procedere contra dictum intrusum, qui sic violenter voluit tenere papatum.

Et videns dictus intrusus sic omnes Cardinales recessisse exivit Romam, & die XXVI. Iunii equitavit quasi stultus sine cruce præcedente & sine corpore Christi & sine ullo Cardinali, & ivit ad unam civitatem quæ vocatur Tiburis, quæ distat ab urbe per XV. milliaria, & tenetur à Romanis. Et post paucos dies venerunt ad eum Domini Cardinales Italici, videlicet de Florentia, de sancto Petro, de Mediolano, & de Vrsinis, & steterunt continuè per aliquos dies.

Et stando Domini Cardinales, videlicet Lemovicensis, de Agrifolio, Gebennensis, Glandevensis, Pictavensis, Britanniæ, Ambianensis, Vivariensis, Majoris monasterii, sancti Eustachii, sancti Angeli, de Vernhio, & de Luna in Anagnia, venerunt Domini Cardinales de Florentia, de Mediolano, & de Vrsinis Anagniam, & ibi steterunt per aliquos dies in consilio cum eis, & postea reversi sunt ad dictum intrusum. Et post paucos verò dies Dominus Cardinalis de Vrsinis venit iterum Anagniam, deinde reversus est ad dictum intrusum; & mora facta cum eo per paucos dies, ex toto omnes dimiserunt eum, & venerunt prope Anagniam per octo milliaria, ubi postea magno steterunt tempore.

Post hæc verò Dominus Petrus Archiepiscopus Arelatensis sedis apostolicæ atque sanctæ Romanæ Ecclesiæ Camerarius de consensu & ordinatione Dominorum Cardinalium, qui bene totum factum cordi habebat cum Domino Comite Fundorum, mandato eorum

eorum mandavit Domino Bernardo de la Sala ut veniret cum gentibus suis armorum pro custodia sacri collegii, ne fortè venirent Romani & tollerent locum & gentes. Et veniens dictus Dominus Bernardus cum gentibus suis de partibus Viterbii, transiens prope Romam juxta unum pontem, veniunt Romani in maxima multitudine armati contra eum. Et dictus Dominus Bernardus rogabat eos ut permitterent ipsum transire. Qui responderunt: *Verè tu non transies, immo hic cum tota gente tua morte morieris.* Et videns dictus Dominus Bernardus Romanos ita furiosos in eum, congregavit omnes gentes suas, & facto maximo clamore irruit in eos. Qui Romani subitò fugam ceperunt hinc inde; & in fuga illa mortui fuerunt de Romanis quasi quingenti, & multi captivati. Et sic dictus Dominus Bernardus cum gentibus suis transivit pontem, & venit Anagniam.

Die verò nona Augusti ejusdem anni procedentes in declaratione Domini Cardinales Gallici fecerunt celebrare sollemniter unam Missam de sancto Spiritu in Ecclesia majori Anagniæ per Dominum Patriarcham Constantinopolitanum natione Italicum de comitatu Fundorum. Et dicta Missa, ipsemet sermocinavit. Et post sermonem fecerunt legere per unum clericum declarationem contra intrusum, cujus tenor talis est.

Miseratione divina Iohannes Episcopus Penestrinus, Guillelmus tituli sancti Stephani in Cœlio monte, Bertrandus tituli sanctæ Cæciliæ, Robertus tituli basilicæ XII. Apostolorum, Hugo tituli sanctorum quatuor coronatorum, Guido tituli sanctæ crucis in Hierusalem, Iohannes tituli sancti Marcelli, Geraldus tituli sancti Clementis Presbyteri, Petrus tituli sanctæ Mariæ in Via lata, Petrus tituli sancti Eustachii, Guillelmus tituli sancti Angeli, Petrus tituli sanctæ Mariæ in Cosmedin Diaconi sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales facientes ultra duas partes omnium Cardinalium in urbe existentium tempore obitus sanctæ memoriæ Domini Gregorii Papæ XI. & eo tempore quo sui successoris debuit in eadem urbe electio celebrari. Vrget nos Christi caritas, urget & zelus fidei, urget certè Petri navicula, quam continuis concussam fluctibus cernimus procelloso in æquore nauta pyratico circumdati, urget arca fœderis Dominique novorum Philisteorum impetu Israëlitarum erepta de manibus, prophanis sacerdotibus pretio populi in ministerium tempore est relicta, urgent vasa sacrarii, quæ Hierusalem ad Babylonem portata sunt, quibus temerariam manum injecit præsens Babylonius Balthazar sic ut eis ad usus proprios potiatur, urget Domini inconsutilis tunica, quæ jam fortè non uni traditur, immo sub souna hoc percipienda, si possibile foret, ministris Sathanæ exhibetur, urget pudoratæ sponsæ Christi calamitas, quæ vim quam patitur ægrè ferens, nos omnes jam de tarditate arguens impellit ad debitum, ne ob defectum obsequii Senonum pateat incursibus & infelicibus manibus attractanda linquatur, urget ultra hæc omnia singularis illa affectio quam vos erga orthodoxæ fidei conservationem habere cognovimus ut ea quæ iis novissimè lapsis temporibus in vacatione Romanæ Ecclesiæ occurrerunt serenitati regiæ nota fiant; ne fortè vulgaris opinio, quæ veritatis ignara errorem sæpe percurrit, vos in hac parte traheret ad illa forsitan opinanda quæ nec veritatem sapiunt nec catholicæ fidei se coaptant. Non enim revocamus in dubium quin sicut magister & Rex omnium providus dispensator vos præ aliis voluit regale conscendere solium regnique sceptrum tenere, sic dum lamentabilem casum ipsius Ecclesiæ sponsæ suæ matrisque vestræ & fidelium omnium

per præsentis scripturæ paginam, quam pro rei gestæ veridico testimonio mittendam decernimus, senseritis, pia vestræ compassionis viscera movebuntur, mens excitabitur regia, auferetur opinio, & gementi matri non deerit tam probati filii præsidium, immo sub corona capitis illius protegetur. Nulla ergo vos obumbratæ veritatis seducat phalerata opinio, nulla scriptura propter hæc haut certos reddat, nulla nuntiorum multiplicata congeries lacteis suis, fictè tamen compositis, sermonibus regias sic aures demulceat quin sedenti arido super circulo & ad nil aliud quàm lamentosis luctibus jam vacanti subveniant raptæ matris oculis filii hoc cernentes, ne raptorum ipsius satietur taliter ingluvies quin filii baculo sustentetur. Nos igitur matris hujus vernaculi, qui vim quam patitur unà cum ipsa patimur, nec immeritò, incessanter, usque ad hæc tempora distulimus in hac re procedere ad actus debitos, metu justo nusquam à nobis absente. Sed ne tam flagitiosi sceleris occultatio mentes fidelium forsan faceret titubare, Christi, cujus res agitur, timore anteposito, hominum verò terroribus procul pulsis, volentes potiùs, ubi necessitas hoc exigit, in manus hominum incidere quàm derelinquere legem Dei nostri, ad publicationem processimus infrascriptam ut subsequitur.

Vniversis Christi fidelibus miseratione divina Iohannes Episcopus Penestrinus, Guillelmus tituli sancti Stephani in Cœlio monte, Bertrandus tituli sanctæ Cæciliæ, Robertus basilicæ XII. Apostolorum, Hugo tituli sanctorum quatuor coronatorum, Guido tituli sanctæ crucis in Hierusalem, Iohannes tituli sancti Marcelli, Geraldus tituli sancti Clementis Presbyteri, Petrus tituli sancti Eustachii, Guillelmus tituli sancti Angeli, Petrus tituli sanctæ Mariæ in Via lata, Petrus tituli sanctæ Mariæ in Cosmedin Diaconi sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, facientes ultra duas partes omnium Cardinalium in urbe existentium tempore obitus sanctæ memoriæ Domini Gregorii Papæ XI. & eo tempore quo sui successoris debuit in eadem urbe electio celebrari, Anagniæ pro nunc, quem locum ad omnia infrascripta peragenda tanquam idoneum elegimus, prout nobis fuit licitum, existentes, absentibus Reverendissimis in Christo Patribus Dominis Petro Episcopo Portuensi, Francisco tituli sanctæ Sabinæ, Symone tituli sanctorum Iohannis & Pauli Presbyteris, Iacobo sancti Georgii ad velum aureum Diacono, eadem miseratione ejusdem sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, tamen pro nostra parte ut propter infrascripta vellent huc convenire unà nobiscum litteratoriè requisitis, apostolica sede vacante, salutem & in Domino vinculum caritatis. Exigit sanctæ & catholicæ fidei puritas, exigit catholici ac Christiani populi devotio singularis, exigit totius ecclesiastici status clara professio ac salus animarum Christi fidelium singulorum ut ea quæ dissimulata in fide maculam, subversionem in christicola populo, status ecclesiastici enervationem, ac evidentia animarum inducerent pericula, palam notificentur omnibus, annuntientur in populis, & juxta doctrinam evangelicam super tecta prædicentur, ne indiscretum silentium in errore derelinquat qui poterant erudiri, & ii ad quos ex officio pertinet subjaceant reprehensioni Dei per Prophetam dicentis: *Prophetæ tui videbant tibi falsa & stulta, nec aperiebant iniquitatem tuam, ut te ad pœnitentiam provocarent.* Cùm igitur nuper apostolica sede vacante per obitum piæ & sanctæ recordationis Domini Gregorii Papæ undecimi, qui de mense Martii proximè præterito in urbe Roma diem suum clausit extremum, nos pro electione futuri Pontificis, ut juris

& moris est, celebranda in conclave in apostolico palatio, in quo idem sanctæ memoriæ Dominus Gregorius obierat, deputato unà cum præfatis Dominis absentibus convenissemus, officiales urbis cum magna multitudine populi pro magna parte armati, & ad campanarum pulsationem factam propter hoc congregati, hostili more totum circundantes ab extra, & ab intus fere implentes palatium, & terrori tam vehementi minas etiam superaddentes quòd nisi eligeremus & sine mora Romanum vel Italicum, statim interficeremur, etiam congruo spatio temporis, in quo saltem de persona deliberare possemus, penitùs nobis subtracto, contra voluntatem & propositum nostrum ad eligendum Italicum subitò & ex abrupto per violentiam & metum mortis coëgerunt invitos. Propter quòd, ad evitandum duntaxat mortis periculum, quod in rumore populi tam frequentis nobis procul dubio imminebat, aliàs non facturi, ut etiam tunc palam inter nos diximus, Bartholomæum tunc Barensem Archiepiscopum in Papam duximus eligendum, æstimantes ipsum, cui tam nefaria intrusio sicuti & penè toti clero & populo nota erat, talis esset conscientiæ quod eam nullatenus acceptaret. At ipse propriæ salutis immemor, omni pura conscientia procul pulsa, ambitionis aliàs inauditæ ardore maximo inflammatus, præsentationem electionis hujusmodi ab illis ex nobis qui in urbe remanserant & per officialium & populi diversas minas & suas importunas requisitiones extortam, contra canonicas sanctiones, in scandalum maximum cleri & populi Christiani, ac exempli perniciem, electioni hujusmodi, licèt nullæ & invalidæ, ipso jure consensit, necnon metu & ipsius metus causa adhuc procul dubio perdurantibus in urbe ipsa inthronisatus & coronatus de facto, se Papam & Apostolicum nominavit, qui à sanctis patribus & jure communi apostaticus & anathematizatus, antichristus, & totius christianitatis illusor & destructor potiùs & meritò nominatur; nempe cùm ista sua tam nefaria intrusio in papatu jam sic sit divulgata per orbem veluti tam notoria quòd jam alicubi celari non potest, cùm eo tempore, scilicet modicum ante Pascha, facta fuerit, quando de universis partibus christianitatis major adest in urbe populi multitudo, quòd errores quamplurimi pullulare incipiunt, & fidelium Christianorum conscientiæ illaqueari, ipseque diutiùs expectatus, ac in secreto caritativè admonitus, immemor salutis propriæ, secum in præcipitium cupiens trahere clerum & populum universum, ad cor redire non curet, sed inanem & transitoriam mundi gloriam saluti animæ propriæ & cunctorum Christi fidelium anteponens, animo obstinato satagit, totam christianitatem scandalizando, ipsum papatum tyrannicè occupare, qui per ostium non intravit. Nos non volentes præmissa salvis conscientiis ampliùs sub dissimulatione transire, ad vestrum omnium Christi fidelium notitiam præmissa omnia, licèt ipsa tam sibi quàm penè toti clero & populo existant notoria, deducentes, ipsum anathematizatum & tanquam intrusum in papatu, nulla electione canonica præcedente, totius christianitatis invasorem, qui caput ipsius christianitatis invadere non formidat, destructoremque, qui ut sub sua occupatione tyrannica efficere satagit ut ferè sacramenta deficiant & ut christicola populus vero pastore carens ducatur in devium per abrupta, publicamus & etiam denuntiamus, vos & vestrum singulos nihilominus sollemniter & publicè serie præsentium exhortantes & obsecrantes per viscera misericordiæ Iesu Christi ut de cetero eidem sce-

lesto viro, qui Dei Ecclesiam & sponsam non erubuit invadere, nolitis aliqualiter adhærere nec ejus factis, mandatis, monitionibus, atque dictis, quæ omnino sunt falsa simulatione imbuta, aliqualiter obedire, cùm jam eundem per alias nostras patentes litteras exhortati & obsecrati fuerimus & per præsentes exhortamur & obsecramus sollemniter & publicè & per eadem viscera ut de fine cogitans, ad quam jam ipsum trahit plenitudo dierum, ad Deum & puram conscientiam dirigat aciem mentis suæ, ipsamque beati Petri sedem sanctissimam, quam sine canonico titulo occupat, liberam & vacuam omnino dimittat, insignia deponat papalia, & ab administratione spiritualium & temporalium papatus & Romanæ Ecclesiæ abstineat indilatè, & aliàs Deo & Ecclesiæ suæ sanctæ per fructus veræ pœnitentiæ satisfacere studeat juxta posse; quod si fecerit, gratiam Dei, gloriam mundi, & laudes cleri & populi universi ac acerbarum pœnarum per jura communia sibi impositarum & imponendarum remissionem cum misericordiosa indulgentia merebitur obtinere, aliàs indignationem Dei omnipotentis ac beatissimorum Apostolorum Petri & Pauli sanctorumque omnium non immeritò incursurus; nosque divinum & humanum auxilium, cùm Christi sponsa & omnium Christianorum communis mater per ipsum procul dubio violetur, invocabimus, aliisque utemur remediis per canonicas sanctiones concessis, abinde inantea nullam spem de misericordia habiturus. Datum Anagniæ rectoratus provinciarum Campaniæ & maritimæ; quem locum propter probitatem & fidelitatem constantissimam magnifici viri Honorati Gaytani Comitis Fundorum & dictarum provinciarum rectoris & singularem devotionem quam ad Romanam Ecclesiam & fidem catholicam ac ad nos gerere comprobatur, tanquam magis securum & idoneum nobis ut suprà ad præmissa omnia peragenda duximus eligendum, anno à nativitate Domini MCCCLXXVIII. die nona mensis Augusti, primæ Indictionis, sub propriis nostris signis pendentibus, dicta apostolica sede vacante.

Iohanna Dei gratia Regina Ierusalem & Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & principatus Capuæ, Provinciæ & Forcalquerii ac Pedemontis Comitissa, Iusticiariis &c. Si datum est nobis à superna gratia regere terras, sic debemus in nostro regimine disponere actus nostros illosque continuè saluberrimis consiliis roborare ut populi nobis crediti, & de quibus habemus Regi Regum reddere rationem, fugato quolibet turbulento, serventur innocui, & præsertim in causis gravioribus & emergentibus vehementiùs invigilare debemus pro cura & gubernatione fidelium, ne ipsa regni bona dispositio, quæ dependere dinoscitur à constantia fidei & ab obedientiæ jugo ac viis rectis & salutiferis præsidentis, in lapsum corruat, & per contagium pestiferæ supervenientis materiæ irrepente nequitia per insidiosas latebras ad diverticula & viarum angustias in sui principio se corrumpat. Sanè credimus in toto regno nostro Siciliæ & in omnibus regnicolis nostrisque comitatibus Provinciæ & Forcalquerii manifestum, quòd etiam ad partes totius Italiæ ac ad remotas & varias mundi partes transivit notitia qualiter occupata sedes apostolica contra canonicas sanctiones per intru um illum Tuczillum Pingaurum de Neapoli, olim Episcopum Barensem, qui in trono pestilentiæ sedens se Papam postulat nominari, electissimi & prudentissimi ac reverendissimi viri illi ac patres & Domini Cardinales apostolicæ sedis ostium, per quod intrare debemus ad cognitionem veræ fidei, & qui Cardinales

mundi dici per quandam dignitatis & virtutum excellentiam meruerunt, cupientes effugere perniciem animarum suarum, quas ex tanto errore & rerum caligine poterant in profundum perpetuæ calamitatis infringere, ac de statu mundi, providentia & conservatione fidei orthodoxæ, quam periclitari in tanto turbine & rerum naufragio verisimiliter cognoscebant, captato loco & tempore in quibus possent in iis dare ordinem, & ut mundi machina per summum & verum antistitem canonicè intrantem feliciter regeretur, & factis priùs & promulgatis certis declaratoriis opportunis contra intrusum eundem, & deinde invocata & affluente illis Spiritus sancti gratia, Dominum Robertum Cardinalem tunc Gebennensem, in quem ipsorum Cardinalium concorditer & pari voto ab omnibus consideratis circumstantiis resedit opinio, tanquam in virum magnæ auctoritatis & sapientiæ, auctorem pacis, ponderatum in consilio, caritate ardentem, multiplicibus virtutibus & aliis divinis gratiis redimitum, pro recta gubernatione & naucherio beati Petri naviculæ ac summum & verum antistitem per vias canonicas elegerunt; quo perducto celerrimè ad notitiam majestatis nostræ, nos dirigentes nostræ considerationis intuitum ad laudabilia & gloriosa gesta catholicorum Principum progenitorum nostrorum Regum Siciliæ, quorum vita fuit semper doctrina aliis & regula exemplaris, qui semper obedientes sanctæ matris Ecclesiæ fuerunt speculum & quasi quoddam simulacrum cunctis Principibus Christianis, cultores & fautores ac defensores catholicæ fidei, ædificatores templorum & Ecclesiarum, & pro ipsa fide catholica & sancta Romana Ecclesia pugiles & continuè præliantes, internis affectibus incepimus cogitare qualiter nos à tanto caritatis fomite descendentes, & velut à sacratissima arbore propagata virgula trahentes originem, possemus rectas vias inspicere, & inspectas & cognitas per actus meritorios conservare; sicque ad discussionem tantæ rei, & ut possemus tanti negotii veritatem elicere, cùm de salute animæ nostræ & bono conscientiæ ageretur, consuluimus magnæ auctoritatis viros tam de dicto regno nostro quàm de partibus extra regnum, & quorum profectò non novit errasse judicium, magistros scilicet in sacra pagina, Doctores legum, & juris canonici professores, diversosque Prælatos & præsules, & magistros alios in aliis facultatibus, ut mentem nostram securo robore confirmarent, licèt ipsa rei essentia cujuslibet judicio & intellectui sano pareret, cùm proprium & naturale sit hominis veritatem discernere, tandem sanctissimi & clementissimi Domini nostri Domini Clementis Papæ VII. noviter per dictos Cardinales electi, & qui summus Pontifex meruit appellari, fuit in via in præsentia nostri assistentis consilii & multorum processibus aptis demonstrata, quem tanquam Dominum nostrum & sanctæ Romanæ & universalis Ecclesiæ summum Pontificem mente integra, fide firma, & virtute robusta intendimus filialiter revereri, & voce depromimus cordis, & pectoris testimonio comprobare. Verùm quia intrusus ille, olim Barensis Archiepiscopus, quem furor ambitiosus arripuit, obtenebrata sensus caligine Papam se flagitat nominari, sicut intelleximus, ad regnum nostrum commissarios seu executores disposuit destinare & fieri facere pro parte sua tanquam veri & catholici .... potiùs ficti & pseudoantistitis ordinationes, jussiones pariter & mandata, ex quibus profectò scandala magis possent insurgere, seditiones, brigæ & rixæ, ac errores in populo .... pariter & rixæ, cùm unus sol irradiare

debeat super clipeo veritatis & unus lucere cunctis animantibus super terra, incumbatque nobis signanter ex officio præsidentiæ nostræ ita curare de subditis ut tempora nostri regiminis faciamus felicia, & fideles ipsos ab angustiis & noxiis novitatibus præservemus, providimus tam Prælatorum quàm aliorum peritorum & nostri consilii deliberatione matura quòd nullo modo pro parte dicti Tuczilli, olim Archiepiscopi Barensis, intrusi, nuntii & executores in regno nostro Siciliæ seu commissarii admittantur, nec pro quacunque causa spirituali vel temporali executiones fieri, ambassiatas exponi, jussiones perfici quomodolibet vel mandata, sed penitùs rejici, & in potentia dexteræ nostræ repelli; omnes & quascunque personas quæ pro parte dicti intrusi occultè vel publicè & in quavis civitate, terra, vel loco talia contra hujusmodi nostræ voluntatis intentum quomodolibet attentarent, quinimmo ipsos ejus nuntios, executores, & alios .... de personis capi volumus & etiam arrestari, ac sic captos & arrestatos teneri sub fida custodia usquequo aliud duxerimus demandandum. Si quis autem ad hoc [auxilium] impenderet tacitè vel expressè, publicè vel occultè daret assistentiam vel favorem, seu in civitatibus, terris, castris eorum & locis tales commissarios, hujusmodi executores, vel ambassiatores admitterent, & executiones hujusmodi, ambassiatas, jussiones, & mandata fieri paterentur, notam inobedientiæ, sive Comes, sive Baro, seu nobilis, aut burgensis, cujuscunque status aut conditionis, etiamsi regali dignitate fungerentur, aut universitas aut persona singularis existeret, volumus incurrere ipso facto. Quare fidelitati tuæ de certa nostra scientia mandamus expressè quatenus formam præsentium per terras & loca jurisdictionis tuæ, famosas maximè, etiamsi capitaneos habeat, divulget ex more & faciat per competentia officia publicè divulgari .... fieri de executione præsentium cum earum forma competentia publica consimilia instrumenta; quorum aliqua penes te retineas, cui .... temporis producenda, reliqua ad curiam nostram mittas. Nos enim quod in aliis provinciis, terris, & locis dicti regni fiat modo simili præsentium divulgatio scribimus nostras consimiles litteras ipsius regni nostri aliis justiciariis. Datum in castro Ovi prope Neapolim per virum magnificum Luzorium Zurulum de Neapoli Militem Logothetam & Protonotarium regni nostri, collateralem Consiliarium & fidelem nostrum dilectum, anno Domini MCCCLXXVIII. die XX. Novèmbris, secundæ Indictionis, regnorum nostrorum anno trigesimo sexto. Cùm autem nulla res inchoari debeat de qua non priùs ratio sit habenda & reddenda causa probabili argumento, præscriptas litteras in forma prædicta non solùm destinari jussimus & fecimus per diversas & varias regni nostri provincias, sed qui contra contemptores & transgressores præscriptæ nostræ declarationis, mandati, & hujusmodi nostræ voluntatis intentus, si qui fuerint, possumus sublata omni reprehensionis nota procedere recta via, nec liceat universalem notitiam tam apud devotos, benivolos, & amicos quàm apud nostros subditos, quòd omnes actus nostri, in quibus agendis justitiæ præsidio conserventur earundem scripturarum litterarum apud diversas & varias mundi partes consultè providimus & fecimus notitiam pervenire. In cujus rei testimonium præsentes litteras exinde fieri & pendenti majestatis nostræ sigillo jussimus muniri. Datum in eodem castro Ovi per eundem virum magnificum Luzorium Zurulum de Neapoli

Militem Logothetam & Protonotarium regni Siciliæ, collateralem Consiliarium & fidelem nostrum dilectum, anno Domini MCCCLXXVIII. die XXII. ejusdem mensis Novembris, secundæ Indictionis, regnorum nostrorum anno XXXVI.

Post hæc verò, videlicet XXVII. Augusti anno Domini MCCCLXXVIII. omnes Domini Cardinales exierunt Anagniam, & venerunt ad quandam civitatem quæ vocatur Fundis, quæ distat à civitate Anagniæ per XXVII. milliaria versùs Neapolim, & est prope Gayetam, quæ est portus maris per decem milliaria. Et dicta civitas Fundana est Honorati Gaytani Comitis Fundorum, qui dictus Comes gubernavit & conservavit totum sacrum collegium bene & fideliter cum gentibus suis armorum juxta posse. Et stantes dicti Domini Cardinales Gallici in dicta civitate Fundana, volentes procedere ad eligendum Papam, venerunt dicti Domini Cardinales Italici ad dictam civitatem, & die vigesima Septembris omnes congregati insimul concorditer elegerunt in summum Pontificem Dominum Cardinalem Gebennensem. Et facta electione, antequam publicaretur, recesserunt dicti Cardinales Italici. Et in crastinum, quod erat XXI. Septembris, fuit publicatus, & Clemens appellari voluit.

Eodem anno nativitatis Domini MCCCLXXVIII. die XXVIII. ejusdem mensis Septembris, quæ fuit die sabbati quatuor temporum, dictus intrusus sive Antichristus Romæ existens solus in camera januis clausis ordinavit & scripsit XXIX. Anticardinales; & aperta camera, ipsemet pulsavit campanam parvam, & omnes intraverunt qui voluerunt intrare, & dixit illis qui assistebant ei: *Ego volo facere Cardinales.* Et tradidit secretario suo scriptum quod fecerat, & ille legit & nominavit. Deinde dictus intrusus sermocinavit, & dixit: *Ego elegi istos, & volo ipsos esse Cardinales*; quorum nomina non sunt hic scripta.

TERTIA VITA.

GREGORII XI.

Ex appendice Ptolemæi Lucensis.

GREGORIUS XI. natione Lemovicensis, priùs vocatus Petrus Bellifortis & nepos Clementis sexti, dum esset Cardinalis sanctæ Mariæ novæ, concorditer à Cardinalibus electus est in Papam in Avinione anno Domini MCCCLXX. mense Decembris. Sedit annis VII. mensibus tribus, diebus , & sepultus est Romæ in Ecclesia diaconiæ beatæ Mariæ quæ nova nuncupatur. Et cessavit episcopatus diebus decem.

Hic enim dum esset annorum circiter XVII. sanctæ memoriæ Clemens VI. ejus patruus eum in Diaconum Cardinalem sanctæ Romanæ Ecclesiæ assumpsit. Et ne carni & sanguini acquievisse videretur, continuò eum excellentissimis Doctoribus juris utriusque & aliarum scientiarum non vulgaribus præceptoribus tradidit erudiendum. Qui ita in multis scientiarum generibus profecit ut non modò mediocris, sed eminentissimæ scientiæ Doctor à cunctis haberetur. In tantumque culmen & famam doctrinæ

evasit ut à famosissimis Italiæ Doctoribus, à Baldo præcipuè de Perusio in cathedra legente jus civile, ejus opiniones & dicta adducerentur in medium, sæpiusque ejus dicta allegaret dicens, *Dominus noster in hac lege sic dicit*, intelligens de Domino Gregorio XI. cujus scripta non ad mediocres solùm, sed ad eruditissimos jam pervenerant. Vitæ etiam innocentissimæ fuit, placidus in moribus, & super omnes humilis & devotus, vultu pallidus, & complexionis admodum delicatæ.

Dum enim in palatio Avinionensi moram traheret, & die quadam in aula deambulans comitante eum Episcopo quodam ejus cubiculario, diceretque Gregorius Episcopo, *Domine Episcope, quare non vaditis ad Ecclesiam vestram*, & continuò Episcopus respondens diceret, *Et vos, Pater sancte, quare ad Ecclesiam vestram non acceditis*, intelligens de Romana, quæ sedes est Petri & Christi vicarii propria, ita animo compunctus est & in conscientia tactus ut statim de veniendo Romam cogitaret.

Erat per idem tempus totum ferè Ecclesiæ patrimonium in Italia opera Florentinorum per tyrannos plurimos Italiæ occupatum. Et hinc occasione sumpta, paucis hujus sui secreti consciis, paratis galeis, contra attinentium & amicorum voluntatem Romam venit, quæ annis ultra septuaginta, à tempore videlicet Clementis quinti, Romani Pontificis præsentia qui in urbe continuè resideret privata fuerat. Intravit ergo urbem cum ingenti Romanorum omnium lætitia & incredibili applausu receptus, acclamantibus cunctis: *Benedictus qui venit in nomine Domini pastor supremus.* Gaudebant omnes videre sanctum Pontificem, dimissis parentibus & notis, dimissa patria propria, spretis omnium persuasionibus ut non veniret, in sede propria collocatum.

Dum sic Romæ moraretur veluti pastor bonus & Christi verus imitator, agere cœpit via pacis ad reducendum populum Florentinum, qui nimis se ab Ecclesia separaverat, multaque contra Ecclesiam commiserat; propter quæ fuerant anathematizati, gravati, & reaggravati majores de civitate, & civitas interdicto supposita. Pro qua reductione & pace cum dictis Florentinis tractanda & firmanda & recuperatione terrarum Ecclesiæ misit ad eos Legatum de latere Dominum Iohannem tituli sancti Marcelli Cardinalem Ambianensem. Ante cujus legationis finem, sicut Domino placuit, Dominus Gregorius infirmatur & Romæ moritur die XXVII. Martii anno Domini MCCCLXXVIII. cum omnium multo dolore & mœrore & verè dolore præsago futurorum malorum, longi videlicet schismatis, quod ex ipsius morte in Ecclesia Dei secutum est, cujus initium & causa inferiùs seriosè describitur, veritatem sequendo, sicut propriè accidit in facto, licèt aliter fortè ab aliquibus casus hujusmodi schismatis ponatur in terminis.



QVARTA

QVARTA VITA GREGORII XI.

GREGORIVS XI. natione Lemovicensis ex patre Rogerio, priùs dictus Petrus de Belloforte, sanctæ Mariæ novæ Diaconus Cardinalis, ac nepos bonæ memoriæ Domini Clementis Papæ sexti prædicti, eligitur Avinioni anno Domini MCCCLXX. in vigilia epiphaniæ. Sedit annis VIII. mensibus II. diebus XXVI.

Hic ante suam electionem vovit, sede vacante, quòd si eligeretur in Papam, veniret ad propriam sedem. Et ideo retrahi ab hac intentione nequivit. Sæpius enim per collegium, parentes, & Regem Franciæ dissuasum est ei, diversis & arduis impedimentis objectis. Quæ omnia forti animo superavit, adeo ut matri prostratæ ad limen aulæ, quando recessit, nudo pectore cum maximo ululatu dicenti, *Fili, quò pergis? nunquam ulteriùs te videbo*, corpore tamen trans passum non calcato, diceret scriptum esse: *Super aspidem & basiliscum ambulabis.*

Eodem anno suæ assumptionis, proximis quatuor temporibus, creavit duodecim Cardinales, ut posset resistere antiquioribus, qui cum elegerant, & propterea plus quàm expediret Ecclesiæ præsumebant tam in consiliis quàm in promotionibus & gratiis extorquendis.

Hic refici fecit campanile Ecclesiæ beatæ Mariæ majoris de urbe, necnon Lateranensem Ecclesiam.

Hic conferendo ordines Petro de Luna, eum assumendo in Diaconum Cardinalem Ecclesiæ sanctæ Mariæ in Cosmedin, ait, *Caveas ne tua luna patiatur eclipsim*, cunctis astantibus & audientibus & notantibus hæc, quæ postmodum impleta fuerunt. Audiverat enim multiplicia esse diversoria & semitas animi dicti Petri sophismatibus verbisque fallacibus imbuti.

Hic anno Domini MCCCLXXVI. recessit Avinione versùs dictam urbem cum XXXII. galeis & pluribus navigiis, adeo ut una civitas apparerent in mari cùm simul essent. Intravit autem dictam urbem die beati Antonii MCCCLXXVII.

Sed ante dictum recessum, ultimo Martii LXXVI. condemnaverat Florentinos & Franciscum de Vico Præfectum urbis ac Baptistam ejus fratrem, propter rebellionem terrarum quam sibi fecerant, usque ad septimam generationem.

Hic indixit vigiliam nativitatis beatæ Mariæ virginis Anagniæ VIII. die Septembris, pontificatus sui anno octavo.

Hæc omnia contigerunt regnante Karolo IV. Imperatore, qui dedit potestatem eidem Gregorio Papæ per suas litteras sub imperiali sigillo munitas MCCCLXXII. sub data Pragæ IV. Nonas Augusti, decima Indictione, & regnorum suorum Romani XXVII. Boemiæ XXVII. imperii verò XVIII. plenissimam de terris, possessionibus, & quibuscunque rebus Bernabonis & Galeacii Vicecomitum Mediolanensium, eorumque sequacium, colligatorum, & adhærentium, quas nomine imperialis vicariatus aut aliis titulis tenebant vel sibi vendicabant in vicariatum, suo imperiali nomine aliis concedendi usque ad decem annos extunc in antea.

Iste idem Imperator ivit Parisius

peregrè, ubi coronavit filium Karoli V. Regis Francorum de facto in Regem Arelatensem ad decennium tantùm.

Item idem Karolus Imperator approbavit constitutionem Honorii III. de libertate ecclesiastica & cleri, exprimens XI. hujusmodi libertates cassas & irritas attentata ultra pœnas indictas per Fredericum Imperatorem, puniens etiam communia & judices banniens & infamiæ ac pœna dupli, & publicari mandans hujusmodi suam constitutionem; quæ Karolina communiter dicitur, & habetur in libro cancellariæ Romanæ Ecclesiæ; per quam distribuitur petentibus sub nomine Pontificis cujuslibet successoris pro tempore pro maxima libertate executoribus deputatis.

Item idem Imperator, eo veniente, obtinuit filium suum primogenitum ad imperium & in Regem Romanorum eligi. Obiit autem idem Imperator penultima Novembris MCCCLXXVIII. & regnavit pro eo Venceslaus quartus filius suus prædictus.

Præfatus autem Gregorius Papa obiit Romæ XXVII. Martii MCCCLXXVIII. pontificatus sui anno octavo, & apud suum titulum in sancta Maria nova sepelitur.

QVINTA VITA GREGORII XI.

Auctore Petro de Herentals Priore Floreffiensi.

GREGORIUS XI. defuncto supradicto Vrbano electus est in Papam: qui priùs fuit Cardinalis, vir simplicis vitæ, mitis & benignus, qui in tantum exstitit de suis cognatis apud Avinionem in petitionibus & supplicationibus fatigatus quòd exiens de terra & cognatione sua, de Avinione perrexit Romam, ibidem quoque non post multos annos obiens, perrexit ad Dominum, virgo mente & corpore, ut quidam asserebant.

Ejus tempore, videlicet anno Domini MCCCLXXV. mira secta tam virorum quàm mulierum venit Aquisgrani de partibus Alamanniæ, & ascendit usque Hononiam seu Franciam; cujus talis fuit conditio. Nam homines utriusque sexus illudebantur à dæmonio taliter quòd tam in domibus quàm in plateis & in Ecclesiis se invicem manibus tenentes chorizabant & in altum saltabant, ac quædam nomina dæmoniorum nominabant, videlicet Friskes & similia, nullam cognitionem in hujusmodi chorizatione nec verecundiam sui propter astantes populos habentes. Et in fine hujus chorizationis in tantum circa pectoralia torquebantur quòd nisi mappulis lineis à suis amicis per medium ventris fortiter stringerentur, quasi furiosè clamabant se mori. Hi verò in Leodio per conjurationes sumptas de illis quæ in catechismo ante baptismum fiunt, à dæmonio liberabantur, & sanati dicebant quòd videbatur eis quòd in hora hujus chorizationis erant in fluvio sanguinis, & propterea sic in altum saltabant. Vulgus autem apud Leodium dicebat quòd hujusmodi plaga populo contigisset eò quòd populus malè baptizatus erat, maximè à Presbyteris suas tenentibus concubinas. Et propter hoc proposuerat vulgus insurgere in clerum eos occidendo & bona eorum

diripiendo, nisi Deus de remedio providisset per conjurationes prædictas. Quo viso, cessavit tempestas vulgi taliter quòd clerus multò plus à populo fuit honoratus. De ista autem chorizatione seu secta talia extant rigmata.

Oritur in seculo nova quædam secta
In gestis aut in speculo visa plus nec lecta.
Populus tripudiat nimiùm saltando.
Se unus alteri sociat leviter clamando.
Frisch friskes cum gaudio clamat uterque sexus
Cunctus manutergio & baculo connexus.
Capite fert pelleum desuper certum.
Cernit Mariæ filium & cælum apertum.
Deorsum prosternitur. Dudum fit ululatus.
Calcato ventre, cernitur statim liberatus.
Vagatur loca varia pomposè vivendo.
Mendicat necessaria propriis parcendo.
Spernit videre rubea & personam flentem.
Ad fidei contraria erigit hic gens mentem.
Noctis sub umbraculo ista perpetravit.
Cum naturali baculo subtus se calcavit.
Clerum habet odio. Non curat sacramenta.
Pòst sunt in Leodio remedia inventa.
Hanc nam fraudem qua suggessit sathan est convictus.
Conjuratus evanescit. Hinc fit Christus benedictus.

PRIMA VITA CLEMENTIS VII.

Editio Bosqueti collata cum vetustis codicibus MSS.

CLEMENS Papa VII. frater Comitis Gebennensis, priùs Robertus nominatus, fuit electus modo. subsequenti. Post mortem enim Gregorii Papæ XI. Bandarensęs & duodecim capita regionum cum ceteris officiariis qui pro tunc Romam & Romanum populum regebant, manu armatorum & cum populi multitudine copiosa congregati coëgerunt, compulerunt, & arctaverunt Cardinales tunc Romæ existentes, & ad quos pro tunc Romani Pontificis electio pertinebat, in conclavi jam reclusos & adunatos pro electione hujusmodi celebranda, ad eligendum quendam Bartholomæum de Prinhano Italicum & Neapolitanum, tunc Archiepiscopum Barensem, qui, licèt falsò, Vrbanum VI. se fecit nominari. Mortem enim confestim ipsis intentare volebant, nisi ita fecissent. Qui tali metu ducti, aliàs non facturi, ipsum in sede apostolica inthronizaverunt seu veriùs intruserunt & demum coronaverunt, ut in historia dicti Gregorii latiùs est descriptum.

Volens autem dictus Bartholomæus intrusus factum suum hujusmodi seu potiùs fastum per vim & violentiam extortum, per fas sive nefas indebitè & scienter, Dei timore postposito, suæque conscientiæ periculo procul pulso, retinere ac ipsum posse tenus stabilire, statim disposuit ad sui favorem & obedientiam attrahere & allicere quoscunque tam ecclesiasticos quàm seculares per nuntios & litteras suas, ipsis offerendo quæcunque eis sciret

placibilia, etiam nondum petita.

Quod videntes dicti Cardinales, considerantesque quòd illa quæ in sui personam fecerant nullius erant efficaciæ & valoris, quanto citiùs commodè & tutè potuerunt se ab ipso totaliter segregaverunt, ipsúmque per medium certarum notabilium personarum de suæ prætensæ electionis vitio, quaque intentione seu voluntate processerant ad eandem, penitùs informarunt, ac ut ab inceptis desisteret, statumque prædictum valde indebitè assumptum dimitteret, caritativè & sæpius monuerunt. Sed dominandi libidine cœcatus obaudivit, & acquiescere recusavit. Et ideo post maturam deliberationem, facta priùs per duas partes ipsorum in Anagnia civitate, ad quam se retraxerant, declaratione solemni quòd illa quæ in sui persona fecerant propter vim & metum dictorum Romanorum ac timore mortis, quam viderant sibi per eos intentari nisi fecissent quæ petebant, facta fuerant, quòdque talia ex tunc minimè ratificaverant, approbaverant, aut confirmaverant per quæcunque dicta, facta, aut scripta per eos à tempore ereptionis ipsorum à periculis memoratis, causa faciendi electionem aliam modo debito & juridicè, cum præmissis obstantibus eam Romæ facere non valerent, ad civitatem Fundanam se transtulerunt, ubi securos se quoad hoc æstimarunt, præsertim propter Honoratum ejusdem Comitem & dominum, qui de dicta intrusione plenè certificatus, tanquam zelator fervidus fidei & Ecclesiæ, eis continuè auxiliis & favoribus assistebat.

Cùmque ad civitatem hujusmodi omnes qui in dicta intrusione interfuerant, uno excepto, qui decesserat paulò antè, pervenissent, consiliis & deliberationibus præhabitis, prout tanti negotii materia seu qualitas exigebat, die vigesima mensis Septembris anno Domini MCCCLXXVIII. in palatio dicti Comitis congregati purè, liberè, debitè, & canonicè elegerunt in Papam Clementem supradictum tunc basilicæ duodecim Apostolorum Presbyterum Cardinalem, qui pro tunc erat satis juvenis, ætatis scilicet XXXVI. annorum, aliàs tamen magnis virtutibus adornatus, fueratque priùs sedis apostolicæ Notarius, pòst verò Morinensis & successivè Cameracensis Ecclesiarum Episcopus, & ab inde per dictum Gregorium sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis ordinatus. Qui demum fuit per eos in Papam inthronizatus & coronatus.

Ad ipsius autem personam aspectum habuisse dicuntur, ultra merita sua, specialiter propter duo. Primò quia inter alios erat admodum bene paratus, totusque agilis & dispositus ad laborandum; & sic tenebant eum esse cordatum & animosum & voluntarium ad exponendum etiam propriam personam, ubi necesse existeret, pro liberatione & ereptione Romanæ Ecclesiæ à manibus dicti Bartholomæi intrusi in ea medio præmisso ac ipsam occupare præsumentis, præsertim cùm in talibus pro negotiis memoratæ Ecclesiæ aliàs exercitium & experientiam habuisset. Secundò quia erat valde generosus, cùm gradu consanguinitatis vel affinitatis secundùm magis & minus attingeret ferè omnes majores Principes Christianos. Propter quod speraverunt quòd tam consideratione Ecclesiæ quàm contemplatione suæ personæ sibi vellent obedire ac viriliter assistere & favere.

Sed, Domino permittente, non sic se res habuit. Fuit enim ortum schisma pestiferum in Ecclesia, adeoque horrendum & detestabile quòd vix legitur aliàs gravius extitisse. Totus namque mundus divisus fuit. Sed, proh dolor, multò major pars obedivit & adhæsit memorato Bartholomæo intruso, immo pro tunc quasi totus, & hoc

propter ignorantiam veritatis eorum quæ contigerant in intrusione memorata; quæ licèt notoria extitissent, tamen propter malitiam Romanorum & intrusi fuerunt multimodè palliata, occultata, & aliter quàm extitissent recitata & divulgata; nec in hoc fuit bene remediatum etiam inter illos qui dicto Clementi carnaliter perprius magis favere credebantur.

In hoc autem multimodè dicto Bartholomæo intruso cooperati sunt Anticardinales quos paulò ante creatiotionem dicti Clementis creaverat modo & numero inordinatis & aliàs inauditis. Solus enim & absque quocunque Cardinali, licèt tum, ut suprà actum est, jam omnes ab ipso essent separati, uno contextu ad statum sed veriùs fastum hujusmodi, quantum in eo fuit, nominavit & assumpsit viginti novem ferè de regionibus universis; de quibus fuerunt aliqui pauci qui ipsum Papam non reputantes, statum suum ab eo accipere renuerunt; aliqui verò processu temporis ipsum statum acceptum dimiserunt; alios verò, licèt inter eos essent nonnulli perprius satis notabiles viri reputati, ipsum acceptando, excæcavit ambitio seu præsidendi libido.

Fuerunt insuper per eundem Bartholomæum tunc vel temporibus successivis quamplurimi alii multimodè in Ecclesia Dei, licèt falsò, promoti, præmiati, & exaltati, quorum & dictorum Anticardinalium ministerio & favore, ferèque per orbem universum, status suus, licèt falsus, fuit adeo solidatus & firmatus quòd nihil sapiens oppositum aliquis ex tunc nisi cum sui corporis periculo loqui vel facere præsumeret aut aliàs attentaret. Cui multùm suffragata est mora diutina quæ fuit inter sui intrusionem & dicti Clementis electionem, inter quas ferè quinque menses effluxerunt; licèt illis pendentibus non aliud dicti Cardinales facere potuerunt, continuè insistentes circa securitatem propriam taliter procurandam quòd in manus suas vel Romanorum, qui eis assiduè insidiabantur, incidere non possent, quòdque cum tali & tanta maturitate ac sana consilii deliberatione ad dictam electionem procederent quòd nihil de contingentibus omittendo, non esset in posterum quod eorum culpæ vel negligentiæ deberet imputari.

Dictus autem Clemens satis citò post assumptionem suam volens, quantum in eo erat, circa præmissa providere de remediis opportunis, pro justitiæ suæ & nequitiæ adversarii sui demonstratione ad Reges & regna suos Legatos & nuntios destinare decrevit, & præsertim ad illos qui inter eos principaliores reputantur. Ad Regem namque & regnum Franciæ Dominum Iohannem de Crosso Episcopum Penestrinum, ad Imperatorem Romanorum & regna Alamanniæ & Bohemiæ ac alias terras imperii eis adjacentes Dominum Guillelmum de Agrifolio tituli sancti Stephani in Cœlio monte Presbyterum Cardinalem, ad Regem & regnum Angliæ, Duces & ducatus Brabantiæ & Guelriæ, Comites & comitatus Flandriæ & Haynoniæ, patriamque Leodiensem, Dominum Guidonem de Malesicco tituli sanctæ crucis in Hierusalem, & ad Reges & regna Hispaniæ, Castellæ videlicet, Arragonum, Navarræ, & Portugalliæ, Dominum Petrum de Luna sanctæ Mariæ in Cosmedin Diaconum Cardinales accessuros ordinavit.

Demum, ut in ipsorum absentia eorumque loco haberet alios sibi assistentes, die XVIII. mensis Decembris anni prædicti MCCCLXXVIII. quæ fuit feria sexta quatuor temporum, sex novos creavit Presbyteros Cardinales, videlicet Dominum Iacobum de Itro Campanum tunc Patriarcham Constantinopolitanum, Dominum Petrum

Amelii Alvernigenam monachum ordinis sancti Benedicti tunc Archiepiscopum Ebredunensem, Dominum Nicolaum de Brancaciis Neapolitanum tunc Archiepiscopum Cusentinum, Dominum Petrum de Barreria diocesis Ruthenensis tunc Episcopum Eduensem, Dominum fratrem Nicolaum de sancto Saturnino Alvernigenam, ordinis fratrum Prædicatorum, tunc Lectorem sacri palatii, in sacra pagina magistrum, & Leonardum de Giffono Italum, ministrum generalem ordinis Minorum. Circa quod est sciendum quòd duo penultimi fuerant priùs nominati & assumpti ad dictum statum, licèt falsò & inaniter, per dictum Bartholomæum intrusum; sed tamen certificati de sua intrusione, ipsum acceptare ab eo recusarunt.

Eodem tempore obiit Karolus Romanorum Imperator, qui paulò antè illectus & circumventus per dictum Bartholomæum intrusum, pro eo quòd omissis solemnitatibus in talibus observari consuetis electionem perprius ad ejus procurationem factam tempore Gregorii Papæ XI. per electores imperii de Venceslao Rege Bohemiæ filio suo in Regem Romanorum approbaverat & confirmaverat etiam non petitus aut requisitus per eum, sibi obedire & adhærere decreverat, ac ipsum pro vero Papa tenere & habere disposuerat & declaraverat; sicque servari & observari voluerat & mandaverat per præfatum Regem filium suum, qui etiam in hoc inhærens paternis vestigiis sic fieri voluit, servavit, mandavit, & ordinavit in regno Bohemiæ & generaliter in omnibus terris & dominiis suis sibique & imperio subjectis. Nec fuit qui hujusmodi ordinationi voluerit aut ausus fuerit contraire; Comitibus Sabaudiæ consanguineo & Gebennensi fratre dicti Clementis, Ducibúsque Lotharingiæ & Barrensi, ac aliquibus aliis Comitibus & dominis temporalibus, civitatibus & locis, eorumque territoriis & dominiis circumadjacentibus duntaxat exceptis. Propter quod memoratus Dominus Guillelmus de Agrifolio Presbyter Cardinalis ad partes illas per dictum Clementem Legatus destinatus circa ipsorum reductionem nihil proficere potuit, nisi duntaxat quòd Duces prænominatos cum subsequentibus de justitia dicti Clementis informavit & ad ipsum deduxit & in bono proposito confirmavit, licèt tandem continuè petens sibi dari audientiam fuit diutiùs in Alamannia, terris videlicet Leopoldi Ducis Austriæ junioris, qui in propria dicto Clementi favit & adhæsit & faveri voluit in terris suis & locis, non tamen omnibus, nec se cum aliis parti adversæ faventibus imbricavit.

Karolus insuper Rex Francorum, postquam per dictum Dominum Iohannem Episcopum Penestrinum Cardinalem ad eum destinatum per præfatum Clementem & alios de dictis intrusione & electione plenè informatus extitit, cum toto regno & subditis suis eidem Clementi adhærere & obedire cum magna solemnitate decrevit.

Non tamen sibi in hoc paruit Ludovicus Comes Flandriæ, licèt subditus & vassallus suus, ac dicto Clementi gradu consanguinitatis proximè alligatus, & aliàs perprius inter omnes homines mundi sibi specialiùs amoris vinculo confœderatus & conjunctus, qui, nescitur quo ductus spiritu, pertinaciter adhærere voluit intruso memorato, admittereque ac adire recusavit in dominiis suis præfatum Dominum Guidonem de Malesicco Presbyterum Cardinalem, qui partim ad ipsum per dictum Clementem fuerat destinatus. Qui etiam pari modo maliriosè impeditus extitit quò minùs regnum Angliæ intraverit ac in eo & ce-

teris regionibus & provinciis ad quas fuerat destinatus ad effectum deduxerit illa quæ in prædictis sibi commissa fuerant per Clementem memoratum.

Eodem currente tempore obiit Henricus Rex Castellæ, cui in regno successit Iohannes filius ejus; ad quem paulò pòst venire disposuit præfatus Dominus Petrus de Luna Diaconus Cardinalis, prout sibi commissum extiterat per Clementem prædictum. Sed quia præfatus Henricus pater suus non informatus de justitia dicti Clementis moriens potiùs adhærebat & obediebat Bartholomæo intruso quàm sibi, absque alia pleniore informatione ipsum pro tunc admittere recusavit. Et quia idem effectualiter fecerunt omnes Reges Hispaniarum, qui etiam cum regnis suis pro tunc satis patenter favebant & adhærebant intruso memorato, habuit Cardinalis prædictus inter eos manere tanquam regnicola potiùs quàm ut Cardinalis vel Legatus per aliquos annos; quibus currentibus dicti Reges sic super præmissis informati fuere quòd per Dei gratiam ipse finaliter suæ legationis est fructum laudabilem assecutus, prout infrà loco suo pleniùs describetur.

Porrò dictus Clemens, istis contingentibus in regionibus memoratis, de Fundis mutavit curiam ad locum de Splonata diocesis Gaytanensis, & abinde paulò pòst cum paucis Cardinalibus per mare venit Neapolim ad Iohannam Reginam Siciliæ & Hierusalem ipsum honorificè & solemniter suscipientem. Quæ satis citò informata de intrusione dicti Bartholomæi, cui, quantum in se erat, mentaliter non obedire decreverat, sed quàm primùm per collegium Cardinalium alium eligi contingeret, sub debita forma ipsi obedire; auditaque electione dicti Clementis, sibi confestim obedivit & adhæsit, sibique obedientiam fieri mandavit per omnes subditos suos, ac in omnibus terris & dominiis suis ubilibet constitutis; non obstante quod dictus intrusus naturaliter esset subditus suus &, ut præmissum est, de Neapoli traxisset originem, cui ac etiam suis hoc valde molestum extitit & ingratum. Qui etiam cum eorum fautoribus numero non paucis sic & taliter tractaverunt & operati sunt quòd dicto Clementi Neapoli existenti, ac cum Regina tractanti quomodo adversùs ipsum prævalere posset, rumor concitatus est contra eos adeo fortis & magnus quòd, ne utrique maius immineret periculum, ipsum Clementem subitò unde venerat oportuit remeare: ubi cùm pervenisset, satis à certo comperit quòd dictus intrusus sibi continuè insidiabatur, moliebaturque eum comprehendere, aut aliàs in persona damnificare, si posset; in quo quasi totam Italiam tam in terra quàm in mari sibi adhærentem & colligatam habebat.

Considerato igitur quòd sibi pro tunc non aderat suffragium seu auxilium sufficiens quo mediante contra dictum intrusum prævalere posset ac ubi erat diutius securè manere, tam pro securitate sua quàm Ecclesiæ & causæ suæ prosecutione deliberavit partes adire cismontanas, ut abinde Regis Franciæ & aliorum sibi faventium fretus consilio & auxilio meliùs, liberiùs, & seriùs in agendis intendere posset & fructuosiùs operari; occurrentibusque sibi casualiter immo, ut creditur, divina gratia disponente certis galeis & navigiis, in mense Maii anni Domini MCCCLXXIX. mare intravit cum Cardinalibus suis, exceptis duobus, videlicet Domino Iacobo de Itro tituli sanctæ Praxedis & Domino fratre Leonardo tituli sancti Sixti Presbyteris Cardinalibus, qui pro suorum & Ecclesiæ negotiorum prosecutione faventiumque sibi consolatione in partibus illis tunc remanserunt. Et licèt non sine magnis periculis, divino

tamen sibi assistente præsidio, salvus & incolumis Massiliam applicuit decima die Iunii subsequentis. Ab inde verò iter suum continuando Avinionem pervenit, ubi fuit receptus cum maximis solemnitate & gaudio generaliter ab omnibus, & præsertim à Cardinalibus quinque, sexto jam defuncto, quos ibi dimiserat Papa Gregorius supradictus, qui habita informatione de intrusione memorata & sui electione canonica, perprius sibi adhærere & obedire decreverant tanquam vero Papæ.

Postquam verò dictus Clemens fuit in Avinione, quantum fuit sibi possibile, auxilium præbuit & succursum tam dictæ Reginæ Siciliæ quàm aliis fautoribus & valitoribus suis in partibus Italiæ derelictis; quibus mediantibus erant securi adversùs dictum intrusum, ac ipsum etiam haberent posse tenus impugnare. In his & aliis sibi pro tunc imminentibus sibi multimodè adstitit præfatus Rex Francorum Karolus auxiliis, consiliis, & favoribus opportunis. Qui etiam ut per agnitionem veritatis & justitiæ dicti Clementis demonstrationemque nequitiæ intrusionis adversarii sui schisma sedari posset & extingui, quamplures ambaxiatores ferè ad omnes Principes & regiones universas sæpius destinavit, ipsos exhortans & requirens ut si non sic faciliter vellent ad obedientiam dicti Clementis inclinari, saltem patienter audirent pro sui parte proponenda, quemadmodum audiverant proposita per partem adversam. Sed heu! tanta fuit ferè ubique obstinatio quòd nedum audientia hujusmodi denegata extitit, sed etiam quorumcunque missorum per dictum Clementem aditio impedita fuit. Quibus ut quantum posset obviaret convenienter & provideret dictus Clemens, deliberavit ad fortiora apponere manus. Et primò fortificatis dictis suis valitoribus & fautoribus, quos in Italia habebat, tam gentibus quàm pecuniis, prout sibi possibile fuit, ipsisque animatis & inductis ut ad dicti intrusi Romanorumque ipsum foventium persecutionem totis viribus intenderent, ad arma spiritualia se convertit; fecitque processus contra prædictos eorumque fautores, prout jus, ratio, & æquitas dictaverunt. Sed proh dolor! non ex primo prævaluit. Nam etsi quandoque victores extiterunt, sæpe & ipsi fuerunt victi. Sed multo minus ex secundo. Nedum enim processus sui dicto intruso fuere contemptui, sed etiam ipse similes contra eum suosque de facto fulminare præsumpsit. Sicque tunc incaluit, invaluit, & effervuit schisma prædictum quòd toto tempore quo ipsi cucurrerunt, eorum occasione & inaudita divisione permansit. Qui enim perprius veri Prælati aut aliorum beneficiorum ministri extiterant, adhærendo uni ipsorum, per alium de sedibus aut beneficiis suis expulsi sunt, & alii novi eorum loco subrogati. Quod permaximè contigit de adhærentibus dicto Clementi, qui per antea promoti aut beneficiati erant in partibus faventibus & obedientibus dicto Bartholomæo; qui eos in personis & bonis est adeo immaniter persecutus quòd oportuit ipsos ad dictum Clementem recurrere & ut eorum inopiæ subveniret ab ipso humiliter postulare. Quod sibi non fuit usquequaque possibile propter suæ obedientiæ parvitatem, cùm etiam quia ad hoc & alia plurima sibi incumbentia ei non suppetebant facultates. Propter quod prædictorum quamplurimi, qui perprius abundaverant, erantque viri notabiles, in paupertate & miseria vivere & mori habuerunt. Quorum exemplo multi alii non sic mente constantes perterriti prælegerunt in suo statu primævo, quamquam sub schismatico præsidente, permanere quàm tali miseriæ

feriæ subjacere. Fuere etiam quamplures alii quos adeo excæcavit ambitio quòd licèt dictum Clementem mentaliter crederent esse Papam, à dicto tamen Bartholomæo instantibus bonis sublimari & promoveri voluerunt, qui tamen aliàs ante schisma sub ovina pelle lupum gerentes absconditum, quales erant interiùs tunc temporis demonstrarunt, nec curarunt si ex talibus, mundum lucrando, suæ animæ paterentur detrimentum. Fuerunt prætereà nonnulli qui in dictis prælaturis aut beneficiis ab utroque sibi taliter procurandis illi demum adhæserunt sub cujus favore prædictis magis se gaudere viderunt, ad qualitatem seu potestatem conferentis nullum aspectum habendo. De illis autem qui se venales constituendo, pretio appretiato mercati suam fidelitatem seu potiùs infidelitatem demonstrarunt, utpote promotiones pro se & suis inverecundè postulando, immo, quod auditu nefandum extitit, pecuniam & alia bona tam ecclesiastica quàm temporalia etiam in Ecclesiarum & personarum particularium, ad quas spectare dicebant, præjudicium & jacturam, improbè expetendo, non est per singulos discurrendum; cùm etsi bene considerentur, innumerabiles fuerunt in utroque statu, ecclesiastico videlicet & mundano, qui potiùs aliena quàm sua, & non quæ Iesu Christi expetierunt. Et ut in paucis multa comprehendam, hoc tempore maligno, dictique pestiferi schismatis occasione, innumerabilia mala & pericula tam animarum quàm corporum provenerunt, videlicet corruptiones morum, strages plurimorum, depressiones bonorum & humilium, exaltationes reproborum & vilium, juvenum & indignorum promotiones, Ecclesiarumque & ceterorum spiritualium & ecclesiasticorum aperta venditio, hæresum & errorum pullulatio, virtutum & bonorum operum cessatio, criminum & peccatorum multiplicatio, guerrarum & præliorum commotio; omneque bonum obedientiæ in contumaciam & contemptum conversum est, & religio in apostasiam est redacta. Et quia ista partim audivi, & partim vidi practicari, ideo, licèt flens & ejulans, recenseo partem utramque tunc temporis ex ipsis fuisse læsam, ut adversæ culpam recitando, meam excusare non videar, cùm satis hoc vulgus noverit & officii per me assumpti debitum existat ut nulli deferendo, sicut meritorum, sic & vitiorum veritas conscribatur, & sicut de adversario, sic de proprio veritas in omnibus referatur. Nunc autem ad alia quæ dicta durante tempestate contigerunt habeo vertere stilum meum.

Et primò pro anno MCCCLXXX. familiares multi Ludovici Ducis Andegavensis fratris & tunc Locumtenentis Regis Franciæ in partibus occitanis, per eum missi ad Montempessulanum causa exigendi certum subsidium, ab incolis ejusdem loci per eos se reputantibus semper inde gravari, nocte tamen, nequiter interfecti & trucidati fuere unà cum aliis pluribus qui in hospitiis publicis in quibus prædicti locabantur inventi sunt; licèt eis essent extranei, & aliàs præmissorum inculpabiles & ignari. De quibus dictus Dux furore repletus vehementer indignatus est, & ad ultionem debitam inde recipiendam viriliter & magnificè se disposuit & accinxit, volens, si & in quantum esset sibi possibile, dictum locum funditus diruere & ejus incolas neci tradere universos. Sicque, ut creditur, etsi non in toto, saltem pro majori parte ad effectum deduxisset, nisi fuisset dictus Clemens, qui sic se in hoc interposuit quòd dictus Dux recepta satisfactione condigna placatus extitit, & dictus locus cum suis incolis, respectu perpetrati sceleris, satis illæsus & indemnis remansit.

Eodem etiam anno MCCCLXXX. die XVI. mensis Septembris obiit Karolus Rex Franciæ. Cui successit in regno Karolus Delphinus sextus Viennensis, suus filius primogenitus. Qui eodem anno XVI. mensis Septembris fuit coronatus Remis in Regem, ut moris est, adhuc duodennis existens. Cujus regni regimen pro tunc assumpsit dictus Ludovicus Andegavensis suus patruus prior natu. Personæ tamen curam habuit Philippus Dux Burgundiæ, suus etiam patruus, licèt posterior natu, & hoc ex ordinatione certa super hoc facta per dictum Karolum patrem suum. Cujus obitus fuit admodum damnosus Ecclesiæ, cùm ipse circa sedationem schismatis in ea tunc vigentis totis viribus insisteret, vacaret, daretque operam efficacem ut ceteri Reges & Principes facerent illud idem.

Eodem ferè tempore currente Flandrenses rebellarunt se eorum Comiti, ipsumque patria sua expulerunt, multisque officiariis ejus interfectis, locum suum amœnissimum mirabiliter ædificatum de Oudenarde diruerunt & ad terram funditus prostraverunt. Sed demum per medium & operationem Philippi Ducis Burgundiæ dicti Comitis generi de ipsis fuit incepta vindicta. Nam congregato magno exercitu armatorum præfatus Karolus novus Rex Francorum in succursum & adjutorium dicti Comitis vassalli sui, dicto Duce & aliis magnatibus regni sui concomitantibus, ingressus est Flandriam; ipsamque undique vastans, igneque & gladio omnia consumens, & ibi prædictis Flandrensibus in multitudine innumerabili occurrentibus, sibique posse tenus viriliter resistentibus, dedit afflictum, in quo infiniti ex ipsis corruerunt, immo vix unus ex eis vivus dicitur remansisse. Loca etiam omnia plana aperta & non fortificata dictæ patriæ, nedum in bonis, sed etiam in personis, fuerunt exposita prædæ. Quæ quanta quantique valoris fuerint inæstimabile dictu fuit. Non tamen propter hoc rebelles adeo domati sunt. Quin hi qui superextiterunt adhuc quamplurimi numero potentes in armis & divitiis abundantes in sua rebellione perstiterunt, dicto Comiti alii fieri subditi recusantes, licèt successivis temporibus ad hoc inducti fuerunt, non tamen dicto Comite superexstante, cùm satis citò post præmissa de medio sublatus extiterit, nec sine magnis laboribus & expensis Ducis Burgundiæ memorati, ad quem ratione uxoris suæ filiæ unicæ dicti Comitis patria hujusmodi debuit pertinere, qui tam vi armorum quàm aliàs circa eorum domationem, reconciliationem, & pacificationem sic operatus est quòd paulatim qui socero suo rebellaverant, suo se dominio subdiderunt.

Per idem etiam tempus cives Londonienses, adunatis sibi aliis communitatibus Angliæ, contra officiarios Regis eorum insurrexerunt, multosque ex ipsis interemerunt; inter quos Dominus Simon de Suberia Archiepiscopus Cantuariensis dicti Regis consiliarius, qui providens mortem sibi imminere, crucem gestans suis manibus, pontificalibusque indutus, populo furenti se exhibuit, putans quòd saltem ob reverentiam pontificalis dignitatis ab ejus invasione desisterent. Sed ad hoc nullo habito respectu in eum insiluerunt, caputque ipsius & brachium dexterum truncaverunt, & ea per dies aliquos ad spectaculum in valvis seu muris dictæ civitatis appensa seu affixa tenuerunt; de quo ultio aliqua, non tamen condigna, dicitur fuisse facta; tum quia aliqui ex regalibus præfatis favere & assistere dicebantur, tum etiam quia Rex tunc juvenis erat; & timuit quod deteriùs sibi contingeret, si ad graviora procedere voluisset.

Eodem præterea tempore Bartholomæus intrusus volens Johannam Regi-

nam Siciliæ memoratam adhærentem præfato Clementi ampliùs molestare, ipsam finaliter, licèt de facto, privavit regno suo, sibique novum constituit adversarium & inimicum, videlicet Karolum de Duracio, aliàs dictum de Pace, quem in Regem Siciliæ & Hierusalem ipse in propria coronavit, & ut adversùs dictam Reginam viriliter procederet incitavit, dans ei in hoc posse tenus favorem, consilium, & juvamen. Quo audito per dictam Reginam, de voluntate & consensu dicti Clementis, cùm ipsa liberos non haberet, sibi adoptavit in filium præfatum Ludovicum Ducem Andegavensem, volens & ordinans quòd post ejus discessum ipse in dicto regno sibi succederet; & interim sibi dedit ducatum Calabriæ per primogenitos regni teneri consuetum. Quæ omnia dictus Clemens tanquam dominus directus & superior ejusdem regni confirmavit & approbavit ac voluit in posterum habere firmitatem. Poposcit insuper dicta Regina ac cum instantia postulavit à dicto Duce ut confestim & sine mora ad eam venire se disponeret, sibique viriliter succurrere præpararet, & ne dictus adversarius suus ipsam & regnum suum invaderet, ac aliàs adversùs eam prævaleret, de gentibus armigeris ac aliis ad dictum negotium opportunis sibi illico sufficienter provideret. Istis autem pendentibus, dictus Karolus de Pace fretus auxilio & favore prædictis Neapolim intravit, ac dictam Reginam cum omnibus ferè suis captivavit; occupataque hujusmodi civitate cum castris ejusdem, etiam majorem partem dicti regni occupavit ac sibi obedientem & faventem invenit.

Eodem etiam tempore erant Neapoli duo Presbyteri Cardinales suprà nominati, videlicet Dominus Iacobus de Itro & frater Leonardus de Giffono, cum multis Archiepiscopis, Episcopis, & Abbatibus, & aliis viris ecclesiasticis, qui dicto Clementi obediebant & favebant, qui unà cum dicta Regina captivati fuerunt, & demum diutiùs detenti, ac duris carceribus mancipati, in quibus, administrationibus ceterisque bonis suis perditis, in egestate, pœnis, & miseria aliqui suam vitam duxerunt, aliqui verò finiverunt; inter quos fuit Dominus Iacobus Cardinalis memoratus, qui totus cordatus & intrepidus fidem suam illæsam servans, ibi tandem post multas afflictiones vitam velut martyr consummavit.

Istis in dictis regionibus sic se habentibus, Iohannes Rex Castellæ habita plena informatione super intrusione dicti Bartholomæi ac subsecuta electione canonica Clementis memorati, cum solemnitate & maturitate debitis pro parte dicti Clementis se & regna sua declaravit, volens ab inde sibi tanquam Romano Pontifici obedire, sicque fieri mandavit in regnis suis & dominiis per omnes subditos suos. Ad hoc autem processit cum consilio & consensu unanimi Prælatorum, collegiorum, conventuum, ordinum, magistrorum, doctorum, magistratuum, nobilium, civitatum, comunitatum, procerum, & aliarum personarum notabilium dictorum regnorum suorum. Quibus expeditis, Dominus Guterus Gomecii perprius Episcopus Palentinus, qui per præfatum intrusum Bartholomæum ad statum seu veriùs fastum anticardinalatus assumptus extiterat, ipsumque acceptaverat, ac pro tali & etiam Legato ejus in dictis regnis diù se gesserat, de præmissis etiam informatus ad cor rediens, dictum Bartholomæum abjuravit, & ad dictum Clementem se convertit, ipsum verum Papam profitens, Bartholomæum abnegans, statum præfatum ab ipso receptum totaliter derelinquendo. Et idem per omnia fecerunt

multi alii qui tam ad episcopatus quàm ad alias varias dignitates & plurima beneficia per dictum Bartholomæum intrusum promoti extiterant in eisdem regnis. Hæc autem omnia facta sunt, sibi cooperante divina gratia, per ministerium, sollicitudinem, & providentiam memorati Domini Petri de Luna Diaconi Cardinalis, qui, ut suprà tactum est, illuc per dictum Clementem Legatus fuerat destinatus & ad hoc continuè vacaverat quasi à principio pontificatus sui; de cujus mandato demum præfatum Dominum Guterum in verum Presbyterum Cardinalem assumpsit precibus & instantia dicti Regis. Multos etiam ex aliis promotis per dictum Bartholomæum intrusum in statu indebitè per ipsum eis commisso seu collato dimisit, verum titulum auctoritate dicti Clementis eis conferendo. Qui etiam dicto durante tempore sic operatus est quòd licèt in aliis regnis Hispaniæ ad quæ etiam pro tunc fuerat destinatus pro tunc dictus Clemens non habuerit obedientiam plenam, ipsa tamen à dicto Bartholomæo, qui solus eam obtinebat, totaliter subtracta, neutri eorum adhærendo, ad quandam indifferentiam seu neutralitatem communiter sunt redacta; quamquam inter ipsos plures extiterint publicè aut occultè memorato Clementi adhærentes, ac suas gratias recipientes & petentes, de quorum omnium pura & manifesta declaratione tandem subsecuta fiet mentio inferiùs suo loco.

Anno Domini MCCCLXXXIII. mense Maii Avinioni convenerunt Ludovicus Dux Andegavensis & Amedeus Comes Sabaudiæ superiùs nominati cum exercitu magno & admodum notabili armatorum, progredi disponentes versùs partes Italiæ tam pro impugnatione Bartholomæi intrusi & sibi faventium quàm liberatione Iohannæ Reginæ Siciliæ memoratæ per præfatum Karolum de Duracio jam detentæ, ac recuperatione regni sui pro majore parte occupati per eundem. Fuitque constitutus & ordinatus generalis capitaneus dicti exercitus memoratus Dux Andegavensis per dictum Clementem Papam, sibique datum in mandatis ut nedum nomine proprio, sed etiam Ecclesiæ & suo, ad negotia procederet supradicta. Qui etiam volens ipsum & dictum Comitem peramplius honorare, ad eorum instantiam & supplicationem die xxx. dicti mensis in Presbyterum Cardinalem assumpsit Dominum fratrem Thomam de Cassato ordinis Prædicatorum, priùs Inquisitorem hæreticæ pravitatis in provincia Lombardiæ, de Pede montium oriundum, virum utique grandævum, mansuetum, virtuosum, bene litteratum, licèt non in theologia magistrum. Arripuit ergo iter suum cum dicto exercitu, ipsum per plana Lombardiæ & terras Ecclesiæ prosequendo; quod utique, licèt non sine magnis laboribus & expensis, aliàs tamen satis feliciter & pacificè consummavit. Declinavitque primò in civitate Aquilanensi sub favore & obedientia dictæ Reginæ persistente, quæ quasi in introitu dicti regni situata existit, quem navigia multa victualibus & aliis sibi necessariis onerata sunt illico subsecuta. Veniendo tamen obliquavit viam quæ de directo Romam tendebat, quæ etiam rectior & melior existebat; quam si tenuisset, & aliqualem molestiam Romanis seu eorum territorio intulisset, creditur indubiè quòd dicti Romani Bartholomæum intrusum ibi tunc existentem cum suis Anticardinalibus sibi tradidissent, & ita inter se facere deliberaverant audientes ejus potentiam, cui se non posse diutiùs resistere existimabant, nolebantque perire aut damnificari propter ipsos. Quod si factum fuisset, schisma in Ecclesia ortum satis citò

finem habuisset. Sed hoc omisso & quodammodo contempto, aspectum habuit ad propria, ad conquestam videlicet dicti regni potius quàm pacificationem Ecclesiæ anhelando. Quod an gratum Deo extiterit, licèt de his quæ ab ejus secreta dispositione procedunt non sit meum aut alterius judicare, tamen per ea quæ videmus exteriùs magis ejus displicentiam possumus denotare, cùm ex tunc quasi continuè adversa sibi contigerint, sed prospera raro. Adventus enim ejus à jamdiu præscitus per suos adversarios extiterat; qui sic se disposuerant quòd civitates, loca, & castra invenit utplurimum fortificata munitaque victualibus, armis & gentibus ad sibi resistendum viriliter dispositis & apparatis; fueruntque blada, vina, pecora, equorum pabula aut in eis recondita exteriùsve consumpta. Sicque pro tunc non fuit locus aliquid contra suos inimicos faciendi. Et quia loca sibi faventia, quæ satis pauca erant, bene disposita non erant ad ipsum cum suo exercitu capiendum, victualia etiam eorum non adeo abundabant quòd sine propria pecunia sibi sufficerent, oportuit ipsum seu saltim majorem partem sui dicti exercitus per aliquod tempus in locis parvis & miseris & campestribus permanere. Hiems etiam supervenit, nives, pluviæ, & aquæ inundaverunt, gelu, venti, & frigora suum tempori debitum reddiderunt. Inimici insuper sui sibi insidiantes, ubi & quomodo potuerunt, suas gentes expugnaverunt. Quibus omnibus causantibus eique obstantibus, sibi aut dicto exercitui suo non licuit victualia hinc & inde perquirere, prout eorum necessitas exigebat, & sic iis quæ perprius habuerant consumptis, multas egestates & miserias sunt perpessi.

Dicto etiam durante tempore præfata Iohanna Regina immaniter fertur interempta fuisse per ministros dicti Karoli, eo sic fieri ordinante. Modus autem interemptionis suæ variè extitit narratus. Nam aliqui dixerunt ipsam strangulatam, aliqui sub una culcitra suppositam, ligatisque manibus & pedibus suffocatam extitisse. Et quia tam in dicto regno quàm alibi favore & amore sui multi Duci memorato adhærebant, aliàs non facturi, audito ejus obitu sic dorsa verterunt, se ad hostem suum convertentes; de quibus fuere primi dictorum navigiorum conductores & patroni, qui statim cum eis retrocesserunt ad partes Provinciæ unde venerant; qui etiam illico suum dominium abhorrentes, sibi apertè rebellarunt, hosti prædicto adhærentes; Dominis de Saltu & certis aliis nobilibus, qui cum ipsis ierant, Massiliensibus & Arelatensibus civibus, & aliquibus aliis, licèt paucis, duntaxat exceptis; sicque quoad ipse vixit continuè permanserunt, licèt cum maximis turbationibus & incommodis, quæ occasione hujusmodi eis provenerunt, propter guerras ipsis motas & admodum rigidè continuatas pro parte ipsius Ducis toto tempore supradicto.

His verò tunc sic se habentibus in partibus illis, regnum Franciæ novitates quamplurimæ non modicùm turbaverunt. In senescalliis namque Bellicadri, Carcassonæ, & Tolosæ populares, quos vulgariter nominabant Coquinos, contra majores & præcipuè nobiles & officiis regiis implicatos insurrexerunt, ipsos immaniter persequentes. Quos enim ex ipsis capere poterant, absque misericordia trucidabant, eorum bona rapiebant, loca, castra, & domus totaliter diruebant absque judicio, nullo respectu habito, nullaque ratione servata ad talia procedentes. Et in hac maledictione continuantes assentiebant incolæ ferè omnium notabilium locorum partium prædictarum. Quibus hoc attentandi præbuit occasionem & audaciam conti-

nuata & immoderata indictio talliarum & impositionum diversarum, ex quibus gravabantur nimiùm, immo & eorum quamplurimi perducti ad egestatem mendicare cogebantur. Istis autem resistere eosque comprimere viriliter & potenter conatus est Iohannes Dux Bituricensis tunc Locumtenens Regis ac regimen habens partium earundem. Sed licèt cum eis diù concertaverit, tamen adversùs eos prævalere non potuit de tempore magno, præsertim in partibus Tolosanis, in quibus eorum fautorem præcipuum reperit Gastonem Comitem Fuxi, qui eis cum manu potenti & brachio extento contra ipsum continuè assistebat. Demum tamen, divina operante gratia, demeritis graviter punitis personaliter vel in bonis, prædicta cessaverunt & ad statum pacificum sunt deducta.

Eodem etiam ferè contextu quo præmissa invaluerunt, eis similia cives Parisienses machinati sunt attentare, quorum directores & promotores esse decreverant illos qui Malleatores seu Malleti vulgariter nominantur. Sed eis deductis ad notitiam Regis & assistentium sibi, quotquot ex eis culpabiles inventi sunt, morte damnati, aut bonis spoliati, aut in exilio damnati fuerunt. Arma insuper omnia civium prædictorum ad palatium regium delata fuerunt; & ultra pœnas tam pecuniarum quàm alias eis impositas, ad ædificandum suis sumptibus & expensis castrum portæ sancti Antonii miræ fortitudinis, habens introitum & exitum liberum intus & extra mœnia civitatis, condemnati extiterunt ad aliorum terrorem memoriamque detestabilem machinationis supradictæ. Et quia inter ceteros hujus rei culpabiles notatus fuisse dicitur unus Advocatus parlamenti regii, aliàs notabilis & solemnis reputatus, qui magister Iohannes de Maresiis dictus est, sententiam subiit capitalem. De ejus tamen damnatione varii vario modo sunt locuti. Nam plures ipsam voluntariam potiùs quàm justam dixerunt, ipsum super sibi impositis innocentem asserentes. Alii verò eum reum & culpabilem opinantes, ipsam æquam & laudabilem æstimarunt. Quod autem horum verum sit, hoc Dei judicio relinquatur, qui quandoque delatos super certis, licèt de ipsis innoxios, aliorum tamen reos hic corporaliter damnari permittit, ne super commissis impuniti hic remaneant, & hic puniti in corpore, de delictisque compuncti, æternam in anima effugiant ultionem. Quod ideo hic inserui quia licèt, ut prætactum est, hic perprius satis commendabilis in aliis diceretur, tamen judicio plurimorum in uno Deum fortè non modicùm offendebat. Cùm enim famosus Advocatus existeret, quotiens occurrebant causæ quæ Ecclesiarum jura aut libertates concernerent, utplurimum & libentiùs contra ipsas patrocinium assumebat; qui, si sui occasione quandoque gravatæ fuerunt, Deum in hoc ultorem præsumitur habuisse, qui facta suis sibi facta reputans, tales consuevit deprimere aut ultione simili radicitus extirpare, sicut è contrario suorum fautores æternaliter præmiat & hic sæpius erigit & exaltat. Quemadmodum de magistro Petro de Fitiniaco notabili Advocato dictique Iohannis contemporaneo in parlamento, qui Ecclesiarum zelator fervidus, suorum jurium defensator præcipuus ac assiduus semper fuit, tunc dicitur contigisse. Ipsum enim exaltavit altissimus, deditque ei gloriam non modicam in hoc mundo, cùm ipsum de statu tam infimo, Advocati scilicet & Archidiaconi in Ecclesia Carnotensi, ad statum cardinalatus ordinavit promoveri per Clementem Papam prædictum; qui, aliquibus ex aliis Cardinalibus defunctis, videlicet anno Domini MCCCLXXXIII, die XXIII. mensis

Decembris, septem Presbyteros Cardinales creando, (qui fuere, Dominus Petrus de Croso ordinis sancti Benedicti monachus diocesis Lemovicensis tunc Archiepiscopus Arelatensis & Camerarius suus, Dominus Faiditus de Agrifolio diocesis Lemovicensis, tunc Episcopus Avinionensis, Dominus Petrus Ayssellini de Monteacuto ordinis sancti Benedicti diocesis Claromontensis tunc Episcopus Laudunensis, Dominus Walterus de Wardelan Scotus tunc Episcopus Glascuensis, Dominus Aymericus de Manhaco diocesis Lemovicensis tunc Episcopus Parisiensis, Dominus Iohannes de Novocastro Burgundus, consanguineus & cubicularius suus, tunc Episcopus Tullensis, Dominus Iacobus de Mentonay diocesis Gebennensis tunc Archidiaconus in Ecclesia Remensi & cubicularius suus) duos etiam Diaconos ordinavit, videlicet Dominos Amedeum de Saluciis Pedemontanum tunc electum Valentinensem, nepotem vel consanguineum suum proximum, & prædictum magistrum Petrum de Fitiniaco, licèt grandævum, totum tamen aliàs virtuosum; cujus promotio sicut Deo servire & Ecclesiæ favere volentibus fuit placibilis & ad id faciendum allectiva, sic præfati Iohannis de Maresiis punitio contrariis imitantibus ejusque memoriam habentibus esse debuit & debet terribilis & ab eisdem repressiva.

Insuper adveniente tempore paschali ad instantiam Regis Franciæ & Ducis Bituricensis prænominati præfatus Clemens Papa promovit in Diaconum Cardinalem Dominum Petrum de Lucenborch fratrem Comitis sancti Pauli, tunc electum Metensem, ætate quidem juvenem, sed magnis meritis & virtutibus adornatum, prout infrà, cùm ejus obitus narrabitur, pleniùs describetur.

Eodem etiam anno (scilicet MCCCLXXXIV.) die XX. mensis Septembris memoratus Dux Andegavensis Ludovicus, regio nomine jam assumpto, qui hactenus dives & abundans plurimùm extitit, satis pauper & indigens, Amedeo Comite Sabaudiæ prælibato multisque ex suis commilitonibus & armigeris tam inedia quàm gladio jam defunctis, prout Domino placuit, infirmitate prægravatus diem clausit extremum in civitate Barensi suæ tunc subdita ditioni. Quod quàm lamentabile quàmque damnosum extiterit sibi adhærentibus, quos jam multos ultra secum ductos in dicto regno habebat tam amore quàm vi sibi confœderatos & attractos, judicet qui cogitat percusso capite cetera membra pati. Successit autem sibi tam nomine quàm ea parte quam in dicto regno obtinebat Ludovicus filius suus primogenitus vix septennis, qui sub regimine Mariæ matris suæ habuit diutiùs permanere, saltim donec & quousque ad annos attingeret pubertatis. Interim verò per dictæ matris providentiam, cum assistentia & juvamine dicti Clementis Papæ, patriam Provinciæ, quæ patri rebellis & inobediens extiterat, ad ipsius dominium est reducta. Ea etiam quæ per dictum patrem suum in dicto regno tenebantur non minùs immo & ampliùs in aliqua parte prosperata sunt quàm ipso vivente.

Quo etiam adhuc existente in eodem regno contigit unum mirabile & stupendum, Dei tamen judicio, ut opinor, ordinatum, videlicet quòd dicto Bartholomæo intruso Neapolim accedente, orta fuit discordia inter eum & præfatum Karolum jam, ut suprà tactum est, per eum de facto in Regem sublimatum; cùmque nondum accessa civitate ad invicem convenerunt, inter eos adeo crevit discordia quòd idem Karolus ipsum ibidem arrestavit aut veriùs captivavit, & ne ulteriùs procederet impedivit. Sed aliquibus se interponentibus, dictoque Bartholo-

mæo offensam suam ad tempus aliquod dissimulando pertranseunte liberatus fuit, & demum intravit. Sed ibidem eo existente, cogitavit hoc sibi non fore tutum; & idcirco post moram ibi aliquanto tempore factam ab inde exiens venit Nuceriam, ubi quod conceperat deducere disposuit ad effectum. Sed hoc ad notitiam dicti Karoli perducto, ipse ad ejus obsidionem viriliter se accinxit, locumque prædictum fortiter & diutiùs expugnavit. Sed tandem per Dominos nobiles dominos de sancto Severino & nonnullos alios tunc fautores dicti Bartholomæi in manu potenti ad sui auxilium & juvamen supervenientes dicta obsidio levata extitit & ipse liberatus. Qui demum ab inde recedens, quosdam de suis Anticardinalibus, quos de præmissis contra ipsum attentatis conscios & culpabiles æstimavit, priùs depositos, vinculatos enormiter secum duxit; de quibus quid egerit, & in quem locum ipse ab inde declinaverit, infrà suo loco describetur.

Anno autem Domini MCCCLXXXV. circa vernale tempus Karolus Rex Franciæ recepit in conjugem Isabellam filiam Stephani Ducis Bavariæ.

Eodem etiam tempore obiit Ludovicus Rex Hungariæ, duabus filiabus superstitibus; quarum primogenita sibi in regno Hungariæ succedens nupsit Sigismundo Marchioni Brandeburgensi fratri Regis Bohemiæ; secunda, quæ in regnis Poloniæ & Cracoviæ sibi succedebat, eo jam vivente contraxerat cum Guillelmo primogenito Leopoldi Ducis Austriæ, & secum, ut dicebatur, nubilis existens cohabitaverat per aliquod tempus. Post verò ejusdem Regis obitum ipsam de facto recepit Ladislaus Dux Lotobbiæ adhuc paganus existens, licèt se demum converterit ad fidem Christianam.

Anno prædicto MCCCLXXXV. die XII. mensis Iulii, aliquibus Cardinalibus noviter defunctis, præfatus Clemens novam fecit creationem, videlicet septem Cardinalium Presbyterorum; qui fuerunt, Dominus Bertrandus de Chanaco diocesis Lemovicensis tunc Patriarcha Hierosolymitanus, Dominus Thomas de Amanatis Italicus tunc Archiepiscopus Neapolitanus & referendarius Papæ, Dominus Iohannes de Placentinis Lombardus tunc Episcopus Castellanensis, aliàs Venetiarum, Dominus Amelius de Lautreco Canonicus regularis ordinis sancti Augustini, de Albigesio, tunc Episcopus Convenarum & etiam Papæ referendarius, Dominus Iohannes de Murolio diocesis Claromontensis tunc Episcopus Gebennensis, familiaris Papæ, Dominus Petrus de Tureyo Burgundus tunc Episcopus Malleacensis, & Dominus Iohannes de Broniaco diocesis Gebennensis tunc Episcopus Vivariensis & Cubicularius ipsius Papæ.

Per idem tempus occupabat regnum Portugalliæ quidam Iohannes magister militiæ dictæ Davidi, asserens se fuisse fratrem Regis ultimò mortui; cujus filiam, ad quam regnum hujusmodi pertinere dicebatur, habebat in conjugem Iohannes Rex Castellæ memoratus. Cujus occasione guerra fuit mota ortaque discordia inter prædictos Regem & magistrum, & mense Augusti anni prædicti, die videlicet decima quarta, prælium consertum est, in quo, prout Domino placuit, idem Rex extitit victus; fueruntque mortui quamplures milites & armigeri tam de sibi subditis quàm illis qui in sui succursum advenerant de partibus Gallicanis.

Anno Domini MCCCLXXXVI. die prima Ianuarii sol circa horam tertiarum, licèt perprius ab aurora diei & post ejus ortum aër satis claruisset, & ipse more solito splenduisset, eclipsatus est, & in tantum aër obfuscatus & obtenebratus sicut in noctis crepusculo communiter esse consuevit, & adeo

adeo quòd in carreriis aut aliàs sub divo tunc existentes legere aut diversitatem personarum vel monetarum discernere difficiliter potuissent.

Eodem occurrente tempore Bartholomæus intrusus recedens de Apulia navigando pervenit Ianuam cum pluribus ex Anticardinalibus suis, ex quibus sex de illis quos, ut suprà tactum est, tanquam conscios & culpabiles super attentatis contra ipsum per Karolum de Duracio memoratum vinculaverat, ut aliqui dixerunt, in mari submergendo, aliqui quòd in terra vivos sepeliendo, & aliqui quòd plantatos in terra usque ad mentum capite truncatos fecit immaniter trucidari, eis reddens pro suis obsequiis secundùm quod diabolus, cujus ministri erant, suis servitoribus reddere consuevit.

Per idem etiam tempus præfatus Karolus adiit regnum Hungariæ, sperans ibi fautores & amicos habere per quorum ministerium & juvamen regnum ip um, in quo tanquam propinquior Regi mortuo per lineam masculinam jus se prætendebat habere, acquirere posset, & illud Siciliæ, cujus nomen, licèt falsò, gestabat, cum ejus pertinentiis defensare. Sed suis fraudatus desideriis, non amicos, sed inimicos ibi reperit, per quos extitit crudeliter interemptus, justo Dei judicio pœnam condignam recipiens pro commisso scelere in nece Iohannæ Reginæ memoratæ; quæ domina sua naturalis erat, fueratque sibi continuè plusquam mater, ipsum à cunabulis in propria nutricando, fovendo, & exaltando, immo à morte, cui aliquando adjudicatus extiterat, præservando. Quorum omnium non recordatus, ejus vitam odivit, statum concupivit, & mortem ordinavit; cujus sanguis de terra clamavit ad Dominum, donec prædictam perpessus est ultionem.

Fuit etiam tempore prædicto suscitata guerra & mota discordia inter prænominatum Leopoldum Ducem Austriæ & populares ac incolas locorum imperialium adjacentium terris suis; quæ adeo incaluit quòd ipse de viribus suis nimiùm confidens, eosque spernens, & non cogitans dubium belli eventum, in propria ipsos disposuit debellare. Ipsi verò sibi viriliter occurrentes, cùm essent numero plures & armis fortiores, ipsum interfecerunt cum majori parte suorum, aliis dantibus terga fugæ.

Istis etiam pendentibus Galeacius de Vicecomitibus Mediolani Comes Virtutum captivavit Barnabonem patruum suum improvisum nec de hoc cogitantem, ipsumque carceribus mancipavit, in quibus demum satis citò mortuus est. Cujus filiis omnibus aut strictè detentis, aut tanquam exilio damnatis, in egestate & miseria per mundum hinc inde vagantibus, loca, civitates, & dominia unà cum ceteris bonis omnibus quæ ad ipsum, dum liber erat & viveret, pertinebant, idem Comes occupavit, nec fuit qui in his quoquo modo suæ restiterit voluntati. In quo quantum in potentia & divitiis confidendum existat notent & considerent ipsi principaliter abundantes, cùm ipse inter ceteros hujus mundi in iis unus foret de majoribus & tamen omnia perdidit una die. Prædictis autem peractis dictus Comes, suis certis tractantibus amicis, datisque magnis pecuniis, & aliquibus locis & dominiis assignatis, filiam suam unicam, quam habebat, in conjugem tradidit Ludovico Duci Turonensi, postea Duci Aurelianensi, fratri germano Regis Franciæ memorati, cui erat secundo gradu consanguinitatis conjuncta, cùm ejus mater soror fuerit patris sui, fuitque super hoc dispensatum per Clementem Papam memoratum; sed utrum etiam per Bartholomæum intrusum dubito, cùm ipse Comes ad partem suam satis patenter tunc existeret inclinatus.

Quo etiam tempore, ipso Bartholomæo intruso adhuc Ianuæ permanente, duo ex suis Anticardinalibus Italici natione ab ipso divertentes, se ad dictum Clementem converterunt, videlicet Pileus de Prata, qui longo tempore ante dictum schisma Archiepiscopus Ravennatensis extiterat, & Dominus Galeotus de Petramala; quorum primum dictus Clemens in Presbyterum, secundum verò in Diaconum Cardinales assumpsit, eis noviter dans verum statum quem antè usurpativè tenuerant cum dicto intruso persistentes; misitque eis capellos rubeos, quos ipsis vice sua tradi mandavit per Dominum Petrum Girardi Episcopum Aniciensem nuntium suum in certis locis, ad quem confugerant à dicto intruso recedentes. Veruntamen de primi reductione non est mentio facienda, cùm illusoria fuerit atque ficta, prout infrà demonstrabitur suo loco. Alius autem mansit & vixit laudabiliter firmus & stabilis in fide assumpta permanendo.

Anno Domini MCCCLXXXVII. die quinta mensis Iulii obiit memoratus Dominus Petrus de Lucemburch sancti Georgii ad velum aureum Diaconus Cardinalis, suæ ætatis XVIII. annis nondum completis; qui ab infantia continuè dilexit & timuit Deum, & veram ad eum & proximum caritatem habuit, justitiam & æquitatem tenuit, virginitatem & munditiam servavit, in humilitate permansit, in omni morum honestate perseveranter vixit, & tandem sanctissimè diem ultimum terminavit. Ejus autem vita licèt fuerit admodum laudabilis, immo & quodam modo aliis exemplar suarum ætatis & nobilitatis respectu, tamen sua mors subsecuta ejus ingentia merita peramplius demonstravit. A die enim qua corpus suum sepultum fuit in cimiterio communi pauperum, in quo præ nimia humilitate vivens suam elegerat sepulturam, magnis & stupendis miraculis clarescere cœpit. Ejus namque tumulum visitantes, aut pro suis languoribus & necessitatibus suum patrocinium implorantes, confestim remedia invenerunt opportuna & experti sunt, nedum liberati à febribus & ab aliis infirmitatibus quæ communiter accidere solent, sed etiam cœci visum, surdi auditum, claudi gressum, muti loquelam, leprosi munditiam sunt ejus meritis consecuti, sed &, quod maius est, plurimi mortui ad vitam pristinam sunt restituti. Quæ adeo continuata referuntur quòd fere ubique infra paucum tempus divulgata fuere. Propter quod etiam de diversis longinquis seu remotis partibus venerunt quamplurimi ad suum dictum tumulum, qui perprius magnis gravati languoribus, ejus meritis & intercessionibus sani & incolumes ad propria redierunt, prout ii omnes qui ejus ope adjuti seu sani facti sunt, quive prius languidos aut malè se habentes ac demum convaluisse viderant, attestati sunt, & vota innumerabilia super eis reddita indicant manifestè. Inter quos etiam extiterunt non pauci qui quamquam forent schismatici ac dicto Bartholomæo intruso adhærentes, videntes tot prodigia & signa quæ Deus eum invocantibus suis intercessionibus continuè faciebat, ejus compulsi sunt confiteri sanctitatem, nec ulterius suum statum seu titulum, quem sciebant ipsum à dicto Clemente recepisse, tanquam indebitum ausi sunt quomodolibet impugnare. Fuitque propterea status dicti Clementis justior & solidior multimodè reputatus, per quem plures æstimantes & à certo tenentes quòd ipse, qui jam spiritu Dei plenus fuisse secretorumque cælestium, in quantum in eis salus sua tangebatur, notitiam sufficientem habuisse creditur, sibi non adhæsisset, nec promotiones suas ab ipso recepisset, nisi ipsum sci-

visset justum habere titulum in papatu. Qui demum tam pro parte Regis Franciæ quàm plurium Prælatorum crebris & multiplicatis supplicationibus propulsatus & requisitus extitit ut ad ejus canonizationem procedere dignaretur, cùm merita sua hoc exposcerent, dictis miraculis & prodigiis id ipsum indicantibus manifestè. Ipse autem in his maturè procedere volens commisit super præmissis inquiri diligenter & informationem recipi tam per Prælatos quàm certos Cardinales ad hoc per ipsum deputatos, prout est in talibus fieri consuetum. Interim circa tumulum suum fuit institutum unum cœnobium certorum fratrum Cælestinorum, qui habent ibi in ejus commemorationem & honorem Deo deservire, ordinatis pro ipsis ibidem Ecclesia & officiis eis necessariis ad tempus competentibus & tandem solemniter ædificandis, qui etiam de oblationibus & votis sui consideratione obvenientibus pro majori parte possunt sustentari.

Per idem tempus Petrus Rex Arragonum volens super veritate tam electionis dicti Clementis quàm intrusionis dicti Bartholomæi plenius informari, & præsertim cum Cardinalibus, qui talium super omnes mortales notitiam certiorem habebant, misit Avinionem certos nuntios seu ambaxiatores suos, utique viros litteratos, providos, & discretos, tam ad dictum Clementem quàm Cardinales memoratos, qui vice sua super præmissis cum eis haberent inquirere diligentiùs, quemadmodum perprius Romam miserat simili de causa. Dicti autem nuntii singulariter & singillatim dictos Cardinales etiam juratos interrogaverunt super certis articulis factum intrusionis & alia concernentibus, prout à dicto Rege habuerant in mandatis. Et idem per omnia fecerunt de multis aliis viris notabilibus tunc in curia existentibus, qui præsentes extiterant in locis in quibus facta fuere. Fueruntque dicta omnia redacta in scriptis etiam sub manu publica & authentica forma, & sic per dictos nuntios ad propria redeuntes dicto Regi reportata. Qui eis receptis, visis, & diligenter examinatis, habitaque multimoda deliberatione cum regnicolis suis tam ecclesiasticis quàm mundanis, tandem deliberavit se cum eis pro parte dicti Clementis publicè declarare, sibique obedire, adhærere, & favere tanquam vero Papæ; sicque, ut firmiter creditur, satis citò post deduxisset ad effectum, sed morte præventus hoc adimplere nequivit. Obiit enim die [v.] mensis [Ianuarii] anni [ejusdem.] Cui successit in regno Iohannes Dux Gerundensis suus filius primogenitus; qui de paterna intentione plenè certificatus, præmissisque informationibus pleniùs recensitis, ac habita deliberatione matura cum suis regnicolis, de eorumque consilio & assensu, ad dictam declarationem faciendam processit, sibi assistente sicque fieri sollicitè procurante præfato Domino Petro de Luna Diacono Cardinale, qui etiam diutiùs institerat ad hoc penes patrem suum memoratum. Cujus indignationem propter hoc metuens incurrere Dominus Iacobus de Arragonia tunc Episcopus Valentinus, suus consanguineus germanus, statum cardinalatus sibi à jam diu antè datum per dictum Clementem Papam suo tempore recipere retardavit; quem tamen post ejus obitum, factaque dicta declaratione per Iohannem filium suum, acceptavit; fuitque sibi ad instantiam dicti novi Regis missus capellus rubeus, & per memoratum Petrum Cardinalem de mandato ejusdem Clementis Papæ traditus & assignatus.

Obiit etiam satis citò Karolus Rex Navarræ. Cui successit in regno Karolus suus filius primogenitus. Qui etiam processu temporis, opportunitate cap-

tata, suam solemniter declarationem fecit pro dicto Clemente Papa, quam pater, licèt ex certis causis distulisset, facere disposuerat, sed morte præventus non potuit, eam ad dictum filium suum per eum fiendam transmittens; in qua etiam sibi astitit & efficaciter operatus est memoratus Dominus Petrus de Luna Diaconus Cardinalis.

Per idem etiam tempus Iohannes Dux Lencastriæ intravit & invasit regnum Castellæ cum magna multitudine armatorum, prætendens regnum hujusmodi sibi deberi ratione conjugis suæ, quæ filia fuerat Petri quondam Regis ejusdem regni, qui sine liberis masculis decesserat, regnumque ipsius secundùm eum indebitè occupatum fuerat per Henricum fratrem suum naturalem, & sic adhuc occupabatur per Iohannem filium suum in dictæ conjugis suæ præjudicium atque damnum. Et licèt idem Dux in dicto regno quamplurima damna intulerit, tamen non minora ipse perpessus est in gentibus suis; ex quibus multi periere magis inedia ob victualium defectum quàm propter bellicos insultus. Tandem verò interponentibus se aliquibus utriusque partis amicis, fuit inter ipsos pax reformata; in qua principaliter sequentia ordinata fuere. Primò filia dicti Ducis ex dicta sua conjuge data fuit in uxorem Henrico Infanti & primogenito dicti Iohannis Regis. Secundò data fuit Duci præfato una summa magna pecuniæ ac in promptu soluta pro expensis per ipsum factis ratione præmissorum. Tertiò, quòd quandiu viveret dicta uxor sua, annuatim reciperet in dicto regno quadraginta millia duplorum seu francorum. Quartò, quòd ex tunc dictus Dux, qui perprius se Regem Castellæ nominabat, nomen hujusmodi dimitteret, cederetque juri sibi aut uxori suæ in dicto regno competenti. Quibus firmatis & perfectis, idem Dux ad propria remeavit, dicto regno in pace & quiete dimisso. Ipse etiam adhuc in eo existens seu ante dictam pacem dedit aliam filiam suam primogenitam, quam habebat ex sua prima conjuge, prænominato Iohanni militiæ, qui se pro Rege Portugalliæ gerebat & nominabat, cum quo perprius confœderatus & colligatus extiterat contra Iohannem Regem Castellæ memoratum. Sed dicta pace interveniente, fuit etiam inita treuga ad magnum tempus inter eosdem Castellæ & Portugalliæ Reges, ne occasione discordiæ ipsorum dicta pax posset quoquomodo violari seu infringi.

Dictis insuper factis discordiis, nova fuit exorta discordia inter Karolum Regem Franciæ & Ducem Guelriæ; cujus occasione idem Rex cum magno exercitu armatorum ad invadendum terras dicti Ducis se accinxit, & è contrario idem Dux ad sibi resistendum se disposuit & paravit, habuitque multos sibi confœderatos tam de Leodiensibus quàm de Alamannis, per quorum districtum dictus Rex habebat transitum facere, qui iter suum facientes exercitui suo damna quamplurima intulerunt. Antequam tamen hinc ulteriùs ad graviora procederent, pro parte dicti Ducis eidem Regi talia & tanta oblata fuere & præsentata quòd ipse placatus extitit, & de eo contentus ad propria remeavit. Cùm verò pervenit ad civitatem Remensem, ipse qui usque tunc sub tutoribus & actoribus, hoc est, sub tutela & gubernatione patruorum suorum permanserat, subitò & absque præmeditatione eorundem immo & aliorum paucorum sui regni regimen assumpsit, volens eos ex tunc tanquam consiliarios sibi assistere, non autem velut gubernatores habere, de quibus ipsi & alii quamplures eis assistentes non bene contenti remansere; præsertim quia in officiis & aliis administrationibus, ex quibus ea gerentibus emolumenta quamplurima

proveniebant, multa immutata & innovata fuere.

Per idem tempus, inimico hominum satoreque zizaniæ diabolo procurante, orta fuit discordia inter Vniversitatem Parisiensem & ordinem Prædicatorum, cui & ejus suppositis multa imposita sunt tam per ipsam Vniversitatem quàm plures alios ipsis æmulantes. Quorum occasione ferè in toto regno Franciæ, & præsertim in lingua Gallicana, quamplurimi contra ipsos insurrexerunt, multos ex ipsis captivando, oblationes & eleemosynas eis denegando, prædicationes verbi Dei, propositiones, & confessionum auditiones eis inhibendo. Dicta etiam Vniversitas à se eos totaliter segregavit; ad actus scholasticos inibi faciendos aut honores & gradus recipiendos nedum non admisit, sed etiam impedivit. In quibus omnibus fautores paucissimos, persecutores plurimos habuerunt; fueruntque passi damna infinita, nedum in personis, sed etiam in bonis; ac, ut de injuriis, opprobriis, & contumeliis, irrisionibus, & detractionibus taceamus, pro tunc facti fuerunt tanquam opprobrium hominum & abjectio plebis; duravitque tempestas hujusmodi per plures annos, nec fuit qui eos adjuvaret, & hoc maximè quia qui eos persequebantur, se beatæ virgini æstimabant sacrificare, cui dictum ordinem & ejus supposita multimodè injuriari & detrahere asserebant in eo quòd quasi omnes ipsam asserunt & opinantur in peccato originali conceptam fuisse, quod utique fore erroneum & damnatum tales astruebant, non obstantibus opinionibus multorum sanctorum & doctorum approbatorum contrarium opinantium. Eorum dicta quia quidam dictus Iohannes de Montesono de eodem ordine noviter in dicta Vniversitate magistratus recitavit & vera esse asseruit, requisitusque pro parte dictæ Vniversitatis ut dicta sua hujusmodi tanquam falsa & erronea revocaret, sciant cuncti quòd revocare recusavit. Ideo per ipsam Vniversitatem contra ipsum fuit multimodè processum.

[Dubitans ne auctor hujus chronicæ fuerit de dicto ordine Prædicatorum, in cujus ordinis favorem non plenè causam dictæ discordiæ expressit, sciant cuncti quòd veritas sic se habuit quòd dictus de Montesono ex magna arrogantia & ex quadam collusione facta cum pluribus magistris & aliis de dicto ordine, plures conclusiones tangentes materiam conceptionis beatæ Mariæ malè sonantes & pias aures offendentes ponere in scholis & asserere non formidavit, pluresque de dicto ordine in diversis civitatibus regni Franciæ in suis sermonibus & aliis actibus illò tunc plura nefanda, turpia, & inhonesta de dicta beata virgine & ejus conceptione, quæ etiam de aliis mulieribus tanquam abominabilia tacenda forent, ad sui ostentationem seu potiùs perniciem astruere non erubuerunt. Propter quæ dicta Vniversitas causam beatæ Mariæ & veritatem semper defendens, contra tales & dictum ordinem, qui eos sustinebat, viriliter & debitè processit &c Hoc autem posui quia ego tunc Parisius præsens eram, & ea in propria cognovi. Et quia dictus ordo in hoc sibi favere dicebatur, inde fuit suscitata turbatio supradicta; nec fuit remedium circa sedationem ejusdem, nisi in dictis partibus per dictum ordinem fieret festum solemniter de dicta conceptione, quòdque à cetero in sermonibus, collationibus, & disputationibus inter supposita ejusdem de materia hujusmodi taceretur, aut ad partem affirmativam nullo modo descenderetur. Quibus observatis & in facto deductis cessavit dicta seditio, & dictus ordo quoad persecutiones personales satis in pace remansit, non tamen ad actus scholasticos & alios consuetos per dictam Vniversitatem fuit de longo tempore pòst restitutus. O utinam materia hujusmodi nusquam venisset in concertationem seu disputationem virorum litteratorum nec aliorum, aut de ipsa in sermonibus per eos mentio facta fuisset, cùm potius huc usque multi super ea curiosè ac ad sui ostentationem fuerint locuti quàm ad salutem seu profectum animarum. Exinde namque istud & alia scandala quamplurima hactenus orta fuerunt, quæ ex taciturnitate minimè provenissent, nec eo minùs salus ad hoc non intendentium contigisset, cùm non sit de articulis

fidei ut artet quemquam ad unam partem magis quàm ad aliam declinare, in quantum præfati concertantes, dubia elicientes ubi non erant, plusque sapere quàm expediret in talibus, se ipsos & simplicium animos multipliciter involverunt. Et sic crederem fore tutius si ad alia necessaria & utilia intenderent, & hæc & similia evitarent.]

Anno Domini MCCCLXXXIX. memoratus Rex Franciæ venit Avinionem ad dictum Clementem penultima die mensis Octobris, fuitque receptus multùm solemniter, prout decebat, tam per Papam prædictum quàm totam curiam suam. Venit etiam cum ipso Ludovicus Dux Turonensis frater suus unà cum aliis quampluribus notabilibus & magnis viris. Die autem festi omnium sanctorum, quod illo anno occurrit feria secunda, dictus Clemens coronavit in Regem Siciliæ Ludovicum juniorem filium alterius Ludovici, qui, ut suprà recitatum est, per antea in Apulia expiraverat, præfato Karolo Rege Francorum assistente, qui etiam cum humilitate debita pro tunc fudit aquam manibus Papæ prædicti Missarum solemnia celebrantis. Ob cujus honorem & reverentiam suisque precibus inclinatus dictus Clemens Papa die tertia ejusdem mensis assumpsit in Presbyterum Cardinalem Dominum Iohannem de Talaru tunc Archiepiscopum Lugdunensem, nationis ejusdem, virum utique, licèt grandævum, tamen admodum virtuosum & litteratum, qui etiam pro juribus Ecclesiæ suæ, quandiu eidem præfuit, multa & magna fuerat operatus. Post hæc dictus Karolus Rex de Avinione recedendo ivit ad partes Tolosanas, in quibus & circumquaque mansit usque ad mensem Ianuarii subsequentis. Qui redeundo ad partes Franciæ, transitum fecit per Avinionem; factaque ibi mora satis modica, iter suum continuando, ab inde discessit.

Dum præmissa in partibus cismontanis agerentur, de mense videlicet Octobris denotato, Bartholomæus intrusus, qui perprius de Ianua recedendo tam in Luca quàm Perusio moram aliquanto tempore fecerat multa perniciosa & scandalosa operando, tandemque Romam redierat, totus pertinax & impœnitens ibi spiritum exhalavit. Cui per suos Anticardinales in suo statu nefario fuit substitutus unus ex eis, dictus Perrinus de Tomasellis, de Neapoli oriundus, juvenis quidem tam ætate quàm moribus, satis illiteratus, & ad insequenda vestigia dicti Bartholomæi totus dispositus & paratus, qui, licèt falsò, Bonifacium IX. se fecit nominari.

Audita autem intrusione sua per suprà nominatum Pileum de Prata, quem dictus Clemens Papa, quia de grege dicti Bartholomæi ad gremium sanctæ matris Ecclesiæ & suum se venire & redire finxerat, in Presbyterum assumpserat Cardinalem, quique demum in Avinione secum manserat per aliquod tempus, pòst verò sub fictis & exquisitis coloribus & fraudulenter procuraverat se ad partes Italiæ destinari, ubi in terris & locis Ecclesiæ eidem Clementi adhærentibus simulatè resedit usque ad tempus intrusionis memoratæ, statim ad ipsum novum venit intrusum, & tanquam canis ad vomitum rediens, rejecto statu à dicto Clemente recepto, se fecit per ipsum noviter pileari, demonstrans qua intentione quove spiritu à Bartholomæo recedere & venire se finxerat ad dictum Clementem. Sed Deus sibi satis reddidit punitionem condignam pro meritis; cùm etiam in parte ad quam sic ultimò improbè declinavit, ab illa hora homo inconstans & variabilis & perfidus fuit communiter æstimatus, vulgariterque dictus seu nominatus Cardinalis de Tricapelli, hoc est, trium capellorum, id est, à tribus capellatus. Vtinam adhuc extans sit à quarto, sic

tamen quòd capellus sibi tradatur de chalybe, ære, vel ferro candenti, ut sic extinguatur ejus ambitio & protervitas confundatur.

Postquam verò ad dicti Clementis pervenit notitiam intrusio de dicto Perrino modo præmisso facta noviter, ipse contra eum suos inchoavit processus juridicos tanquam sedis apostolicæ invasorem ac damnatæ memoriæ dicti Bartholomæi scientem & voluntarium in vitio & crimine successorem. Sed, quod dolendum existit, nedum ut alius ipsos contemptui habuit, quinimmo in perfidia & obstinatione sibi totaliter parificari voluit & æquari, similia contra dictum Clementem in omnibus attentando.

Præterea de mense Iunii anno Domini MCCCXC. Ludovicus junior Rex Siciliæ noviter coronatus iter suum arripuit versùs Neapolim navigando, gentibus armigeris notabiliter comitatus, ac victualibus sufficienter munitus. Cui, ut sibi circa regimen regni sui assisteret & in agendis consuleret, præfatus Clemens Papa tradidit Dominum Petrum de Tureyo tituli sanctæ Susannæ Presbyterum Cardinalem; quem etiam constituit Legatum suum de latere in partibus illis, ut in eis circa reductionem rebellium & infidelium insisteret, & ad ipsum fideles sui recursum haberent.

Eodem tempore Karolus junior Rex Navarræ, postquam in regno suo sublimatus extitit & coronatus, misit ad dictum Clementem Papam suos notabiles nuntios; qui interea ab ipso sui parte postularunt, petierunt, instanterque supplicarunt ut Dominum Martinum de Salva suum Cancellarium & regnicolam, tunc Episcopum Pampilonensem, assumeret in Presbyterum Cardinalem. Qui supplicationibus hujusmodi, velut rationabilibus & condignis, acquiescens, de unanimi Cardinalium consensu ipsum ad hoc promovit & assumpsit die XXI. mensis Iulii ejusdem anni. Qui etiam hoc idem aliàs facere disposuerat vivente Karolo patre dicti Regis, cùm unus de notabilioribus Prælatis totius Ecclesiæ ac inter ceteros Doctores juris canonici universi orbis de majoribus æstimaretur, essetque in vita, moribus, & prudentia, ac aliis virtutibus notabiliter commendatus, si ipse tunc in hoc assentiri voluisset; sed pro tunc assentiri noluit, non alia de causa nisi quòd continuè insistens circa dictum Regem ut se pro parte dicti Clementis præcisè & publicè declararet, in hoc se posse plus proficere in statu primo quàm prædicto verisimiliter æstimabat. Sed demum postquam idem Rex hoc non facto, licèt disposito, obiit, & filius ejus hoc fecit, ipse promotioni hujusmodi humiliter acquievit.

Eodem etiam tempore invaluit pestis & mortalitas in Avinione & locis circumvicinis. Propter quod dictus Clemens ab inde discessit, venitque Bellicadrum diocesis Arelatensis castrum Regis Franciæ pro tunc à dicta peste satis mundum; ubi manendo, vocatis ad se aliquibus Cardinalibus tam in Avinione quàm circum circa morantibus, cùm nonnulli ex aliis noviter obiissent, die XVII. mensis Octobris novos fecit Presbyteros Cardinales, videlicet Dominum Iohannem Flandrini diocesis Vivariensis tunc Archiepiscopum Auxitanensem, & Dominum Petrum Geraudi de Foresio diocesis Lugdunensis tunc Episcopum Aniciensem, Cubicularium suum.

Obiit etiam eodem mense Iohannes Rex Castellæ satis subitò & inopinatè. Equitando enim & currendo per unum campum ad quem causa spatii iverat, equus quo vehebatur cespitans cecidit, & ipse pariter cum eo, ruptoque collo ibidem expiravit. Cui successit in regno Henricus suus filius primogenitus vix decennis. Fuit tamen inter proce-

res regni tam ecclesiasticos quàm seculares, & præsertim Archiepiscopos Toletanensem & Compostellanum, altercatio magna ad quem vel quos ejus & regni sui gubernacula pertinerent; cujus occasione secuta sunt scandala multa, & specialiter dicti Archiepiscopi Toletani detentio seu veriùs captivatio, quam procurarunt æmuli sui, volentes ipsum in regimine hujusmodi supplantare. Sed tandem per mediationem certorum nuntiorum quos dictus Clemens Papa hac de causa illuc destinavit, fuit liberatus, & in regimine prædicto aliis quibusdam de hoc etiam concertantibus aggregatus. Quo facto cessavit altercatio hujusmodi, mansitque dictus Rex sub eorum regimine usque ad tempus pubertatis suæ à patre suo præfinitum.

Præterea cùm priùs orta fuisset discordia inter Philippum Ducem & Comitem Burgundiæ & Dominum Guillelmum de Vergeyo Archiepiscopum Bisuntinensem tam super certis juribus Ecclesiæ Bisuntinensis quam aliquibus aliis, durassetque diù, nec bono modo posset sedari dicto Domino Guillelmo eidem Ecclesiæ præsidente, cùm memoratus Dux ipsum quodammodo odio personali prosequi videretur, tandem tam ad ejusdem Ducis instantiam quàm etiam pro bono pacis, & quia ipse etiam hoc bene merebatur, cùm esset bonus & valens Prælatus & magnus pugil & defensor notabilis jurium Ecclesiæ suæ reputatus, præfatus Clemens anno XCI. ipsum assumpsit in Presbyterum Cardinalem.

Eodem etiam anno, prima mensis Augusti, obiit Gasto Comes Fuxi admodum subitò & inopinatè. Credens enim esse sanus & incolumis, disponens se ire ad mensam pro cœna, dum aqua ejus funderetur manibus, statim mortuus cecidit prostratus. quod fuit ad magnum stuporem terroremque sibi astantium, sed non omnium, cùm eorum aliqui & sibi magis propinqui potiùs & citiùs intenderunt ad recipiendum bona sua quàm ad corpus suum condiendum. In quo discant & advertant potentes hujus seculi quantum in præeminentiis & potentiis & divitiis confidendum & sperandum existat. Hic enim, licèt inter alios hujus mundi paucos etiam majoris dignitatis aut status in eis ipsum excedentes haberet, ipseque in eis in tantum confisus est quòd etsi Deum, hominem tamen revereretur quasi nullum; & tamen omnibus in puncto sibi deficientibus, sicut nudus egressus est de utero matris suæ, ita nudus ad tumulum est translatus notanter. Et dico nudus, quia, ut habet relatio publica, postquam compertus est mortuus, per suos vestibus propriis exutus, uno pallio solo satis vili coopertus in lecto straminum fuit reclinatus, ubi mansit usque ad noctis tenebras; quibus imminentibus repositus super bigam seu rhedam quæ pari boum trahebatur, paucis ipsum concomitantibus, solisque duobus luminaribus cereis ipsum præeuntibus, ad locum Ortesii extitit deportatus. O quàm subita & admiranda mutatio! Qui enim mane surgens lecto solemni, cameris amplis dormierat, vespere jacet mortuus in lectulo palearum; quique aulis regiis stipatus, plurimisque ferculis ac poculis epulatus extiterat in cœna, carens solusque reconditur in loculo bestiarum; & cui priùs affluebant divitiæ, & delitiæ non deerant, ipsum premunt miseriæ, dum mortis angustiæ subitò cumulantur. In comitatu autem, terris, & dominiis suis, cùm ipse nullos liberos legitimos haberet, sibi successit Matthæus Vicecomes Castriboni nepos suus, ex consanguineo tamen germano. In pecuniis, quas innumeras dicebatur habere, successores varios habuit. Fertur enim quòd de ipsis qui potuit

potuit capere cepit; & quemadmodum de diversis locis congregatæ extiterant, sic inter diversos dispersæ fuerunt.

Eodem ferè tempore obiit Amedeus junior Comes Sabaudiæ, etiam satis inopinatè, toxico sibi, ut dicitur, propinato, filio suo æquinomo nondum septenni sibi succedente; cujus & terrarum suarum regimen & administrationem juxta dicti Comitis ordinationem accepit Bona de Borbonio defuncti Comitis mater, quæ demum per aliquos ad hoc anhelantes, ut dicitur, falsè & malitiosè incriminata & accusata extitit quòd machinata fuerat opemque dederat in dicti filii mortem. Cujus occasione in comitatu hujusmodi fuerunt dissidia multa, & interfectis aliquibus, qui etiam dicti occasus rei & conscii fuisse dicebantur, ad arma devenerunt quasi omnes majores comitatus ejusdem, aliquibus dictam Comitissam accusantibus & de facto detinentibus; aliis verò eam excusantibus, magnisque dominis utriusque partis amicis, discordia hujusmodi hoc modo dicitur sopita fuisse, videlicet quòd regimen prædictum ad nullum super eo contendentium, sed ad certos dicti Comitis consiliarios pertineret, dicta verò Comitissa, tanquam immunis & innocens, & de qua horrendum & nefas erat cogitare quòd tanti facinoris rea aut culpabilis extitisset, liberaretur à detentione prædictorum, viveretque in pace & quiete suis, ad prædictam aut aliam administrationem præter propriam ulteriùs non vacatura. Quibus ex tempore deductis, dictus Comes & comitatus in tranquillitate remanserunt.

Paulò pòst etiam obiit Petrus Comes Gebennensis, frater unicus dicti Clementis Papæ. Qui Papa tam ratione propinquitatis quàm ex substitutione paterna sibi in comitatu successit, cùm nullam prolem haberet; tenuitque dictum comitatum idem Clemens ab inde quandiu vixit, nomineque suo fecit ipsum gubernari. Quo demum decedente, cessavit ex toto in domo antiquissima Gebennensi posteritas masculina, cùm nullus ex tunc remanserit masculus ex ea procedens per lineam masculinam. quod aliàs nullo unquam tempore legitur aut reperitur contigisse, cùm semper in ea successerint masculi masculis ex eis directè descendentes. Sed quia nihil semper stabile aut durabile permanet, in hoc eis tunc deficientibus oportuit ut ipsis succederet Imbertus de Villariis nepos ex sorore dictorum Comitis & Clementis.

Eodem etiam anno MCCCXCII. orta fuit discordia inter Karolum Regem Francorum & Iohannem Ducem Britanniæ; disposuitque dictus Rex, satis præsumens de suis fortitudine & potentia, ac in ipsis quodammodo glorians & spem ponens, cum magno armatorum exercitu invadere & intrare terras Ducis memorati. Cùmque in procinctu intrandi existeret, & die quadam cum suis commilitonibus equitaret, subitò ipsum invasit terribilis & vehemens infirmitas, quæ ejus sensum mutavit & mentem adeo alienavit adeoque ipsum oppressit & gravavit quòd ipsum oportuit reduci super vehiculum ad civitatem Cenomanensem, à qua discesserat paulò antè; fuitque ab inde portatus Parisius, ubi diutiùs morbo hujusmodi ægrotavit. Sed tandem divina operante gratia bene convaluit, sed non adeo plenè quin aliquibus annis subsequentibus per dilucida intervalla etiam pluries eodem anno aliquid senserit de præmissis, quæ sibi contigisse ab aliquibus referuntur ex fascinationibus aut maleficiis sibi propinatis vel procuratis per aliquos sibi domesticos iniquitatis filios & malignitatis alumnos. Qui cùm coëtaneus regni sui in corporeis viribus, mem-

brorum agilitate, actuumque omnium ad ipsum spectantium strenuitate præcelleret, foretque aliàs ad omne bonum, nedum corpore, sed etiam mente dispositus, suis hujusmodi actibus prosperisque successibus invidentes ipsum sic maligniter & iniquè machinati sunt impedire.

In quo discant ceteri Reges, Principes, & Præsides quòd sibi assistentes non habeant qui suis actibus suoque statui æmulentur aut invideant quovis modo, cùm in talium consortio periculosius sit quàm inter scorpiones, serpentes, vel aspides habitare. Sunt enim adversùs hos remedia quamplurima, sed contra alios quasi nulla, juxta illud vulgare dictum; *Nulla pejor pestis quàm familiaris inimicus.* Alii tamen dixerunt quòd hujusmodi infirmitas naturaliter causari potuerat, attentis ætate, complexione, calore, temporis, & imaginationibus & laboribus diversis sibi quotidie per curiales etiam valde domesticos propinatis. Advertant insuper iidem Reges & Principes quòd non in propriis viribus aut potentiis spem ponant, præsumant, aut glorientur, sed in Deo, qui aliter facientes hujus & aliorum multorum exemplo quandoque deprimere & humiliare visus est, in ipso verò tantùm sperantes multimodè erigere & exaltare consuevit.

Postquam autem dictus Rex convaluit, anno Domini M CCC XCIII. jam inchoato ipse profectus est ad civitatem Ambianensem; in qua cum ipso suisque regalibus convenerunt Iohannes Lencastriæ & Thomas Clocestriæ Duces de pace & concordia inter eum & Richardum Regem Angliæ eorum nepotem secum tractaturi. Et quia per firmam pacem vel longam treugam dictorum Regum concordia tunc firma spes dabatur, sperabatur etiam quòd per ejus medium dictus Rex Angliæ facilius solito inclinaretur ad partem dicti Clementis Papæ, aut saltem permitteret quod justitia ejus in sui præsentia suoque regno divulgaretur & monstraretur, ad hoc tractandum & operandum per dictum Clementem fuit missus ad partes Franciæ & loca conventionis prædictorum Dominus Petrus de Luna Diaconus Cardinalis suprà sæpius nominatus. Qui licèt circa hoc diligenter & sollicite institerit penes Duces Lencastriæ & Clocestriæ supradictos aliosque quos in iis circa dictum Regem posse proficere sperabatur, tamen in finalibus nihil effectuale valuit obtinere, non obstante quòd treuga satis longa sub spe longioris aut bonæ pacis pro tunc firmata extiterit inter Reges prælibatos.

Eodem tempore memoratus Clemens Papa pro sedatione schismatis & unione Ecclesiæ obtinenda ordinavit quòd ubique processiones fierent, orationes ad Deum & sanctos ejus devotè funderentur, & Missæ celebrarentur continuè, & specialiter illa cujus officium incipit. *Salvos fac nos Domine & congrega nos de nationibus &c.* quæ cum aliis ad eam pertinentibus fuit per ipsum tunc propter hoc ordinata. Dedit etiam multas indulgentias præmissa facientibus usque ad effectum petitionis hujusmodi duraturas.

Anno insuper XCIV. die XX. mensis Ianuarii ad instantiam & requestam Henrici novi Regis Castellæ assumpsit in Presbyterum Cardinalem Dominum Petrum Ferdinandi de Metina Hispanum, tunc Episcopum Oxomensem, Domino Guterio Gomecii suprà nominato jam defuncto.

Eodem etiam tempore dictus Clemens Papa inchoavit processus, quos etiam successivè continuando multimodè aggravavit & reagravavit, contra quendam Raimundum Rogerii de Turenna Militem, nepotem quondam ex fratre Gregorii Papæ XI. prædecessoris sui, & complices suos, qui

tyrannicè tenens castrum de Baucio prope Avinionem, ab inde guerram apertam sibi & terris suis ac Ecclesiæ faciendo, Romanam curiam, totam patriam Provinciæ, Comitatum Venayssini cum Avinionensi & circumadjacentibus territoriis hostiliter molestabat, invadebat, & destruebat; loca occupando, personas captivando & occidendo, bona victus deprædando & consumendo, aliaque mala quamplurima committendo; nec ab iis coërceri aut retrahi poterat, licèt diutiùs expectatus, & etiam sæpius amicabiliter admonitus & requisitus. Et quamquam dictum Clementem, cui in gradu secundo affinitatis junctus erat, verum esse Papam sciret, & talem eum nominaret & verbo profiteretur, nihilominus contra eum & Romanam Ecclesiam insurgere & attentare non expavit, datus in sensum reprobum, & non recordatus quæ ei dicta Ecclesia fecerat bona, quæ meritò de ipso & suis conquerendo poterat dicere illud propheticum: *Filios enutrivi & exaltavi; ipsi autem spreverunt me.* Fuerat namque nutritus & exaltatus per Ecclesiam, cùm per ministerium Clementis Papæ sexti, cujus ipse pronepos extiterat, domus ejus paterna, quæ in ejus promotionis principio in terra, hoc est, in simplicitate & paupertate jacens, ab inde erecta extitit & plurimùm elevata, magnificata, & exaltata tam in divitiis & redditibus quàm honoribus & dignitatibus ac etiam confœderationibus magnatum & aliorum nobilium plurimorum; ad quæ si ipse ex ea prodiens ipsaque sciens debitum habuisset aspectum, non ita insanire præsumpsisset. Sed ipse, tanquam ingratus filius, beneficii accepti immemor, partusque viperarum matrem nascendo morsibus lacerantium imitatus sævitiam, eandem Ecclesiam, suam utique plusquam matrem, tam crudeliter tamque terribiliter in sui persona præsidis ausu temerario non est veritus impugnare, quem etsi pro interesse proprio, ut falsò confingebat, fortassis haberet exosum, tamen ob dictæ matris reverentiam à talibus abstinere debuit, præsertim cùm eam sic angustiatam & afflictam occasione schismatis memorati tunc videret. Opinor tamen quòd hoc Deus sic fieri & esse permisit ut cunctis evidenter demonstraret sibi non esse gratum quòd viri ecclesiastici, & præsertim summi Pontifices, quorum facta debent esse ceteris in exemplum, de bonis Ecclesiæ ditent & magnificent suos consanguineos & parentes. Quamquam enim exemplo beati Augustini ipsis indigentibus sic subveniendum sit quòd nimis non egeant, non tamen ut ex talibus abundent aut denuo exaltentur, cùm in hoc necessitas attendenda sit, non voluptas. Experientia etiam sæpe nos docuit quòd hoc modo sublimati non diutiùs subsistere solent, sive quia ad instar istius malis actibus se implicantes, taliter acquisitis debitè uti & vivere nesciunt, sive quia justo Dei judicio soboles eis deficiunt; aut debitis vel aliis omnibus eos opprimentibus ea coguntur alienare vel vendere, ut sic uno modo vel alio ad manus deveniant alienas, ipsis quandoque nudatis, manentibus etiam illis quæ antiquitùs eorum obtinuere parentes. Ad quæ utinam benè adverterent suos propinquos plus debito diligentes, in eorumque favorem talia operantes. Qui si oculos linceos haberent, satis perspicere possent quòd ea quæ ante eos in talibus acta sunt, nihil vel modicum valuerunt, ac sicut subitò venerunt, sic & subitò abierunt. Sed sunt eorum quamplurimi qui oculos luteos habentes, dum per eorum promotiones vident sibi arridere fortunam, mentaliter sic excæcantur quòd credunt sibi licere quæ aliis non licuerunt ac durare quæ aliis defecerunt ad instarque

illorum qui turrem Babylonicam, cujus summitas cœlos attingeret, ædificare tentaverunt, suis hereditates & patrimonia acquirere meditantur, quorum celsitudo & prosperitas aut cœlos attingat aut ipsorum durationem excedat. Sed sicut ii imperfecto opere confusi remanserunt, ita & ipsi in suis hujusmodi voluptatibus continuè deficiunt, & quos sic erigunt, ad instar pristinorum ad nihilum in momento rediguntur. Occasione autem turbationum hujusmodi præfatus Clemens pro majori parte temporis quo Ecclesiæ præfuit extitit impeditus, sic quòd providere non potuit ad ea quæ pertinebant ad sedationem dicti schismatis, prout expediebat & volebat, quia ferè omnia quæ undecunque & quacunque congregare poterat, pro defensione sua adversùs dictum tyrannum consumebat; sicque demum ultra sustentationem suam sibi non restabant quæ sufficerent ad præmissa.

His præterea sic se habentibus, schisma prædictum ex sui antiquatione indurabatur. quod in displicentiam & turbationem non modicam veniebat omnium populorum; præsertim quia, ut communiter omnibus apparebat, circa ejus extirpationem prout conveniebat non convenienter intendebat. Propter quod moti præsidentes universitatis studii Parisiensis, deliberatione inter se præhabita, per suas litteras præfatum Clementem incitantes, reverenter tamen, ipsum requisierunt ut ad hoc fortiùs & ferventiùs solito vacare & intendere vellet. Aperueruntque vias quæ ad hoc eis videbantur accommodæ & opportunæ, eum exhortantes ut ipsarum alteram quæ sibi videretur utilior eligere vellet, eamque sic & taliter prosequi quòd per ipsam dicti schismatis terminatio breviter sequeretur. Hujusmodi autem incitationi & exhortationi favebant & cooperabantur Rex Franciæ cum suis regalibus & multi Prælati regni sui, qui votis suis sibi ad invicem communicatis satis concordabant quòd inter vias prædictas motas & tactas erat illa brevior & convenientior toti mundo occasione dicti schismatis jam diviso quòd tam dictus Clemens quàm secum super papatu contendens pariter cederent juri quod ipsorum quilibet in eo prætendebat habere, & eis unus tertius subrogaretur in eodem. Ad quam amplexandam & recipiendam, ubi aliæ non proficerent aut locum habere non possent, ut inclinarent dictum Clementem, dictarum litterarum series eas scribentium ipsisque assistentium affectus humiliter inducebant, ratiocinantes multimodè quòd pro tot & tantis bonis quot & quanta ex unione Ecclesiæ & similibus malis quæ ex ejus divisione sequebantur & erant verisimiliter secutura, aliis tamen remediis deficientibus, etiamsi ipse alias pacificè in sede apostolica præsideret, hoc facere debebat & tenebatur. Et hæc eadem censuerunt esse persuadenda adversario suo per sibi obedientes & faventes. Veruntamen quia hæc erant magni ponderis, egebantque matura & longa deliberatione, pro tunc absque alia præcisa determinatione seu conclusione in statu primævo remanserunt, Papam tamen in magna meditatione constituerunt. Cujus obitus satis citò post fuit subsecutus.

Tempore hujus summi Pontificis fuit noviter dedicatum & fundatum cœnobium monachorum sancti Martialis Avinionensis; pro quorum sustentatione ipse multos redditus spectantes ad ordinem Cluniacensem, sub quo ipsos militare voluit, deputavit, & ut ad eorum regimen intenderetur per Abbatem Cluniacensem seu deputandum per eum, absque eo quòd ibidem alius Abbas vel Prior præficeretur, ordinavit.

Ipse à Deo multa habere meruit tam

naturalia quàm gratuita dona. Fuit enim statura magnus, decorus facie, & sonorus in voce. Scripsit mirabiliter, dictavit notabiliter, & cantavit seu celebravit divina officia multùm eleganter. Fuit insuper providus in consiliis, sapiens in dubiis, & patiens in adversis, non elatus in prosperis, nec iratus in injuriis, aut commotus conviciis; tam in conviviis quàm aliis locis, cùm esset affabilis, gratus, solatiis cunctis loquebatur; egenis, orphanis, & viduis libenter subvenit, & dedicatis studiis providit frequenter. Tamen contra ritum & consuetudinem suorum prædecessorum consistoria & consilia tennit satis rarò & hora tardiori. Fuit etiam valde morosus & longus in negotiis sibi incumbentibus expediendis. Multis etiam secularibus tam Principibus quàm aliis fuit admodum familiaris & gratus, eorumque contemplatione & amore plures episcopavit & aliàs promovit, eis aliquando sufficientiores & idoneiores ætate, moribus, & scientia postponendo, quandoque, ut eorum benevolentiam & favorem sibi & Ecclesiæ acquireret, quandoque ut ipsorum odium & indignationem evitaret; in quibus se profuisse reperiit & sæpius defecisse, cùm ex eis plurimi inventi fuerint qui de ipso aut factis suis modicùm curaverunt postquam illa quæ voluerant fuerant assecuti. Tandem verò, prout Domino placuit, post satis brevem infirmitatem die XVI. mensis Septembris anno Domini MCCCXCIV. pontificatus sui XVI. diem clausit extremum in Avinione. Cui successit in papatu Petrus de Luna Cardinalis, qui Benedictus XIII. fuit vocatus. Fuitque in Ecclesia majori sepultus; & vacavit sedes XII. diebus, Ecclesia adhuc in schismate remanente.

Sequentia descripta sunt ex codice 817. bibliothecæ Colbertinæ.

DIE dominica XVIII. Septembris anno CCCC. primo, Domino nostro Papa Benedicto XIII. existente in hoc palatio obsesso & incluso, fuit translatum corpus prædecessoris sui Domini Clementis prædicti de nostra Domina ad Ecclesiam novam Cælestinorum hujus civitatis. Qua die celebravit & fecit sermonem Cardinalis Albanensis. Interfuerunt Archiepiscopus Narbonensis Camerarius, Remensis, Rothomagensis, Episcopi Magalonensis, Cathalanensis, Valentinensis, Vasionensis, Avinionensis, Auraicensis,



SECVNDA VITA CLEMENTIS VII.

Auctore Petro de Herentals Priore Floreffiensi.

DEFVNCTO Gregorio Papa XI. in civitate Romana anno Domini MCCCLXXVIII. die XXVII. mensis Martii, Cardinales qui tunc erant in curia Romana post decimum diem à die obitus Papæ Gregorii prædicti elegerunt Bartholomæum Archiepiscopum Barensem in Papam concorditer, qui sibi Vrbani sexti nomen constituit, ipsumque electum publicaverunt tam infra quàm extra civitatem, ac ejus coronationi & inthronizationi interfuerunt, necnon in consistoriis tam publicis quàm privatis eidem tanquam Papæ reverentiam præstiterunt. Sed non longè pòst Cardinales prædicti Romam exierunt, & apud Anagniam se transtulerunt, & deinde Fundos, ubi novam, videlicet secundam, electionem Papæ post septem menses à prima electione fecerunt, & elegerunt Cardinalem Gebennensem in Papam, qui vocatus est Clemens septimus, asserentes primam electionem esse nullam, eò, prout dicebant, quòd per violentiam fuerit facta, & quòd hæc violentia eis à Romanis illata incussit ipsis Cardinalibus tantum timorem quòd ad evadendum periculum mortis dictum Bartholomæum elegerunt in Papam, & omnes cerimonias prædictas tam coronationis quàm inthronizationis ei fecerunt, etiam in festo Paschæ ab ipso tanquam à Papa corpus Christi sumpserunt coram populo Romano & multitudine peregrinorum de universo orbe ibidem præsente; dixeruntque, licet hæc omnia præstiterint dicto Vrbano, tamen timor prædictus semper continuatim mansit in cordibus eorum; & ideo asserunt se præ timore Romanorum fecisse quicquid prædicto Vrbano seu Bartholomæo impenderunt. De quibus electionibus magna dissensio orta est in sancta christianitate. Nam in regno Franciæ prima electio de Vrbano prædicto pro frivola & secunda de Clemente pro canonica reputata est. Et è contrario in regno Alamanniæ & in partibus Prusiæ usque Cameracum electio Vrbani pro canonica & electio Clementis pro frivola reputata est. Electione tamen prima de Vrbano, ut præfertur, facta, Cardinales qui hanc fecerant scripserunt de ea multis Principibus se virum ad papatum bene dignum elegisse; & specialiter Cardinalibus qui residebant in Avinione, & qui dictæ electioni non interfuerant, scripserunt in hæc verba.

REVERENDISSIMI Patres & Domini. Quia plerunque, immo utplurimùm, præsertim in rebus arduis, famæ loquacitas veritatem quibusdam coloribus adulterinis obnubilat, ideo quid his diebus in Romana Ecclesia, cujus honorabilia membra & sublimes columnæ pariter nobiscum existitis, gestum sit, vobis præsenti scriptione veridica curavimus intimare; ut & iis qui vobis rem aliter narraverunt seu scripserunt non credatis, & mentes vestræ hac nostra insinuatione clarificatæ in tranquillo & sereno veritatis litore conquiescant. Vestris igitur paternitatibus innotescat quòd sanctæ felici'que recordationis Domino & patre nostro Gregorio Papa XI. die XXVII.

mensis Martii nuper elapsi viam universæ carnis ingresso &, sicut de largissima Dei pietate confidimus, post labores ad præmia evocato, sicut aliàs vobis scripsimus, tantique patris, prout erat moris & juris, cum debitis honore & reverentia exequiis celebratis, die sexta præsentis mensis Aprilis conclave palatii apostolici, ubi præfatus Dominus noster obierat, juxta sanctiones apostolicas decrevimus introire, sed certis ex causis ad id nostrum ducentibus animum hujusmodi nostrum introitum ad diem immediatè sequentem duximus differendum. Qua quidem die, videlicet septima hujus mensis, primitus gratia sancti Spiritus invocata, conclave præfatum intravimus, de electione & substitutione futuri Pontificis tractaturi. Sequenti quoque die luciferi nescientis occasum, ut piè credimus, radiis illustrati, circa illam diei horam qua spiritus paraclitus in sanctorum discipulorum corda descendit, ad personam Reverendi in Christo Patris Domini Bartholomæi Archiepiscopi Barrensis, viri utique magnorum meritorum claritate conspicui & multiplicium virtutum lampade refulgentis, liberè & unanimiter direximus vota nostra, eum ad celsitudinis apostolicæ speculam concorditer evocantes, & hanc nostram evocationem seu electionem in conspectu maximæ Christianæ plebis multitudinis nuntiantes. Ceterùm die nona hujus mensis idem Dominus electus coram turba fidelium copiosa super thronum dignitatis apostolicæ sublimatus sibi Vrbani sexti nomen constituit; ac die hesterna, qua Christus Iesus summus Pontifex vitam nostram resurgendo reparavit, sicut in Romana Ecclesia consuetudinis est, in basilica principis Apostolorum de urbe cum ingenti tripudio & lætitia innumerabilis populi Christiani pontificali regno magnificè & solemniter extitit coronatus. Quæ quidem vobis ideo nuntiamus, ut sicut obitus memorati Domini Gregorii vobis amaritudinis & tristitiæ calicem propinavit, sic de præsentis patris concessione nobis & vobis facta gaudii & exultationis spiritum assumatis. In illo enim cujus vices Dominus noster gerit in terris firmam spem fiduciamque tenemus quòd sub ejus felici regimine status Romanæ ac universalis Ecclesiæ reflorebit, & orthodoxa fides felix optatumque suscipiet incrementum. Salvator noster Iesus Christus diù & feliciter in suo servitio vos perseverare faciat juxta vota. Datum Romæ die XVIII. dicti mensis Aprilis sub sigillis nostrum Petri Portuensis Episcopi, Guillelmi tituli sancti Stephani in Cœlio monte Presbyteri, & Iacobi sancti Georgii ad velum aureum Diaconi Cardinalium hic prioratus locum obtinentium in ordinibus antedictis.

POSTQVAM dicti Cardinales qui adhærebant dicto Domino Vrbano Papæ destinaverunt litteras Cardinalibus in Avinione existentibus, & ipse Papa Vrbanus gratias pauperibus clericis, ut moris est, fecerat generales, & vellet statum Cardinalium restringere, valde sunt turbati, contra eum insurgentes, & allegantes ipsum Vrbanum non Apostolicum fore sed apostaticum. Propter quod exeuntes Romam, Anagniæ se dederunt; & deinde ad Fundanam civitatem progressi, antequam ipsi eligerent ibidem Cardinalem Gebennensem in Papam, qui sibi Clementis septimi nomen constituit, priùs processus contra Vrbanum prædictum promulgarunt judiciales & contra ei adhærentes, destinaveruntque ipsos ad diversas christianitatis provincias hunc tenorem continentes.

VNIVERSIS & singulis Christi fidelibus miseratione divina Iohannes Episcopus Penestrinus, Guillelmus tituli sancti Stephani in Cœlio monte, Bertrandus sanctæ Cæciliæ, Robertus

basilicæ XII. Apostolorum, Hugo tituli sanctorum Quatuor coronatorum, Guido tituli sanctæ crucis in Hierusalem, Iohannes tituli sancti Marcelli, Petrus tituli sancti Laurentii in Lucina, Geraldus tituli sancti Clementis Presbyteri, Petrus sancti Eustacii, Guillelmus sancti Angeli, Petrus beatæ Mariæ in via lata, & Petrus sanctæ Mariæ in Cosmedin Diaconi sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, facientes ultra duas partes omnium Cardinalium in urbe existentium tempore obitus sanctæ memoriæ Domini Gregorii Papæ XI. & eodem tempore quo sui successoris debuit in eadem urbe electio celebrari, Anagniæ pro nunc, quem locum ad omnia infrascripta peragenda tanquam idoneum elegimus, prout nobis fuit licitum, existentes, absentibus reverendissimis in Christo Patribus Dominis Petro Episcopo Portuensi, Francisco tituli sanctæ Sabinæ, Simone sanctorum Iohannis & Pauli Presbyteris, & Iacobo sancti Georgii ad velum aureum Diacono eadem miseratione divina sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, tamen pro nostra parte ut propter infrascripta vellent hic convenire nobiscum litteratoriè requisitis, apostolica sede vacante, salutem & in Domino vinculum caritatis. Exigit sanctæ & catholicæ fidei puritas, exigit & catholici & Christiani populi devotio salutaris, exigit & totius ecclesiastici status clara professio & salus animarum Christi fidelium singulorum ut ea quæ dissimulata in fidei maculam, subversionem in Christicola populo, status ecclesiastici enervationem, & evidentia animarum inducerent pericula, palam notificentur omnibus, annuntientur in populis, & juxta doctrinam evangelicam super tecta prædicentur, ne indiscretum silentium eos in errorem derelinquat qui poterant erudiri, & ii ad quos ex officio pertinet subjaceant reprehensioni Dei per prophetam dicentis: *Propheta tui videbant tibi falsa & stulta, nec aperiebant iniquitatem tuam, ut te ad pœnitentiam provocarent.* Cùm igitur nuper apostolica sede vacante per obitum sanctæ & piæ recordationis Domini Gregorii Papæ XI. qui de mense Martii proxime præterito in urbe Romana diem suum clausit extremum, nos pro electione futuri Pontificis, ut moris est & juris, celebranda in conclavi in apostolico palatio, in quo idem sanctæ memoriæ Dominus Gregorius obierat, deputato, unà cum præfatis Dominis absentibus convenissemus, officiales urbis cum magna multitudine populi pro magna parte armati, & ad campanarum pulsationem factam propter hoc congregati, hostili more totum circumdantes ad extra & abintus ferè implentes palatium, & terrori tam vehementi minas superaddentes quòd nisi eligeremus & sine mora Romanum vel Italicum, statim interficeremur, etiam congruo spatio temporis in quo saltem de persona possemus deliberare penitùs nobis substracto, contra voluntatem & propositum nostrum ad eligendum Italicum subitò & ex abrupto per violentiam & metum mortis coëgerunt invitos. Propter quod, ad evitandum duntaxat mortis periculum, quod in rumore populi tam furentis proculdubio imminebat, aliàs non facturi, ut etiam tunc palam inter nos diximus, Bartholomæum tunc Barrensem Archiepiscopum in Papam duximus eligendum, extimantes ipsum, cui tam nepharia intrusio sicuti & toti penè clero & populo nota erat, talis esse conscientiæ quòd eam nullatenus acceptaret. At ipse propriæ salutis immemor, omni pura conscientia procul pulsa, ambitionis aliàs inauditæ ardore maximo inflammatus, præsentationem electionis hujusmodi ab illis ex nobis qui in urbe remanserant, & per officialium

officialium & populi diversas minas & suas importunas requisitiones extorta, contra canonicas sanctiones, in maximum scandalum cleri & populi Christiani, ac exempli perniciem, electioni hujusmodi, licet nullæ & invalidæ ipso jure, consensit, necnon metu ac ipsius metus causa adhuc proculdubio perdurantibus in urbe ipsa inthronizatus & coronatus de facto, se Papam & Apostolicum nominavit, qui à sanctis patribus & jure communi apostaticus & anathematizatus, antipapa, & totius Christianitatis illusor & destructor potiùs & meritò nominatur, nempe cùm ista sua tam nepharia intrusio in papatu jam sic sit divulgata per orbem, veluti tam notoria, quòd jam alicubi celari non potest, cùm eo tempore, scilicet modicùm ante Pascha, facta fuerit, quando de universis partibus christianitatis major adest, causa conscientiæ, in urbe populi multitudo, quòd errores quamplurimi pullulare incipiunt, & Christi fidelium Christianorum illaqueari conscientiæ; ipseque diutiùs expectatus ac in secreto caritativè admonitus, immemor salutis propriæ, secum in præcipitium cupiens trahere clerum & populum universum, ad cor redire non curet, sed inanem & transitoriam mundi gloriam saluti animæ propriæ & cunctorum Christi fidelium anteponens, animo obstinato satagit, totam christianitatem scandalizando, ipsum papatum tyrannicè occupare, qui per ostium non intravit, nos non valentes præmissa salvis conscientiis ampliùs sub dissimulatione transire, ad vestram & omnium Christi fidelium notitiam præmissa omnia, licet ipsa tam sibi quàm penè toti clero & populo existant notoria, deducentes, ipsum anathematizatum & intrusum in papatu, nulla electione canonica præcedente, totius christianitatis invasorem, qui caput ipsius sanctæ christianitatis invadere non formidat, destructoremque, qui ut sub sua occupatione tyrannica efficere satagit ut ferè sacramenta deficiant & ut Christicola populus vero pastore carens per abrupta ducatur in devium, publicamus & etiam denuntiamus; vos & vestrum singulos nihilominus solemniter & publicè serie præsentium exhortantes & obsecrantes per viscera misericordiæ Iesu Christi ut de cetero eidem scelesto viro, qui Dei Ecclesiam & sponsam non erubuit invadere, nolitis aliqualiter adhærere, nec ejus factis, mandatis, atque dictis, quæ omnia sunt falsa simulatione imbuta, aliqualiter obedire, cùm jam eundem per alias nostras patentes litteras exhortati & obsecrati fuerimus & per præsentes exhortamur & obsecramus solemniter & publicè per eadem viscera ut de fine cogitans, ad quem jam ipsum trahit plenitudo dierum, ad Deum & puram conscientiam dirigat aciem mentis suæ, ipsamque beati Petri sedem sanctissimam, quam sine canonico titulo occupat, liberam & vacuam omnino dimittat, insignia deponat papalia, & ab administratione spiritualium & temporalium papatus & Romanæ Ecclesiæ abstineat indilatè, & aliàs Deo & Ecclesiæ suæ sanctæ per fructus veræ pœnitentiæ satisfacere studeat juxta posse, quod si fecerit, gratiam Dei, gloriam mundi, & laudes cleri & populi universi, ac acerbarum pœnarum per jura communia sibi impositarum & imponendarum remissionem cum misericordiosa indulgentia merebitur obtinere, aliàs indignationem Dei omnipotentis & beatissimorum Apostolorum Petri & Pauli sanctorumque omnium non immeritò incursurus; nosque divinum & humanum auxilium, cum Christi sponsa & omnium Christianorum communis mater per ipsum procul dubio violetur, invocabimus, aliisque utemur remediis per

canonicas sanctiones concessis, ab inde in antea nullam spem de misericordia habiturus. Datum Anagniæ rectoratus provinciarum Campaniæ & maritimæ, quem locum propter probitatem & fidelitatem constantissimam magnifici viri Honorati Gaytani Comitis Fundorum & dictarum provinciarum rectoris & singularem devotionem quam ad Romanam Ecclesiam & fidem catholicam ac ad nos gerere comprobatur, tanquam magis securum & idoneum nobis ut suprà ad præmissa omnia peragenda duximus eligendum, anno à nativitate Domini MCCCLXXVIII. die nona mensis Augusti primæ Indictionis, sub propriis nostris sigillis pendentibus, dicta apostolica sede vacante.

HIS TEMPORIBVS, videlicet anno Domini prædicto, in vigilia Apostolorum Petri & Pauli defuncto bonæ memoriæ Iohanne de Erkel Episcopo Leodiensi, Capitulum Leodiense elegit Eustacium de Rupeforti suum concanonicum in Episcopum Leodiensem. Qui mittens nuntios pro sua confirmatione ad Clementem Papam prædictum, Cardinalis de Agrifolio scripsit dicto electo de sua confirmatione litteras hunc tenorem continentes.

REVERENDO in Christo Patri Domino Eustacio Persandi de Rupeforti Dei gratia electo confirmato Leodiensi Episcopo, amico nostro carissimo. Reverende Pater & amice carissime, notificamus vobis quòd die Lunæ VIII. mensis hujus Dominus noster Papa Clemens ratam habens electionem de vobis factam, ad Ecclesiam Leodiensem vos gratiosè promovit. De quo plurimùm lætamur propter vestræ personæ virtutes & merita, etiam quia speramus Ecclesiam ipsam sub vestris salubri cura & regimine magna & felicia suscipere incrementa; vos affectuosè rogantes ut negotia nostri archidiaconatus Brabantiæ, quem in vestra hujusmodi Ecclesia obtinemus, velitis habere nostri consideratione specialiter recommendata, & nobis confidenter intimare si quid Ecclesiæ præfatæ utile hic facere & operari valeamus, & alia qualibet vobis grata, quæ posse tenus curabimus adimplere. Paternitatem vestram conservet altissimus feliciter & longævè. Datum Fundis XI. die Novembr. &c.

ANTEQVAM verò hujusmodi litteræ ad partes venissent, accidit quòd Wincelaus de Bohemia Dux Lucemburgensis & Brabantiæ Dux ex parte uxoris suæ venit Trajectum, & inde per nuncios diffidavit Leodienses & episcopatum, quia destruxerant castrum de Pitersem, eò quòd, prout intellexerant, Dominus de Pitersem hospitaverat spoliatores patriæ in dicto castro, quod tenebat in feodum de Duce Brabantiæ. Diffidatione ergo dicti Ducis facta, prædictus Eustacius electus, quia contra consilium amicorum suorum reliquit Leodium & ivit Trajectum ad dictum Ducem Brabantiæ, Leodienses clamaverunt se ab ipso traditos, & statim miserunt legatos ad Arnoldum de Horne tunc Episcopum Trajectensem inferiorem, & constituerunt eum suum manburnum, Eustacio prædicto penitùs derelicto. Hic autem Dominus Arnoldus obtinuit ab Vrbano Papa prædicto translationem suam de episcopatu Trajectensi ad Ecclesiam Leodiensem. Et postquam portaverat manburnatum prædictum per annum, monstravit bullas dicti Vrbani de dicta sua translatione in capitulo Leodiensi, & acceptavit dictum episcopatum, & mansit ac manet in eo in possessione pacifica etiam eodem episcopatu sub obedientia prædicti Vrbani manente usque in præsentem diem anni nativitatis Domini MCCCLXXXIII. mense Ianuario, quo præsentes chronicæ capiunt finem.

PENDENTIBVS itaque erroribus

de duobus Papis, Vrbanus primus Romæ, ut prædictum est, electus transmisit bullas ad diversas christianitatis partes suam electionem notificando & processus contra Clementem, videlicet secundum Papam prædictum, publicando. Quarum bullarum una Universitati Parisiensi transmissa talem continet tenorem.

VRBANUS Episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Rectori, Magistris, Doctoribus, scholaribus, ac universitati studii Parisiensis salutem & apostolicam benedictionem. Inter immo super ceteras studiorum Universitates in quibus scientiarum gemma resplendet, vestra Parisiensis velut quoddam sydus irradiat, & pulsis procul ignorantiæ ac erroris tenebris, doctrinæ suæ lumine circumlucet. Ex ipsa namque velut ex quodam purissimo fonte semper sani verique dogmatis rivuli profluxerunt, qui per innumeros alveos proniùs discurrentes, falsarum opinionum limum absterserunt. Hujus quidem fontis claritatem nulla unquam quantalibet impetuosa vis pluviæ turbidavit. Vobis itaque, dilectissimi filii, qui ex hoc limpidissimo fonte dulcissimas litterarum aquas avido haustu elicitis, congaudemus vobis, & sancta Romana Ecclesia congratulatur, cui talia ligna fructus producentia dulcissimos secus decursus aquarum in tam ingenuo viridario summus parens rerum plantavit. Quidni gaudeamus & exultet spiritus noster, quando intra felicia castra Parisiensis studii tot doctissimos & magnanimos veritatis & orthodoxæ fidei pugiles intuemur? Sæviat hæreticorum pravitas quantum potest & evacuet contra tam munitissima castra pharetras suas turba schismatica. Nam sunt milites alumni nostri ad resistendum promptissimi, veritatis & fidei thorace muniti, habentes bicipicia spicula, quibus hostium præcordia penetrentur; habent & faces ardentissimas caritatis, quibus illorum machinæ confundantur, & scaturientis fontis undas, quibus eorum faculæ protinus extinguantur; ut nec illud prætereamus, cujus sola recordatione plurimùm consolamur, quodque nuper cum ingenti gaudio fide dignorum relatione percepimus, quemadmodum vos adversùs eorundem hæreticorum atque schismaticorum assertionem subdolam contra nos impudicè loquentium nonnullas sanctas, veras, ac saluberrimas, & quales professionem vestram decet in nostrum immo memoratæ fidei favorem & veritatis defensionem sententias publicè tenuistis, & eas contra quoscunque contrarium profitentes defensastis. Pro quibus universitatem vestram iteratis in Domino laudibus prosequentes devotionem vestram requirimus & hortamur attentiùs, ac per aspersionem pretiosissimi sanguinis Domini nostri Iesu Christi, cujus in hac parte res agitur, obsecramus quatenus causam justitiamque nostram toti mundo notoriam, quam dicti Pseudochristiani, veri satellites Antichristi, obnubilare ac schisma perniciosissimum in Dei Ecclesia suscitare moliuntur, suscipere immo jam susceptum velitis defensare tanquam legitimi certatores, & ne inconsutilis veri Ioseph tunica lanietur sub divinæ potentia dexteræ vos murum inexpugnabilem opponatis, hostiumque multitudinem nullatenus formidetis, sub signis militantes victricibus veritatis: quæ licèt quandoque calumniantium fuscatis argumentorum coloribus impugnetur, vinci tamen non potest, & illorum nequit multitudine conculcari. Nihil verò felicius quàm pro veritate bellare. Nulli clariores triumphi, nulla pinguiora spolia reportantur quàm quæ veritas defensa pollicetur. Eia ergo, athletæ magnanimi, ac veritatis & orthodoxæ fidei devotissimi defensores, contra

illarum impugnatores & hostes feliciter insurgatis; ut proinde, præter æternæ mercedis præmia, humanarumque laudum præconia, nostram & apostolicæ sedis benedictionem & gratiam ac exauditionem in vestris precibus, tanquam bene meriti, reportetis. Datum Romæ apud sanctam Mariam in Trans Tyberim XI. Kal. Decembris, pontificatus nostri anno primo.

INSVPER verò anno Domini MCCCLXXIX. mensis Maii die XI. omnes Prælati, Decani, & Curati diocesis Leodiensis citati plures ex eis convenerunt cum toto clero civitatis Leodiensis in capitulo Ecclesiæ sancti Lamberti ad tractandum cui prædictorum Papæ potiùs obedire deberent. Fuit igitur ibidem in principio bulla Vrbani Papæ prædicti publicata hunc continens tenorem.

VRBANVS Episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus Archiepiscopo Coloniensi ejusque suffraganeis salutem & apostolicam benedictionem. Nuper, cùm vinea Domini Sabaoth, sancta videlicet Romana Ecclesia, ventrem suum doleret & amaricatis visceribus &c. *ut to. XI. Concilior. edit. Labbei pag.* 2045.

ALTERCATIONIBVS autem duorum Paparum sic se habentibus, & Rege Franciæ totis viribus partem Clementis defendente, necnon Rege Alamanniæ cum toto quasi imperio Vrbano adhærente, Comes Flandriæ volens & nitens cognoscere quis dictorum Paparum esset potior in jure ad obtinendum dignitatem apostolici apicis, inquisitionem per nuntios privatos & alienos procuravit fieri de electionibus eorum diligentem: qua diligenter cognita & per suos legisperitos seriosè examinata, talem exinde reddidit sententiam secundùm tenorem infrascriptum. *PRÆMISSA protestatione quòd sumus parati stare declarationi Concilii generalis & ab unitate catholicæ & apostolicæ Ecclesiæ nullatenus divertere, attentis relationibus per nuntios missos versùs Italiam & alia loca remota reportatis, visis etiam & auditis pro parte utriusque electi verbis & scriptis & ostensis, salvis conscientiis nostris non audemus ab obedientia dicti Vrbani Papæ sexti primò electi, quem hactenus pro vero Papa tenuimus, recedere, nec recedemus, sed ei tanquam vicario Iesu Christi obediemus, nisi debito modo aliter fuerimus informati &c.*

PENDENTE verò, ut præfertur, prædicto schismate plurimi Doctorum legum & juris canonici tractatus composuerunt. Quorum primus Dominus Iohannes de Linhano tractatum edidit, in quo affirmat electionem dicti Vrbani esse canonicam ipsumque esse verum Papam. Abbas verò sancti Vedasti Regis Franciæ Consiliarius, Doctor decretorum, fecit alium tractatum, in quo asserit electionem Vrbani esse nullam & Clementem fore verum Papam. Quibus tractatibus cum eorum quæstionibus & determinationibus propter sui prolixitatem prætermissis, ad sequentia stilum extendo.

PRÆDICTIS rebus sic se habentibus & invalescente schismate supradicto, quilibet de electis prædictis in Papam destinare curavit ad diversas mundi provincias Legatos & litteras papales ad significandum & affirmandum suæ electionis factum tanquam canonicum & suæ partis adversæ hæreticum & intrusivum. Vnde Vrbanus supradictus transmisit litteras suas capitulo Leodiensi hunc tenorem continentes.

VRBANVS Episcopus servus servorum Dei dilectis filiis capitulo & clero civitatis Leodiensis salutem & apostolicam benedictionem. Cum ineffabili mentis jubilo altissimo referimus gratias &c. *ut in tomo XI. Concilior. edit. Labbei pag.* 2049.

INVALESCENTE autem schismate

prædicto, dictus Papa Vrbanus personas ecclesiasticas diocesis Leodiensis, & maximè in civitate Leodiensi, suis privavit beneficiis quæ verbo tenus Clementem prædictum asserebant fore Papam & Pontificem Romanum. Vnde plures privati transierunt ad ipsum Clementem privationes hujusmodi querulosè demonstrantes, sed modicum profecerunt.

Sequitur littera Cardinalibus qui electionem Vrbani celebraverunt missa ex parte Regis Angliæ.

EDVARDVS Rex Angliæ & Dominus Hiberniæ talibus Cardinalibus &c. non, prout nobis scribitis, miseratione divina sanctæ Romanæ Ecclesiæ olim Cardinalibus, immo verò divina maledictione super vos fulminante lupis rapacissimis totius gregis Christi invasoribus, ac vulpibus callidissimis vineam Domini sabaoth cupientibus demoliri, non salutem, sed languorem, non gaudium, sed mœrorem, & indui sicut duploide confusione vestra. Tenor insipidus litterarum vestrarum, quas instigante diabolo per omnes & singulas christianitatis provincias temerè destinastis, corda & intima quæque nostra faucians, non unquam fidei nostræ læsionem intulit, sed piam cordis compassionem de tam horrendo scandalo in Ecclesia Dei noviter suscitato. Veruntamen væ vobis per quos scandalum hoc evenit. Nam pallida facta est matris Ecclesiæ facies. Pallorem nempe turbationis evenisse credimus ex errore scelerum vestrorum à seculis inaudito. Nam qui putabamini esse legis vulgatores, non estis Dei veri cultores, sed estis sacrilegi. Rubor enim verecundiæ vestræ interdum conspergitur, dum ex vestris actibus scandalosis fines totius christianitatis uruntur. O vestra detestabilis & infelix ambitio, quæ tunicam Domini inconsutilem, quam fors vestræ dispositioni non annuit, scindere nititur & parti, quæ divisionem non patitur, sed congaudet potiùs unitati. Servi nequam ex ore vestro judicandi, modum electionis summi Pontificis nuper celebratæ nobis per litteras vestras declarastis, dicentes quòd conclave vestrum vallaverit armatorum indomita multitudo minas vobis facientes terribiles & letales nisi Italicum eligeretis vel Romanum, nullam tamen certam vobis limitando personam ad quam vos compellerent eligendam. Manifestum est igitur quòd personam quam vos conceditis elegisse liberè, non coactè. Et sic, quantum ad personam tunc à vobis electam, tenemus & tenebimus firmiter ipsam electionem esse & fuisse rite & canonicè celebratam, & ipsi electo, inthronizato, & coronato, ut sacrosanctæ Ecclesiæ vero capiti & Petri successori & in terris vero Christi vicario fideliter adhæremus, & ipsius monitionibus, dictis, & factis, velut veri fideles & catholici, humiliter promittimus obedire. Vestram quoque perniciosam rebellionem & sacrilegam ac hæreticam contumaciam in exemplum damnabile multos trahentes detestamur, insuper vestram verecundiam, qui cùm in acie Ecclesiæ sitis constituti velut pugiles & etiam propugnatores orthodoxæ fidei Christianæ & Ecclesiæ libertatis, capellos in capitibus rubeos comportantes ob signum strenuitatis & audaciæ quòd intrepidè usque ad mortem certare pro justitia deberetis, quomodo metus mortis tam repentè vos invasit & vicit ut perire justitiam sineretis? Quomodo, qui vos columnas Ecclesiæ nominatis, facti estis infirmi & debiles ut sustinere non possetis tectum quin rueret? Numquid fuit ibi Samson, qui longè priùs obierat? Sed dicitis fortasse ad excusandum excusationes in peccatis quòd Petrus petra fidei & post petram Christum primum fundamentum Ecclesiæ ad vocem an-

cillæ ostiariæ expavescens ipsum Christum detestando & jurando negaverit; cujus infirmitatis vos estis participes & sequaces. Genimina viperarum, callidi serpentes veneno inflati, si amaram gustatis herbam, gustate similiter dulcem & suavem, & post capitis vestri damnabilem redite cum Petro ad confessionem. Sed veraciter hoc verbum seminamus super petram. Nam vestra detestabilis obstinatio Iudæ proditoris vos efficiet participes & consortes, cujus iniquitas residet super calculum plumbi. Ceterùm non existimet vestra stulta cæcitas & cæca stultitia quòd illa verba quæ in vestris litteris videntur sapere pietatem & zelum domus Dei nos commoveant vel quicquam vobiscum consentiendo persuadeant. Satis enim luculenter perpendimus quòd ipsa verba vestra Pharisæorum fermento condiuntur, à quo in evangelio Christus cavere suos præcepit. Locum quem elegistis vestris sceleribus præparandum idoneum nobis nominatis, ostendentes clarè vos verum caput Ecclesiæ reliquisse, & effectos membra diaboli, in desertum abiisse cum Iuda traditore, tendentes ubi vos ipsos estis laqueis suspensuri, ut de vobis verificetur illud propheticum: *Fiat habitatio eorum deserta, & in tabernacu'is eorum non sit qui inhabitet.* Et iterum de singulis vestrum dictum est: *Fiant dies ejus pauci, & episcopatum ejus accipiat alter.* Præterea Comitis Fundorum claram famam vestris falsis commendationibus in toto Christicola populo denigrastis, cùm dicat poëta: *Turpe est laudari à turpibus & ob turpia.* Animadverte igitur, Fundorum Comes, qui per quamplurimos Christianorum fines eras incognitus, de eo præsertim cùm jam tibi non nomen sed ignominiam prosequaris, inimicos Christi & unitatis Ecclesiæ divisores ac pacis & tranquillitatis totius christianitatis turbatores imitando, & eos in ipsorum detestabili perfidia confovendo, ut etiam contra Christum & populum catholicum ædificasse asylum videaris. Exurge ergo, Comes, & mures de petra proicias, de tabernaculo tuo fuga serpentes, & carbones sulphureos à sinu tuo excute, ne flamma inextinguibilis te exurat, & sic Dei gratiam & benedictionem ac totius populi Christiani gloriam & commendationem prosequaris, ac divinam merearis effugere ultionem.

Sequitur littera Archiepiscopi Coloniensis, cujus superscriptio talis est. *Prudentibus ac discretis viris Magistris civium & Consulibus civitatis Leodiensis amicis nostris dilectissimis.* Infrà verò litteram in margine talis erat subscriptio: *Fredericus Archiepiscopus Coloniensis, Westfaliæ & Angariæ Dux.*

Amici dilecti. Noveritis quòd nuper serenissimus Dominus noster Dominus Wyncelaus Romanorum Rex semper augustus cum multis sacri imperii Electoribus aliisque Principibus tam ecclesiasticis quàm secularibus, Comitibus, & Baronibus, nobis etiam præsentibus, in oppido Frankefordensi convenit &c. *ut apud Radulphum de Rivo in gestis Pontificum Leodiens. pag. 35.*

Postquam verò supradictus de Horne primò manburnatum episcopatus Leodiensis gerens acceptavit, per bullas Vrbani Papæ supradicti eundem episcopatum & possessiones ejus obtinuit, necnon regalia sua ab Archiepiscopo Coloniensi in hac parte tunc commissario à Wyncelao Romanorum Rege constituto. Deinde, ut fortiter esset in ipsa possessione, litteras regalitatis suæ tenorem continentes qui sequitur palam monstravit in hæc verba. *Wyncelaus Dei gratia Romanorum Rex semper augustus ac Bohemiæ Rex Magistris civium, Proconsulibus, Majori, Scabinis, judicibus, communitati civitatis Leodiensis, necnon omnibus & singulis*

terrigenis, incolis, & habitatoribus terræ & districtus Leodiensis, gratiam regiam & omne bonum. Fideles dilecti. Quia &c. ut apud eundem Radulphum pag. 43.

PRÆTEREA verò vitæ meæ incolatu prolongato, supradictus Papa Vrbanus videns pestilentiam mortalitatis in Roma invalescere, Iulio mense anno MCCCLXXXIV. Romam exivit cum quatuordecim Cardinalibus, nullam tunc prætendens causam præter mortalitatem. Igitur iter arripuit versùs Neapolim, unde ipse erat oriundus.

EODEM anno, mense Octobri, consilium seu Electorum imperii congregatio apud Nuremburch extitit congregata ad tractandum inter alia de dubio quodam quod in Wyncelao Alamanniæ Rege supradicto ventilabatur. Vnde ipse declarationem ad diversas transmisit partes sub sigillis suis & litteris in modum qui sequitur comprehensum.

WINCELAUS Dei gratia Romanorum Rex Episcopis Leodiensi, Trajectensi, & Tornacensi. Ad nostræ majestatis auditum plurium fide dignorum relatione pervenit quòd quidam filii Belial, satores zizaniæ & discordiæ amatores, per diversas Alamanniæ partes & signanter in partibus Rheni nostram serenitatem ausi sunt infamare dicentes publicè & secretè nos ad informationem quorundam qui de Francia venerunt Bohemiam ab obedientia & fide sanctissimi in Christo Patris ac Domini nostri Domini Vrbani divina providentia Papæ sexti discessisse & Roberto Gebennensi Antipapæ adhæsisse. Nos igitur attendentes quòd divæ memoriæ Dominus Karolus quondam Romanorum Imperator semper augustus genitor noster, tanquam Christianissimus Princeps, nunquam à veritate fidei deviavit & in fide ac obedientia Domini nostri Papæ Vrbani ex hac luce migravit, nosque ipsius vestigia imitantes in publico parlamento olim facto in FrankenVordia, de consilio & assensu tam Electorum sacri imperii & Principum Alamanniæ quàm Doctorum & Magistrorum juris & sacræ theologiæ in præsentia nuntiorum partis adversæ declaravimus & denuntiavimus fidelibus universis ipsum Dominum Vrbanum verum esse Iesu Christi vicarium & beati Petri Apostolorum principis successorem, fidelitati vestræ pro famæ nostræ declaratione ac firmitatis intimatione notum facimus per præsentes quòd nostra dignitas, quam non decet à firmæ veritatis proposito vacillare, circa reverentiam, obedientiam, devotionem, ac fidem devotissimi Patris nostri Domini Vrbani jamdicti non est aliquatenus tepefacta vel quomodolibet immutata, quin immo sicut & præfatus genitor noster in eadem fide & reverentia vixit & mortuus est usque ad finem vitæ suæ corporeæ. Quapropter fidelitatem vestram requirimus, vobis nihilominus per imperialia scripta mandantes quatinus dicto Domino Vrbano tanquam vero summo Pontifici adhæreatis & pareatis in omnibus, sicut decet, nuntios autem quoscunque publicos aut secretos præfati Roberti Antipapæ nullatenus admittatis, nec ejus litteras qualitercunque recipiatis, nec talibus conductum quomodolibet tribuatis, quin potiùs eos de vestro territorio expellatis, scientes quòd contra quoscunque hujus nostri [edicti] transgressores, cùm ad nostram pervenerit notitiam, indefectibiliter procedemus prout ordo imperialis justitiæ suadebit. Datum Nuremburch die XVIII. Octobris, regnorum nostrorum Bohemiæ anno XXI. Romanorum verò octavo.

EODEM tempore Rex Franciæ innumerabili quasi exercitu armatorum à diversis mundi partibus evocatorum congregato arripuit iter versùs Flandriam debellaturus, ut putabatur,

Gandenses, qui guerram agebant fortissimam contra Ludovicum Comitem Flandriæ dominum suum. Sed exinde pauca de hac intentione dictus Rex expedivit, nisi quòd Anglicos qui in auxilium venerant Gandensium à Flandria fugavit, & deinde ad Franciam est regressus, bellatores omnes ad sua loca remittens.

IPSO tempore Wincelaus Dux Brabantiæ & Lucenburgensis, data sibi tallia ab incolis Brabantiæ ut non pergeret in adjutorium dicti Regis, sed maneret ad custodiam Brabantiæ contra Britones, qui minabantur ipsam Brabantiam intrare & devastare, ipsa tallia nondum soluta Brabantiam exiens & Luceburgis veniens lecto incubuit & in die Barbaræ obiit anno supradicto.

DEINDE anno sequenti, penultima die mensis Ianuarii, obiit supradictus Ludovicus Comes Flandriæ, & ei successit Philippus Dux Burgundiæ filius Regis Franciæ habens in uxorem filiam dicti Ludovici; post quem ex successione ratione uxoris suæ obtinuit comitatum Flandriæ ac Burgundiæ & de Artois, de Nyvers, & de Retest, necnon dominium de Machlinia & de Antwerpia, expectans ducatum Brabantiæ post Iohannam viduam Ducissam ejusdem ducatus. Hic Dux Burgundiæ continuavit guerram contra Gandenses post mortem dicti Comitis Ludovici. Tandem tota Flandria ferè vastata, treugis pendentibus, consilioque utriusque partis apud Tornacum congregato, Ducissa Brabantiæ prædicta fecit pacem inter ipsas partes, maximè ad honorem & profectum oppidi Gandensis & totius Flandriæ. Et quia gesta expeditionis dicti comitatus Flandriæ per se librum requirunt, sine bono ejusdem expeditionis notificato ad materiam dissensionis Ecclesiæ revertor.

PENDENTE itaque hoc modo guerra prædicta & Domino Vrbano Papa circa partes Neapolitanas commorante & residente, invaluit schisma in Ecclesia, & diversis fatigabatur. Nam quidam qui adhærebant priùs Vrbano, facti sunt Clementini; & de Prælatis qui fuerunt Clementini, facti sunt neutrales. Vnde egregius quidam Doctor in theologia existens Canonicus & Cantor Parisiensis, adhærens primò Clementi, postmodum propter remorsum conscientiæ canonicatum prædictum reliquit, & veniens Romam adhæsit Vrbano, qui contulit ei archidiaconatum Brabantiæ in Ecclesia Leodiensi. Hic scripsit Cameracensi utriusque juris professori in hunc modum.

Desiderantissime Domine mi reverende. Vetus amicitia dat fiduciam noviter nunc scribendi, maximè circa præsentis schismatis detestabilem materiam. Audivi namque pluries admirando de vestra reverenda persona famæ tam celebris in scientia, prudentia, & conscientia quòd verbo suadetis in prædicta materia neutralitatem & facto tenetis secundam extremitatem. Scitis enim, Domine reverende, quòd illi Domini Cardinales postquàm Dominum Bartholomæum quondam Barrensem Archiepiscopum elegerant in Papam Vrbanum sextum, ipsum esse verum Papam in sequentibus tribus mensibus affirmaverunt verbis & scriptis ac etiam denuntiaverunt in urbe notoriè factis & operibus in conspectu virorum ecclesiasticorum & civium Romanorum ac etiam peregrinorum de omni natione christianitatis, ita ut prædicta innotescerent toti mundo. Scripserunt etiam collegialiter asserendo quòd eundem liberè & concorditer illustrati Spiritu sancto elegerunt in Christi vicarium, sperantes quòd regeret Ecclesiam feliciter, intimantes in litteris suis quòd nulli aliter scribenti vel dicenti crederetur. Nec tunc imminebat eis in urbe periculum causativum timoris cadentis in constantem virum Cardinalem, sed nec in

tenerem

tenerum puerum septennem. Tunc etiam fere tota christianitas eidem Domino Vrbano VI. adhæsit tanquam Papæ vero, præcipuè ex testimonio prædicto Cardinalium, quibus in hac re præsentialiter erat credendum. Eisdem etiam Cardinalibus tunc, nisi fallor, credidistis. Aliàs reputassetis eos non fide dignos. Ego autem eisdem tantam volui reverentiam exhibere, prout & nunc vellem, quantum justitia suaderet, quòd supponebam eos esse ita virtuosos quòd nec pro morte nec pro vita voluissent toti mundo illudere de falsô Papa, nec etiam voluissent asserere illum esse Christi vicarium, à Spiritu sancto electum, Ecclesiam & fidem gubernaturum, quem sciebant Antichristum. Item, Domine reverende, vos fuistis, ut arbitror, in illa congregatione Ecclesiæ Gallicanæ celebrata Parisius anno Domini MCCCLXXVIII. in mense Septembri; in qua fuerunt circiter sex Archiepiscopi, XXX. Episcopi, plures Abbates & Doctores in theologia & in utroque jure & alii sapientes, in qua cum prædictis fuistis in conclusione quòd Cardinalibus titulum electionis [Vrbani] Papæ VI. reprobantibus non erat absque majori & maturiori consilio adhærendum. Et cùm ita sit quòd nec consilium sequens de mense Novembri fuit ita magnum, nec consequenter consilium de mense Maii ita maturum ut declarari posset feliciter cùm fuit postea aliud Gallicanæ Ecclesiæ Concilium, sequitur quòd primi Concilii prædicti de mense Septembri manet prædicta conclusio illibata. Qualiter autem debueritis de prima adhæsione transire in neutralitatem non video; quoniam si creditis Cardinalibus, non estis neuter. Si non eis creditis, tunc non debetis primam adhæsionem prædictam deserere propter ipsos, ut clarissimè probaretur. Rursus illa informatio quæ incipit *Cùm propter falsam assertionem iniquorum*, quæ reputatur & est principale immo totale.......
Cetera desunt.

NARRATIO DE MORTE CLEMENTIS VII. & electione Benedicti XIII.

ANNO Domini MCCC. nonagesimo quarto, die Mercurii quæ fuit XVI. Septembris, in palatio pontificali Avinionensi mortuus est Dominus Papa Clemens VII. natione Gebennensis ex Comitibus Gebennensibus, qui obiit dicta die circa horam sextam. Et ea die hora Vesperarum in ipso palatio congregati sunt infrascripti Domini Cardinales, quos ego in camera paramenti dicti palatii congregatos vidi, videlicet

Episcopi Cardinales.

D. Petrum de Corsinis de Florentia Cardinalem Portuensem.
D. Guidonem de Maloesso Lemovicensem. Cardinalem Pranestinum.
D. Iohannem de Grangia Burgundum Cardinalem Tusculanum.
D. Nicolaum de Branchaciis de Neapoli Cardinalem Albanensem.
} Omnes præsentes.



Nn

Hi ambo absentes erant, non tamen Legati, sed pro suo solatio, primus in Aragonia in Ecclesia sua Valentinensi, secundus in Lotharingia.

D. Iacobus de domo regali de Arragonia Cardinalis Sabinensis.
D. Iohannes de Novocastro Burgundus Cardinalis Hostiensis.

Presbyteri Cardinales.

Omnes præsentes.

D. Guillelmus de Agrifolio Lemovicensis, Decanus collegii, tituli sancti Stephani in Cœlio monte.
D. Leonardus de Giffono de regno Siciliæ, frater Minor, tituli sancti Sixti.
D. Bertrandus Lemovicensis, dictus Hierosolymitanus, tituli sanctæ Pudentianæ.
D. Thomas de Pistorio Tuscus, dictus Neapolitanus, tituli sanctæ Praxedis.
D. Iohannes de Parma Lombardus, dictus Venetiarum, tituli sancti Cyriaci in Thermis.
D. Iohannes de Murolio de Alvernia, tituli sancti Vitalis.
D. Petrus de Tureyo Lugdunensis, tituli sanctæ Susannæ.
D. Iohannes de Bruniaco Gebennensis, dictus Vivariensis, tituli sanctæ Anastasiæ.
D. Martinus de Salva de Navarra, dictus Pampilonensis, tituli sancti Laurentii in Lucina.
D. Iohannes de Vivario, dictus Auxitanus, tituli sanctorum Iohannis & Pauli.
D. Petrus Lugdunensis, dictus Aniciensis, tituli sancti Petri ad vincula.
D. Guillermus de Vergeyo Burgundus, tituli sanctæ Cæciliæ.

D. Petrus Cardinalis Hispaniæ. Hic non habuit titulum, quia nunquam fuit in curia, & creatus de novo.

Diaconi Cardinales.

D. Hugo de sancto Martiale Lemovicensis, sanctæ Mariæ in Porticu.
D. Petrus de Vernhio Lemovicensis, sanctæ Mariæ in via lata.
D. Petrus de Luna Aragonensis, sanctæ Mariæ in Cosmedin.

Iste hac die non erat præsens, sed in beneficio suo de Bolina. Venit tamen post & interfuit sepulturæ.

D. Amedeus de Saluciis ex Marchionibus de Saluciis, sanctæ Mariæ novæ.



D. Galeotus de Petramala de Arecio in Tuſcia, ſancti Georgii ad velum aureum.

Die Veneris XVIII. Septembris ſepultura facta fuit corporis hora ante tertiam, & receptum fuit corpus de capella magna palatii, & portatum ad ſanctam Mariam Eccleſiæ cathedralis Avinionenſis, ubi congregati erant Cardinales; celebravitque Miſſam Dominus de Giffono Cardinalis, & fecit ſermonem.

Completa novena, omnes prædicti Domini Cardinales præſentes numero XXI. intrarunt conclave die ſabbati XXVI. dicti menſis in veſpere; qui unanimiter & concorditer elegerunt in Papam prædictum Dominum Petrum de Luna ſanctæ Mariæ in Coſmedin die Lunæ immediatè ſequenti vigiliam dedicationis ſancti Michaelis. Qua die hora prandii exiverunt conclave, & duxerunt dictum Dominum Papam ad noſtram Dominam de Dompnis Eccleſiam cathedralem. Fuit impoſitum ſibi nomen Benedictus Papa XIII.

ACTA ELECTIONIS

BENEDICTI XIII.

ANno à nativitate MCCCXCIV. & die Mercurii XVI. Septembris inter nonam & decimam horam fel. rec. Dominus Clemens Papa VII. anno ſui pontificatus XVI. animam ſuam ejus creatori reddidit, & die Veneris immediatè ſequenti corpus ſuum traditum extitit in Eccleſia Avinionenſi juxta ſepulturam Domini Iohannis XXII. eccleſiaſticæ ſepulturæ. Et tunc in collegio erant viginti quatuor Cardinales; quorum viginti & unus erant præſentes in curia, videlicet Domini

Petrus Portuenſis, dictus Florentinus.
Guido Peneſtrinus, dictus Pictavenſis.
Iohannes Tuſculanus, dictus Ambianenſis.
Nicolaus Albanenſis, dictus Cuſentinus.
Iacobus Sabinenſis, dictus de Valentia, in Aragonia. } Hi erant abſentes.
Iohannes Oſtienſis, dictus de Novocaſtro. }
Guillelmus tituli ſancti Stephani in Cœlio monte, dictus de Agrifolio.
Leonardus tituli ſancti Sixti, dictus de Giffono.
Bertrandus tituli ſanctæ Potentianæ, dictus Hieroſolymitanus.
Thomas tituli ſanctæ Praxedis, dictus Neapolitanus.
Iohannes tituli ſancti Cyriaci in Thermis, dictus Venetiarum.
Iohannes tituli ſancti Vitalis, dictus de Murolio.
Petrus tituli ſanctæ Suſannæ, dictus de Tureyo.
Iohannes ſanctæ Anaſtaſiæ, dictus Vivarienſis, Vicecancellarius.
Petrus ſancti Petri ad vincula, dictus Anicienſis, Pœnitentiarius.
Martinus ſancti Laurentii in Lucina, dictus Pampilonenſis.
Iohannes ſanctorum Iohannis & Pauli, dictus Auxitanus.
Guillelmus ſanctæ Cæciliæ, dictus de Vergeyo.

Petrus, qui fuit Episcopus Oxomensis, dictus de Hispania, non habebat titulum, & erat absens.

Hugo sanctæ Mariæ in Porticu, dictus de sancto Martiale.

Petrus sanctæ Mariæ in via lata, dictus de Vernhio.

Petrus sanctæ Mariæ in Cosmedin, dictus de Luna.

Amedeus sanctæ Mariæ novæ, dictus de Salutiis.

Galeotus sancti Georgii ad velum aureum, dictus de Petramala.

Qui quidem Domini Cardinales præsentes die sabbati XXVI. ejusdem mensis modicùm post horam vesperorum conclave intraverunt; in quo die Lunæ XXVIII. ipsius mensis prædictum Dominum Petrum sanctæ Mariæ in Cosmedin Diaconum Cardinalem in summum Pontificem elegerunt, qui Benedictus Papa XIII. voluit nominari. Et subsequenter die sabbati tertia mensis Octobris prædictus Dominus Benedictus fuit per dictum Dominum Guidonem Episcopum Penestrinum in Presbyterum ordinatus. Et postmodum die dominica, quæ fuit XI. die mensis Octobris, idem Dominus noster in magna capella Missam celebravit; infra cujus solemnia per dictum Dominum Iohannem Episcopum Ostiensem consecratus extitit. Et postea, dato priùs in fine Missæ presbyterio consueto, fuit per dictum Dominum Hugonem sanctæ Mariæ in Porticu Diaconum Cardinalem coronatus. Et deinde, more in talibus fieri consueto, per villam Avinionensem equitavit.

CEDVLA CARDINALIVM

CONGREGATORVM IN CONCLAVI

in quo Benedictus XIII. electus est.

ANno Domini MCCCXCIV. die XVI. mensis Septembris felicis recordationis Dominus Clemens Papa hujus nominis VII. obiit in Avinione pontificatus sui anno XVI. cujus corpore tradito sepulturæ, Domini Cardinales pro futuri electione Pontificis celebranda conclave intra palatium apostolicum intraverunt; ibidemque cupientes pestiferum scisma nunc, proh dolor, in [Ecclesia] Dei vigens pro viribus abolere & animarum saluti providere, quandam cedulam confecerunt & ordinaverunt, cujus tenor sequitur de verbo ad verbum.

NOS OMNES & singuli sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales congregati pro electione futura in conclavi ante altare in quo Missa communis celebrari consuevit, pro Dei servitio, unitate Ecclesiæ suæ sanctæ, ac salute animarum fidelium omnium promittimus & juramus ad sancta Dei evangelia corporaliter per nos tacta quòd absque fraude, dolo, & machinatione quibuscunque ad unionem Ecclesiæ & finem imponendum scismati, proh dolor, in Ecclesia nunc vigenti quantum in nobis erit laborabimus fideliter & diligenter, & per nos, quantum ad nos pertinet seu etiam pertinebit, dabimus pastori nostro & gregis dominici ac vicario Christi Domino nostro futuro qui erit pro tempore auxilium, consilium, & favorem, nec ad impediendum

vel differendum præmissa dabimus consilium vel favorem directè vel indirectè, publicè vel occultè, & ista omnia & singula & aliàs etiam ultra præmissa omnes vias utiles & accommodas ad utilitatem Ecclesiæ & unionem prædictam ejusdem sanè & veraciter sine machinatione seu excusatione vel dilatione quacunqne servabit & procurabit posse tenus quilibet nostrum, etiamsi assumptus fuerit ad apostolatum, etiam usque ad cessionem inclusivè per ipsum de papatu faciendam, si Dominis Cardinalibus qui nunc sunt vel erunt in futurum de iis qui sunt nunc vel majori parti eorundem hoc pro bono Ecclesiæ & unitatis prædictæ videatur expedire.

Et ego Guido Episcopus Penestrinus supraseripta juravi & promisi, & manu mea me hic subscripsi.

Et ego Iohannes Episcopus Tusculanus præmissa promisi & juravi, & manu mea me subscripsi.

Et ego Nicolaus Episcopus Albanensis præmissa promisi & juravi, & manu mea propria me subscripsi.

Ego Leonardus tituli sancti Sixti Presbyter Cardinalis præmissa promisi & juravi, & manu propria me subscripsi.

Ego Bertrandus tituli sanctæ Potentianæ Presbyter Cardinalis præmissa promisi & juravi, & manu mea me subscripsi.

Ego Thomas tituli sanctæ Praxedis Cardinalis præmissa promisi & juravi, & manu propria hic me subscripsi.

Ego Iohannes tituli Cyriaci in Thermis Presbyter Cardinalis supraseripta promisi & juravi, & manu mea me subscripsi.

Ego Ioannes de Murolio tituli sancti Vitalis Presbyter Cardinalis supraseripta promisi & juravi, & manu mea me subscripsi.

Ego Petrus tituli sanctæ Susannæ Presbyter Cardinalis præmissa promisi & juravi, & manu propria me subscripsi.

Ego Iohannes tituli sanctæ Anastasiæ Presbyter Cardinalis juravi & promisi supraseripta, & manu propria me subscripsi.

Ego Martinus tituli sancti Laurentii in Lucina Presbyter Cardinalis supraseripta promisi & juravi, ac manu propria me subscripsi.

Ego Iohannes tituli sanctorum Iohannis & Pauli Presbyter Cardinalis promisi & juravi supraseripta, & manu propria me subscripsi.

Ego Petrus tituli sancti Petri ad vincula Presbyter Cardinalis supraseripta promisi & juravi, & manu propria me subscripsi.

Ego Guillelmus tituli sanctæ Cæciliæ Presbyter Cardinalis supraseripta promisi & juravi, & manu propria me subscripsi.

Et ego Petrus tituli sanctæ Mariæ in via lata Diaconus Cardinalis supraseripta juravi, & manu propria subscripsi.

Et ego Petrus sanctæ Mariæ in Cosmedin Diaconus Cardinalis juravi & subscripsi manu propria.

Et ego Amedeus sanctæ Mariæ Diaconus Cardinalis juravi & manu propria subscripsi.


Et ego Galeotus sancti Georgii ad velum aureum Diaconus Cardinalis, qui prædictam cedulam propria manu scripsi, & me subscripsi.

Florentinus, de Agrifolio, & de sancto Martiale se non subscripserunt.

Poſt præmiſſa Domini Cardinales elegerunt in ſummum Pontificem R. Patrem Dominum Petrum de Luna Cardinalem Diaconum. Et demum anno Domini MCCCXCV. die prima menſis Iunii in Villanova omnes Domini Cardinales prædicti, uno excepto, ſcilicet Pampilonenſi, in præſentia Dominorum Ducum Bituricenſis, Burgundiæ, & Aurelianenſis reputarunt viam ceſſionis Domini Papæ & ſui adverſarii meliorem, breviorem, faciliorem pro unione aſſequenda & magis ſedativam conſcientiarum. Ex prædicta autem cedula & deliberatione Dominorum Cardinalium prætactorum orta fuerunt multa dubia.



STEPHANI BALUZII
TUTELENSIS
NOTÆ AD VITAS
PAPARUM
AVENIONENSIUM.



STEPHANI BALVZII
TVTELENSIS
NOTÆ AD VITAS
PAPARVM AVENIONENSIVM.

Pag. 1. ERAVDI ARCH. LVGDVN.] ab anno MCCXC. usque ad annum MCCXCIV. quo factus est Episcopus Albanensis. Obiit autem anno MCCXCVII. die XXVII. Iulii, ut vulgò putant.

IN FRANCIA LEGATI] Guillelmus Nangius ad annum MCCXCV. *Simon Pranestinus & Berardus Albanensis Episcopi Ecclesia Romane Cardinales propter pacem inter Regem Francia & Regem Anglia faciendam à Papa Bonifacio destinati mense Maio Parisius advenerunt.* Vvalsinghamus ad annum MCCXCVI. ita loquitur de hac legatione: *Eodem anno duo Cardinales Albanensis & Pranestinus primò ad Regem Francia, postea ad Regem Anglia venerunt, missi à Papa Bonifacio pro pace inter Reges & concordia reformanda.* Et infrà: *Rege autem ob reverentiam curia Romana petitioni eorum annuente, circa nativitatem virginis gloriosa in Gallias revertuntur.* Item ad annum MCCXCVII. *Circa istud tempus Cardinalis Albanensis reversus in Angliam, Regem apud Bervvicum adiit, responsum requirens de trenga, qua concessa non fuerat propter confœderationem cum Rege Romanorum; à quo Regi Anglia responsum fuit, & per Regem Cardinali, quòd ipse in treugam noluit assentire. Reversusque est Cardinalis in Gallias, intentione sua in hac parte frustratus.* Denique anno MCCXCVIII. *Cardinales qui à Domino Papa missi fuerant pro pace reformanda inter Reges, indicentes duorum annorum treugam inter eos auctoritate papali, nihil proficere potuerunt.* Vide etiam Matthæum Vvestmonasteriensem ad annum MCCXCV. In libro Arnaldi Alberti Archiepiscopi Auscitani & S. R. E. Camerarii de privilegiis & juribus ac censibus Romanæ Ecclesiæ, quem servat celeberrima & locupletissima bibliotheca Colbertina, sic legitur: *Littera Bonifacii Papa VIII. continens quòd ipse venerabiles viros Dominos B. Albanensem & S. Penestrinensem Episcopos ad tractandum pacem inter Philippum Francia & Eduardum Anglia Reges destinavit, treugasque inter eos & Adolphum Regem Romanorum dicti Regis Anglia adjutorem ad biennium indixit. Datum Roma apud sanctum Petrum Idus Aprilis, pontificatus sui anno secundo.* Vide to. 3. libertat. Eccles. Anglic. pag. 616. & seqq. 623. 626. 631. & sequentibus. Extat in collectione actorum discidii quod fuit inter Bonifacium VIII. & Philippum IV. cognomento pulcrum Regem Francorum pag. 27. insignis epistola eorundem Cardinalium scripta occasione istius treugæ apud Credulium Belvacensis diocesis anno Domini MCCXCVII. XIII. Kal. Maii. Vide Spondanum an. 1296. §. 2. & Odoricum Raynaldum an. 1295. §. 41. & seqq. & an. 1296. §. 18.

IOHAN. PARIS.] cognomento Pungens asinum, ut ait Stephanus de Salagnaco. Pag. 3.
Cùm istam historiam ex hoc nostro auctore retulisset Henricus Spondanus an. 1304. §. 14. ait meminisse ejusdem Ioannis cum laude Trithemium & Bellarminum in libro de scriptoribus ecclesiasticis, sed absque ulla nota erroris, nisi quòd Bellarminus observat eum in tractatu quem tempore discordiæ Bonifacii VIII. & Philippi pulcri scripsit de potestate

regia & papali visum esse propensiorem erga Regem. Deinde addit se in cujusdam Ioannis Brehalli ejusdem ordinis Prædicatorum opusculo de auctoritate audiendi confessiones invenisse hunc Ioannem Parisiensem cognomen habuisse *Pungentis-asinum*; cujus cognominis cùm rationem non ponat, existimare licet, ut ait idem Spondanus, fuisse eum vehementem in disputationibus & rixosum. quod ego minimè verum esse puto, cùm certum videatur hoc nomen fuisse familiæ, non hominis cognomen. Certè in vetustissimo codice MS. reperi quendam Guillelmum *Poin-l'asne* testem productum in inquisitione facta anno MCCXX. aut XXI. utrum Rex habeat multrum, raptum, & homicidium in burgo Episcopi Parisiensis. Philippus Labbeus in dissertatione historica de scriptoribus ecclesiasticis ait eum scripsisse contra Corruptorium doctrinæ sancti Thomæ Aquinatis. Ejus tractatus de potestate regia & papali extat MS. in codice 3849. bibliothecæ Colbertinæ.

POSITIONEM NOVAM] Aiebat enim substantiam panis in eucharistiæ sacramento manere sub accidentibus suis, non in proprio supposito, sed tractam ad esse & suppositum Christi, ut sic sit unum suppositum in duabus naturis. Hanc verò determinationem Ioannis de Parisius ex veteri codice MS. sancti Victoris Parisiensis edidit Londini anno MDCLXXXVI. vir doctissimus Petrus Allix. In eo porrò libro Ioannes, ut suam opinionem confirmet etiam auctoritate doctorum virorum suæ ætatis, ita scribit pag. 97. *Confirmatur etiam per Doctores modernos, quia magister Guido de Cluvigni determinavit in quodlibet. corpus Christi esse in altari per assumptionem, & similiter panem esse corpus Christi per idiomatum communicationem; & dixit quòd si esset Papa, quòd confirmaret eam.* Hunc Guidonem Thomas Vualdensis in tractatu de sacramentis cap. 64. interpretatur de quodam Guidone Carmelita his verbis: *Et credi potest similiter deliquisse Ioannem Paris in verbo quando scripsit in tractatu suo determinato hanc viam impanationis ad tantum placuisse Doctori Guidoni nostri ordinis fratrum Carmelitarum, tunc quidem lectori sacri palatii, ut si foret Papa, ipsam decerneret eligendam.* Sed quis fuerit hic Guido Carmelita, in obscuro est. Neque enim intelligi potest de Guidone Episcopo Helenensi. Quippe non vocabatur Guido de Cluvigni, sed Guido Terreni. Auctor tamen historiæ Vniversitatis Paris. to. 4. pag. 197. interpretatur de Guidone Papiniano sive de Perpiniano, id est, Guidone Terreni, qui vulgò vocatur Guido de Perpiniano.

GVILLELMO DE ORILLAC] sive de Aureliaco. Ortus enim erat ex oppido Aureliaco in Arvernis. quod vocabulum Franci ita pronuntiant ac si Orillacum scriberetur, uti constat etiam ex testamento Ioannæ de Castellione Comitissæ Blesensis condito anno MCCXCI. ubi inter ejus executores nominatur *Mestre Guillaume d'Orillac mon Physicien*. Erat enim professione medicus. Verum autem nomen ejus fuit Guillelmus Bauseti. Obiisse dicitur anno MCCCXX. idque verum esse hinc liquet quòd eo anno Stephanus ei successit in cathedra Parisiensi.

ÆGIDIO] cognomento de Roma, viro celeberrimo, uno ex præcipuis luminibus sodalitii eorum qui se eredi volunt Augustinianos. Insignis est locus ex continuatore Nangii edito in tomo XI. Spicilegii Dacheriani pag. 620. ubi de itinere Clementis V. è Lugduno pergentis Burdegalam ista leguntur: *Papa Clemens circa purificationem beatæ virginis à Lugduno recedens Burdegalis, per Matisconem, Brivatum, Bituricas......... & Lemovicas iter faciens, tam religiosorum quàm secularium Ecclesias & monasteria tam per se quàm per suos satellites deprædando, multa & gravia intulit eis damna. Vnde & frater Ægidius Bituricensis Archiepiscopus per hujusmodi deprædationes ad tantam devenit inopiam quòd tanquam unus de suis simplicibus Canonicis ad percipiendum quotidianas distributiones pro vitæ necessariis horas ecclesiasticas frequentare coactus fit.* In uno libro solutionum archivi Vaticani adnotatum est illum anno MCCCVI. die penultima Iulii solvisse trecentas libras Turonenses pro duobus bienniis completis die quinta Novembris annorum videlicet MCCCII. & MCCCV. præteritorum pro visitatione sedis apostolicæ, quam Bituricensis Archiepiscopus visitare tenetur de biennio in biennium. De eodem Ægidio vide chronicon Aulæ regiæ pag. 23.

EPO AMBIAN.] Guillelmo de Matiscone, viro doctissimo, qui maximè inclaruit in controversia quæ ævo Bonifacii VIII. exorta est inter Episcopos & ordines fratrum mendicantium occasione privilegiorum eis ab apostolica sede concessorum, ut patet ex codice 3266. bibliothecæ Colbertinæ. Quare mirum videri non debet quòd in epitaphio ejus adnotatum est illum fuisse summè famosum, facundum, & ingeniosum, eique curæ fuisse ecclesiastica jura integra servare. Viderat Mathias Flacius Illyricus aliquem codicem huic Colbertino haud absimilem, uti patet ex iis quæ ipse in catalogo testium veritatis refert ex Godefrido de Fontanis. Guillelmus autem erat Canonicus Ecclesiæ Parisiensis antè quàm fieret Episcopus Ambianensis.

MVLTIS ALIIS] inter quos continuator Nangii in tomo XI. Spicilegii Dacheriani pag. 618. numerat magistrum Ber-

trandum de sancto Dionysio Episcopum Aurelianensem. In eodem chronico nomini Guillelmi Episcopi Ambianensis additur titulus *Doctoris in jure canonico.* pro quo in margine scriptum est *Doctorum*, tanquam si verba illa non pertinerent ad Episcopum Ambianensem. Sed hunc tamen fuisse Doctorem in jure canonico satis constat. Id enim disertè scriptum est in ejus epitaphio. Et Godefridus de Fontanis eum vocat maximum Iuristam apud Mathiam Flacium Illyricum in catalogo testium veritatis. Sumpsit autem conjecturam suam clarissimus editor hujus chronici ex historia eucharistiæ; cujus auctor ex hoc fragmento, ubi *doctorum in jure canonico* scripsit, collegit professores quoque Parisienses juris canonici vocatos fuisse ad examen istud unà cum magistris theologicæ facultatis.

AD CURIAM] Romanam: ubi, *auditoribus sibi datis*, ut ait continuator Nangii, *infecto negotio de medio sublatus est*. Sunt qui putant heic per Romanam curiam intelligi ipsam urbem Romam, quæ est sedes Petri, ac propterea censent hunc Ioannem Romam profectum, Romæ obiisse. Verùm alius est omnino horum verborum sensus. Romana curia est ubicunque Papa est. Tum verò temporis Papa non erat Romæ, sed Burdegalæ. Ibi ergo obiisse Ioannem testatur auctor omni exceptione major Bernardus Guidonis in additionibus ad librum Stephani de Salagnaco de exordiis ordinis Prædicatorum his verbis: *Frater Iohannes Parisiensis licentiatus anno Domini* MCCC. *quarto. Hic obiit in curia Romana Burdegalis, ubi diffinitivam sententiam expectabat, anno Domini* MCCCVI. *in festo sancti Mauricii.* Quod autem ait illum fuisse licentiatum anno MCCCIV. ita intelligendum est ut eo anno dicatur fuisse licentiatus in theologia in academia Parisiensi. Bernardus enim illic enumerat magistros theologicæ facultatis Parisiensis assumptos ex ordine fratrum Prædicatorum. Præter opera verò quæ huic Ioanni vulgò tribuuntur, extant in codice 3725. bibliothecæ Colbertinæ fol. 63. 160. 194. sermones tres ab eo dicti Lutetiæ: quorum primus est in adventu Domini, alius in Dominica secunda quadragesimæ, tertius in Dominica infra octavas Paschæ.

FILIA KAROLI] Comitis Valesiæ, nomine matrem referente, id est, Catharinam heredem imperii Constantinopolitani, ut istbic dicitur. Sed hæc sponsalia sine effectu fuere. Etenim Catharina, cùm ad ætatem nubilem pervenit, contestata se indigere viro potenti ad recuperandum imperium Constantinopolitanum, quod sibi debebatur ratione matris, & Ducem Burgundiæ non posse huic negotio sufficere, palam & publicè declaravit nolle se stare pactis olim suo nomine initis de matrimonio suo cum filio Ducis Burgundiæ, sed velle se sociari vinculo conjugali cum Philippo Principe Tarentino filio Karoli II. Regis Siciliæ, si ita annuerent summus Pontifex & Philippus IV. Rex Franciæ ejus patruus. Extat enim apud Cangium in appendice historiæ CP. pag. 65. contestatio ejus ea quæ diximus continens. Extant ibidem pag. 74. literæ Philippi Regis datæ anno Domini MCCCXIII. mense Iulio, quibus confirmat conventiones initas inter eosdem Philippum & Catharinam; & pag. 63. bulla Clementis V. data X. Kal. Septembris anno quinto, in qua continetur qualiter Dux & Ducissa Burgundiæ, quibus iteratò scripserat de dirimendis sponsaliis olim initis inter dictum Ducem & Catharinam, nolebant à pactis recedere, adeoque non posse se absque consensu Ducis prædicti procedere ad dirimendum sponsalia supradicta. Postea tamen consensit, & cum Philippo & Catharina dispensavit ut matrimonio jungi possent non obstante gradu consanguinitatis prohibito quo se attingebant, ut docent eorundem Philippi Principis & Philippi Regis literæ ibidem editæ pag. 77. & 79. & ipse Clemens apud Odoricum Raynaldum an. 1312. §. 49. Itaque anno MCCCXIII. *Princeps Tarentinus circa festum Magdalenes filiam Comitis Valesii ex conjuge Catharina heredem Constantinopolitani imperii desponsavit*, ut scribit continuator Nangii in tomo X. Spicilegii Dacheriani pag. 649. Vide Oldradum consil. 159.

VENIT CLUNIACUM] ubi commoratum eum esse per quinque dies cum novem Cardinalibus scribit Franciscus de Rivo in chronico Cluniacensi, licet hanc historiam per errorem referat ad Bonifacium VIII. quam certum est ad Clementem V. pertinere. Hæc sunt ejus verba: *Item recepit summum Pontificem cum novem Cardinalibus per quinque dies, Bonifacium scilicet octavum.* Hi fuere Nicolaus de Prato Episcopus Ostiensis, Petrus de Capella, Franciscus Gaytanus, Guillelmus Ruffati, Arnaldus de Pelagrua, Berengarius Fredoli, Petrus de Columna, Raymundus del Goth, & Landulfus Braneatius. *Ex tomo primo Bullarii Casinensis pag.* 40.

NIVERNUM] ubi erat VII. Kal. Aprilis, ut docet Odoricus Raynaldus an. 1306. §. 9. Puto autem in epistola ejusdem Clementis ad Eduardum I. Regem Angliæ data *Navernii* X. Kal. April. reponendum esse *Nivernis*. Extat to. 3. libertat. Eccles. Anglic. pag. 1098. Pag. 4.

GENTILIS FRATER MINOR] dictus vulgò de Monte-Florum, Presbyter Cardinalis tituli sancti Martini in montibus,

eo honore donatus à Bonifacio VIII. anno MCCC. die Mercurii secunda mensis Martii. In collectaneis Petri Puteani de dissidio Bonifacii VIII. & Philippi pulcri pag. 388. malè vocatur Guillelmus. Erat ille natione Picens ex oppido Montis Florii, ut scribit Claramontius pag. 454. historiæ Cæsenatis; non verò è Monte Feltrio, ut in Memoriis Traguriensibus pag. 478. tradidit Ioannes Lucius. In tomo tertio libertatum Ecclesiæ Anglicanæ pag. 1155. dicitur fuisse *natione Marchia Anchonitana*. Ei Clemens V. anno primo sui pontificatus, pridie Kal. Novembris, commisit curam & administrationem Ecclesiæ S. Praxedis de urbe. *Ex codice 9919. bibliotheca regia*. Anno verò MCCCVII. eum misit Legatum in Hungariam. *Odericus Raynaldus an.* 1307. §. 21. *an.* 1308. §. 23. Cùmque illuc proficiscens transiisset per civitatem Bononiensem, à senatu populoque Bononiensi summis honoribus exceptum esse die XV. Decembris adnotat Cherubinus Ghirardaccius lib. 15. hist. Bonon. pag. 508. Hinc Cæsenam advenit die quarta sequentis mensis Ianuarii. *Scipio Claramontius lib.* 11. *historiar. Cæsena pag.* 454. Advenisse autem in Hungariam ante mensem Iunium ejusdem anni docent eædem Memoriæ Traguriensis pag. 479. ex quibus etiam liquet illum mansisse usque ad annum MCCCX. in ea regione. Eo enim anno fuisse Posonii docent etiam hæc verba ex libro censuali Arnaldi Camerarii: *Processus factus per Dominum Gentilem Presbyterum Cardinalem & sedis apostolicæ Legatum in partibus Vngariæ contra magistrum Matthæum Palatinum, qui recusavit restituere Regi Vngariæ quadam bona quæ habebat à dicto Rege ac fidelitatem facere &c. pontificatus Domini Clementis Papæ quinti anno sexto.* Et tamen Ioannes Villanius lib. 9. cap. 21. scribit illum dignitate Legati ornatum anno MCCCXI. ac multo tempore commoratum esse in Hungaria. Hinc ergo in Italiam redux, iu mandatis accepit à Papa Clemente uti thesaurum ecclesiasticum, qui Romæ & in Campania & ex patrimonio Ecclesiæ conquisitus erat, Avenionem transferri curaret. Sed turbato tum statu provinciarum per factiones Guelphorum & Gibellinorum, Lucæ coactus est subsistere; illicque thesaurum, ut in eodem libro cap. 21. & 59. scribit idem Villanius, reliquit in sacrario sancti Fridiani. Ex quo manifesti erroris convincitur scriptio Cypriani Manentis, qui lib. 2. hist. pag. 192. tradit hunc thesaurum in Ecclesia sancti Fridiani repositum fuisse post mortem Clementis quinti. Quamvis autem nolim negare quin verum esse possit id quod scribit Villanius, Gentilem ultra Lucam cum thesauro progredi non potuisse ob motus & bella Guelphorum & Gibellinorum, puto tamen aliam quoque causam fuisse subsistendi Lucæ, nimirum morbum Gentilis, qui tum in ea urbe extinctus est, ut docent literæ Ioannis XXII. in codice 829. bibliothecæ Colbertinæ. Quare vehementer falluntur qui putant illum obiisse Avenioni. Obiit autem anno MCCCXII. die XXVII. Octobris, uti rectè ex libro obligationum docuit Contelorius. Corpus ejus sepultum est in monasterio Minorum Assisinatum, in sacello nempe sanctorum Ludovici & Martini, quod ipse construi fecerat. Huic porrò Cardinali Eduardus I. Rex Angliæ concessit anno MCCCIV. pensionem annuam quingentarum marcharum sterlingorum. *To.* 3. *libertat. Ecclesiæ Anglicana pag.* 1315. Vide Vvaddingum an. 1312. §. 10.

NICOLAVS] de Freauvilla Normannus, de quo dicemus infrà suo loco.

QVIDAM ANGLICVS] Thomas Iorzius. Sic enim constanter vocatur in veteribus actis illorum temporum. quod etiam agnovit Baleus centur. 4. cap. 89. 90. quamvis ipse eum malit vocare Thomam Ioyce. Sed hac auctoritate spreta, Ioannes nihilominùs Pitseus eum appellat Thomam Iorsium. Fuisse natione Anglicum omnes consentiunt, & institutum fratrum Prædicatorum arripuisse, ac Priorem eorum provincialem in Anglia fuisse. Scripserat Ciaconius illum hoc magistratu functum per annos septem. Sed Godvvinus ait eum in hoc videri lapsum, cùm Vvalterus Vvinterburnius, cui Thomas in eo munere successit, hanc provinciam non deposuerit antè quàm fieret Cardinalis. quod anno MCCCIV. contigit. Verùm Bernardus Guidonis, illorum omnino temporum scriptor, nobis testis est Thomam fuisse Priorem provincialem Angliæ annis septem. Doctorem sacræ theologiæ eum vocant idem Bernardus & Thomas Vvalsinghamus. Postea Eduardi I. Regis Angliæ Confessor evasit eodem anno quo laudatus paulò antè Vvalterus promotus est ad dignitatem cardinalatus. Et anno sequenti MCCCV. die XV. Decembris factus est à Clemente V. Presbyter cardinalis tituli sanctæ Sabinæ, post mortem videlicet Vvalteri, qui die XXIV. Septembris proximè præteriti excesserat è vivis. Erravit autem Vvaddingus an. 1310. §. 7. scribens eum primò factum fuisse Cardinalem tituli sanctæ Luciæ, & post mortem Vvalteri, sanctæ Sabinæ. Vir maledicentissimus Ioannes Baleus centur. 4. cap. 89. ait eum numerata Pontifici pecunia mercatum esse hunc honorem, & ab eo die intrepidum Antichristi militem factum, rostris, ut aiunt, & unguibus injustissimas quasdam ambitiosi Pontificis causas defendisse erga Romanos. Contrà Ioannes Pitseus eum commendat de morum gravitate, religionis

integritate, vitæ innocentia, & eruditionis eminentia, ac propterea evocatum à Clemente V. Lugdunum & ab eo factum Cardinalem. Cùm verò postea Philippus IV. Rex Francorum memoriam Bonifacii VIII. accusaret, Thomas à Clemente unà cum Petro de Capella Episcopo Prænestino, Berengario Fredoli Episcopo Tusculano, & Nicolao de Freauvilla Presbytero Cardinale tituli sancti Eusebii delegatus est ut audiret testes qui producebantur adversùs eundem Bonifacium, ut patet ex collectaneis de discidio ejusdem Bonifacii & Philippi Regis pag. 562. & sequentibus. Eodem anno, ut Odoricus Raynaldus tradit, in Italiam missus est ad excipiendum Henricum VII. Imperatorem. Obiit autem in itinere ad eum proficiscens, in Sabaudia nimirum, ut putat Godvvinus. In libro obligationum archivi Vaticani adnotatum est eum anno MCCCX. Legatum factum in certa parte Italiæ, de Romana curia discessisse in legationem die XXV. Octobris, & die XIII. sequentis mensis Decembris in itinere suæ legationis obiisse. Hactenus autem ignotus fuit locus in quo mortuus est, quem Bernardus Guidonis in opere quo descripsit historiam monasteriorum & vitas virorum illustrium sui ordinis docet fuisse Gratianopolim. Describenda sunt autem illius verba, cùm nondum edita sint, & cùm multa notatu digna contineant ad historiam istius Cardinalis pertinentia. *Fratrem Thomam de Iorz Anglicum magistrum in theologia Oxoniæ de ordine Prædicatorum fecit Presbyterum Cardinalem tituli sanctæ Sabinæ idem Dominus Clemens Papa V. in Lugduno, ubi præsentes erant, feria quarta in jejunio quatuor temporum adventus, XVIII. Kal. Ianuarii, anno Domini MCCCV. Hic frater Thomas fuit Prior provincialis Angliæ annis septem; habuitque secum in ordine quinque fratres carnales, quos eadem propage & professio verè fecit esse germanos. Hic cùm mitteretur Legatus à Domino Clemente V. in Italiam ad Regem Theutoniæ Henricum Imperatorem Romanorum per Italiam dirigendum & promovendum in Imperatorem, cùm pervenisset apud Gratianopolim civitatem, ibidem infirmitate detentus diem claudens extremum, legationis suæ vitam terminavit in festo sanctæ Luciæ, quod fuit in Dominica tertia in adventu Domini anno ejusdem Domini MCCCX. cardinalatus sui quasi quinquennio consummato. Corpus autem ejus fuit inde portatum apud Oxoniam in Anglia in conventu fratrum Prædicatorum tumulandum.* Illic conditum eum fuisse splendida sepultura scribit Pitseus. Tradit R. P. Augustinus Oldoinus eidem Cardinali commissam esse à Clemente V. curam discutiendæ doctrinæ Petri Ioannis Olivi Minoritæ, qui nonnulla circa paupertatem evangelicam docebat quæ tum offenderunt aures plurimorum. quod is accepit ex Vvaddingo, seu potiùs ex bulla Clementis V. relata à Vvaddingo in annalibus Minorum. Plurima opera scripsit, quæ commemorantur à Baleo, Possevino, Pitseo, & aliis.

GALLIC. ECCL. GRAVAVERVNT] Graves enimvero & magnas oportuit fuisse querelas Ecclesiæ Gallicanæ adversùs exactiones nuntiorum curiæ Romanæ, cùm Regem Papæ Clementis amicum coëgerint ad eum mittere legatos primarum in re publica partium, qui de his excessibus expostularent apud Pontificem. Misit enim Milonem de Noeriis Mareschallum Franciæ, Guillelmum de Martinhiaco & Guillelmum dictum Cortehuze Milites, ut docet ejusdem Clementis epistola ad Regem data Burdegalæ VI. Kal. Augusti anno primo. Vide quæ suprà pag. 578. referuntur ex continuatore Nangii.

CAPVT S. LVDOVICI] *absque tamen mento & mandibulis inferioribus*, ut scribit continuator Nangii in tomo XI. Spicilegii Dacheriani. Extat ea de re insignis epistola Philippi Regis ad Clementem Papam, in qua nominantur Archiepiscopi & Episcopi qui interfuerunt huic translationi. Necessariò autem cogimur admonere graviter errare Odoricum Raynaldum an. 1317. §. 8. dum scribit hanc capitis sancti Ludovici translationem factam esse anno MCCCXVII. Destinaverat initio Rex Philippus transferre in sacellum regium Parisiense, non solùm caput, sed etiam corpus integrum sancti Ludovici, ut patet ex bulla Bonifacii VIII. quam Claudius Menardus edidit in calce observationum suarum ad Ioinvillam. Vide etiam eam quæ ab Andrea Duchesnio edita est in tomo quinto scriptorum historiæ Francorum pag. 492.

VNAM COSTAM] Istud quoque testatur continuator Nangii. Dominicanis Remensibus datæ sunt reliquiæ sudarii sepulcrique ejus; & mox illic implorantibus opem sancti Ludovici reddita sanitas, surdis auditus, claudis facultas ambulandi, mutis usus linguæ, cæcis denique lumen. Sic enim testatur P. de Luporum viis Officialis Remensis in epistola tum scripta ad Philippum Regem.

PARIS. DECANVS] antea verò Canonicus Carnotensis, ut docent collectanea Petri Puteani de discidio Bonifacii VIII. & Philippi pulcri. Pag. 5.

SIGILLIFER] non tamen Cancellarius, ut visum est nonnullis, quamvis ita vocetur in fragmento veteris chronici edito à Francisco Duchesnio. Factum istud à plerisque per abusionem, quia vacante cancellaria, is qui sigillum regium ferebat exequebatur officia Cancellarii, adeoque quodam modo

dici posse videbatur Cancellarius. Vide quæ infrà dicuntur de Stephano de Suisiaco Cardinale, antea Viceecancellario Regis Franciæ.

VNO ANNO] Rectè. Nam cùm Petrus de Morneio rebus humanis excesserit anno MCCCVI. die XXIX. Maii, eique post aliquot tantùm menses successerit Petrus de Bellapertica, quem certum est anno MCCCVII. die XVII. Ianuarii obiisse, manifestum est illum uno tantùm anno aut circiter Episcopum fuisse. Quare erravit auctor historiæ Episcoporum Autissiodorensium, qui scribit illum sedisse in cathedra Autissiodorensi circiter annos duos.

PICTAVIM] Diù multùmque deliberatum fuit inter Clementem Papam & Philippum Regem de loco ubi mutuum colloquium inter eos haberetur. Miserat Clemens duos Cardinales ad Regem, ut ei significaret cupere se cum eo de rebus arduis secretò colloqui, & petere locum & diem ubi conventus haberi commodè posset. Phillippus nominavit Cæsarodunum Turonum & Augustoritum Pictonum, ponens optionem in arbitrio Papæ. Iste verò, quia gravissimo morbo tenerer vexatus erat, Tolosam malebat, utpote commodiorem. Philippus è contrà hanc urbem ut in longinquo positam respuebat, & Cæsarodunum præferebat. Pervicit tamen Clemens, & Augustoritum tandem itum est. Ista colliguntur ex variis epistolis à Papa & Rege ultro citroque scriptis.

LONGIOREM MORAM] Certum est eam initio mentem Clementi fuisse ut per unum tantùm mensem cum Rege maneret in urbe Pictaviensi. Et tamen illic stetit *circum circa circiter per menses sexdecim*, ut annotavit continuator Nangii. An verò ista mutatio facta sit sponte, seu yi potiùs, ut tradit auctor iste, videtur ambigi non immeritò posse. Ego tamen puto morbum Clementis obstitisse per multum tempus ne urbe illa excederet. Quippe literæ de conventu habendo scribebantur anno MCCCVI. exeunte, computando secundùm morem Gallicanum, seu potiùs anno MCCCVII. ineunte juxta hodiernum loquendi modum. Erat autem Clemens in urbe Pictaviensi anno eodem MCCCVII. Nonis Iunii, adhuc æger, ut licet existimare. In tomo porrò tertio libertatum Ecclesiæ Anglicanæ pag. 1147. reperio illum eodem anno exeunte afflictum fuisse gravi infirmitate. Sed tem extra controversiam ponit Ptolæmeus Lucensis, qui disertis verbis infrà pag. 26. scribit curiam Romanam ratione infirmitatis Papæ per unum annum quasi sopitam stetisse, eo nimirum tempore quo Clemens degebat Augustoriti Pictonum. Ex quo facilè colligitur vanos fuisse rumores de quibus isthic loquitur Ioannes Parisiensis.

MAGISTROS HOSP. ET TEMPLI] deliberaturus videlicet cum eis de bello sacro, quod meditabatur. Extat enim in schedis Duchesnianis consilium magistri Templi super negotio terræ sanctæ, datum Papæ; qui alius esse non potest quàm Clemens, cùm postea in iisdem schedis sequatur consilium ejusdem magistri super unione Templariorum & Hospitalariorum. Manifestum est autem agitari consilium istud non potuisse post habitam synodum Viennensem & extinctum ordinem Templariorum, id est, post tempora Clementis V. Pag. 6.

QVANDAM INSVLAM] Rhodum, ut docent alii scriptores vitæ Clementis. Vide etiam continuatorem Nangii.

IOHANNAM FILIAM OTTONIS] sive Othelini aut Othenini & Comitissæ Mathildis filiæ Roberti Comitis Attrebatensis. Convenerat diù antè de eo matrimonio inter parentes Philippi & Ioannæ, & intercesserat dispensatio apostolica Bonifacii VIII. Liber Arnaldi Camerarii: *Item alia littera continens dispensationem inter unum de filiis Philippi Regis Franciæ & Iohannam filiam Ottonis Comitis Burgondiæ & Matildis ejus uxoris. Datum Anagniæ III. Kal. Iulii, pontificatus Domini Bonifacii Papæ VIII. anno primo.* Obiit anno MCCCXXIX. die XXI. Ianuarii.

FIDVCIAVERAT] desponsaverat, *avoit fiancée*. Vide Glossarium mediæ & infimæ latinitatis Caroli Dufresnii Cangii.

NON DESPONSAVERAT] non duxerat uxorem, *n'avoit pas espousée*.

EDOARDVS IV.] sive primus post conquestum. Tres enim istius nominis fuerant ante conquestum, Eduardus videlicet I. Alfredi filius, Eduardus II. Edgari filius, & Eduardus III. Egelredi filius. Tempora porrò conquestus apud Anglos numerantur ab anno MLXVI. quo Vvillelmus Comes Normannorum regnum Angliæ conquisivit, ut vulgò loquuntur scriptores, id est, armis quæsivit & in ditionem ac potestatem suam redegit.

FORTVNIVM] cognomento Almoravitum, Navarræ Gonsanarium, uti vocatur in collectaneis de dissidio Bonifacii VIII. & Philippi pulcri pag. 131. Ejusdem cognominis eadem tempestate fuit Ioannes Archiepiscopus Hispalensis, ut videbimus paulò pòst. Vide continuatorem Nangii in tomo XI. Spicilegii Dacheriani pag. 625. & Sandovallium in catalogo Episcoporum Pampilonensium fol. 98. Pag. 7.

STELLA] Petrus venerabilis Abbas Cluniacensis lib. 1. miraculor. cap. 28. *Est in Hispanicis partibus nobile & famosum castellum, quod & propter congruum situm & fertilitatem adjacentium terrarum & multitudi-*

nem inhabitantium incolarum, quibus rebus proxima castella exuperat, ut æstimo non incongruè Stella vocatur. Eam Bernardinus Gomesius lib. 15. de gestis Iacobi I. Regis Aragonum vocat *nobile Navarræ oppidum.* Vide Arnaldum Oihenartum in Notitia Vasconiæ pag. 79. & seqq. In bulla Benedicti XII. de reformatione ordinis Cisterciensis ita legitur: *Studium autem quod Stella Pampilonensis diœcesis fore consuevit in Salmanticam transferimus propter propinquitatem studii Tolosanensis.* Verùm academiam Salmanticensem, ut hoc quoque obiter dicamus, multò antiquiorem esse contendunt Hispani, ut videre est apud Marianam lib. 13. rer. Hispan. cap. 1. & apud Alfonsum Garsiam Matamorum in narratione apologetica de academiis Hispaniæ.

LVDOVICVM] De ejus itinere in Navarram scripsit Rex Philippus ad Clementem V. Papam propter interdictum cui tum Pampilonensis Ecclesia subjacebat.

GALCHERO DE CASTELLIONE] istius nomine quinto, filio Galcheri IV. & Isabellæ de Lisigniis. Fuit primò Constabularius Campaniæ circa annum MCCLXXXIV. postremò Constabularius Franciæ anno MCCCII. Duxit autem in matrimonium Isabellam Droensem circa annum MCCLXXVI.

COMITE BONONIÆ] Roberto VII. filio Roberti VI. & Eleonoræ de Baffia.

Pag. 8. IN OCTOBRI] Falsum istud. Petrus enim de Bellapertica obiit die XVII. Ianuarii, ut suprà dictum est. Præterea ex literis Philippi IV. Regis Franciæ pro Capellanis Villæ-novæ subtus Bellamperticam in Borbonesio datis Meleduni anno MCCCXVII. mense Martio apparet Petrum de Bellapertica Episcopum Autissiodorensem jam tum fuisse mortuum. Extant in libro rubeo Cameræ computorum Paris. fol. 385. & in codice 3182. bibliothecæ Colbertinæ. In Necrologio Ecclesiæ Paris. ad diem XVII. Februarii ita legitur: *Obiit Dominus Petrus de Bellapertica Episcopus Autissiodorensis, dudum Decanus Parisiensis, sepultus sub bancha chori in dextra parte. Iuris civilis & canonici interpres eximius.* Vbi observandum est in hujuscemodi libris ecclesiasticis non semper intelligendam esse diem ipsam qua mortui fuere ii quorum mortes illic adnotantur, sed ii dies quibus anniversaria eorum memoria celebratur. Alioqui enim mendosum esset in hoc loco Necrologium istud Ecclesiæ Parisiensis.

PETRVS DE GRESSIBVS] Extant literæ Regis Philippi pulcri quas scripsit ad Decanum & capitulum Ecclesiæ Autissiodorensis ut eos hortaretur ad eligendum hunc Petrum. Cùm verò is postea electus fuisset, idem Rex scripsit ad Raymundum de Goto Diaconum Cardinal. tituli sanctę Marię novæ, orans cum uti commendatione sua apud Clementem V. juvaret causam ejusdem Petri. Illum porrò tradunt fuisse filium fratris Guillelmi de Gressibus nuper Episcopi Autissiodorensis; fratrem verò Ioannis de Gressibus Mareschalli Franciæ. Quamquam non ita convenit inter omnes. Aliqui enim Ioannem Petri fratrem fuisse scribunt. Quæ est vera opinio, ut sequentia docebunt. Ceterùm hujus Mareschalli nulla mentio est in vulgatis historiis Mareschallorum Franciæ. Ipsum verò Petrum fuisse Cancellarium Franciæ docent gesta Episcoporum Autissiodorensium, falsò, ut opinor. Auctorem horum gestorum hinc deceptum esse puto quòd cùm ante episcopalem dignitatem adeptam fuerit Cancellarius Ludovici Hutini tum Regis Navarræ, postea verò Regis Franciæ, proclive erat existimare ac scribere illum fuisse Cancellarium Regis Franciæ.

IMPERATRIX CP.] Catharina, filia Philippi de Cortenaio, qui se ferebat Imperatorem Constantinopolitanum, & Beatricis filiæ Caroli I. Regis Siciliæ. Ipsa post mortem patris, quæ anno MCCLXXXII. evenit, se Imperatricem Constantinopolitanam inscripsit. Deinde cùm Andronicus Palæologus, qui tenebat imperium Constantinopolitanum, eam peteret ut nuptui traderetur Michaeli filio suo, ea res effectum sortita non est. Tandem verò Catharina in Galliam commigravit anno MCCXCIV. & cùm per varios matrimonii tractatus fuisset jactata, tandem anno MCCCI. nupsit Karolo Comiti Valesiæ fratri Philippi IV. Regis Francorum. Porrò licèt jam tum Karolus posset, tam ratione matrimonii sui cum herede Imperii Constantinopolitani, quàm propter donationem ejusdem imperii sibi ab eadem Catharina factam ante nuptias, accipere nomen titulumque Imperatoris Constantinopolitani, ab eo tamen semper abstinuit, Comitis appellatione contentus. Et tamen extant in appendice historiæ CP. Caroli Dufresnii Cangii pag. 59. literæ conventionum anno MCCCVIII. die XXVII. Martii in abbatia de Lilio juxta Meledunum initarum cum Vrosio Rege Rassiæ, in quibus idem Karolus se inscribit Constantinopolitanum Imperatorem & Romeorum moderatorem semper augustum. Sed non propterea domestici ejus illum vocabant Imperatorem, ut patet ex veteri rotulo sumptuum ab eo factorum pro recuperatione imperii Constantinopolitani, quem mihi dedit olim vir clarissimus Antonius Vion Herovallius. Itaque existimandum est Karolum, tametsi Comes tantùm audiret inter suos, Imperatorem CP. se ideo dixisse in conventionibus illis ut ostenderet quo titulo ipse eas iniret.

OMNES TEMPLARII CAPTI] Aymericus de Peyraco Abbas Moyssiacensis in suo chronico, quod extat in codice 2835. bibliothecæ Colbertinæ, de ea re agens, Templariorum abolitionem & excidium imputat Regi Philippo pulcro, *quia contra ipsam Regem congregationem fecerant, & eos ex certis causis exosos habebat.* Sanè olim beneficio ejusdem viri clarissimi quem paulò antè nominavi vidi bullam authenticam Nicolai Papæ IV. datam ad Iacobum Regem Majoricarum VIII. Kal. Februarii anno secundo pontificatus ipsius, ex qua apparet jam tum Philippi animum abalienatum fuisse ab ordine Templariorum. Contrà Thomas de la Moor in vita Eduardi II. Regis Angliæ ait Philippum procurasse damnationem Templariorum in Concilio Viennensi *quia is magistrum ordinis exosum habuit propter importunam pecuniæ exactionem quam in nuptiis filiæ suæ Isabellæ ei mutuò dederat. Inhiabat præterea prædiis militum & possessionibus.* Aliam viam institit auctor libri de antiquitate Britannicæ Ecclesiæ, qui vulgò creditur esse Matthæus Parker Archiepiscopus Cantuariensis, eorum ruinam descendere faciens ex avaritia & ambitione ejusdem Philippi, scribens eum accusationem in Concilio Viennensi instituisse adversùs Templarios, conatumque illic esse filium suum Regem Hierosolymitanum creare & Templariorum bona atque prædia illi gerendo regno convertere. Quam exterminandorum Templariorum causam accepit is scriptor ex Thoma Walsinghamo, qui Philippum ea de causa ait effecisse ut Templarii damnarentur in Concilio Viennensi quia *cogitavit unum de filiis suis Regem Hierosolymitanum facere & impetrare sibi omnes redditus & proventus Templariorum.* Sanè in schedis Duchesnianis reperta est *Opinio cujusdam suadentis Regi Philippo ut regnum Hierosolymitanum & Cypri acquireret pro altero filiorum suorum, ac de invasione regni Ægypti, & de dispositione bonorum ordinis Templariorum.* Verùm nihil illic dicitur de bonis Templariorum tribuendis novo Regi Hierosolymitano; quæ contrà converti debent in subsidium terræ sanctæ, absque ulla mentione ejusdem Regis. Porrò Philippum nullam istius consilii rationem habuisse hinc colligitur quòd in Concilio Viennensi non reperitur actitatum fuisse ullo modo de deferendo regno Hierosolymitano uni ex filiis Philippi, & quòd bona Templariorum concessa sunt Hospitalariis, etiam cum consensu Regis. Nam ita inter eum & Papam Clementem convenerat apud Augustoritum Pictonum multò antè quàm Concilium celebraretur. Vnde Clemens in bulla data Pictavis II. Idus Augusti pontificatus anno tertio (quam Bzovius an. 1308. §. 2. descripsit, itemque Odoricus Raynaldus eod. an. §. 4.) ita scribit: *Deinde verò carissimus in Christo filius noster Philippus Rex Francorum illustris, cui fuerant eadem facinora nuntiata, non typo avaritiæ, cùm de bonis Templariorum nihil sibi vendicare vel appropriare intendat, immo ea nobis & Ecclesiæ per deputandos à nobis administranda & custodienda liberaliter ac devotè in regno suo dimisit.* Cui loco fidem conciliant hæc verba Albertini Mussati lib. 3. cap. 10. de gestis Henrici VII. Imperatoris: *Hujus inquisitionis & elucidationis indaginem attributam constat conspicuo Philippo Regi Francorum Christianæ fidei fervore progenitorum suorum vestigia clara sequenti, cui horrendum illud facinus intimatum extiterat, nec luxus avaritiæve typo, ut nonnulli ex illorum asseruere consortio, cùm nihil inde in sui proprium vindicaverit, sed ab intactis eorundem substantiis manus prorsùs amoverit sua sponte jussuque in sacrosancta Ecclesia, à qua defluxerant, patrimonium reservandis.* Eam præterea mentem fuisse Philippo testatur idem Clemens in epistola scripta ad Iacobum Regem Majoricarum X. Kal. Decembris anno tertio, in qua de eodem Rege Philippo ista leguntur: *Propter quod idem Rex ad requisitionem Inquisitoris hæreticæ pravitatis in regno suo generaliter à sede apostolica deputati, de Prælatorum, Baronum, ac aliorum sapientium deliberatione solemni magistrum majorem & alias singulares personas dicti ordinis quæ tunc erant in regno suo una die cum magna excogitata diligentia capi fecit Ecclesiæ judicio præsentandas, & earum bona mobilia & immobilia salva custodia assignari pro terra sancta, si dictus ordo damnetur, alioquin pro ipso ordine fideliter conservanda.* Quamquam autem dubium non sit quin Philippus fuerit auctor abolendi ordinis Templariorum, non ideo tamen existimandum est illos injustè fuisse damnatos, cùm variæ ejusdem Clementis bullæ fidem manifestam faciant scelerum & flagitiorum quæ eum adegerunt eos omnino delere. Quare credendum non est Alberico à Rosate scribenti Templariorum ordinem contra justitiam abolitum à Clemente V. fuisse ut gratificaretur Philippo. Hæc sunt ejus verba: *Templarii erant magnus ordo in Ecclesia, & erant milites strenui beatæ Mariæ. Et destructus fuit ille ordo tempore Clementis Papæ V. ad provocationem Regis Franciæ. Et, sicut audivi ab uno qui fuit examinator causæ & testium, destructus fuit contra justitiam. Et mihi dixit quòd ipse Clemens protulit hoc: Et si non per viam justitiæ potest destrui, destruatur tamen per viam expedientiæ, ne scandalizetur charus filius noster Rex Franciæ.*

MAGISTROR. VNIVERSITA- Pag. 94
TIS] Certum est hanc congregationem factam

factam fuisse postridie comprehensionis Templariorum, id est, pridie Idus Octobris. Quare vehementer aberravit à vero vir clarissimus Petrus Puteanus in historia condemnationis Templariorum, ubi congregationem magistrorum in theologia factam die XXV. Martii, cujus acta extant in archivo regio Parisiensi, interpretatur de ea quæ paulò post comprehensos Templarios coacta est auctoritate Regis. Theologi autem illi ab eo consulti in causa Templariorum responderunt principem secularem non posse cognoscere de hæresi, nisi cùm Episcopus ei causas istiusmodi committit judicandas, posse tamen eum in casu necessitatis, *ubi imminet periculum*, prehendere accusatos *cum proposito reddendi Ecclesiæ*. Addiderunt eos qui militiæ alicui se addixerunt pro defensione religionis Christianæ, *profitentes votum religionis instituta ab Ecclesia*, pro religiosis & exemptis habendos esse, eorum verò bona convertenda esse in eos usus quibus ab initio destinata fuere. In codice 566. bibliothecæ Colbertinæ extat *brevis tractatus super facto Templariorum, ad quem pertineat inquirere & judicare de hæresi.* Incipit autem sic. *Dixisti Domine Iesu Christe.* Eadem porrò est sententia auctoris istius tractatus cum ea quæ continetur in responsione Doctorum Parisiensium.

Pag. 10. PAPA TVRBATVS EST] Displicuisse initio hoc facinus Clementi V. docent ejus literæ ad Archiepiscopos & Episcopos regni Franciæ, datæ Pictavis die quinta Iulii, pontificatus ejus anno tertio, quæ in tomo XI. Spicilegii Dacheriani pag. 356. reperiuntur. Vide infrà pag. 29.

Pag. 11. KAROLO TERTIO GENITO] cognomento pulcro, Comiti Marchiæ, postea verò Regi Franciæ & Navarræ post extinctos Ludovicum Hutinum & Philippum longum fratres ejus.

ALTERAM FILIAM OTTONIS] Blancham, sororem Ioannæ nuptæ Philippo longo. Blancha verò convicta adulterii tradita est in custodiam apud castrum Gaillardi juxta Andeliacum in Normannia, & postea matrimonium ejus anno MCCCXXI. nullum fuisse declaratum est auctoritate Ioannis XXII. uti dicemus infrà suo loco. Hinc projecta in monasterium Malidunense prope Pontisaram, illic reliquum vitæ suæ exegit. Vide continuatorem Nangii ad annum 1314. Ioannem Villanium lib. 9. cap. 65. & Bzovium an. 1322. §. 27.

Pag. 13. PLVRIB. LICENTIATIS] Continuator Nangii editus in tomo XI. Spicilegii Dacheriani pag. 631. *Æstatis fervore transacto, Papa & Cardinales omnes, soluta ad tempus curia, ab urbe Pictavis, ubi diu steterant, recesserunt. Papa siquidem ad terram suæ nativitatis properans cum paucis Cardinalibus secum retentis, illic & circa postmodum dicitur resedisse, licentiatis ceteris & ad tempus ab invicem separatis.* Quinque tantùm fuisse retentos dicet paulò pòst Bernardus Guidonis. At ex narratione quæ extat in tomo I. Bullarii Casinensis pag. 40. constat novem Cardinales cum Papa fuisse Tolosæ anno MCCCIX. die quarta Ianuarii, eos nimirum qui paulò pòst nominantur, ac præterea Petrum de Capella Presbyterum Cardinalem tituli sanctæ Praxedis, Franciscum Gaytanum Diaconum Cardinalem S. Mariæ in Cosmedin, Guillelmum Ruffati Presbyterum Cardinalem tituli S. Pudentianæ, & Petrum de Columna Diaconum Cardinalem. Decem alios Avenionem pervenisse anno MCCCIX. visuri sumus infrà pag. 32.

ALIQVOT SECVM DVCTIS] quos quinque fuisse docet Bernardus Guidonis in historia monasterii Pruliancensis his verbis: *Anno Domini MCCCVIII. IV. Kal. Februarii, die Mercurii, Dominus Clemens Papa V. vadens apud Avinionem locum curiæ destinatum, secunda vice fuit in monasterio Pruliani; & sequenti die Iovis intravit claustrum & capitulum sororum cum quinque Cardinalibus, inter quos erat Dominus frater Nicolaus de Prato Episcopus Hostiensis.* Eorum nomina refert ipse Clemens in bulla de translatione reliquiarum sancti Bertrandi Episcopi Convenarum, hosque fuisse docet, Nicolaum nimirum Episcopum Ostiensem, Berengarium Fredoli Presbyterum Cardinalem sanctorum Nerei & Achillei, Landulfum Brancatium Diaconum sancti Angeli, Raymundum de Gotto Diaconum sanctæ Mariæ novæ, & Arnaldum de Pelagrua Diaconum sanctæ Mariæ in Porticu. *Apud Odoricum Raynaldum an 1309. §. 2.*

PROPE BVRDEGAL. VRBEM] apud Pessacum utplurimùm, ubi datæ plures ipsius bullæ; vel apud Laureum montem, ubi etiam datæ reperiuntur aliæ bullæ.

SVBTERRATIONE] ita nimirum ut vivæ defoderentur. Sic enim tum solebant erga feminas quæ pœnam mortis meruerant. Acta inquisitionis factæ anno MCCXX. aut XXI. utrum Rex habeat multrum, raptum, & homicidium in burgo Episcopi Parisiensis: *In novo burgo Episcopi, in domo Ferrici de Salneria accidit quòd quædam camberaria occidit dominam suam, & jactavit eam in camera privata. Postea dicta camberaria inventa fuit in burgo Episcopi saisita & vestita de tunica & cinctura & de elemosinaria & de monili dominæ suæ occisæ. Et propter hoc factum Prepositi Domini Regis fecerunt eam infodiri vivam.* Literæ Nicolai Decani Trecensis datæ anno MCCXII. mense Novembri: No- Pag. 14.

tum facimus præsentibus & futuris quòd cùm inter nos ex una parte & carissimam Dominam nostram Blancham Campaniæ Comitissam illustrem ex altera discordia esset de quibusdam hominibus suspensis & de quadam femina interrata, qui capti fuerant in burgo nostro sancti Dionysii, quos videlicet servientes nostri suspenderant apud Vacheriam in nostra justitia extra civitatem Trecensem & feminam interraverant &c. Ioannes Stiernookius lib. 2. de jure Sueonum & Gothorum vetusto pag. 356. loquens de pœnis constitutis adversus homicidas: *Iura Sueonum ubicunque & in quocunque casu viros, etiam feminas morte puniunt. Sed nec rotæ supplicio aut suspendio, ut parricidas vel fures, nec etiam vivicomburio, quod in quibusdam casibus de jure novissimo statutum est, verùm defossione & injecta lapidum congerie, tanquam si pudori & reverentiæ sexus meliùs consulatur si cum flagitio è conspectu hominum remotæ contegantur.*

FILIAM DICTI KAROLI] Margaretam, quam falsò quidam vocant Clementiam. Erat illa filia Catharinæ Imperatricis CP. ut ait auctor iste. Quod Andreas Duchesnius lib. 4. hist. Castillion. cap. 2. contendit non esse verum, eam inquiens fuisse filiam Margaretæ Siculæ prioris uxoris Karoli Comitis Valesiæ.

GVICHARDVS EPS TRECENSIS] Extat in archivo regio Parisiensi bulla Clementis V. data Pictavis v. Idus Augusti, qua dedit in mandatis Archiepiscopo Senonensi & Episcopo Aurelianensi, tum etiam Petro electo Autissiodorensi, ut inquirerent de criminibus Guichardo impositis & ad se referrent. Continuator Nangii ad annum MCCCVIII. *Guichardus Trecensis Episcopus pro suspecto vehementer habetur quòd mortem Iohannæ Reginæ quondam Franciæ & Navarræ quibusdam procurasset sortilegiis aut veneno. Propter quod, audita etiam super hoc quorundam depositione testium, videlicet falsorum, prout sequentia, quamvis longo tempore, probaverunt, capitur, diutiùsque sub carceris arcta custodia, etiam de voluntate summi Pontificis, prout ferebatur, maximè postquàm ad ejus notitiam testium ipsorum pervenit depositio, detinetur.* Item ad annum MCCCXIII. *Guichardus Trecensis Episcopus, quem super procuratione mortis quondam Reginæ Iohannæ fuisse suspectum suprà retulimus, per confessionem cujusdam Lombardi cognomine Noste Parisius ad mortem judicati pro suo crimine & suspensi innoxius est repertus.* Vide Nicolaum Bertrandi de gestis Tolosanorum fol. 36.

INVOCATIONE] dæmonum, id est, sortilegiis, ut explicat continuator Nangii. quæ interpretatio, alioqui non admodum difficilis, confirmatur auctoritate bullæ Clementis V. paulò antè laudatæ. Vide Nicolaum Eymerici in secunda parte directorii Inquisitorum quæst. 43.

INDVLGENTIA MAGNA] Continuator Nangii ad annum MCCCVIII. *Indulgentia magna valde, quæ à Clemente Papa anno præcedenti, dum esset Pictavis, transfretantibus vel pecuniam suam largientibus in subsidium terræ sanctæ concessa erat, cujus executorem vel receptorem magistrum Hospitalis transmarinum constituerat, per regnum Franciæ publicatur; factumque est ut in Ecclesia beatæ Mariæ Parisius & penè in omnibus aliis regni Ecclesiis statuerentur gazophylacia ad pecuniam reponendam quæ illic à devotione populi, durante duntaxat illa indulgentia, videlicet usque ad quinquennium, deferretur; in quibus multi, in exordio publicationis præcipuè, multa dicebantur misisse.* Pag. 15.

ALTERA PRINCIPI TARENTINO] Vehementer errat in hoc loco Ioannes Parisiensis. Nam neque ulla filia Karoli II. Regis Siciliæ fuit desponsata Principi Tarentino, neque Princeps Tarentinus pertinebat ad gentem Sabaudicam. Philippus enim Princeps Tarentinus erat filius ejusdem Karoli. Sanè eadem tempestate vivebat Philippus Sabaudus. At ille non erat Princeps Tarenti, sed Achaiæ ratione uxoris suæ Isabellæ Principissæ Achaiæ, de qua vide Cangium in observationibus ad Villa-Harduinum pag. 244. 245. Albericus à Rosate in verbo *Achaia* ad hunc respiciens ita scribit: *Ille qui hodie præest Achaiæ vocatur Princeps Achaiæ, & est de domo Sabaudiæ.* Item Albertinus Mussatus lib. 5. de gestis Henrici VII. Imperatoris: *Philippum Sabaudiensem Lacedemoniæ Principem.* Vide probationes historiæ domus Sabaudiç editæ à Samuele Guichenone pag. 102. 103.

PETRVS DE MERAPICIO] sive de Mirapisce, vulgò *Mirepoix*, in Gallia Narbonensi. Ioannes Froissartus more Francigenarum, qui cunctos fermè populos paulò ultra Ligerim habitantes vocare solent Vascones, istum vol. 1. cap. 111. ejusdem nationis fuisse scribit: *Il y eut jadis un Evesque en Cambresis, qui estoit Gascon, de ceux de Buc & de Mirepoix.* Erat ille filius Guidonis, qui se Mareschallum Mirapiscensem vocabat, & Isabellæ de Marliano ex clarissimo sanguine Monmoranciaco exortæ, uti docet Andreas Duchesnius lib. 11. cap. 4. historiæ genealogicæ ejusdem gentis. Petrus autem fuit primò Episcopus Magalonensis, dein Cameracensis, postremò Bajocensis. Factum fuisse Episcopum Magalonensem anno MCCCVI. docet bulla Clementis V. ad Regem Philippum, quæ extat in archivo regio Parisiensi. Pag. 16.

EPS SIBILÆ] sive Hispalensis, vul-

go *Sevilla*. Froissartus vol. 1. cap. 230. *Sebille la meilleure cité d'Espaigne*. Inter titulos quos Alfonsus Cerda, qui se Regem Hispaniæ ferebat, nomini suo adjungebat, Regem quoque Sibillæ se inscribit in literis fœderis ioiti anno MCCXCII. cum Gastone Vicecomite Bearnensi, quæ extant in camera Computorum Parisiensi. In libro septimo historiæ Bearneosis cap. 12. extant literæ Alfonsi X. Regis Castellæ, in quarum fine ita scriptum est: *Actum Sibilia in aula Domini Regis die Martis* XII. *Martii*. In libro verò Arnaldi Camerarii habetur mentio quarundam literarum Alfonsi XI. Regis item Castellæ, quæ in his verbis desinunt: *Datum Sibiliæ anno Domini* MCCCXL. *die decima mensis Maii*. Idem in literis quas quadriennio pòst scripsit ad Clementem sextum, quæ ab Odorico Raynaldo editæ sunt in annalibus ecclesiasticis, se vocat Regem Castellæ, Legionis, Toleti, Galleciæ, Sibilliæ &c.

EPS SIBILÆ] Ferdinandus Gutierrez, qui anno MCCCII. Hispalensis antistes evasit post mortem Ioannis Almoravidi. Hunc Ferdinandum Paulus Spinosa lib. 5. hist. Hispal. fol 44. 45. putat obiisse anno MCCCXX. circa mensem Aprilem. Sed eum isthic errasse contendit Didacus Ortiz de Zuñiga in annalibus Hispalensibus lib. 5. pag. 179. 181. ubi scribit hunc Archiepiscopum obiisse anno MCCCXXIII. die XXVI. Aprilis.

PRÆCIPVE A REGE ARRAG.] Vnde continuator Nangii huic uni seu potiùs ejus filio imputat hanc victoriam his verbis: *Circa festum Pentecostes filius Regis Arragonum habito conflictu contra Regem Granatæ Sarracenum, ingenti Sarracenorum cade facta, gloriosam victoriam reportavit*.

ABILLIS OCTO] id est, Ægidio Aisselini Archiepiscopo Narbonensi, Guillelmo de Tria Episcopo Bajocensi, Guillelmo Durandi Episcopo Mimatensi, Reginaldo de la Porta Lemovicensi, Marthæo de Neapoli Archidiacono majoris Caleti in Ecclesia Rothomagensi, Ioanne de Montelauro Archidiacono Magalonensi, & Guillelmo Agarin Præposito Aquensi. His enim Clemens V. commiserat inquisitionem causæ Templariorum literis datis Augustoriti Pictonum pridie Idus Augusti anno tertio, quæ editæ sunt à viro clarissimo Petro Puteano in historia Templariorum.

ARCHIEPM LVGDVN.] Petrum de Sabaudia. Vide continuatorem Nangii editum in tomo XI. Spicilegii Dacheriani pag. 638.

QVIDAM ALIVS] nimirum, ut reor, Petrus de Capella Episcopus Prænestinus, cui Clemens V. commiserat custodiam Templariorum Franciæ, adeoque per ea tempora vitam agebat in agro Parisiensi. Vide infrà pag. 30.

ARCHIEPS NARBON.] Ægidius Aisselini, olim Præpositus Ecclesiæ Claromontensis, ut docet epistola Philippi pulcri Regis Francorum ad Nicolaum Papam III. data anno MCCLXXVIII. de negotio Arragonoiæ. De hac porrò Ægidii translatione ad Ecclesiam Rothomagensem sic scribit idem continuator Nangii: *Hoc eodem anno facta est mutatio inter Archiepiscopum Narbonensem & Rothomagensem. Nam cùm Rothomagensis Archiepiscopus Bernardus nomine nepos Clementis Papæ propter juventutis suæ insolentiam cum Normannis nobilibus pacem bonam non haberet, eo translato ad archiepiscopatum Narbonensem, Ægidium pro tunc Narbonensem, præcipuum Regis consiliarium, prudentem in agibilibus, & in utroque jure peritum, ad Rothomagensis Archiepiscopi transtulit dignitatem*. Pag. 18.

Occasio postulat ut quoniam in mentionem incidimus hujus viri, nonnulla quoque dicamus de viro item memorabili fratre ejus Hugone Episcopo Ostiensi; qui vulgò vocatur de Billiomo, quia ita vocabatur antè quàm fieret Cardinalis. Prætermittam autem ea quæ alii retulere, ne actum agere videar. Anno MCCLXXXII. facta solenni congregatione Doctorum theologorum Parisiensium, in qua quæsitum ab illis fuit *Vtrum aliquis verè pœnitens & confessus & rite absolutus ab eo qui potest teneatur eadem peccata numero iterum confiteri*, ei interfuit sententiamque prompsit cum aliis frater Hugo de Byliomo ordinis fratrum Prædicatorum. Eum deinde Nicolaus IV. anno MCCLXXXVIII. fecit Presbyterum Cardinalem tituli S. Sabinæ. Hinc anno MCCXCIV. ad episcopatum Ostiensem evectus est à Cælestino V. qui ei *ad perferenda onera quæ cardinalatus dignitas exigit*, literis datis VIII. Kal. Novembris anno primo concessit quadringentas marchas sterlingorum omnino pensionis percipiendas annuatim super proventibus & redditibus monasteriorum sancti Medardi Suessionensis, sancti Vedasti Atrebatensis, Casæ-Dei in diœcesi Claromontensi, & Fiscanensis in Rothomagensi. Verum quia vir bonus & simplex, sanctus quidem, sed *in agibilibus nil expertus*, ut in c. *Quoniam* de renuntiat. in sexto ait Ioannes Andreæ, id est, parum aut minimè aptus ad administrandum imperium gerendamque rem publicam, &, ut paulò duriusculè scriptum est in primo consilio Iasonis de Mayno, qui accepisse se ait ex Ioanne Andreæ, *erat unum pecus*, brevi tempore manifere quæ ille constiterat; quia, ut idem Ioannes teste Iasone ait, *de mane faciebat gratiam, & de sero auferebat, & alii conferebat*. Idem, ut in cap. *Super eo*. de hæreticis in sexto docet Ioannes Monachi, *multas abbatias, episc*

copatus, & superiores dignitates contulit sine fratrum consilio, ac propterea dictæ collationes cassatæ fuerunt à Bonifacio VIII. ejus successore. quod tametsi testatum faciat Ioannes Monachi, qui consultus fuit in hac causa, ait Ioannes Andreæ se difficulter credere fecisse Bonifacium, nisi fortè circa non expeditos, id est, quorum literæ adhuc erant in cancellaria. Et tamen idem Ioannes in cap. 7. *Quoniam* de concess. præb. in sexto adnotat hunc Bonifacium revocasse etiam ex rationabilibus causis omnia privilegia ab ipso Cælestino concessa quæ per ipsum Bonifacium approbata non essent; citatque in eam rem Ioannis XXII. constitutionem *Sancta Romana*. de relig. domibus, ubi hæc ipsa verba leguntur. Vide etiam bullam Bonifacii VIII. apud Odoricum Raynaldum an. 1341. §. 132. Quicquid sit de hac quæstione, constat bonum illum Papam suæ illi concessioni, in qua nulla consilii consensusve Cardinalium mentio extat, modum adhibuisse ante mensem exactum, cùm certum sit eum pensionem illam quadringentarum marcharum reduxisse ad ducentas literis datis XI. Kal. Decembris ejusdem anni. Habemus enim omnes illas literas præ manibus authenticas.

IMPERATORI PET. HOMAGIUM] Vide Nicolaum Specialem lib. 7. cap. 1. & M. Albertum Argentinensem pag. 117. 118. ex editione Christiani Vrstisii.

MEDIATORIBUS] in primis verò Rizardo Gambatesa Regis Roberti secretario; qui tamen infecto negotio recessit, ut legitur infrà pag. 91. in quinta vita Clementis quinti. Quare falsum videtur quod isthic ait Ioannes Parisiensis, treugas ea tempestate confirmatas fuisse inter Henricum & Robertum; præsertim cùm Nicolaus Specialis & M. Albertus Argentinensis de bello tantùm loquantur, nulla pacis aut induciarum mentione. Immo certum esse nihil istiusmodi contigisse colligi posse videtur ex eo quòd idem Argentinensis ait Cæsarem tulisse sententiam in Robertum, tanquam in reum læsæ majestatis imperatoriæ ac proditorem & hostem imperii, sed eam à Clemente V. post mortem Cæsaris fuisse revocatam; citatque in eam rem ejusdem Clementis constitutionem cujus initium est *Pastoralis cura*, quæ extat in libro secundo Clementinarum tit. XI.

DE EXEMPTIS] Vualsinghamus ad annum MCCCXI. *Hoc anno Calend. Octobris sub Papa Clemente quinto celebratum fuit Concilium apud Viennam, in quo Templariorum ordo damnatus est. Et ante illud Concilium per universum orbem generaliter fuit divulgatum quòd omnes & singuli religiosi exempti ad jus transirent commune. Vnde solus ordo Cisterciensis Papam adiit ante dicti Concilii celebrationem pro exemptione sua pristina pacificè obtinenda. Quod & obtinuit donis datis.* Vide Guillelmum Durandi de modo generalis Concilii celebrandi parte 1. tit. 4. 5. & parte 3. tit. 23. Ægidium Romanum in tractatu contra exemptionem, & additiones ad tomum tertium Odorici Raynaldi.

IN PROVINCIA NARBON.] Pag. 19. Hanc historiam sic enarrat Nicolaus Minorita tum vivens in codice 678. bibliothecæ Colbertinæ: *Anno Domini* MCCCXXI. *fratre Michaele de Cesena sacræ theologiæ magistro existente ordinis fratrum Minorum generali ministro, sui ministerii anno sexto, quidam Beguinus seu Bizotus fuit captus in civitate Narbona pro facto hæresis per Archiepiscopum Narbonensem & fratrem Iohannem de Belna ordinis fratrum Prædicatorum Inquisitorem hæreticæ pravitatis. Qui Beguinus inter alia asserebat quòd Christus & Apostoli viam perfectionis sequentes nihil habuerunt jure proprietatis & dominii in speciali nec etiam in communi. Qui Inquisitor volens judicare dictum Beguinum convocavit ad consilium omnes Priores, Gardianos, & Lectores religiosorum & quamplures alios sapientes; inter quos affuit frater Berengarius Talons Lector in conventu fratrum Minorum de Narbona. Et inter cetera præfatus Inquisitor fecit legi præfatum articulum de paupertate Christi & Apostolorum ejus, pro quo volebat Begardum hujusmodi tanquam hæreticum judicare. Prælibatus frater Berengarius Lector super dicto articulo requisitus respondit quòd hoc dicere non erat hæreticum, sed dogma sanum, catholicum, & fidele, maximè cùm hoc esset per Ecclesiam in decretali* Exiit qui seminat *diffinitum. Quo facto, ac si asseruisset hæresim dictus Lector, præfatus Inquisitor eidem præcepit ut dictum suum statim in præsentia omnium revocaret. Qui Lector revocare noluit quoquo modo. Sed quia cogebatur revocare illud quod erat sanum & catholicum & tanquam tale per Ecclesiam diffinitum, & timens ex hoc contra justitiam multipliciter aggravari, ad sedem apostolicam solemniter appellavit, & cum appellatione sua venit apud Avinionem, ubi prædictus Dominus Iohannes Papa cum sua curia residebat; & in consistorio coram eo, jam tamen informato de opposito, comparuit & proposuit dictus Lector. Qui Dominus Papa præfatum Lectorem fecit in sua curia arrestari, & publicè hanc proposuit quæstionem, videlicet utrum pertinaciter affirmare Dominum Iesum Christum ejusque Apostolos non habuisse aliqua in speciali nec etiam in communi foret hæreticum censendum, & formam ipsius quæstionis in scriptis omnibus prælatis & magistris in theologia in sua curia existentibus tradi fecit. Volens igitur dictus Dominus Iohannes Papa de dicta quæstione & quibusdam aliis diffinire,*

oppositum eorum quæ in dicta decretali Exiit *extitit diffinitum, ut postea patuit per effectum.* Hanc historiam Odoricus Raynaldus ad annum 1322. §. 53. suis, non Nicolai, verbis recitat, quamvis eum laudet auctorem. Nos ipsa Nicolai verba describere maluimus. Cùm ergo ex minimis magnarum sæpe rerum momenta pendeant, ab his exiguis initiis orti sunt magni illi motus qui totum ferè ordinem Minorum & mox eis faventem Ludovicum IV. Imperatorem concitarunt adversùs Ioannem XXII. Papam. Porrò Begardi illi dicebantur etiam Beguini, Fratricelli, vel fratres de pœnitentia de tertio ordine beati Francisci. Dederunt autem huic sectæ initium postillæ Petri Ioannis Olivi Minoritæ in Apocalypsim, ut docet etiam Nicolaus Eymerici in secunda parte Directorii Inquisitorum quæstione 15. Qua de re vide quæ à nobis edita sunt ex veteri codice MS. in libro primo miscellaneorum pag. 213. & sequentibus. Tum de Ioanne de Belna vide quæ illic dicuntur pag. 211. & 285.

Pag. 20. SEQVENTI PENTECOSTE] Vide continuatorem Nangii ad an. MCCCXIII. in tomo XI. Spicilegii Dacheriani pag. 648.

Pag. 21. CONFESSOR SVVS] Bernardus de Montepulciano. Vide infrà pag. 53.

Pag. 22. NICOLAVS CARD.] cognomento de Freauvilla. Sed is non videtur fuisse solus. Continuator enim Nangii in tomo XI. Spicilegii Dacheriani pag. 652. de ea re loquens scribit tres tum Cardinales fuisse Lutetiæ & de causa Templariorum cognovisse ex mandato Papæ.

Pag. 22. PROPTER VEHEM. TORMENTOR.] quæ in eos adhiberi ad habendam veritatis plenitudinem promptiorem jusserat Clemens V. iis verbis quæ ab Odorico Raynaldo ad an. 1311. §. 53. referuntur. Quæri potest in hoc loco an Templariis habenda fuerit fides asserentibus se tormentis adactos ut falsa de se confiterentur, an verò existimare oporteat eos vera locutos cùm se reos esse agnoverunt nefandorum facinorum quæ eis imponebantur. Erubescit enim quisque propriam culpam fateri, ut in epistola tertia, quæ data est ad Simplicianum, ait sanctus Ambrosius. Contrà idem in epistola 72. ad Irenæum, quæ in codice Ecclesiæ Lugdunensis vocatur sermo sancti Ambrosii ad plebem, scribit nimiam severitatem extorquere plerunque terrore mendacium. Et sanctus Gregorius lib. 8. epist. 30. loquens de quodam Pompeio Episcopo injustè damnato, quia cruciatus custodia fameque crematus falsus est se commisisse ea crimina quæ ei impingebantur, ait istiusmodi confessiones extorquere afflictionem vehementem, quæ frequenter hoc agit ut & noxios sese fateri cogantur etiam innoxii. Extant autem aliquot illustria hujus rei exempla, non solùm vetera, sed etiam posteriorum temporum. Horum verò illustrius est illud quod refert sanctus Hieronymus in epistola 49. de muliere septies icta. *Vercella, Ligurum civitas,* inquit, *haud procul à radicibus Alpium sita, olim potens, nunc raro est habitatore semiruta. Hanc cùm ex more Consularis inviseret, oblatam sibi quandam mulierculam unà cum adultero (nam hoc crimen maritus impegerat) pœnali carceris horrore circumdedit. Neque multò pòst, cùm lividas carnes ungula cruenta pulsaret, & sulcatis lateribus dolor quæreret veritatem, infelicissimus juvenis volens compendio mortis longos cruciatus vitare, dum in suum mentitur sanguinem, accusavit alienum; solusque omnium miser meritò jussus est percuti, quia non reliquit innoxia unde posset negare.* Vide Matthæum Villanium lib. 10. cap. 33. Petramellarium pag. 225. in vita Pauli Aretii, & Theodericum à Niem lib. 1. de schismate cap. 45. 51.

TRES PROBOS VIROS] nimirum fratrem Guidonem Abbatem monasterii Belliloci in diœcesi Virdunensi, Petrum de Montechiello Sacristam Ecclesiæ Narbonensis, & Andream de Hugugio Canonicum Catalaunensem, ut docent literæ Cardinalium ad Bertrandum electum Papam editæ ab Odorico Raynaldo. Porrò Petrum de Montechiello, ut hoc quoque obiter dicamus, fuisse etiam Canonicum Ecclesiæ Dolensis & Capellanum Hugonis Aysselini vulgò dicti de Billiomo Cardinalis Ostiensis liquet ex testamentis ejusdem Hugonis editis à Francisco Duchesnio. Pag. 23.

QVATVOR DE GENERE SVO] nimirum Arnaldum de Cantalupo, Guillelmum Arrufati, Arnaldum de Pelagrua, & Raymundum de Gotto. De singulis agemus infrà. Pag. 24.

FILIÆ REGIS KAROLI] II. Siciliæ, quæ Beatrix vocabatur. Duxerat autem eam Azzo Marchio Estensis anno MCCCV. nullosque ex ea liberos habuit.

NEAPOLIONEM DE VRSINIS] Diaconum Cardinalem tituli sancti Adriani creatum à Nicolao IV. anno MCCLXXXVIII. in vigilia Pentecostes. Vulgò traditur eum anno MCCCXLVI. obiisse. Verùm certum est illos errare qui ita sentiunt. Etenim in libro obligationum archivi Vaticani adnotatum est eum obiisse anno MCCCXLII. die XXIII. Martii circa horam primam noctis. Et ex sermone quem in ejus funere habuit Petrus Rogerii Presbyter Cardinalis tituli sanctorum Nerei & Achillei (qui paulò pòst factus Papa, Clemens VI vocatus est) certo certiùs constat sepultum fuisse biduo pòst in Ecclesia fratrum Minorum. Sic enim legitur in titulo: *Sermo factus per Reverendum in Christo Patrem Dominum P. Cardinalem Rothomagensem*

tituli sanctorum Nerei & Achillei in domo fratrum Minorum Avinionensium in sepultura Domini Neapoleonis Cardinalis in festo annuntiationis die lunæ post ramos palmarum anno Domini MCCCXLII. Describenda sunt quædam fragmenta ex eo sermone, ex quibus facilè agnoscet lector quis quantusve fuerit hic Neapoleo. *Fuit enim*, inquit Petrus Rogerii, *magnæ industriæ in agendorum consideratione. Fuit magnæ clementiæ in singulorum dilectione. Fuit magnæ potentiæ in bonorum operatione. Fuit magnæ patientiæ in adversorum toleratione.* Et paulò post: *Sicut enim, Domini mei, vidistis, ipse erat vir totius prudentiæ, in sermone verax, in judicio justus, in consilio providus, in commisso fidelis, in interventione strenuus, in bonitate conspicuus, & in universa morum honestate præclarus.* Mortem ejus præcessisse diuturnam infirmitatem & in ea illum forti animo tenuisse patientiam docet idem sermo, singulis autem diebus dominicis communicasse quandiu ea duravit, & demum post suscepta omnia Ecclesiæ sacramenta vocatum à Domino eo tempore quo ipse transire voluit ex hoc mundo ad patrem. Demum addit Petrus eum ante mortem accepisse benedictionem apostolicam cum plena indulgentia. Hæc sunt ejus verba: *Septima & ultima causa est plena indulgentia quam sibi Dominus Papa misit efficientia & qualitas. Devotè enim recepit hanc benedictionem, per quam Dominus Papa ex potestatis plenitudine sibi collata à Christo sibi concessit plenam indulgentiam omnium peccatorum.* Vixit annis LVII. in cardinalatu, ut observat idem Petrus: *Non legitur aliquis in cardinalatu tantum vixisse, quia LVII. annis vel circa.*

Ex literis istius Neapoleonis datis anno MCCCXXX. die XIX. Aprilis, quarum breviarium extat apud Andream Duchesnium inter probationes historiæ Dominorum de Monteacuto, apparet villam de Balneolis sitam in senescahllia Bellicadri ei *dudum* datam fuisse *per Regem Philippum*, id est, pulchrum, ut opinor. Nam paulò antè ibidem pag. 156. referuntur literæ ejusdem Philippi datæ anno MCCCIII. quibus considerans dilectionis affectum quem dilectus & specialis amicus suus Neapoleo sancti Adriani Diaconus Cardinalis ad eum gerebat, eidem concedit mille florenos auri de Florentia annui redditus in thesauro suo pro se & ejus heredibus. Postea autem, ut se liberaret ab ea præstatione, ei haud dubiè dedit locum de Balneolis vice ejusdem reddituus annui. Ex quo conjecturam sumere licet falsum esse quod Odoricus Raynaldus an. 1316. §. 21. ex quadam oratione legatorum Benedicti XIII. ad Karolum VI. Regem Francorum refert, nimirum Regem Franciæ, ut hunc Neapoleonem dimoveret à proposito reducendi Romam curiam Romanam, dedisse sibi & heredibus suis villam notabilem de Balneolis. Hæc sunt verba illius oratoris: *Attendatis quid fecerunt prædecessores vestri non est diu cuidam Cardinali vocato Domino Neapoleo de Roma vel de Italia. Nam cùm vellet curiam reducere Romam, Dominus Rex Franciæ qui tunc erat dedit sibi & heredibus suis villam notabilem de Balneolis.* Eadem fide seu potiùs diligentia quidam Romanus civis anno MCCCLXXVIII. dixit Garsiæ electo Episcopo Auriensi, ut ipse testatus est in conventu Medinæ campestris, *quòd alià accideret in Francia quòd Rex Franciæ fecerat circumclaudi conclave de lignis, & dixerat quòd cremaret eos intus si non eligerent illum quem ipse vellet.* quod esse falsissimum probari nullo negotio posset, si res tanti esset. Ceterùm villa de Balneolis post mortem Neapoleonis fruitos esse Raynaldum & Iordanum de Vrsinis ejus nepotes, sed tamen aliquam contradictionem passos esse à Philippo VI. Rege Franciæ, patet ex literis Clementis VI. datis anno quarto pontificatus, quibus eos commendat eidem Regi. Postea Rex Ioannes anno MCCCLI. die XXI. Februarii iisdem nepotibus potestatem fecit vendendi dictum locum de Balneolis Guillelmo Rogerii de Belloforti Vicecomiti Turennæ. In regesto porrò senescahlliæ Nemausensis de anno MCCCXXII. fol. XI. ista leguntur: *Item inquiratur contra gentes Domini Neapoleonis & aliorum dominorum de Balneolis super armorum portatione & invasionibus factis hinc inde.* In eodem castro Papa Innocentius VI. aliquandiu tenuit inclusum fratrem Ioannem de Rupescissa Minoritam, ut docet Froissartus vol. 1. cap. 211. qui vol. 4. cap. 97. ait locum illum esse in regno Francorum.

De Neapoleone vide Vvaddingum an. 1311. §. 17. & Albericum à Rosate in l. un. Cod. de mandatis principum, ubi perperam editum est *Neapolitano* pro *Neapoleone*.

TEMPORALIBVS] Vide quæ de hoc argumento dicta sunt in additione ad caput tertium libri secundi de concordia sacerdotii & imperii.

IN VALLE NEBVLÆ] sic dicta à Nebula fluvio, ut docet Albertinus Mussatus lib. 5. de gestis Italicorum post Henricum VII. cap. 12. *Hic Nebula fluvius apud Podium Seravallis uberrimo fonte exoritur; indeque permeans per colles excidit & per planitiem quæ montibus Sumano & Catino interjacet.* Et mox: *Nebulæ hujus nuncupatione per eam oram promontoria cum vallibus nomen accepere, vocitanturque Valles Nebulæ.* Apud Ioannem Villanium lib. 10. cap. 137. 140. & in veteri historia Pistoriensium pag. 39. *Val di Nievole.* Pag. 251.

MORTVO REGE BOHEMIÆ] Vvenceslao VI. qui die XXIV. Iunii extinctus est anno MCCCV.

FILIVS SVVS] Vvenceslaus VII. de cujus cæde patrata anno MCCCVII. ista scribit Ioannes Dubravius lib. 19. historiæ Bohemicæ: *Rex accersito Henrico ex Carinthia, cui nuper sororem desponsaverat, eique cura regni administrandi dum ipse abesset commissa, pergit ire in Moraviam, ut in unum contrahat omnes copias, divertitque Olomutium in domum suburbanam qua Decani vocabatur ad captandam auram frigidiorem. Erat enim dies æstatis calidissima. Ibi exutis usque ad tunicam lineam vestibus omnibus, dum extra cubiculum solus per conclave ambulat, repente nescio quis in eum irruit, nudumque & inermem adolescentem tribus lethalibus vulneribus confodit. Cum gladio cruento Conradus quidam natione Duringus in scalis comprehensus est; sed is ab aulicis antè discerptus est quàm ut vel agnoscere parricidium vel edere auctores consciosque cadis posset.*

SORORE MARCH. MONTISF.] Irene Guillelmi VI. Marchionis Montisferrati filia ex Beatrice Castellana. Duxit autem eam Andronicus circa annum MCCLXXXV. ut docet Carolus Dufresnius Cangius in opere de familiis Byzantinis. Irene verò, mortuo absque liberis fratre Ioanne, marchionatus Montisferratensis heres in solidum extitit. Ex ea ortus est Theodorus Palæologus Marchio Montisferratensis, de quo heic sermo. Vide Indices Suritæ ad annum MCCCVIII. & Augustinum Iustinianum lib. 4. annalium Genuensium fol. 115. Fallitur autem idem Cangius dum pag. 249. scribit Theodorum anno tantùm MCCCX. iniisse possessionem marchionatus Montisferrati.

FILIAM OBIZINI] Argentinam, uti vocatur etiam in conventionibus initis anno MCCCVII. inter Karolum II. Regem Siciliæ & Genuenses. Vide Cangium ibidem pag. 249.

CAPITANEVS IANVÆ] non solus, sed primus. Etenim Capitaneus quoque cum eo erat Barnabos de Auria, ut docent eædem conventiones. Vide Albertinum Mussatum lib. 5. cap. 1. de gestis Henrici VII. Imperatoris. Abbas verò (sive magistratus aut tribunus plebis, homo plebeius, ut scribit Albertinus Mussatus initio libri quinti de gestis Henrici VII. Imperatoris, vel secularis, ut Ægidius Bellamera in cap. *Si diligenti.* de foro competenti) erat tum Nicolaus Frambe.

PRINCIPATVM ACHAIÆ] Vt locus iste, qui aliqua obscuritate laborat, intelligi facilius possit, observandum est Balduinum II. imperio Constantinopolitano spoliatum à Michaele Palæologo confugisse in Siciliam, & demum anno MCCLXVII. die XXVII. Maii fœdus apud Viterbium iniisse cum Karolo I. Rege Siciliæ, istum verò pollicitum esse se ei suppetias venturum cum magnis auxiliis hominum armatorum, & facturum ampliter sumptus in hunc exercitum. Tum Balduinus, ut quàm gratissimus erga Karolum cognosceretur, simul ut ei aliquo modo resarciret sumptum infinitum & magnum laborem quem insumpturus esset in suppetiis ferendis, illi heredibusque ejus in regno Siciliæ successuris in perpetuum dedit principatum Achaiæ & Moreæ cum omnibus juribus imperialibus, id est, summum in eam imperium; dominio & possessione feudi remanente semper penes Principem Achaiæ, qui illud deinceps sub homagio teneret à Regibus Siciliæ, uti ad hanc usque diem eo modo tenuerat ab Imperatore Constantinopolitano. Tum pactum conventum est inter eos uti Philippus filius Balduini duceret in uxorem Beatricem filiam Karoli, *cùm nubilis erit ætatis*; eæque nuptiæ anno demum MCCLXXIII. celebratæ fuerunt. Eadem tempestate, uti tradit Angelus Constantius, Despota Moreæ, qui tum erat Guillelmus de Villa-Harduini, timens sibi ac suo principatui, ut subsidium quæreret adversùs vim externam ingruentem, Philippum Karoli filium secundò genitum maritum dari obtinuit Isabellæ filiæ suæ, quam unicam habebat. Verùm matrimonium illud non coiit ob infelicem & acerbam mortem ejusdem Philippi. Anno dein MCCXCIV. die XIII. Augusti Karolus II. Rex Siciliæ eum principatum dedit filio suo Principi Tarentino, qui biennio antè uxorem duxerat Ithamarem filiam Nicephori Angeli Ducæ Comneni Despotæ Epiri veteris sive Romaniæ, & in dotem acceperat plurimas regionis illius provincias; ad quas sibi uxorique asserendas bellum transtulit in Græciam. Ea per errorem Tomara vocatur in veteri libro archivi regii Neapolitani apud Summontium lib. 3. pag. 326. ubi ita scriptum est: *Berardus de sancto Georgio legatur ad partes Romaniæ cum potestate capiendi in uxorem Philippi Tarentini Principis Tomaram filiam Domini Nigiphori Dispoti Comini Ducis & Aquinæ de Spina Ducissæ Cominæ ejus conjugis.* Ex quo loco depravato collegerunt Sammarthani uxorem Nicephori fuisse Aquinam Ducissam Cominæ, quam ex Georgio Pachymere in Andronico lib. 3. cap. 4. & lib. 5. cap. 30. constat vocatam fuisse Annam ac filiam fuisse Eulogiæ Palæologinæ, adeoque neptim Michaelis Palæologi Imperatoris, Andronici amitam, ut eam vocat idem Pachymeres. Quare sic emendandus videtur locus ex archivo Neapolitano relatus, *& Annæ Despotinæ Ducissæ Comnenæ ejus conjugis.* De Ithamare adultera agitur infrà pag. 35.

RATIONE SVI FR. PHILIPPI] Errat in hoc loco Ptolemæus Lucensis. Etenim

principatus Achaiæ non pertinebat ad Karolum II. Siciliæ Regem ob matrimonium fratris ejus Philippi cum filia Principis Achaiæ, sed propter donationem à Balduino II. Imperatore factam Karolo I. ejusque successoribus in regno Siciliæ; cujus acta edita sunt à viro clarissimo Carolo Dufresnio Cangio in appendice historiæ Constantinopolitanæ pag. 18. Ceterùm de hac Balduini donatione agens Oldradus consil. 159. ait ei pacta non fuisse servata per Dominum Karolum Regem primum, ac per consequens solutam omnem donationem factam in ipsum.

Pag. 26. DESPOTINA] Anna vidua Nicephori, quam Philippo restitisse ac superiorem evasisse docet idem Pachymeres lib. 5. cap. 30.

RATIONE INFIRM. PAPÆ] de qua dictum est suprà pag. 585.

EPS VERCELL.] Raynerius de Advocatis, electus concordi totius capituli voluntate. Sed quia Bonifacius VIII. sibi sedique apostolicæ, ut tum solebant, reservaverat provisionem episcopatus Vercellensis cùm eum vacare contingeret, cassata est electio illa, tanquam facta in contemptum reservationis. Quia tamen Canonici testati sunt se illam ignorasse, suppliciterque à Bonifacio petierunt uti de eodem Raynerio propria auctoritate provideret Ecclesiæ Vercellensi, clementissimus Pontifex eorum postulatis annuens, eis illum præesse jussit literis datis anno MCCCIII. v. Idus Augusti. Sic enim gestam rem tradit Stephanus Ferrerius Episcopus & ipse Vercellensis.

DULCINUS] filius Presbyteri Iulii de Traguntano vallis Oxolanæ in diœcesi Novariensi, ut auctor est idem Stephanus. Vide Guidonem Episcopum Helenensem in summa de hæresibus & Nicolaum Eymerici in secunda parte Directorii Inquisitorum quæst. 11.

CAPTUS FUIT] super Triverii finibus, quod est oppidum ditionis Bugellensis. Cum eo autem capti fuerunt Margareta de Tridento ejus socia & Longinus de Bergomo, qui erat de Cataneis de Sordo vel de Sacio. De ejus porrò captione literas exultationis & gaudii scripsit Papa Clemens ad Philippum IV. Regem Francorum XVII. Kal. Maii.

Pag. 27. IN SACRAMENTUM PECCABAT] Nescio unde ista hauserit Ptolemæus. Etenim Guido Episcopus Helenensis & Nicolaus Eymerici, qui omnes Dulcini hæreses & errores recensent, nullam opinionum ejus circa eucharistiam faciunt mentionem, facturi haud dubiè si tum fama fuisset illum de hoc argumento aliter sensisse quàm Ecclesiam Romanam.

NON EXAUDIENDAS] Conradus Vecerius, qui putavit summam earum fuisse de abolenda in perpetuum memoria Bonifacii, eam petitionem vocat impudentem, quamvis fateatur eam non caruisse prætextu. Hæc sunt enim ejus verba in vita Henrici VII. Imperatoris: *Neque prætextu caruit flagitatio impudens, articulis quadraginta ingenio causidicorum excogitatis, quibus Octavi mores, præter alia facinora, de hæretica impietate suggillabantur.* Nicolaus Trivettus ad annum MCCCVI. *Rex Francorum à Domino Papa ossa Bonifacii prædecessoris sui petiit ad comburendum tanquam hæretici, instantia importuna.*

OCCIDERUNT] Contrà Guido Helenensis ait eum cum Margareta consorte sua in scelere & in hæresi captum, per judicium Ecclesiæ condemnatum, cum eadem combustum fuisse. Sed hæc quæ videtur repugnantia conciliatur ex his quæ leguntur in quarta vita Clementis V. pag. 67.

REX ARRAGONUM] Vide quæ de ea re dicuntur infrà ad paginam 76.

REX KAROLUS] Siciliæ istius nominis secundus, filius fratris sancti Ludovici Regis Francorum, pater verò sancti Ludovici Episcopi Tolosani. De ejus morte agitur infrà pag. 33. Pag. 28.

PROPTER CENSUM] Verum est Clementem V. remisisse huic Karolo magnam partem pecuniarum quæ sedi apostolicæ ab eo debebantur, sed tamen non omnem summam. Remisit enim tantùm tertiam partem. Neque verum est eas fuisse debitas ob intermissam perfitationem census qui sedi Romanæ debebatur pro regno Siciliæ, ut illhic ait Ptolemæus Lucensis, sed propter æs grave quod antea Karolus acceperat ab Ecclesia in sumptus belli adversus Fredericum Arragonium suscepti, ut ipse Clemens docet in epistola ad eum scripta. Quoad verò reliqua census debiti pro regno Siciliæ, nihil remisit Clemens, sed certos terminos ei prorogavit ad solvendum, ut docet liber Arnaldi Camerarii. Debebat autem pro censu XCIII. millia & CCCXL. uncias auri. Postea tamen idem Clemens Roberto Regi Siciliæ, istius Karoli filio, ut sui in eum amoris abundantiam illi ostenderet, per authenticam bullam ab omni Cardinalium collegio subscriptam remisit id totum æs quod sedi apostolicæ debebatur ob sumptus à Papa Bonifacio VIII. suppeditatos pro bello Siculo, quemadmodum testatur Summontius.

MARCHIO ESTENSIS] Azzo X. quem Ioannes Bapt. Pigna extremo libro tertio de Principibus Atestinis ait mortuum esse anno MCCCVIII. die ultima Ianuarii. Vide historiam Cortusiorum lib. 1 cap. 9.

FILIA REGIS] Beatrice filia Karoli II. Regis Siciliæ; quæ post mortem Azzonis nupsit Bertrando Baucio Comiti Montis-caveosi, Squillacii, & Andriæ in regno Siciliæ. Ex eo matrimonio orta est Maria de Baucio nupta anno

anno MCCCXXXII. Humberto ultimo Dalphino Viennensi.

A NEPOTE SVO] Ioanne Duce Austriæ, de quo ista ad annum MCCCXI. scribit Albertus Argentinensis: *Pisis autem mensibus aliquot manente eo*, id est, Henrico VII. Imperatore, *Ioannem Ducem Austriæ occisorem Alberti Regis clam venientem de Papa* (fortè *Papia*) *& volentem Regis gratiam quærere, captum in hospitio per quendam de Salah, intuitu Ducum Austriæ commisit Pisanis. Antea enim ipsius Alberti damnaverat occisores. Qui diu ibidem honorificè tentus, in captivitate diem clausit extremum.* Vide infrà pag. 67.

Pag. 30. PENESTRINO] Petro de Capella; quem, uti postea videbimus, Clemens V. fecit Episcopum Prænestinum anno MCCCVI. post obitum Theodorici, qui obiit Burdigalæ initio mensis Decembris ejusdem anni. Causam porrò Templariorum ei fuisse commissam docent vetera horum temporum monumenta edita à viro clarissimo Petro Puteano in historia Templariorum.

QVOD CANONIZARETVR] Itaque pietati Philippi IV. Regis Francorum debent Cælestini quòd eorum conditor relatus est in album sanctorum. Confirmat hanc historiam Vualsinghamus loquens de petitionibus quas idem Philippus tum fecit Clementi V. inter quas numerat canonizationem Cælestini: *Petiit etiam sanctorum catalogo adscribi fratrem Petrum de Murrone, qui quondam fuit Papa, dictus Cælestinus quintus.* Papirius Massonus in vita ejusdem Cælestini: *Postea à Clemente Bonifacii successore, procurante Philippo Rege Francorum, cujus intererat Cælestini memoriam ad immortalitatem consecrari, in divos relatus est.* In historia Vniversitatis Paris. to. 4. pag. 167. referuntur excerpta ex quodam regesto cameræ Computorum Paris. ab an. MCCCXII. ausque ad annum MCCCXV. *Niger nuncius Cardinalis de Pergamo, qui attulit Regi nova de canonizatione sancti Petri de MoronoPapa martyris die 15. Maii apud Villars juxta Rethe, pro* 20. *floren.* 17. *lib. Paris. per Regem.* Item: *Bernardus de Cossanis Domicellus & Fertonus Hostiarius Papa, qui attulerunt Regi nova ex parte Papæ de canonizatione sancti Petri de Morono Dominica ante Ascensionem apud Petrafontem*, 80. *libr. per Martinum de Essartis.* Cardinalis de Pergamo, cujus nomen non exprimitur in his excerptis, vocabatur Guillelmus de Longis, fueratque factus Cardinalis à Cælestino. Mirum est autem Ioannem Villanium lib. 10. cap. 90. Donatum Bossium in chronico, & Ioannem Trithemium in chronico Hirsaugiensi hanc Cælestini canonizationem referre ad annum MCCCXXVIII. aut XXIX.

CVM DETESTATIONE] Et tamen eum absolvit, ut docent alii scriptores vitæ Clementis. Vide etiam Odoricum Raynaldum an. 1311. §. 50.

COMBVSTA ECCL. LATER.] Pag. 31. Abrahamus Bzovius an. 1308. §. 12. adnotat Clementem, cùm fama hujus incendii ad eum perlata fuit, Carolo Regi Siciliæ injunxisse ut ex regni Ecclesiæ sylvis ligna & trabes in reparationem exscindi atque Romam convehi juberet. Inveni autem in codice 2578. bibliothecæ Colbertinæ epistolam ejusdem argumenti scriptam ad Fredericum Regem Trinacriæ. Eadem edita est ab Andrea Victorello in additionibus ad Ciaconium. Vide Odoricum Raynaldum an. 1308. §. 10.

PROCESSVS CONTRA VENETOS] Pag. 32. Liber Arnaldi Camerarii: *Duo instrumenta confecta, unum in consilio publico & communi, aliud privato & secreto communis civitatis Ferrariensis super ambaxiata mittenda Domino Clementi Papæ quinto ad conquerendum de communi Venetiarum, quod eos hostiliter invaserat & intulerat multa damna, & petendum succursum & juvamen à sancta Romana Ecclesia, cujus sunt peculiares filii & subjecti.* Habemus autem processus à Clemente factos adversùs Rempublicam Venetam, quos invenimus in archivo regio Parisiensi & in codice 128. bibliothecæ Colbertinæ, quos verò commemorat etiam Odoricus Raynaldus an. 1309. §. 6. Idem liber Arnaldi Camerarii: *Procuratorium Venetorum non admissum, quia nimis generale, nec aliàs sufficiens, factum anno Domini* MCCCIX. *Venetiis.* Et mox: *Aliud procuratorium Venetiarum ultimum admissum, directum Domino Clementi Papæ V. ad confitendum & petendum humiliter absolutionis beneficium & relaxationem interdicti pro injuriis & damnis datis per eos communi Ferrariensi & aliis, & jurandum de stando mandatis sanctæ matris Ecclesiæ, anno Domini* MCCCX. *Venetiis.*

CONSANGVINEVS GERM. PAPÆ] Affinem quoque vocant Bzovius an. 1308. §. 7. & Vvaddingus an. 1313. §. 4. At Ioannes Villanius lib. 8. cap. 115. Boninsegnius pag. 131. Ghirardaccius lib. 16. hist. Bonon. pag. 527. 553. & Pellinus par. 1. lib. 5. hist. Perus. pag. 358. eum scribunt fuisse nepotem Clementis. Extat autem in tomo tertio libertatum Ecclesiæ Anglicanæ pag. 1155. vetus catalogus Cardinalium tum viventium, & de Arnaldo Pelagrua sic ibi scriptum est: *Dominus Arnaldus de Pelagrue, nepos Papæ, sanctæ Mariæ in Porticu Diaconus Cardinalis.* Ista autem repugnantia sic mihi videntur posse conciliari ut dicamus hunc Cardinalem, quamvis revera non fuerit nepos Papæ, nepotem tamen ejus eo modo dictum esse quo infrà pag. 73. Bernardus Guidonis nepotem ejusdem Clementis vocat Bernardum de Garuo, qui erat

filius consanguineæ germanæ Clementis.

Pag. 33. EPISCOPATVM LVCANVM] Hinc patet Henricum, qui à Bonifacio VIII. factus est Episcopus Lucanus, diversum esse ab eo qui Ioannis XXII. pontificatu tenuit cathedram illam. Nam si ea vacabat anno MCCCIX. manifestum est Henricum à Bonifacio institutum desiisse esse Episcopum Lucanum. De ultimo porrò intelligenda sunt quæ leguntur in libro primo miscellaneorum nostrorum pag. 271.

INTERIORIBVS] civibus Ianuensibus qui, recedentibus Grimaldis, remanserant in civitate. De Grimaldorum verò rebus, qualis esset eorum status illo tempore, luculenter docent conventiones initæ anno MCCCVII. inter Karolum II. Regem Siciliæ & Ianuenses. Vide etiam Albertinum Mussatum initio libri quinti de gestis Henrici VII. Imperatoris.

Pag. 34. AMBASIATORES HENRICI] Otto nimirum Basileensis & Sifridus Curiensis Episcopi, Amedeus Comes Sabaudiæ, Ioannes Dalphinus Viennensis & Comes Albonensis, Guido de Flandria, Ioannes Comes de Seraponte, & Simon de Marvilla Thesaurarius Metensis, ut patet ex literis ejusdem Henrici tum scriptis ad Clementem Papam. Extant in codice 9919. bibliothecæ regiæ rerum ea tempestate gestarum testes literæ eædem & quas scripsit Clemens, tum etiam decretum electionis, & instrumentum fidelitatis præstitum Domino Papæ per eosdem nuntios & procuratores Regis Romanorum. Recenset autem easdem res liber Arnaldi Camerarii, earumque partem aliquam edidit Odoricus Raynaldus in annalibus ecclesiasticis an. 1309. §. 9. & seqq. De electione porrò Henrici VII. Imperatoris vide quæ scripta sunt in libro primo miscellaneorum nostrorum pag. 110. & seqq.

Pag. 35. REGIS KAROLI] II. Siciliæ. Itaque ista præpostero ordine posita sunt. Debuerant enim poni ante mortem Karoli.

FILIA DESPOTI] vocata Ithamar, uti dictum est suprà pag. 604.

COMES CAMERARIVS] Bartholomæus Siginulfus Comes Telesinus, post quem Comitis Camerarii dignitate ornatus est Ioannes de Monteforti Comes Squillacii, ut scribit Summontius.

Pag. 37. EXCEPTIONES PRO DEFENSIONE] Extat in codice 506. bibliothecæ Colbertinæ tractatus eo tempore editus contra articulos inventos ad diffamandum sanctissimum Patrem Bonifacium Papam sanctæ memoriæ.

PAR IN PAREM] Sumptum est istud ex Innocentio III. in cap. *Innotuit.* de elect. & el. potestate. Certa est hæc regula apud Iurisconsultos. Hic tamen locus est magni momenti. Ostendit enim ea quoque tempestate persuasum fuisse Concilium esse supra Papam, cùm Ptolemæus Lucensis scribat ex sensu defensorum Bonifacii non potuisse Clementem V. cognoscere de criminibus impositis Bonifacio, cùm par in parem potestatem non habeat, sed hanc causam reservandam esse soli Concilio.

Pag. 38. DNS TYRENSIS] Amauricus, cujus extat epistola ad Clementem V. de causa Templariorum, in qua se vocat regni Cypri gubernatorem & rectorem. Vide Odoricum Raynaldum an. 1308. §. 37. 38. De Isabella Amaurici vidua & Henrico ejus filio, qui in carcere apud Armenos obierunt, vide eundem Raynaldum an. 1323. §. 13.

Pag. 39. IN MODOETIA] Albertinus Mussatus lib. 1. de gestis Henrici VII. Imperatoris de ea re loquens: *Quamquam disceptatum an Madoecia id fieri oportuerit, ut plurimum moris antiqui fuerat. Decisum tamen est illic fieri nihil interesse.* Sic enim ibi legendum & emendandum est.

Pag. 41. EPM SABINENSEM] Arnaldum de Falgueriis, de quo pluribus agemus ad quartam vitam Clementis V.

LEONARDVS DE GARCINO] Codex regius habet *Guarino*, Albertinus Mussatus initio libri 4. *Guercino*, Iosephus Pamphilius in chronico Augustiniano *Quercino*, in collectaneis Petri Puttani de dissidio Bonifacii VIII. & Philippi pulcri *Gartino*. Alii eum vocant Leonardum Patrassum de Guerrino. In tomo tertio libertatum Ecclesiæ Anglicanæ pag. 1154. vocatur *Leonardus de Gvvarchino* per errorem, ut videtur, cùm legendum sit *Guarchino*. Eum Bonifacius VIII. ab archiepiscopatu Capuano transtulit ad episcopatum Albanensem.

OSTIENSIS] ad hunc episcopatum à Spoletano translatus à Benedicto XI. anno MCCCIII. die XVIII. Decembris. De eo ita Albertinus Mussatus lib. 5. *Ipse quidem Pratensis erat pagi juxta Florentiam urbem, plebeio genere, magnæ virtutis ac sapientiæ vir.*

LVCAS DE FLISCO] In libro obligationum archivi Vaticani adnotatum est eum obiisse anno MCCCXXXVI. die ultima Ianuarii. Excerpta autem è regestis parlamenti Parisiensis edita inter probationes historiæ Cardinalium Gallorum pag. 270. docent Benedictum XII. ei post mortem Petri de Mortuomari Cardinalis contulisse archidiaconatum Constantini in Ecclesia Constantiensi; quo fruitum eum esse constat brevi tempore, cùm certum sit Petrum de Mortuomari obiisse anno MCCCXXV. die XIV. Aprilis. De Luca porrò vide, præter ceteros, Odoricum Raynaldum an. 1327. §. 41. 1328. §. 73. & in addendis to. XV. an. 1317. §. 48. & Albertinum Mussatum lib. 4. de gestis Henrici VII. c. 5. 6.

FRATER REGIS ROMANOR.] Albertinus Mussatus lib. 3. cap. 13. de gestis Henrici VII. Imperatoris: *Sed ecce diebus his fortuiti casus deplorandos eventus, qui Golerani Regis fratris ad spectaculum immissi ignis per Brixianos interiores in ligneum propugnaculum, quod ad superandos urbis muros Germani construxerant, occurrentis tragula gulam trajecit, lethaleque hoc vulnus illum paucos post dies vita exuit: cujus corpus Veronæ delatum, magnificis exequiis humatum est.* Vide Laurentii Pignorii Spicilegium in historiam ejusdem Albertini pag. 19.

REGINA IBI MORTUA EST] Margareta Henrici VII. Imperatoris uxor, uti scriptum est infrà pag. 91. & in vita Karoli IV. Imp. ab ipsomet Karolo scripta. Albertus tamen Argentinensis pag. 117. eam vocat Beatricem, qui tradit illam sepultam esse Genuæ apud Minores. Vvaddingus quoque anno 1311. §. 4. eam vocat Beatricem. Vide Albertinum Mussatum lib. 5. de gestis ejusdem Henrici, & vitam Baldevvini Archiepiscopi Trevir. lib. 2. cap. 13.

Pag. 44. FRATREM S. IOHANNEM] Vide Albertinum Mussatum lib. 5. cap. 6. de gestis Henrici VII. Imp. & veterem historiam Pistoriensium. pag. 49.

GILBERTO] de Corrigia Parmæ dominatori, ut eum vocat Albertinus Mussatus in initio libri septimi de gestis Italicorum post Henricum VII. Cæsarem. Eundem Cremonæ quoque præsedisse scribit lib. 12. de gestis ejusdem Henrici. Ob hoc autem quòd Parmæ dominaretur, Ptolemæus Lucensis illum paulò pòst vocat Gilbertum de Parma. Vide Ioannem Villanium lib. 8. cap. 93. historiam Cortusiorum lib. 1. cap. 23. & Vvaddingum an. 1321. §. 42.

DIE SEXTA DECEMBR.] In libro obligationum archivi Vaticani, ex quo Contelorius sua accepit, scriptum est obiisse eum die septima Decembris. Ex quo colligi certò posse videtur ejus mortem evenisse initio ejusdem mensis. Mortuum autem esse apud Lucam testatur etiam Albertinus Mussatus lib. 5. de gestis Henrici VII. Imp. pag. 28. *Albanensis namque jam apud Lucam morbo migraverat.*

LORICE] In codice regio legitur *Borice*, ubi sic scriptum est: *proprium loci indeclinabile.* Ex libro autem secundo vitæ Baldevvini Archiepiscopi Trevirensis, quæ à nobis olim edita est in libro primo miscellaneorum, cap. 13. & ex Ioanne Villanio lib. 9. cap. 36. apparet hunc locum fuisse proximum portui Veneris.

Pag. 45. IMPEDIVERUNT] Puto legendum esse *impetraverunt*. Nam certum est Clementem V. edidisse tum bullam adversùs eos qui Roberto Regi Siciliæ adversarentur, cujuscunque illi dignitatis essent, etiam imperialis. Extant enim apud Albertinum Mussatum lib. 16. de gestis Henrici VII. Imp. pag. 90. & apud Odoricum Raynaldum an. 1313. §. 21. literæ harum rerum testes, in quibus inter cetera sic legitur: *etiamsi pontificali, vel imperiali, sive regali, aut quacunque alia præfulgeant dignitate.* Scripserat autem paulò antè Philippus IV. Rex Franciæ literas ad Clementem in gratiam Roberti, quæ editæ sunt ab Albertino Mussato & Odorico Raynaldo. Vide infrà pag. 53. 94.

PHILIPP. DE PAPIA] de quo vide Ioannem Villanium lib. 9. cap. 54. Albertinum Mussatum lib. 2. de gestis Henrici VII. Imp. cap. 5. & historiam Cortusiorum lib. 1. cap. 12. Pag. 46.

RICARDUS DE CAMINO] Tarvisii, Feltri, & Belluni Vicarius institutus ab Henrico VII. Imperatore, ut tradit Albertinus Mussatus lib. 2. de gestis ejusdem Henrici cap. 7. & lib. 3. cap. 9. De ejus cæde sic legitur in historia Cortusiorum lib. 1. cap. 17. *Vir nobilis Dominus Rizardus de Camino Vicarius in Tarvisio pro imperio, dum more nobilium scachis luderet pro solatio, quidam rusticus appropinquavit ad eum, & amota chlamyde sua, griseo clam traxit de subclamide suo ronconem ferreum, & virum nobilem percussit in capite, qui statim à circumstantibus fuit crudeliter laceratus.* Et infrà: *Post cujus mortem D. Guezilus ejus frater factus fuit dominus, omnibus annuentibus, in Tarvisio.* De posteritate eorum vide lib. 5. c. 8. 9. lib. 6. cap. 2. §. 5. lib. 7. cap. 11. In codice 755. bibliothecæ Colbertinæ continentur informationes factæ anno MCCCXXXVIII. per Dominum Bernardum de Lacu nuntium apostolicæ sedis in partibus Lombardiæ super bonis Rizardi de Camino, quæ dicebantur pertinere ad sedem apostolicam.

EPO LEODIENSI] quem Albertus quoque Argentinensis, qui eum Henrici Imperatoris consanguineum fuisse ait, in ejusmodi pugnis occisum esse testatur. Vide Albertinum Mussatum lib. 8. de gestis Henrici VII. cap. 5. & Ioan. Villanium lib. 9. cap. 42. Ioannes Hocsemius cap. 32. ait eum captum esse ab adversariis Imperatoris & obiisse anno Domini MCCCXII. XIII. die Maii, *quem frater Regis Roberti in porticu Ecclesiæ sancti Petri in capella Papæ fecit solemniter sepeliri.* Vocabatur ille Theobaldus de Barro. Pag. 47.

POSUIT SE IN FERETRO] Simile exemplum eadem ferme tempestate datum est apud Tolosam, ubi anno MCCCXXVII. Guillelmus de Escalquencis Consul ejusdem urbis exequias suas vivus celebrans in Ecclesia fratrum Prædicatorum, posuit se in Pag. 48.

feretro; & mox peractis funeris solemnibus, *feretrum cum corpore apportatum fuit tanquam sepulturæ demandandum & prope majus altare depositum. Et inde cum collegis suis domum repetit, & ibi prandio funebri donati sunt.* Aberat tum Guillelmus de Lauduno Archiepiscopus Tolosanus. Is verò paulò pòst redux, novitate rei commotus, *convocavit synodum suorum suffraganeorum & omnium Abbatum suæ provinciæ*; ibique decretum est sub pœna excommunicationis ne quis deinceps talia superstitiosa præsumeret. Ita enim rem gestam narrat Guillelmus Bardinus in historia chronologica parlamentorum linguæ Occitanæ. In Concilio Toletano XVII. cap. V. legimus quosdam sacerdotes Missam pro requie defunctorum promulgatam fallaci voto celebrare solitos pro vivis hominibus.

Pag. 49. LEGATVS PAPÆ] Duos tum Papæ nuncios fuisse in Anglia docet Vvalsinghamus, Arnaldum videlicet Novelli Presbyterum Cardinalem tituli sanctæ Priscæ, & Arnaldum de Auxio Episcopum Albanensem, uttumque autem se interposuisse in istam pacificationem.

ANICISSAM] Alius codex habet *Aviritam*.

XV. DIE DECEMBR.] Vvalsinghamus ad annum MCCCXII. *Eodem anno die Iovis in crastino sanctæ Luciæ virginis eclipsis lunæ incepit in noctis crepusculo, & per trium horarum spatium perduravit.*

Pag. 50. ARCHIEPS AQVENSIS] Guillelmus de Mandagoto.

BITERRENSIS] Berengarius Fredoli.

ABBAS S. SEVERI] Raymundus.

DVO FAMILIARES PAPÆ] Guillelmus Testa & Arnaldus de Auxio.

BACHALLARIVS] Michael de Recco.

[De his plutiribus agemus ad tertiam vitam Clementis V. pag. 59.]

Pag. 51. DVAS FILIAS KAROLI] Catharinam, de qua dictum est suprà, & Mariam. Philippus ergo priorem duxit; aliam dedit uxorem Karolo filio suo, si vera fides. Cogor enim observare hujus Karoli uxorem non fuisse Mariam Valesiam, quamvis continuator Nangii in tomo XI. Spicilegii Dacheriani pag. 649. hanc narrationem confirmare videatur, sed Margaretam Sabaudicam filiam Philippi ex Isabella filia Guillelmi de Villa-Harduini Principis Achaiæ. Mater porrò earum non erat filia Imperatoris Balduini, sed neptis, filia nimirum filii ejus Philippi & Beatricis Siculæ. Sanè verum est Catharinam fuisse desponsam Hugoni filio Roberti II. Ducis Burgundiæ. Sed hæ conventiones frustra fuere, uti monuimus suprà pag. 579.

RATIFICASSE RENVNTIATIONEM] Adhuc enim, etiam post Bonifacii VIII. constitutionem, dubitatum fuit an liceret Romano Pontifici renuntiare dignitati suæ, ut patet ex glossatoribus libri sexti. Sed heic quæri potest an Clemens V. potuerit ratificare renuntiationem Cælestini, cùm secundùm regulam suprà pag. 57. prolatam par in parem non habeat potestatem. Sanè Ioannes Andreæ in cap. *Quoniam.* de renuntiat. in 6. ait Papam renuntiare cupientem non habere superiorem cujus ratificatio requiratur. Prævidit Bonifacius hanc difficultatem; & ut futuris malis occurreret, quæ ei evenire possent si Cælestinus niteretur redire ad suam eremum, illum ex itinere retraxit, & in arcem Fumonis conjecit, ubi non ita multò pòst extinctus est, *ac mandato impii tyranni*, ut verbis utar Papirii Massoni, *conditur in tumulo alto pedes viginti & amplius.*

DE MANV LEGATI] Nicolai de Freauvilla. Vide continuatorem Nangii in tomo XI. Spicilegii Dacheriani pag. 649. & Chronicon Rothomagense editum à viro clarissimo Philippo Labbeo. Pag. 52.

MORTE NATVRALI] cujus causas multiplices accuratè describit Albertinus Mussatus lib. 16. de gestis ejusdem Henrici. Pag. 53.

VENENVM IN EVCHARISTIA] Albertus Krantzius lib. 9. Saxoniæ cap. 7. *Signa veneni in cadavere apparuisse multi scribunt. Ptolemæus verò Lucensis affirmat veneno eum periisse à Prædicatorum ordinis fratre in eucharistia dato.* Sed istud verum non est. Itaque oportet Albertum incidisse in quendam codicem falsò inscriptum nomine Ptolemæi, ei Vaticano haud dubiè similem cujus fragmentum refertur apud Bzovium an. 1313. §. 17. Albertus verò Argentinensis ex rumoribus illorum temporum scribit hunc Prædicatorem venenum sub ungue digiti tenentem absconsum, illud post communionem potui Cæsaris immiscuisse & illico discessisse. Vide lib. 1. miscellaneorum nostrorum pag. 163.

FECIT CONSTITVTIONEM] de qua dictum est paulò antè pag. 612. Vide etiam infrà pag. 94.

NON INCIDEBAT IN SENTENTIAM] Et tamen Albertinus Mussatus ejusdem Henrici infortunia & mortem imputat Ipreræ ab eo constitutioni apostolicæ. *Cavenda nimis*, inquit, *sacrosanctæ matris Ecclesiæ offensa Christicolis, tùm & hujus prædecessorem fuderit apostolica sententia Fridericum, in quem cum prole tota veluti fulmen jaculata irreparabile tulit exitium. Et hic quoque Henricus secunda pacis vexillo in Italiam auspiciis ductus Ecclesiæ, quæ voluit obtinuit, simul arridente fortuna. Verùm mutatis velis, versis ad oppositum gubernaculis, adverso sydere soluta classis profundum oppetiit. Siquidem*

rescripti jam sola mente transgressor apostolici, quo inhibitus Roberti regnum invadere, adverso ferente spiritu, suopte frustratus ingenio &c.

Pag. 54. QVARTA DE REVOCATIONE] Extat in cap. *Pastoralis.* de sent. & re judic. in Clementinis. Baldus in cap. *Bonæ memoriæ.* de electione ita scribit: *Rex Robertus quicquid faciebat [faciebat] pro statu Ecclesiæ & ne Henricus Imperator invaderet Romam & Apuliam. Ideo ratio & natura Regem Robertum protexerunt à barbara natione.* In codice 446. bibliothecæ Colbertinæ extant *Allegationes super c. Pastoralis. de re judic. in Clement. scilicet an citatio facta per Imperatorem contra Regem Robertum valeat.*

MARCHIONIS NEPOTIS PAPÆ] Vide Albertinum Mussatum lib. 11. de gestis Henrici VII. pag. 60. & lib. 12. pag. 67. qui eum vocat Marchionem Anchonitanum. Apud Continuatorem Nangii in tomo XI. Spicilegii Dacheriani pag. 701. habetur mentio Marchionis de Aguonitano nepotis Clementis V. Vide Sillingardum in catalogo Episcoporum Mutinensium pag. 109. Ioannem Baptistam Pignam lib. 4. historiæ Principum Estensium pag. 301. editionis Venetæ, & Cherubinum Ghirardaccium lib. 16. hist. Bonon. pag. 539. & seq.

Pag. 56. CONSTITVT. CONTRA RELIGIOSOS] Aventinus pag. 747. primæ editionis: *Hunc adversarium fuisse mendicanti religioni referunt.* Et tamen in actis processus fratris Bernardi Delitiosi ordinis Minorum editis anno MCCCXIX. adnotatum est eundem Bernardum interrogatum à judicibus delegaris die XVIII. Novembris dixisse hunc Clementem fuisse amicum fratrum Prædicatorum, *& quòd Papa erat tunc Prædicator.* Et Vvaddingus an. 1312. §. 6. observat eundem ordini fratrum Minorum à tenera ætatula addictissimum fuisse; idque probat auctoritate Clementinæ *Exivi de paradiso*, ubi Clemens ait: *Nos igitur, cujus animus ab ætate tenera pia devotione efferbuit ad hujusmodi professores regulæ & ad ordinem ipsum totum &c.*

Pag. 61. PATRE BERAVDO] qui Bernardus vocatur in quibusdam codicibus, in aliis verò Bertrandus. Difficile est autem certò pronuntiare de nomine ejus. Quamquam, si ex actis horum temporum capere licet conjecturam, videtur vocatus fuisse Bertrandus. Etenim in regesto cameræ computorum Paris. signato F F fol. 9. cùm describuntur acta quædam Aquitanica anni MCCLXX. sic legitur: *Item III. die exitus Marcii anno supradicto Bertrandus deu Guot Miles juratus recognovit se tenere à Domino Rege Angliæ totam terram de Grayan, quam Dominus Episcopus Agennensis dedit sibi. Item dixit quòd Dominus Rex Angliæ cum littera sua ipsum de tota dicta terra investivit.*

Bertrandus ille fratrem habuit cognominem Episcopum Agennensem, qui avunculus sive patruus Clementis V. vocatur à Bernardo Guidonis in historia monasterii Pruliani, & anno MCCCV. Lugdunum profectus est cum nepote. Testatur autem iste in codice 47. bibliothecæ Colbertinæ fol. 29. & seqq. se fuisse filium Marquesiæ de Ilhaco, & Blauquafortem in parrochia sancti Severini de Ramafort in diœcesi Burdegalensi in dote ejusdem Marquesiæ fuisse. Eadem pro more illorum temporum fol. 32. ejusdem codicis vocatur *Marquesa deu Guot* propter maritum. Bertrandus porrò ab Ecclesia Agennensi translatus est ad Lingonensem à Clemente Papa, & rursum rediit ad Agennensem, ubi eum fuisse Episcopum anno MCCCXI. patet ex eodem veteri codice bibliothecæ Colbertinæ.

Fuit ergo Clemens ortus ex prima nobilitate, ut omnes omnino scriptores consentiunt. Quare jure meritòque Hieronymus-Lopes in historia Ecclesiæ Burdegalensis pag. 240. reprehendit Petrum Louvetum in historia Aquitaniæ non ita pridem edita scribentem pag. 113. ex incertis imperitissimi vulgi rumoribus Clementem adeo pauperem fuisse ut quotidie nudis pedibus è domo paterna in urbem Vasatensem causa studiorum proficisceretur, pane solo victitantem, calceis à sutore donatum esse præ misericordia, & cùm puer eos accipere nollet quòd non esset solvendo, sutorem respondisse illum eos soluturum cùm Papa esset. quod ex vita Sixti V. imitatum apparet. Ridiculum autem est existimare eum qui ex ea nobilitate ortus erat, cujus parentes possessionibus & latifundiis abundabant, adeo miseram vitam duxisse ut etiam omnibus necessariis indigeret.

Clemens V. fratres habuit Galhardum mortuum Lugduni anno MCCCV. & Arnaldum Garsiæ, quem Odoricus Raynaldus an. 1306. §. 9. docet fuisse ab eodem Clemente constitutum rectorem ducatus Spoletani.

Ex Galhardo ortus est Raymundus Arnaldi de Guto dominus de Pessaco & de Roalhaco, qui liberos ex Mabilia conjuge habuit Galhardum, Brunam, Marquesiam, & Cæciliam, ut patet ex testamento ejus edito inter probationes historiæ Cardinalium Gallorum pag. 256.

Arnaldus Garsiæ vicecomitatum Leomaniæ & Altivillaris anno MCCCV. in familiam suam intulit. Fuerat ille olim Vicecomitum illius nominis. Sed cùm Arnaldus filius Ottonis, quamquam duo matrimonia expertus, duas tantum filias Mascarosam & Philippam & unicum filium Vezianum post se reliquisset, & Mascarosa & Vezianus decessissent ex hac vita

absque liberis, Philippa, quæ Heliæ Talayrandi filio Archambaldi Comitis Petragoricensis, qui & ipse postea fuit Comes, nupta erat, Vicecomitissa Leomaniæ fuit post fratrem, qui circa annum MCCLXXX. videtur extinctus fuisse, adeoque amplam hanc possessionem addidit titulis mariti. Porrò quia vicecomitatus ille non erat in dote Philippæ, sed ei post nuptias evenerat, ipsa illum titulo donationis contulit in maritum; & Marquesia utriusque filia, quæ institutum monialium ordinis sanctæ Claræ arripuit in conventu Petragoricensi, quicquid juris habebat seu habere poterat in eodem vicecomitatu transtulit in eundem Heliam patrem suum. Hinc Helias se Vicecomitem Leomaniæ tulit. Anno dein MCCCI. mense Novembri, permutatione facta cum Rege Franciæ Philippo, hunc vicecomitatum eidem Philippo & heredibus successoribusque ejus concessit. Is verò Philippo filio suo, cui cognomen longo postea hæsit, eum dedit. Iste anno MCCCV. die X. Decembris apud Lugdunum ei donationi renuntiavit. Et quatriduo pòst pater ejus Philippus Rex *considerans*, sunt verba regiarum literarum, *& regardant le bon portement, la grande loyauté, & la ferme constance qu'il avoit tousjours trouvé en Arnault Garsie de Got Chevalier frere de N. S. P. le Pape & en Bertrand fils du susdit Chevalier & en ceux de leur lignage, & les bons & agreables services qu'ils luy avoient faits, en remuneration d'iceux services & en recompensation de certaines terres & rentes qu'il avoit delaissié au Duché d'Aquitaine*, eisdem Arnaldo & Bertrando & heredibus successoribusque eorundem in perpetuum dedit eundem vicecomitatum. Quia verò contingere facilè poterat ut qui earundem Philippæ & Marquesiæ affines erant & propinqui eundem vicecomitatum repeterent ex jure successionis, visum fuit expedire bono novorum Vicecomitum ut Aremburgis Abbatissa Clarissarum Petragoricensium, quæ soror erat Heliæ Talayrandi Comitis Petragoricensis, & totus monialium conventus eisdem Arnaldo & Bertrando cederent ea possessione. Ita enim contigisse colligitur ex bulla Clementis V. data Pictavis X. Kalend. Aprilis anno tertio; in qua continetur illum nobilibus Arnaldo Garsiæ del Got Vicecomiti Leomaniæ & Altivillaris & Bertrando ejus filio indulsisse ut possent retinere dictos vicecomitatus, quos eis cesserant Aremburgis Abbatissa & conventus Minorissarum Petragoricensium, ad quas pertinebant ratione Marquesiæ filiæ nobilis viri Heliæ Talayrandi Comitis Petragoricensis & quondam Philippæ uxoris ejus Vicecomitissæ vicecomitatuum prædictorum matris dictæ Marquesiæ, quæ matri successerat & in monasterio Petragoricensi professa erat.

Diù antè Arnaldus Garsiæ duxerat in matrimonium Miramondam de Maloleone filiam Corbarani de Maloleone nobilis Navarri, cujus mentio habetur in collectaneis de dissidio Bonifacii VIII. & Philippi pulcri pag. 131. Ex ea procreavit Bertrandum, qui Vicecomes Leomaniæ & Altivillaris fuit post patrem, Raymundum Diaconum Cardinalem tituli S. Mariæ novæ, Reginam, Marquesiam, Indiam, & Ælipdem. *Oihenartus in Notitia Vasconiæ pag.* 441. Obiit autem anno MCCCXI. & sepultus est in monasterio Altivillarensi fratrum Prædicatorum. Bernardus Guidonis in historia ejusdem monasterii: *Tempore prioratus sui* (id est, fratris Raymundi de Capella Prioris Altivillarensis) *obiit & sepultus fuit in Ecclesia fratrum Dominus Arnaldus Garssia frater Domini Clementis Papæ, Vicecomes Leomaniæ, anno Domini MCCCXI. in mense Ianuarii.*

Bertrandus studiis literarum dedit operam in academia Tolosana, ut docet magister Arnaldus Garsiæ de Albia clericus testis productus in causa fratris Bernardi Delitiosi. Sic enim legitur in actis: *Item dixit quòd postmodum ipse qui loquitur, cavens de persona & rebus suis propter tractatum supradictum, recessit de Albia, & ivit Burdigalam ad Dominum Raymundum de Goto nepotem quondam Domini Papæ Clementis, qui postmodum fuit Cardinalis; quia priùs fuerat socius in studio Tolosano Bertrandi de Goto fratris ejusdem Domini Raymundi.* Postea Beatricem filiam Bertrandi Vicecomitis Lautricensis vinculo conjugali sibi sociavit, ex eaque genuit Reginam uxorem Ioannis Comitis Armaniacensis & Braydam uxorem Raynaudi Vicecomitis Bruniquelli. Acquisivit autem emptione castrum de Montilhiis in comitatu Veneyssino prope Carpentoratensem civitatem. Liber Arnaldi Camerarii: *Item transumptum instrumenti venditionis castri de Moutilhiis comitatus Veneyssini; quod fuit venditum per Barrallum & Agotum deu Baus fratres Domino Bertrando deu Got Vicecomiti Leomaniæ & Altivillaris. Datum anno Domini MCCCXIII. die VIII. mensis Maii.* Anno MCCCXII. die prima Februarii Eduardus II. Rex Angliæ ita loquitur in literis quæ extant in regesto XLVI. archivi regii Paris. cap. 233. *Dudum nobilem virum Bertrandum del Got Dominum de Duracio viri nobilis Arnaldi Garsia Leomaniæ & Altivillaris Vicecomitis natum prosequi volentes munere gratioso, sibi & heredibus suis de suo corpore procreatis castrum & villam de Blanchafort cum suis juribus &c. meminimus donavisse.* Tum in literis die decima ejusdem mensis datis apud Barenvvicum supra Tvvedam in Scotia, quæ extant in eodem re-

gesto, confirmat hoc donum, & de novo dat ei castrum de Podio Guillelmi & Bastidam Montis securi Vasatensis & Petragoricensis diocesium. Demum in aliis literis datis apud Malumdunum prope Pontisaram an. MCCCXIII. die septima Iulii, quæ in alio ejusdem archivi regii regesto habentur, testatur se antea dedisse nobili viro Bertrando de Gutto Vicecomiti Leomaniæ & Altivillaris castrum & villam de Blancaforti cum juribus & pertinentiis suis in diocesi Burdegalensi, castrum & castellaniam Podii Guillelmi in diocesi Petragoricensi, & Bastidam Montis securi Vasatensis diocesis, castrum de S. Claro, & Bastidas de Dunas & de Donzaeo diocesis Agennensis & Lectorensis. Eidem Carolus filius Roberti Regis Siciliæ dedit eam partem loci vocati Pertusii quam ipsi vendiderat Bertrandus Comes Avellini, ut docet fragmentum editum in annalibus Massilienfibus pag. 396. Anno MCCCXII. posuit primarium lapidem in Ecclesia Altivillarensi fratrum Prædicatorum. Bernardus Guidonis statim post verba paulò antè relata: *Item anno Domini* MCCCXII. III. *Kal. Septembris, in crastino decollationis sancti Iohannis Baptistæ, fuit fundata Ecclesia fratrum; & primarium lapidem posuit ibi Dominus Bertrandus del Got filius & heres præfati Domini Arnaldi, Vicecomes & Marchio, nepósque Domini Clementis Papæ.* Mortuo demum Clemente V. Bertrandi patruo, Ioannes XXII. eum damnavit de repetundis; extantque ea de re testimonia in regesto Ioannis XXII. bibliothecæ Colbertinæ, cum etiam in codice Avenionensi citato ab Odorico Raynaldo an 1314. §. 14. Post Bertrandi mortem uxor ejus Beatrix ex altero matrimonio habuit Philippum & Bertandum de Levis. Extincto dein secundo viro, cùm filii ejus litem in parlamento Parisiensi adversùs eam movissent tanquam patrimonia sua profundentem fortunasque dissipantem, ei dati sunt curatores iidem Philippus & Bertrandus. Ipsa interim, pendente lite, nupsit Rogero de Barta scucifero annos tantùm viginti quinque nato. Is videtur supervixisse Beatrici, quam puto mortuam fuisse anno MCCCXLIII. aut circiter. Certè mortua erat anno MCCCXLVII. quo filius ejus Philippus se Vicecomitem Lautricensem ferebat. In veteribus quibusdam actis anni XII. regni Eduardi III. Regis Angliæ reperi mentionem Arnaldi Garsiæ de Gout, dicti Gastul, domini de Podio Guillelmi, in actis verò anni MCCCXLI. Bertrandi de Gutto Domicelli domini castri d'Andorte Vasatensis diocesis prope sanctum Macarium, qui filius illie & heres dicitur defuncti Guillelmi Raymundi de Gutto Militis.

Sed ut ad posteritatem Bertrandi redeamus, Regina heres ejus universalis moriens sine liberis testamentum condidit an. MCCCXXV. pridie Idus Augusti, quo heredem instituit Ioannem Comitem Armaniacensem virum suum; eaque ratione vicecomitatus Leomaniæ & Altivillaris additus est ceteris possessionibus Comitum Armaniacensium. Verùm decennio pòst Ioannes totum jus quod habebat in eodem vicecomitatu transtulit in Philippum cognomento Valesium Regem Francorum, ut constac ex verbis archivi regii Paris. relatis à Francisco Duchesnio in historia Cancellariorum Franciæ pag. 322.

Adeo autem mali exempli visum est illud Reginæ testamentum ut cùm postea idem Ioannes Comes Armaniacensis matrimonium contraheret cum Beatrice Claromontana, ante omnia conventum est anno MCCCXXVII. mense Maio *qu'elle ne pourra ordener ou temps à venir ne elle ne pourra ordener durant le mariage par derraine volenté ne par contract entre vifs ou entre mors ou autrement que lesdits heritages ou terres viengnent ou soyent transportez audit Comte d'Armignac ne pour moyen ne droitement ne par oblique ne aucuns du lignage dudit Comte, se ce n'estoit és enfans dudit mariage.* Hujus matrimonii pacta extant in regesto 64. archivi regii Paris. cap. 728.

In tomo tertio libertatum Ecclesiæ Anglicanæ pag. 1149. nominatur Raymundus Guillelmi de Budos nepos Domini Clementis summi Pontificis anno XXXIV. regni Eduardi I. Regis Angliæ. In testamento autem Raymundi Arnaldi de Guto domini de Roalhaco nominatur anno MCCCXXV. Guillelmus Raymundi de Budosio Prior sancti Ginii. Primum Clemens constituit rectorem civitatis Beneventanæ anno MCCCVII. ut docent ejus literæ datæ apud Metulum Pictavensis diocesis VII. Idus Aprilis anno secundo, quæ extant in codice 754. bibliothecæ Colbertinæ. Eundem fuisse postea rectorem comitatus Veneysfini anno MCCCIX. adnotat Ferdinandus Victorellus in additionibus ad Ciaconium pag. 852. extantque ea de re literæ pontificiæ apud Bzovium an. 1309. §. 9. 11. ubi tamen perperam scriptum est *Rudos* pro *Budos*. Ceterum istius familiæ genealogiam texuit vir de literis nostris optimè meritus Andreas Duchesnius lib. 5. hist. Montmorenc. c. 5. pag. 448.

In regesto XLVI. archivi regii Paris. cap. 68. extant literæ Eduardi II. Regis Angliæ datæ die quinta Augusti anno MCCCX. quibus confirmat donationem altæ & bassæ justitiæ loci de Budos in diœcesi Burdigalensi factam Raymundo Guillelmi de Budos Militi nepoti Clementis Papæ V. à Vualterio Vvigornensi Episcopo, Ioanne de Britannia, Richemundo & Ademaro de Valentia Comitibus Pembroci per eundem Eduardum Dei gratia Regem Angliæ Ducem Aquitaniæ illustrem ad curiam

summi Pontificis destinatis; quorum literæ datæ sunt Avenioni anno MCCCIX. die XV. Maii. Eas verò Philippus quoque pulcher Rex Franciæ confirmavit an. MCCCXI. mense Iulio.

In rubricis anni tertii pontificatus Benedicti XII. cap. 61. ista leguntur: *Bertrando de Budossio domino Montiscluse Vticensis diœcesis & Cæcilia de Vcetia ejus uxori. Conceditur eis quòd matrimonium inter eos contractum solennisare & nuptias facere possint tempore prohibito.*

Inter familias è feminis ortas præcipuè inclaruit ea in qua nupsit Ælips filia Arnaldi Garsiæ de Gutto, quæ fuit uxor Amanevi de Mota; quem anno MCCCVIII. mortuum esse Tolosæ tradit filius ejus Raymundus Bernardi Episcopus Vasatensis. Amanevi & Ælipdis liberi fuere Petrus, Bertrandus, Amanevus, Galhardus Diaconus Cardinalis S. Luciæ in silice, & Raymundus Bernardi Episcopus Vasatensis Ex Petro ortus est alter Amanevus, quem adhuc puerum Petrus pater anno MCCCXXXI. despondit Valenciæ filiæ Guillelmi de Montepensato quondam defuncti. In his enim actis scriptum est nuptias coituras *quàm citò Amanevus de Mota ejus filius ad annos seu ad ætatem nubilem devenerit.* Eadem tempestate vivebat Amanevus de Mota, quem Clemens VI. fecit Archiepiscopum Burdegalensem, idem fortassis qui suprà connumeratus est inter liberos Amanevi & Ælipdis.

Tradit Bernardus Guidonis in catalogo Episcoporum Tolosanorum Gaillardum de Preyssaco Episcopum Tolosanum fuisse nepotem Clementis V. ex sorore: *Gaillardus de Preyssaco oriundus de loco qui vocatur Trabes diœcesis Vasatensis, nepos Domini Clementis V. ex sorore.* Hunc nonnulli malè confundunt cum Galhardo de Mota Cardinale. Is enim non fuit filius sororis Papæ Clementis, sed natus ex matre quæ filia erat fratris Papæ. Præterea non solent Romani Pontifices titulum Diaconi Cardinalis eis tribuere qui antea Episcopi fuere. Quod utinam observasset Augustinus Oldoicus.

Raymundus Aspelli Comes Romandiolæ, de cujus cæde suprà pag. 54. 55. actum est, erat etiam nepos Clementis. Apud Oldradum consil. 150. legitur Ioannem XXII. contulisse canonicatum Ecclesiæ Valentinæ in Hispania Tarraconensi R. de Aspello. Ex eadem gente fuisse videtur Antonius de Aspello Episcopus Conseranensis. Vterque autem videri potest ex familia Domini Arnaldi Raymundi de Aspello, cujus anno MCCLXXXVI. meminere acta quædam illius temporis edita in libro septimo historiæ Bearn. cap. 25.

Inter probationes historiæ Cardinalium Gallorum pag. 255. refertur excerptum ex regesto XLVI. archivi regii Paris. in quo fit mentio Bertrand de Salviaco Militis nepotis Clementis summi Pontificis in literis regiis datis anno MCCCXIII. mense Martio.

Apud continuatorem Nangii in tomo XI. Spicilegii Dacheriani pag. 655. legitur incendium Carpentoratense, de quo infrà pag. 113. dicetur, procuratum fuisse *per Marquisium Vicena nepotem Clementis.* ubi legendum est *Marquisium Vicecomitem &c.* propterea quæ ex Bernardo Guidonis referuntur suprà pag. 619.

APVD PERVSIVM] ubi de mandato Philippi Regis Francorum erant Iterius de Nantolio Prior S. Ioannis Hierosolymitani in Francia, magister Gaufridus de Plexeio Cancellarius Turonensis & Protonotarius Franciæ, & Ioannes Moucheti; ut patet ex collectaneis de dissidio Bonifacii VIII. & Philippi pag. 277. Quod etiam colligitur ex veteri rotulo membranaceo illorum temporum, in quo continetur *Compotus Prioris Hospitalis Franciæ fratris Yteris de Nantolio de via Romæ & Perousæ factus XXX. die Iulii CCCV.*

PRIMO EPS CONVENAR.] Antea tamen, ut tradit Hieronymus Lopes in historia Ecclesiæ Burdegalensis, fuerat Canonicus & Sacrista Ecclesiæ Burdegalensis. Quod confirmari posse videtur ex Clementis ipsius verbis ex bulla data Lugduni VI. Kal. Decembr. anno primo, quam invenimus in codice 765. bibliothecæ Colbertinæ, in qua loquens de Ecclesia Burdegalensi sic ait: *Ipsa namque nos olim ante nostra promotionis initia fovit ut filium, ac deinde nos sponsum habuit nostra gubernationi commissa.* Item in alia data Pictavis XIII. Kal. Februarii anno tertio, in qua certas quasdam indulgentias concedit visitantibus eandem Ecclesiam. Sic enim illic loquitur: *Hac est enim Ecclesia quæ à juventutis nostra primordiis suis deliciis nos educavit ut filium more matris. Hujusmodi quidem dulcedinis ubera suximus. Ipsa nos fovit in virum; & tandem nos in suum pastorem assumens, gradum se nostris subjecit ascensibus, per quem ascendimus solium apostolica dignitatis.* Extat in archivo Archiepiscopi Narbonensis. Vide etiam bullam exemptionis à jurisdictione Archiepiscopi Bituricensis. Tum verò quum factus est Episcopus Convenarum, erat Capellanus Papæ, ut liquet ex actis relatis in tomo tertio libertatum Ecclesiæ Anglicanæ pag. 627. 632. 633. Vt verò adhuc nonnulla addamus de initiis vitæ Clementis, necessarium arbitror adnotare eum studio juris operam dedisse in academia Bononiensi, ut docet Guillelmus Rufati Cardinalis in epistola scripta ad Bononienses, quam recitat Cherubinus Ghirardaccius, ac etiam in Aurelianensi, quæ eum *legendi & docendi in legibus scientia decoravit*, ut ipse loquitur in bulla data Lugduni VI. Kal. Februarii anno primo. Idem in bulla data anno quarto de confirmatione privilegiorum Ecclesiæ

Ecclesiæ sancti Martini Turonensis, cujus fragmentum extat apud Radulphum Monsnyer in libro quem scripsit ad propugnanda jura ejusdem Ecclesiæ, in bulla inquam illa idem Clemens testatur se, dum minori fungeretur officio, canonicatum & præbendam ac unam de præpositurîs ejusdem Ecclesiæ tenuisse.

Pag. 61. SVMM. PONT. ELEGERVNT] Modum electionis ejus enarrat Ioannes Villanius lib. 8. cap. 80. Ridicula autem est narratio quæ extat apud Bernardinum Corium par. 2. historiæ Mediolanensis.

Pag. 63. VERSVS LVGDVNVM] In processu fratris Bernardi Delitiosi Raymundus Bauderius civis Albiensis testis juratus dixit *quòd quando Dominus Clemens Papa V. quondam ibat de Burdegalis Lugdunum, dictus frater Bernardus Delitiosi dictavit apud Montempessulanum aliquas supplicationes contra Episcopum Albiensem & Inquisitores.*

PER AGENNVM ET TOLOSAM] Bis Tolosæ fuit Clemens V. anno nimitum MCCCV. in initiis suæ electionis, & anno MCCCVIII. exeunte. Isthic agitur de priore itinere. De alio dicemus infrà.

MONTEMPESSVLANVM] ubi eum assecutus Iacobus Rex Arragonum, ei obtulit juramentum fidelitatis pro regno Sardiniæ & Corsicæ. Liber Arnaldi Camerarii: *Littera bullata bulla aurea Iacobi Regis Arragonum, Valentia, Sardinia & Corsica, Comitisque Barthinona, ac prascripta Romana Ecclesia Vexillarius, Admiratus, & Capitaneus generalis, directa Domino Clementi Papa V. continentes quòd idem Rex in propria persona recognovit Domino Bonifatio Papa VIII. se ab eodem & sancta Romana Ecclesia recepisse in feudum regnum Sardinia & Corsica & pro eo juramentum fidelitatis ligium & vassallaticum prastitisse juxta formam litterarum ejusdem Domini Bonifacii hic de verbo ad verbum insertis, & eandem recognitionem & juramentum prastitisse per ambassiatores suos Domino Benedicto Papa XI. successori dicti Domini Bonifacii, & similiter eadem obtulisse in propria persona prafato Domino Clementi Papa V. in Montepessulano. Et quia tunc non fuerunt facta, idem Rex misit eidem Domino Clementi ambassiatores suos hic nominatos ad prastandum predicta. quod & fecerunt.* Vide Odoricum Raynaldum an. 1305. §. 8. & seqq. & Indices Suritæ ad annum 1305. & seq.

Item Iacobus Rex Majoricarum fuit eadem tempestate apud Montempessulanum. Sic enim loquitur Raymundus Guillelmi Sacrista Elnensis testis juratus in causa fratris Bernardi. Delitiosi: *Dixit tamen quòd post tempus & dies pradictos, tùm felicis recordationis Dominus Clemens Papa V. & dictus Dominus Rex Majoricarum essent in Montepessulano, audivit ipse testis quòd Dominus Papa pradictus fuerat ibidem locutus cum Domino Rege de facto predicto dicti Domini Ferrandi & dicti fratris Bernardi.* Profectus est deinde Lugdunum cum Papa, ut patet ex actis processus ejusdem Bernardi his verbis: *Patet etiam ex hoc quia Dominus Rex Majoricarum tempore quo Dominus Papa Clemens V. erat Lugduni, & Dominus Rex Francia, ipse Dominus rex Francia fuit locutus super hoc Domino Regi Majoricarum, & Dominus Papa ipsi Domino Regi Majoricarum &c.*

CORONATVS IN LVGDVNO] Pag. 63. à Matthæo Rubeo Vrsino Diacono Cardinale tituli S. Mariæ in Porticu, ut vulgò existimant. Sed istud habet aliquam difficultatem. Etenim continuator Nangii in bibliotheca Colbertina scribit eum obiisse Perusii anno MCCCIV. die quarta Septembris. Verùm auctorem illum errare hinc liquet quòd certum est hunc Matthæum interfuisse electioni Clementis V. & Perusio profectum esse Lugdunum cum aliis Cardinalibus, ut docent Ioannes Villanius lib. 8. cap. 80. 81. & Pompeius Pellinus par. 1. historiæ Perusinæ pag. 339. Præterea ex libro quem vocant obligationum archivi Vaticani constat eum obiisse anno MCCCV. die quarta mensis Septembris. Sed heic rursum oritur ingens difficultas. Etenim si Matthæus obiit die quarta mensis Septembris, certum est eum non peregisse coronationem Clementis pridie Idus Novembris quæ postea secutæ sunt. Quare faciliùs crediderim id quod observat Vvaddingus an. 1305. §. 2. eum unà cum Ioanne Duce Britanniæ ruina muri oppressum interiisse post solennia coronationis ejusdem. Neque mihi placere ullo modo potest opinio Augustini Oldoini, qui Vvaddingum refellens ait Matthæum anno MCCCVI. Perusii diem clausisse extremum. Quippe negari non potest quin Arnaldus de Pelagrua factus sit Diaconus Cardinalis tituli S. Mariæ in porticu anno MCCCV. die XV. Decembris, id est, die trigesima tertia post solennia coronationis. Adeoque necesse est titulum illum jam tum fuisse vacantem, per mortem nimirum Matthæi. Huic Matthæo Guillelmus Durandi dicavit Repertorium juris canonici. Vide to. 3. libert. Ecclesiæ Angliæ. pag. 1296.

Bonifacius de Amanatis in Clement. de immun. Ecclesiar. notat Clementem statim post coronationem suam edidisse hanc constitutionem, idque se legisse apud Guillelmum, de Montelauduno videlicet. Hæc sunt verba Bonifacii: *Concordat Guillelmus, qui asserit se fuisse prasentem hujus constitutionis revocationi quam fecit Lugduni iste Clemens statim post suam coronationem, prasente Rege Francia; & fuit prima constitutio quam publicavit.* At in

commentariis Guillelmi de Montelauduno in Clementinas, uti quidem habentur in collectione repetitionum juris canonici, nihil istiusmodi reperitur. In iis verò qui manu exarati sunt & in editione Parisiensi anni MDXVII. ita legitur: *Hac fuit prima constitutio quam post suam coronationem promulgavit iste Papa Lugduni, Rege Franciæ ibi præsente; & qui vidit, testimonium perhibet de hoc.* Ioannes Andreæ in eand. Clement. scribit illam fuisse de primis constitutionibus Clementis editis à principio promotionis suæ, & incipiebat *Pastoralis*, cujus decidit exordium; post quod sequebatur *Sanè quoniam &c.*

CORONA] Delata illa fuerat Lugdunum à Camerario Romanæ Ecclesiæ, ut fidem facit sequens fragmentum ex veteri chronico Cæsenatensi descriptum à Scipione Claramontio lib. II. hist. Cæsenæ pag. 445. *Anno 1305. in festo B. Michaelis Camerarius Domini Papæ cum comitiva maxima transivit per Cæsenam deferens secum coronam qua coronari debebat idem Clemens; & quasi tota curia, exceptis quibusdam Cardinalibus, cum maximo sudore ivit in Franciam.*

DEPOSITVS DE EQVO] Hæc tantùm historici illorum temporum, neque usquam reperi Clementem ex eo infortunio collegisse se factum esse Pontificem Romanum contra voluntatem Dei. Et tamen Ægidius Cardinalis Viterbiensis in oratione quadam, cujus verba referuntur ab Andrea Victorello in additionibus ad Ciaconium, ait audacter, tanquam si rem certam narraret, Clementem attonitum è solio prosiliisse & fateri coactum se Deo irato imperare. Sed hæc rhetoricè potiùs dicuntur quàm historicè. Et præterea certissimum est hunc casum non evenisse inter solennia coronationis, ut putavit Ægidius, sed post ea peracta, cùm Papa ab Ecclesia sancti Iusti rediret ad urbem Lugdunensem. Ex quo facile est intelligere illum non è solio prosiliisse, sed ex equo dejectum fuisse.

FECIT CARDINALES] Blondus Flavius decade 2. lib. 9. scribit creasse Clementem Cardinales ex Galliis tam multos ut facilè tunc conjectura omnes assequi potuerint Pontificem Romanum deinceps nonnisi ex Gallicis creari posse. Odoricus verò Raynaldus an. 1331. §. 34. ait adeo Gallos sui generis amantes esse ut adepto pontificatu vix ex aliis nationibus renuntiarent Cardinales, eaque ratione summum penes gentem suam sacerdotium retinerent. Non animadvertit autem vir optimus se eodem telo acriter confodere gentem suam Italam, cùm videamus hodie multos creari Cardinales Italos, paucos è regnis ac provinciis extra Italiam sitis, studio, ut apparet, retinendæ in sua gente dominationis.

Quærit autem Genselinus de Cassanhis in glossa ad extravag. Ioannis XXII. *Execrabilis.* de præb. & dignit. an Cardinales moderni temporis à Clemente V. & Ioanne XXII. creati dicendi sint de jure Cardinales Romanæ Ecclesiæ, cùm propriè Romana Ecclesia sit in urbe Romana, & in urbe ipsa locum sedis apostolicæ Dominus dicatur elegisse, illi verò extra eam facti sint Cardinales, nimirum in Gallia. Demum concludit eos esse verè Cardinales Romanæ Ecclesiæ: *quia ubi est summus Episcopus, qualis est Papa, ibi est Romana Ecclesia, ibi est sedes apostolica.* Denique Ioannes Andreæ in cap. 4. *Cùm aliquibus.* de rescript. in 6. adnotat primum omnium Clementem V. Episcopos fecisse Presbyteros Cardinales. *Ad id quod prius dixi*, inquit, *facit moderna consuetudo Ecclesiæ Romanæ, quæ Episcopos facit Presbyteros Cardinales. Moderna dixi, quia usque ad tempora Clementis quinti id non fuerat observatum, & constat multos tempore Bonifacii & prædecessorum prætermissos cardinalari quia erant Episcopi, & Episcoporum tituli non vacabant, de quibus tamen summè utiliter provisum fuisset Ecclesiæ. Qua de re commendabilis est consuetudo in tantum dilatata quòd quandoque de solis Episcopis fit una ordinatio vel promotio Cardinalium. Erubescat ergo Bonifacius hujus libri auctor, qui quandoque adinvenit revocatorias gratiarum & alia multa, & hoc invenire nescivit.* Duplicem tamen errorem in hoc loco commisit Ioannes Andreæ. Etenim diù ante Clementis V. tempora Guillelmus de Campania Archiepiscopus Remensis factus est ab Alexandro III. Presbyter Cardinalis tituli S. Sabinæ, & Ruffinus Episcopus Ariminensis à Clemente III. Presbyter Cardinalis S. Praxedis; certumque est nullam creationem Cardinalium factam fuisse ex solis Episcopis ab anno MCCCV. usque ad annum MCCCXLVIII. quo Ioannes Andreæ extinctus est. Præterea frustra Bonifacium VIII. redarguit quòd istud invenire nescivit. Etenim Bonifacius Theodoricum Raynerium Archiepiscopum Pisanum creavit Cardinalem Presbyterum tituli S. Crucis in Hierusalem. Quamquam reponi potest eum non fuisse consecratum, ut censet Ferdinandus Vghellus in catalogo Archiepiscoporum Pisanorum, adeoque non fuisse factum Cardinalem ex Episcopo, sicut Nicolaus de Bessa nepos Clementis VI. electus Lemovicensis non fuit creatus Cardinalis ex Episcopo.

PETRVS DE CAPELLA] oriundus è vico Capellæ de Taillefer in Marchia Lemovicensi, VI. M. P. à Garacto. Filium fuisse Stephani colligitur ex actis authenticis illorum temporum scriptis die dominica post octavas annuntiationis B. Mariæ anno Domini MCCXCIV. in quibus continetur qualiter

nobilis vir Guillelmus de Albuconio dominus de Bornia Miles vendidit Domino Petro de Capella Carcassonensi Episcopo filio quondam Domini Stephani de Capella Militis pretio quingentarum & sexaginta trium librarum domos suas de Peiraco sitas in dicta villa. Ex quibus verbis facile est existimare falli viros clarissimos Iosephum Mariam Suaresium in libro secundo Prænestes antiquæ cap. 14. & Augustinum Oldoinum in vita hujus Petri scribentes eum fuisse filium Guidonis, qui vitam ad CXX. produxit annos. Sanè Claudius Roberti in catalogo Archiepiscoporum Bituricensium & Petrus Frizonius in Gallia purpurata mentionem faciunt hujus Guidonis, sed qui fuerit pater Rogerii Fortis Archiepiscopi Bituricensis, non verò Petri de Capella Cardinalis.

Nomen matris hujus Petri non reperi, nisi sit ea Beatrix quæ in regestis parlamenti Parisiensis anni MCCCXLI. dicitur uxor Stephani de Capella, mater verò Guillelmi de Capella.

Fuit Petrus primò Præpositus Ahentensis, vulgò *Eymoutiers*, in diœcesi Lemovicensi. Quo loco emendandum nobis est ejus epitaphium, ubi editum est *Præses Aginnensis* pro *Ahentensis*. Fuit etiam juris civilis professor in academia Aurelianensi anno MCCLXX. ubi auditorem habuisse creditur Bertrandum de Gutto postea Romanum Pontificem. Hinc evasit Canonicus Ecclesiæ Parisiensis. Qua tempestate, anno nimirum MCCLXXXVIII. mense Ianuario tenuit parlamentum Tolosæ unà cum Bertrando Abbate Moyssiacensi & Laurentio Vicini Capicerio Carnotensi; ut constat ex pluribus veteribus instrumentis quæ servantur in archivis Archiepiscoporum Narbonensis & Tolosani, & ex eo quod Guillelmus Cruceus edidit in serie Episcoporum Cadurcensium num. 140. Tum biennio pòst parlamentum tenuit Parisiis unà cum magistro Ægidio Cameli, ut docet antiquus stilus parlamenti Paris. par. 7. cap. 7.

Anno MCCXCI. factus est Episcopus Carcassonensis. Qua tempestate Berengarius Fredoli Episcopus Magalonensis *attendens*, inquit Arnaldus de Verdala, *quòd Rex Majoricarum nimis opprimebat jurisdictionem temporalem quam habebat in Montepessulano, ideo jurisdictionem ipsam permutavit cum Domino Philippo Rege Francorum; pro cujus recompensatione habuit baylyviam Salvii & Durofortis & castrum de Possano. Fuit æstimator & assignator ad hoc deputatus Dominus Petrus de Capella tunc Carcassonæ Episcopus*. Vide Gariellum parte. pag. 416.

Deinde à Philippo IV. Rege Francorum delegatus est anno MCCXCV. & sequentibus unà cum magistro Petro de Bituris Succentore Aurelianensi ut curam susciperet executionis conventionum pacis initarum inter eundem Regem, Karolum Comitem Valesiæ fratrem ejusdem Regis, Iacobum Regem Arragonum, & Iacobum Regem Majoricarum. Harum rerum testes extant variæ literæ quas ex camera computorum Parif. nobis olim subministravit vir clarissimus & optimus Antonius Vion Herovallius.

Anno MCCXCVIII. è cathedra Carcassonensi transiit ad Tolosanam. Bernardus Guidonis in catalogo Episcoporum Tolosæ: *Petrus de Capella, sic cognominatus à loco unde extitit oriundus Lemovicensis diœcesis, successit Domino Arnaldo Rogerio de Conveniis, translatus de Carcassonensi sede, & factus Episcopus Tolosæ per provisionem & ordinationem Bonifacii Papæ VIII. circa principium mensis Octobris anno Domini MCCXCVIII. Fuit autem Episcopus Tolosæ annis septem & mensibus ferè tribus*. Tum temporis annus apud Francos incipiebat à Paschate. Vnde in veteri quodam instrumento collegii S. Martialis Tolosæ ita scriptum est: *Actum fuit hoc XIV. die introytus mensis Februarii, regnante Philippo Rege Francorum, & Domino Petro de Capella Episcopo Tolosano, anno ab Incarnatione Domini millesimo CCXC. octavo*. Ex quo loco, olim à nobis edito, collegit Oldoinus Petrum fuisse factum Episcopum Tolosanum initio anni MCCXCVIII. non verò mense Octobri.

In libro rubeo cameræ computorum Parif. fol. 416. & 492. adnotatum est Petrum de Capella quondam Episcopum Tolosanum vendidisse Philippo pulcro Regi Francorum quandam domum quam is habebat Lutetiæ *in vico sancti crucis in loco vocato la Bretonnerie*.

Anno demum MCCCV. die XV. mensis Decembris eum, licèt absentem, Clemens V. adhuc Lugduni constitutus creavit Presbyterum Cardinalem. Qua de re certior factus, arrepto itinere ad Rhodanum, intravit curiam Romanam die penultima Ianuarii anni sequentis, ut patet ex libro obligationum archivi Vaticani.

Parum constat de titulo ejus cardinalitio. Etenim Onuphrius Panuinius & alii post eum huic Cardinali tribuunt titulum sancti Vitalis. At in veteri nomenclatura Cardinalium viventium in initiis Clementis V. edita in tomo tertio libertatum Ecclesiæ Anglicanæ pag. 1155. legitur: *Magister Petrus de Capella quondam Episcopus Tolos. titulo sancti Apollinar. Presbyter Cardinalis*. In primo autem tomo Bullarii Casinensis pag. 41. extat vetus narratio in qua recensentur Cardinales qui cum eodem Clemente erant Tolosæ anno MCCCIX. ineunte, & inter eos nominatur *D. Petrus de Capella tit. S. Praxedis Presbyter Cardinalis*. Vtcunque se res habeat, cùm anno MCCCVI.

exeunte, id est, die septima Decembris, apud Burdegalam obiisset Theodoricus Episcopus civitatis papalis sive Prænestinus, (de quo ista leguntur in libro Arnaldi Camerarii: *Dispositio ultima Domini Theodorici civitatis papalis Episcopi & Cardinalis. Actum Burdegalis anno Domini* MCCCVI. *die prima Decembris.*) Clemens V. Petrum de Capella præfecit Ecclesiæ Prænestinæ, ab eoque tempore vulgò dictus est Cardinalis Prænestinus.

Quod autem heic vides Theodoricum non vocari Episcopum Prænestinum, sed civitatis papalis, ortum illud ex acerbissimo Bonifacii VIII. odio in Columnenses. Hanc historiam unus omnium accuratissimè descripsit Theodericus de Nyem in libro cancellariæ apostolicæ quem anno MCCCLXXX. scripsit. Sic autem illic legitur: *Penestrinensis decreto Domini fe. rec. Bonifacii Papæ VIII. accedente fratrum suorum consilio deleta est & aratrinam passa & sale seminata, nomen etiam ejus abolitum & damnatum, ac dignitate episcopali & cardinali in perpetuum privata, quia favit scismaticis, videlicet damnatæ memoriæ Iacobo & Petro de Columna olim sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus. Et per eundem Dominum Bonifacium Papam civitas ibi propè de novo constructa, cui civitatis papalis nomen tradidit, eamque episcopatus & cardinalatus dignitate decoravit, ut Episcopus civitatis ejusdem esset sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis. Et ibi præfecit in Episcopum Dominum Theodericum tunc tituli sanctæ crucis in Hierusalem Presbyterum Cardinalem.* Vide Odoricum Raynaldum an. 1299. §. 6.

Anno MCCCVII. commoto orbe nostro adversùs Templarios, quorum horrenda facinora narrabantur, Clemens Papa eorum inquisitionem mandavit huic Petro Episcopo Prænestino; extantque ea de re variæ Clementis epistolæ in archivo regio Parisiensi.

Anno eodem aut sequenti Philippus IV. Rex Francorum ei dono dedit sedecim millia librarum parvorum Turonensium ex majori summa quam eidem Regi debebat Bertrandus de Bordis olim Episcopus Albiensis, tum verò Aniciensis. Docent istud literæ ejusdem Regis datæ Parisius die IV. Octobris anno MCCCVIII. quæ extant in archivo regio Parisiensi.

Anno MCCCIX. ineunte fuit Tolosæ cum Papa Clemente, uti suprà pag. 592. monuimus. Quod etiam colligitur ex bulla Clementis V. edita inter probationes nuperorum annalium urbis Tolosæ pag. 59.

Anno MCCCX. à Clemente V. delegatus est unà cum Thoma Iorzio Cardinale in causa gravis commotionis oborta inter fratres Minores, cui occasionem dedisse putabatur postilla fratris Petri Ioannis Olivi in Apocalypsim. Sed cùm Petrus eo tempore incidisset in morbum, adeoque se excusasset ab executione delegationis, Pontifex eam commisit Berengario Fredoli Episcopo Tusculano & Guillelmo Arrufati tituli S. Potentianæ Presbytero Cardinali, literis datis Avenioni XVIII. Kal. Maii anno quinto. *Vvaddingus an.* 1310. §. 2. 3.


Fuisse autem illum eo tempore apud Clementem Papam in civitate Avenionensi liquet ex collectione actorum dissidii quod fuit inter Bonifacium VIII. & Philippum pulcrum pag. 406. ubi referuntur acta apud hunc Pontificem anno MCCCX. die dominica XXVI. mensis Aprilis in causa accusationis adversùs memoriam ejusdem Bonifacii.

Anno MCCCXI. mense Augusto ab eodem Philippo Rege obtinuit amplum privilegium pro fundatione Ecclesiæ collegiatæ quam fundare decreverat in villa de Capella loco suæ originis ac proprio & natali solo. Postea construi fecit Ecclesiam; quam perficere non potuit, cùm etiamnum nihil ex ea ædificatum sit præter chorum. Statutus deinde certus Canonicorum & præbendarum numerus. Verùm non ita multò pòst majorem multò Canonicorum numerum admiserunt, partim motu proprio, partim auctoritate Romani Pontificis. Quo factum est ut intra paucos annos iidem Canonici gravi laborarent inopia. Hanc ob caussam congregati, ut finem aliquem ponerent malis suis, Rogerio Forti Episcopo tum Lemovicensi, postea verò Archiepiscopo Bituricensi, qui filius erat sororis Petri de Capella, potestatem dederunt instituendi & faciendi statuta & ordinationes in dicta Ecclesia, eamque suam deliberationem firmari curarunt auctoritate apostolica. Extant enim literæ Clementis VI. datæ XV. Kal. Aprilis anno secundo quæ id testantur. Verba autem Canonicorum ita statuentium anno MCCCXLIII. die Veneris in festo assumptionis B. Mariæ ita habent: *cogitantes quod per circumspectam prudentiam Reverendi Patris in Christo Domini Rogerii Lemovicensis Episcopi, qui ad dictam Ecclesiam consideratione fundatoris prædicti, cujus nepos extitit & alumnus, specialem habet affectum, ipsa Ecclesia in omnibus poterit reformari, instituendi & faciendi statuta & ordinationes in dicta Ecclesia &c. committunt plenam in Domino potestatem, de omnibus prædictis ejus conscientiam onerantes, & super hoc Domino nostro summo Pontifici promiserunt & ordinaverunt supplicare quòd in hujusmodi ordinatione & commissione per ipsos factis præfato Domino Rogerio Lemovicensi Episcopo dignetur eidem Domino Rogerio auctoritatem apostolicam misericorditer impertiri &c.* Vir clarissimus Iosephus Maria Suaresius lib. 2. Prænestes antiquæ cap. 14. pag. 238. testatur vidisse se olim in archivo palatii Avenionensis

inventarium bonorum omnium Petri bo. me. quondam Episcopi Prænestini, quæ Decano & capitulo Ecclesiæ novæ beatæ Mariæ de Capella Lemovicensis diœcesis obvenerant, quæque in eadem Capella perquisita repertaque fuerant à commissariis Ioannis XXII. jussu missis anno MCCCXXVII.

Ceterùm, ut illud quoque dicam obiter, extant in codice 5092. bibliothecæ Colbertinæ varii sermones & alia opera ejusdem Rogerii Fortis Archiepiscopi Bituricensis.

In libro obligationum archivi Vaticani adnotatum est Petrum obiisse anno MCCCXII. die XVI. Maii. Obiisse verò in diœcesi Lemovicensi scribit Bernardus Guidonis & in prædicto loco suæ originis de Capella sepultum fuisse anno MCCCXII. mense Iunii. Vidimus nos ejus sepulcrum sanè elegantissimum ex opere encaustico, quod hodie ita integrum, ita venustum est ac si noviter fuisset fabricatum. Extat in medio chori Ecclesiæ de Capella, loco incommodissimo. Insignia ejus gentilitia sunt ista.



BERENGAR. FREDOLI] Amalricus Augerii Biterrensis infrà pag. 97. eum vocat Berengarium Fredelli. Certum tamen est ubique in veteribus monumentis, ubi fit mentio hominum illius gentis, scriptum esse *Fredoli*. Tradit autem Petrus Gariellus in serie præsulum Magalonensium pag. 387. posterioris editionis inter summos Occitaniæ proceres floruisse omni semper laude cumulatam Fredolorum familiam. Sanè, præter hunc Berengarium, reperiuntur eadem tempestate Biterrensem cathedram tenuisse Berengarius & Guillelmus Fredoli, & Magalonensem Andreas. Anno MCCCXII. vivebat Saturninus Fredoli Prior secularis Ecclesiæ S. Martini de Setignano in diœcesi Vceticensi, ut docent collectanea de dissidio Bonifacii VIII. & Philippi pulcri pag. 610. Anno MCCCXVII. Ioannis Fredoli Præpositi Ecclesiæ Nemausensis mentio habetur in vetertimis membranis. Anno MCCCXLV. Petrus Fredoli dominus Verunæ Locumtenens Senescalli Belicadri & Nemausi recepit nomine Regis juramentum fidelitatis Beraldi de Fargis Episcopi Albiensis; alteriusque ejusdem gentis & nominis mentio habetur in collectaneis paulò antè laudatis pag. 510. Denique idem Gariellus par. 2. pag. 15. scribit Guillelmum Fredoli in genua nixum anno MCCCXLII. Episcopo Magalonensi beneficiarium agnovisse castrum Fabricense, sive, uti nos loquimur, ei homagium genibus flexis præstitisse pro eo castro.

Sed ut ad Berengarium nostrum redeamus, ortus est ille è castro de Veruna haud procul Montepessulano, cujus dominos ea tempestate fuisse Fredolos constat. Iuvenis admodum factus est Canonicus Biterrensis, & mox Succentor, tum Abbas S. Aphrodisii in eadem urbe. Ita vulgò traditur. Ego verò in processu fratris Bernardi Delitiosi reperio fuisse etiam Archidiaconum Narbonensem, & Canonicum S. Salvatoris Aquensis in annalibus Ecclesiæ Aquensis nuper editis à Ioan. Scholastico Pittone pag. 166. Denique anno MCCXCVIII. evasit Episcopus Biterrensis. Qua tempestate Bonifacius VIII. cogitans de edendo sexto libro decretalium, istius Berengarii opera in primis usus est, teste ipso Bonifacio, quo nullus luculentior esse potest. Ait enim: *per venerabiles fratres nostros Guillelmum Archiepiscopum Ebredunensem & Berengarium Episcopum Biterrensem ac dilectum filium magistrum Richardum de Senis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vicecancellarium, juris utriusque Doctorem, decretales hujusmodi diligentius fecimus recenseri.* Cùm accusatores memoriæ Bonifacii postea inter ceteras accusationes exprobrarent illum nunquam dixisse bonum verbum de aliquo Prælato, reposuerunt ejus defensores hæc verba, quæ leguntur in collectaneis suprà laudatis pag. 479. *Præterea idem Dominus Bonifacius in proœmio sexti libri commendavit Reverendos Patres Dominos Berengarium, tunc Biterrensem, nunc Episcopum Tusculanum, Ebredunensem, & Dominum R. sancti Eustachii Diaconum Card. compilatores sexti libri.*

Anno MCCCV. die XV. Decembris Clemens V. cum creavit Presbyterum Cardinalem tituli sanctorum Nerei & Achillei. Quod adeo certum est ut affirmari absque ullo periculo possit erratum esse in subscriptionibus cujusdam bullæ Clementis V. apud Odoricum Raynaldum an. 1307. §. 23. ubi legitur: *Ego Benedictus tit. sanctorum Nerei & Achillei Presbyter Cardinalis subscripsi.* Quod miror observatum non fuisse ab Augustino Oldoino, cùm ille in iisdem subscriptionibus annotaverit malè Arduini nomen positum esse pro nomine Arnaldi de Pelagrua Cardinalis tituli S. Mariæ in porticu. Nescio autem ubi Contelorius invenerit illum fuisse Presbyterum Cardinalem tituli sanctorum Ioannis & Pauli. Nam eo titulo ornatus fuit Bertrandus de Bordis usque ad annum MCCCXI. quo interiit. Diu verò antè Berengarius fuerat factus Episcopus Tusculanus. Vulgò autem semper vocatus fuit Cardinalis Biterrensis, ut liquet ex Ioanne Villanio lib. 9. cap. 79. & ex tomo primo Bullarii Casin. pag. 41.

Anno MCCCVI. exeunte Clemens V. cum

& Stephanum de Susiaco Presbyterum Cardinalem tituli sancti Cyriaci misit in Galliam ad Philippum Regem ut cum illo consultarent de loco commodo Pontifici Regique ad habendum conventum de quibusdam negotiis arduis & secretis.

Anno MCCCVII. ei & Landulpho Brancatio Cardinali Diacono S. Angeli delegata est à Clemente Papa cognitio scelerum quæ Templariis imponebantur. Quæ causa eidem Berengario & Stephano quoque de Susiaco commissa est à Clemente. Vide Spondanum an. 1307. §. 14.

Anno MCCCIX. ineunte erat Tolosæ cum Clemente V. ut patet ex eodem loco Bullarii Casinensis. Eundem verò de Tolosa recedentem comitatus est usque ad sedem sancti Bertrandi Confessoris diocesis quæ dicitur Convenarum; ubi XVII. Kal. Februar. interfuit relevationi reliquiarum ejusdem sancti factæ per eundem Clementem. *Odoricus Raynaldus an.* 1309. §. 2.

Cùm verò die XIII. Iunii ejusdem anni, ut est in libro obligationum archivi Vaticani, Ioannes Buccamatius Episcopus Tusculanus venisset ad curiam Romanam, Avenioneque extinctus die X. Augusti Ecclesiam Tusculanam fecisset vacantem, Clemens V. ei præfecit hunc Berengarium, quem majorem quoque sanctæ Romanæ Ecclesiæ Pœnitentiarium ab eodem Pontifice factum fuisse certum est.

Anno MCCCX. XVIII. Kal. Maii Clemens ei & Guillelmo Arrufati Presbytero Cardinali tituli sanctæ Potentianæ commisit cognitionem gravissimorum motuum inter fratres Minores exortorum occasione paupertatis, quam totis viribus propugnabant illi qui se vocari volebant spirituales. *Vvaddingus an.* 1310. §. 2. 3. Fuisse enim illum eo anno integro apud Avenionem docent collectanea de dissidio Bonifacii VIII. & Philippi pulcri pag. 370. 406. 510.

Anno MCCCXII. mense Aprili, nondum soluto Concilio Viennensi, obtinuit ab eodem Rege Philippo facultatem dandi monasterio Canonicarum Ecclesiæ Biterrensis, quod ipse fundaverat, centum libras Turonenses annui & perpetui reditus.

Anno eodem, die dominica infra octavam Pentecostes apud Avenionem consecravit Adulphum de Marcha Episcopum Leodiensem, pridie factum Presbyterum à Guillelmo Mandagoto Episcopo Prænestino. *Ioannes Hocsemius pag.* 364. *de gestis Episcoporum Leodiensium.*

Post mortem Clementis diviso in varias partes collegio Cardinalium, qui diversis in locis ac valde dissitis morabantur, cùm essent omnes numero viginti quatuor, tres tamen & viginti tantùm fuisse in conclavi in quo electus est Ioannes XXII. testantur scriptores vitæ ejus. Eum qui defuit ait Ioannes Andreæ in Clementin. *Ne Romani.* de electione & electi potestate fuisse hunc Episcopum Tusculanum. *Tempore tamen inclusionis*, inquit, *major Pœnitentiarius, si est Cardinalis, per se non potest uti officio. Si tamen nollet in clausura manere, etiam personaliter utetur officio, ut fecit Dominus Tusculanus.* Et tamen Ioannes Villanius lib. 9. c. 79. scribit multam in eo conclavi spem fuisse ut is eligeretur Pontifex.

Anno MCCCXVI. VIII. Kal. Decembris, ut tradit Vviguleus Hundius in catalogo Archiepiscoporum Salisburgensium, ex mandato Ioannis XXII. Papæ Fredericum Archiepiscopum Salisburgensem, Patriarcham Gradensem, & Archiepiscopum Rossensem Græcum barbatum cum quinque Episcopis & quatuor Abbates consecravit.

Anno MCCCXVII. auctoritate Domini Papæ, cujus pœnitentiariæ curam gerebat, nobili viro Guillelmo de Falguario Militi Tolosano & ejus uxori facultatem dedit eligendi discretum & idoneum Presbyterum in confessorem, qui eis posset conferre beneficium absolutionis & pœnitentiam salutarem imponere pro peccatis de quibus ipsi confiterentur, etiamsi talia fuerint pro quibus esset meritò sedes apostolica consulenda. *Ex archivo collegii S. Martialis Tolosæ.*

Eodem anno ex mandato Ioannis Papæ XXII. habitum ordinis S. Benedicti assignavit Vbertino de Casali Minoritæ, & ab eo professionem ejusdem ordinis recepit. Papa enim transtulerat eum ad ordinem sancti Benedicti, eique dederat locum monachi in monasterio S. Petri de Gemblaco. *Vvaddingus an.* 1317. §. 16. Falsus est ergo Trithemius scribens in libro de scriptoribus ecclesiasticis eum, deserto fratrum Minorum instituto, ordinem Carthusiensium ingressum esse.

Eodem anno degradavit Hugonem Geraldi Episcopum Cadurcensem, ut legitur in vita Ioannis XXII. pag. 154.

Anno MCCCXIX. beneficium absolutionis concessit quibusdam homicidis qui incolas quosdam secundæ Vindeliciæ in vincula conjectos oculis privaverant & mori coegerant. *Ioannes Aventinus lib.* 7. *annal. Bojor. pag.* 752. *prioris editionis.*

Anno MCCCXX. Ioannes XXII. ei commisit inquisitionem scelerum quæ patrata ferebantur à Matthæo de Vicecomitibus de Mediolano. *Regestum Ioannis XXII. in codice* 829. *bibliotheca Colbertina fol.* 202. 204.

Eum mortuum esse anno MCCCXXIII. circa mensem Maium testatur Contelorius. Petrus autem Andoquius in catalogo Episcoporum Biterrensium pag. 113. ait Guillelmum Fredoli Episcopum Biterrensem transferri cu-

ralle corpus Berengarii Cardinalis patrui sui ex urbe Avenionensi in Biterrensem anno MCCCXXI. illicque sepultum esse in Ecclesia cathedrali. Sed ex his quæ refert Odoricus Raynaldus an. 1322. §. 66. & an. 1323. §. 62. apparet eum fuisse adhuc in humanis anno MCCCXXII. & sequenti. Hanc controversiam dirimemos auctoritate Necrologii Ecclesiæ Narbonensis, in quo ita scriptum est: *Anno MCCCXXIII. III. Idus Iunii obiit Reverendissimus in Christo Pater Dominus Berengarius Fredoli, qui fuit Archidiaconus Corbariensis & Canonicus in Ecclesia Narbonensi, postea verò fuit Episcopus Biterrensis, deinde Episcopus Tusculanus & S. R. E. Cardinalis.*

In appendice speculi historialis ordinis Carmelitarum fol. 83. verso extat gravis istius Berengarii Cardinalis epistola de laudibus Gerardi de Bononia Prioris Generalis ejusdem ordinis.

Eo tempore quo Berengarius erat Episcopus Biterrensis scripsit tractatum de excommunicatione, qui extat in codicibus 249. & 1407. bibliothecæ Colbertinæ & in veteri codice MS. Ecclesiæ Helenensis. In codicibus 452. & 520. ejusdem bibliothecæ habetur inventarium juris canonici ab eodem Berengario compositum. Habet etiam illa in codice 273. inventarium speculi judicialis, & in codice 1495. tabulam ejusdem super summam Ostiensis.

ARNALD. DE CANTALVPO] Clementis V. consanguineus, tum electus Burdegalensis anno MCCCV. & mox Cardinalis Presbyter tituli S. Marcelli. Successorem habuit in cathedra Burdegalensi nepotem suum Arnaldum de Cantalupo, quem Arnaldus Ohienartus in Notitia Vasconiæ. pag. 438. per errorem confundit cum patruo Cardinale, scribens eum Ecclesiam illam rexisse ab an. MCCCV. usque ad annum MCCCXXX.

Primus omnium recentiorum Onuphrius Panuinius scripsit hunc Arnaldum fuisse S.R.E. Camerarium. quam sententiam confirmat vetustissimus catalogus Cardinalium viventium in initiis pontificatus Clementis V. editus in tomo tertio libertatum Ecclesiæ Anglicanæ pag. 1155. ubi Cardinalis iste, quamvis per errorem illic vocetur Vvillelmus, Camerarius Papæ nuncupatur. Quæ tamen res mihi videtur habere aliquam difficultatem. Etenim Theodoricus Episcopus civitatis papalis, qui anno MCCCVI. exeunte extinctus est, erat Camerarius. Bertrandum verò de Bordis Episcopum Albiensem fuisse Papæ Camerarium anno MCCCVIII. & etiam eo tempore quo factus est Cardinalis anno MCCCX. certissimis testimoniis compertum habeo. Quare necesse est aut Arnaldum non fuisse ornatum ea dignitate, aut eam dimisisse aliquot annis ante mortem.

Factus Cardinalis rediit Burdegalam, ubi fuisse eum mense Februario anni MCCCVI. docet vetus charta edita à Petro Louveto parte 2. hist. Aquitan. cap. 3. ex qua patet hunc Cardinalem fuisse Priorem de Regula & Baronem Vasatensi.

Anno MCCCVII. Augustoritum Pictonum profectus est cum Papa Clemente, illicque XIII. Kal. Augusti cum aliis Cardinalibus subscripsit bullæ de negotiis regni Siciliæ quæ ab Odorico Raynaldo edita est an. 1307. §. 23.

Anno MCCCX. die XXV. Aprilis erat Avenioni, die verò prima Septembris in prioratu de Grausello prope Malausanam Vasionensis dioecesis, ut patet ex collectaneis Petri Puteani de dissidio Bonifacii VIII. & Philippi pulcri pag. 406. 566. 568. 570.

Eum Onuphrius Panuinius & alii post eum aiunt obiisse Avenione anno MCCCX.

Fuisse Decanum Ecclesiæ S. Pauli Londinensis liquet ex tomo tertio libertatum Ecclesiæ Anglicanæ pag. 1195. & ex Godvvino in catalogo Cardinalium Anglorum.

NICOLAVS] de Freauvilla. Hoc enim est verum ejus nomen. Erat quippe ortus ex nobili gente de Freauvilla inter Deppam & Novum-castrum in Normannia. Videtur autem fuisse consanguineus Enguerrandi de Marigniaco, viri tum præpotentis in aula Francica, quem Bernardus Guidonis infrà pag. 82. ait fuisse natione Normannum. Etenim in codice 3228. bibliothecæ Colbertinæ adnotatum est hunc Enguerrandum fecisse unum ex suis consanguineis Cardinalem Romanum, *fit un sien cousin Cardinal de Rome.* Fuit primò professus ordinem Prædicatorum in conventu Rothomagensi; ac post gestos magistratus varios in eo ordine, cùm sibi comparasset famam ex publica theologiæ professione, quam etiam docuit in academia Parisiensi, factus est Confessor Philippi IV. Regis Francorum. In processu fratris Bernardi Deliciosi scriptum est Arnaldum Garsiæ Iurisperitum Albiensem testem productum adversùs eum dixisse inter alia quòd ad instigationem ejusdem fratris Bernardi dixerat eidem Regi Tolosæ adversùs Nicolaum istum: *Domine, non debetis confidere de Confessore vestro, qui hic est. Nam omnia quæ aguntur in consilio vestro ipse revelat Flamenguis.* Quam accusationem fuisse falsam constitit.. Adeo enim fidem suam servavit integram erga Regem ut in crudelissimo illo dissidio Bonifacii VIII. regias partes sic foverit ut etiam propterea incurreret in odium Bonifacii. Sic enim adversùs eum scripsit Bonifacius Ioanni Monachi Cardinali tituli sanctorum Marcellini & Petri Idibus Aprilis anno nono. *Ceterum fratri Nicolao ordinis Prædicatorum olim Confessori Regis ejusdem ex parte nostra districtè præcipias ut infra*

trium mensium spatium hujusmodi præceptum immediatè sequentium, quod sibi pro peremptorio termino studeas assignare, personaliter nostro se conspectui repræsentet, recepturus pro meritis, aut suam, si poterit, innocentiam ostensurus. Nihilo tamen minùs ipse Regis partibus adhæsit. Etenim cùm Rex & Ecclesia Gallicana ab iniquitate sententiarum Bonifacii appellassent ad futurum Concilium generale, idem Nicolaus Confessor Domini Regis eidem appellationi adhæsit cum reliquis fratribus conventus Parisiensis anno MCCCIII. die XXVI. Iunii.

Anno denique MCCCV. factus est Presbyter Cardinalis tituli sancti Eusebii. Adnotat autem Frizonius & post eum Spondanus an. 1305. §. 7. eum primum ex aulæ regiæ ministris fuisse qui ea dignitate fuerit honestatus.

Anno MCCCX. delegatus fuit à Clemente V. cum Berengario Episcopo Tusculano & Thoma Presbytero Cardinale tituli sanctæ Sabinæ ut testes audiret qui producebantur contra Bonifacii VIII. memoriam, ut patet ex collectaneis Petri Puteani de dissidio Bonifacii pag. 564. 566. 568. 670. 573.

Anno MCCCXII. missus est in Franciam pro subsidio terræ sanctæ. Vide to. XI. Spicilegii Dacheriani pag. 649. & to. X. pag. 363. 365. Petrum Roverium in Reomao pag. 309. & chronicon Rothomagense editum à Philippo Labbeo pag. 384.

Eodem anno ipsi ab eodem Clemente commissa quoque est causa Templariorum. *Odor. Raynaldus an.* 1313. §. 39.

Fuisse eum in civitate Avenionensi anno MCCCXVI. XVII. Kal. Septemb. patet ex his quæ ab eodem Odorico Raynaldo an. 1316 §. 5. dicuntur de solutione census pro regno Siciliæ facta à Roberto Rege quibusdam Cardinalibus, & inter hos huic Nicolao, cui debitam fuisse aliquam partem ejusdem census ipse testatur in suo testamento.

Tandem obiit Lugduni an. MCCCXXIII. die XIV. Februarii, ibique sepultus est apud Prædicatores. Cor deinde ejus delatum est apud Rothomagum & conditum in sepulcro quod ipse sibi vivens extruxerat in Eccl. Prædicator. juxta majus altare ad cornu Evangelii. Ejus insignia gentilia sunt ista.



Ex ejus testamento colligitur eum habuisse plures fratres & plures nepotes ex fratribus aut sororibus, nominatim verò Ioannem Præpositum, quem fuisse rectorem parrochialis Ecclesiæ beatæ Mariæ de Fourmetot Rothomagensis diocesis patet ex bulla Clementis V. data Lugduni anno MCCCVI. XV. Kal. Februarii, qua ei concedit ut insistendo usque ad septennium scholasticis disciplinis in loco ubi studium vigeat generale, in eadem parrochiali Ecclesia personaliter residere vel illius prætextu aliquem ordinem sacrum recipere interim nullatenus teneatur. Extat in codice 9919. bibliothecæ regiæ.

STEPH. ARCHID. BRVG.] cognomento de Susiaco sive, ut alii malunt, de Suisiaco. Ortus enim erat è villa agri Laudunensis quæ vocatur Suisiacum, vulgò *Susy*, quæ pertinet ad monasterium Laudunense. Fuit primò Archidiaconus Brugensis in Ecclesia Tornacensi, propterea dictus Archidiaconus Flandriæ in quibusdam literis Philippi IV. Regis Francorum.

CANCELLARIVS] Ita etiam Ptolemæus Lucensis & Amalricus Augerii, tum etiam vetustissimus catalogus Cardinalium viventium in initiis pontificatus Clementis V. editus in tomo tertio libertatum Ecclesiæ Anglicanæ pag. 1155. Idem in epitaphio vocatur Cancellarius aulæ regalis. Et tamen ego puto eum non fuisse Cancellarium, sed tantùm sigilliferum, *qui porte le seel*, ut legitur in literis regiis paulò antè laudatis, id est, Vicecancellarium, uti vocatur in processu fratris Bernardi Delitiosi Minoritæ: *Dixit etiam ipse frater Bernardus quòd cùm apud Pictavim curia residente loqueretur familiariter cum Domino Stephano quondam Cardinali Brugensi, qui fuerat Vicecancellarius Domini Regis Franciæ, & qui erat sui gratia ipsius fratris Bernardi amicus & familiaris & hominum Carcassonæ pius adjutor &c.* Præterea cùm is fuerit sigillifer diu ante annum MCCCIII. quo cancellariam fuisse vacantem adnotatum est in literis regiis de confirmatione privilegiorum urbis Bituricensis, manifestum est eum non fuisse Cancellarium, sed Vicecancellarium, uti fuere postea Petrus Flota & Guillelmus de Nogareto. Sic enim eos fuisse vocatos liquet ex veteribus monumentis illorum temporum laudatis à Francisco Duchesnio in historia Cancellariorum Franciæ pag. 250. 259. 260. Immo ibidem pag. 261. idem Guillelmus ita de se loqutus scribitur: *Nec ad novos honores postea Rex me vocavit, cùm vacet cancellaria Franciæ; nec ego sum Cancellarius, sed sigillum ejus custodio.* Ex quibus verbis & ex pluribus aliis locis colligi posse puto vacasse cancellariam per multum ævi, & propter hanc causam eos qui sigilli regii custodiam habebant, Cancellarios interdum dictos esse per abusionem, quamvis re vera titulum Cancellarii non haberent. Nam Petrus de Arreblayo Cardinalis, qui vulgò scribitur fuisse Cancellarius

larius Regis Francorum, Vicecancellarius Regis Franciæ vocatur in libro obligationum archivi Vaticani, in quo enumerantur Cardinales à Ioanne XXII. creati anno MCCCXVI. die XVII. Decembris. Nunc redeamus in viam.

Anno Domini MCCC. Stephanus electus fuit Episcopus Tornacensis ab una parte Canonicorum, altera conferente vota sua in Gaufridum de Fontanis Canonicum Parisiensem, de quo suprà pag. 579. & seqq. dictum est. Sed horum neuter ad eam cathedram pervenit. Ei enim præfectus est Guido de Alvernia filius fratris Guillelmi de Alvernia Episcopi Leodiensis. Vide probationes historiæ Cardinalium Gallorum pag. 263.

Anno MCCCIII. mense Iunio interfuit ut testis solenni Philippi IV. Francorum Regis appellationi ad futurum Concilium generale adversùs Bonifacium VIII. Papam, ut patet ex collectaneis de famoso illo dissidio pag. 109. ubi Stephanus vocatur simpliciter Archidiaconus Brugensis. Quod ideo cogor observare quia Franciscus Duchesnius in historia Cancellariorum Franciæ pag. 243. scribit eum his actis interfuisse ut Cancellarium Franciæ.

Anno MCCCV. die XV. mensis Decembris Clemens V. eum fecit Presbyterum Cardinalem tituli sancti Cyriaci in Thermis; eoque modo ipse subscribit literis Clementis V. de regno Siciliæ datis Pictavis XIII. Kal. Augusti anno secundo, quæ editæ sunt ab Odorico Raynaldo an. 1307. §. 23.

Anno MCCCVI. Philippus Rex literis datis apud Dordanum in crastino Paschæ ei dedit annuam pensionem mille librarum Turonensium; idque donum postea confirmatum est literis datis Parisiis die XII. mensis Ianuarii sequentis. *Ex libro rubeo cameræ computorum Paris. fol.* 487. *& seq.*

Anno MCCCX. delegatus fuit à Papa unà cum Berengario Episcopo Tusculano ut reciperet scripta quæ in negotio Bonifacii VIII. offerrentur ab iis qui ejus memoriam accusabant & ab iis qui illam susceperant defendendam, ut docent collectanea de celeberrimo illo dissidio pag. 370. 406. 411. 511. 512.

Eodem anno idem Clemens hunc Stephanum & Landulfum Brancatium Diaconum Cardinalem tituli sancti Angeli misit in Galliam ad Philippum Regem *pro quibusdam urgentibus negotiis*, eisque concessit ut à clero quilibet eorum singulis diebus exigeret & reciperet viginti libras Turonensium parvorum. *Datum Avinioni VIII. Kal. Iulii, pontificatus nostri anno quinto.* Cùm verò illi eam procurationem peterent à clero diœceseos Helenensis, quæ tum erat pars regni Arragonensis, intercessit Raymundus Episcopus Helenensis dicens *quia quotienscunque Romana Ecclesia Legatos seù Nuncios mittit ad illustrissimum Dominum Regem Franciæ pro negotiis dictum Dominum Regem & regnum Franciæ tangentibus, licèt provincia Narbonensis, quantum ad omnes diœcesanos qui sunt in regno Franciæ, in solvendis expensis & mittendis nunciis ac aliis dependentibus exinde compusentur*, diœcesis tamen Helenensis, *utpote de alio regno*, non fuerat aliquo tempore computata seu etiam talliata. Allegat præterea bullam Innocentii IV. directam Iacobo Regi Arragonum, datam Lugduni VI. Idus Iulii anno tertio, ubi sic legitur: *Hinc est quòd cùm episcopatus Elnensis in regno Arragonum situs esse dicatur, licèt sit de provincia Narbonensi, nos regalis excellentiæ precibus inclinati præsentium auctoritate districtiùs inhibemus ne aliquis prædictæ sedis Legatus in eodem episcopatu, nisi in litteris legationis sibi commissæ de inhibitione hujusmodi & quòd dictus episcopatus in regno eodem existat expressa mentio habeatur, legationis officium exercere præsumat.* Hæc testimonia extant in archivo Archiepiscopi Narbonensis. Videntur autem Legati è Gallia discessisse & Avenionem pervenisse ante mensem Decembrem aut ipso mense Decembri ineunte, cùm ex actis de dissidio Bonifacii pag. 522. constet Stephanum Cardinalem tituli S. Cyriaci in Thermis fuisse Avenioni anno MCCCX. die XXII. Decembris. Vide etiam Odoricum Raynaldum an. 1310. §. 34.

Tandem anno MCCCXI. die decima Decembris obiit in Romana curia, ut habet liber obligationum archivi Vaticani. Quod Onuphrius Panuinius interpretatus est de Avenione, quia sciebat ea tempestate curiam Romanam à Clemente V. constitutam fuisse in ea civitate. Verùm cùm constet eundem Clementem cum curia sua fuisse Viennæ ad Rhodanum à Kalendis Octobris anni MCCCXI. usque ad finem mensis Iunii anni sequentis, rectè scribere potuit Contelorius hunc Stephanum esse mortuum Viennæ. Hoc verò corpus ejus delatum est ad Laudunum clavatum, ubi sepultum est in monasterio sancti Ioannis. Vide Notas viri clarissimi Lucæ Dacherii ad Guibertum de Novigento pag. 830.

GUILLELMUS ARRUFATI] Quidam codices habent *Rufati* vel *Ruffati*. quæ lectio confirmari videtur ex pluribus aliis locis. Nam primò sic semper scribitur in vetustissimis excerptis è registro anni primi Clementis V. quæ extant in bibliotheca regia, & in vetustissimo catalogo Cardinalium qui vivebant in initiis pontificatus ejusdem Clementis edito in tomo tertio libertatum Ecclesiæ Anglicanæ pag. 1155. tum etiam in libro obligationum archivi Vaticani. Deinde in archivo Ecclesiæ Convenarum extant acta anni

MCCXCVI. in quibus Bertrandus Episcopus Convenarum (qui postea fuit Clemens Papa V.) compromittit cum Augerio de Falguario Abbate Bonifontis. Arbitri fuere Guillelmus Rufati Canonicus Lugdunensis & Arnaldus Nouelli monachus de Bolbona. Additus in tertium Arnaldus Rogerii Præpositus Tolosanus. Præterea in regesto LXI. archivi regii Paris. cap. 487. in literis Karoli IV. Regis Franciæ & Navarræ datis Parisiis anno MCCCXXII. mense Iunio nominatur Arnaldus Ruffati procutator seu syndicus habitatorum loci Bragériaci. Adde auctoritatem veteris instrumenti editi inter probationes nuperorum annalium Tolosanorum pag. 56. ubi mentio est Martini Ruffati, qui anno MCCIV. fuit Consul Tolosanus.

Fuit Guillelmus primò Canonicus nobilissimæ Ecclesiæ Lugdunensis; ut docent etiam excerpta suprà laudata ex regesto anni primi Clementis V. ubi vocatur Guillelmus Rufati de Cassaneto. Rectè. nam ex regesto D cameræ computorum Paris. fol. 250. apparet eum habuisse nepotem Gualhardum de Cassaneto Militem. Deinde Clemens ejus affinis eum fecit suum Referendarium, ut patet ex laudato catalogo Cardinalium & ex epistola ejusdem Guillelmi ad Bononienses, tum anno MCCCV. exeunte Diaconum Cardinalem tituli sanctorum Cosmæ & Damiani, & mox Presbyterum tituli sanctæ Potentianæ, qui tum vacabat post mortem Roberti Cardinalis Cisterciensis mortui die nona Octobris ejusdem anni, ut legitur in libro obligationum archivi Vaticani. Ex quo corrigas eos qui mense Augusti scribunt eum decessisse.

Ex his quæ hactenus dicta sunt facile est colligere hunc Cardinalem fuisse jam in familia affinis sui Clementis eo tempore quo ille regebat Ecclesiam Convenarum, & deinde ei quoque adhæsisse postquam evasit Archiepiscopus Burdegalensis. Cùm verò renuntiatus Romanus Pontifex è Burdegala proficisceretur Lugdunum per Galliam Narbonensem, inter cetera loca quæ peragravit in hoc itinere, etiam in monasterio Prulianensi sanctimonialium ordinis sancti Dominici *hospitatus est*, inquit Bernardus Guidonis in historia ejusdem monasterii, *sumptibus monasterii cum comitiva sua & uno Cardinali, scilicet Domino Petro Hispano Episcopo Sabinensi &c. & Domino Raymundo del Got nepote suo, & Abbate sanctæ crucis Burdegalensis, & Domino Guillermo Arrufati, quos tres fecit in sequenti adventu Domini Cardinales.*

Anno MCCCVII. eundem Papam secutus est proficiscentem Augustoritum Pictonum; ibique cum eo mansit usque ad mensem Augustum sequentis anni. Tum verò cum eo abiit in Vasconiam, deinde Tolosam, ubi fuisse eum cum Papa initio mensis Ianuarii docet tomus primus Bullarii Casinensis pag. 41.

Anno MCCCVIII. IV. Kal. Iulii, cùm adhuc moram traheret in civitate Pictaviensi, gravem ad cives Bononienses epistolam dedit in causa civitatis Ferrariensis, quæ desciverat ab obedientia Ecclesiæ Romanæ, monens eos uti Arnaldo de sancto Asterio Abbati Tutelensi & Onuphrio de Trebis Decano Meldensi nunciis apostolicis opem ferrent in hoc negotio. Literæ ejus extant apud Cherubinum Ghirardaccium lib. 16. historiæ Bonon. pag. 519.

Anno MCCCX. die sabbati XXV. mensis Aprilis unà cum Berengario Fredoli Episcopo Tusculano, Arnaldo de Cantalupo Presbytero Cardinale tituli S. Marcelli, Stephano de Suisiaco tituli S. Cyriaci in Thermis, & Raymundo de Gotto tituli S. Mariæ novæ Diacono, fuit in palatio apostolico Avenionensi coram Clemente V. quando is prorogavit terminum causæ Bonifacii VIII. ut patet ex collectaneis de dissidio ejusdem Bonifacii pag. 406.

Obiit anno MCCCXI. mense Februario. De die non constat certò. Quamquam ea verior sententia videtur quæ eum extinctum asserit die XXIV. ejusdem mensis. Obiit autem in Romana curia, uti docet liber obligationum archivi Vaticani. Quod Onuphrius rectè interpretatus est de Avenione, addens cum sepultum esse ad Minores. Eum tamen mortuum esse circa annum Christi MCCCXX. scribit Ciaconius. quam opinionem adjuvat quod Odo Gisseyus tradit in libro 3. cap. 20. hist. Aniciensis, hunc Cardinalem anno MCCCXVII. Ecclesiæ Aniciensi legasse quadraginta libras annui redditus. Sed errorem isthic esse in anno hinc manifestè liquet quòd titulus sanctæ Potentianæ, quo Guillelmus iste erat ornatus, anno MCCCXII. exeunte datus est Raymundo Abbati sancti Severi.

Præter Gualhardum de Cassaneto Militem, de quo suprà diximus, alium habuit nepotem, videlicet Robertum Arrufati Archiepiscopum Salernitanum, postea verò Aquensem in secunda Narbonensi. Videtur autem is obiisse anno MCCCXVIII. quo Petrum de Prato factum fuisse Archiepiscopum Aquensem constat ex libro obligationum archivi Vaticani. Nam illum fuisse adhuc hominem anno MCCCXVII. die XXVIII. Augusti docet vetus charta Aquensis edita à Pitone in annalibus Ecclesiæ Aquensis pag. 168.

ARNALDVS DE PELAGRVA] In regesto cameræ computorum Paris. notato FF fol. 51. nominatur Raymundus de Pelegrue dominus de Pelegrue in diœcesi Vasatensi, Froissartus verò vol. I. cap. 106. ait castrum de Pelegrue esse in comitatu Petragori-

censi. Denique Bernardus Guidonis inter Priores conventus Brageriacensis ordinis Prædicatorum recenset fratrem Ioannem de Pelagrua Baionensem. Verùm hunc Arnaldum Cardinalem constat ortum esse ex ea gente quæ sedem statam & fixam habebat in diœcesi Vasatensi. Illum nonnulli, uti suprà pag. 608. observatum est, aiunt fuisse affinem Clementis quinti, alii nepotem. Corruptè porrò Arduinus vocatur in subscriptionibus bullæ Clementis de negotio regni Siciliæ, quæ edita est apud Odoricum Raynaldum an. 1307. §. 13.

Anno MCCCV. die XV. Decembris factus est Diaconus Cardinalis S. Mariæ in porticu.

Anno sequenti, nescio quo titulo quave auctoritate, subdelegavit Bonifacium de sancta Iulia Episcopum Albensem causa uniendi mensæ episcopali Taurinensi Ecclesiam parrochialem Cadralii. *Augustinus ab Ecclesia in serie Episcoporum Albensium.*

Anno MCCCVII. & sequenti fuit in urbe Pictaviensi cum Papa Clemente. Et cùm is hinc discessisset Avenionem rediturus, ei comes individuus adhæsit. Reperimus enim in tomo primo Bullarii Casinensis pag. 41. fuisse cum illo Tolosæ anno MCCCIX. ineunte. Odoricus verò Raynaldus an. 1309. §. 2. refert fragmentum cujusdam bullæ Clementis ex qua colligitur Clementem & hunc Arnaldum XVII. Kal. Februarii simul fuisse apud Convenas. Denique Bernardus Guidonis in historia monasterii Pruliani describens iter Clementis Avenionem proficiscentis ait eum secunda vice fuisse in monasterio Pruliani die Mercurii IV. Kal. Februarii, & sequenti die Iovis intrasse claustrum & capitulum sororum cum quinque Cardinalibus, iis nimirum qui nominantur in laudata Clementis bulla apud Odoricum Raynaldum, inter quos recensetur Arnaldus iste.

Interim cùm anno MCCCVIII. post Azonis Estensis mortem Franciscus frater ejus & Friscus filius spurius Azonis de Ferrariæ imperio decertarent, eaque captata occasione Veneti in illam invadere conarentur, immo occupassent, Clemens V. Papa processus fecit adversùs eos anno MCCCIX. in cœna Domini, id est, die XXVIII. Martii, & mox ea provincia decreta Arnaldo Cardinali de Pelagrua; dataque pro more imperia Episcopis ut ei adessent eumque juvarent, ut ait Carolus Episcopus Novariensis in libro secundo de Novariensi Ecclesia pag. 438. id est, imperatum Episcopis uti Legato persolverent procurationes. Sequenti porrò mense Aprili nuntios venisse Bononiam de ista legatione Arnaldi fidem facit Ghirardaccius lib. 16. hist. Bonon. pag. 517.

In excerptis ex libro obligationum archivi Vaticani ad me Roma missis adnotatum est Arnaldum sanctæ Mariæ in porticu Diaconum Cardinalem Legatum in Italia, de Romana curia profectum, iter suæ legationis arripuisse anno MCCCVIII. die sabbati XXV. Decembris. quod mendosum esse constat, cùm neque anno illo neque sequenti dies XXV. Decembris inciderit in sabbatum, & præterea anno tantum MCCCIX. exeunte Martio ista legatio data sit Arnaldo. Itaque manifestum videtur pro Decembri reponendum esse Maium & illam Arnaldi profectionem esse referendam ad annum MCCCIX. quo dies XXV. Maii evenit in sabbato, præsertim cùm idem Ghirardaccius pag. 519. testetur Arnaldum advenisse Bononiam sequenti mense Iunio. Sed tamen ingens difficultas occurrit in hoc loco. Etenim Bernardinus Corius ait in historia Mediolanensi Arnaldum venisse Mediolanum mense Maio hujus anni, & illic excommunicationis fulmine perculisse Venetos. Addit verò Iosephus Ripamontius par. 2. hist. Mediolan. lib. 7. pag. 460. Cardinalem Arnaldum sedentem Mediolani edixisse cunctis per Italiam Episcopis uti Bononiam convenirent. Itaque dicendum potiùs videretur excessisse eum Avenione die XXV. Aprilis, licèt ea inciderit in diem Veneris.

Fine mensis Iulii sequentis Florentini miserunt ad eum copias auxiliares, eò graviores quò minùs speratas, cùm ea civitas esset tum subjecta interdicto ecclesiastico auctoritate Papæ. *Ioa. Villan. lib. 8. c. 115.* Tum XXVIII. Augusti pugnatum feliciter adversùm Venetos, Ferraria recepta. Quamquam Ioannes Villanius eam victoriam constituit in die XXVII. Septembris. Legatum autem fuisse Bononiæ quando ea pugna pugnata est tradit idem Ghirardaccius pag. 538.

In libro Arnaldi Camerarii ista leguntur: *Littera Domini Cardinalis de Pelagrua super electione legati & auctoritate præstita pro ambaxiatoribus pro Ferraria transmittendis ad Dominum Clementem Papam quintum sub anno Domini* MCCCIX. *& die* XXII. *mensis Octobris.*

Quamvis autem Arnaldus in Italiam missus fuisset adversùs Friscum, adeoque in partes Francisci æmuli ejus transisset, eum tamen malè habebat Francisci mora in Ferraria verentem populi seditionem nec minùs caventem sibi quàm si armis jam jam peteretur. Itaque Franciscus, tum ea offensione, tum multorum periculo, qui studia in Atestinos non poterant dissimulare, anno MCCCX. statuit Rhodigium secedere. Nec propterea legatus metum abjecit aut est ausus ibi diutiùs commorari; quin immo firmatis arce ac turribus oppidi pontificio milite, Bononiam abiit. *Ghirardacci pag. 535. & Ioannes Baptista Pigna lib. 4. de Principibus Atestinis.* Fuisse

autem illum Bononiæ die XXV. Martii & mense Iulio hujus anni testatur idem Ghirardaccius pag. 540. 544.

Eodem anno, cùm Henricus VII. Imperator in Italiam pergeret susceptturus Romæ coronam imperatoriam, Clemens V. huic Arnaldo mandavit ut ei occurreret in limite Italiæ, eique se comitem adjungeret. *Odoric. Raynald. an.* 1310. §. 15. Contra ille, ubi primùm audivit Henricum appropinquare Italiæ, mense Augusto Romam abiit. *Ghirardacci pag.* 545. Pigna eodem libro quarto ait Pelagruam magistratu sive dignitate Legati privatum eo nomine quòd adventanti Augusto minimè occurrisset, atque eo modo dedisse etiam aliqua ex parte pœnas scelerati consensus sui in cæde Francisci Atestini perpetrata à Dalmasio. Sanè certum est Arnaldum eo anno decessisse de provincia & rediisse Avenionem ad Pontificem. Id enim, præter cetera testimonia, disertè docet Albertinus Mussatus lib. 5. de gestis Henrici VII. Imp. cap. 9. his verbis: *In rescriptis Cardinali datum, cui Pellagrua cognomen erat, apud Bononiam tunc apostolica sedis Legato, qui & Ferrariam expugnatis Venetis in Ecclesia ditionem redegerat, ut obviam Regi pergeret & commeatum praberet in omnes vias & actus. Qui Pellagrua iis intendere creditus, literis in aperto sic nuntiantibus, diverso tamen itinere Avenionem ad Papam contendit.* Id ipsum tradit citatus liber obligationum, in quo adnotatum est eum redeuntem de sua legatione intrasse curiam die decima Decembris. Sed an Clemens Papa ideo eum ab Italica legatione revocaverit quia commotus erat adversùs eum, seu quia caula ob quam missus fuerat finita erat, vel quia ita Arnaldus postulaverat, adhuc in obscuro est. Itaque superflua prorsùs mihi videtur tota illa argumentatio quam isthic adversùs Pignam instituerunt Ghirardaccius pag. 553. &, qui ex Ghirardaccio accepit, Augustinus Oldoinus in vita istius Arnaldi.

Ingressus igitur Arnaldus iter Romanum, Florentiam pervenit die XXII. Augusti; hincque redux, rursum fuit Florentiæ die XXVI. Septembris, ut colligitur ex Ioanne Villanio lib. 8. cap. 115. & lib. 9. cap. 4. licèt ista referat ordine præpostero. Ibi Robertus Rex Siciliæ, cui Clemens Papa commiserat administrationem Romandiolæ & comitatus Britonorii, certis quibusdam conditionibus adjectis, *ratificavit supradicta*, ut legitur in libro Arnaldi Camerarii, & *ita juravit in præsentia Domini A. tituli sancta Maria in porticu Diaconi Cardinalis sedis apostolica Legati. Datum Florentia anno Domini* MCCCX. *die* VII. *Octobris*. Memor autem Arnaldus officiorum & observantiæ sibi à Florentinis tum impensorum, anno sequenti ad eos misit reliquias sancti Barnabæ Apostoli; eæque ad illos pervenere die XXII. Aprilis. *Ioa. Villan. lib.* 9. *cap.* 13. *Boninsegni. lib.* 1. *pag.* 135.

Eodem anno MCCCX. die quarta Septembris cives Bononienses Arnaldo Cardinali Legato persolverunt mille libras ex iis tribus mille quas ille eis mutuò dederat in sumptus belli Imolensis. *Ghirardacci pag.* 547.

Anno MCCCXI. die decima Maii cives Bononienses in commune consulentes, & considerantes varia interdum emergere negotia quæ patrono indigeant & fautore potenti, præsertim in curia Romana, decreverunt sibi protectorem perpetuum adsciscere Arnaldum Cardinalem de Pelagrua, eique propterea constituerunt pensionem annuam ducentorum florenorum aureorum. *Ghirardacci pag.* 553.

Credunt plerique illum fuisse principem legationis illius quæ eodem anno missa est Romam ad coronandum Henricum VII. Imperatorem, adeo ut Henricus Spondanus an. 1311. §. 16. & qui eum descripsere Sammarthani in catalogo Archiepiscoporum Arelatensium reprehendant Ciaconium scribentem Arnaldum de Felguerio, ut ipse vocat, Episcopum Sabinensem fuisse principem hujus legationis. In quo egregiè omnes falluntur. Certum quippe est Arnaldum Episcopum Sabinensem coronasse Imperatorem. Vide Odoricum Raynaldum an 1311. §. 6. 7.

Pompeius Pellinus par. 1. hist. Perus. lib. 5. pag. 398. ait Arnaldum Cardinalem tituli S. Mariæ in porticu fuisse anno MCCCXII. post mensem Maium apud Montemflasconem. Eum tamen fuisse apud Avenionem III. Kal. Augusti ejusdem anni docet epistola Clementis V. eo die data, quæ edita est à Guillelmo Cruceo in serie Episcoporum Cadurcensium pag. 183.

Anno MCCCXIII. factus est Protector ordinis Minorum & sororum sanctæ Claræ. *Vvadding. an.* 1313. §. 4. Vide etiam Federicum Federicium in historia familiæ Fliscæ pag. 146. 152. & codicem 324. MS. Latinum bibliothecæ Antonii Augustini.

Anno MCCCXIV. mense Aprili idem Arnaldus jussu Clementis V. jam jam morituri certam partem thesauri, rerum, & bonorum cameræ apostolicæ tunc existentium apud Castrum novum Cassanerii Avenionensis diœcesis transferri curavit ad castrum Montilii in comitatu Venayssini sub jurisdictione Romanæ Ecclesiæ constitutum. *Ex regesto Ioannis* XXII. *MS. in bibliotheca Colbertina.*

Cùm verò post mortem Clementis orta esset discordia gravis inter Cardinales inclusos in conclavi apud Carpentoractem, jurgia & pugnæ inter eorum familiares, ac postremò incendio conflagrasset palatium & maxima pars civitatis, conclave concorditer exierunt

circa festum beatæ Mariæ Magdalenæ, statuentes tempus intra quod redire deberent ad eundem locum pro electione summi Pontificis celebranda. *Vita Clementis V. pag. 82. 111. & vita Ioannis XXII. pag. 113.* Quod ubi compertum fuit Philippo IV. Regi Francorum, gravem epistolam scripsit ad Berengarium Fredoli Episcopum Tusculanum & Arnaldum de Pelagrua Cardinalem S. Mariæ in porticu; qua eis significavit se vehementem exinde turbationem concepisse tantoque majorem dolorem quanto majora pericula & scandala ex egressu hujusmodi sequi possent. Hortatus porrò est illos ut quantocyus in unum convenirent cum ceteris Cardinalibus. *Ex codice 2835. bibliotheca Colbertina.*

Interim fine hujus anni mortuus est idem Philippus, neque quicquam apud Cardinales valuere ejus hortationes & preces. Tandem post longam sedis apostolicæ vacationem Philippus cognomento longus ejus filius, tum quidem Comes Pictaviensis, postea verò Rex Francorum, eos dexteritate sua in unum coëgit apud Lugdunum, & in ædibus Prædicatorum conclusit non antè egressuros quàm summum Pontificem elegissent. Divisi autem in conclavi diù fuere, prævalente numero Cardinalium Vasconum, qui ad summum pontificatum evehere cupiebant hunc Arnaldum de Pelagrua aut Berengarium Fredoli Episcopum Tusculanum, ut in libro 9. cap. 79. docet Ioannes Villanius. Ex quo colligere fas est Arnaldum fuisse virum magni animi magnarumque virtutum. Electus autem fuit per compromissum, si vera est fama, Iacobus de Eusa Episcopus Portuensis, dictus Ioannes XXII.

Post ejus electionem, cùm Ioannes Comes Foresii & Radulphus de Praellis ei supplicassent uti coronationis suæ solemnia differre vellet diemque ipsi coronationi præfigere in qua Philippus Comes Pictaviensis, qui tum regebat regna Franciæ & Navarræ, ei posset commodè interesse, Ioannes Papa ea solemnia in gratiam ejus prorogavit usque ad dies quindecim. Verùm cùm ille post obtentam novam prorogationem octo dierum, aliam rursum posceret, respondit Ioannes se non posse absque totius rei publicæ gravi dispendio coronationem ipsam ulteriùs prorogare, præsertim cùm instaret tempus audientiæ apud Avinionem indictæ, quod absque damno intolerabili mutari vel differri non posset. Extant apud Odoricum Raynaldum an. 1316. §. 4. literæ istius Arnaldi Cardinalis ad eundem Principem jussu Papæ propterea scriptæ Lugduni IV. Kal. Septembris.

Eodem prorsus tempore, cùm Ioannes XXII. ad archiepiscopatum Colocensem in Hungaria promovisset fratrem Ladislaum Minoritam, eique consecrationis munus fecisset impendi per Nicolaum de Prato Episcopum Ostiensem, demum ei pallium fecit assignari per quatuor Diaconos Cardinales; inter quos fuisse Arnaldum de Pelagrua docent literæ pontificiæ editæ à Luca Vvaddingo to. 3. in regesto p. 53.

Anno MCCCXVII. Eduardi II. Regis Angliæ legati apud Avenionem constituti promiserunt summo Pontifici sacroque Cardinalium collegio eum soluturum certis terminis viginti quatuor millia marcharum sterlingorum pro viginti quatuor annis quibus cessatum erat à solutione census annui mille marcharum sterlingorum Romanæ Ecclesiæ debiti pro regno Angliæ & terra Hiberniæ, & interim thesaurariis Domini recipientibus ejus nomine mille marchas sterlingorum pro censu anni præsentis. Ista autem agebantur in camera Domini Cardinalis de Pelagrua. *Odor. Raynald. an. 1316. §. 25.*

Anno MCCCXVIII. exeunte Iunio, cùm judices à Papa delegati in causa fratris Bernardi Deliriosi Minoritæ interrogarent eum super 32. articulo adversùs eum proposito, ille noluit respondere, dicens *quia dicti commissarii sunt homines simplices & inferioris status, & ideo petit sibi dari fortes commissarios & potentes Cardinales de illis qui noverint facta inquisitionis tempore Domini Clementis Papa, videlicet Dominum Neapolionem, Dominum Tusculanensem, Dominum Petrum de Columpna, & Dominum Arnaldum de Pelagrua.*

Anno MCCCXXVI. Guillelmus Testa Cardinalis hunc Arnaldum nominavit inter executores sui testamenti.

Illum Contelorius ait decessisse an. MCCCXXXI mense Augusto, idque se invenisse scribit in bulla Papæ Ioannis. Ex quo facilè colligitur falli eos qui tempore Benedicti XII. eum putant excessisse rebus humanis. Ex quo rursum consequitur vehementer errare Pellinum par. 1. hist. Perus. lib. 7. pag. 575. ubi Arnaldum de Pelagrua Cardinalem S. Mariæ in porticu, avunculum Karoli Ducis Duracii, ait apud Clementem VI. auctoritate sua effecisse uti coronatio Andreæ Regis Siciliæ differretur. Istud enim referendum potiùs esset ad Talayrandum Cardinalem Petragoricensem, vulgò *de Pelagorga* vocatum ab Italis illorum temporum; ex quo facile Pellino fuit efficere *Pelagrua.*

Fuisse Arnaldum Archidiaconum Ecclesiæ Carnotensis docent vetera monumenta nuper edita inter probationes historiæ Cardinalium Gallorum pag. 266.

Ejus mentio habetur in consilio 30. Oldradi de Ponte.

RAIMVNDVS DEL GOT] filius Arnaldi Garsiæ, quem suprà pag. 616. 618. Clementis V. fratrem fuisse diximus, & Mira-

mondæ de Maloleone. Eundem Clementem noviter electum Romanum Pontificem comitatus est in itinere Lugdunensi. Sic enim scribit Bernardus Guidonis in historia monasterii Pruliani: *Anno Domini* MCCCV. *Dominus Clemens Papa V. priùs dictus Dominus Bertrandus del Got de Burdegala, unde Archiepiscopus existens assumptus & creatus fuerat in Papam in vigilia Pentecosten præcedenti, scilicet Nonis Iunii, versùs Lugdunum dirigens gressus suos transivit per monasterium Pruliani, ubi hospitatus est sumptibus monasterii cum comitiva sua & uno Cardinali, scilicet Domino Petro Hispano Episcopo Sabinensi, secunda die Octobris in sabbato. Sequenti verò die dominica mane intravit claustrum & capitulum sororum, susceptus processionaliter ab eisdem, cum præfato Cardinale, & Domino Bertrando Episcopo Agennensi avunculo ipsius Papæ, & Domino Raymundo del Got nepote suo, & Abbate sanctæ crucis Burdegalensis, & Domino Guillelmo Arrufati, quos tres fecit in sequenti adventu Domini Cardinales.*

Factus ergo Cardinalis à patruo an. MCCCV. exeunte fuit statim vir magnarum in re publica partium. Itaque frater Bernardus Delitiosi Minorita & ejus complices, ut præsidio ejus adjuti vincerent in causa quam habebant adversùs Bernardum de Castaneto Episcopum Albiensem, dono ei dederunt duo millia librarum Turonensium, uti testatum fecit Guillelmus de Francia civis Albiensis testis productus in causa ejusdem Delitiosi.

Ei anno MCCCVII. Clemens V. providit de quibusdam beneficiis in Eboracensi, Lincolniensi, & Litchefeldensi Ecclesiis; inter quæ videntur fuisse prioratus de Oxeburg & decanatus Lincolniensis. *To. 3. libert. Eccles. Ang. pag. 1132. 1139. 1142. Monasticon Anglic. par. 3. pag. 271.* Quam ob causam, cùm anno sequenti Eduardus I. Rex Angliæ cuperet Robertum Grossetesto olim Episcopum Lincolniensem referri in catalogum sanctorum auctoritate Romani Pontificis, præsidium in primis Raymundi Cardinalis Papæ nepotis sibi implorandum esse putavit. *Eod. to. 3, libert. pag. 1185.*

Eodem anno MCCCVII. XIII. Kal. Augusti subscripsit cum aliis Cardinalibus bullæ Clementis de negotiis regni Siciliæ. *Odoricus Raynald. an. 1307. §. 23.*

Anno MCCCVIII. vacante imperio Romano, cùm Philippus IV. Rex Franciæ dignitatem imperatoriam in familiam Regum Francorum revocare cuperet eamque conferri in Karolum Valesium fratrem suum, opem auxiliumque Romanæ curiæ sibi censuit esse implorandam. *Ioa. Villan. lib. 8. cap. 101.* Habemus autem literas quas mense Iulio hujus anni propterea Raymundus Cardinalis S. Mariæ novæ scripsit ad Henricum Archiepiscopum Coloniensem.

Ejusdem mensis die vigesima scripsit ad cives Bononienses in causa civitatis Ferrariensis, quæ defecerat ab obedientia Ecclesiæ Romanæ. *Ghirardacci pag. 521. Celso Faleoni lib. 3. pag. 320.*

Anno MCCCX. die sabbati XXV. Aprilis. erat cum quibusdam aliis Cardinalibus in palatio apostolico Avenionensi quando Clemens V. prorogavit ad quindecim dies negotium accusationum propositarum adversùs memoriam Bonifacii VIII. ut patet ex collectaneis de dissidio ejusdem Bonifacii pag. 406. 407.

Errat profectò Papirius Massonus in vita Clementis V. fol. 276. scribens hunc Raymundum in Italiam à Clemente missum esse adversùs Venetos, qui Ferrariam occupaverant. Quippe hæc legatio commissa fuit Arnaldo de Pelagrua, non verò Raymundo del Got.

Errat etiam Ciaconius in vita ejusdem Raymundi, in qua ait illum cum Nicolao Episcopo Ostiensi & Berengario Cardinale tituli Fasciolæ missum esse Legatum in Italiam, *ut suprà*, inquit, *in ejusdem Berengarii brevi narratione aperui.* Memoriæ autem lapsu Berengarium isthic posuit pro Nicolao Episcopo Ostiensi, in cujus vita locutus est de legatione ejus Italica. Certum est autem ei socium in hac legatione datum non fuisse Berengarium, neque Raymundum, sed Arnaldum de Falgueriis Episcopum Sabinensem & Lucam de Flisco.

Hunc Ciaconii lapsum imitatus est Frizonius, qui de suo præterea addit Raymundum missum quoque esse ad solvendos interdicto Florentinos lato à Cardinale Neapoleone. quod. falsum est. Etenim illud pertinet ad Arnaldum de Pelagrua, uti suprà vidimus.

Magis miror Oldoinum: qui cùm scriberet hunc Raymundum obiisse anno MCCCX. die XXVI. Iunii, Ciaconii tamen & Frizonii vestigia premens ait eum fuisse Legatum in Italia cum Nicolao Ostiensi Episcopo & Berengario tituli Fasciolæ Presbytero Cardinale ad imponendam coronam Henrico VII. Imperatori.

Diversæ sunt auctorum opiniones de tempore quo is excessit è vivis. Onuphrius Panuinius in secunda epitome recensens sub pontificatu Ioannis XXII. Cardinales incerto tempore mortuos, inter eos ponit hunc Raymundum. Ex quo Ciaconius collegit illum ejusdem Ioannis XXII. pontificatu mortuum esse. Frizonius annum MCCCXX. addidit. Postea Contelorius scripsit extinctum illum fuisse anno MCCCX. die XXVI. Iunii. Rectè. Etenim Cherubinus Ghirardaccius lib. 17. hist. Bonon. pag. 544. testatur nuntium de morte

ejus allatum esse Bononiam mense Julio anni MCCCX. additque eo nuntio graviter perculsam ac mœstam fuisse eam urbem caritate Papæ Clementis, qui tenerimè diligebat hunc suum nepotem, & exequias ejus illic magno apparatu celebratas in Ecclesia S. Dominici, casque cohonestasse Arnaldum de Pelagrua Legatum. Testatur autem Hieronymus Lopes in historia Ecclesiæ Burdegalensis pag. 306. se legisse in veteri necrologio ejusdem Ecclesiæ eum sepultum esse in Ecclesia sancti Stephani de Agenno.

Extat apud Ioannem Villanium lib. 9. cap. 58. lepidissima fabula de statu animæ istius Cardinalis mortui; quam cùm Odoricus Raynaldus an. 1314. §. 15. & Odoinus in vita istius Cardinalis seriò refutaverint, satis superque mihi visum est ad eos remittere lectores meos.

PETRUS ARNALDI] Certum est hunc Cardinalem fuisse patria Bearnensem. Ceterùm ex qua gente duxerit originem valde obscurum est. Etenim in veteri catalogo Cardinalium viventium in initiis pontificatus Clementis V. edito in tomo tertio libertatum Ecclesiæ Anglicanæ pag. 1155. vocatur Petrus de Mota. Contrà alii volunt illum fuisse ortum esse è gente de Poyana. Quod ego tamenetsi negare nolim, nondum tamen satis certis testimoniis confirmatum puto.

Fuit primiò monachus ordinis sancti Benedicti in monasterio S. Severi in diœcesi Adurensi, ut ex monumentis illius monasterii à Chantelovio communicatis docet Franciscus Duchesnius. Deinde evasit Abbas sanctæ crucis Burdegalensis. Et eùm Clemens V. factus fuisset Papa, illum adlegit in ordinem Capellanorum pontificiorum, mox verò Vicecancellarium constituit Ecclesiæ Romanæ, tandem verò Cardinalem. Fuisse enim illum Vicecancellarium antè quàm fieret Cardinalis patet ex regesto anni primi pontificatus ejusdem Clementis, ubi vocatur sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vicecancellarius VI. Idus Augusti. Quare explicandus est Matthæus Vvestmonasteriensis, qui de eo facto Cardinale ita scribit: *Petrum Abbatem sanctæ crucis juxta Burdegalim ordinis sancti Benedicti, creatum similiter Cardinalem, Vicecancellarium suum constituit.* Quod ita intelligendum est ut dicamus eum qui postea creatus fuit Cardinalis à Clemente, primò Vicecancellarium factum esse. Ex quo consequitur errare Onuphrium Panninium dum in secunda epitome scribit illum post adeptam dignitatem cardinalitiam factum fuisse Vicecancellarium extremis vitæ Clementis V. diebus.

Idem ait illum nonnisi anno sequenti publicatum fuisse Cardinalem. Sed nescio ubi hoc invenerit. Quicunque enim olim scripsere vitam Clementis V. & Cardinales ab eo creatos enumerarunt, nullum discrimen inter hunc Arnaldum & ceteros illius temporis Cardinales posuerunt, facturi haud dubiè si quid iltiusmodi contigisset.

Dubium videri posset quem ille titulum habuerit. Etenim Onuphrius & alii eum scribunt fuisse Presbyterum Cardinalem tituli sancti Stephani in Cœlio monte. Contrà Franciscus Duchesnius ex Chantelovio tradit ei datum fuisse titulum sanctæ Priscæ. Quod esse verum liquet ex iis quæ leguntur in tomo tertio libertatum Ecclesiæ Anglicanæ pag. 1155. 1159. Ceterùm eum vulgò vocarum fuisse Cardinalem sanctæ crucis, ob hoc nimirum quia fuerat antea Abbas sanctæ crucis, colligere facilè possumus ex processu fratris Bernardi Delitiosi.

Obiisse eum anno sequenti docebit paulò pòst Bernardus Guidonis. Existimare autem possumus eum nondum fuisse extinctum mense Martio sequenti, cùm in eodem tomo tertio libertatum Ecclesiæ Anglicanæ pag. 1159. videamus Eduardum I. Regem literas ad eum scripsisse die XVII. ejusdem mensis. In necrologio monasterii S. Severi, ut monet Franciscus Duchesnius, ejus obitus notatur anno MCCCVI. die tertia Septembris. Falsus est ergo Onuphrius scribens cum fuisse Avenioni anno MCCCXVI.

In rubricis anni tertii Benedicti XII. cap. 82. ita legitur: *Abbati monasterii Lesatensis Rivensis diocesis. Mandatur sibi quòd se informet utrum donatio sive concessio per bo. me. Bozonem Episcopum Convenarum facta bo. me. Petro tituli S. Stephani in Cœlio monte Presbytero Cardinali de decimis de Bellofago Convenarum diocesis facta fuerit in lesionem mensæ Episcopi Convenarum.*

DEPOSUERAT] Bonifacii constitutio calidissima & vehementissima adversùs hos duos Cardinales extat in libro sexto Decretalium, in titulo de schismaticis. Incipit autem: *Ad succidendos.* Noluit ille huic constitutioni inserere alia quæ adversùs eos decreta à se fuerant, propter prolixitatem. Eorum nonnulla extant in collectaneis de dissidio ejusdem Bonifacii pag. 29. & sequentibus, & multa de iis mentio in libro Arnaldi Camerarii bibliothecæ Colbertinæ. Adeo porrò adversùs eos inflammatus erat Bonifacius ut cùm Porchetus Spinola de Silvaticis electus ea tempestate Archiepiscopus Genuensis, qui putabatur esse amicus Columnensium, esset apud eum in die cinerum, cineresque unà cum aliis Prælatis ab ipso suscipere vellet in capite, Bonifacius cinerem in oculos ejus jecerit, addita contumelia: *Memento quia Gibellinus es & cum Gibellinis in cinerem reverteris.* Neque his contentus, etiam illum archiepiscopatu privavit. Ex *laudatis suprà collectaneis pag. 202.*

& tomo 4. *Italia sacra pag.* 1231.

Mortuo deinde Bonifacio, quia non eædem erant causæ irarum in Benedicto XI. ejus successore, is per cap. *Dudum* de schismat. in extravag. communib. constitutionem Bonifacii latam adversùs gentem Columnensium revocavit & viribus vacuavit, neque tamen loca sua reddidit his duobus Cardinalibus. Tandem Clemens V. in pristinam dignitatem, unde deciderant, eos restituit anno MCCCV.

Putant plerique illos non fuisse restitutos simpliciter, sed de novo creatos Cardinales à Clemente. Quod ego minimè verum esse puto. Nam si Clemens illos noviter creasset, haud dubiè titulos illis dedisset. quod non fecit. Etenim in vetustissimo catalogo Cardinalium viventium in initiis ejusdem Clementis edito in tomo tertio libertatum Ecclesiæ Anglicanæ pag. 1155. hi duo Cardinales recensentur quidem, sed cum nota quæ admonet illos fuisse sine aliquo titulo, & in epistola encyclica quam Cardinales Itali scripserunt post egressum è conclavi Carpentoratensi, cùm tituli ceterorum Cardinalium referantur, Iacobus tamen & Petrus de Columna vocantur tantùm Diaconi Cardinales absque ullo titulo, denique in bulla Ioannis XXII. data XVIII. Kal. Septembris anno primo, quæ extat apud Vvaddingum, Iacobus eodem modo nominatur Diaconus Cardinalis. Ratio ita agendi erat, quia cùm Bonifacius illos privasset cardinalatu, ut eos graviùs urgeret & omnem redeundi viam eis præcluderet, diaconiam sanctæ Mariæ in via lata, quæ pertinebat ad Iacobum, contulit in Lucam de Flisco, diaconiam verò sancti Eustachii, quæ Petri fuerat, in Richardum Petronum de Senis. Vterque autem vivebat ea tempestate qua Iacobus & Petrus reducti sunt in collegium Cardinalium. Nam Richardus obiit anno tantùm MCCCXIV. die decima Februarii. Lucas verò anno MCCCXXXVI. die ultima Ianuarii.

Certum est Petrum antè quàm à Bonifacio VIII. deponeretur fuisse Diaconum Cardinalem tituli sancti Eustachii. Et tamen in collectaneis de dissidio Bonifacii & Philippi pulcri pag. 611. reperio illum anno MCCCXXV. dictum fuisse Cardinalem S. Angeli. Immo Ioannes Andreæ in additionibus ad quartam partem Speculi Durandi in titulo de libellorum conceptione loquens de titulis Cardinalium, scribit sibi videri illos posse esse sine titulo; *ut nostris temporibus*, inquit, *fuit in Domino Petro de Columna, qui diù sine titulo se vocavit sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem, donec per ejus vacationem recuperavit titulum quem ante depositionem habuerat, scilicet sancti Angeli.* In quo tamen falsum fuisse puto Ioannem Andreæ, cùm certum sit, ut antea dixi, hunc Petrum fuisse initio Cardinalem sancti Eustachii. Existimo autem ei datum esse titulum sancti Angeli anno MCCCXII. post mortem Landulphi Brancatii. Quem titulum postea Ioannes XXII. anno MCCCXXVII. dedit Ioanni Columnæ, cùm eum vacuum superiore anno fecisset mors Petri.

Hunc Petrum Ioannes Villanius lib. 7. cap. 118. ait uxorem habuisse eo tempore quo factus est Cardinalis, sed Nicolaum IV. cum ea dispensasse, id est, matrimonii vinculum solvisse de plenitudine potestatis, tum verò eam factam esse sanctimonialem. *Fece Cardinale Messer Piero della Colonna non obstante che havesse moglie; laquale dispensò, e fecesi monacha.* Hic est enim verus horum verborum sensus. Neque mihi placet detorta ac violenta illorum interpretatio qui hinc collegerunt illam ingressam esse monasterium antè quàm maritus fieret Cardinalis.

Matthæus Vvestmonasteriensis ait hanc Cardinalium Columnensium restitutionem displicuisse quibusdam è sacro collegio. *Hinc*, inquit, *aliqui e fratribus murmurarunt.* Hi non alii fuisse videntur quàm qui à Bonifacio VIII. Columnensium hoste facti fuerant Cardinales, Franciscus nempe Vrsinus, ut reor, duo Caietani, & Richardus Petronus, ac fortasse quidam alius. Non puto enim ad ceteros transisse odia Bonifacii adversùs eam gentem.

Contrà Philippus & Eduardus Francorum Anglorumque Reges summis studiis prosequebantur eosdem Cardinales; ut patet ex epistola Philippi ad Clementem in archivo regio Parisiensi, & ex ea quam Eduardus ad eundem Papam scripsit, quæ edita est in tomo tertio libertatum Ecclesiæ Anglic. pag. 1158.

LEMOVICAS] Bernardus Guidonis in historia conventus Lemovicensis ordinis Prædicatorum: *Anno Domini* MCCCVI. *in festo beati Georgii martyris, quæ fuit in sabbato, Dominus Clemens Papa V. cum octo Cardinalibus venit Lemovicam, & ad domum fratrum Prædicatorum declinavit sine diverticulo ad manendum. Vbi concessit Priori præsenti agenti gratias & petenti quòd confessor quem sibi eligeret & ipse Prior super fratres & confessores quos ipse Prior fratribus deputaret, pro una vice eandem & tantam haberent in omnibus potestatem in foro pœnitentiali absolvendi & dispensandi ab omnibus culpis & pœnis citra purgatorium quantam ipse Papa. In crastino verò, in quo fuit dies dominica, littera dominicali B, idem Papa, visitato priùs corpore sancti Martialis, & benedictione data populo congregato in platea sancti Geraldi, recessit apud Solempniacum, versùs Burdegalam dirigens gressus suos.*

FRATER ÆGIDIVS] Vide Spondanum an. 1308. §. 5. Vvaddingum an. 1308. §. 6. Pag. 68.

§. 6. & Odoricum Raynaldum an. 1308. §. 26: 29.

PENITVS NIHIL EGIT] Contrà Froissartus vol. 1. cap. 28. scribit inimicos Dei, id est, Turcos aut Sarracenos recuperasse ferè totum regnum Rassiæ & Regem, *qui s'estoit de son temps fait chrestienner*, id est, qui se olim fecerat baptisari, cepisse ac crudeli martyrio cruciatum necasse.

Pag. 69. FVIT TOLOSÆ] Bis, ut antea diximus, Tolosæ fuit Clemens, anno nimirum MCCCV. in initiis sui pontificatus, & anno MCCCVIII. exeunte. Isthic agitur de secunda vice. De ultimo accessu ejus ad urbem Tolosanam ista leguntur apud Guillelmum Bardinum Consiliarium regium in parlamento Tolosano in historia chronologica MS. parlamentorum linguæ occitanæ: *Mense Decembri Dominus Clemens Papa ingressus est Tolosam. Omnes ordines tam seculares quàm regulares processionaliter incedebant cum cappis, vexillis, & crucibus. Vicarius Tolosæ insequebatur stipatus centum servientibus armorum. Postea subsequebantur Seneschallus cum magna caterva nobilium; Consules Tolosæ, qui pedites erant, & pretiosam umbellam deferebant, sub qua Dominus Papa incedebat super mula argenteo fræno decorè & splendidè instructa. A lateribus Papæ erant quatuor nobiles illius commensales, qui sub umbella pedibus ibant. Ab utroque latere umbellæ equitabant Domini de Vruona, de Mirapice, de Archiaco, de Mornayo, de Barbasano, & de Rapistagno missi ab illustrissimo Rege nostro ad honorificandum Dominum Papam. Domini de parlamento inverso ordine, ita ut post Ostiarios Graffarius, Procurator generalis, Consiliarii clerici & laici, & Præsidentes super mulas equitarent induti palliis, togis, & aliis vestimentis solemnibus. Dominus Iohannes de Savignelo Episcopus Nivernensis proposuit Dominis Prælatis qui Dominum Papam comitabantur quòd pro characteris episcopalis honore expediebat impedire ne parlamentum occuparet locum destinatum. Sed decretum inter eos fuit conditionem subeundam esse & incessum post Papam illis à parlamento definitum nobiliorem esse. Hoc ordine & hac forma ventum est ad Ecclesiam sancti Stephani; ubi certis orationibus factis, &* Te Deum laudamus *decantato, Dominus Papa fuit pedibus sub umbella ad palatium episcopale, ubi sedens in throno ab omnibus ordinibus adoratus & peroratus fuit breviter & succinctè. Die verò nativitatis Iesu Christi Dominus Papa Missam papalem celebravit in Ecclesia cathedrali, omnibus Dominis de parlamento purpuratis sacram communionem manu propria dedit; & post eos viri capitulares pariter communicaverunt vestiti paramentis capitularibus. Et istis à tabula amotis, Episcopus Nivernensis in hoc gerens vices Papæ ceteros qui voluerunt communionem communicavit. Hoc ipso die Dominus Papa omnes purpuratos de curia parlamenti ad suam mensam admisit, & illis magna privilegia concessit. In circumcisione Dominus Papa Missam papalem pariter celebravit, & omnes Prælati tam majores quàm minores pranserunt in aula papali.* Novem porrò Cardinales fuisse tum Tolosæ cum Papa patet ex tomo primo Bullarii Casinensis pag. 41. Discedens autem Tolosa ivit ad urbem Convenarum, uti mox dicemus, & dein ad monasterium Prulianum monialium ordinis sancti Dominici, ut scribit Bernardus Guidonis in historia ejusdem monasterii: *Item anno Domini* MCCCVIII. *quarto Kal. Februarii, die Mercurii, Dominus Clemens Papa V. vadens apud Avinionem locum curiæ destinatum secunda vice fuit in monasterio Pruliani, & sequenti die Iovis intravit claustrum & capitulum sororum cum quinque Cardinalibus, inter quos erat Dominus frater Nicolaus de Prato Episcopus Hostiensis, item Archiepiscopus Rothomagensis & Episcopus Tolosanus, ambo nepotes Papæ.* Octo Cardinales cum Papa fuisse cùm rediit ad Montempessulanum docet Petrus Gariellus pag. 436.

AD SEDEM S. BERTRANDI] sive urbem Convenarum, vulgò *Comenge*. Vide Odoricum Raynaldum an. 1309. §. 2.

EPS RVTHENENSIS] Petrus de Plana Cassagna, qui postea fuit etiam Patriarcha Hierosolymitanus. Vide Vvaddingum an. 1309. §. 1. & Odoricum Raynaldum an. 1309. §. 33. & seqq. & an. 1314. §. 12. Extat in tomo VIII. Spicilegii Dacheriani pag. 276. epistola ejus encyclica de subsidio terræ sanctæ, in cujus superscriptione per errorem vocatur Cardinalis. Obiit autem in urbe Ruthenensi anno MCCCXVIII. die sexta Februarii, & sepultus est in sacello Ecclesiæ cathedralis quod dicebatur S. Pauli, nunc verò est sacristia. Habetur in archivo regio Paris. epistola Clementis V. data Tolosæ VIII. Idus Ianuarii anno quarto, in qua Petrum Episcopum Ruthenensem Legatum apostolicæ sedis & Ecclesiam ejus enixè commendat Philippo IV. Regi Francorum. Pag. 70.

VICTVALIVM CARISTIA] De hac ipsa calamitate locutus esse videtur Gaspar Bruschius in catalogo Abbatum Campidonensium; ubi de Hardonanno Schneelier à Rauns agens ita scribit: *Cibavit & iste in magna charistia cocta pulte singulis diebus supra centum pauperes utriusque sexus.* Pag. 71.

RECEPIT CORONAM FERREAM] Episopi & magnates qui interfuerunt recensentur in veteri instrumento quod in catalogo Episcoporum Vercellensium pag. 200. edidit Stephanus Episcopus & ipse Vercellensis, ex quo alii deinde acceperunt. Pag. 72.

IN MODOECIA] Vide Albertinum Mussatum lib. 1. de gestis Henrici VII. cap. 12. & Iosephum Ripamontium par. 2. hist. Eccles. Mediolan. pag. 476.

Pag. 71. CREMONENSES] Quidam codices habent *Parmenses*. Retinuimus tamen aliam lectionem, quia Albertinus Mussatus plura habet in libro secundo de rebellione & contumacia Cremonensium, nihil de Parmensibus. Tum in libro sequenti eorum deditionem describit. Vide etiam suprà in secunda vita Clementis V. pag. 39.

ORDINATIONEM CARDINALIUM] Cardinalatum ea tempestate per rubeum pileum à Clemente V. exhibitum fuisse Guidoni Episcopo Trajectensi, sed ab eo recusatum, testatur Ioannes de Beka.

ARNALDUS DE FALGUERIIS] sive *de Faugeriis*, ut eum vocat Clemens V. in literis ad Regem Philippum. Quare vehementer falluntur qui illum aliter nominant. Eum Frizonius in Gallia purpurata pag. 275. ait in castro Mirimontis in Novempopulania ortum esse, sed non indicat unde istud acceperit. Ego verò cùm videam illum statim seribere Raymundum de Falgario Episcopum Tolosanum fuisse ejusdem cognominis & loci, quem Bernardus Guidonis in catalogo Episcoporum Tolosanorum & in catalogo Priorum provincialium ordinis Prædicatorum in provincia Provinciæ ait ortum de Miromonte castro diocesis Tolosanæ, facilè adducor ut credam Frizonium ita scripsisse ex conjectura tantùm, & Novempopulaniam de suo addidisse, quia videbat hunc Cardinalem dici Vasconem à Ciaconio. Contrà ego omnino persuasum habeo Arnaldum & Raymundum non fuisse prognatos ex eadem stirpe, quamvis fatear esse aliquam affinitatem inter eorum nomina.

Primam ejus in Ecclesia dignitatem fuisse reperio præpositatum Arelatensem, quo ornatum illum fuisse anno MCCCVII. constat ex literis quas eo anno Clemens V. dedit ad Philippum Regem Francorum XV. Kal. Decembris, ex quibus colligitur eum missum fuisse ad Philippum pro quibusdam arduis & occultis negotiis. Illi deinde Onuphrius Panvinius, Ciaconius, Frizonius, Sanmarthani, etiam Oldoinus, tribuunt titulum Camerarii Romanæ Ecclesiæ, sed falsò. Archiepiscopum Arelatensem evasisse initio anni MCCCVIII. certum est. Hinc factus est Presbyter Cardinalis anno MCCCX. die XIX. Decembris, & statim ad Sabinensem Ecclesiam translatus fine ejusdem mensis, eùm die XX. extinctus fuisset Petrus Hispanus Episcopus Sabinensis.

Petrus Saxius in historia Primatum Arelatensium ait duos Galhardos Arelatenses Archiepiscopos post Arnaldum commemorari in veteri elencho eorundem Archiepiscoporum, unum quidem Arnaldi fratrem, alterum cognomento Saumate, sed sibi videri unicum tantùm fuisse. Verùm illos esse diversos hinc quoque probari posse videtur quòd is qui Saumate dicebatur fuerat antea Episcopus Magalonensis ab anno saltem MCCCXVII. usquequò factus est Archiepiscopus Arelatensis, & tamen idem Saxius & liber obligationum archivi Vaticani testantur Galhardum, quem elenchus Ecclesiæ Arelatensis nuncupat fratrem Arnaldi de Falgueriis, fuisse Archiepiscopum illius sedis anno MCCCXI. & id quidem mense Februario, ut legitur in libro obligationum. Itaque affirmate licet Galhardum qui proximè successit Arnaldo fratrem ejus fuisse, & huic Galhardo successisse Galhardum Saumate antea Episcopum Magalonensem.

Arnaldo Episcopo Sabinensi provinciam Italiam decrevit Clemens V. anno MCCCXI. præcipuè ut Henricum VII. Imperatorem inungeret & coronaret. *Odoricus Raynaldus an.* 1311. §. 7. *& seqq. &* §. 21. *in addendu.* In libro obligationum adnotatum est eum recessisse de Romana curia in Italiam die XIV. Iunii. Quod aliquam repugnantiam importare videtur, cùm literæ pontificiæ de legatione ejus datæ sint die XIX. ejusdem mensis, probabile autem non sit illum absque iis capessere iter voluisse. Sed hæc quæ videtur repugnantia tolli nullo negotio potest. Etenim cùm haud dubiè ei decreta esset ista provincia initio Iunii, jussusque esset, ut Albertinus Mussatus ait in libro quarto de gestis Henrici VII. Imperatoris, in Italiam quàm maturè proficisci, celerrimè iter arripuit, certò sciens se literas illas multò antè recepturum quàm in Italiam perveniret. Pergentem autem Romam transisse per Mediolanum docent literæ Cassoni Archiepiscopi Mediolanensis adversùs Matthæum de Vicecomitibus apud Bernardinum Corium, & in castra Regis applicuisse circa Kalendas Augusti Albertinus Mussatus eodem libro quarto.

Anno tamen tantùm sequenti III. Kal. Iuli Romæ in Basilica Lateranensi coronavit Henricum Imperatorem. *Odor. Raynald. an.* 1312. §. 37. 39. 42. Falluntur autem, uti suprà diximus, qui hanc historiam aiunt non pertinere ad Arnaldum de Falgueriis, sed ad Arnaldum de Pelagrua.

Anno MCCCXIII. Clemens V. ei commisit cognitionem criminum quæ impingebantur quibusdam Templariis. *Odoric. Raynald. anno* 1313. §. 39.

Anno MCCCXVI. III. Non. Ianuarii delegatus est à Ioanne XXII. ut examinaret negotium Francisci electi Patracensis. *Waddingus to.* 3. *in regesto pag.* 53. *tit.* 2.

Obiit anno eodem MCCCXVII. die XVI.

Septembris, ut ex libro solutionum docet Contelorius. Saxius, quem alii postea secuti sunt, tradit eum obiisse Avenioni, sed eadem fide qua illum ex Italica legatione reducem scribit extinctum esse anno MCCCXIII.

In testamento Lucæ Cardinalis de Flisco anno MCCCXXXVI. die ultima Ianuarii ita scriptum est: *Item voluit restitui de bonis suis heredibus bonæ memoriæ Domini Arnaldi Episcopi Sabinensis ducentos florenos auri quos ab ipso Domino Arnaldo Cardinali dixit se mutuò recepisse.*

BERTRANDUS DE BORDIS] Ex literis Philippi IV. Regis Francorum datis apud Mediam-villam anno MCCCXI. mense Iunii, quæ extant in regesto XLVI. archivi regii Parisiensis, colligi potest illum fratremque ejus Petrum non fuisse ortos è nobili genere. In his enim literis continetur Regem eidem Petro, *licèt ex utroque parente nobilis forsitan non existat*, concessisse *ut trecentas libras Turonenses annui & perpetui redditus cum alta & bassa justitia meroque ac mixto imperio ubicunque in feudis, retrofeudis, censivis, & allodiis, pro se, heredibus ac successoribus suis quibuscunque legitimis titulis acquirere valeat*, & ut *à quolibet ad hoc idoneo cingulum recipere valeat militarem, & quòd ex tunc ipse posterique sui nobilium gaudeant dignitate.* Tum aliis literis ibidem eadem die & anno datis eidem Petro, qui *dominus* erat *loci seu villæ de Launaco diocesis Tolosanæ prope Tolosam*, fuisque heredibus & successoribus concedit in perpetuum *merum & mixtum imperium & omnimodam jurisdictionem altam & bassam villæ prædictæ, pertinentiarum ejusdem villæ, & ejus territorii & districtus.*

Habuit ergo Bertrandus fratrem Petrum dominum de Launaco, tum etiam Guillelmum factum Episcopum Lectorensem anno MCCCXI. ineunte, ac fortassis Bernardum dictum de Borda in libro Arnaldi Camerarii, ubi sic scriptum est: *Instrumentum continens venditionem quam Bertrandus Eisegerii de Guorda filius & heres Gauffridi Egueseris civis Avinionensis vendidit Bernardo de Borda Hostiario Domini nostri Papæ quoddam hospitium suum cum locali sibi contiguo sita extra ambarria civitatis Avinionensis &c. Datum Avinione an. Domini MCCCXVII. mensis Iulii.* In archivo regio Palensi reperitur vetus instrumentum confectum an. MCCCXXXIV. die tertia Decembris, in quo nominatur Bertrandus de Bordis Miles Seneschallus Gastonis Comitis Fuxensis & Vicecomitis Bearnensis, ac Locumtenens ejus in comitatu Fuxi; quem suspicari licet ejus Petri filium fuisse cui Philippus IV. Rex concessit ut à quolibet ad hoc idoneo cingulum militare recipere valeret.

Bertrando Clemens V. contulit canonicatum Ecclesiæ Lectorensis anno MCCCV. VI. Kal. Augusti *Ex regesto Clementis V. in bibliotheca regia.* Dein anno MCCCVIII. cùm Bernardus de Castaneto Episcopus Albiensis ad Aniciensem cathedram translatus esset, Bertrandus ei substitutus est in Albiensi. Quo loco mihi observandum incumbit vehementer errare eos qui putant Ecclesiæ Albiensi præfuisse anno MCCCVIII. quendam Geraldum sive Guiraudum. Etenim ex literis Philippi Regis datis Parisius die quarta Octobris ejusdem anni liquet Bernardo statim subrogatum esse Bertrandum, adeoque nullum inter eos Episcopum constitui posse. Eædem porrò literæ & alia vetera illorum temporum monumenta docent Bertrandum fuisse tum Clementis V. Camerarium. Quam dignitatem ab eo retentam fuisse constat reliquo vitæ tempore, ut legere est in collectaneis de dissidio Bonifacii VIII. & Philippi pulcri pag. 367. ubi anno MCCCX. die XVI. Martii nominatur Bertrandus Episcopus Albiensis Domini Papæ Camerarius, & in hac vita Clementis, ubi disertè vocatur Camerarius Papæ eo tempore quo factus est Cardinalis. Anno quoque MCCCXI die XIV. Augusti, id est, paulò antè quàm moreretur, fuisse Camerarium Papæ patet ex codice 3126. bibliothecæ Colbertinæ fol. 55. Obiit autem die XII. mensis Septembris sequentis, ut tradit Contelorius. Quamquam in excerptis ex libro obligationum ad me Roma missis pro die 12. ponitur 21. & ibi scriptum est eo die mortuum esse Bertrandum tituli sanctorum Ioannis & Pauli Presbyterum Cardinalem Papæ Camerarium. Ex quo loco certò colligitur illum non fuisse Episcopum Cardinalem, adeoque rectè ab Vghello to. 1. Italiæ sacræ pag. 309. reprehensum esse Ciaconium scribentem illum fuisse Episcopum Albanensem. quod ingenti labore postea clarissimè probavit Augustinus Oldoinus.

ARNALDUS NOVELLI] Illustrissimus vir Petrus de Marca Archiepiscopus Parisiensis lib. 7. hist. Bearnensis cap. 25. meminit cujusdam Arnaldi Novelli jus civile publicè profitentis in academia Tolosana anno MCCLXXXVI. Si constaret verum esse quod docent annales Cistercienses & inde Frizonius & Sammarthani in catalogo Abbatum Fontisfrigidi, nimirum Arnaldum Novelli Cardinalem fuisse Novempopulanum, existimari posset eum fuisse ex eadem gente ex qua prodierat ille Iurisconsultus, cùm is in actis ea tempestate confectis nominetur inter quosdam viros primarios Novempopulaniæ, licèt non omnes. Faciliùs crediderim fuisse patria Fuxensem, cùm in actis quibusdam datis Arausicæ anno MCCCV. die VII. Iulii ipse testetur se in quodam testamento suo legasse *usque ad sexaginta libras Turonensium parvorum pro stipendio seu mercede unius peditis boni & suffi-*

cientis de comitatu Fuxi pro passagio transmarino.

Hic fuit primò monachus monasterii Bolbonensis, ut suprà pag. 641. legere est, deinde Abbas Fontisfrigidi in diœcesi Narbonensi, tum Vicecancellarius Romanæ Ecclesiæ factus à Clemente V. anno MCCCVI. post Petrum Arnaldi Abbatem sanctæ crucis Burdegalensis. In instrumento fidelitatis præstito Domino Papæ Clementi V. per nuntios & procuratores Henrici VII. Regis Romanorum anno MCCCIX. die sabbati XXVI. mensis Iulii in palatio papali Avenionensi adnotatum est ea acta fuisse *præsentibus Domino Bertrando Episcopo Albiensi Domini Papæ Camerario, Domino Arnaldo Abbate monasterii Fontisfrigidi sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vicecancellario, Domino Bernardo Archiepiscopo Rothomagensi &c.* In causa item accusationum adversùs memoriam Bonifacii VIII. an. MCCCX. die XVI. Martii apud Avenionem, ubi constituuntur Notarii ad excipienda gesta, hæc acta dicuntur *præsentibus venerabilibus patribus Dominis Bertrando Episcopo Albiensi Domini Papæ Camerario, ac Bernardo Archiepiscopo Rothomagensi, Arnaldo Abbate Fontisfrigidi ordinis Cisterciensis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vicecancellario.* Item die XI. mensis Maii ejusdem anni nonnulla ibidem acta dicuntur præsente Arnaldo Abbate Fontisfrigidi sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vicecancellario. *Collectanea de dissidio Bonifacii VIII. & Philippi pulcri pag.* 367. 408.

Anno eodem MCCCX. delegatus à Clemente V. unà cum Raymundo Abbate Obazinensi & Ioanne de Gensanis Archidiacono de Combrallia in Ecclesia Lemovicensi ut componeret statum ordinis Grandimontensis, quædam statuta edidit quæ postea à Clemente confirmata fuerunt XII. Kal. Maii anno quinto.

Eodem anno, XIV. Kal. Januarii, factus est Presbyter Cardinalis tituli sanctæ Priscæ.

Anno MCCCXI. mense Iunio Philippus IV. Rex Franciæ ei concessit ut quinquaginta libras Turonenses annui & perpetui redditus ubicunque in feodis, retrofeodis, censivis, vel allodiis regiis quocunque titulo acquirere valeret easque in quascunque personas ecclesiasticas seculares vel religiosas aut collegium vel universitatem transferre. Quarum literarum auctoritate ipse anno sequenti, die secunda mensis Iunii, monasterio Fontisfrigidi dedit quasdam possessiones quas prope tenementum Montis Lauresii juxta Narbonam Iacobus Abbas Fontisfrigidi, is qui postea Benedictus Papa XII. dictus fuit, nomine procuratorio ipsius Arnaldi emerat à nobili viro Guiraldo de Rivo.

Anno MCCCXI. unà cum Arnaldo de Auxio Episcopo Pictaviensi missus est in Angliam ad componendos motus illius provinciæ. *Odoricus Raynaldus an.* 1312. §. 28. *& an.* 1313. §. 8. Qua tempestate Episcopus & Canonici Bellovacenses cum sumpsere judicem de gravi controversia quam habebant inter se, quam is sedavit judicio lato apud Monsterolium supra mare Ambianensis diœcesis Idibus Augusti ejusdem anni. Vide Petrum Louvetum to. 2. hist. Bellovac. pag. 521. Reducem fuisse ex Anglica legatione anno MCCCXIII. exeunte liquet ex his quæ referuntur ab Odorico Raynaldo an. 1313. §. 39.

Contelorius ait eum obiisse anno MCCCXVII. die XIV. Augusti, hora vespertina, idque se accepisse ex libro obligationum. Andreas Victorellus in additionibus ad Ciaconium pag. 877. istud ipsum antea docuerat ex monumentis Avenionensibus MSS. à Iosepho Maria Suaresio, qui postea Vasionensis Episcopus fuit, sibi traditis; additque cadaver illius postridie illatum fuisse in tumulum. Sed vir diligentissimus Domnus Claudius Stephanotius monachus Benedictinus adnotavit in suis collectaneis illum esse sepultum in suppedaneo majoris altaris monasterii Fontisfrigidi.

RAIMVNDVS GVILLELMI DE FARGIS] Fateor me valde impeditum fuisse in eruenda origine istius Cardinalis. Constat enim illum fuisse nepotem Clementis V: ex sorore, fratrem verò Bernardi Archiepiscopi Narbonensis. Porrò Bernardus in suo testamento nepotem suum vocat Bertrandum filium Cæciliæ de Baucio, quam Andreas Duchesnius lib. 5. hist. Monmorenc. pag. 448. scribit fuisse secundam uxorem Raimundi Guillelmi de Budos, & ex ea prognatum ait, præter ceteros, Bertrandum. Ex quo videtur colligi necessariò debere patrem istius Bertrandi fuisse fratrem Bernardi Archiepiscopi, adeoque eorum gentem qui de Fargis cognominabantur non esse distinguendam à Budossiis. Hanc conjecturam illud quoque adjuvat, quòd in hac vita Clementis & in libro obligationum archivi Vaticani Cardinalis iste vocatur Raimundus Guillelmi, cujus cognominis tres in familia Budossiorum ea tempestate commemorantur ab eodem Duchesnio. Præterea idem Bernardus Andreæ de Budossio, quem, cùm fuerit pronepos Papæ Clementis, consanguineum Bernardi fuisse constat, legat quingentas libras, & Amanevo de Budossio, *qui nihil habet*, mille libras. Quod si ita est, uti certè est, ita constituendum esse videtur hoc negotium ut primò quidem qui ex ea gente orti erant vocarentur de Fargis tantùm, postea verò cùm titulis suis addidissent Budossium, vetus nomen familiæ, ut plerique tum solebant, abjecerint & dynastiæ substituerint. Itaque Raimundus Guillelmi de Budos, qui fuit filius sororis Papæ Clementis, frater verò

ut suprà ostensum est, Raimundi Guillelmi Gardinalis, integro nomine vocari debuit Raimundus Guillelmi de Fargis dominus de Budos. quod in Cardinalem cadere non potest, qui non erat ortus è patre domino Budossii. Castri enim illius alta & bassa justitia anno tantùm MCCCIX. data est huic Raimundo.

Quamvis autem dixerim existimare me Fargios abjecisse vetus familiæ suæ nomen ut Budossiorum appellationem acciperent, id tamen de universa gente dictum nolim, sed de eo tantùm ramo in quo stetit castrum Budossii. Ceteros arbitror substitisse in diœcesi Vasatensi, unde illis origo, & proprium gentis nomen semper retinuisse. Etenim in actis fundationis sex capellaniatum in Ecclesia Albiensi fundatarum à Pictavino de Montesquino tunc Episcopo Albiensi anno MCCCXLVII. die XXI. Decembris fit mentio *nobilis Raimundi de Fargis quondam domini de Malovicino Vasatensis diocesis & Bertrandi de Fargis Domicells ejus filii*, illius nimirum qui in regesto quodam seneschalliæ Tolosanæ vocatur *Bertran de Fargues Escuier sieur de Mauvoisin en Agenois en la diocese de Basadois* anno MCCCXLVI. die XXVII. Iulii. Is verò Raimundus dominus de Malovicino in aresto quodam parlamenti Parisiensis dato anno MCCCXLI. nominatur cùm Cardinale de Fargiis, Ioanna de Fargiis ejus sorore, & Galhardo Episcopo Vasatensi, certo argumento illum pertinuisse ad hanc genealogiam. Ex iisdem Fargiis Vasatensibus ortum puto Bernardum de Fargis, cui anno tertio pontificatus Benedicti XII. provisum est *de prioratu secularis Ecclesiæ de Manso Agenesis Condomiensis diocesis vacante*, ut legitur in codice 1615. bibliothecæ Colbertinæ.

His ita constitutis, dicendum videtur Raimundum Guillelmi de Fargis Cardinalem, de quo nobis in præsentiarum sermo est, fuisse filium Raimundi de Fargis, fratrem verò Raimundi Guillelmi de Budos.

Fuit primò Thesaurarius Ecclesiæ Bellovacensis. Deinde Clemens V. ejus avunculus illum fecit Diaconum Cardinalem tituli S. Mariæ novæ. Anno MCCCXX. in familiam suam adscivit fratrem Vitalem de Fontibus orbis, vulgò *Fons-orbes*, Priorem conventus Rivensis ordinis Prædicatorum, ut legitur in veteri codice MS. biblioth. Prædicator. Tolosæ. Obiit an. MCCCXLVI. die v. Octobr. successoremque habuit in diaconia sua Petrum Rogerii de Bellofotti, qui postea fuit Papa Gregorius XI.

De hoc Raimundo ista leguntur in consilio 239. Oldradi de Ponte: *Bonæ memoriæ Dominus Clemens Papa V. dedit Reverendo in Christo Patri Domino R. sanctæ Mariæ novæ Diacono Cardinali conservatorem & judicem Episcopum Tolosanum, ita quòd ex tunc esset perpetua jurisdictio quoad omnia ipsius negotia etiam non cœpta. Postmodum Dominus Papa Ioannes XXII. Ecclesiam Tolosanam in metropolitanam erexit. Modo quæritur utrum in negotiis Domini Cardinalis ut conservator & judex procedere possit Archiepiscopus Tolosanus, vel per erectionem hujusmodi commissa jurisdictio expiraverit. Et est dicendum quòd potest procedere, nec jurisdictio expiravit.*

Ægidius Bellameta sæpe mentionem honorificam facit cujusdam Raymundi de Fargis, quem in cap. *Consulti* de procurat. vocat Doctorem famosum decretorum, & dist. 1. cap. *Humanum* Doctorem Aurelianensem multùm famosum, eundemque publicè in academia Aurelianensi ait explicasse seu repetiisse, ut tum dicebant, plurima capita juris canonici, præcipuè verò cap. *Etsi unanimiter*. de postulat. prælatorum. Eundem in dicto cap. *Consulti* vocat cimontanum. Animus ergò erat ista referre ad hunc Cardinalem. Sed cùm videam nullam ei dignitatem tribui à Bellameta, sed ab eo tantùm vocari Doctorem famosum, suspicari cogor diversum eum fuisse à Cardinale, sed tamen ex eadem gente.

BERNARDUS DE GARVO] Nescio ubi Ioannes Guesnæus invenit hunc hominem factum fuisse anno MCCXCIV. Abbatem Montis majoris prope Arelatem. Ego enim puto istud valde falsum esse.

DE S. LIBERATA] *sainte Liurade* in diœcesi Agennensi, non verò *sainte Delivrée*, ut malè vertit Franciscus Duchesnius.

Cùm in initiis pontificatus Clementis V. vacasset archidiaconatus Constantini in Ecclesia Constantiensi, is illum contulit in Bernardum de Garvo nepotem suum. Postea cùm illum anno MCCCX. faceret Cardinalem, *cum eo*, ut legitur in quodam regesto parlamenti Parisiensis, *dispensavit ut prædictum archidiaconatum & multas alias dignitates & beneficia posset cum conscientia retinere.*

Illum Onuphrius Panuinius in secunda epitome ait factum primò fuisse Diaconum Cardinalem, sed titulum non exprimit, & post Presbyterum tituli sancti Clementis. Postea Ciaconius addidit diaconiam S. Eustachii. quod verum esse non potest. Etenim anno MCCCX. is titulus fuit Richardi Petroni de Senis, qui anno tantùm MCCCXIV. extinctus est. Meliùs igitur Contelorius, qui in testamento Clementis V. se legisse ait illum fuisse Diaconum Cardinalem tituli sanctæ Agathæ in suburra. Quod ego verum esse agnovi ex ordinatione facta anno MCCCXXI. super hospitiis assignatis *Reverendo in Christo Patri Domino B. miseratione divina sanctæ Agathæ Diacono Cardinali* apud Sebastianum Fantonium lib. 2. hist. Avenion. pag. 177. & ex bulla Ioannis XXII. de ordinatione negotii Vicecomitis Leomaniæ,

nisi quòd isthic legitur *sanctæ Agathæ* tantùm, nulla mentione suburræ. Ac sanè si à nobis, quamquam non peritis, fieri possunt certæ divinationum conjecturæ, valde suspicor in testamento illo scriptum fuisse *sanctæ Agathæ* absque ullo additamento, & Contelorium, qui nosset Ecclesiam sanctæ Agathæ in Suburra, de suo addidisse vocabulum Suburræ. Vnica enim erat diaconia sanctæ Agathæ in equo marmoreo; Ecclesia verò sanctæ Agathæ in monte Suburræ recensetur inter abbatias in libro Ioannis Diaconi de Ecclesia Lateranensi, quem edidit vir doctissimus Ioannes Mabillonius in tomo secundo Musei Italici pag. 574. Vide etiam Onuphrium Panuinium in libro de episcopatibus, titulis, & diaconiis Cardinalium.

Studebat autem tum in academia Aurelianensi, ex qua illum Clemens evocavit in aulam. Quippe in libro obligationum archivi Vaticani scriptum est illum de Aurelianis venientem, ubi studebat quando fuit creatus Cardinalis, intrasse curiam Romanam die XX. Decembris. Onuphrius itaque scribit eum postea fuisse Presbyterum Cardinalem tituli sancti Clementis; idque factum à Ioanne XXII. interpretatur Ciaconius. Ego verò de ea re multùm dubito, cùm nihil uspiam istiusmodi reperiam.

Contelorius ex libro divisionum docet eum anno MCCCXXVIII. obiisse. Onuphrius autem scribit eum extinctum esse Avenione & sepultum ad Minores. Oldoinus, qui ista confundit, ita loquentem induxit Contelorium ac si is scripsisset reperiri in libro divisionum hunc Cardinalem è vivis excessisse Avenione anno MCCCXXVIII. & sepultum apud Minores.

NONDVM SVBDIACONI] Mittatur, & meritò, Bernardus Guidonis istos, *qui nondum erant Subdiaconi ordinati*, fuisse creatos Diaconos Cardinales. Postea istud mirum non fuit, & hodie est vulgatissimum. Quid si vidisset Franciscum Armellinum clericum cameræ apostolicæ, nondum prima tonsura clericali initiatum, à Leone X. factum Cardinalem initio mensis Iulii anni MDXVII. & sequenti tantùm mense Decembri ordinatum clericum? Ita enim rem actam esse testis est omni exceptione major Paris de Grassis Episcopus Pisaurensis.

Pag. 76 EXCEPTIS REGNIS HISPANIÆ] Multùm maximeque diversa fuit fortuna Templariorum in regnis Hispaniæ ab ea quam experti sunt in regno Francorum. Illi enim crimina sua fatebantur, & ideo comburebantur. Hispani verò, saltem Arragonenses, omnia negabant, etiam inter tormenta, & suam sociorumque vitam extra culpam esse aiebant; eamque ob causam, cùm deficerent testimonia, inculpabiles reperti dimittebantur. Habemus enim præ manibus acta authentica inquisitionis in diœcesi Helenensi, quæ tum pertinebat ad regnum Arragonum, anno MCCCIX. mense Ianuario factæ à Raymundo Episcopo Helenensi, ex quibus facilè colligitur Templarios illius regionis negasse omnia omnino capita accusationum quæ adversùs eos proponebantur. Præterea habemus acta Concilii quod Guillelmus Archiepiscopus Tarraconensis celebravit anno MCCCXII. in quo, matura deliberatione præhabita, Templarii illius provinciæ absoluti sunt ab hæresibus, eisque canonica pœnitentia indicta. Neque enim tam culpabiles reperiebantur ut fama ferebat. Et tamen interim Iacobus Rex Arragonum bellum adversùs eos summa vi gerebat. Denique cùm eorum ordo cassatus fuisset in Concilio Viennensi, eorumque bona translata in Hospitalarios, idem Rex ægrè ferens ea quæ iidem Templarii possederant in regnis suis transferri ad alienos, virum nobilem Vitalem de Villanova misit ad Ioannem XXII. recenter factum Papam; & demum, post varios tractatus habitos, ita convenit inter Hospitalarios & eundem Vitalem, ut bona quidem Templariorum quæ erant in regno Arragonum pertinerent in perpetuum ad Hospitalarios, ea verò quæ consistebant in regno Valentiæ, tribuerentur monasterio de Montesia, quod idem Rex construere meditabatur. Extant harum rerum testes literæ Ioannis XXII. datæ Avenioni IV. Idus Iunii anno primo. Vide Spondanum an. 1317. §. 3. ubi & Odoricum Raynaldum anno eodem §. 40.

GVILLELMVS DE MANDAGOTO] ortus è veteri Mandagotorum nobilitate apud Lodovenses, ut docet Ioannes Plantavitius Pauseus in chronologia Episcoporum Lodovensium pag. 188. 271. Vidi præterea in veteri regesto Philippi Augusti literas Raymundi de Mandagoto Domicelli, in quibus fatetur & recognoscit se tenere in feodum à Domino Rege quædam prædia & possessiones in diœcesi Nemausensi. Ex ea ergo nobilitate ortus est iste Guillelmus. Pag. 76

Archidiaconum Nemausensem fuisse constat, & Præpositum Ecclesiæ Tolosanæ. Eum deinde Bonifacius VIII. creavit Archiepiscopum Ebredunensem circa annum MCCXCV. & in Hispaniam citeriorem misit unà cum Guillelmo Ferrerio Presbytero Cardinale sancti Clementis & Rostagno de Capra Archiepiscopo Arelatensi ad constituendam pacem inter Principes illarum partium. Vide gesta Comitum Barcinonensium edita in appendice Marcæ Hispanicæ pag. 577.

Ex cathedra Ebredunensi translatus est ad Aquensem in secunda Narbonensi, ut rectè ostendit Ioa. Scholastieus Pitton in annalibus Ecclesiæ Aquensis. Rectè inquam. Etenim in

libro obligationum legitur fratrem Ioannem de Podio ordinis Prædicatorum fuisse electum Archiepiscopum Ebredunensem anno MCCCXI. & cùm anno sequenti Guillelmus factus est Episcopus Prænestinus, erat Archiepiscopus Aquensis, ut, præter scriptores vitæ Clementis, docet etiam liber obligationum. Deinde Neapoleo de Ursinis Cardinalis S. Adriani scribens ad Philippum Regem Francorum post mortem Clementis V. apertè ait illum per Clementem ad archiepiscopatum Aquensem & postmodum ad cardinalatum fuisse assumptum. Falluntur autem qui putant cum Avenionensem quoque Episcopum fuisse. In primis verò errat insigniter ac multipliciter Augustinus Oldoinus scribens eum an. MCCCXVI mortuo Clemente archiepiscopatum Ebredunensem obtinuisse, & hinc postremò ad archiepiscopatum Aquensem esse translatum.

Eo tempore quo factus est Cardinalis erat absens à curia Romana, quam postea intravit die XXV. Ianuarii, ut habet liber obligationum.

Anno MCCCXIII. in sabbato Paschæ ad diaconatus ordinem sacravit Adolphum de Marca electum confirmatum Episcopum Leodiensem, & ad presbyteratum in sabbato post Pentecosten, ut tradit Ioannes Hocsemius in gestis ejusdem Adolphi. Vide etiam Levoldum à Northof in chronico Comitum de Marca.

Tanta autem doctrinæ & probitatis existimatione floruit ut eùm post mortem Clementis V. Cardinales Itali ei quærerent bonum successorem, oculos in hunc Guillelmum conjecerint. Hujus rei testis est locupletissimus Neapoleo Cardinalis in epistola ad Philippum Regem, de qua paulò suprà diximus: ubi scribit se cum ceteris Cardinalibus Italis hunc Guillelmum, quem multùm laudat, statuisse locare in sede Petri, sed Cardinales Vascones obstitisse.

Virum fuisse doctissimum omnes consentiunt. Sed magnum, præter cetera, hujus rei argumentum est quòd Bonifacius VIII. compositurus librum sextum Decretalium, ejus in hoc opera uti voluit, ut legitur in præfatione sexti. Composuit præterea tractatum de electionibus, cujus extant quinque vetera exemplaria MSS. in bibliotheca Colbertina, & cujus cum laude meminit Ioannes Andreæ in additionibus ad speculum Durandi par. 4. in tit. de elect. ubi tamen vitio librariorum eum vocat Guidonem Magadum. Extant plures ejus editiones. Ceteras ejus lucubrationes, quarum alii meminere cum laude, non recenseo. Onuphrius Panuinius in secunda epitome tradit eum obiisse Avenione anno MCCCXXI. Contelorius addit mensem Novembrem. Oldoinus verò scribit eum illic sepultum in Ecclesia sanctæ Catharinæ.

Celsus Faleo in libro tertio historiæ Bonon. pag. 319. ait Guillelmum de Mandagoto, quem vocat Cardinalem sanctæ Potentianæ, Episcopum Avenionensem, & Referendarium Papæ, scripsisse ad cives Bononienses epistolam eorum laude plenam ut eos stimularet ad recuperandam Ferrariam, quæ tum erat extra obedientiam Romani Pontificis. Errat autem Celsus. Epistola enim illa, quæ extat integra apud Ghirardaccium, scripta non fuit à Guillelmo Mandagoto Cardinale Prænestino, sed à Guillelmo Arrufati Presbytero Cardinale tituli S. Pontentianæ & Domini Papæ Referendario, uti dictum est suprà pag. 642.

Nepotes habuit Guillelmum de Mandagoto Episcopum Vcetìcensem & Lodovensem, Robertum Episcopum Massiliensem, & Hugonem primò Præpositum Ebredunensem, postea verò Episcopum Massiliensem post Robertum. Ex eadem etiam haud dubiè gente fuit Catherina de Mandagot religiosa abbatiæ de Lampamone in diœcesi Ruthenensi an. MCCCCXLVI. ut patet ex veteri stilo parlamenti Parisiensis pag. 379. inter arresta venerandi Tolosatium parlamenti.

BERENGARIUS BITERRENSIS] cognomento Fredoli, quem nonnulli malè confundunt cum patruo ejus Berengario Episcopo Tusculano. Iste, qui cognominatus est junior, fuit Canonicus & Camerarius Ecclesiæ Biterrensis. Anno verò MCCCIX. extincto Richardo Nepotis Episcopo Biterrensi, qui mortuus est leprosus, ei substitutus est à Clemente V. & ab eo postea factus est Presbyter Cardinalis tituli sanctorum Nerei & Achillei. Erat tum absens à curia Romana, quam postea intravit die XXV. Ianuarii, ut docet liber obligationum. Deinde Ioannes XXII. eum fecit Episcopum Portuensem anno MCCCXVII. post mortem Bernardi de Castaneto. Anno MCCCXIX. die XII. mensis Iulii scripsit unà cum Petro de Ariablay Cardinale ad fratres Carmelitas conventus Parisiensis de corpore Michaelis de Becco Cardinalis transferendo ad eundem conventum. Ei epistola edita est inter probationes historiæ Cardinalium Gallorum pag. 277.

Sammarthani fratres in catalogo Episcoporum Biterrensium scripsere illum obiisse anno MCCCXVI. die XXIV. Aprilis. Illud verò falsum esse necesse est. Constat enim illum fuisse Episcopum Portuensem post Bernardum de Castaneto, qui die tantùm XIV. Augusti anni illius extinctus est. Præterea Berengarius scripsit anno MCCCXIX. de corpore Michaelis de Becco, uti jam vidimus. Tum anno MCCCXXI. consecravit Henricum Episcopum Kijoviensem. *Bzov. an.* 1321. §. 12. Denique non fuisse mortuum V. Idus Iulii ejusdem anni liquet ex bulla Ioannis XXII. de ordina-

tione negotii Vicecomitis Leomaniæ & Altivillaris. Obiit ergo circa an. MCCCXXIII. cùm eo anno recenseatur, ut ait Contelorius, inter Cardinales defunctos non participantes. Augustinus tamen Oldoinus scribit hunc Cardinalem patruumque ejus uti jam defunctos recenseri inter Cardinales de communibus servitiis participantes in bulla Ioannis XXII. data XIII. Kal. Iulii anno II.

ARNALDUS DE AUXIO] Petrus Frizonius, quem alii postea secuti sunt, scribit in Gallia purpurata pag. 282. illum in lucem editum in pago diœceseos Condomiensis vocato *d'Aux*, unde nomen suum est sortitus. Assentior sanè ei scribenti ortum esse è diœcesi Condomiensi; sed ex pago *d'Aux* ortum scribenti absque aliis testimoniis non puto debere me credere. Faciliùs existimaverim natum in oppido sancti Petri de Romevo, vulgò hodie *de la Romieu* vel, ut incolæ scribunt, *Larromieu*, haud procul ab urbe Condomiensi. Quippe ipse illic Ecclesiam collegiatam construxit in honore sancti Petri, quam se testatur fundavisse *in patrimonio suo in villa de Romevo*, seu *de rebus suis patrimonialibus*, ut docent literæ Eduardi II. Regis Angliæ de confirmatione ejusdem fundationis datæ apud Vvindesore anno regni VII. die XXVIII. Ianuarii, quæ extat in regesto XLIX. archivi regii Paris. cap. 216.

Factus est Episcopus Pictaviensis an. MCCCVI. post mortem Galteri Brugensis. Anno verò sequenti Augustoritum Pictonum invectus est cum pompa, ut Beslyus scribit in catalogo Episcoporum Pictaviensium. Laurentius Bochellus in codice decretorum Ecclesiæ Gallicanæ pag. 296. 872. 957. 1070. 1158. 1164. & 1204. refert varia capita constitutionum synodalium ab hoc Arnaldo Episcopo editarum, præcipuè verò ex synodo habita anno MCCCX.

Anno MCCCXI. die XII. Septembris obiit Bertrandus Cardinalis de Bordis Papæ Camerarius. Tum verò Clemens V. locum Camerarii dedit huic Arnaldo.

Anno MCCCXII. missus est in Angliam unà cum Arnaldo Cardinale sanctæ Priscæ ut motus nobilium adversùs Regem & Petrum de Gaverstone excitatos sedaret. *Odor. Raynal. an.* 1312. § 28. Certum est autem eum non fuisse Cardinalem ea tempestate. Vnde rectè Vvalsinghamus de itinere horum nuntiorum in Angliam ait: *Vnus illorum Cardinalis extitit sancta Prisca. Alter verò fuit Episcopus Pictavensis, & postea Cardinalis.* Quare ita explicandus est continuator Nangii editus in tomo XI. Spicilegii Dacheriani pag. 648. ut quæ de Cardinale Albanensi dicuntur, ea intelligantur acta post diem XIV. mensis Decembris, quo factus est Cardinalis absens à curia Romana, ut notatur etiam in libro obligationum. Ideoque Clemens ad eum misit pileum rubeum in Angliam. *Odor. Raynald. an.* 1316. §. 19. Remansit tamen in Anglia saltem usque ad mensem Septembrem anni sequentis, ut patet ex eodem Raynaldo an. 1313. §. 8. Hinc verò postea discessisse & Parisiis fuisse initio anni sequentis docet idem continuator Nangii pag. 652.

Anno MCCCXVIII. Ioannes XXII. ei & Guillelmo Testæ ac Guillelmo de Longo Cardinalibus commisit examen sanctitatis vitæ ac miraculorum fratris Thomæ Aquinatis, ut verisimilitudine inde sumpta, tutiùs procedi posset in canizatione ipsius. *Ex bulla Ioannis XXII. edita in tomo primo Martii Bollandiani pag.* 687.

Anno MCCCXIX. idem Papa ei & Guillelmo Testæ ac Lucæ de Flisco Cardinalibus commisit causam confirmationis Lampredii electi Traguriensis. Bulla Ioannis extat apud Ioannem Lucium in memoriis Traguriensibus pag. 232.

Anno MCCCXX. die XXIII. Augusti apud Avenionem condidit testamentum, in quo præcepit ut quando ipse extinctus esset, corpus suum deferretur ad Ecclesiam sancti Petri de Romevo à se fundatam, & postridie obiit. Quare falluntur qui eum usque ad annum MCCCXXVII. vitam produxisse putant, in eam opinionem abrepti haud dubiè propter auctoritatem veteris inscriptionis memoriæ ejus appositæ in Ecclesia Pictaviensi, ubi notatur mortuus anno milleno ter centum terque noveno. Meliùs Contelorius, qui mortem ejus revocat ad annum MCCCXX. ex libro divisionum. Quippe ex bulla Ioannis XXII. de ordinatione negotii Vicecomitis Leomaniæ & Altivillaris data V. Idus Iulii anno quinto apparet Arnaldum jam tum fuisse mortuum, cùm inter Cardinales qui huic negotio definiendo interfuerunt nominetur Vitalis Episcopus Albanensis, Arnaldi videlicet successor. Prætetea in literis Officialis Lactorensis datis anno MCCCXXI. die sabbati post festum beatæ Mariæ Magdalenæ, in quibus descriptum est instrumentum quo idem Cardinalis potestatem facit recipiendi à Consulibus & habitatoribus de Romevo juramentum fidelitatis, in literis inquam Officialis Lactorensis ejus mentio fit tanquam mortui, *Domini Arnaldi divina providentia quondam Episcopi Albanensis atque S. R. E. Cardinalis.*

Corpus ejus translatum est in Ecclesiam S. Petri de Romevo, in qua jacet ad dexteram majoris aræ absque ulla inscriptione. Singulis porrò annis solenne anniversarium ejus illic celebratur die XXIII. Augusti.

Fratrem habuit nomine Guillelmum; ex quo prognati sunt Fortius Episcopus Pictaviensis,

viensis, Petrus Raymundi Decanus Pictaviensis & Abbas beatæ Mariæ majoris in eadem urbe Pictaviensi, Guillelmus Succentor Pictaviensis, & Geraldus de Auxio. Geraldi, ut arbitror, filius fuit Petrus de Auxio, quem Arnaldi Cardinalis nepotem fuisse reperio. Petrum verò certum est fuisse patrem alterius Arnaldi. Nescio autem an istius Arnaldi filius fuerit nobilis Ioannes de Auxio Domicellus & patronus Ecclesiæ collegiatæ de Romevo, quem in decimo octavo ætatis suæ anno constitutum fuisse anno MCCCLVIII. ostendit vetus membrana ejusdem Ecclesiæ.

In regesto LXXII. archivi regii Paris. cap. 314. habentur literæ Philippi VI. Regis Francorum datæ Parisiis anno MCCCXL. mense Augusto, quibus legitimationis titulo decoravit Ioannem, Guillelmum, & Raymundum de Aux fratres, *licèt ex copula detestanda, de Pontifice videlicet in pontificali dignitate, gradu, seu ordine constituto & soluta ortum habuisse dicantur.*

GVILLEL. PETRI DE GODINO] Hoc enim est verum ejus nomen, quamvis alii in diversum trahant. Fuit patria Baionensis. Quam ob causam Ptolemæus Lucensis suprà pag. 50. eum vocat Guillelmum Petri de Baiona, & in epistola dedicatoria historiæ ecclesiasticæ Guillelmum de Baiona. Hæc tantùm de eo reperi. Quidam recentiores aiunt fuisse filium Petri Godini. Nihil de genere ejus. Itaque nescio ubinam gentium Franciscus Duchesnius invenerit eum fuisse ortum ex infima fæce populi. Contrà ex testamento ejus colligi posse videtur eum ex nobili aut saltem honestissima familia Baionensi prodiisse.

Regulam fratrum Prædicatorum amplexus est in conventu Baionensi, *in quo* (ut legitur in prima vita Benedicti XII. pag. 205.) fuit *vestitus & educatus.* Postea verò missus est Lutetiam ut illic studiis literarum incumberet. Quam ob causam legavit conventui Parisiensi mille florenos auri de Florentia. Testatur illud ipse Guillelmus in suo testamento, cujus varia fragmenta reperimus inter schedas Arnaldi Oihenarti. *Ceterùm cùm Dominus Cardinalis prafatus ad dictum Parisiensem conventum, in quo, sicut asseruit, educatus extitit & promotus, meritò devotionem habuerit & habeat, assignaverit & donaverit jam est diu mille florenos auri de Florentia pro emendis redditibus expendendis infra ipsum conventum in emendis torticiis pro altaribus omnibus quæ sunt infra dictorum fratrum Ecclesiam vel prope tam aliis quàm majori &c.* Quod autem ais se promotum fuisse in conventu Parisiensi, istud ita intelligendum est ut dicatur promotus ad dignitatem baccalarii & magistri theologicæ facultatis eo tempore quo degebat in eodem conventu, anno nimirum MCCCI. factus baccalarius, anno verò MCCCIV. licentiatus, ut docet Bernardus Guidonis. Anno MCCCI. in vigilia beatæ Mariæ Magdalenæ electus est Prior provincialis in provincia Provinciæ à patribus qui tum apud Agennum celebrabant capitulum provinciale. Et cùm in capitulo generali Bisuntino habito anno MCCCIII. ea provincia divisa fuisset in duas, in Tolosanam nimirum & Provincialem, Guillelmus fuit factus Prior provincialis novæ provinciæ, id est, Tolosanæ. Qua tempestate, cùm Rex Philippus Francorum esset Tolosæ, jamque frater Bernardus Delitiosi Minorita querelas nonnullas adversùm se excitasset, Guillelmus iste bonum ei testimonium præbuit, ut ipse Bernardus ait in actis processus sui: *Item dixit quòd Reverendus Pater Dominus Guillelmus Petri nunc Episcopus Sabinensis, tunc verò Prior provincialis in provincia Tolosana, dixit Tolosa in præsentia claræ memoriæ Domini Philippi Regis Franciæ & dictorum Inquisitorum & multorum aliorum fratrum Prædicatorum & plurium etiam Prælatorum & Baronum & aliorum valentium virorum quòd dicti Inquisitores & ordo Prædicatorum nihil habebant querelæ vel injuriæ contra eundem fratrem Bernardum, imò eum bonum religiosum & bonum catholicum reputabant.* Et tamen eum idem Bernardus suspectum habebat. Nam in iisdem actis legitur illum noluisse respondere super XXXII. articulo accusationum *ex eo quòd habet in curia Domini Papæ contra se quatuor Cardinales, videlicet Dominos Hostiensem, Sabinensem, & Dominum Nicolaum Cardinalem Gallicum, & Dominum Vitalem Cardinalem.* Præfuit ergo provinciæ Tolosanæ *à festo sancti Michaelis usque ad sequens festum Trinitatis; fuitque absolutus in sequenti generali capitulo Tolosano in crastino Trinitatis, scilicet VIII. Kal. Iunii, in festo sancti Vrbani Papæ anno Domini MCCCIV & missus fuit inde Parisius paulò post capitulum generale pro magisterio theologiæ præsentatus,* ut ait Bernardus Guidonis. Anno MCCCVI. factus est lector sacri palatii Avenionensis, ubi legit theologiam per sex annos, ut idem Bernardus testatur. Interim verò factus est Capellanus Papæ. qua dignitate eum ornatum fuisse docent variæ epistolæ Clementis V. datæ anno quarto & septimo pontificatus ejus.

Anno MCCCIX. XV. Kal. Novembris Clemens V. huic Guillelmo, nondum Cardinali, & Guillelmo Baufeti Episcopo Parisiensi commisit curam citandi ad curiam Romanam eos qui memoriam Bonifacii VIII. accusabant. *Odor. Raynald. an.* 1309. §. 4. Vide etiam collectanea de dissidio Bonifacii VIII. & Philippi pulcri pag. 300.

Anno MCCCXII. factus est Presbyter Cardinalis tituli sanctæ Cæciliæ. Qua tempestate Ptolemæus Lucensis, (qui erat ejus contuber-

Vu

nalis, ut patet ex tomo primo Martii Bollandiani pag. 706.) ei dicavit historiam suam ecclesiasticam in libros XXIV. divisam. Hæc autem ejusdem historiæ inscriptio extat in veteribus libris. *Reverendo in Christo Patri Domino Guillelmo de Baiona tituli sanctæ Cæciliæ Presbytero Cardinali frater Ptolemæus de Luca ordinis Prædicatorum, ejus devotus subditus & fidelis, cum sui recommendatione obsequiosam in omnibus voluntatem.*

Moriens demum Clemens anno MCCCXIV. legavit huic Guillelmo Cardinali quædam ornamenta pontificalia, quæ ipse postea testamento quoque legavit Ecclesiæ Baionensi. Sic enim legitur in ejus testamento: *Item legavit Dominus Cardinalis præfatus pro altare beatæ virginis cathedralis Ecclesiæ Baionensis capellam suam albam, quam sibi dedit sanctæ memoriæ Dominus Clemens Papa quintus, totam integram, habentem septem paramenta, videlicet processionales cappas duas, casulam unam, dalmaticas duas, & tunicas duas.*

Anno MCCCXVII. die XII. Septembris extinctus est Arnaldus de Falgueriis Episcopus Sabinensis; eodemque die in ejus locum fuisse suffectum Guillelmum Petri de Godino tradit Contelorius.

Anno MCCCXX. missus est Legatus in Castellam. *Odoric. Raynald. an.* 1321. §. 41. *an.* 1322. §. 17. *& in addendis an.* 1320. §. 35. & Spond. an. 1322. §. 13. Illic anno MCCCXXII. celebravit Concilium apud Vallem Oleti, quod extat in tomis Conciliorum.

Anno MCCCXXIV. Avenioni consecravit fratrem Raimundum ordinis Prædicatorum Patriarcham Hierosolymitanum. *Odor. Raynald. an.* 1324. §. 44.

Anno MCCCXXV. cùm gravem accusationem adversùs fratrem Vbertinum de Casali instituisset frater Bonagratia, delegatum esse à Papa Ioanne XXII. causæ cognitorem Guillelmum hunc Episcopum Sabinensem colligitur ex veteribus monumentis quæ nos vulgavimus in libro primo miscellaneorum nostrorum pag. 293.

Anno MCCCXXVII. accusati sunt quidam clerici Francorum tanquam magicis artibus Karolum IV. Regem suum præcipitassent ad mortem. Clerici erant, ideoque causæ eorum cognitio pertinebat ad judices ecclesiasticos. Dedit igitur Ioannes Papa judices, Guillelmum Episcopum Sabinensem, Petrum de Arrablayo tituli sanctæ Susannæ Presbyterum Cardinalem, & Bertrandum de Montefavenrio Diaconum sanctæ Mariæ in Aquiro. *Odor. Raynald. an.* 1327. §. 44.

Anno MCCCXXXV. die XXII. Decembris condidit testamentum; cujus, uti suprà monuimus, varia fragmenta reperimus inter schedas Oihenarti. Executores verò testamenti sui nominavit Petrum Hispanum Presbyterum Cardinalem tituli sanctæ Praxedis, Neapoleonem de Vrsinis tituli sancti Adriani & Bertrandum de Montefaventio tituli sanctæ Mariæ in Aquiro Diaconos, Bernardum Episcopum Aquensem nepotem suum, Bernardum de Novodompno Canonicum Bellovacensem suum & sacri palatii apostolici auditorem, & Petrum de Godino Camerarium suum. Hinc in rubricis regesti anni tertii Benedicti XII. cap. 321. legitur: *Neapoleoni sancti Adriani Diacono Cardinali. Conceditur sibi quòd in executione testamenti bo. me. Guillelmi Episcopi Sabinensis cum Petro de Godino possit procedere in absentia aliorum executorum.*

Mortalitas ejus finita est Avenione anno MCCCXXXVI. die, uti scriptum est in prima vita Benedicti XII. pag. 204. & in libro obligationum, quarta Iunii, hoc est, pridie Nonas Iunii. Quare error est, non falsitas, quòd Augustinus Oldoinus scribit illum obiisse pridie Idus Iunii. Quoniam verò statuerat in suo testamento uti si ipsum contingeret extremum diem claudere in provincia Provinciæ, accipiendo provinciam secundùm limitationem ordinis Prædicatorum, corpus suum sepeliretur *in Ecclesia dictorum fratrum Tolosæ infra presbyterium ad partem dextram post sedes ministrorum*, hinc factum ut illic sepultum sit. Sic enim habet vetus codex MS. fratrum Prædicatorum Tolosæ in catalogo Priorum provincialium provinciæ Tolosanæ: *Ejus corpus requiescit in conventu Tolosano.* quod etiam scriptum est in prima vita Benedicti XII. pag. 205. Ex quibus testimoniis certò constat falli Antonium Senensem scribentem illum esse sepultum apud Montempessulanum. Vidimus autem nos olim Tolosæ sepulcrum ejus ex marmore candido, cui superimposita est ipsius statua è marmore item candido, & pileum ejus rubeum suprà fune appensum.

Lucubrationes ejus recenseantur à Nomenclatore Cardinalium & aliis. Nullus autem eorum commemorat tractatum de potestate Ecclesiæ, quem laudat Petrus Bertrandi Cardinalis S. Clementis in procemium libri sexti decretalium his verbis; *Prædicta extraxi de quodam tractatu quem fecit Dominus G. Petri Episcopus Sabinensis Cardinalis, quem tractatum intitulavit de causa potestatis Ecclesiæ.* Idem in cap. *Quoniam.* de renuntiat. in sexto ita scribit: *Circa autem materiam istam dicit dictus Dominus G. Petri Sabinensis in dicto libello suo de potestate Apostolorum sic dicendum, quòd Papa in nullo casu, quandiu est Papa, propter quodcunque crimen potest nec à Concilio nec à tota Ecclesia nec à toto mundo deponi, non solùm quia est superior, sed quia est à Deo, qui sibi Romani præsulis, quandiu præsul est, judicium reservavit.*

Bernardus Episcopus Aquensis, cujus suprà facta mentio est, vocabatur de Liposca, eratque Guillelmi Cardinalis nepos ex sorore. Sic enim testatur vetus membrana Aquensis, in qua scriptum est quòd Ioannes XXII. episcopatum Aquensem *ad preces bonæ memoriæ Domini fratris Petri de ordine Prædicatorum Episcopi Sabinensis Cardinalis contulit Domino Bernardo de Liposca ejusdem Domini Cardinalis nepoti, sororis suæ filio, Archidiacono in Ecclesia Xantonensi.* Ille verò rediens à peregrinatione Hierosolymitana anno MCCCXLV. captus est à quibusdam ministris regiis haud procul Agatha, & in carceres Agathensis Episcopi conjectus. Qua de re graviter ad Episcopos Agathensem, Biterrensem, ac Magalonensem, tum etiam ad Philippum Valesium Regem Francorum scripsit Clemens VI. ut constat ex regesto anni quarti pontificatus ejus. In illis porrò literis testatur idem Clemens Bernardum hanc peregrinationem suscepisse cum consensu Romani Pontificis. Quod mihi quandam obscuritatem inducere videtur. Etenim in regesto anni sexti pontificatus Innocentii VI. reperio eum die secunda Nonar. Mart. concessisse Bernardo Episcopo Aquensi uti ei liceret sepulcrum dominicum & alia oratoria terræ sanctæ personaliter visitare unà cum triginta personis quas ad hoc duceret eligendas. Quare oportet aut hunc Bernardum bis cogitasse de itinere Hierosolymitano, primò quidem sub Clemente, deinde sub Innocentio, aut illum qui profectus est sub Innocentio diversum esse à Bernardo de Godino.

Ejusdem Guillelmi Cardinalis nepos fuit etiam Bartholomæus de Veyries Domicellus, quem ipse in suo testamento substituit ceteris executoribus suis, eique legavit mille florenos auri de Florentia. *Item Bartholomæo de Veyries nepoti suo pro multis servitiis & magnis per eundem Bartholomæum ab annis pluribus sibi factis tam pro se quàm pro ejus prole de prima uxore suscepta legavit mille florenos auri de Florentia.*

In eodem testamento reperi illum prætereà tres habuisse neptes, Gratiam videlicet de Liposca, cui *tam pro se quàm pro sua filia secundò genita maritanda vel in religione ponenda legavit quingentos florenos*, Axevilbim nuptam Petro de Villa civi Baionensi, & Agnetem filiam Sclarmondæ sororis germanæ ipsius Cardinalis. Sic enim legitur in eodem testamento: *Item sororibus monasterii de Pulchro-videre prope Baionam Aquensis diocesis legavit centum florenos auri pro pane. Item sorori Agneti filiæ quondam Dominæ Sclarmondæ sororis suæ germanæ, nunc Abbatissæ dicti monasterii legavit centum florenos pro suis necessitatibus.*

VITALIS DE FURNO] Ex hac vita & aliis monumentis veteribus certò constat illum fuisse patria Vasatensem & Episcopum Vasatensem non fuisse. Quare certum est errorem commissum esse à Nicolao Bertrandi in opere de Tolosanorum gestis fol. 52. ubi enumerans Doctores ordinis seraphici Francisci qui Tolosæ floruerunt ait: *Frater Vitalis de Furno Cardinalis & Episcopus Basaten. Tolosanus.*

Iuvenis ergo arripuit institutum Franciscanorum, ac progressu temporis factus est magister in theologia. *Odoric. Raynald. an* 1310. §. 37. *Vvadding. in scriptoribus ordinis Minorum pag.* 330. Ipse se vocat sacræ theologiæ Doctorem in libro primo miscellaneorum nostrorum pag. 270. Deinde verò evasit Minister provincialis Aquitaniæ. *Vvadding. ibid. & an.* 1310. §. 2. *an.* 1312. §. 10. Tum Presbyter Cardinalis tituli S. Martini in montibus, *præsens in curia*, ut legitur in libro obligationum, ac denique Episcopus Albanensis à Ioanne XXII. post obitum Arnaldi de Auxio, quem obiisse constat anno MCCCXX. die XXIV. Augusti, uti suprà pag. 670. diximus. Mirum est autem eum prætermissum fuisse ab Vghello in catalogo Episcoporum Albanensium.

Anno MCCCX. Clemens V. ei & aliquot aliis viris gravissimis commisit examen errorum qui dicebantur extare in quibusdam lucubrationibus Petri Ioannis Olivi Minoritæ. *Vvadding. an.* 1310. §. 2. *& seqq.*

Anno MCCCXIX. cùm gravis instituta esset accusatio contra fratrem Bernardum Delitiosi Minoritam, datique essent judices à Papa, & ille interrogatus super articulo XXXII. in quo accusabatur dixisse publicè quandam sententiam Inquisitorum latam adversus Vicedominum Ambianensem esse falsam & nullam & *quòd totum quicquid factum fuerat in inquisitione à viginti annis citra erat falsum, dixit quòd non responderet prædicto articulo nec aliis sequentibus ex eo quòd habet in curia Domini Papæ contra se quatuor Cardinales, videlicet Dominos Hostiensem, Sabinensem, & Dominum Nicolaum Cardinalem Gallicum, & Dominum Vitalem Cardinalem.*

Eodem anno, VI. Idus Novembris, interfuit solemni translationi corporis sancti Ludovici Episcopi Tolosani in Ecclesia Massiliensi fratrum Minorum. *Vvadding. an.* 1319. §. 2.

Anno MCCCXXI. v. Idus Iulii interfuit ordinationi negotii Vicecomitis Leomaniæ, ubi vocatur Episcopus Albanensis. *Ex regesto Ioannis XXII. in bibliotheca Colbertina.*

Anno MCCCXXII. commota gravi, uti tum videbatur, quæstione de paupertate Christi & Apostolorum, jussus à Ioanne Papa XXII. scripto promere sententiam suam, eam dedit quam ex codice Vaticano edidit Odoricus Raynaldus an. 1322. §. 67. Exci-

tavit autem adversum se iram Papæ, ut ait Michael de Cæsena apud Nicolaum Minoritam fol. 79. ubi loquens de Ioanne XXII. ait: *Publice hanc quæstionem proposuit, videlicet utrum asserere & pertinaciter affirmare Dominum nostrum Iesum Christum ejusque Apostolos non habuisse aliqua in speciali nec in communi foret hæreticum censendum, & formam ipsius quæstionis in scriptis omnibus Prælatis in curia sua existentibus tradi fecit, & statim in ipso principio contra legem Domini de officio Præsidis observandam cœpit animi motum verbis & vultu detegere & ostendere verbis & signis exterioribus quòd ipse sentiebat & pronuntiare volebat & intendebat dictam assertionem hæreticam fore censendam. Quod etiam manifestè & notoriè patuit ex eo quòd omnes dicentes & tenentes quòd Christus & Apostoli habuerunt in proprio & in communi, & quòd contrarium dicere erat hæreticum, ipsos & eorum dicta laudabat, si qui verò contrarium asserebant, ipsos verbis acriter confundebat, sicut patuit in Domino Vitali dicti ordinis Minorum Albanensi Episcopo Cardinali. Nam quia in consistorio coram ipso Domino Iohanne ipse Dominus Vitalis dixit quòd prædicta asserere non erat hæreticum, sed erat hæreticum contrarium asserere judicandum cùm determinationi contenta in Decretali Domini Nicolai III. repugnaret, ipse Dominus Iohannes verbis acerrimis publicè arguit & confudit ipsum Dominum Vitalem dicens sibi pluries & frequenter*, Dicatis hæreses vestras, *eum de hæresi cum animi impetu ob hoc arguens & reprehendens. Vnde ipse Dominus Vitalis ex iis comminationibus metu perterritus, de prædictis quæ dixerat inductus fuit ut in consistorio publicè diceret culpam suam & solemniter revocaret. Hoc etiam patuit in reverendis patribus Arnaldo Roiardi Archiepiscopo Salernitano & Henrico Episcopo Lucano & Ieronymo Episcopo Caphensi, de ordine fratrum Minorum tamen, quos ipse Dominus Iohannes acriter & enormiter redarguit, quia dicebant dictam assertionem non esse hæreticam, & se stare in hoc cum determinatione Ecclesiæ posita in decretali* Exiit *firmiter asserebant; qui semper constantes in veritate quam dixerant persisterunt.* Ista suis verbis hinc descripsit Vvaddingus an. 1323. §. 3. ubi tamen mutavit ista, *Dicatis hæreses vestras*, pro quibus posuit: *Hæ sunt hæreses vestræ, hæreses profertis.* Ibidem, ut hoc quoque obiter dicam, Arnaldum Archiepiscopum Salernitanum, qui rectè Arnaldus Roiardi vocatur à Michaële de Cæsena, vocavit Arnaldum Turrianum. Is enim est qui archiepiscopatu Salernitano dimisso maluit esse Episcopus Sarlatensis in Aquitania secunda, quem verò vocatum esse Roiardi patet etiam ex eodem Vvaddingo an. 1320. §. 40. an. 1340. §. 12. & ex libro primo miscellaneorum nostrorum pag. 271. Ex his quæ relata sunt à Nicolao Minorita rectè sumi conjectura potest de hoc Cardinale Vitali intelligenda esse hæc verba Guillelmi Oxami ex compendio errorum Ioannis Papæ: *Pro istis autem erroribus & quampluribus aliis alter eorundem (scilicet Ioannis XXII.) sæpius reprehensus à diversis personis, & ut pestiferas suas revocaret assertiones, vel saltem cessaret ab eisdem, per Cardinales suos & alios publicè & occultè admonitus fuit & rogatus. Nec profuit correptio cujuscunque. Quinimmo correptores suos & admonitores in tantum terruit quòd etiam Cardinales Episcopi & in theologica facultate magistrati, qui aliquando fortissimè sibi restiterant & ipsum reprehenderant de suis erroribus prophanis & detestandis, timentes ipsius furiam, à suis correptionibus salutiferis, ne damna temporalia incurrerent, pavidi cessaverunt.*

In codice 765. bibliothecæ Colbertinæ, in quo continentur gravamina tempore Ioannis XXII. illata Ecclesiis & ecclesiasticis personis in regno Portugaliæ, item scriptum est: *Item in litteris provisionis facta per Dominum nostrum summum Pontificem Reverendo Patri Domino fratri Vitali Cardinali de Ecclesia de Obidos & in processibus executorum suorum super hoc factis, quos nunquam procuratores nec executores sui ausi fuerunt publicare.*

Obiit anno MCCCXXVII. die XVI. Augusti, ut legitur in ejus epitaphio. Quare certum est typographorum errore factum ut à Contelorio scribatur mortuus anno MCCCXVII. decennio videlicet citiùs. Onuphrius verò & qui eum secutus est Ciaconius insigniter falsi sunt putantes eum obiisse anno MCCCXX. quos errasse notat adversùs Ciaconium Vvaddingus an. 1320. §. 5.

Addit Augustinus Oldoinus illum legationibus aliquibus functum esse pro Romana Ecclesia. quod ego alibi non memini me legisse.

De illo agens laudatus suprà Nicolaus Bertrandi hæc ait: *Monasterium Canonicarum sancti Saturnini à fundamentis ædificari fecit, & in eodem Deo devotè servientes virgines donis amplissimis dotavit; prout ipsa documenta, quæ in dicto monasterio habentur, amplius manifestant.* Contrà Guillelmus Catellus in Memoriis Occitaniæ pag. 267. ait invenisse se in quibusdam veteribus monumentis hoc monasterium initio habitatum fuisse à puellis pœnitentibus, quas tum repentitas vocabant, vulgò *Repenties*, postea verò Raimundum Atonis, qui ab anno MCCCI. usque ad annum MCCCXXXIV. fuit Abbas sancti Saturnini, eas velasse ac jussisse uti vocarentur Canonicæ sancti Saturnini. Sed in hoc fallus est Catellus, ut id quoque adnotem, quòd existimavit hunc Raimundum fuisse Abbatem sancti Saturnini usque ad annum MCCCXXXIV.

cùm constet eum factum fuisse primum Episcopum Mirapicensem anno MCCCXVII. & in actis processus fratris Bernardi Delitiosi reperiam Petrum Textoris, qui postea fuit Cardinalis, fuisse Abbatem sancti Saturnini anno MCCCXVIII. die XII. Iulii. Rursum isthic oritur alia difficultas circa easdem virgines, & ea quidem gravissima. Etenim in vulgato Abbatum sancti Saturnini catalogo adnotatum est hunc Raimundum Abbatem statuta monialium Canonicarum sancti Saturnini ordinavisse anno MCCCII. die tertia Iulii, diù videlicet antè quàm Vitalis cogitare posset de constituendo monasterio earundem Canonicarum. Aut certè dicendum est hoc monasterium diù ante tempora Vitalis constitisse, sed ab eo reparatum ac dotatum fuisse. Rursum alia ingens difficultas se nobis ingerit accepta ex literis Ioannis Ducis Normanniæ, quas invenimus in regesto B Seneschalliæ Tolosanæ. In illis quippe literis datis anno MCCCXLVI. mense Iunio disertè scriptum est moniales sancti Saturnini Tolosæ fuisse religiosas ordinis Cartusiensis. In libro verò miraculorum S. Tomæ Aquinatis, quæ collecta sunt à fratre Raimundo Hugonis eodem tempore quo corpus ejusdem sancti delatum fuit Tolosam, mentio est cujusdam religiosæ Canonissarum Tolosæ. Ex quo videtur colligi debere eas moniales fuisse verè Canonissas, non verò Cartusienses. Ego Tolosatibus eas difficultates relinquo. Illud interim addam eorum opinionem qui Raimundum Attonis è gente Verdala ortum fuisse volunt hinc juvari quòd Guillelmus Bardinus in historia chronologica parlamentorum linguæ occitanæ loquens de quibusdam motibus quæ in ea regione evenerunt anno MCCCXIII. inter præcipuos auctores rebellionis nominat Raimundum de Verdala Abbatem sancti Saturnini.

Ad extremum monendus est lector editum esse Moguntiæ anno MDXXXI. volumen hoc titulo: *D. Vitalis de Furno olim Cardinalis, Archiatri ut insignis, ita & peritissimi, pro conservanda sanitate tuendaque prospera valetudine, ad totius humani corporis morbos & agritudines, salutarium remediorum curationumque liber utilissimus.* Et Vvaddingus quidem hoc opus inter reliquas Vitalis lucubrationes retulit citra controversiam. At ego persuasum omnino habeo illud non esse nostri Vitalis, eo in primis argumento quòd auctor illius operis vixisse se testatur ævo Belæ Regis Hungariæ, hoc est, multùm antè quàm iste Cardinalis in hunc mundum veniret. Sic enim ait auctor cap. 298. *Expertum est temporibus nostris quòd Rex Vngaria nomine Bela in coitu cum uxore sua smaragdum in digito habuit qui propter coitum in tres partes fractus est.*

De eodem Vitali Cardinale mentio est apud Oldradum consil. 130.

ABBAS S. SEVERI] in diœcesi Adurensi, vocatus Raimundus in libro obligationum archivi Vaticani. Mirum est Oldoinum, qui frequenter, uti par erat, utitur Elencho Contelorii, omisisse hunc Cardinalem in opere suo & pro eo substituisse Petrum Abbatem sancti Severi de Rostagno factum Cardinalem incerto tempore. Sanè Onuphrius Panuinius & Ciaconius illum vocant Petrum per errorem, quòd rectè adnotavit idem Contelorius, sed nullatenus dubitarunt de tempore quo factus est Cardinalis. Referunt enim hunc honorem ei delatum à Clemente V. in tertia Cardinalium creatione. In collectaneis Petri Puteani de dissidio Bonifacii VIII. & Philippi pulcri pag. 408. legitur eundem Clementem, *cùm nocte proxima præterita per nares passus fluxum sanguinis extitisset*, protogasse cognitionem accusationum adversùs memoriam Bonifacii, hancque prorogationem factam esse publicè in palatio apostolico Avenionensi anno MCCCX. die XI. Maii *præsentibus venerabilibus viris Dominis Arnaldo Fontisfrigidi sancta Romana Ecclesia Vicecancellarii & de sancto Severo Narbonen. & Aduren. diœcesis monast. Abbatibus.* Hic locus eodem modo habetur in veteri codice MS. authentico bibliothecæ Colbertinæ fol. 42. id est, omisso nomine Abbatis S. Severi. Anno dein MCCCXVI. Ioannes XXII. recenter electus ei commisit examen electionis Demetrii Archiepiscopi Colocensis. *Vvaddingus to. 3. in regesto pag. 52.* Obiit anno MCCCXVII. ut scribit Contelorius.

GVILLELMVS TESTA] Illum Onuphrius Panuinius, quem secutus est Ciaconius, scribit factum fuisse Cardinalem ex laico. Oldoinus verò eos reprehendit qui ita sentiunt, quia constat hunc virum nuntii apostolici munere functum esse in Anglia & clericum Domini Papæ vocatum à Vvalsinghamo. Sed hoc argumentum debile & infirmum valde est. Etenim clericos Papæ eos quoque dici qui clerici non essent docet exemplum Francisci Armellini suprà pag. 665. relatum. Potuit etiam facilè falli Vvalsinghamus, homo morum curiæ Romanæ parum peritus: Quoad dignitatem verò nuntii, vel unicum Petri de sancto Martiale Militis, quem sedis apostolicæ nuncium in Sicilia fuisse scribunt continuator Ptolemæi Lucentis in tomo quinto Duchesnii pag. 897. & Bzovius an. 1352. §. 7. ex regesto Clementis VI. Papæ, ostendit posse etiam laicos esse nuntios apostolicæ sedis. Et Baldus in cap. *Decernimus* de judiciis ait laicum posse esse nuntium Episcopi. Vera tamen interim est opinio Oldoini. Constat quippe ex monumentis editis in tomo ter-

tio libertatum Ecclesiæ Anglicanæ pag. 1068. 1084. 1098. 1099. 1168. 1171. 1178. 1179. 1182. eum fuisse Capellanum Papæ & Archidiaconum Araiensem in Ecclesia Convenarum eo tempore quo missus est in Angliam. Quare hinc emendandus est liber antiquitatum Ecclesiæ Britannicæ qui vulgò tribuitur Matthæo Parkero Archiepiscopo Cantuariensi, in quo scriptum est pag. 207. Guillelmum Testa Archidiaconum Arravensem fuisse constitutum œconomum Ecclesiæ Cantuariensis à Papa Clemente. quod ille accepit ex veteribus monumentis quæ referuntur in tomo tertio libertatum Ecclesiæ Anglicanæ pag. 1178. & sequenti. Non fuit ergo promotus ex laico. Factus est autem Cardinalis anno MCCCXII. quum adhuc nuntius esset apostolicæ sedis in partibus Anglicanis; ideoque pileus rubeus ad eum missus est in Angliam. *Odoricus Raynald. an.* 1316. §. 19. Anno porrò sequenti fuisse etiamnum in Anglia docet idem Raynaldus an. 1313. §. 8.

Rediit deinde Avenionem; & illic ex delegatione Ioannis XXII. unà cum Nicolao de Prato Episcopo Ostiensi & Iacobo Gaytani Diacono Cardinale S. Georgii in Velabro intertogavit Fratrem Bernardum Delitiosi Minoritam super certis capitulis quæ contra eum reddebat Inquisitor Tolosanus. *Ex actis processus ejusdem Bernardi MSS.*

Anno MCCCXVIII. Ioannes XXII. ei & Arnaldo de Auxio Episcopo Albanensi ac Guillelmo Longo Diacono Cardinali S. Nicolai in carcere Tulliano commisit examen sanctitatis vitæ ac miraculorum fratris Thomæ Aquinatis ordinis Prædicatorum, ut veri similitudine inde sumpta, tutiùs posset procedi in canonizatione ipsius. *Ex bulla Ioannis XXII. edita in tomo primo Martii Bollandiani pag.* 687.

Anno MCCCXXII. rogatus sententiam de famosa illa quæstione quæ tum agitabatur in ordine fratrum Minorum, an Christus & Apostoli habuissent aliqua in proprio aut in communi, & an haberent tantùm simplicem usum rerum consumptibilium, respondit eorùm sententiam qui putant eos nihil habuisse non repugnare eorum opinioni qui aliter sentiunt, si modò tempora distinguantur, sed uno eodemque tempore convenire non posse. *Odoric. Raynald. an.* 1322. §. 66.

Obiit Avenione anno MCCCXXVI. mense Novembri, ut in bulla quadam Ioannis XXII. se invenisse testatur Contelorius. Cui ego lubens assentior. Quæ enim alii de eius morte scripsere somnia sunt hominum parum attentorum ad historias quas scribebant.

Nescio ubinam Augustinus Oldoinus invenit hunc Guillelmum primum Condomii Episcopum nominatum fuisse à Ioanne XXII. novi istius episcopatus institutore. Quod ante Oldoinum ne fando quidem usquam auditum, ego falsissimum esse puto. Æquè parum verum est quod idem Oldoinus & alii tradunt eum fuisse Archiepiscopum Remensem, non satis distinguentes Guillelmum Testam Cardinalem à Guillelmo de Tria Archiepiscopo Remensi.

CONDOMIENSIS] Ex eadem gente Condomiensi ortus est Gerardus Testa Doctor decretorum & Auditor Anglici Cardinalis Albanensis, cujus mentio extat apud Raimundum Hugonis in historia translationis corporis S. Thomæ Aquinatis pag. 732. Eundem fuisse Præpositum Ebredunensem docent vetera monumenta edita à Ioanne Guesnæo lib. 2. Cassiani illustrati pag. 635. Apud Rubeum lib. 6. hist. Ravenn. pag. 584. mentio est Martini Testæ Archidiaconi Ravennatis an. MCCCLXX. qui tum Ravennæ erat cum Cardinale Anglico.

Petrus deinde Testa Episcopus Condomiensis interfuit celeberrimo Concilio Parisiis habito anno MCCCXCVIII. & omnino censuit decernendam esse subtractionem obedientiæ Benedicti XIII. pertinacis adversùs juramentum suum. In codice porrò 819. bibliothecæ Colbertinæ extat tractatus Domini Petri Testa Episcopi Condomiensis circa eandem materiam.

In veteri scheda archiepiscopatus Narbonensis confecta anno MCCCIX. die IX. Iunii nominatur Ioannes Testa Licentiatus in legibus, Baccallarius in Decretis, Canonicus Ecclesiæ Biterrensis, & Vicarius generalis in spiritualibus & temporalibus Archiepiscopi Narbonensis.

SEPTIMUM DECRETALIUM] Pag. 80. Bonifacius de Amanatis in proœmium Clementinarum disputat an liber iste, quia volumen est per se, debeat dici liber septimus decretalium. Ita verò ego vocatum reperi in literis quas Michael de Cæsena scripsit anno MCCCXXXI. ad universos fratres ordinis Minorum congregandos in Perpiniano, quas refert Nicolaus Minorita fol. 267. *& per aliam decretalem in Viennensi Concilio promulgatam & in septimo libro sub titulo de verborum significatione insertam.* Ipse etiam Papa Ioannes XXII. ita citat in epistola scripta anno MCCCXXI. ad Ioannem Episcopum Argentoratensem adversùs Beguinas: *occasione constitutionis novæ positæ sub titulo de statu monachorum libro septimo, quæ incipit Cùm de quibusdam mulieribus &c.* Quamquam falsus est in hoc loco scriptor Papæ. Etenim ea Clementis V. constitutio extat in titulo de religiosis domibus, ut Episcopo sint subjectæ. Istud tamen non obtinuit. Hodie enim liber ille non vocatur liber septimus decretalium, sed Clementinæ tantùm. quod etiam obtinebat ævo Ioannis Andreæ. Tradit Ioannes Aven-

tinus in libro ſeptimo annalium Boiorum, idque ſe accepiſſe ait ex Occamo, Clementem eam ob cauſam ſuperſediſſe publicatione ſeptimi libri decretalium quòd in eo multa continerentur quæ ſimplicitati chriſtianæ & libertati religionis imponerent, adeoque animam agentem aboleri illum juſſiſſe. Hæc ſunt ejus verba pag. 751. prioris editionis: *Septimum juris pontificii librum, quem Clemens quintus deceſſor ejus compoſuerat, ſed quòd multa quæ ſimplicitati chriſtianæ, libertati religionis imponerent, ibi continerentur, publicare ſuperſederat, atque animam agens aboleri juſſerat, edidit, omnia quæ ibidem ſcripta erant rata fore conſtituit; quæ à Benedicto, qui Ioanni ſucceſſit, rurſus antiquata ſunt. Hæc à Vuilhelmo Occomenſi accepi.* Petrus Bertrandi Cardinalis S. Clementis in cap. *Abbates.* de reſcriptis in Clementinis ait: *NISI VBI] Hic uſque ad verbum SI QVIS fuit poſt Concilium Viennenſe additus per illos quibus iſtæ conſtitutiones in melius reformandæ commiſſæ fuerunt. Vnde per hoc dicas ipſas ligare à tempore miſſionis Domini Io. Papæ, non à tempore primæ publicationis.*

OBIIT] *non nimis ſenex*, ut ait Ioannes Andreæ in gloſſa procemii Clementinarum.

XII. KAL. MAII] Iſtud etiam verè tradit Ioannes Villanius lib. 9. cap. 58. An autem vera ſit inclementiſſima illa ſatyra quam ſtatim ſubdit adverſùs Clementem non adeo exploratum habetur. Ait enim illum fuiſſe hominem avarum, ſimoniacum, luxurioſum, qui amicam habebat Comitiſſam Petragoricenſem pulcherrimam feminam, filiam Comitis Fuxenſis, Bruniſſendim nimirum matrem Talayrandi Cardinalis. Hæc enim omnia à nullo alio quàm à Villanio commemorantur & à ſancto Antonino tit. 21. cap. 3. §. 3. qui ex Villanio, ut apparet, accepit. Vnde ſequitur nullum huic narrationi fulcimentum dari ex teſtimonio Antonini. Itaque Spondanus an. 1314. §. 2. & Odoricus Raynaldus eod. an. §. 15. dicere non debuerant has ineptias ſcriptas eſſe etiam à piis viris, cùm à nullo alio ſcriptæ ſint quàm à Villanio &, qui eum deſcribere ſolet, Antonino. Spondanus tamen eas redarguit, itidemque Raynaldus, argumento & ipſiſſimis Spondani verbis uſus, quamvis eum non nominet.

B. MARIÆ DE VSESTA] Bzovius an. 1310. §. 61. ex regeſto Ioannis XXII. ſcribit Bertrandum Vicecomitem Leomaniæ Clementis V. nepotem reponendis ejus oſſibus arcam argenteam auro & lapidibus pretioſis ornatam pretio ſupra quinquaginta mille nummum aureorum comparaſſe reponendam ſuper tumulum ejus in Eccleſia Vſeſtæ. Infrà quum agemus de Galhardo Cardinale de Motha viſuri ſumus eum ſuis ſumptibus exſtruxiſſe ſepulcrum Clementis.

CANONICOS INSTIT.] Aymericus de Peyraco Abbas Moyſſiacenſis in codice 2835. bibliothecæ Colbertinæ fol. 89. *Idem Clemens genus ſuum ſublimavit, & plura caſtra eidem conſtruxit. Decimas Leomaniæ nobilibus conceſſit contemplatione Vicecomitis nepotis ſui. Et collegium de Villandrau & Vzeſta inſtituit, & jus patronatus generi ſuo conceſſit in perpetuum. Prædictus Papa Clemens V. non potuit bene fundare dictum collegium Vzeſtæ ſeu de Villandrau, ſed oneravit ſucceſſorem ſuum quòd impleret quod ipſe inceperat. Propterea Dominus Iohannes XXII. immediatè ſucceſſor ſuus quendam prioratum abbatiæ Moyſſiaci commendavit perpetuò &c.*

Habemus præ manibus veteres ſchedas MSS. in quibus continetur bulla Ioannnis XXII. de fundatione ejuſdem collegii, item literas Petri Textoris Cardinalis ad Decanos & capitula Eccleſiarum Vſeſtæ & Vinhandraudi de penſione annua octuaginta librarum Turonenſium præſtanda monachis Moyſſiacenſibus ſtudentibus Toloſæ ſuper fructibus & redditibus prioratus ſanctæ Gavellæ. Olim prioratus ille datus fuerat Eccleſiæ Toloſanæ. Dein monachi S. Michaelis de Cluſa illum habuerunt. Neſcio autem quomodo amiſerint, ſi tamen amiſerunt. Vide Catellum pag. 875. Memoriarum hiſtoriæ Occitaniæ. Caſtrum de ſancta Gavela Raimundus VII. Comes Toloſanus emit anno MCCXLVIII. die XII. Augusti à Bernarda filia quondam Aycardi de S. Gavela. Extat inſtrumentum venditionis.

CVM ALIA CVRIA] non tamen integra, ut videtur. Quippe ex commentario Ægidii Bellameræ in cap. *Si tranſitus.* diſt. 79. colligi poteſt tres tantùm Cardinales fuiſſe apud Carpentoractem, ceteros fuiſſe in urbe Avenionenſi; uno excepto, qui apud Arauſicam morabatur. Erratum autem eſt apud Ægidium, vitio haud dubiè librariorum, ubi ſcriptum eſt fuiſſe in ſacro collegio XXVIII. Cardinales eo tempore quo Clemens V. mortuus eſt. Erant enim XXIV. tantùm. Cùm ergo ex ſcriptoribus horum temporum conſtet XXIII. tantùm fuiſſe ingreſſos conclave apud Carpentoractem, apparet abſentem eum fuiſſe qui erat apud Arauſicam. Diverſo errore Oldoinus numerat tantùm XIX. Cardinales viventes quando Ioannes XXII. electus eſt. Pag. 81.

NOMINE REGENTIS] In regeſto anni primi Ioannis XXII. extat bulla ejus data Avenioni II. Idus Novembris, qua *nobili viro Philippo claræ memoriæ Regis Franciæ filio regna Franciæ & Navarræ regenti* indulget ut monaſteria monialium cum octo fratribus Prædicatorum & Minorum ordinum ingredi poſſit. Pag. 84.

KAROLO SINE TERRA] id eſt, Karolo Comiti Valeſiæ. Vide Spondan. an. 1325. §. 4. Pag. 85.

Pag. 87. PHILIPPVS PAPIÆ COMES] Horum trium insignium virorum mentionem simul facit Albertinus Mussatus lib. 2. de gestis Henrici VII. cap. 5. *Harum conditionum tractatores Philipponum Comitem Guidonis soterum, Simonem de Colubiano Vercellensem, & Antonium de Fisiraga Laudensem interponendos &c.* Vide historiam Cortusiorum lib. 1. cap. 12.

Pag. 88. DEVM OBTESTOR] Eadem Henrici oratio, quamquam paulò diversis verbis, extat apud Albertinum Mussatum in eodem libro.

Pag. 89. AMEVS] Sic ferè idem Mussatus pro Amedeo. Gallicè enim dicimus *Amé*.

Pag. 91. RIZARDVS GAMBATESA] Hanc historiam enarrat etiam Mussatus lib. 5. cap. 6. Fuisse verò hunc Richardum Seneschallum comitatuum Provinciæ & Forcalquerii docent epistola Karoli II. Regis Siciliæ ad Papam Clementem V. scripta die XXVI. Aprilis anno MCCCVII. & Cæsar Nostradamus in historia Provinciæ pag. 351. ubi uxorem ejus nominat Catherinam Glandatensem dominam de Falcone. Vide etiam annales Ecclesiæ Aquensis editos à Pittone pag. 167. & veterem historiam Pistoriensem pag. 97.

IOHANNES GERMANVS REGIS] Vide Nicolaum Specialem lib. 7. cap. 1. Erat filius Karoli II. Regis Siciliæ & Mariæ Hungaricæ. Duxit ille tum Gravinæ Comes dictus & Princeps Achaiæ uxorem Agnetem filiam Arehambaldi Comitis Petragoricensis & Brunissendis de Fuxo, sororem autem Talayrandi Cardinalis. Conventiones hujus matrimonii initæ fuerunt apud Vallem viridem in diœcesi Nemansensi anno MCCCXXI. die XIV. Novembris. Obiit anno MCCCXXXV. die quinta mensis Aprilis, pluribus liberis relictis. Agnetem autem ejus uxorem scio superstitem fuisse adhuc anno MCCCXLIII. die secunda Maii.

LODOVICVM DE SABAVDIA] Karolus IV. Imp. in libro de vita sua: *Pater autem meus commisit regimen omnium illorum & tuitionem mei Domino Ludovico de Comitibus Sabaudiæ, qui erat socer Azonis Vicecomitis & gubernatoris Mediolanensis.* Et paulò pòst: *Dominus autem Ludovicus de Sabaudia prædictus commissarius noster & tutor bene prævidisset aliqua pericula, sed non apposuit remedium; & nescio quo motus spiritu, fortè amore generi sui Azonis Vicecomitis supradicti, recessit de patria, nos relinquens in angustia.*

Pag. 94. REGIS FRANCIÆ LITTERIS] Extant apud Albertinum Mussatum lib. 16. de gestis Henrici VII. cap. 3. & inde apud Odoricum Raynaldum an. 1313. §. 21.

Pag. 97. GALHARDVS DE GOTHO] Aliam tamen mortis ejus causam fuisse tradit Matthæus Vvestmonasteriensis his verbis: *Die sancti Clementis, cùm Papa primò Missarum solemnia celebrasset, post prandium orta lite & mota pugna inter clientes Papæ & Cardinalium, unus de fratribus summi Pontificis occisus est.* Non diffiteor quin illud verum esse possit quod de cæde Galhardi tradit Matthæus. Sed illud certò falsum est quod ait hanc discordiam excitatam esse die sancti Clementis, id est, die XXIII. Novembris. Etenim ex bulla Clementis qua confirmat quandam donationem Ecclesiæ Burdegalensi factam ab eodem Galhardo certò colligitur illum mortuum esse ante diem vigesimam ejusdem mensis. Vide Spondanum an. 1305. §. 6.

COMPILATOREM SEXTI LIBRI] Non tamen solus librum sextum decretalium compilavit seu composuit Berengarius, sed cum Guillelmo de Mandagoto Archiepiscopo Ebredunensi & Richardo Petrono de Senis Viceeancellario Romanæ Ecclesiæ, uti dictum est suprà pag. 632.

FVERVNT SVBSECVTA] anno MCCCXXXVI. quo Eduardus III. Rex Angliæ contendit regnum Franciæ ad se potiùs pertinere debere ratione Isabellæ matris suæ (ut scribitur etiam in historia Cortusiorum lib. 9. cap. 8.) quàm ad Philippum Valesium, & demum anno MCCCXXXVIII. *se Regem Franciæ & Angliæ constituit appellari*, ut ait Vvalsinghamus. Hinc ergo funesta illa & immanissima bella quæ diù regnum Francorum afflixerunt. Pag. 99.

SQVINVS DE FLORIANO] Aliter eam historiam narrat Ioannes Villanius lib. 8. cap. 92. & ex eo alii. Vide Spondanum an. 1307. §. 6. & seqq.

QVIDAM CARD. DE GENERE BONIF.] Franciscus filius quondam Domini Petri Gaytani, ut constat ex collectaneis de dissidio Bonifacii & Philippi pulcri pag. 370. 371. 390. 394. 399. 468. 502. 503. 504. 506. 508. 509. 511. & sequenti. Verùm isthic non dicitur Cardinalis. At pag. 388. 408. 467. 468. 511. nominatur Cardinalis S. Mariæ in Cosmedin. In primis verò ex pagina 511. apparet hos duos Franciscos fuisse diversos, adeoque erratum fuisse ab Amalrico cum putavit Franciscum defensorem memoriæ Bonifacii fuisse Cardinalem. P. 106.

CARDINALES] Illos ad se tum vocasse Huguitionem Episcopum Novariensem tradit Carolus Episcopus & ipse Novariensis pag. 443. de Novaria. P. 115.

IGNEM IN PALATIO POSVERVNT] Factum id ait continuator Nangii *per Marquisium Vitena nepotem Clementis Papæ nuper defuncti in favorem Cardinalis Vasconum, qui contra alios Cardinales, Italicos scilicet & Gallicos, electionem sibi ipsi vendicare volebat.*

volebat. Vbi tamen puto mendum esse & reponi debere, *Cardinalium Vasconum, & sibi ipsis vendicare volebant*. Ex quibus verbis liquet non bene ista distinxisse Bernardinum Corium parte 2. hist. Mediolan. scribentem hoc incendium factum esse manibus Gallicorum. Difficile est autem pronuntiare quis fuerit ille Marquisius Vicena nepos Papæ, cùm ex epistola Cardinalium Italorum scripta ad Abbates & capitulum generale ordinis Cisterciensis constet tumultuantium duces fuisse Bertrandum de Guto Vicecomitem Leomaniæ & Raimundum Guillelmi de Budos, utrumque nepotem Clementis. Huc tamen inclinat animus ut hunc continuatoris Nangii locum potiùs intelligi censeam de Bertrando quàm de Raimundo, quem fuisse nominatum Vicecomitem & Marchionem observavimus suprà pag. 619. ex Bernardo Guidonis. Itaque apud continuatorem Nangii rescribendum est *Marquisium Vicecomitem nepotem &c.* ut monuimus suprà pag. 622. Extat autem in regesto Ioannis XXII. bibliothecæ Colbertinæ constitutio ejus adversùs istiusmodi incendiarios & spoliatores curialium. Tum verò exusta regesta ejusdem curiæ docet ex fide veterum monumentorum Christophorus Browerus lib. 4. antiquitat. Fuldens. num. 52. Certè perierunt omnino regesta trium priorum annorum pontificatus Clementis, nisi quòd in codice 9939. bibliothecæ regiæ extant plurima excerpta illo tempore facta ex regesto anni primi.

CLEMENTIAM] cum qua matrimonium jam contraxerat per procuratorem, ut testatur Ioannes Andreæ in regul. 68. de regulis jur. in 6. ubi ait: *Posui exemplum in Rege Franciæ, qui nuper per procuratorem contraxit cum Domina Clementia.*

P. 114. SANCTUS LÆTUS] seu potius *Sanctus Leo*, vulgò *Saint Lié*; de quo vide promptuarium antiquitatum Tricassinar. fol. 210. 223. 226. 227.

P. 116. NON MULTUM MAGNUM] Ioannes Villanius lib. 11. cap. 20. *Piccolo fu di persona.* M. Albertus Argentinensis: *pallidus, statura & voce pusillus.* Ioannes Andreæ in procemium Clementinarum: *Est autem sciendum quòd iste Dominus Ioannes Pontifex industriosus & mundus, simoniam fugans, & justitiam amans, scientia magnus, statura pusillus, conceptu magnanimus, priùs Iacobus vocabatur.* Sanctus Antoninus tit. 21. cap. 4. *pauper temporali substantia, sed dives ingenio & scientia, parvus corpore, sed magnus animo.*

SCIENTIA MAGNUM] Præter testimonia jam relata, Albertinus Mussatus in epistola ad filium pag. 3. de Ioanne XXII. agens ait: *alta eloquentia scientiaque praditus erat.* Sanè illum fuisse studiis doctrinisque deditum testis est locuples Franciscus Petrarcha in libro secundo rerum memorandarum his verbis: *Homo perstudiosus & vehementioris animi, hinc lectioni librorum inhiabat, illinc simultates acerbas & inextricabiles agens cum imperio Romano, alteram vitæ partem huic studio devoverat. Ceterùm cùm à legendo & seniumi & curarum varietas retardaret, gratissimus erat illi quisquis deflexatos, ut propriè dicam, libros sub breviloquio perstringeret referretque in eas quas tabulas vocant.* Hinc ergo accepit Spondanus quæ de eo scripsit an. 1334. §. 4.

Constat ergo Ioannem XXII. fuisse virum doctum & eloquentem, tum etiam vehementioris animi. Quibus virtutibus instructum virum quis miretur conciones, quas vulgò sermones vocamus, habuisse in Ecclesia ad plebem Dei illic constitutam? Referuntur à Guillelmo Ockamo, Nicolao Minorita, & aliis fragmenta sermonum ab eo habitorum apud Avenionem sub extrema vitæ ejus tempora, qui gravissimæ concertationis causa & occasio fuere, an videlicet animæ hominum à corporibus separatæ, tum à vitiis purgatæ, visione Dei quam vocant facialem fruantur aut fruituræ sint ante supremum mundi diem. Istorum sanè sermonum codex non extat, fragmenta tantùm habentur, & prolata quidem ab adversariis ejus. In codice verò 4163. bibliothecæ regiæ continentur sermones cujusdam Papæ illorum temporum, reportati, ut scriptum est in veteri libro, id est, ex ore dicentis excepti, *per sua sanctitatis servum fratrem Raimundum procuratorem ordinis fratrum Minorum.* Ex quo is cujus nuper fuit hic codex collegit hos sermones esse Ioannis XXII. ac propterea iis hunc titulum præfixit: *Sermones Ioannis Papa XXII. ut creditur, habiti in festis Diva Mariæ, & per fratrem Raimundum procuratorem ordinis Minorum sua sanctitatis servum reportati.* Diù multùmque laboravi ut investigarem an ex ullo eorum sermonum loco ostendere possem illos verè esse Ioannis XXII. sed omnia argumenta me defecerunt. Illud solum eam conjecturam juvat quod duos ea tempestate reperio fratres Raimundos procuratores ordinis fratrum Minorum, unum dictum de Franciaco viventem tempore Clementis V. ac fortean aliquanto pòst in libro primo miscellaneorum nostrorum, alterum cognominatum de Lados, quem procuratorem ordinis ejusdem fuisse anno MCCCXXVIII. reperio apud Nicolaum Minoritam in codice 678. bibliothecæ Colbertinæ fol. 38. & 267. & apud Vvaddingum an. 1328. §. 12. Dubium autem non est quin eorum alter potuerit excipere hos sermones ex ore ipsius Papæ. Ceterum quod dixi verbum *reportati* idem significare quod *excepti* nullam difficultatem habere potest, si modò quis velit

admittere auctoritatem Guillelmi Ockami. Hic enim in initio secundi tractatus de dogmatibus Ioannis XXII. loquens de quibusdam sermonibus ex ore ejus exceptis ait : *ipsam totam protestationem vel revocationem, ut reportata à quibusdam extitit, ponemus per particulas.* Et mox : *Reportationes igitur supradicta in hac verba incipiunt.* Et paulò post : *Hac sunt verba reportantium illa qua audiverunt & viderunt narrantem.* Idem in compendio errorum Ioannis XXII. in capite quod incipit *Supradicti autem errores* ait : *quos sermones viri fide digni reportantes de verbo ad verbum scripserunt.*

TESTIMONIVM BONÆ VITÆ] Etiam Ioannes Villanius, parum alioqui benevolus atque amicus Clementi V. & huic Ioanni, laudes ejus celebrat lib. 11. cap. 20. eum inquiens modestum fuisse ac sobrium, communibus cibis vulgò utentem, de delicatis parum sollicirum, minimè sumptuosum in iis quæ ad personam ipsius spectabant, doctum, acuti ingenii, magnanimum, singulis ferè noctibus surrexisse ad recitandum officium ecclesiasticum & ad studendum, tum Missam summo mane celebrasse, & mox audisse supplicantes, denique in respondendo & exequendo promptum ac strenuum fuisse.

IOHANNES XXII.] Invaluit in vulgus & apud viros doctos hunc Papam Ioannem fuisse filium sutoris veteramentarii. Sed ea tamen opinio nullius auctoris testimonio nititur qui sit vetustior Antonino Archiepiscopo Florentino. Sanè Ioannes Villanius, ex quo sua plerunque accipere solet Antoninus, ait lib. 9. cap. 79. illum fuisse hominem infimæ sortis, ceterùm filium cauponis, non verò sutoris veteramentarii. Adde testimonium Guillelmi & Albrigeti Cortusiorum, qui lib. 5. cap. 5. scribunt eum obscurissimè natum esse. Contrà M. Albertus Argentinensis, qui coævus huic Papæ Ioanni fuit & apud Avenionem, quò missus est sub pontificatu Benedicti XII. ab Episcopo Argentinensi, inaudire potuit de genealogia ejus, illum scribit pag. 125. *de militari progenie* natum fuisse, id est, ex prisca nobilitate. Nam si ex tam infimo genere ortus est uti vulgò persuasum est, si ei erat res tam angusta domi, quomodo potuit emergere, quomodo potuit conficere curriculum studiorum suorum? Scio eundem Villanium in loco paulò antè laudato tradere eum fuisse educatum apud Petrum de Ferrariis Archiepiscopum Arelatensem & sumptibus ejus eruditum & doctrina excultum fuisse. Quod ego tamen non facile adducor ut credam. Nam Ioannes XXII. mortuus est anno MCCCXXXIV. nonagenario major, adeoque necesse est eum anno MCCXLIII. natum fuisse & circa annum MCCL. studiis literarum admotum. Eo autem tempore quo ille puer erat, Petro videtur ignotus fuisse. Certè ille nondum pervenerat ad magnas opes neque ad summas dignitates, cùm ex Summontio parte 2. histor. Neapolit. lib. 3. pag. 327. constet eum anno MCCXCIX. fuisse tantùm Decanum Aniciensem, nisi quòd erat Cancellarius Karoli II. Regis Siciliæ. Sic enim illic legendum, non verò *Cambellaris*, ut editum est à Summontio. Itaque vir mediocris fortunæ cogitare non potuit de subministrandis sumptibus ad fovenda studia istius pueri, qui aut coævus Petri fuisse videtur aut certè non multùm disparis ætatis. Sed argumentis opus non est in re cujus aperta & clara extant testimonia. Etenim Lambertus Guerrici de Hoyo clericus Leodiensis diœcesis in opusculo quod huic Papæ Ioanni dicavit eo tempore quo æmulus adversùs eum Romæ levatus est à Ludovico Bavaro, is inquam Lambertus testatur in codice 4463. bibliothecæ Colbertinæ Ioannem à suis parentibus educatum fuisse & eorum sumptibus in scholis sustentatum. Ait enim cap. 12. adversùs eos qui Ioannem publicè arguebant quòd propinquos suos ditaret : *Si igitur qui tot & tanta conferre temporalia & spiritualia bona habet quòd ditatis suis, fama referente, bene meritis, carnalibus amicis & notis aliis suppetunt quam plurima, non admirandum est se saltem pro bonis qua ab eis vel eorum progenitoribus recepit in scholis, cùm in hoc Deo quasi holocaustum fecerint, ut facti probat eventus, etiam centuplum, quod omni offerenti eleemosynam per Ecclesiam promittitur, illis reddat.* Videtur autem etiam habuisse præceptorem domesticum. Etenim Raimundus Bernardi de Mota Episcopus Vasatensis in suo chronico pag. 289. 290. ait hunc Papam fecisse Cardinalem *magistrum suum Dominum Bertrandum de Montefavento.* Vox autem magistri tum denotabat præceptorem domesticum. Patet istud manifestè ex vita ejusdem Ioannis pag. 171. 174. ubi de canonizatione sancti Ludovici Episcopi Tolosani ab eo decreta ita legitur : *Ejus enim magister fuerat, & ex continua conversatione cum eo de ipsius sanctitate certior, puta qui ejus gesta & acta vir subtilis indaginis & oculis & experientia manibus contrectavit.* Ex quo colligitur ejus parentes illius conditionis & earum opum fuisse ut non indigerent externis auxiliis ad promovenda studia filii sui. Interim hinc etiam discimus eum in aula Regum Siciliæ fuisse diù antè quàm Petrus de Ferrariis in ea notus esset. Sanctus quippe Ludovicus natus est anno MCCLXXIV. adeoque Ioannes ejus præceptor esse potuit anno MCCLXXX. aut circiter. Petrum autem de Ferrariis non reperimus notum fuisse in regia Siciliæ ante annum MCCXCIX. quo tempore Ioannes erat Epis-

copus Forojuliensis, aliquot nimirum annis antè quàm Petrus evaderet Archiepiscopus Arelatensis. Vana ergo censeri debent quæ à Villanio referuntur de initiis studiorum ejus & de liberalitate Petri erga eum. Illud postremò addendum, constare ex publicis monumentis illum gnaviter dedisse operam studiis literarum. De se ipse testatur se studuisse *singulariter sanctorum originalia*. Sunt enim ipsa ejus verba relata ab Ockamo in secundo tractatu de dogmatibus ejusdem Ioannis cap. 10. *Sed nos postquam fuimus in studio studuimus singulariter sanctorum originalia & attendimus quæstiones quas faciunt in ista materia, & frequenter in sermonibus fecimus mentionem; & maximè utile fuit, quia alii vel non habent originalia, vel non curant studere in eis. Sunt enim homines studentes etiam alii applicati quibusdam scripturis, & illi habent pro evangeliis & epistolis, & amplius parum quærunt. Et ideo quia ista studuimus in originalibus, ista proposuimus, ista inquisivimus.*

BERNARDO DE MONTEPESSULANO] cognomento Delitiosi. Habemus præ manibus codicem in quo continentur bulla commissionis Ioannis XXII. qua causæ ejus cognitores esse decernit Ioannem Archiepiscopum Tolosanum, Iacobum Episcopum Appamiensem, & Raimundum Episcopum sancti Papuli, tum capitula accusationum adversùs eum propositarum, interrogationes & responsiones ejus, dicta testium, sententia judicum delegatorum, & cetera ejusmodi. Præter ea verò de quibus accusatur in hac vita Ioannis XXII. constat ei objectum fuisse quòd magicis artibus procurasset mortem Benedicti XI.

DUOS CARDINALES] In processu ejusdem Bernardi legitur: *Cùm Reverendi Patres Domini Ostiensis & Iacobus Gaytani & Guillelmus Testa Cardinales inciperent Avinioni legere ipsi fratri Bernardo capitula quæ contra eum reddebat Inquisitor Tolosanus &c.* Puto autem isthic pro *duos Cardinales* legendum esse *Dominos Cardinales*. Et tamen omnes libri habent *duos*.

CARCERI MANCIPANDUS] Contigit istud anno MCCCXVII. die Mercurii post Pentecosten. Ipse enim respondit coram commissariis Papæ anno MCCCXIX. die VII. Martii *quòd in festo cathedræ sancti Petri proximè præterito fuerunt viginti unus menses elapsi* ex quo fuit captus in carcere Domini Papæ. Et paulò pòst ait *quòd quandam die Martis ante festum Pentecostes recessit de conventu Biterrensi ad veniendum ad curiam, & in vigilia dicti festi Pentecostes intravit Avinionem, & die lunæ in crastinum dicti festi Pentecostes intravit cameram Domini Papæ, & locutus fuit cum eo cum aliis fratribus, & sequenti die Mercurii post dictum festum Pentecostes dictus frater Bernardus fuit captus in carceribus Domini nostri Papæ in Avinione.*

APPAMIENSI] Iacobo, qui postea fuit Papa dictus Benedictus XII.

S. PAPULI] Raimundo de Mostuejolis, postea Cardinale. P. 1174

QUOS FUERAT PERSECUTUS] Bernardus Guidonis in catalogo Priorum Carcassonensium ordinis fratrum Prædicatorum: *Notandum hic posteris incidenter quòd tempore prioratus sui*, id est, Bertrandi de Claramonte, *rabies Carcassonensis, quæ olim savierat contra officium inquisitionis & fratres, ut prætactum est, & tunc extincta vel saltem sopita videbatur & credebatur, fuit iterum excitata sub Ioanne de Pinquonio Vicedomino Ambianensi, confœderatis in malum Albiensibus & Corduensibus cum Carcassonensibus, incentore malorum fratre Bernardo Delitiosi de ordine Minorum, duce & vexillario iniqui exercitus contra fratres & officium inquisitionis Helia Patricii de Carcassona, qui regulus Carcassonensis videbatur, proditore veri Regis. In tantumque ascendit superbia & desævit malitia prædictorum quòd hereticales & eorum complices fratribus Prædicatoribus in personis & rebus ipsorum verbis & verberibus plures injurias irrogarunt & damna plurima intulerunt, & domos ac hospitia plurium hominum de burgo Carcassonæ usque ad quindecim in odium inquisitionis & fratrum, quibus ipsos adhærere credebant, diruerunt & spoliaverunt publicè & de die, turba coadunata irruentes & clamantes ad proditores mascaratos in festo sancti Laurentii, quod fuit in sabbato, anno Domini MCCCIII. sed ultore Deo tandem non tulerunt impune.* Idem in catalogo Priorum Albiensium retractans hanc causam ait: *Finis verò persecutorum confusio & ignominia fuit. Nam Vicedominus Ambianensis prafatus eadem die qua excommunicationis sententia contra ipsum fuerat publicata anno revoluto sic percussus anathemate, tanquam officii notorius impeditor, interiit in terra aliena, scilicet in Abrutio in regno Siciliæ, sine clerico & sine sacerdote & sine perceptione sacramentorum Ecclesiæ anno Domini MCCCIV. in festo sancti Michaelis. Archidiaconus verò, postmodum factus Episcopus Biterrensis, lepra percussus ut Giesi, cum tali opprobrio obiit sic leprosus anno Domini MCCCIX. ante Pentecosten.* At in processu Bernardi Delitiosi scriptum est eundem Bernardum dixisse in quodam sermone *quòd Vicedominus erat mortuus in curia Romana prosequendo eorum negotium & sepultus in quodam monasterio vocato de sancta Victoria.* Archidiaconus autem ille, ut docet idem Bernardus Guidonis, erat *Richardus Nepotis Normannus Archidiaconus Algiæ in Ecclesia Lexoviensi.*

APVD MASSILIAM COMBVSTI] qui nominantur in sententia adversùs eos lata, quæ edita est in libro primo miscellaneorum nostrorum pag. 198. Vide Guidonem Helenensem in summa de hæresibus ubi recenset errores Beguinorum cap. 10. 13. 15. & Nicolaum Eymeriei in Directorio Inquisitorum par. 2. q. 15. c. 4. & q. 38. Ex Guidone porrò constat hos quatuor combustos ut veros Christi martyres cultos fuisse à Beguinis. In processu verò fratris Bernardi Delitiosi repertus est testis qui assereret eum dixisse *quòd fratres Minores qui fuerunt condemnati & combusti Massiliæ erant martyres & in paradiso, & quòd Dominus Papa vel curia Romana, qui eos condemnaverat, voluntariè hoc fecerat.* Ipse tamen super hoc interrogatus à judicibus *respondit se nunquam dixisse per modum assertionis quòd illi fratres Minores sint vel fuerint injustè condemnati sive combusti, aut quòd sint vel fuerint martyres in paradiso; quia dixit se nescire qui fuerint illi, nec quare seu ad cujus mandatum fuerint condemnati seu combusti. Et interrogatus etiam dixit se credere quòd dicti fratres fuerunt justè condemnati & combusti, maximè si fuerunt condemnati & combusti de mandato vel scientia Domini Papæ.*

P. 118. OCTO MAGISTROS] Eorum nomina reperiuntur in libro primo miscellaneorum nostrorum pag. 213. Meminit autem hujus rei idem Guido Helenensis, qui fuit unus ex illis octo magistris, in enumeratione errorum Beguinorum cap. 21. loquens de postilla Petri Ioannis Olivi super Apocalypsim: *fuit damnata & combusta per Dominum Papam consilio Dominorum Cardinalium & plurimorum Episcoporum & aliorum Doctorum in sacra pagina ac aliorum peritorum.*

PLVSQVAM SEXAGINTA] Sunt tamen sexaginta tantùm in libro primo eorundem miscellaneorum pag. 213.

P. 119. MVLIERES SVCCED. N. DEBEBANT] Karolus IV. Imp. in libro de vita sua: *Eodem quoque anno in purificatione B. Mariæ obiit Carolus Francorum Rex, relicta uxore prægnante, quæ peperit filiam. Et cùm de consuetudine regni filiæ non succedant, provectus est Philippus filius soceri mei in Regem Franciæ, quia propinquior erat heres in linea masculina.* Continuator Nangii pag. 725. *Defuncto Rege Carolo, Barones ad tractandum de regni regimine congregantur. Nam tùm Regina esset prægnans, & incertum esset de sexu, nullus audebat sub incerto sibi nomine assumere Regis nomen, sed solùm erat quæstio inter eos cui tanquam propinquiori deberet regni regimen committi, præcipuè cùm in regno Franciæ mulier ad regnum personaliter non accedat.* Vide eundem ad annum MCCCXVI. & Ægidium Bellameram in cap. *Dilecti filii.* De arbitris.

ARCHIEPM BITVRIC.] Reginaldum de Porta, quem postea Ioannes XXII. creavit Cardinalem. Vide Odoricum Raynaldum an. 1318. §. 23. P. 120.

MAGISTRVM ORD. PRÆDIC.] Berengarium de Landorra, quem patria Ruthenensem fuisse constat. Ortum autem esse è nobili familia colligitur ex codice 763. bibliothecæ Colbertinæ, in quo habetur *Arenga quam fecit & dixit Dominus Dominus Petrus de Stagno quando Berengarius de Landorra fuit licentiatus in Montepessulano.* In ea autem oratione ista inter cetera leguntur: *Habuit nobilitatem illustris generationis. Attestor enim in patria nostra fore veterium genus suum ab LXXX. annis citra à Comite Ruthenensi.* Et mox: *Et quòd genus istius ab isto comitatu prodierit probat leo rapidus aureo colore refulgens, quo & Comes Ruthenensis & genus præsentis Bacallarii in scutis rubeo colore vernantibus dinoscuntur.* Erat iste Baccalarius Archidiaconus Agennensis & nepos, ut videtur, istius Berengarii de quo nobis in præsentiarum sermo est. Nam Petrus de Stagno orationem illam, ut & plures alias quæ habentur in eodem codice, habuit tempore Durandi, qui Magalonensis Episcopus fuit sub Innocentii VI. & Vrbani V. pontificatu. Iste admodum juvenis arripuit institutum sancti Dominici in conventu Tolosano anno MCCLXXXII. mense Maio in festo sanctorum Gordiani & Epimachi. Postea missus est Lutetiam, ut illic imbueretur theologicis disciplinis, ibique factus est Baccalarius. Cùm autem anno MCCCIII. in generali capitulo Vesontionensi provincia Provinciæ divisa esset in eam quæ semper Provinciæ dicta est & in Tolosanam, Berengarius novæ provinciæ tertius Prior electus est in capitulo provinciali Figiacensi habito anno MCCCVI. in vigilia B. Mariæ Magdalenæ. *Erat autem,* inquit Bernardus Guidonis, *Baccalarius in theologia in conventu Parisiensi tunc positus & existens, ubi recepit litteram suæ confirmationis sequenti mense Septembris.* Anno MCCCVIII. fuit licentiatus in crastino dominicæ annuntiationis, & mox magister. Qua de causa absolutus fuit à munere Provincialis in generali capitulo Paduano in festo sanctorum Primi & Feliciani V. Nonas Iunii ejusdem anni. Sed rursum ea cura illi commissa est in capitulo provinciali Appamiensi anno MCCCX. in octavis B. Mariæ Magdalenæ. *Prior provincialis fuit hac vice annis ferè duobus*, inquit idem Bernardus. *Fuit autem assumptus de provincialatu in magistrum ordinis in vigilia Pentecostes, III. Idus Maii, anno Domini millesimo trecentesimo duodecimo.* Nimirum in capitulo generali Carcassonensi. *Congregatis siquidem ex more electoribus*, verba sunt ejusdem Bernardi, *& inclusis, inter*

quos erant septemdecim Priores provinciales, cùm essent quadraginta quinque numero electores, in primo scrutinio treginta sex ipsum in magistrum ordinis nominarunt; ceterisque omnibus accedentibus & consentientibus in eundem, electus est unanimiter & concorditer & in pace. Erat autem tunc Prior provincialis provinciæ Tolosanæ & Vicarius ordinis generalis. Hoc magistratu interim instructus erat, quia anno proximo Aymericus Placentinus magister ordinis cesserat officio magisterii, & ejus cessio fuerat admissa à Diffinitoribus in capitulo generali apud Neapolim celebrato. Constitutus Berengarius in summo dignitatis gradu, cùm videret legendam sanctorum fratris Iacobi de Voragine diminutam & in plerisque dubiam videri, hortatus est fratrem Bernardum Guidonis ut originales legendas sanctorum relegens, pluresque sanctorum superaddens, novum opus faceret. Quod ille effecit, & sanctorale suum, sic enim inscripsit, Ioanni XXII. dicavit. At chronicon seu catalogum Pontificum Romanorum Berengario tum magistro ordinis Prædicatorum inscripsit. Berengarius deinde anno MCCCXVI. unà cum Abbate S. Tyberii in diœcesi Agathensi missus est in Galliam à Ioanne XXII. ut componeret dissidia quæ rursum erumpebant occasione controversiæ quæ paulò antè fuerat de comitatu Attrebatensi. *Odoric. Raynald. an.* 1316. §. 15. Anno MCCCXVII. *fuit factus Archiepiscopus Compostellanus per provisionem Domini Iohannis Papæ XXII. Cui provisioni consensum prabuit in conventu Parisiensi* XIV. *Kal. Octobris*, inquit idem Bernardus. Rectè. Nam in excerptis ex literis de prorogatione negotii nobilium Campaniæ editis à Francisco Duchesnio in historia Cancellariorum Franciæ pag. 278. datis die XV. Novembris anni MCCCXVII. invenitur nominatus *l'Esleu confirmé de Compostelle.* Paulò pòst idem Ioannes ejus tum electi Compostellani aliorumque nonnullorum theologorum sententiam exquisivit in causa quarundam opinionum quæ tum seriò tractabantur, hodie verò futiles & inanes censentur, de vestibus curtis & strictis eorum Franciscanorum qui se vocabant spirituales, & de rebus usu consumptibilibus. Vide lib. I. miscellaneorum nostrorum pag. 270. *Fuit autem consecratus in Archiepiscopum*, ut scribit idem Bernardus, *in Avinione Dominica in octavis Pascha ultima die Aprilis anno* MCCCXVIII. Anno sequenti gravem controversiam habuit cum civibus Compostellanis propter imperium urbis Compostellanæ. *Odoric. Raynald. an.* 1319. §. 28. Eodemque anno Ioannes Papa ad eum scripsit in gratiam Alfonsi Cerdæ. *Ibid.* §. 24. Anno MCCCXXII. in Lusitaniam à Ioanne Papa missus est ad revocandam concordiam, quæ interrupta erat, inter Regem Dionysium & uxorem filiumque ejus Alfonsum. *Ibid an.* 1322. §. 16. Mortuus est apud Cordubam anno MCCCXXV. illicque sepultus est apud fratres Prædicatores. Vide Ægidium Gundisalvum Abul. tomo I. Theatri Ecclesiarum Castellæ pag. 59.

PETRVM DE PALVDE] Vide lib. I. miscellaneorum nostrorum pag. 165. P. 122.
213. Fuit hic Petrus vir ea tempestate celeberrimus, adeoque notus. Addam tantùm ista quæ sequuntur repetiri in opere Bernardi Guidonis de historia ordinis Prædicatorum: *Frater Petrus de Palude fuit licentiatus* (in theologia nimirum, & in academia Parisiensi) *die Iovis post festum B. Barnaba anno Domini* MCCCXIV. Et alibi: *Anno Domini* MCCCXVII. *fuit celebratum à Diffinitoribus capitulum generale Pampilonia in provincia Arragonia, absente prafato magistro Berengario, quem Dominus Iohannes Papa XXII. miserat in Franciam tunc Legatum; feceruntque Diffinitores ex se ipsis Vicarium magistri ordinis in ipso dumtaxat capitulo juxta tenorem constitutionum fratrem Petrum de Palude Diffinitorem provincia Francia magistrum in theologia.* Continuator Nangii ad annum MCCCXXIX. *Petrus de Palude de ordine Pradicatorum, vir utique magna vita & fama, Doctor in theologia, Avinioni existens, Patriarcha Ierosolymitanus per summum Pontificem ordinatur.* Præter ejus lucubrationes quæ vulgò commemorantur, extat in codice 506. bibliothecæ Colbertinæ tractatus fratris Petri de Palude de paupertate Christi & Apostolorum contra Michaelem de Cæsena.

DVOS FRATRES MINORES] videlicet Stephanum de Neriaco & Guillelmum de Gandavo. *Vvadding. an.* 1317. §. 7. *Odoric. Raynald an.* 1318. §. 18.

OPORTVIT REMANERE] per P. 123.
annum propè integrum, ut scribit Petrarcha lib. 14. epistolar. famil. epist. 5. qua Ducem & consilium Ianuensium hortatur ad pacem & concordiam cum Venetis. Afferam autem ejus verba, cùm hactenus edita non sint: *Postremò urbs ipsa suis ab exulibus obsessa Mediolanensium auxilio diùque bello gravissimo vexata est, dum in ea tunc Robertus alma memoria Rex Siculus, clarissimum ævi sui sidus, qui ad præsidium ejus accesserat, anno propè integro inclusus, quotidie, quod pro monstro narrandum est & nunquam aliàs auditur, non solùm terra simul & pelago, sed in aëre etiam & sub terra uno tempore pugnaretur.*

MANDAVIT CLEMENTIÆ] Continuator Nangii in tomo XI. Spicilegii Dacheriani pag. 679. *Regina Clementia vidua Ludovici quondam Regis Francia relicta, credens avunculum suum Regem Siciliæ ibidem invenire, circa festum omnium sanctorum Avinio-*

nem intravit. Sed quamvis ab ipsa ibidem aliquandiu expectatus, quasi ita citò propter guerram Ianuensium, per quos transitum fecerat, illuc venire non potuit, ipsa salutato Papa, à quo multùm benigniter recepta fuerat, de ejusdem consilio Aquis in conventu sororum sancti Dominici se transtulit, & avunculi sui adventum diutius expectavit.

P. 124. PETRUS DE S. GENESIO] Continuator Nangii pag. 680. *Post hæc verò Rex ad auxilium obsidentium Sagonam misit copiosam multitudinem armatorum; cujus capitaneus Dominus Petrus de Genesio, dum pro quærendis victualibus à castris suorum per longum spatium elongatus, prahabita pugna gravissima suis omnibus occisis, finaliter ab adversariis captus est.* In pactis matrimonii Agnetis Petragoricensis cum Ioanne duce Gravinæ initis anno MCCCXXI. nominatur inter fidejussores Bertrandus de sancto Genesio Decanus Engolismensis. Idem Decanus Engolismensis, Capellanus Ioannis XXII. & Auditor causarum sacri palatii dicitur annis MCCCXIX. & MCCCXXVI. in codice 685. bibliothecæ Colbertinæ. Postea factus est Patriarcha Aquileiensis anno MCCCXXXIV. ut legitur in historia Cortusiorum lib. 5. cap. 7. *Die XX. Octobris Beltrandus de sancto Genesio de Guasconia Aquileiensis Patriarcha intravit Paduam honorifice in Aquileiam transiturus.* Vir probus & sapiens dicitur ibidem lib. 10. cap. 5. ubi agitur de ejus cæde patrata anno MCCCL. die septima mensis Iunii. Fuisse eum patria Cadurcensem, jurisprudentia clarum, vitæ sanctimonia celebrem, patrem pauperum, & ecclesiasticæ libertatis acerrimum defensorem, ob idque cæsum, scribit Ferdinandus Vghellus. Insignis & digna quæ in has Notas referretur visa est contumelia corpori ejus illata ab auctoribus mortis ejus. Narrat enim Candidus apud eundem Vghellum illos corpus ejus currui impositum, duabus meretricibus, ad caput altera, altera ad pedes constitutis, misisse Vtinam. Atque id quidem fortasse tolerabile videri poterat, si actum fuisset adversùs hominem libidinosum, impurum, dissolutum, & publica infamia laborantem. Actum in cadaver hominis sancti, quem innumerabilibus miraculis claruisse testatur idem Candidus, id verò absonum est & impudens. Vitam ejus scripsit unus è capellanis ipsius, quæ manu scripta habetur Romæ in bibliotheca Vallicellana, ex qua nos exemplum habemus.

ANNO MCCCXIX.] Eandem historiam enarrat continuator Nangii in tomo XI. Spicilegii Dacheriani pag. 682. ubi Cardinalis iste perperam vocatur Goncelinus pro Gaucelmo. De legatione porrò ejus in Belgium vide Odoricum Raynaldum an. 1319. §. 16.

TRECENSI EPO] Guillelmo dicto Mechin apud Camuzatium, quem falsò Sammarthani scribunt ad Ecclesiam Trecensem translatum ex Pampilonensi. Compertum enim mihi est Arnaldum Episcopum Pampilonensem, quem de Puyana vocat Sandovallius, qui verò Arnaldus Guido vocatur in libro obligationum archivi Vaticani, obiisse Tolosæ anno MCCCXVI. exeunte, eique statim successisse Ximenum Garsiam. Error Sammarthanorum ortus est ex eo quòd in eodem libro obligationum scriptum est per incuriam amanuensis Guillelmum Meschini Episcopum Pampilonensem promisisse solutionem communium servitiorum die XXVI. Ianuarii, cùm scribere debuisset Trecensem. Iste autem Guillelmus, quem fuisse Vicecamerarium Papæ anno MCCCXI. legitur in quodam libro solutionum archivi Vaticani, ad Ecclesiam Trecensem promotus est à Ioanne XXII. anno MCCCXVII. ineunte, & consecratus ante. V. Idus Martias, ut patet ex bulla ejusdem Ioannis edita ab Odorico Raynaldo an. 1317. §. 18. Tum enim missus est ab eo in Siciliam, ut docet etiam Nicolaus Specialis lib. 7. cap. 10. Anno sequenti fuit delegatus cum Petro Textoris postea Cardinale (cum quo missus fuerat in Siciliam) ut intertogaret fratrem Bernardum Delitiosi. Sic enim legitur in processu ejus: *In nomine Domini. Amen. Anno nativitatis ejusdem* MCCCXVIII. *Indictione* I. *pontificatus sanctissimi Patris & Domini nostri Domini Iohannis divina providentia Papa* XXII. *anno secundo, die* XII. *mensis Iulii, Reverendi Patres in Christo Domini Guillelmus Trecensis Episcopus & P. Abbas sancti Saturnini Tolosæ commissarii ad audiendum delationem factam contra fratrem Bernardum Delitiosi ordinis fratrum Minorum interrogaverunt dictum fratrem Bernardum ut sequitur.*

EPO TORNACENSI] Guidoni de Alvernia filio Roberti VI. Comitis Arvernorum & Boloniensium ex Eleonora Bassia: quem Sammarthani per errorem vocant patruum Guillelmi Episcopi Leodiensis, qui patruus erat istius Episcopi Tornacensis.

FECERAT MINORISSAM] Blancham nimirum, quæ anno MCCCXIX. emancipata est æterni Regis obsequiis, ut ait Vvaddingus an. 1319. §. 10. Erat autem illa tum multùm infra annos pubertatis. Vide bullas Ioannis XXII. editas in tomo tertio Vvaddingi pag. 89. Mortua est anno MCCCLVIII. die XXVI. Aprilis. P. 128.

PASTORELLI] Eadem ferme extant apud continuatorem Nangii. Vide etiam chronicon Raimundi Bernardi de Mota Episcopi Vasatensis.

MAXIMA MULTITUDO] *circiter quadraginta millia virorum*, ut legitur in chronico aulæ regiæ. P. 129.

MILES VIGILUM] *Le chevalier du guet.*

P. 130. MALENTES SE OCCIDERE] Similem ferme historiam de Iudæis Vitriaci narrat continuator Nangii pag. 694. in tomo XI. Spicilegii Dacheriani. Quod mihi utramque reddit suspectam.

LEPROSI] Eadem omnino refert continuator Nangii, apud quem pag. 691. malè editum est *Pernayo* pro *Partenaco*. Vide etiam chronicon Raimundi Bernardi de Mota Episcopi Vasatensis. Dubitatum autem fuit illo tempore an scelus horum leprosorum esset referendum inter crimina quæ vocant læsæ majestatis, & per consequens an alii judices quàm regii possent de eo cognoscere & reos punire. Interim tamen dum huic difficultati finis imponi posset, quia causa ista, cùm esset magni momenti, festinam punitionem requirebat, consensit Rex Philippus ut alii quoque judices possent in eosdem leprosos exequi debitum judicium ultionis. Extant hujus rei testes literæ ejusdem Philippi in archivo Archiepiscopi Albiensis.

P. 131. REX GRANATÆ] Vide continuatorem Nangii pag. 692. & chronicam aulæ regiæ pag. 36.

P. 133. PAPA COMMISERAT] Vehementer erravit in hoc loco Ioannes Parisiensis. Extant enim in archivo regio Parisiensi acta integra istius controversiæ, ex quibus certò colligitur de ea cognovisse Episcopum Parisiensem auctoritate ordinaria, non verò delegata, & adjunxisse sibi Ioannem Episcopum Bellovacensem & Gaufridum de Plesseyo Notarium apostolicum, Notariis porrò in ea discutienda usum Amisio dicto le Ratif de Aurelianis Decano Parisiensi & Guillelmo de Morcento Canonico Laudunensi. Quæ omnia nemo non videt longè distare à narratione Ioannis. Et tamen illam confirmat continuator Nangii editus in tomo XI. Spicilegii Dacheriani pag. 704. Ex quo capere licet conjecturam eam famam tum fuisse sparsam in vulgus.

DE FONTE LEVAVERAT REGEM] Contrà Albertus Argentinensis pag. 137. ait matrem Reginæ, cùm accessisset ad Regem, ei dixisse: *Peccavi, Domine, jungens vobis matrimonio filiam meam, quam pater vester de sacro fonte levavit.*

P. 134. DISPENSATIO PRÆTERMISSA] Istud quidem objectum fuit à procuratore regio. At Aymericus Mazetant procurator Reginæ negavit, & ostendit bullam dispensationis à Clemente V. concessam, quæ vera erat. Sed adversarii aiebant illam esse subreptitiam, adeoque nullam, quia multa falsò exposita fuerant Clementi.

SENTENTIAVIT] Extat in eodem archivo regio bulla Ioannis XXII. cujus isthic mentio, data Avenioni XIV. Kal. Iunii anno sexto, qua sententiam divortii inter ipsos pronuntiavit, & sententialiter declaravit dictum matrimonium nullum esse nec fuisse de jure, Regi & Reginæ & eorum cuilibet impertiens licentiam ad vota alia transeundi, præfato matrimonio non obstante. Karolus ergo liber duxit in matrimonium Mariam de Luxemburgo filiam Henriei VII. Imperatoris. Blancha verò sanctimonialis effecta est apud Malumdunum, ubi mortua & sepulta est. Vide Ioannem Villanium lib. 9. cap. 171. Bzovium an 1322. §. 17. Spondanum eod. an. §. 3. & Odoricum Raynaldum eod. an. §. 28.

Eodem verò tempore quo Papa sententiam divortii pronuntiavit inter Regem & Reginam propter simplicem compaternitatem, dedit materiam irridendi his qui rerum humanarum ludibria pensant. Hæc sunt verba Ioannis Hocsemii pag. 367. *Quo tempore plures Parisiis Papæ facta multùm contraria deriserunt. Nam quidam ditissimus Regis thesaurarius dictus Billuart ut cum quadam bis commatre sua contraheret secum obtinuit dispensari, & Papa propter simplicem compaternitatem inter Regem & Reginam jam factum matrimonium annullavit. Unde scripserunt in parietibus.*

A la court du Pape couvart
N'a pas esté Billeuvart.
Car par l'ottroy du S. Pere
A pris sa double commere,
Et du Roy par comperage
A desaict le mariage.

IN NOVAS CIVITATES EREXIT] Hadrianus Valesius vir doctissimus in Notitia Galliarum pag. 578. hæc verba refert ex libro secundo rerum memorandarum Petrarchæ: *Gallia adhuc queritur episcopatus plures ab eo* (Ioanne XXII) *divisos locatosque parum idoneis locis, cùm antè in longè optimis opulentissimisque urbibus Episcopos tantùm haberent.* Diù hunc locum quæsivi, non solùm in libris rerum memorandarum, sed etiam in ceteris Petrarchæ lucubrationibus, attamen inutiliter. Tandem deprehendi illum non esse Petrarchæ, sed Papirii Massoni in libro sexto de Episcopis urbis fol. 280. ubi post allata Petrarchæ verba de Ioanne XXII. ex capite ultimo libri secundi rerum memorandarum, & post laudatum Augustini Triumphi Anconitani volumen de potestate ecclesiastica, addit Galliam adhuc, id est, ævo Papirii Massoni, queri episcopatus plures ab eo divisos locatosque parum idoneis locis. Verùm quia paulò pòst idem Massonus ait, *Ex superioribus Petrarchæ verbis Ioannem in Italia bellum gessisse intelleximus*, Valesius, qui haud dubiè existimaret Petrarchæ esse omnia quæ usque ad hæc verba leguntur apud Massonum, P. 135.

querelam illam Galliæ de divisione episcopatuum retulit ad Petrarcham; quæ tamen Petrarchæ non est, sed Papirii Massoni. Istud autem admoneri operæ pretium fuit, ne ii qui posthac lecturi sunt Notitiam Galliarum, ubi ad hunc locum ex Petrarcha laudatum venerint, in eundem errorem incidant; in quem incidere illos facilè posse probat exemplum Ioannis Iacobi Hofmanni, qui in suo Lexico universali loquens de Tutela monet videndum esse Petrarcham lib. 2. rer. memor.

P. 138. NOVAM SEDEM EPALEM] Ego quidem non dubito quin Cassinense monasterium tum primùm evectum sit ad dignitatem episcopalem. Et tamen in tomis Conciliorum reperitur antiquitus mentio Episcoporum Cassinensium. Immo in bulla Nicolai III. de censibus Romanæ Ecclesiæ debitis in regno Siciliæ & in Campania & maritima, quæ habetur in libro Arnaldi Camerarii, ita legitur: *In episcopatu Cassinensi Ecclesia sanctæ Mariæ de Cavillano duos squifatos.* Postea Vrbanus V. eam reduxit ad dignitatem abbatialem, ut est in vita ejus pag. 375.

P. 141. PLVRES CONSTITVTIONES] quæ vulgò Extravagantes Ioannis XXII. dicuntur. A Richardo tamen Armachano in tractatu de audientia confessionum vocantur Iohanninæ eo modo quo Clementis V. constitutiones vocantur Clementinæ. Ioanninas etiam vocat Petrus Bertrandi Cardinalis S. Clementis in cap. *Vt animarum.* de constitut. in sexto. Quo etiam modo vocantur in codice 1407. bibliothecæ Colbertinæ.

MVLTOS FECIT PROCESSVS] Antequam referam quæ de famoso illo Ioannis & Ludovici dissidio mihi comperta sunt, non inutile erit admonere Albericum à Rosate in verbo *Papa* adnotate processus illos fuisse ex usurpatione, id est, eos Papæ non licuisse facere secundùm regulas juris. Causam autem istius dissociationis Andreas Presbyter Ratisponensis in chronico Bavariæ pag. 78. & seqq. refert ad fraudes magistri Vlrici Hangenor de Augusta Cancellarii ejusdem Ludovici. Extat in codice 753. bibliothecæ Colbertinæ syllabus processuum quos Papa Ioannes adversùs eum fecit, quorum aliquos constat editos fuisse ab Abrahamo Bzovio & aliis. Et tamen *Ipsa civitas Romana* (inquit Ioannes Andreæ in cap. 17. de electione, in sexto) *contra processus Ecclesiæ Dominum Ludovicum de Bavaria receptavit.* Pleniùs ista exequitur chronica aulæ regiæ his verbis. *Anno Domini* MCCCXXVIII. *in die epiphania Domini Lodovvicus Bavarus, per Iohannem Papam & ab Ecclesia totaliter reprobatus, consentiente populo ipsam urbem Romam ingressus in B. Petri Basilica per Castellanum & alios quosdam Episcopos imperiali diademate in præjudicium Ioannis Papæ & totius Ecclesiæ catholicæ de facto est præsumptibiliter insignitus.*

IOHANNAM MATTHÆI] Ægidius Bellamera in cap. *Sacris.* de his quæ vi metusve causa fiunt eam vocat Ioannam Monachi de Corbario; *qua vivente & renitente*, inquit, *ipse habitum ordinis fratrum Minorum recepit & regulam professus fuit.*

PETRVS DE CORBARIO] Ita vulgò vocabatur, quamvis verum nomen ejus esset Petrus Rainallucii, quia ortus erat è vico Corbario in Aprutio, ut Vvaddingus ait, ex humili gente, uti vulgò traditur, sed quem tamen auctor chronicæ aulæ regiæ cap. 20. ait fuisse *de cognatione Columnensium.* Virum fuisse admodum sapientem tradit Ioannes Aventinus lib. 7. annalium Boiorum, *eò usque vita & honestate probatum* Albertinus Mussatus in epistola ad filium, doctum & ad res gerendas aptissimum Platina in Ioanne XXII. Sabellicus enneadis 9. lib. 8. pag. 798. & Trithemius in chronico Hirsaugiensi. Iuvenis uxorem duxit Ioannam Matthæi de Corbario; & postquàm per quinquennium cum ea vixerat, ea invita, ut vulgò traditur, institutum sancti Francisci arripuit. Deinde magnam cum pietatis famam consecutum esse constat ex Ioanne Villanio lib. 10. cap. 73. & ex testimonio B. Odorici de Forojulio tum viventis, qui eum vocat magnum prædicatorem, virum multæ abstinentiæ, paupertatis evangelicæ, & religiosæ obedientiæ, qui multos in viam salutis reduxit. Ita enim refert Vvaddingus an. 1328. §. 3. ex chronico MS. Odorici. Sed Alvarus Pelagii has in illo virtutes non agnoscit, cuncta referens ad simulationem & hypocrisim in libro primo de planctu Ecclesiæ cap. 1. fol. 13. *Dominum Papam Ioannem XXII. (in cujus tempore scribo hunc librum) deposuerunt in urbe & sibi substituerunt de facto pseudoreligiosum de ordine Minorum, quem cognovi in urbe, verum hypocritam, quum conventualis essem ibi Romæ in Ara-cœli, decimantem mentam & anetum in quibusdam abstinentiis exterioribus & in aperto, & in abditu loculos compilantem, & inter mulierculas Romanas quasi continuè residentem & gloriam aucupantem &, sicut mihi testimonium perhibuerunt minister illius provinciæ Romanæ & custodes tunc quum essemus in magno consilio de facto ejus & aliorum qui Ecclesiæ & ordini rebellaverant Ananiæ, minus habentem, scilicet in castitate, & sic fidem paupertatis & munditiæ & obedientiæ, quæ sunt legis graviora, relinquentem.* Ista confirmari posse videntur ex iis quæ apud Nicolaum Minoritam fol. 271. leguntur in literis encyclicis fratris Geraldi Odonis ministri generalis ordinis fratrum Minorum, ubi sic habetur: *Petrus etiam de Corbaria prædicti ordinis nostri professor fictus* P. 142.

&

& falsus, antichristiana impietate in Antipapam intrusus, & per dilectum in Christo fratrem Iohannem ministrum in provincia Romana prius pro suis demeritis excommunicatus & ad pœnam perpetui carceris sententialiter condemnatus. De eodem agens Ioannes XXII. in bulla quæ extat apud Contelorium pag. 36. ait: *quique propter inobedientias, culpas graves, contumacias, & scandala per ipsum in ordine supradicto commissa per suum immediatum superiorem excommunicationis innodatus extitit sententia & declaratus carceri mancipandus.* Sed id actum Anagniæ post intrusionem ejus in papatu docet ex Odorico Vvaddingus an. 1328. §. 6. Erat autem tum Petrus de Corbaria pœnitentiarius apostolicus in urbe, ut ex eodem Odorico refert Vvaddingus. Qua tempestate, cùm Ludovicus Bavarus ira inflammatus adversùs Ioannem XXII. quæreret modum quo posset ei gravem aliquam molestiam exhibere, persuaderi sibi passus est licere Imperatori Romano deponere Pontifices Romanos, & mox legem edidit qua constituit ut qui ab Imperatore & à populo Romano electus esset Pontifex Romanus non alibi resideret quàm Romæ, neque ab ea recedere ultra tres dietas neque abesse posset ultra tres menses per annum; si verò absens, tertiò vocatus non veniret, papatu excideret. Vide Ioannem Villanium lib. 10. cap. 73. Continuatorem Nangii in tomo XI. Spicilegii Dacheriani pag. 728. & Odoricum Raynaldum an. 1328. §. 21. Hæc fuere præludia sententiæ quam postea visuri sumus datam adversùs Ioannem, post quam Petrus de Corbario sedem ejus usurpavit auctoritate Bavari. Quamquam adnotatum est à continuatore Nangii Bavarum hanc Antipapæ electionem magis tolerasse quàm procurasse. quod approbari posse videtur ex iis quæ apud Albertinum Mussatum leguntur in epistola ad filium, & ex Ioanne Andreæ in cap. *Fundamenta*. de elect. in 6. ubi ait civitatem Romanam fratrem Petrum de Corbaria ordinis fratrum Minorum in Papam assumi consensisse assumptoque paruisse. Certè in annalibus Henrici Rebdorffii disertè scriptum est Ludovicum erexisse hunc Antipapam *ad complacendum populo Romano & ad suggestionem quorumdam clericorum & laicorum.* Et tamen istud valde displicuisse majori parti populi Romani, qui non putabant rationi consentaneum esse ut hic novus Papa crearetur, scriptum est in pagina 108. veteris historiæ Pistoriensis. Ob quam fortassis causam auctor chronicæ aulæ regiæ ait hunc Antipapam à Ludovico constitutum fuisse *cum consensu erroneo cujusdam Romani populi*, tanquam si sapientes & optimates hujus insaniæ expertes crederes, scelus omne referret in vilem plebeculam.

Quærit Albericus à Rosate in verbo *Privilegium* & in l. *Ea quidem* Cod. de accusationib. an propter Antipapam Romæ creatum tempore Ioannis XXII. Ecclesia Romana & urbs Romana potuerint per Papam privari eorum privilegiis. Idem in verbo *Papa* sub finem ita scribit: *Papa Ioannes XXII. satis animosè, si licet dici, & voluntariè contra jura imperii fecit unam constitutionem extravagantem, in qua divisit regnum Alamaniæ à regno Franciæ, & subtraxit & exemit provinciam Italiæ ab imperio. Quod an facere potuerit, Deus novit.* Constitutionis illius verba referuntur à Nicolao Minorita in codice 678. bibliothecæ Colbertinæ fol. 337. hoc modo: *Nos, ad quem ex speciali prærogativa pertinet præeminentia potestatis evellere atque destruere, plantare & ædificare, dividere & unire, de omnipotentis summi patris & Apostolorum ejus Petri & Pauli spe certa confisi, eorumque muniti suffragio, de fratrum nostrorum consilio & assensu perpetua deliberatione firmato ex præmissis rationibus & causis ac aliis quas præsentibus inseri prolixitas oblivionis nostræ non suasit provinciam Italiæ ab eodem imperio & regno Alamaniæ totaliter eximentes, ipsam à subjectione communitatum & jurisdictionum earundem regni & imperii separamus, dividimus, ac per partes scindimus, ac de potestatis nostræ plenitudine liberamus, decernentes ut nullo unquam tempore opere conjungantur & uniantur aut in uno corpore existere sentiantur, ex eo præcipuè quòd earundem provinciarum longa diffusaque protensio sic confundit & impedit ut unius regnantis viri sanctionis & gubernationis officium non sufficiat, quapropter ipsorum causa læsus negligitur; & dum imperantis animus ad plus extenditur, ad singula per consequens minuitur, de regimine & gubernatione cum providentia Regis æterni & eorundem fratrum nostrorum consilio & deliberatione solemni cautius provisuri. Ac declarantes regnum prædictum Alamaniæ à regno Franciæ claris distingui terminis & notis finibus limitari, distinctis per nos de ipsorum fratrum nostrorum consilio paterno amore providè distinguendis. Hoc nos exemplum Christi ac ratio instruit, qui propter peccata regnantium regna divisit. Hoc docet præmissa ratio, quia malum separat ut unica malitia graviùs non offendat. Nulli ergo omnino hominum &c.* Verum, ut liberè meam sententiam promam, valde suspicor hanc quæ relata est Ioannis XXII. constitutionem falsam esse ac suppositiam. Sic enim tum consuevisse nonnullos docent eidem Ioanni affixa epistola in chronico aulæ regiæ pag. 35. & duæ Clementi VI. tributæ de reductione jubilæi, quæ extant apud eundem Albericum. Possent proferri & alia exempla.

IPSA VIVENTE ET INVITA] Ita qui-

dem vulgò traditur. At Ioannes Georgius Hervvartus in defensione Ludovici Bavari adversus Bzovium pag. 485. contendit id falsò jactatum & suborñatam eam mulierem ut auctoritas Petri de Corbario hoc mendacio minueretur. Cur enim tamdiu siluit uxor, si re vera maritus ab ea invita discessit? Quomodo Petrus in ordine Minorum cum fama sanctitatis vixit, si reclamantem uxorem per nefas deseruit? Certè eum fuisse Minorem ab anno saltem MCCCX. patet ex collectaneis Petri Puteani de dissidio Bonifacii VIII. & Philippi pulcri pag. 554. id est ante annos saltem decem & septem quàm in sede Petri locaretur ab Imperatore.

Quæri in hoc loco non absurdè posset annon de hoc Petro intelligenda sint ea quæ leguntur in veteri codice pœnitentiariæ Romanæ de quodam qui cùm dimisisset uxorem propter adulterium, ad ordinem fratrum Minorum se transtulit. Quòd si de eo intelligeretur hic locus, verum sanè esset illum factum fuisse Minorem vivente & invita uxore, non tamen reclamante, nimirum propter probrum quod ei objectari poterat. Vna res differentiam facere potest, quòd uxor istius dicitur ad secunda vota transiisse, haud dubiè postquàm maritus emiserat professionem regularem. Cui tamen objectioni responderi non incongruè potest nobis hodie competta non esse quæ Petrus de Corbario afferre poterat adversus postulata uxoris, cùm sententia adversus eum tanquam contumacem lata fuerit. Vtcunque se res habeat, hæc sunt verba rescripti in codice 1892. bibliothecæ regiæ, in quo continentur varia rescripta pœnitentiariæ apostolicæ à temporibus Bonifacii VIII. usque ad Benedicti XII. pontificatum. *De eo qui dimisit uxorem propter fornicationem.* EPISCOPO. *Habet assertio &c. quòd eo olim in seculo existente, cùm uxor ejus thorum suum polluisset, ea dimissa, in monasterio assumpsit habitum regularem & in eo votum professionis emisit, & tandem arctioris religionis obtentu ad ordinem fratrum Minorum se transtulit, & aliquandiu mansit ibidem. Verùm cùm fratres ejusdem ordinis propter uxorem sic dimissam ipsam retinere recusent, ad sedis apostolicæ confugit subsidium, humiliter supplicans ejus sibi providentia subveniri. Quare vos de facto & facti circumstantiis &c. committimus quatenus inquisitis super iis quæ fuerint inquirenda, si de adulterio hujusmodi & quòd adultera ad secunda vota transierit ad plenum vobis constiterit, litteras vestras eidem in testimonium concedatis, propter quas memorati fratres certificati de facto ipsum secura conscientia valeant retinere.*

ELECTIONI IN ANTIPAPAM] Nicolaus Minorita fol. 45. *Deinde præfatus Imperator asserens Cardinales nunc summorum Pontificum electores hæretici fautores, infames, & excommunicatos, & omni jure electionis privatos ex eo quia dicto Domino Iohanni hæretico notorio & per eum de hæresi sententialiter condemnato multifarie multisque modis faverant postquàm fuit publicè & notoriè de pluribus hæresibus diffamatus, volensque providere Ecclesia de alio summo Pontifice more antiquitus observato, unà cum clero & populo Romano in die ascensionis Domini, quæ fuit XII. dies Maii anni prædicti, fratrem Petrum de Corbaria ordinis fratrum Minorum in summum Pontificem id est in summum cuculum elegerunt & Nicolaum quintum vocaverunt.* Ex quibus interim verbis observare licet etiam eos qui partes Bavari & Antipapæ fovebant, è quorum numero fuit hic Nicolaus, non bene sensisse de electione Petri de Corbario, cùm iste eum vocet summum cuculum Ecclesiæ, id est, adulterum. Citat porrò hunc Nicolai locum Odoricus Raynaldus an. 1328. §. 42. sed ejus verba non describit, quæ nos retulimus ex codice Colbertino. Rectè autem adversùs Antipapam Alvarus Pelagii utitur argumento quo prisci scriptores ecclesiastici utebantur ut Ecclesiam catholicam tuerentur, petentes ab hæreticis ut ederent successiones Episcoporum suorum, ut faciebant catholici. Ait enim lib. 1. de planctu Ecclesiæ cap. 65. fol. 84. *Si enim* [Ecclesia] *apud Petrum de Corvaria per Bavarum intrusum est, apud Dominum Papam Io. XXII. non fuit. Si verò apud dictum Ioannem fuit, qui Clementi Papa V. legitima ordinatione successit, Petrus de Corvaria pseudopontifex est, & in Ecclesia catholica cum suis fautoribus non est, nec Episcopus computari potest qui evangelica & apostolica traditione contempta, nemini succedens, à se ipso ortus est & à Bavaro intrudente.* Consecratus est autem in die Pentecostes, id est, die XXII. Maii, à Iacobo Alberti de Prato Episcopo Castellano sive Venetiarum. Chronica aulæ regiæ: *Episcopus Venetorum, Hostiensis tunc factus, qui istum Antipapam in die Pentecostes supervacuè consecravit.* Annales Henrici Rebdorffii: *consecratus est ab Episcopo Castellano & aliis hæresiarchis in urbe.* Duo verò quædam extraordinaria tunc patrata sunt. Nam cùm olim mantum sive pallium, quod est insigne pontificalis officii, novo Papæ imponi consueverit ab Archidiacono, Ioannes Villanius lib. 10. cap. 73. & Boninsegnius lib. 1. pag. 219. testantur huic Antipapæ impositum fuisse à Bavaro. Deinde cùm ex veteri item more Papa coronari debeat ab Archidiacono, videbimus tamen posteà pag. 148. eum fuisse coronatum à Bavaro. Ceterùm facinus illud Ludovici multùm displicuisse, non solùm Romanis, sed etiam Germanis, tradunt iidem Villanius & Boninsegnius. Eandem fuisse sententiam Frederici Regis Tri-

naceriæ liquet. Nam cùm ei Ludovicus jussisset *ut eidem Nicolao in suis institutionibus tanquam summo Pontifici obediret*, tradit Nicolaus Specialis lib. 8. cap. 1. illum ei non paruisse; *quin immo se Ludovico Imperatori unitum in temporalibus agendis tantum, & non spiritualibus, esse respondit, & quamquam Ioannem illum qui præsidebat in Ecclesia Dei haberet infestum, eum nihilominus fatebatur legitimum esse pastorem.*

In hac rerum perturbatione constitutus Papa Ioannes consuluit Oldradum de Ponte Iurisconsultum ea tempestate clarissimum quid facto opus esset. Ille verò consil. 65. respondit illum maledictum intrusum non solùm esse puniendum pœna canonica, sed civili, anathematizandum itaque esse, & humano auxilio apostolica sede pellendum. *Ipse*, inquit, *sanctissimam sedem Petri vobis vivente & legitimè eam possidente propria temeritate cum potentia illius hæretici ausus est maculare; & ideo, tanquam excommunicatus & præcisus, est à communione Ecclesiæ repellendus.* De eodem ita loquitur in consilio 85. *Ille maledictus Petrus de Corvario sedem Petri occupans Cardinales habuit, Notarios, & officiales, & magnam curiam, & sequaces.*

FECIT CARDINALES] *ut magis inexplicabilis esset error*, inquit Sabellicus enneadis 9. lib. 8. pag. 798. editionis Basileensis. Albertinus Mussatus in epistola ad filium pag. 4. de eodem Antipapa: *Qui paucis post diebus confratres sibi Cardinales delegit, conventumque constituit, cum quibus faciem pontificatus & papalis induit majestatis.* Fuisse illos septem tradit Ioannes Villanius libro 10. cap. 116. At auctor chronicæ aulæ regiæ duodecim fuisse ait, fortasse per errorem librarii. Hi fuere, Iacobus Alberti de Prato olim Episcopus Castellanus, Franciscus factus Episcopus Albanus, Nicolaus de Fabriano Heremitanus, Petrus factus Presbyter Cardinalis S. Petri ad vincula, Bonifacius ex ordine Prædicatorum, Paulus de Viterbio ex ordine Minorum, & Ioannes Arlottus Canonicus S. Petri. Acta hæc Romæ anno MCCCXXVII. die prima Maii, ut scribit Contelorius. Quod verum esse non potest. Constat enim Petrum de Corbaria electum esse Antipapam die tantùm duodecima Maii. Itaque lubenter amplector quæ de ea creatione Cardinalium tradit Ioannes Villanius lib. 10. cap. 75. nimirum eam fuisse factam die XV. Maii. Postea illis adjunxit Ioannem filium Matthæi de Vicecomitibus Mediolani; idque factum Pisis die XIX. sequentis mensis Ianuarii docet Bernardinus Corius ex quadam epistola tum scripta, in qua hæc leguntur: *Post hac die Mercurii sequenti Dominus Papa habuit consistorium, in quo fuit Dominus Imperator cum Cardinalibus. Et ibi provisum fuit Dominum Ioannem fore Cardinalem & Legatum in Lombardia. quod completum fuit die 20. ipsius mensis, semper Domino Imperatore præsenti.* Quod ita intelligendum est ut dicamus Ioannem fuisse factum Cardinalem die Mercurii XIX. Ianuarii, & quæ de legatione Lombardiæ dicuntur, ea completa fuisse *die 20. ipsius mensis.* Nam cùm anno MCCCXXVIII. Pascha inciderit in diem tertiam Aprilis, consequens est diem XIX. Ianuarii sequentis conjunctam fuisse cum die Mercurii. Ex quo consequitur malè apud Villanium lib. 10. cap. 119. hanc Ioannis creationem referri ad diem XXIX. ejusdem mensis. Ait autem Contelorius pag. 48. incertum esse an is factus fuerit Cardinalis Romæ vel Pisis. Sed cùm ex eodem libro Villanii cap. 116. constet Antipapam fuisse Pisis die tertia Ianuarii, & locus ex Corio relatus doceat Ioannem creatum Cardinalem Pisis die XIX. Ianuarii, nullum de cetero dubium esse potest quin id actum sit Pisis. Postea Ioannes abdicavit honorem illum, ut legitur apud Ioannem Villanium lib. 10. cap. 146. & in libro Arnaldi Camerarii his verbis: *Absolutio nobilium Vicecomitum de Mediolano, quia erant excommunicati & interdicti ex eo quia adhæserant Ludovico de Bavaria per Ecclesiam dampnato, & alia multa fecerant contra Ecclesiam Romanam, specialiter quia Dominus Iohannes de Vicecomitibus Mediolan. se fecerat fieri Cardinalem & Legatum in Italia per Antipapam dampnatum per Dominum Ioannem Papam XXII. De quibus omnibus ipsos pœnituit, & confesso errore, ac agnita veritate, promiserunt multa bona pro Ecclesia Romana hic expressata, & de commissis se submiserunt ordinationi ejusdem Domini Papæ, qui pœnitentias & pœnas sibi reservavit. Actum Avinioni anno Domini millesimo CCCXXIX. die XV. Septembris.* Postea, cùm sub Clemente VI. idem Ioannes quædam fecisset quæ meritò animum Clementis adversùs eum exacerbarunt, ille ei inter cetera flagitia etiam objecit quòd Anticardinalem Petri de Corbaria se gesserit. *Odoric. Raynald. an.* 1350. §. 7. *Matth. Villan. lib. 1. cap.* 77.

IPSUM REPETIIT] Vide Vvaddingum an. 1328. §. 8. qui heic sapienter & eruditè exclamat: *O ridiculum senem, qui e supremo fastigio effecti pontificatus in tremula senectute, effœto corpore, & frigescentibus membris, jubetur ad conjugales redire complexus!* Quærit Guillelmus Durandi in commentario in Concilium Lugdunense fol. 8. quid agendum sit *si uxor ejus qui electus & consecratus est in Papam, qua mortua putabitur, tum repetet.* Hanc porrò quæstionem non solvit Guillelmus, sed lectorem remittit ad glossam cap. *Si quis pecunia.* distinct. 79. secundum

quàm constat Episcopum Reatinum rectè judicasse cùm Petrum de Corbario redire jussit ad uxorem suam. Ait enim glossa Papam sic electum & consecratum, si constet eam quæ ipsum repetit verè esse uxorem ejus, renuntiare debere papatui & satisfacere uxori. Ex quo collegit Albertus Trotius lib. 2. de perfecto clerico cap. 8. posse dari *casum in quo Papa potest habere uxorem legitimam, & sic in quo est dare Papissam, hoc est, uxorem Papæ*. Ægidius Bellamera in cap. *Desponsatam*. 27. q. 2. ita scribit: *Unde dicebat B. quòd ordo sacer susceptus ante carnis copulam invita uxore vel inscia nullo modo solvit vinculum, imò etsi Papa fieret, nec aliàs intraret religionem, tenetur matrimonium consummare*. Nescio autem ubinam Augustinus Iustinianus Episcopus Nebiensis lib. 4. annal. Genuens. fol. 114. invenerit uxorem Petri de Corbaria mortuam esse antè quàm is ingrederetur ordinem Franciscanorum.

P. 143. CIVITATEM VITERB.] Auctor chronicæ aulæ regiæ tum scribens: *Fama nunc volat publica quòd schismaticus præfatus fictus Apostolicus unà cum suo conditore Ludovvico ab urbe confusibiliter fugerit Romana & apud Viterbium mentis ambigua maneat, spe non certa*. Albertinus Mussatus in epistola ad filium: *Ludovicus Romanis onerosus, urgente victualium inopia, & effrena Germanorum gente populo molesta, ac interdum versa, dum se suosque ingratos præsentiret, cum contubernalibus suis Antipapa & Anticardinalibus suis in Viterbium secessit*. Egressos illos Roma anno MCCCXXVIII. die quarta Augusti & biduo pòst advenisse Viterbium scribit Ioannes Villanius lib. 10. cap. 98.

CIVITATEM PISANAM] Vide Villanium lib. 10. cap. 116. & veterem historiam Pistoriensium pag. 118. Apud Nicolaum Minoritam fol. 272. sic legitur in literis encyclicis Geraldi Odonis ministri generalis ordinis fratrum Minorum: *Tempore quo præfatus Petrus de Corbaria dudum sacrilegus Antipapa pro vero Papa damnabiliter se gerebat, prædicti Michael* de Cæsena, *Guillermus* Ocham, *& Bonagratia* de Pergamo *in civitate Pisana dicto Petro tunc hæretico manifesto adhæserunt, ipsumque pro sua confirmatione pravitatis hæretica informarunt, consilium, auxilium, & favorem præstantes eidem, in tantum quòd ipse Michael pro generali ministro se gerens pluribus præcepit nostri ordinis fratribus quatenus à sæpedicto Petro Antipapa reciperent ecclesiasticas dignitates*.

Constitutus autem Antipapa apud Pisas, ut lib. 10. c. 123. tradit Villanius, sententiam excommunicationis pronuntiavit contra Papam Ioannem; *imaginemque ejus ligneam*, ut Aventinus tradit *combussit*. Tradit autem continuator Nangii in tomo XI. Spicilegii Dacheriani pag. 733. eam sententiam *clam & de nocte* affixam fuisse *in valvis B. Mariæ Parisius & in Ecclesiis Minorum & Prædicatorum*. At parte ex alia Ioannes Papa varios gravesque processus fecit adversùs Antipapam, quos Episcopus Parisiensis pontificalibus indutus promulgavit in parvisio Ecclesiæ B. Mariæ. *Continuator Nangii in tomo XI. Spicilegii Dacheriani pag. 739. 741.*

TARLATUM] ex gente Petramala apud Aretium, ut in libro 10. cap. 135. tradit Ioannes Villanius. Vide etiam Vvaddingum an. 1327. §. 2. Ex eadem gente fuit Galeotus Tarlatus de Petramala, quem Clemens VII. fecit Cardinalem anno MCCCLXXXVII.

SECRETIUS] Idem continuator Nangii pag. 744. *Bavaro stante in Alemannia, Antipapa non multùm audebat se ostendere, sed clam hic & ibi ubi poterat cum suis falsis Cardinalibus & fratre Michaele quondam ordinis fratrum Minorum generali & quibusdam aliis excommunicatis & condemnatis de hæresi falsis fratribus Minoribus latitabat*. Vide veterem historiam Pistoriensium pag. 119.

DEDIT SE IPSUM] Contra Ioannes Villanius lib. 10. cap. 146. scribit eum Bonifacio secretò traditum fuisse custodiendum à Bavaro quando is excessit Pisis. Sed falsum esse Villanium liquet ex verbis Ioannis XXII. relatis ab Odorico Raynaldo an. 1330. §. 2. Ioannes verò Hocsemius pag. 386. tradit eum magna pecuniæ vi emptum à Papa Ioanne. *Tandem*, inquit, *cùm per annos aliquot taliter se gessisset, à quodam Principe magna redemptus per Papam Ioannem pecunia Antipapa sibi traditur Nicolaus: qui fune ligatus in collo, forsitan illius Principis ex condicto, aliud malum non patitur, nisi quòd publicè errasse se prædicans, detinetur honestè; qui sic detentus, brevi tempore diem clausit extremum*.

BONIFACII DE DONAIRATICO] Eum primarium ac principalem Pisanæ urbis civem, *loro gran cittadino*, vocat Ioannes Villanius lib. 10. cap. 146. Avum ille ciebat Gherardum Comitem Pisanum, qui in eadem pugna occubuerat olim cum Corradino, ut tradit Albertinus Mussatus lib. 5. de gestis Henrici VII. Imp. cap. 5. Gherardi filius fuit Facius, Pisanus & ipse Comes, cujus filium Nerium commemorat idem Mussatus extremo libro quinto de gestis Italicorum post Henricum VII. Cæsarem. Vixisse hunc Facium eo tempore quo captus est Antipapa, sed curam antea rerum publicarum transtulisse ad filium, hinc colligi potest quòd Villanius lib. 10. cap. 135. loquens de eo Facio seu Bonifacio qui Tarlatum Bavari Vicarium expulit è civitate Pisana, eum vocat Comitem Facium juvenem, *Conte Fazio il giovane*. Facium enim & Boni-

facium eadem nomina elic hinc quoque constat quòd idem Villanius lib. 10. cap. 146. loquens de Bonifacio de Donaratico eum vocat *el Conte Fazio da Doneratico*, & quòd Ioannes XXII. scribens ad Petrum de Corbario apud Vvaddingum an. 1330. §. 4. eum pro Bonifacio vocat Facium: *dilectus filius nobilis vir Facius Comes de Donoratico.* Propter hoc autem facinus Papa Ioannes ei dedit *il castello di Montemassi, ch'era dello Arcivescovado, e altri ricchi doni e beneficii ecclesiastici.* Odoricus Raynaldus an. 1330. §. 27. datum illi ait castrum Peretanum ditionis pontificiæ in Suanensi agro maritimo. Liber Arnaldi Camerarii: *Item unum aliud instrumentum continens ratificationem Bonifacii Novelli super eo quòd Dominus Io. Papa XXII. per suas litteras apostolicas dedit in feudum dicto Bonifacio Novello Comiti de Donoratico ejus Pisano & suis liberis per masculam lineam descendentibus in perpetuum castrum & curtem de Pareta sita in maritima Suanensis diœcesis ad Ecclesiam Romanam spectantia sub censu annuo unius floreni auri solvendi annuatim Romanæ Ecclesiæ in festo Apostolorum Petri & Pauli; pro quibus dictus Comes homagium ligium, & fidelitatis juramentum dicto Domino Papæ & suis successoribus Ecclesiæque Romanæ præstare habet & obedire Rectori patrimonii beati Petri in Tuscia, prout alii Barones feudatarii dicti patrimonii tenentur. Actum Pisis anno Domini* MCCCXXXII. VII. *Idus Septembris.*

FRATRE PAULO] de Viterbio, ut eum vocat Contelorius, qui ait eum Pisas secutum esse Petrum de Corbario, dein in Alemanniam aufugisse. Vide Vvaddingum anno 1328. §. 10. In codice 764. bibliothecæ Colbertinæ, in indiculo variarum literarum Ioannis XXII. missarum in Italiam ista leguntur: *Die* XXIX. *mensis Decembris de anno Domini* MCCCXXXII. *fuerunt missæ infrascripta litteræ apostolicæ Domino Petro de Artisio Rectori & Stephano Lascouts Thesaurario patrimonii per Marcum & Ilarium cursores Domini Papæ; videlicet una patens, in qua mandatur eisdem quod quatuor coffinos & bona alia quæ schismaticus quidam vocatus Paulus de Viterbio de ordine fratrum Minorum Anticardinalis penes quosdam de terra Corneti deposuerat exigant & recipiant à Thebaldo & Matfredo de Vicellensibus, penes quos esse dicuntur bona ipsa, & ipsos compellant ad restituendum; & alia tres clausæ directæ, videlicet una Thebaldo & Matfredo prædictis, & alia Episcopo Viterbiensi, & alia Constanciæ relictæ quondam Matthæi Bonifacii de Vicellensibus.*

P. 144. EPISCOPI LUCANI] Guillelmi Dulcini de Montealbano ordinis Prædicatorum, quem Vghellus tradit fato functum esse Lucæ anno MCCCXLIX. sepultumque esse apud Prædicatores.

LITTERAS APOST.] Vide Odoricum Raynaldum an. 1330. §. 9.

ARCHIEPO PISANO] Simone Salterello, & ipso religioso ordinis sancti Dominici, quem idem Vghellus tradit obiisse anno MCCCXLII. & tumulatum Pisis apud Prædicatores.

CLERICO DNI PAPÆ] qui infrà pag. 145. vocatur Raymundus Stephani. Ita enim habent libri nostri & editio quæ extat apud Papirium Massonum, tum etiam ea quæ extat in codice 506. bibliothecæ Colbertinæ. Eam verò lectionem confirmare videntur editiones Felicis Contelorii & Odorici Raynaldi an. 1330. §. 14. ubi vocatur Raynaldus Stephani. Apud Robertum tamen Cenalem, qui confessionem Petri de Corbario edidit in axiomate catholico de utriusque gladii facultate usuque legitimo, & apud Abrahamum Bzovium anno 1330. §. 3. legitur *magistro Ludovico Stephani.*

PUBLICE RECOGNOSCENDO] Vide epistolam Ioannis Papæ ad Bonifacium Comitem de Donaratico editam à Vvaddingo an. 1330. §. 8.

APUD AVINIONEM] quò eum pervenisse VIII. (seu potiùs IX.) Kal. Septembris docet Ioannes Papa in epistola mox laudata. Quare necessariò emendanda est editio continuatoris Nangii quæ extat in tomo XI. Spicilegii Dacheriani pag. 747. ubi legitur hunc Antipapam Avenionem ingressum esse die XXIII. mensis Augusti. Quippe etiam ex testimonio istius scriptoris constat eum die sequenti adventum ejus publicè coram Papa & tota curia Romana confessum esse errores suos. P. 145. Porrò eum advenisse Avenionem die XXIV. Augusti & die sequenti confessum esse delicta sua scribit Ioannes Villanius lib. 10. cap. 164. & confessionem illam factam esse die sabbati XXV. Augusti legitur in codice 3126. bibliothecæ Colbertinæ fol. 53. licèt ibi per errorem falsò scriptum sit *Iulii* pro *Augusti*. Sic ergo illic habetur: *Die sabbati* XXV. *die Iulii anno Domini millesimo tricesimo, pontificatus Domini Iohannis Papæ XXII. anno* XIV. *in consistorio publico propter hoc celebrato venit coram Papa frater Petrus de Corbario dudum Antipapa cum corda circa collum, & cepit thema*: Pater, peccavi in cælum & coram te. *Ante omnia tamen posuit verba ista:* Ante tribunal apostolicum & venerabilem conspectum Dominorum Cardinalium constitutus. *Et cœpit dicere & confiteri omnia de statu illo per ipsum assecuto. Thema Domini Papæ postea:* Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. *Et ibidem dixit qualiter tenebræ in substantia nihil est, ideo non est aliud nisi privatio vel obfuscatio luminis. Prosequebatur enim qualiter erat aliquando tenebræ per peccata*

sua gravia immo gravissima, nunc verò lux in Domino &c. Et tetigit de prudentia. Et tandem abjuravit haresim, & profitebatur fidem catholicam, & specialiter illam constitutionem Cùm inter nonnullos &c. *Et post hac Dominus Papa admisit eum ad osculum pedum, & statim ad osculum oris. Vicesimo sexto die celebravit Dominus Papa in Ecclesia beata Virginis, & cepit pro themate:* Vos omnes benedicite Dominum & enarrate mirabilia ejus. *Et fecit magnam solemnitatem propter conversionem illius Petri.*

CONFESSIO ANTIPAPÆ] Extat, uti diximus, in codice 506. bibliothecæ Colbertinæ, apud Robertum Cenalem pag. 241. Papirium Massonum in libro de Episcopis urbis fol. 281. & apud Abrahamum Bzovium & Odoricum Raynaldum.

P. 147. SE FECISSET CORONARI] à Iacobo Episcopo Castellano sive Venetiarum, ut docent Ioannes XXII. apud Odoricum Raynaldum an. 1330. §. 27. Karolus IV. Imp. in libro de vita sua, Ioannes Villanius lib. 10. cap. 56. Chronica aulæ regiæ pag. 60. & Cortusii lib. 3. cap. 11. Alii post Villanium tradunt fuisse coronatum à Gerardo Rolando Episcopo Aleriensi in Corsica. *Vghellus to. 3. Italia sacra pag.* 535. 601. Sed hanc repugnantiam sic tollit Spondanus an. 1328. §. 2. ut hanc coronationem dicat factam esse ab his duobus Episcopis. quod ex Villanio accepisse videtur. Antoninus Florentinus tit. 21. cap. 6. ait coronam illi impositam fuisse à Sciarra Columnensi. Itaque Spondanus vult Ludovicum ab Episcopis illis consecratum fuisse, & à Sciarra coronatum. Quod confirmari posse videtur ex M. Alberto Argentinensi pag. 124. & ex verbis Nicolai Minoritæ fol. 38. relatis ab Odorico Raynaldo an. 1328. §. 3. qui scribit eum non per Papam, sed per quatuor syndicos populi Romani ad hoc specialiter constitutos fuisse in Imperatorem Romanorum solemniter corona aurea coronatum. Hinc ortus error Bucelini in annalibus Germaniæ scribentis Ludovicum Romæ coronatum esse anno MCCCXXVIII. à Stephano Colomnio S. R. E. Cardinale. Nam cùm Platina in vita Ioannis XXII. scripsisset Ludovicum coronatum fuisse à Stephano Columna, hinc nonnulli hauserunt hunc Stephanum imposuisse coronam imperialem capiti Ludovici. Contrà in epistola Ioannis XXII. ad Ioannem Regem Bohemiæ, quam ex regesto ejus se descripsisse ait Robertus Cenalis, quam etiam Bzovius an. 1330. §. 1. se descripsisse profitetur ex eodem libro, in epistola inquam illa Ioannis XXII. disertè scriptum est Ludovicum fuisse coronatum ab Antipapa. Afferam autem ipsa ejus verba: *Patet igitur ipsum Bavarum jus aliquod non habere, quia non à vero summo Pontifice, sed ab Antipapa recepisse dicitur & noscitur supradicta, scilicet inunctionem, consecrationem, & coronationem.* Quod verum est. Testatur enim Villanius lib. 10. cap. 76. eum rursum coronatum fuisse ab Antipapa. Vnde in chronico Donati Bossii legitur illum secundò coronatum esse ab Antipapa; *à quo iterum se coronari jubet,* inquit. Ceterùm non bona fide agere mihi videtur Ioannes Georgius Hervvartus in defensione Ludovici adversùs Bzovium pag. 428. ubi præsentiam Cardinalium Papæ Legatorum ei objicit tanquam fuissent legati Ioannis Papæ, quos constat fuisse duos illos Episcopos à quibus Bzovius ait Ludovicum fuisse inunctum.

DEPOSITIONIS SENTENTIAM] Duplicem eam fuisse liquet ex Nicolao Minorita & ex annalibus Boiorum Ioannis Aventini. Et secundam quidem Aventinus suis verbis refert pag. 770. datam anno MCCCXXVIII. die XVIII. Aprilis, sed multùm diversam ab originali. Secundam, quam in fol. 779. exhibet, datam eodem die & eodem anno, nos alibi nondum invenimus. Priorem eam quæ extat apud Nicolaum Minoritam, quòd prolixior sit, ait Odoricus Raynaldus an. 1328. §. 11. nolle se referre, ne in immensam molem confutatio assurgat, satis sibi esse si præcipua illius capita perstringantur. Nos integram dabimus in appendice actorum veterum. In libro Arnaldi Camerarii hæc leguntur: *Littera sigillata sigillo Ludovici de Bavaria continentes plures blasfemias contra Dominum Iohannem Papam XXII. ex quibus ipsum deponebat verbo. quod non expedit explicare.* Hanc Ludovici sententiam, utpote ab incompetenti judice latam, nullam fuisse scripsit Alvarus Pelagij lib. 1. de planctu Ecclesiæ cap. 36. fol. 13. *Qualem ergo sententiam,* inquit, *dare potuit in imperio intrusus contra Papam catholicum, cui tota Ecclesia, sicut tenetur, obedit & tenet eum pro Papa, non auditum, non confessum, non convictum, non rei evidentia hæreticum?* P. 148.

COMPVLIT VT CELEBRARENT] Liber Arnaldi Camerarii: *Quinque juramenta continentia qualiter Presbyter Martinus rector Ecclesia sanctorum Sergii & Bacchi de Selina de urbe recognoscens suum reatum, videlicet quòd durante interdicto apposito in urbe Romana propter Bavarum damnatum & haresiarcham Petrum de Corbaria Antipapam in dicta urbe existentes, Missas celebravit, & eis propter metum obedivit, eos honorando, non tamen participando in haresi pradicta, in quatuor patriarchalibus Ecclesiis urbis, inter Missarum solemnia alta voce coram populo confessus est de mandato G. de Valle Camerarii Domini Papa, antequam absolutionem ab eodem super illis sen-* P. 149.

tentiis obtineret. Actum Romæ anno Domini MCCCXXX. *die* XIII. *Aprilis.*

P. 151. FVIT ABSOLVTVS] Vide chronicam aulæ regiæ pag. 77.

VIII. IDVS SEPT. Hæc nota temporis non pertinet ad diem quo Antipapa veniam petiit à Ioanne prostratus ad pedes ejus, cùm id evenerit VIII. Kal. Septembris, sed ad diem quo scripta est bulla Ioannis XXII. in qua continentur epistola Petri de Corbario ad Papam & acta conversionis seu confessionis ejus. Quod ideo moneo ne quis in hoc fallatur.

P. 152. MISERICORDITER SVSCEPTVS] Inter alia verò ei concessum est ut non obstantibus statutis ordinis Minorum nulli alii deinceps subjectus esset quàm summo Pontifici & sedi apostolicæ. Liber Arnaldi Cameraxii: *Item alia littera ipsius Domini Papæ continens exemptionem concessam fratri Petro de Corberia ordinis fratrum Minorum, olim Antipapa, & nunc correcto & in obedientia sanctæ Romanæ Ecclesiæ existenti, quòd sanctæ sedi apostolicæ & nulli alii sit subjectus. Datum Avinioni V. Kal. Decembris anno decimo quinto.* Vide Vvaddingum an. 1330. §. 5. & Odoricum Raynaldum an. eod. §. 25. In eodem libro Arnaldi Cameraxii ista reperi: *Anno Domini millesimo* CCCXXXV. *& die* VII. *Septembris syndici civitatis Pergamensis in Lombardia venerunt ad Dominum Benedictum* XII. *& in publico consistorio supplicarunt sibi ut interdictum quod erat in civitate Pergamensi pro eo quia Bavarum & Antipapam receptaverant tolleret & amoveret. Qui quidem syndici jurarunt fidelitatem, obedientiam, & reverentiam dicto Domino Papæ. Item jurarunt quòd credunt & sciunt quòd non est potestas data Imperatori Papam deponere. Et plurima alia jurarunt, ut in præsentibus instrumentis continetur, & ulteriùs omnia promissa in dicta civitate Pergamensi per commune dictæ civitatis. Datum Avinioni anno & die quibus suprà.*

TRACTATVR VT FAMILIARIS] Vide Ioannem Villanium lib. 10. cap. 164. & Vvaddingum an. 1330. §. 7. Continuator Nangii in tomo XI. Spicilegii Dacheriani pag. 748. *Dictum verò Antipapam in quadam camera juxta domum Cambellani sui poni præcepit usquequò plenciùs deliberasset quid super his esset facturus.* Vixit autem in honesta custodia ultra triennium, ut ait Villanius; &, ut in libro de vita sua scribit Karolus IV. Imperator, *mortuus fuit in pœnitentia.* Sepultus autem est honorificè in templo Franciscanorum Avenionensium, ut tradit ibidem Villanius & ex eo veteres historiæ Pistoriensium pag. 119. Vide etiam Henricum Rebdorffium an. 1330.

P. 151. TRACTATV PRÆHABITO] id est, *per compromissionem*, ut loquitur Henricus Rebdorffius. quod etiam tradit Ioannes Villanius lib. 9. cap. 79. qui addit istud factum esse secundùm eum modum qui perscriptus est in decretalibus, & mox Ioannem se ipsum nominasse. Quo loco superbiam ejus & ambitionem arguunt pleríque. Et tamen hæc res non vacabat exemplo. Eo quippe modo celeberrimus ille Mauricius evasit Episcopus Parisiensis. Sic enim tradit Cæsarius Heisterbachcensis lib. 6. cap. 19. *Cùm nostris temporibus Parisiis vacaret episcopatus, & electores inter se concordare non possent, tribus sua vota commiserunt: qui tres cùm in unam convenire nequirent personam, magistro Mauricio, qui unus trium erat, duo suam dederunt auctoritatem ut quemcunque ipse nominaret, Episcopus esset. Et quia idem Mauricius, ut rei exitus probavit, magis cupiebat prodesse quàm præesse, se ipsum nominavit dicens: Aliorum conscientias & propositum ignoro; episcopatum hunc, gratia Dei me adjuvante, irreprehensibiliter gerere propopono. quod & fecit.* Ceterùm *jus eligendi non ordinatur naturaliter ad compromissum*, ut ait Baldus in cap. 42. *Quia propter.* de electione. *Nec unquam* (inquit Ostiensis in cap. 55. *In Genesi.* eod. tit.) *unus pro se & collegis suis pronuntiare potest de jure, nisi ei data sit hæc potestas. Quamvis curia de facto contrarium servet etiam in compromissi forma, inducens pro se hanc litteram, quæ omnino contrarium sonat.* Ob hanc fortassis rationem perveniendi ad papatum, quia non omnia omnibus placent, quidam ea tempestate aiebant Ioannem minùs legitimè ad papatum productum, non confratrum Cardinalium optione spontanea. Ita enim ad filium scribit Albertinus Mussatus, qui addit eum ad summum fastigium pervenisse favore Roberti Regis. Verùm Odoricus Raynaldus an. 1316. §. 3. hoc inter alia argumenta contendit hanc Villanii narrationem esse falsam quòd si constitisset Ioannem his artibus pervenisse ad summum pontificatum, Ludovicus Bavarus aliique hostes Ioannis, qui nihil eorum omittebant quibus existimabant se illi posse creare invidiam, nunquam ei hunc actum objecerunt in acerbissimis invectivis quas adversùs eum scripserunt, facturi haud dubiè si ea tum fama fuisset. Præterea qua fronte Ioannes, si se ipse elegisset, ausus esset scribere ad Reges & Principes & ad universos Christi fideles se à pontificatu sibi oblato omnium suffragiis consentientibus abhorruisse atque admodum ancipitem hæsisse an humeros oneri subduceret? Extant enim apud eundem Odoricum Raynal. eod. an. §. 8. literæ Ioannis ad Robertum Regem Siciliæ, in quibus cùm dixisset se ab omnibus Cardinalibus, nemine discrepante, concorditer in summum Pontificem electum fuisse, addit: *Nos autem difficul-*

tatem officii pastoralis, continui laboris angustias, & praeexcellentiam dignitatis apostolicæ infra nostra præcordia recensentes, nostrarumque metientes virium parvitatem, timore ac tremore concussi, vehementer hæsitavimus, nec indignè &c. Sanè vix credibile videtur virum doctum & sapientem, tum bonæ famæ, adeo impudentem fuisse ut si vera essent quæ Villanius scribit de ejus assumptione, ausus fuerit publicè scribere dubitasse se prima fronte an consensum daret electioni de se factæ, quam omnes sciscent non ex concordibus Cardinalium suffragiis in eum concurrentibus ortam esse, sed ex maxima & effrenata cupiditate summi fastigii summæque dignitatis. Itaque censeo dubitari non immeritò posse de veritate rerum quæ circa hanc electionem à Villanio tradita sunt memoriæ literarum; præsertim cùm etiam Alvarus Pelagii Episcopus Silvensis, tum vivens, libros suos de planctu Ecclesiæ ordiatur ab his verbis: *Certum & notorium toti mundo est quòd dictus Dominus Ioannes Papa electus fuit concorditer à Cardinalibus omnibus.* Puto ergo primò propositam fuisse viam compromissi in electione facienda, atque id fando auditum scripsisse Henricum Rebdorffium, sed ea postea dimissa, processum fuisse per viam scrutinii. Istud mihi collegisse videor ex ordine Romano quem vir clarissimus Ioannes Mabillonius edidit sub nomine Iacobi Gaietani. Illic enim pag. 247. extare formam scrutinii facti in electione Ioannis XXII. hinc certò colligi posse mihi videtur quòd ex his qui electi sunt ad scrutinium faciendum & scrutandum aliqui facti sunt Cardinales à Clemente V. adeoque scrutatores esse non potuerunt in illius electione, multi mortui sunt sub pontificatu Ioannis XXII. adeoque scrutatores esse non potuerunt post illius pontificatum. Scrutatores enim fuere Nicolaus de Prato Episcopus Ostiensis, qui anno MCCCXXI. extinctus est, Nicolaus de Freauvilla Presbyter Cardinalis tituli sancti Eusebii, quem anno MCCCXXIII. interiisse constat, & Neapoleo de Vrsinis Diaconus Cardinalis tituli sancti Adriani. Scrutatores scrutatorum fuere Berengarius Fredoli Episcopus Tusculanus, qui ultra annum MCCCXXIII. vitam non produxit, Arnaldus Novelli Presbyter Cardinalis tituli sanctæ Priscæ, quem constat vivendi finem fecisse in ipsis Ioannis XXII. pontificatus initiis, & Guillelmus de Longis Diaconus Cardinalis tituli sancti Nicolai in carcere Tulliano, cujus mortalitas anno MCCCXIX. finita est. Scio illum pro Guillelmo vocari constanter Æmilium in editione Mabillonii. Sed certus error est, qui emendandus ubique in eo ordo venit ex codice 1713. bibliothecæ Colbertinæ, in quo semper vocatur Guillelmus. Cùm ergo hæc ita se habeant, non puto deinceps ambigi posse quin Ioannes XXII. electus sit per viam scrutinii, adeoque meram fabulam & putidum figmentum esse quod à Ioanne Villanio proditum est de modo quo is adeptus esse dicitur summum pontificatum.

De auctore porrò istius ordinis Romani dicenda sunt illhic aliqua per transennam. Mabillonius enim ejus auctorem fuisse scripsit Iacobum Gaytani Cardinalem sancti Georgii ad velum aureum, ex conjectura tantùm, cùm nomen auctoris non extaret in apographo Ciampini, sicuti non extat in vetustissimo codice Colbertino. Ex testimonio autem Petri Bertrandi Cardinalis tituli sancti Clementis colligi quidem potest Iacobum habuisse penes se ordinem istiusmodi, sed tamen eum fuisse Iacobo antiquiorem. Etenim Petrus in cap. *Vbi majus periculum.* de elect. in 6. ita scribit de forma servanda in electione Romani Pontificis: *In quibusdam scriptis antiquis quæ habebat Dominus Iacobus sancti Georgii ad velum aureum Diaconus Cardinalis bo. me. quæ legit in præsentia Dominorum Cardinalium, inter quos eram, existentium in conclavi vacante sede per obitum fe. rec. Domini Io. Papæ XXII. qui me fecit Cardinalem, sic habebat de verbo ad verbum. Et dicebat idem Dominus Iacobus quòd sicut ibi continetur, ita fuerat observatum in electionibus Romanorum Pontificum in quibus interfuerat. Et illud scriptum, quod satis juri consonat, posui de verbo ad verbum; & dicit sic.* Tum describit verba ex eo ordine quæ habentur in editione Mabillonii pag. 250. ab his verbis *Singularia quædam in electione summi Pontificis &c.* usque ad hæc pag. 252. *& ipsis non contradicentibus vel protestantibus.* Itaque sic existimare possumus Iacobum Gaytani novum opus composuisse ex veteri & ex antiquis addidisse quæ in usum invecta fuerunt ævo ejus.

CORONATVS] Ioannes Andreæ in prologum Clementinarum sic scribit de hoc Ioanne: *Incepit Nonis id est quinto die Septembris anno Domini MCCCXVI. quâ die consecratus fuit, benedictus, & coronatus.* Mirror autem ista scribi potuisse à Ioanne Andreæ. Etenim qui jam Episcopus erat, non indigebat consecratione. Sanè Vrbanus V. & Gregorius XI. consecrati sunt & coronati, sed quia non erant Episcopi eo tempore quo electi sunt summi Pontifices. At Benedictus XII. benedictionis tantùm & coronationis solemnia recepit, ut ipse ait apud Odoricum Raynaldum an. 1334. §. 3. p. 152

BERNARDVS DE CASTANETO] Amalricus Augerii in vita Innocentii V. vocans eum *venerabilem virum & magnificum clericum* scribit eum fuisse civem Montispessulani, & ex auditore sacri palatii factum fuisse Episcopum Albiensem ab eodem Innocentio.

eentio. Sumpsit autem ista ex chronico Bernardi Guidonis, in quo ita scriptum est: *Hic præfecit Episcopum Ecclesiæ Albiensi venerabilem virum Dominum Bernardum de Castaneto de Montepessulano tunc sacri palatii auditorem Nonis Martii pontificatus sui anno primo.* Idem in catalogo Priorum conventus Albiensis fratrum Prædicatorum: *Sextus Prior frater Guillermus Bernardi Galliacensis. Successit fratri Raymundo Bletgerii. Tempore prioratus sui fuit fundata Ecclesia fratrum an. Domini* MCCXCIII. *Dominica, infra octavas Apostolorum Petri & Pauli. Qua die dominica venerabilis pater Dominus Bernardus de Castaneto Episcopus Albiensis indutus pontificalibus cum ministris induciis sacris processionaliter accessit ad caput quod nunc est Ecclesia cum conventu fratrum, cum Canonicis multis utriusque Ecclesiæ Albiensis, ac multitudine copiosa plebis, cum officio solemni psalmorum & cantus secundùm rubricam ordinarii Episcoporum; ibique devotè flexis genibus in terra posuit in fundamento primarium lapidem politum priùs & consignatum, ipsum lapidem ipse situans & cæmentans, manu artificis dirigente. Ego frater Bernardus Guidonis lector eo tempore in conventu & Diaconus in ipso officio sacris indutus, qui vidi & astiti, præmissa scripsi, ut qui non viderunt posteri qui futuri sunt ita credant.* Multas contumelias passus est à quibusdam seditiosis quorum signifer erat frater Bernardus Delitiosi ordinis fratrum Minorum, uti pluribus scribit Bernardus Guidonis in eodem catalogo. Obiit anno MCCCXVII. die XIV. Augusti. Petrus Gariellus in serie Præsulum Magalonensium pag. 446. *In Necrologio quo Bernardus Castanetus Cardinalis à Ioanne creatus 14. Augusti anni 1317. obiisse Avenione asseritur fit aliqua ejus mentio. Nam cùm è vivis excessisse Magalonensibus & Monspeliensibus perlatum est, illico feralia tanto viro procurata sunt sacra.*

p. 153. IACOBVS DE VIA] Nobilem cum domo fuisse colligi posset ex historia genealogica Cardaillacensium pag. 22. ubi scriptum est Hugonem de Cardaillaco junctum fuisse vinculo conjugali cum Isabella de Via filia Petri de Via Militis Vicecomitis Calvigniaci & domini Villamuri, Isabellam verò fuisse sororem Mariæ de Villamuro uxoris Beraldi I. Comitis Claromontani & Delphini Arvernensis, si ea monumenta Ioannis XXII. pontificatum antecederent. Mariam porrò fuisse uxorem ejusdem Beraldi constat ex iis quæ referuntur à Iustello lib. 4. cap. 7. historiæ Turrianorum. De Iacobi morte consolatoriam ad Papam scripsit Philippus V. Rex Franciæ, ut patet ex Odorico Raynaldo an. 1316. §. 20. Pauca admodum de eo invenimus. Hæc de eo habentur in libro Arnaldi Camerarii: *Littera bullata continens unionem Ecclesiæ parrochialis sancti Medardi de Bavassaco Mimatensis diœcesis archidiaconatui Mimatensi per Dominum Io. Papam XXII. tempore Iacobi electi Avinionensis Archidiaconique dictæ Ecclesiæ perpetuò factam. Datum Avinioni IV. Kal. Novembris, pontificatus sui anno primo.* Sancti Medardi de Benassato vocatur ab Oldrado consil. 257. ubi scriptum est eam mensæ Episcopi Mimatensis fuisse unitam à Guillelmo Durandi Episcopo Mimatensi auctoritate literarum Nicolai IV. & deinde eam unionem à Clemente V. confirmatam fuisse. Ceterùm Arnaldus habebat dictam Ecclesiam tempore Clementis V. ut docet idem Oldradus. In chronico monasterii Grandimontensis adnotatum est Hugonem Geraldi Episcopum Cadurcensem composuisse imagines cereas cum quibus occidit Dominum Iacobum de Via nepotem Papæ Cardinalem. Verba hujus chronici referentur infrà in Notis ad paginam 154.

GAVCELMVS IOHANNIS] Ita omnino scribendum est nomen istius Cardinalis, non verò *Gancelinus*, ut vulgò solet. Sic enim scriptum est in melioribus libris, in regesto Ioannis XXII. bibliothecæ Colbertinæ, & in libris ceremoniarum palatii apostolici Avenionensis. Præterea Franciscus Didacus in historia provinciæ Arragonensis ordinis Prædicatorum fol. 150. refert quasdam literas ejusdem Cardinalis in quibus vocatur *Gualcelmus*, manifesto indicio legendum esse *Gaucelmus*, & apud Puccinellum in apparatu de illustribus abbatiæ Florentinæ viris pag. 7. vocatur Grauselmus. Adde quòd in quibusdam literis Gallicè scriptis, quas habemus authenticas, ipse se vocat *Gaucelme*. quod scriptores annalium Francicarum illius ævi verrunt in *Iosseaume*. Ad confirmandam autem orthographiam istius vocabuli utar etiam testimonio chartulariorum Tutelensis & Vsercensis, in quibus Gaucelmus de Perrabufiera, cujus multa mentio habetur in chronico Gaufredi Vosiensis, semper vocatur Gaucelmus, nunquam Gaucelinus.

Nulla dubitatio est quin hic Gaucelmus fuerit Cadurcensis natione. Id enim plerique omnes scribunt. Ortus est autem è clarissima familia Divonæ, ubi Bertrandus Ioannis apud Guillelmum Cruceum in serie Episcoporum Cadurcensium pag. 103. nominatur inter primarios cives ejusdem urbis. Mortuum illum fuisse constat ante annum MCCCX. quo Philippus IV. Rex Francorum literis datis apud Compendium die septima Iunii Iacobum Ioannis de Caturco filium quondam Bertrandi Ioannis jam defuncti nobilitavit ad petitionem Karoli Comitis Valesii, eique concessit ut cingulum militiæ & alios actus quoscunque nobiles à quocunque voluerit ad hoc ideo recipere & ad ea provehi possit, non obstante quod à

nobilibus ex quocunque latere non traxit originem. Extant hæ literæ in regesto I X. archivi regii Parisf. cap. 117.

Bertrandi frater fuisse videtur Raymundus Ioannis Canonicus Cadurcensis, quem idem Cruceus pag. 147. testatur electum fuisse anno MCCLXIII. vicarium in temporalibus sede episcopali vacante. Puto autem illum adhuc superstitem fuisse anno MCCII. quo duos istius nominis Canonicos in Ecclesia Cadurcensi fuisse, unum dictum majorem, alium juniorem, legimus apud eundem Cruceum pag. 159. & seq.

Bertrandus ergo fuit pater Iacobi & Raymundi junioris, ut arbitror.

Iacobus genuit Benedictum, quem constat fuisse mortuum anno MCCCXXXVII. mense Novembri. Genuit præterea Gaucelmum Cardinalem, & Guillelmum commemoratum à Cruceo pag. 181. 207. ubi vocatur Miles.

Benedictus genuit Philippum, qui ejusdem Benedicti filius & Gaucelmi Cardinalis nepos vocatur in literis Philippi Valesii Regis Franciæ commemoratis inter probationes historiæ Cardinalium Gallorum pag. 292. & in aliis literis ejusdem Regis datis apud Atrebatum anno MCCCXL. mense Iulio, in quibus continetur donum quod is tum fecit Philippo Ioannis Militi nepoti Cardinalis Albanensis, *Philippe Iehan Chevalier neveu du Cardinal d'Albane*. Hæ ultimæ literæ extant in regesto LXXIII. archivi regii Parisf. cap. 147.

Philippi filios fuisse facilè crediderim Raymundum Ioannis & Benedictum Ioannis juniorem; quorum prior recensetur inter primarios cives Cadurcenses, alter in ordine Canonicorum ponitur anno MCCCLIII. apud eundem Cruceum pag. 259.

Benedicti porrò nomen, ut hoc quoque observemus, diu retentum est in ea gente. Quippe idem Cruceus pag. 363. ostendit ex veteribus monumentis Benedictum Ioannis fuisse anno MCCCCXCIII. Karoli VIII. Regis Francorum procuratorem, ut tum loquebantur, sive oratorem in curia Romana, & episcopatum Cadurcensem ei destinatum fuisse ab eodem Rege.

Ex ea gente fuit Arnaldus Ioannis Prior conventus Montalbanensis fratrum Prædicatorum, de quo hæc habet Bernardus Guidonis: *Frater Arnaldus Iohannis Caturcensis successit fratri Helia de Briva. Prior fuit annis duobus, fuitque absolutus in capitulo provinciali Caturcensi anno Domini* MCCXCVIII.

Ex eadem quoque fortassis gente fuit Petrus Ioannis legum Doctor apud Montempessulanum in collectaneis de dissidio Bonifacii VIII. & Philippi pulchri pag. 157.

Cùm ergo hic Cardinalis ortus fuerit ex gente Ioannensium, quos ex monumentis à Cruceo allatis apparet semper vocatos fuisse *Ioannis* vel *de Iean*, absque additamento cognominis de Ossa, jam constat falsum fuisse Onuphrium Panuinium & qui eum secuti sunt quum Cardinalem istum vocarunt Ganzelinum vel Gaucelinum Ioannis de Ossa fratris Papæ filium. Longiùs autem quàm oportuit progressa est conjectura Oldoini: qui cùm videret hunc Cardinalem vocari Gaucelmum Ioannis de Ossa, censuit assumptum ab eo fuisse nomen patris post proprium, ut plerique olim solebant, & Ioanni Papæ fratrem fuisse Ioannem patrem istius Gaucelmi. quod falsum omnino est. Fuit enim Gaucelmus ex alia gente, adeoque forsan ne quidem consanguineus aut affinis Papæ. Certè apud neminem Onuphrio vetustiorem reperi illum fuisse nepotem Ioannis XXII.

Initia ejus non novimus. Tum primùm notus fuisse videtur eo tempore quo Ioannes XXII. ad summum pontificatum evectus est. Statim enim factus est Romanæ Ecclesiæ Vicecancellarius. Fuisse autem citò factum Vicecancellarium patet etiam ex verbis Bernardi Guidonis, qui docet illum fuisse Vicecancellarium eo tempore quo factus est Cardinalis. Præterea sequentem adnotationem, quæ id docet, repetimus in veteri codice MS. bibliothecæ regiæ continente varias Ioannis XXII. epistolas decretales, in codice 349. bibliothecæ Colbertinæ, & in regesto cancellariæ apostolicæ composito à Theoderico de Niem: *Anno Domini* MCCC. *sexto decimo*, XVII. *Kal. Octobris, Lugduni, sanctissimus Pater & Dominus Iohannes Papa* XXII. *pontificatus sui anno primo reservavit sua & sedis apostolica collationi omnia beneficia ecclesiastica qua fuerunt & quocunque nomine censeantur, ubicunque ea vacare contigerit per acceptationem alterius beneficii pratextu gratia ab eodem Domino Papa facta vel facienda acceptati, mihique Gaucelmo Vicecancellario suo pracepit in prasentia magistri Petri Fabri quòd hac ad memoriam redigerem in scripturam.*

Anno MCCCXVII. missus est in Angliam unà cum Luca de Flisco Cardinale ut pacem revocarent inter Reges illius insulæ. *Walsinghamus hoc anno, annales Hibernia editi à Camdeno, Matthaus Parker in libro de antiquitate Ecclesia Britannica, Odor. Raynald. an.* 1317. §. 42. 1318. §. 27. *& in addendis an.* 1317. §. 28. 48. Franciscus Ioannetus in libro Pontificum Romanorum pag. 288. refert epistolam Ioannis XXII. ad Eduardum Regem Angliæ, ex qua patet magnates & populum Hiberniæ querelas suas adversùs eundem Regem detulisse ad Gaucelmum, qui illic malè vocatur Anselmus, & ad Lucam de Flisco Cardinales apostolicæ sedis nuntios.

Anno MCCCXIX. mittitur in Galliam ad componendas res Flandricas, ut legitur suprà pag. 124.

Anno MCCCXXII. in celeberrima illa controversia de paupertate Christi & Apostolorum, cùm Ioannes Papa singulorum Cardinalium sententiam exquisiisset, Gaucelmus suam prompsit; ejusque mentio habetur apud Odoricum Raynaldum an. 1322. §. 65.

Anno MCCCXXVI. delegatus est unà cum Cardinalibus Bertrando de Montefaventio & Arnaldo de Pelagrua ut examinaret accusationem intentatam adversùs quosdam Minores, qui rem quampiam valde ridiculam seriò egerant apud Exoldunum in diœcesi Biturigensi. *Odor. Raynald. an.* 1326. §. 22.

Anno MCCCXXVII. extincto, uti suprà diximus, Vitali de Furno Episcopo Albanensi, Gaucelmus ei suffectus est. Ordinarium sanctæ Romanæ Ecclesiæ tributum Iacobo Gaietano Cardinali cap. 116. pag. 436. *Notandum tamen est quòd tempore prædicti Domini Iohannis Papa Dominus Gaucelmus Iohannis Presbyter Cardinalis, licèt non fuisset electus neque consecratus in Episcopum vel Archiepiscopum, fuit factus Episcopus Albanensis.* Sic enim illic legendum, non verò *Santelmus Iohannes*, docet codex 1713. bibliothecæ Colbertinæ.

Circa ea tempora Gaucelmus factus est major Pœnitentiarius. Extat autem in codice 1892. bibliothecæ regiæ formularium pœnitentiariæ tum editum, cui similem extare in bibliotheca imperatoria testatur Petrus Lambecius lib. 2. bibliothecæ Vindobonensis pag. 932. In fronte operis ista leguntur: *Incipit novum formularium pœnitentiaria Domini Papa correctum & reformatum de speciali mandato Domini Benedicti Papa XII. per Reverendos in Christo Patres Dominos Gancelmum Episcopum Albanensem, Gotium Patriarcham Constantinopolitanum, Iacobum Episcopum Bricensem, & Guillelmum Abbatem monasterii Montisolivi, professores juris canonici & civilis.* Erat ergo Gaucelmus summus Pœnitentiarius Romani Pontificis, ut constat ex Oldrado consil. 265. & docent etiam ejusdem Gaucelmi literæ editæ à Claudio Hemeræo in Augusta Viromanduorum pag. 280. Istud enim patet ex aliis literis ejusdem datis XVII. Kal. April. anno secundo Benedicti XII. quas edidit Franciscus Didacus in historia provinciæ Arragoniæ ordinis Prædicatorum fol. 150.

Anno MCCCXXXVI. exeunte quadragesima Gaucelmus cruce signatus est unà cum tribus aliis Cardinalibus à Froissarto commemoratis vol. 1. cap. 28. si modò tollatur mendum gravissimum in quo cubat hic locus Froissarti. Editiones enim isthic ponunt Cardinalem Blancum sive Album pro Albanensi, cùm vetera exemplaria disertè nominent Cardinalem Albanensem, nulla Blanci sive Albi mentione, uti dicemus infrà quum agemus de Guillelmo Curti Cardinale Benedicti XII.

Eodem anno nominatur inter eos quorum opera usus est Benedictus XII. in condendis statutis novis quæ dedit ordini fratrum Minorum. *Odor. Raynald. an.* 1336. §. 65.

Anno MCCCXXXVII. datus ei est archidiaconatus Ecclesiæ Carpentoratensis. Rubricæ literarum anni tertii pontificatus Benedicti XII. cap. 66. in codice 1615. bibliothecæ Colbertinæ: *Iudicibus. Mandatur eis quòd Gaucelmo Episcopo Albanensi provideant de canonicatu & prabenda ac archidiaconatu Ecclesia Carpentoratensis ac de Ecclesia parrochiali de Auriolo diœcesis Carpentoratensis eidem archidiaconatus annexa vacantibus. Gratis pro Domino Cardinali.*

Eodem anno benedixit Ioannem Priorem S. Pauli Caiadonis in diœcesi Vaurensi, cui Benedictus XII. dedit custodiam abbatiæ Florentinæ, ut docet Placidus Puccinellus in apparatu de illustribus abbatiæ Florentinæ viris pag. 7.

Anno MCCCXLII. in octava sancti Martini apud Avenionem consecravit Ioannem de Arkel Episcopum Trajectensem. *Chronica Io. de Beka. M. chronicon Belgicum.*

Anno MCCCXLVI. die XXII. Aprilis interfuit cum aliis Cardinalibus recitationi promissorum quæ Clementi VI. fecit Karolus Marchio Moraviæ cogitans de acquirendo imperio Romano. *Odoricus Raynaldus an.* 1346. §. 19.

Fuisse eum Archidiaconum S. Salvatoris Aquensis in secunda Narbonensi tradit Ioannes Scholasticus Pitton in annalibus Ecclesiæ Aquensis pag. 168.

Ei Guido Terreni Episcopus Helenensis dicavit commentarium in Decretum Gratiani, qui sic incipit in codice 3673. bibliothecæ regiæ: *Reverendissimo Patri in Christo & Domino suo Domino Gaucelmo divina providentia Episcopo Albanensi sanctaeque Romana Ecclesia Cardinali frater Guido ejus humilis & devotus Dei permissione Episcopus Elnensis seipsum & paternis instructionibus in veritatis semitam dirigendum.* Et infrà: *Multorum denique amicorum importunè instantium precibus devictus ut auctoritates novi & veteris testamenti ac sanctorum quas magister Gratianus in toto decretorum suorum libro allegat suis locis insererem & unde acceptæ sunt fideliter denotarem.*



Insignia gentilitia Gaucelmi, qualia habentur in sigillo ejus appenso literis ejus suprà pag. 720. commemoratis sunt ista.

Zz ij

BERTRANDUS DE POIETO] Istihc dicitur ortus è Castro novo Raterii, *Castelnau de Monratier*. At ex literis Ioannis Episcopi Naptonensis editis apud Guillelmum Cruceum in serie Episcoporum Cadurcensium pag. 205. & ex bullis Clementis VI. editis in tomo tertio Vvaddingi pag. 269. 314. regesti pontificii constat illum fuisse natum in loco vocato del Poget prope Castrumnovum de Vallibus Caturcensis dioecesis, ubi fundavit monasterium sanctimonialium ordinis sanctæ Claræ. Bernardus Guidonis nullam mentionem facit ejus consanguinitatis cum Ioanne Papa. Et tamen Ioannes Villanius lib. 11. cap. 6. & 19. ait eum fuisse nepotem ejusdem Ioannis. quod Papirius Massonus in vita ejus interpretatur de filio sororis. Contrà idem Villanius eodem lib. 11. cap. 6. cùm dixisset eum vocatum fuisse nepotem Papæ, addit vulgò tamen creditum fuisse ejus filium, & re vera multam cum eo similitudinem habuisse. Huic testimonio suffragatur etiam Franciscus Petrarcha in epistola septima earum quæ sunt sine titulo: *unum è sacro patrum collegio, filium, ut multi dixerunt, suum; & secundùm famam similitudo ingens morumque ferocitas adjuvabat.* Sanè, ut rectè observavit Cicero, nonnunquam etiam errorem creat similitudo, ut pluribus exemplis ostendi posset etiam ex illa antiquitate. Sed quoniam error communis facit jus, hoc præjudicio fultus Onuphrius Panuinius scribere non dubitavit hunc Bertrandum fuisse filium Papæ.

Illum vetus chronicon Cæsenatum à Scipione Claramontio relatum pag. 494. testatur fuisse hominem sapientissimum & magnanimum; & in historia Cortusiorum lib. 5. cap. 5. describitur vir justitiæ & literarum amator. Præterea Ioannes Andreæ in prologo Novellæ in Decretales eum commendat de doctrina. Contrà Petrarcha in loco paulò antè laudato ferocem illum fuisse scribit, profectum autem in Italiam prædonis in morem, neque signis virtutum ac miraculis ioclaruisse, sed signis castrorum & mitis instructum legionibus in has terras quasi alterum, non Petrum, sed Hannibalem à Papa destinatum. Sed Petrarcha erat palam inimicus Ioannis XXII. ob hoc quia persuasum in animo habebat illum odisse Italiam & Italos, & ideo nullam fidem meretur in iis rebus quas scribit adversùs eum. Villanius etiam lib. 11. cap. 7. & ex eo Ghirardaccius lib. 21. hist. Bonon. pag. 113. scribunt ejus superbiam magnam fuisse.

Legatio illa quam verbis atrocibus describit Petrarcha intelligenda est de prima legatione Italica Bertrandi; de qua videndi Albertinus Mussatus in epistola ad filium, Karolus IV. Imp. in libro de vita sua, & Odoricus Raynal. an. 1319. §. 8. 1320. §. 19. 1322. §. 44.

Rursùm missus est in Italiam anno MCCCXXVI. ut docet continuator Nangii in tomo XI. Spicilegii Dacheriani pag. 718. *Hoc anno mittitur in Italiam ex parte summi Pontificis Legatus, scilicet Dominus Bertrandus de Pogeto &c.*

Anno MCCCXXVII. exeunte, nimirum VI. Kalendas Ianuarias, Ioannes Papa in eum contulit episcopatum Ostiensem vacantem per mortem Rainaldi de la Porta. *Odor. Raynald. an.* 1327. §. 55. Augustinus Patricius in libro ceremoniarum sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quem anno MDXVI. edidit Christophorus Marcellus Archiepiscopus Corcyrensis, fol. 43. *Vacante titulo Episcopi Cardinalis consueverunt Romani Pontifices regulariter ad episcopatum promovere antiquiorem Presbyterum Cardinalem.* Et paulò pòst: *Sed nonnunquam proponuntur juniores Presbyteri propter legationem, ut fecit Ioannes vigesimus secundus prædictus, qui promovit ad episcopatum Hostiensem Dominum Bertrandum de Pogeto, qui erat in legatione & novissimus Cardinalis.* Erravit autem Augustinus dum putavit illum fuisse novissimum Cardinalium. Certum est enim eum fuisse primum eorum qui anno MCCCXVI. erant Presbyteri Cardinales.

Anno MCCCXXIX. XI. Kal. Septembris pacem dedit Bononiensibus qui rebellaverant adversùs Romanam Ecclesiam, in primis verò iis qui fuerant auctores cædis Polentanorum. Id testatum facit Hieronymus Rubeus in libro sexto historiæ Ravennatis.

Continuator Guillelmi de Nangis in tomo XI. Spicilegii Dacheriani pag. 746. ad annum MCCCXXX. sic scribit: *In Lombardia homines Cardinalis de Pogeto ex parte Domini Papæ ibidem Legati in mense Iunii cum Gibelinis congrediuntur ad bellum & vincuntur ab eis, vivi aliqui capiuntur, sed major pars occiditur.*

Anno MCCCXXXIV. Bononiam muro circumdedit, ubi construxit forte castrum. *Cortusii lib.* 5. *cap.* 5. Hinc illæ lachrymæ. Hanc ob causam rursum Bononienses rebellarunt & eum urbe sua expulerunt. *Historia Cortusiorum lib.* 5. *cap.* 10. *Albertus Argentin. pag.* 125. *Odor. Raynald. an.* 1337. §. 27. 1338. §. 30. 1340. §. 59. Vide etiam Ghirardaccium lib. 21. hist. Bononiensis. Expulsus è Bononia Bertrandus primùm Florentiam profectus est, deinde Pisas, postremò Avenionem, ut ait Ioannes Villanius lib. 11. cap. 6. scribens illum huc advenisse die XXVI. Aprilis. Quod tamen verum esse non potest, si verum est eum Avenionem reversum fuisse in festo Pentecostes, ut legitur infrà pag. 177. in quinta vita Ioannis. Pentecostes enim incidit hoc anno in diem XV. Maii.

Fine hujus anni obiit Ioannes Papa, cùm priùs edidisset declarationem de visione beati-

fica sanctorum. Fama tum erat (ut refert idem Villanius lib. II. cap. 19.) eum non edidisse illam sponte sua, sed ad urgentissimam postulationem Bertrandi de Pogeto & ceterorum consanguineorum suorum. Ei enim declarationi interfuisse Bertrandum constat ex Odorico Raynaldo an. 1334. §. 36.

Anno MCCCXXXVI. Bertrandus erat Avenioni quando Philippus VI. Rex Franciæ illuc profectus est ad visendum Papam Benedictum, & cum eo cruce signatus est ad suscipiendam expeditionem in terram sanctam. quod eo anno contigisse certum est. Quare oportet memoria lapsum esse Froissartum vol. I. cap. 28. dum inter Cardinales qui tum cruce signati sunt apud Avenionem commemorat Album, id est, Guillelmum Curti, qui anno tantùm MCCCXXXVIII. exeunte factus est Cardinalis.

Anno MCCCXLVI. die XXII. Aprilis interfuit juramento quod Karolus Marchio Moraviæ, qui de imperio Romano cogitabat, Clementi VI. præstitit de conservandis juribus Ecclesiæ Romanæ. *Odoricus Raynaldus anno 1346. §. 19. 26.*

Mortuum esse Bertrandum anno MCCCLI. docet Necrologium sancti Salvatoris Aquensis apud Ioannem Scholasticum Pittonem in annalibus Ecclesiæ Aquensis pag. 180. *Eodem die Dominus Bertrandus de Pugeto diocesis Caturcensis Episcopus Ostiensis Cardinalis & Canonicus Aquensis obiit anno Domini MCCCLI. qui vacantem solvit cappam & anniversarium.* Confirmat hanc scriptionem Petrarcha lib. 12. rer. familiar. epist. 6. ubi loquens de morbo quo Clemens VI. afflictus est anno MCCCLI. ait : *Papa noster à morte revertitur, quamvis redeundo eodem properet. Ostiensis autem dum hæc tibi scriberem animam agebat, quam dum hæc legis exhalaverit; qui, ut mihi videtur, matura sibi ac naturæ, sed acerba V. p. morte defungitur.* Scripta est autem epistola illa Kalendis Februarii. Porrò Clementem extremo anno MCCCLI. gravissimo morbo afflictum fuisse patet ex Matthæo Villanio lib. 2. cap. 41. Odorico Raynaldo an. 1351. §. 38. & Abrahamo Bzovio an. 1352. §. 7. qui scribit Clementem ab ægritudine gravissima convalescentem fecisse IV. Kal. Februarii Petrum Iacobi Regis Arragonum filium certiorem valetudinis recuperatæ. Extat præterea in archivo oppidi Falceti in Catalonia epistola ejusdem Petri ad Guillermum de Turrillis scripta anno MCCCLII. die decima Ianuarii, cujus hoc est initium : *Ecce quòd nos mittimus de præsenti litteras nostras Domino nostro summo Pontifici, per quas sibi significamus quod cum displicentia recepimus super infirmitate quam idem Dominus noster nunc Deo propitio passus fuit. Sed quia certò didicimus quòd dictus Dominus noster à dicta infirmitate quodam modo convalescit, fuit inde, Deus novit, animus recreatus.* Hinc ergo patet falli Contelorium scribentem Bertrandum obiisse anno MCCCLII.

Ex testimonio Petrarchæ colligi certò posse mihi videtur Bertrandum obiisse Avenioni, ut tradit Onuphrius Panuinius, qui addit eum sepultum esse ad Minores.

Fuit Decanus de Issigiaco in diœcesi Sarlatensi. Extat autem bulla Ioannis XXII. data Avenioni VI. Idus Augusti anno tertio, qua statuit *ut cedente vel decedente Cardinali præfato, vel decanatu ipso aliàs quocunque modo vacante*, decanatus ipse perpetuò unitus sit mensæ Episcopi Sarlatensis, eoque etiamnum in vim hujus bullæ fruuntur Episcopi Sarlatenses. Bullæ illius exemplum ad me pro veteri amicitia nostra misit vir clarissimus Armandus Gerardus Canonicus Sarlatensis.

Carolus Sigonius lib. 3. de Episcopis Bononiensibus & Celsus Faleo in memoriis historicis Ecclesiæ Bononiensis pag. 348. scribunt hujus Cardinalis Bertrandi nepotem fuisse Lambertum de Podieto Episcopum Bononiensem ab eo consecratum. Sed illum agnoscere non vult Vghellus in catalogo Episcoporum Bononiensium. Apud Ghirardaccium lib. 22. historiæ Bonon. pag. 175. mentio est Stephani de Pogietto, quem probabile est fuisse gentilem hujus Cardinalis.

BERTRANDVS DE MONTEFAV.] vulgò *de Montfavez*, ut docent literæ Philippi VI. Regis Franciæ datæ Parisiis anno MCCCXL. mense Februario, quibus potestatem facit huic Cardinali, *à la supplication de nostre chier & feal ami le Cardinal de Montfavez*, ut fundare possit nonnulla beneficia ecclesiastica usque ad summam quadraginta librarum in redditibus, *sans fié & justice.* Extant in regesto LXXIV. archivi regii Parisiensis. In regesto verò LXXIII. habentur literæ ejusdem Regis datæ apud nemus Vincennarum anno MCCCXXXIX. mense Februario; in quibus continetur admortisatio triginta librarum Turonensium pro fundatione duarum capellaniarum in episcopatu Cadurcensi pro Arnaldo Roset Episcopo Astensi. *Nous oye ladite supplication, pour la contemplation & consideration de nostre chier & feal le Cardinal de Montfavez &c.* De Arnaldo Roseto, ut illud quoque obiter moneamus, videndus Vvaddingus an. 1327. §. 1.

Illum Mantua Patavinus in libro de viris illustribus vocat virum eminentissimæ scientiæ, excellentem jurisperitum. Albericus à Rosate in verbo *Non obstante*, maximum jurisperitum in glossa ad confirmationem ff. fol. 7. col. 2. & magnum juristam in l. *Diem functo.* ff. de off. assess. ubi ait eum jus civile

professum esse in academia Montispessulani. Hæc sunt ejus verba : *Hanc legem repetiit in Montepessulano Dominus Bertrandus de Montefaventio magnus Iurista , quem vidi postea Cardinalem magnæ reputationis in collegio Cardinalium.* Fuerat autem antea præceptor domesticus Papæ Ioannis, utpote ejus conterraneus ; & hinc Montempessulanum censendum est fuisse profectum.

Putant nonnulli illum fuisse professione Franciscanum, quos Vvaddingus an. 1316. §. 39. errare pronuntiat. Sanè isthic Bernardus Guidonis non nominat eum fratrem, ut solet quum religiosos ordinum Minorum & Prædicatorum commemorat in collegium Cardinalium relatos. Præterea in articulis contra Regem Portugalliæ datis ævo Ioannis XXII. non vocatur frater. Ex quo certò colligere licet verè pronuntiasse Vvaddingum errare eos qui censent illum fuisse Franciscanum.

Ex his quæ Sammarthani referunt in catalogo Episcoporum Trecensium apparet eum suam gratiam ac benevolentiam præstitisse Guillelmo Mechin Episcopo Trecensi anno MCCCXXII. occasione juramenti fidelitatis quod ille pro suo episcopatu debebat Karolo IV. Regi Francorum.

Illum circa hæc tempora fuisse Canonicum nobilissimæ Ecclesiæ Lugdunensis constat ex veteribus monumentis editis à Severtio in chronologia Archiepiscoporum Lugdunensium pag. 318.

Eodem anno, cùm gravis in curia Romana controversia exorta esset de paupertate Christi & Apostolorum, & Pontifex Ioannes singulos Cardinales jussisset promere sententiam, Bertrandus de Montefaventio suam dixit. *Odoric. Raynald. an.* 1322. §. 55. 65. 66.

Anno MCCCXXIV. jussu ejusdem Papæ tradidit pallium Raymundo Patriarchæ Herosolymitano. *Odoric. Raynald. an.* 1324. §. 44.

Anno MCCCXXVI. delegatus est cum aliis Cardinalibus ut examinaret accusationem intentatam adversus quosdam Minores qui rem quampiam valde ridiculam seriò egerant apud Exoldunum in diœcesi Bituricensi. *Odor. Raynald. an.* 1326. §. 22.

Anno sequenti rursum delegatus est in re magni momenti, nimirum ut examinaret causam quorundam clericorum insidiantium vitæ Karoli IV. Regis Francorum ; qui *quasdam sub figura seu typario regio conflari imagines plumbeas vel etiam lapideas fabricarunt seu fabricari fecerunt, ut magicis artibus horrenda maleficia, incantationes, & convocationes dæmonum, ac alia execranda & prohibita opera exercerent.* Apud Odoricum Raynaldum an. 1327. §. 44.

De eo ista leguntur in rubricis literarum centialium anni tertii Benedicti XII. cap. 17. *Petro tituli S. Praxedis & Bertrando S. Mariæ in Aquiro Diacono Cardinalibus apostolicæ sedis nuntiis. Mandatur eis quod processus factos & sententias promulgatas contra quamplures Prælatos & personas ecclesiasticas regni Franciæ pro majori summa procurationum eis debitarum solvenda suspendant.* Missi enim ea tempestate fuerant hi duo Cardinales in Gallias & in Angliam ut pacem revocarent inter Reges horum regnorum magna vi bella gerentium. Bulla autem ipsa Benedicti, cujus isthic mentio, habetur in codice 2419. bibliothecæ Colbertinæ fol. 56.

Bartholus in l. 1. ff. de variis & extraord. cognitionib. §. *Divus.* ait hunc Cardinalem mortuum esse tempore mortalitatis. Hæc sunt ejus verba : *Istorum opinionem tenebat quidam Doctor ultromontanus, qui vocatus est Bertrandus de Montefaventino, qui fuit concurrens Domini Guillelmi de Cunio, & decessit tempore mortalitatis.* Tempus autem mortalitatis idem Bartholus in l. *Naturaliter.* ff. de acquir. possess. interpretatur de ea quæ anno MCCCXLVIII. depasta est universum orbem. Hæc rursum sunt ejus verba : *Idem forte dicendum esset in eadem æquitate quod tempore mortalitatis an. Domini MCCCXLVIII. quod, ut scitis, erat tanta pestilentia quòd jus non reddebatur in civitatibus & moriebantur infiniti homines.* Obiit ergo anno MCCCXLVIII. ut hinc collegit Mantua Patavinus. Contrà Contelorius scribit eum obiisse anno MCCCXLII. die prima Decembris, alii anno MCCCXLIII. uti scriptum est in ejus epitaphio. Certè ex epistola 351. libri quarti epistolarum Clementis VI. constat eum fuisse mortuum eo tempore quo illa scribebatur. Ex quo consequitur eam mortalitatem quæ sustulit hunc Bertrandum fuisse diversam ab ea quæ anno MCCCXLVIII. vexavit orbem nostrum.

Bertrandum Cardinalem de Montefaventio fuisse Decanum Ecclesiæ Leodiensis docet Ioannes Hocsemius in Adolpho à Marka pag. 383. 392. 433.

Ex codice 765. bibliothecæ Colbertinæ apparet Ioannem XXII. dedisse Bertrando de Montefaventio Cardinali Ecclesiam de Tomar in Lusitania, quæ fuerat quondam Templariorum.

Apud Oldradum de Ponte consil. 224. legitur hunc Cardinalem Bertrandum assedisse Roberto Regi Siciliæ in causa successionis comitatus sancti Severini.

In rubricis regesti anni tertii Benedicti XII. cap. 419. ita scriptum est : *Episcopo sancti Pauli. Mandatur sibi quòd Bertrando de Montefaventio Canonico Ecclesiæ Tolosan. ordinis sancti Augustini provideat de prioratu vel officio Præpositi & capituli dictæ Ecclesiæ vacaturo. Gratis pro nepote Cardinalis.*

Augustinus Oldoinus scribit hunc Cardinalem præfuisse comitiis Minorum Lutetiæ habitis anno MCCCXIX. in quibus Gerardus Odonis electus est generalis. Sed errare illum satis constat ex iis quæ leguntur apud Vvaddingum an. 1329. §. 7.

PETRUS DE REBLAYO] sive de Arreblayo, vulgò *Arreblay*. Sic enim nominatur in regesto A cameræ computorum Paris. fol. 24. ubi inter commissarios à Rege Philippo pulcro missos in universas regni senescallias ad levandum subsidium decretum pro bello Flandrico anno MCCCXIII. nominatur *Monf. P. d'Arreblay Archediacre de Bourbon*. Familiæ istius nomen sæpe scribitur *de Atreblayo*, sæpe *de Arrablayo*, parvo admodum discrimine. In chartulario Ecclesiæ sancti Evurcii Aurelianensis nominantur anno MCCLXIX. Guiardus de Arrebleio & Reginaldus filius ejus. Alterutrius eorum filius fuisse videtur Ioannes de Arreblayo, qui fuit Senescallus Petragoricensis & Cadurcensis sub Philippo pulcro Francorum Rege, & ex Ioanna D'Anlezy genuit Ioannem de Arrablayo Militem & hunc Petrum Cardinalem. Ex hoc ultimo Ioanne orta est Margareta nupta Philippo de Cortenaio.

Petrum fuisse Canonicum S. Quintini in Viromandia anno MCCCXVI. docet Claudius Hemæreus in Augusta Viromanduorum pag. 267. Fuit etiam Archidiaconus Borbonensis in Ecclesia Augustodunensi, mox verò factus Presbyter Cardinalis tituli sanctæ Susannæ. Extat apud Odoricum Raynaldum an. 1316. §. 21. epistola ad eum scripta à Ioanne XXII. de dignitate Cardinalis in eum collata. Errant autem qui putant eum tum fuisse factum Episcopum Portuensem.

Anno eodem MCCCXVI. novus iste Cardinalis præfuit solemni conventui Prælatorum & procerum regni Francici habito Lutetiæ, in quo *declaratum fuit quòd ad coronam regni Franciæ mulier non succedit*. Hæc sunt enim verba continuatoris Nangii. Vide etiam Spondanum an. 1316. §. 5.

Anno MCCCXIX. die XII. mensis Iulii scripsit unà cum Berengario Fredoli Episcopo Portuensi ad fratres Carmelitas conventus Parisiensis de corpore Michaelis de Becco Cardinalis transferendo ad eundem conventum. Ea epistola edita est inter probationes historiæ Cardinalium Gallorum pag. 277.

Anno MCCCXXI. Ioannes XXII. eum constituit cognitorem controversiæ quæ tum erat in Ecclesia Theatina de electione Episcopi. Vide Hieronymum Nicolinum in historia ejusdem urbis. pag. 154. & Vghellum to. VI. Ital. sac. pag. 921.

In celeberrima quæ tum erat controversia de paupertate Christi & Apostolorum censuit hæreticos eos esse qui aiebant illos nihil habuisse in speciali nec in communi. Ejus sententia edita est apud Odoricum Raynaldum an. 1322. §. 56.

Anno MCCCXXVII. Ioannes XXII. ei & quibusdam aliis Cardinalibus delegavit examen accusationis intentatæ adversùs quosdam clericos Galliæ qui dicebantur magicis artibus insidiati vitæ Karoli IV. Regis Francorum. *Odor. Raynald. an.* 1327. §. 44.

In tomo XI. Spicilegii Dacheriani pag. 729. continuator Nangii docet illum missum esse à Papa Massiliam ut è fuga retraheret Michaelem de Cæsena ministrum generalem ordinis fratrum Minorum: *post quem Papa Cardinalem de Arrebleyo ut caperetur misit; sed cùm jam mare intrasset, in vanum laboravit.* Contigisse istud anno MCCCXXVIII. die XXVI. Maii docet Nicolaus Minorita fol. 46. his verbis. *Subsequenter prafatus frater Michael &c. XXVI. die Maii dicti anni occultè recessit ab obedientia & curia præfati Domini Iohannis, scilicet de Avinione, & ad civitatem Pisanam se transtulit, ut posset prædictam appellationem publicare ac etiam innovare: ad quam IX. die Iunii per mare pervenit. Audiens verò dictus Dominus Io. Papa. præfatum fratrem M. generalem ministrum contra suum mandatum de curia recessisse, fecit eum hostiliter persequi; & cùm eum habere non posset, tulit contra eum, non obstante appellatione prædicta, depositionis sententiam VI. die Iunii, dum adhuc esset in via.* In sententia verò illa, quam statim subjicit Nicolaus, ista leguntur: *Nos autem eorundem Michaelis & complicum fuga non absque magna admirationis & turbationis materia intellecta, venerabilem fratrem nostrum Petrum Episcopum Portuensem pro ipsis revocandis à deviis hujusmodi ad dictum portum unà cum nonnullis duximus destinandum; qui quamvis eos moneri prout meliùs potuit fecerit & requiri ac citari nihilominus ut ad nostram curiam memoratam rediret seque coram nobis præsentaret personaliter facturus super prædictis quod justitia suaderet, profatus Michael, tanquam obstinatus in malum & in reprobum sensum datus, pro se suisque complicibus pertinaciter & irreverenter respondit se nullatenus ad nostram præsentiam sed ad dictos intrusum & Ludovicum potiùs accessurum.* Eadem refert Vvaddingus an. 1328. §. 17. ex Nicolao Minorita, ut opinor. Neque enim citat auctorem. Ex quibus colligitur hunc Petrum de Arreblayo fuisse Episcopum Portuensem post Berengarium Fredoli juniorem, nimirum post annum MCCCXXIII. aut circiter, adeoque Ioannem de Convenis ad episcopatum Portuensem tardiùs pervenisse quàm vulgò traditur. Petrum de Arreblayo Contelorius ait mortuum esse anno MCCCXXIX.

GAILLARDUS DE MOTA] Ex brevi chronico Raymundi Bernardi de Mota Episcopi Vasatensis facilè colligitur errare eos qui Cardinalem istum confundunt cum Galhardo de Preyssaco ultimo Tolosatium Episcopo. Iste erat nepos ex nepte Clementis V. cùm Episcopus Tolosanus ejusdem Papæ nepos fuerit ex sorore, uti suprà pag. 621. monuimus.

Factus est à Ioanne XXII. Diaconus Cardinalis sanctæ Luciæ in silice anno MCCCXVI. & deinceps nulla ejus in libris nostris mentio ante annum MCCCXXXVI. quo connumeratus reperitur inter viros solemnes quibus usus est Benedictus XII. in condendis novis statutis fratrum Minorum. *Odor. Raynald. an.* 1336. §. 65.

Anno MCCCXLV. in suspicionem venit apud Philippum VI. Regem Francorum, tanquam si adversùs regiam majestatem locutus fuisset. Qua de re ipsum excusavit Clemens VI. epistola 338. libri 1v. scripta ad eundem Regem, in qua Galhardum commendat de maturitatis modestia, morum refulgentia, prudentia, & honestate. Neque deerant aliunde justæ causæ suspicionum adversùs Galhardum, cùm ex Ioanne Villanio lib. 12. cap. 60. constet illius nepotem fovisse partes Anglorum in Aquitania adversùs Francos.

Anno MCCCXLVII. à Clemente VI. delegatus est unà cum Petro Gomesii de Barroso Episcopo Sabinensi & Ademaro Roberti Presbytero Cardinale tituli sanctæ Anastasiæ ut inquireret de veritate miraculorum quæ patrata dicebantur à sancto Ivone Britone, de cujus tum canonizatione agebatur. *In actis sanctorum mensis Maii to.* 1v. pag. 578.

Anno MCCCXLVIII. ab eodem Clemente delegatus est unà cum Bertrando de Poicto Episcopo Ostiensi & Guillelmo de Aura Presbytero Cardinale tituli sancti Stephani in Cœlio monte ut examinaret an vera essent capita accusationum quæ proferebantur adversùs Ioannam Reginam Siciliæ. *Odor. Raynald. an.* 1348. §. 4. 1349. §. 7.

Eum Ioannes de Convenis Cardinalis nominavit executorem sui testamenti. *Catellus in Memoriis hist. occit. pag.* 175.

Anno MCCCLII. 1v. Kal. Ianuarii in Ecclesia cathedrali Avenionensi coronavit Innocentium VI. Papam recenter electum. *Ex Ciaconio.*

Anno MCCCLV. ipse & Bernardus de Turre Diaconus Cardinalis tituli sancti Eustachii tradiderunt pallium Petro Bertrandi Episcopo Ostiensi profecturo Romam pro coronatione Karoli IV. Imperatoris. Vide acta edita inter probationes historiæ Cardinalium Gallorum pag. 352. 353.

Illum Contelorius ait mortuum esse anno MCCCLVI. die XX. Decembris. De anno convenit vetus Necrologium Ecclesiæ Narbonensis, ex quo nos ista descripsimus: *Anno Domini millesimo trecentesimo quinquagesimo sexto obiit Reverendus in Christo Pater Dominus Galhardus Dei gratia sanctæ Luciæ Diaconus Cardinalis & Archidiaconus major istius Ecclesiæ.* Fuisse sepultum in urbe Vasatum hinc colligi posse videretur quòd, uti testatur Papirius Massonus, testamento cavit uti corpus suum sepeliretur in urbe Vasatum inque divi Ioannis templo, non procul à Clementis V. sepulcro, quod ipse sumptibus suis fieri curaverat. Sic enim legitur in fragmento testamenti ejus quod in ipsius Clementis vita retulit idem Massonus: *Volo & ordino executoresque meos attentè rogo ut tumulus quem ad sepeliendum corpus felicis recordationis Clementis Papæ V. avunculi mei fabricari feci in Ecclesia beatæ Mariæ de Vsesta diocesis Vasatensis compleatur & absolvatur stipendiis meis, prout eisdem executoribus aut uni ex ipsis videbitur faciendum.* Sed huic conjecturæ obstant ea quæ leguntur in veteri quodam libro Ecclesiæ Narbonensis: *Anno* MCCCLVII. *die* XV. *Ianuarii fuit sepultus in præsenti Ecclesia sancti Iusti Narbonensis Ecclesiæ Reverendus in Christo Pater Dominus Galhardus Dei gratia sanctæ Luciæ in silice Diaconus Cardinalis.*

Eundem Galhardum fuisse Archidiaconum Oxoniensem docet Antonius à Vvood in historia Vniversitatis Oxoniensis pag. 160. 164. 170.

IOHANNES GAIETANI] Illum fuisse maximum Iurisperitum ait Albericus à Rosate in glossa ad confirmationem ff. fol. 7. col. 1. quod etiam patet ex consilio 224. Oldradi de Ponte.

Factus est Diaconus Cardinalis tituli sancti Theodori à Ioanne XXII. anno MCCCXVI. & tandem anno MCCCXXVI. missus est Legatus in Italiam ad comprimendam audaciam Bavari & Antipapæ & ad compescendos ausus aliorum rebellium Italiæ. Vide to. XI. Spicilegii Dacheriani pag. 718. Ioannem Vilan. lib. 9. cap. 342. 349. Boninsegnium pag. 191. 192. 194. Cyprianum Manentem pag. 217. Historiam Pistoriensium pag. 97. & Odoricum Raynaldum an. 1326. §. 1. 4.

Qua tempestate abbatiam Florentinam datam ei fuisse in commendam scribit Placidus Puccinellus in apparatu de illustribus ejusdem abbatiæ viris pag. 7.

Anno MCCCXXVII. die XXIV. Iunii promulgavit sententiam latam adversùs Bavarum hæreticum & persecutorem Ecclesiæ. *Boninsegni pag.* 202. *Odoric. Raynald. an.* 1327. §. 7.

Iubetur deinde Romam proficisci. *Odoric. Raynald. an.* 1327. §. 14.

Eodem

Eodem tempore, ut paulò antè dictum est, Ioannes Papa abbatiam Florentinam dedit in commendam Ioanni Legato. *Boninsegni pag.* 211. Ioannes Andreæ in cap. *Si gratiose.* De rescriptis in Sexto: *Et sic consului de commenda abbatia de Florentia facta recolenda memoria Domino Ioanni sancti Theodori Diacono Cardinali tunc in Tuscia Legato.*

Ea tempestate frater Franciscus Toti de Perusio ordinis Minorum scripsit tractatum de potestate Ecclesiæ, quem se scripsisse ait jussu ejusdem Legati. Sic enim legitur in codice 506. bibliothecæ Colbertinæ: *Ego frater Franciscus Toti de Perusio professione Minor de mandato Reverendi Patris & Domini mei Domini Iohannis S. Theodori Diaconi Cardinalis & Legati sedis apostolicæ in Tuscia prædicta juxta ingenii mei tenuitatem zelo urgente honoris Domini ac sanctæ Romanæ Ecclesiæ sui veri pastoris sanctissimi Patris & Domini Domini Iohannis Papæ XXII. dictavi & scripsi.*

Eadem tempestate Ioannes Cardinalis Legatus confirmavit electionem Bernardi Abbatis monasterii S. Mariæ de Oliveto. *Secundus Lancellottus in historia Olivetana pag.* 28.

Anno MCCCXXVIII. Ioannes Papa eidem scripsit adversùs Marsilium de Padua & Ioannem de Ianduno hæreticos manifestos. *Odoric. Raynald. an.* 1328. §. 10.

Deinde Legatus Romam initio mensis Augusti ingressus est unà cum Neapoleone Cardinale adversùs Bavarum. *Ioa. Villan. lib.* 9. *cap.* 21. *Odoric. Raynald. an.* 1328. §. 49. 50. Et sequenti mense Novembri è Montefiascone eduxit exercitum adversùs Viterbienses & Cornetanos. *Cyprian Manente pag.* 222. Anno sequenti Viterbienses ad officium redierunt. *Idem pag.* 224.

Anno MCCCXXX. finis impositus est schismati Petri de Corbario; & mox à Ioanne Papa data Legato imperia ut publicæ gratiarum actiones Deo persolverentur. *Odoric. Raynal. an.* 1330. §. 27.

Anno MCCCXXXI. idem Papa Legato dedit in commendam beneficium S. Mariæ in Pineta. Hinc graves Florentinorum querelæ adversùs eum, tanquam si omnia eorum beneficia vellet abligurire. *Boninsegni pag.* 254.

Eodem anno Papa ei injunxit provinciam absolvendi à schismate Thomasium Antipapæ capellanum. *Odoric. Raynald. an.* 1331. §. 3.

Rediisse illum Avenionem anno MCCCXXXIV. scribit Cyprianus Manens pag. 229.

Vulgò scribitur hunc Cardinalem esse mortuum anno MCCCXXXIX. idque tradit etiam Contelorius. Verùm ex tertia vita Benedicti XII. pag. 222. liquet mortuum esse anno MCCCXXXV. & sepultum esse apud fratres Minores.

Ei Ioannes Papa commisit gravissimam controversiam de exemptione capituli Carnotensis à jurisdictione Episcopi. *Oldrad. consil.* 206.

Eum fuisse Archidiaconum Ecclesiæ Coventrensis patet ex codice 3126. bibliothecæ Colbertinæ fol. 32.

Nepotem habuit Vrsonem Iacobum de filiis Vrsi Canonicum Lincolniensem, ut docent literæ Roberti Regis Siciliæ datæ Neapoli anno MCCCXXXIV. die quarta Aprilis, quæ extant in archivo regio Neapolitano. Item Bertoldum & Franciscum, quos à Columnensibus interfectos esse legimus apud Odoricum Raynaldum an. 1333. §. 25.

De Bertoldo agunt idem Raynaldus an. 1328. §. 49. & Boninsegnius pag. 225.

Matthæus Villanius lib. 1. cap. 76. ait totum ferè collegium Cardinalium, *fuori delli Catalani*, extremis Ioannis XXII. temporibus fuisse compositum ex hominibus Gallis. Quod confirmatur ex epistola Ioannis XXII. de cardinalatu Talayrandi edita ab Odorico Raynaldo an. 1331. §. 33. in qua Papa scribit Philippo VI. Regi Francorum jam viginti Cardinales, *de quibus* XVII. *de regno Franciæ originem traxisse noscuntur*, extitisse in collegio memorato; pro quo idem Odoricus, tanquam putaret Ioannem nescisse verè numerum suorum Cardinalium, scripsit novendecim tantùm fuisse & ex his sexdecim è Galliis originem traxisse. At ego cùm recenseo Cardinales tum viventes cùm hæc epistola scripta est, eos reperio fuisse unum supra viginti, etiam Talayrando non numerato, & ex iis tredecim tantùm fuisse ortos è regno Francorum, ceteros fuisse Italos, præter Petrum Gomesii de Barroso, qui Hispanus erat. Itaque suspicor errorem esse in epistola Ioannis Papæ & pro XVII. Gallis rescribendum esse XIII. tantùm. Nam verisimile non est Ioannem potuisse incidere in adeo manifestum errorem. Quoad Matthæum verò Villanium, cùm certò constet neminem Catalanum fuisse ea tempestate Cardinalem, tres autem nominis Gaytani viros in eorum collegio fuisse, puto pro *fuore delli Catalani* legendum esse *fuori delli Gaytani*. Quamquam errat. Erant enim prætera in eo numero quatuor Cardinales Itali, unus Hispanus.

LVDOVICVM EPM TOLOS.] Qua de re Papa scripsit Sancio Regi Majoricarum. Epistola extat in tomo septimo Spicilegii Dacheriani. Alii eum à Clemente V. canonizatum scribunt, quos rectè erroris arguit Spondanus. Sanè Clementem de eo canonizando cogitasse fidem faciunt ea quæ apud Odoricum Raynaldum an. 1307. §. 22. leguntur. De translatione sacrarum ejus reliquiarum vide Vvaddingum an. 1319. §. 2. &

AAa

Guesnæum in annalibus Massiliens. pag. 401. De brachio ejus transferendo ad Montempessulanum agit Bzovius an. 1366. §. 6. De eo sic scribit Ægidius Bellamera in cap. *Post translat.* de renunriatione: *Et potest esse quòd uterque renuntians facit propter abjectionem pompa & causa humilitatis, sicut fecerunt plures, qui magnis dignitatibus & honoribus mundialibus absque crimine causa humilitatis renuntiarunt ex toto, & canonizati fuerunt ut sancti. Sic beatus Ludovicus Massiliensis & multi alii.*

HUGONEM GERALDI] Vir magnus vocatur in gestis Episcoporum Autissiodorensium pag. 510. ubi auctor loquens de Petro de Mortuomari ait: *Fuerat antiquus socius specialis illius magni viri quem fecit Ioannes Papa XXII. excoriari, videlicet Episcopi Caturcensis.* Fuisse eum olim Cantorem Ecclesiæ Petragoricensis & Decanum Ecclesiæ S. Aredii in diœcesi Lemovicensi docent epistolæ Clementis V. apud quem præcipua gratia floruit, & cujus eum fuisse referendarium refert Walsinghamus.

P. 154. CURIÆ SECULARI] id est, Marescallo Papæ. Valsinghamus ad annum MCCCXVI. *Eodem anno Hugo Gerold, qui fuit referendarius Papa Clementis & Episcopus Caturcensis, cui fuit impositum quòd in mortem Ioannis Papa fuerat machinatus, perpetuo carceri mancipatur. Sed postquàm fuit degradatus & tonsus capite, veste fragulata indutus, traditur curia seculari, videlicet Marescallo Papa: qui ipsum trahens de palatio Papa ad pedes equorum per totam civitatem, postremò fecit in campo igne cremari.* Is Marescallus vocabatur Arnaldus de Trianno, nepos Papæ, ut videbimus infrà. De crimine & supplicio Geraldi Episcopi Cadurcensis ista leguntur in chronico MS. monasterii Grandimontensis: *Anno Domini MCCCXVII. mense Maii fuit Avinioni depositus Hugo Geraldi Episcopus Caturcensis. Et eodem anno die relevationis sancti Stephani confessoris idem Hugo Episcopus propter potiones quas Domino Papa paraverat & imagines ceream cum quibus Dominum Iacobum de Via nepotem Papa Cardinalem occiderat, fuit degradatus & traditus curia seculari, ac tractus Avinioni per villam vivus excoriatur, & in pallo levatus vivus comburitur.*

ARNALDUM DE VIA] Illum malè Simon Bartellus in nomenclatura Præsulum Regiensium pag. 59. 248. 250. nominat Arraudum. Malè item apud Cruceum in serie Episcoporum Cadurcensium pag. 212. vocatur Armandus. Certum quippe est eum vocatum fuisse Arnaldum. Eum Ioanni Papæ commendavit Philippus IV. Rex Francorum, additis flagrantissimis precibus ut eum in numerum Cardinalium referret. *Odoric. Rayn. an. 1316. §. 20.*

OCTAVA DIE] In responsoria Ioannis ad Regem Philippum ita legitur: *Porrò de promotione fratris ejus tua jam est instantia satisfactum. Octavo namque die post dicti quondam obitum Cardinalis, fratribus nostris in privato consistorio super hoc una voce parique consensu importune nimis instantibus, tandem eorum importunitate devicti, eundem fratrem, Arnaldum nomine, Diaconum creavimus Cardinalem, & dein sibi Ecclesiam S. Eustachii pro titulo duximus assignandum.* Vacabat hic titulus post mortem Richardi Petroni de Senis.

Anno MCCCXXII. præclaras quasdam reliquias misit ad Ecclesiam B. Mariæ annunciatæ sitam in oppido Mousterii, vulgò *Moustiers*, in diœcesi Reiensi, cujus loci ipse Prior erat. *Bartellus in Nomenclatura Præsulum Regiens. pag. 59.*

Gentelinus de Cassanhis utrinsque juris Doctor & professor in Academia Montispessulani huic Cardinali dicavit glossam in Extravagantes Ioannis XXII. quæ edita est in vulgatis editionibus glossarum juris canonici.

Anno MCCCXXVI. delegatus est unà cum Gaucelmo Ioannis & Bertrando de Montefaventio Cardinalibus ut examinaret accusationem institutam adversùs quosdam Franciscanos qui apud Exoldunum per summam impudentiam illuserant ordini pontificali & reverentiæ quæ debetur dignitati Cardinalium. *Odoric. Raynald. an. 1326. §. 22.*

Obiit Avenioni anno MCCCXXXV. die XXIV. Novembris, sepultus apud Villamnovam in Ecclesia collegiata S. Mariæ à se fundata; de qua dicemus in Notis ad paginam 203. Adstitisse ei morienti nepotem ejus Petrum de Via Episcopum Albiensem reperi in veteribus monumentis episcopatus Albiensis confectis anno MCCCXXXV. die lunæ ante festum nativitatis Domini.

Hinc ergo facilè colligitur falsum esse vehementer Cherubinum Ghirardaccium lib. 22. hist. Bonon. pag. 174. scribentem Karolum IV. Imperatorem, qui anno MCCCLV. coronatus fuit à Petro Bertrandi Episcopo Ostiensi, Romæ coronatum fuisse ab Arnaldo de Via Caturcensi Diacono Cardinale sancti Eustachii.

Eodem errore Ciaconius & ejus emendator Oldoinus putarunt Urbanum V. ab eodem Arnaldo coronatum fuisse anno MCCCLXII. die sexta Novembris.

De eo porrò intelligenda esse puto verba Petrarchæ ex epistola XVII. earum quæ sunt sine titulo; in qua cùm nonnulla dixisset de Bertrando de Poieto Cardinale, postea flectit ad quendam alium Pontifici ante omnes carum, natione Cadurcensem, ei persuadere conantem ut sedem apostolicam transferret Divonam Cadurcorum. Quamquam valde suspicor

hanc narrationem non esse historiam, sed fabulam.

Consanguineum habuit Gaufredum Rabety Episcopum Reiensem, ut scribunt Sammarthani, eam rem tanquam certam tradentes quam Simon Bartellus dederat ut conjecturam.

SINE EPATV REMANSIT] Bernardus Guidonis in catalogo Episcoporum Tolosanorum : *Gaillardus de Preyssaco, oriundus de loco qui vocatur Trabes diecesis Basatensis, nepos Domini Clementis Papæ V. ex sorore, successit in episcopatu Tolosano memorato Domino Petro de Capella per provisionem ejusdem Domini Clementis Papæ avunculi sui circa festum natalis Domini anno* MCCCV. *episcopatum verò tenuit annis undecim cum dimidio. Postmodum verò sub anno Domini* MCCCXVII. *in mense Iulii episcopali sede Tolosana per Dominum Iohannem Papam in archiepiscopalem ac metropolim elevata, præfatus Gaillardus exoneratus fuit ab episcopatus onere & honore; cui postmodum infra annum Domini prætaxatum idem Dominus Iohannes Papa XXII. previdit de episcopatu Regensi in Provincia ultra Rhodanum ; quem tamen noluit acceptare.* Chronicon Raymundi Bernardi de Mota Episcopi Vasatensis : *Episcopum Tolosanum Dominum Galhardum de Preyssaco valentissimum Prælatum deposuit ab episcopatu suo Tolosano.* Et infra : *Deposuit ab episcopatu Tolosano Dominum Galhardum de Preyssaco, virum largissimum & valentissimum.* Ceterùm quod ait Bernardus Guidonis, sedem Tolosanam elevatam esse in archiepiscopalem mense Iulii, repugnat quibusdam editionibus extravagantis *Salvator*, quæ data scribitur IV. *Non. Augusti*; pro quo tamen codex MS. bibliothecæ regiæ, in quo continentur variæ ejusdem Ioannis XXII. constitutiones, habet IV. *Non. Novembris.* At in vetustis editionibus legitur VII. *Kal. Iulii.* Vera lectio ea esse videtur quam præfert regestum ejusdem Ioannis in bibliotheca Colbertina, uti ea constitutio data reperitur V. *Idus Iulii.* Sed heic tamen insurgit gravis difficultas. Habeo enim præ manibus bullam authenticam ejusdem Papæ directam Consulibus Tolosanis post divisionem episcopatus Tolosani datam *Nonis Iulii.* Sanè executoria contra eos qui impugnarent divisionem episcopatus Tolosanensis data legitur IV. *Non. Augusti* in regesto bibliothecæ Colbertinæ & in vulgatis editionibus. Ex quo facilè intelliguntur quæ paulò antè ait Bernardus Guidonis, Ecclesiam Tolosanam in archiepiscopalem sedem erectam *tam in mense Iulii quàm Augusti.*

VILLAM DE MIRAPISCE] Extant in regesto LXI. archivi regii Paris. cap. 69. literæ Karoli IV. Regis confirmantes acta quædam inita anno MCCCXXI. die XXI. Decembr in quibus nominatur *Reverendus in Christo Pater Dominus Raymundus divina providentia Protopræsul* Mirapicensis, *& Arnaldus de Verdala Canonicus* Mirapicensis, *& magnificus ac potens vir Iohannes de Levis dominus Mirapicensis major viginti annis, minor viginti quinque.* Agitur de Ecclesia beati Mauricii dicti loci de Mirapice, olim simplici parrochiali Ecclesia, nunc in cathedralem Ecclesiam erecta à Ioanne XXII. *ad honorem Domini Iohannis de Levis bonæ memoriæ genitoris sui ac domus suæ.* In iisdem actis nominatur præsens P. Episcopus Cameracensis.

LIMITATÆ] Bullæ limitationum extant in regesto Ioannis XXII. paulò antè laudato, & in parte prima literarum communium ejusdem Papæ in archivo Vaticano.

P. 155. APVD CASTRAS] Ægrè id tulit Bertrandus Abbas Castrensis & intercessit, asserens erectionem novi episcopatus in Francia fieri non posse absque assensu Regis, & causas suæ contradictionis scripto tradidit Præsidentibus parlamenti Tolosæ & Parisiorum simul junctis. Postea tamen hæc discordia conquievit; relictoque titulo Abbatis eidem Bertrando, conventum est ut is quandiu viveret, singulis quibusque annis perciperet mille trecentas libras Turonenses super bonis abbatiæ de Castris.

IN VILLA S. FLORI] prioratu monasterii Cluniacensis, in quo sepultus est Ioannes Episcopus Portnensis sub Vrbani II. pontificatu. Libellus Petri Prioris & conventus sancti Flori Vrbano IV. oblatus : *Cùm sanctissimus prædecessor vester Dominus Vrbanus Papa secundus tam ob devotionem beati Flori gloriosissimi confessoris patroni nostri discipuli Iesu Christi cum beato Martiale quàm propter reverentiam consecrationis suæ, qua nostrum monasterium præ aliis est exemptum, ac pro dilectione venerabilis Patris Domini Iohannis Cardinalis Episcopi Portuensis in eodem nostro monasterio tumulati, eidem monasterio cum suis pertinentiis universis privilegium indulserit speciale, quod ferè consumptum pro sui nimia vetustate de novo indiget renovari, sanctitati vestræ supplicamus humiliter &c.* Porrò quod illic dicitur de reverentia consecrationis explicandum est de munere consecrationis Ecclesiæ ejusdem monasterii impenso ab Vrbano anno MXCVI.

P. 156. VNA CVM MONACHIS] Certo consilio statuerat Ioannes Papa ut Canonici Ecclesiarum collegiatarum à se institutarum jus suffragii haberent in electione Episcoporum suorum unà cum monachis ipsarum Ecclesiarum, id est, Castrensis, Montalbanensis, Alectensis, sancti Papuli, & Sarlatensis. Postea ista constitutio gravis visa est iisdem monachis,

qui tandem à Clemente VI. obtinuerunt uti fas eis esset electiones Episcoporum suorum celebrare invocatis iisdem Canonicis & quòd ad eos solos in posterum pertineat eligendi Episcopi potestas. Extat enim in archivo Ecclesiæ Sarlarensis bulla Clementis data Avenioni IV. Kal. Iunii anno secundo, cujus exemplar ad me misit vetus amicus meus Armandus Gerardus Canonicus ejusdem Ecclesiæ.

VILLA DE BVRLATO] Istius novæ Ecclesiæ collegiatæ Decanus fuit anno MCCCXXI. Guillelmus Revelli Domini Papæ Capellanus ejusque sacri palatii causarum Auditor. Vide Caroli Episcopi Novariensis librum secundum de Novaria pag. 448. Anno verò MCCCLX. eundem decanatum obtinebat Raymundus de sancta Gemma, ut patet ex testamento Petri de Prato Episcopi Prænestini. Fuit autem postea hic Raymundus Episcopus Castrensis.

P. 159. MILITIA IESV CHRISTI] Liber Arnaldi Camerarii : *Instrumentum publicum bulla plumbea Regis Portugaliæ bullatum continens qualiter Dominus Dionysius Rex Portugaliæ & Algarbi misit Petrum Petri Canonicum Colimbriensem & nobilem Iohannem Laurentii procuratores & familiares suos Domino Iohanni Papæ XXII. super nova fundatione ordinis qui ordo militia Iesu Christi nuncupatur. Qui quidem Dominus Papa omnia bona mobilia & immobilia quæ habebant, tenebant, & possidebant Templarii sive ordo Templariorum in dictis regnis Portugaliæ & Algarbi eidem ordini donavit eodem Rege consentiente, approbante, & ratificante, ita tamen quòd magister dicti ordinis qui fuerit & erit pro tempore teneatur in sua nova creatione de castris, bonis, terris, & aliis quæ habebit, tenebit, & possidebit in dictis regnis facere & præstare juramentum fidelitatis dicto Domino Regi & suis successoribus, & insuper idem magister dicti ordinis in prima sui creatione, antequam aliud administret, habeat in manibus Abbatis monasterii de Alcobacia Cisterciensis ordinis Vlixbonensis diocesis nomine Ecclesiæ Romanæ juramentum præstare, quod debet & tenetur idem Abbas recipere à magistro dicti ordinis, prout hæc & alia plura in dicto instrumento continentur. Datum Sanctarenæ anno Domini* MCCCXIX. *die* XV. *Maii.* Bulla Ioannis XXII. data Avenioni Idibus Martii anno tertio, in qua continentur ea quæ in epitomen redacta leguntur in libro Arnaldi Camerarii, edita est Vlyssippone anno MDCXXVIII. simul cum literis Dionysii Regis quibus eam institutionem approbat & confirmat. In fine autem additur : *Acta fuerunt hæc omnia & singula supradicta Sanctarenæ Vlyxbonensis diocesis, in aula prædicti Domini Regis, quinta die mensis Maii, era millesima trecentesima quinquagesima septima, sub anno etiam nativitatis Domini millesimo tercentesimo decimo nono.* Vide Marianam lib. XI. rer. Hispan. cap. 16. & Hieronymum Conestaggium initio libri primi de Portugalliæ conjunctione cum regno Castellæ.

THOMAM HERFORD.] Extat in codice 2546. bibliothecæ Colbertinæ processus pro canonizatione ejus, ex quo nos in appendice edemus quæ ad vitam ejus & mores spectant. Bulla canonizationis extat in regesto Ioannis XXII. bibliothecæ Colbertinæ. Eadem edita est in Bullario Romano. Legitur in tomo tertio libertatum Ecclesiæ Anglicanæ pag. 1070. epistola Eduardi I. Regis Angliæ ad Clementem V. qua eum orat ut hunc Thomam dignetur adscribere catalogo sanctorum. Thomas Vvalsinghamus ad annum MCCCL. *Eodem anno cum magna veneratione facta est translatio sancti Thomæ Herefordensis Episcopi, Rege præsente cum nonnullis Ecclesiæ Anglicanæ Prælatis regnique nobilibus & aliis plebeijs in multitudine copiosa.* P. 160.

RAINALDVM LA PORTA] Bernardus Guidonis in catalogo Episcoporum Lemovicensium : *Reginaldus de Porta oriundus de Alassaco successit in episcopatu Domino Girberto, electus in Episcopum circa quindenam post festum omnium sanctorum anno Domini* MCCXCIV. *Erat autem Canonicus & Archidiaconus in Ecclesia Lemovicensi ; & ipse unus extiterat de his qui memorato Domino Petro de Seperia electionem ex parte capituli Lemovicensis Ecclesiæ portaverunt. Hic Dominus Reginaldus fuit postmodum translatus de Lemovicensi sede & factus Archiepiscopus Bituricensis per provisionem Domini Iohannis Papæ XXII. in Avinione, ubi curia morabatur, in vigilia circumcisionis Domini pridie Kal. Ianuarii, scilicet octava die à sepultura prædecessoris sui Domini fratris Ægidii, qui in vigilia nativitatis dominicæ in Avinione in Ecclesia fratrum sancti Augustini extiterat tumulatus anno Domini* MCCCXVI. *jam tunc completo.* P. 163.

Fuit ergo oriundus è vico Alassaco prope Brivam in inferiore provincia Lemovicensi, Archidiaconus de Combrailla in Ecclesia Lemovicensi, Canonicus Ecclesiæ Aniciensis, & Vicarius generalis in spiritualibus & temporalibus Guidonis de Novavilla Episcopi Aniciensis, ut docent acta illorum temporum edita inter probationes historiæ Turennensis pag. 68.

Anno MCCXCIV. evasit Episcopus Lemovicensis. Habeo autem in veteribus schedis constitutiones ab eo editas in prima synodo ab eo celebrata, in qua confirmavit constitutiones suorum prædecessorum Episcoporum Lemovicensium. Inter cetera verò sic statuit de excommunicatis : *Item ordinamus quòd*

Presbyteri seu Curati, si in eorum Ecclesiis sint aliqui excommunicati, quod in festo Paschæ loco receptionis corporis Christi dent eis panem benedictum, ut per talem filationem appareat hominibus ipsos separatos esse à fidelitate Christiana. Videtur autem in eadem synodo statuisse ad instar Aymerici de Malamorte decessoris sui festum sancti Stephani Grandimontensis cum novem lectionibus celebrari V. Idus Febr. in omnibus Ecclesiis diœceseos Lemovicensis. Extant ejusdem ea re literæ datæ in synodo habita anno MCCXCVII. die Iovis post Pentecosten.

Anno MCCXCVIII. VIII. Kal. Iul. fuit apud Grandemmontem, ut docent sequentes literæ: *Nos Reginaldus Dei gratia Lemovicensis Episcopus notum facimus universis quòd licèt apud Grandimontem aliquoties accedamus, nullo jure & prælationis deverio ibidem nobis debito & assignato ibidem de voluntate Prioris & conventus Grandimontis tantùm recipi caritativè facemur, nolentes per nostri præsentiam dicti loci libertatibus & privilegiis ullum novitatis notoria prajudicium pratendi. In cujus rei testimonium sigillum nostrum præsentibus litteris apponi fecimus. Datum in Grandimonte VIII. Kal. Iulii anno Domini MCCXCVIII.*

Anno MCCC. elevavit corpus S. Mariani apud Evaonium. Bernardus Guidonis in Nominibus sanctorum Lemovicensis diocesis: *Anno Domini MCCC. Dominica prima Augusti fuit corpus beati Mariani apud Euvaonium de pariete Ecclesiæ, ubi diù steterat, elevatum ad sublimiorem locum & in capsa argentea pretiosa honorificè & solemniter collocatum per Dominum Reginaldum la Porta Episcopum Lemovicensem, astante copiosa multitudine cleri & populi ac religiosorum virorum.*

In archivo fratrum Prædicatorum Carcassonensium extant literæ Rainaudi Episcopi Lemovicensis datæ Lemoviæ die Martis post festum beati Iacobi anno Domini MCCCV. in quibus vocatur *conservator privilegiorum à felicis recordationis Domino Benedicto quondam summo Pontifice religiosis viris fratribus ordinis Prædicatorum in provincia Tolosana Domino famulantibus concessorum.*

Anno MCCCX. fratres Prædicatores introducti sunt in oppidum sancti Iuniani diocesis Lemovicensis. Bernardus Guidonis in historia ejusdem monasterii: *Venerabilis Pater Dominus Reginaldus Lemovicensis Episcopus introduxit conventum in locum suum conventualiter cum solemnitate qua decuit & devotione, cum processione Canonicorum & fratrum Minorum, præsente clero & populo in multitudine copiosa, & ibidem solemniter celebravit & coram se prædicari fecit Dominica infra octavam sancti Martini, videlicet XVII. Kal. Decembris, anno Domini prætaxato MCCCX. deditque fratribus quadraginta libras tunc.*

Anno MCCCXVI. die ultima Decembris, uti suprà vidimus, ad cathedram Bituricensem promotus est à Ioanne XXII. extantque in tomo secundo Novæ bibliothecæ Philippi Labbei pag. 123. constitutiones ab eo editæ pro celebratione divinorum officiorum in Ecclesia Bituricensi. Falluntur profectò Sammarthani putantes eum ad archiepiscopalem cathedram evectum esse anno MCCCXVII. quia in excerptis è libro promissionum archivi Vaticani ad eos missis legebant Raymundum (sic enim per errorem scriptum est pro Rainaldo) Archiepiscopum Bituricensem anno MCCCXVII. die XI. Aprilis promisisse Camerario Domini Papæ & Camerario collegii Dominorum Cardinalium certam summam pecuniæ quæ eis debebatur pro communibus servitiis. Sed animadvertere debuerant has promissiones non semper fieri solitas tempore provisionum, sed utplurimùm aliquanto pòst. Certè promissionem hujus Rainaldi factam fuisse constat post tres menses cum dimidio à tempore provisionis.

Anno MCCCXVII. unà cum Berengario de Landorra Priore generali ordinis Prædicatorum missus est à Ioanne XXII. ad revocandam concordiam inter Philippum V. Regem Franciæ & magnates adversùs eum exasperatos. *Odoric. Raynald. an.* 1317. §. 6.

Eodem anno idem Ioannes ei & Ioanni de Cherchemont Canonico Parisiensi, qui postea fuit Cancellarius Franciæ, provinciam dedit redintegrandæ academiæ Aurelianensis. *Odor. Raynald. an.* 1317. §. 16.


Anno MCCCXX. prid. Non. Septembris Ioannes XXII. ad eum suffraganeosque ejus scripsit ut obsisterent superstitionibus Iudæorum & libros Talmudicos igni traderent. *Odor. Raynald. an.* 1320. §. 23.

Eodem anno exeunte idem Ioannes eum creavit Presbyterum Cardinalem tituli sanctorum Nerei & Achillei, & anno MCCCXXI. Episcopum Ostiensem.

Anno MCCCXXII. Raynaldo Episcopo Ostiensi & Petro de Arreblayo Presbytero Cardinale tituli S. Susannæ usus est Karolus IV. Rex Franciæ ut summo Pontifici tradi facerent literas quas ipse ad eum scribebat de morbo & morte Philippi Regis fratris sui. *Odoric. Raynald. an.* 1322. §. 23.

Eum obiisse anno MCCCXXVI. post mensem Iunii scribit Felix Contelorius ex libro divisionum. Sanè in actis capituli provincialis ordinis Prædicatorum celebrati in conventu Lemovicensi anno MCCCXXVII. in octavis sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, dum impetrantur preces pro defunctis, ita præceptum fuisse reperio. *Pro Domino Nicolao Episcopo Hostiensi, & Domino Nicolao Presbytero*

Cardinale, & Domino Reginaldo Hestiensi Episcopo, quilibet sacerdos unam Missam. Et tamen ex his quæ referuntur ab Odorico Raynaldo an 1327. §. 55. colligi posse videtur eum anno tantùm MCCCXXVII. exeunte obiisse, cùm Ioannes XXII. episcopatum Ostiensem Bertrando de Poiero, quem summo amore diligebat, contulerit VI. Kal. Ianuarii hujus anni.



Rainaldi sepulchrum visitur in Ecclesia cathedrali Lemovicensi ad dextram majoris altaris, cui superimposita est marmorea ejus effigies vestibus episcopalibus ornata. Ibi sculptum est hoc scutum gentilitium.

Fratrem habuit Guidonem Abbatem sancti Martialis Lemovicensis, nepotem Bernardum Bruni Episcopum primò Aniciensem, deinde Noviomensem, postremò Autissiodorensem, de quo ista leguntur in gestis Episcoporum Autissiodorensium: *Huic erat modus vivendi talis quòd in ortu solis prandebat, & ante horam Nona cœnabat. quem modum à nutrimento juventutis teneræ dicebatur accepisse à quodam avunculo suo Cardinali, qui sic vivebat.*

BERTRANDVM DE TVRRE] Cùm certum sit hunc Cardinalem fuisse patria Cadurcensem, certum quoque esse videtur vehementer errare Trithemium in libro de scriptoribus ecclesiasticis, qui eum ait patria Mediolanensem fuisse ex nobili familia natum, & Nicolaum Toppium in bibliotheca Neapolit. pag. 48. qui pervicaciter contendit illum fuisse Italum ex civitate Theatina. Vir fuit ea tempestate insignis, cujus plurima mentio in eruditissimis annalibus Minorum Lucæ Vvaddingi, ad quos remittimus lectorem. Illud tantùm addimus, Gonzagam in descriptione provinciæ Aquitaniæ recentioris cap. 23. scribere hunc Bertrandum fuisse professum ordinem sancti Francisci in conventu Figiacensi. Hujus extant duo volumina sermonum in bibliotheca serenissimi Principis & eminentissimi Cardinalis Emmanuelis Theodosii de la Tour d'Auvergne. Item tria in bibliotheca celeberrimi per Europam collegii Sorbonici. In uno eorum sic legitur: *Summa Domini Bertrandi de Turre Episcopi Tusculani super epistolas in prima Dominica adventus Domini usque ad quadragesimam.* In alio verò sic: *Sequuntur expositiones, cum sermonibus Domini Bertrandi de Turre quondam Cardinalis Tusculani à prima Dominica adventus usque ad feriam quintam cinerum super epistolis & prophetis.* Nicolaus Bertrandi de gestis Tolosanorum fol. 52. *Frater Bertrandus de Turre primò regens in conventu Tolosa plura opera composuit, signanter super evangelia & epistolas, cujus opera habentur in conventu. Hic Cardinalis effectus admodum pro Ecclesia dimicavit Tolosana.* Anno MDLXXV. Lovanii Antonius Senensis ordinis Prædicatorum edidit sermonem quem Bertrandus de Turre Episcopus Tusculanus fecit Avinioni in die cinerum anno MCCCXXVII. coram Papa & Cardinalibus. Vide lib. 1. miscellaneorum nostrorum pag. 213.

PETRVM DE PRATO] sive de Pratis. quod est melius. Ortum illum esse constat è castro Montispensati, vulgò *Montpesat*, apud Cadurcos illicque in Ecclesia sancti Martini sanctum baptisma recepisse. Qui se putant peritos rerum familiæ istius Cardinalis, reperisse se aiunt in veteribus monumentis illorum temporum Raymundum de Pratis militaris prosapiæ virum habuisse uxorem Bonam dominam loci de Montepensato, ex eoque matrimonio ortum fuisse alium Raymundum patrem Bertrandi & Petri Cardinalis. Quibus necessariò addendus est Geraldus; cujus liberos fuisse Raimundum Arnaldi, Raimundum Archidiaconum Ripariæ, eundemque, ut opinor, Canonicum Cadurcensem, Ioannem, & Margaritam docet Petrus Cardinalis in suo testamento. Bertrandum de Pratis Militem vinculo jugali junctum fuisse cum Alpasia de Monteacuto filia & herede universali defuncti quondam Bertrandi de Monteacuto legitur in quodam arresto quod anno MCCCXLIII. latum est in parlamento Parisiensi. Duas porrò tum fuisse Pratensium familias apud Montempensatum docent acta relata à Guillelmo Cruceo in serie Episcoporum Cadurcensium pag. 154. ubi Sicardus Episcopus in litteris datis anno MCCXCIX. in quibus agitur de castro Montispensati, nominat *Petrum ac Raimundum de Pratis consanguineos*, quorum prior is videtur fuisse quem suprà monuimus fuisse patrem Cardinalis.

Anno MCCCXVII. cùm Bernardus de Artigia Cantor Pictavensis & alii quidam in Ioannem Papam XXII. conspirassent, ille accusationum inquisitionem commisit, inter alios, huic Petro de Pratis tum Doctori in jure civili. *Odoric. Raynald. an.* 1317. §. 51. 52.

Eodem anno exeunte Galhardus Episcopus Reiensis translatus est ad Ecclesiam Magalonensem. Reiensi verò haud ita multò pòst, ut constat ex libro obligationum archivi Vaticani, Pontifex præfecit Petrum de Pratis. Ipse in testamento suo testatur se huic Ecclesiæ præfuisse. *Item legamus Ecclesia Regensi, ubi fuimus Episcopus, capellam nostram violatam.* Quare accusandus Oldoinus nimiæ facilitatis dum hinc collegit falsos esse qui

putant eum fuisse Episcopum Reiensem quia Bartellus, qui seriem Præsulum Reiensium diligentissimè concinnavit, nusquam hujusce Petri de Prato meminit.

Anno MCCCXIX. factus est Archiepiscopus Aquensis. Vide Vvaddingum an. 1319. §. 13.

In codice 1562. bibliothecæ Colbertinæ fol. 285. ista leguntur: *Festa in Romana curia colenda de mandato sanctissimi D. N. D. Io. Papa XXII. ordinata per Reverendum Patrem Dominum Petrum Episcopum Penestrinensem tunc Vicecancellarium sanctæ Romanæ Ecclesiæ die Veneris decima Februarii anno Domini millesimo CCCXXVIII. pontificatus dicti Domini Papæ anno XII. Indictione XI. in Avinione.*

In registro cancellariæ apostolicæ composito per Theodericum à Niem ita habetur: *Anno Domini MCCCXXXI. à nativitate sanctissimus in Christo Pater & Dominus Iohannes divina providentia Papa XXII. ordinationes infrascriptas, quas circa reformationem Auditorum & Notariorum palatii apostolici fecerat, mandavit per nos Petrum Dei gratia Episcopum Penestrinum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vicecancellariæ officium gerentem die XVI. mensis Novembris anno pontificatus sui XVI. publicari.*

Anno MCCCXXXII. Ioannes XXII. ei & Petro de Mortuomari Cardinali commisit arbitrium controversiæ quæ propter Cristam oppidum erat inter Ademarum Episcopum Valentinum & Aimarum de Pictavia Comitem Valentinensem. *Columbi lib. 3. de gestis Episcoporum Valentin. nu. 40.*

Anno MCCCXXXVI. unà cum quibusdam aliis Cardinalibus & viris doctis in consilium adscitus est à Benedicto XII. pro condendis novis statutis ordinis fratrum Minorum. *Oderic. Raynald. an. 1336. §. 65.*

In rubricis anni tertii pontificatus ejusdem Benedicti cap. 232. ita scriptum est: *Petro Episcopo Penestrinensi. Datur sibi facultas faciendi & ordinandi in Ecclesia sancti Martini de Montepensato Caturcensis diocesis certum collegium & plura alia. Gratis pro persona Cardinalis.*

Anno MCCCXLII. unà cum Hannibaldo Episcopo Tusculano missus est in Galliam pro reformanda pace inter Reges Franciæ & Angliæ. *Oderic. Raynald. an. 1342. §. 9.* Item pro pace Flandrensi. Qua de re vide Buzelinum in annalibus Gallo-Flandriæ pag. 341.

Anno MCCCXLV. Clemens VI. gravem epistolam scripsit ad Philippum VI. Regem Francorum in gratiam nobilis viri Petri Raymundi de Rapistagno Militis domini de Campanhaco nepotis Episcopi Prænestini S. R. E. Vicecancellarii, qui fortiter pugnans apud Albamrocham captus ab Anglis, cùm multa magna damna passus esset, compulsus præterea fuerat se redimere tribus millibus scutatorum. *Regestum anni quarti Clementis VI. cap. 412.*

Anno MCCCXLVI. præsens fuit cum aliis Cardinalibus quando Karolus IV. Marchio Moraviæ in Imperatorem assumendus in publico consistorio juramentum plenissimum præstitit de tuendo jura Ecclesiæ Romanæ. *Oder. Raynald. an. 1346. §. 19. 26.*

Apud Sammarthanos in catalogo Episcoporum Castrensium num. 3. refertur fragmentum quarundam literarum ejusdem Cardinalis in quibus agitur de sepultura Ioannis de Pratis Episcopi Castrensis, quem traduni nepotem ejus fuisse.

Anno MCCCLV. jussu Innocentii VI. arbiter fuit controversiarum quæ erant inter Androinum Abbatem Cluniacensem & Philippum Abbatem sancti Sequani. *Bullarium Cluniacense pag. 179.*

De Ecclesia S. Petri Avenionensis ab eo ædificata & Canonicis in ea institutis vide secundam vitam Innocentii VI. pag. 351. 352.

Obiit Avenione ex peste anno MCCCLXI. mense Maio, ut tradit Onuphrius Panuinius. Sanè Matthæus Villanius lib. 10. cap. 78. inter Cardinales ea peste extinctos memorat hunc Episcopum Prænestinum Vicecancellarium.

SIMONEM DE ARCHIACO] P. 164.
Verè scriptum isthic est eum fuisse ortum in diœcesi Santonensi. Ex actis quippe editis ab Andrea Duchesnio inter probationes historiæ Castagneriorum pag. 11. apparet eam gentem pertinuisse ad seneschalliam Santonensem.

Simonem fuisse Canonicum Bituricensem anno MCCCIII. colligitur ex collectaneis Petri Puteani de dissidio Bonifacii VIII. & Philippi pulchri pag. 176.

Ex eadem haud dubiè gente Hugo de Archiaco, quem fuisse Decanum Ecclesiæ Bellovacensis anno MCCCXXXIX. reperi in regesto LXXIII. archivi regii Paris. cap. 334.

PILUM FOR. DE RAPISTAGNO]
Fuit ille ex nobili & antiqua gente Rapistagnorum, *de Rabastenes*, in diœcesi Albiensi. In chartulario Raymundi VII. Comitis Tolosatium Pilus Fortis de Rabastenes nominatur testis in quibusdam actis annorum MCCV. MCCXXVIII. MCCXXXVI. & præcipuè in actis anni MCCX. *in carta doni quod fecerunt Domini & Milites de Rabastenes super incurrimentis de Rabastenes Albiensis diocesis*: ubi etiam testis fuisse reperitur Raymundus de Rabastenes quondam Episcopus Tolosanus. De eodem Pilo Forti de Rabastenes mentio in venditione *Pili Fortis de Rabastenes quam fecit Domino Comiti de medietate de sua parte villa Bueeti Tolosana diocesis* anno MCCXXXVI.

Idem nominatur testis anno MCCCXXXIV. in quibusdam actis Fuxensibus, in quibus vocatur Pilus Fortis de Rapistagno Miles. Ex eadem gente fuisse videtur Pilus Fortis Abbas Insulæ Barbaræ factus anno MCCCL. deinde Abbas Mansi Asilii anno MCCCLIV. ut legitur in historia edita Insulæ Barbaræ.

Paulò antè pag. 747. vidimus Rapistagnos affinitate junctos fuisse cum gente Pratensi de Montepeniato.

PETRVM TEXTORIS] Priorem S. Antonini in diœcesi Cadurcensi, Ioannis Papæ XXII. Capellanum, & Doctorem decretorum. *Odoricus Raynald. an.* 1317. §. 20. 53.

Legatus in Siciliam cum Guillelmo Episcopo Trecensi anno MCCCXVII. ut inter Robertum Siciliæ & Fridericum Trinacriæ Reges bello decertantes pacem revocaret. *Odor. Raynald. an.* 1317. §. 17. *& seqq. Nicol. Specialis lib.* 7. *cap.* 10.

Eodem anno delegatus est unà cum Galhardo Episcopo Reiensi, Petro de Pratis legum Doctore, qui postea fuit Cardinalis, Petro de Via equite, ac Arnaldo de Triamno Romanæ curiæ Senescallo ut quæstionem moveret in quosdam maleficos qui Pontificem & Cardinales veneno tollere tentaverant inque eorum vitam conspiraverant. *Odoric. Raynald. an.* 1317. §. 52. 53. Existimavi quondam, ut id quoque obiter dicam, errorem esse in nomine hujus Senescalli, quia in libro Arnaldi Camerarii videbam Dominum Arnaldum Detian fuisse Mareschallum Domini Papæ & Rectorem comitatus Veneysini anno MCCCXXIV. mense Novembri. Illum verò existimabam ortum esse ex familia Ioannensium Cadurcensium, & ob eam causam suspicabar reponendum esse in hoc loco nomen Arnaldi de Iean. Verùm postea animadverti in regesto B seneschalliæ Tolosanæ fol. 12. extare literas datas Agenni die prima Octobris anno Domini MCCCXLVI. in quibus nominatur *egregius vir Arnaldus de Trianno Vicecomes de Talardo dominusque Castrinovi Montismirabilis.* In membrana verò veteri quæ tegumentum est codicis 1524. bibliothecæ Colbertinæ, reperio Dominum Arnaldum de Trian Militem fuisse dominum castri de Creichaco in diœcesi Cadurcensi. Ex quo non absurdè colligi potest eum qui fuit conterraneus Papæ Ioannis XXII. & ab eo constitutus Rector comitatus Veneysini ac Seneschallus curiæ Romanæ, fuisse etiam ejus consanguineum. Quod verum est. Etenim Odoricus Raynaldus an. 1334. §. 40. docet ex regesto Benedicti XII. hunc Arnaldum, quem per errorem vocat de Cæsianno, fuisse Ioannis XXII. nepotem. quod etiam traditur in libro rubeo cameræ computorum Parisf. fol. 571. & à Nicolao Chorier in tomo primo historiæ Delphinatus pag. 279. ubi per errorem vocatur Arnaldus de Tyrannis. Vnde etiam sequitur mutandum non esse ejus nomen in libro Arnaldi Camerarii, sed levi emendatione juvandum, ita ut pro *Detian* reponatur *De Trian.* Eundem autem tum fuisse Mareschallum constat qui Seneschallus quoque curiæ Romanæ interdum dicebatur. Nam qui isthic Seneschallus dicitur, Mareschallus Domini Papæ vocatur in regesto LXI. archivi regii Parisf. cap. 356. ubi vitio scriptoris vocatur Arnaldus de Cerano. Sed idem tamen in libro rubeo cameræ computorum Parisf. nominatur Arnaldus de Trianno, & illic, ut dixi, vocatur Papæ nepos.

Anno MCCCXVIII. Petrus Textoris factus est Abbas insignis Ecclesiæ S. Saturnini Tolosæ, & id quidem ante mensem Iulium, ut patet ex his quæ suprà pag. 698. relata sunt ex processu fratris Bernardi Delitiosi. Qua tempestate cùm quidam Canonicus Vuissegradensis Ioannem Episcopum Pragensem accusasset de inobedientia exhibita sedi apostolicæ, de hæreticorum defensione, & de simoniaca pravitate, illeque propterea personaliter ad curiam citatus fuisset, *datus est istis Abbas de S. Saturnino pro judice*, inquit auctor chronicæ aulæ regiæ.

Anno MCCCXXII. rogatus sententiam à Ioanne XXII. scripsit tractatum contra novam Franciscanorum opinionem de paupertate Christi & Apostolorum. *Odoricus Raynald. an.* 1322. §. 59.

Anno MCCCXXIII. imperavit ex parte Papæ Ioannis XXII. Decanis & capitulis Ecclesiarum de Vinhandrado & de Vsesta uti Priori de Coquina & monachis Moyssiacensibus Tolosæ studentibus persolverent pensionem antiquam octuaginta librarum Turonensium quam percipere consueverant ex prioratu sanctæ Gavellæ. Extant ex Petri literæ in codice 2835. bibliothecæ Colbertinæ.

RAIMVNDVM RVFI] quem malè Onuphrius Panuinius & alii post eum vocant Rainerium. Ex memoriis mecum communicatis à viro nobilissimo Petro Pugeto à sancto Albano colligo gentem Ruffòrum Cadurcensium fuisse ex antiqua nobilitate & ex ea, præter ceteros viros illustres, prodiisse etiam Bartholomæum, qui Cadurcensis Episcopus fuit ab anno MCCL. usque ad annum MCCLXXIII. quo interiisse eum docet Guillelmus Crueeus. Ex ea gente postea Ioanna Ruffi nupsit Petro Pugeto, patremque habuit Gilbertum Ruffi Consiliarium regium in parlamento Tolosano ab anno MCCCCXIV. usque ad annum MCCCCLXI. quo nobilis Petrus de Pugeto maritus Ioannæ eum constituit executorem sui testamenti.

Istius

Iftius Cardinalis pauca admodum seu potiùs nulla monumenta supersunt. Onuphrius Panuinius & alii post eum aiunt illum Ioannis XXII. nepotem fuisse. Sed Antonius Auberyus existimat ita eos ex conjectura potiùs scripsisse quàm ex vero, quia videbant eum ex eodem loco ortum esse ex quo constat ortum esse hunc Papam. Ego sanè scio Onuphrium sæpe errasse in opere suo de Pontificibus Romanis & Cardinalibus. Et tamen non facilè ab ejus opinionibus discedo quando mihi testimonia non suppetunt adversùs ea quæ ab illo traduntur. Puto enim deberi magnam viro doctissimo reverentiam. Itaque non admodum gravatè conjecturam Auberyi respuo donec certius aliquid noverim.

P. 165. INQVISITIONE DVPLICI] Vtraque extat in antiquis codicibus MSS. bibliothecæ Colbertinæ. Prima, quæ in codice 1523. continetur, acta est Neapoli an. MCCCXIX. & edita est in tomo primo Martii Bollandiani. Secunda, quæ in codice 1524. habetur, acta est anno MCCCXXI. apud monasterium Fossænovæ in diœcesi Terracinensi, in quo mortuum esse constat sanctum Thomam. Sunt porrò multa in codice Colbertino quæ desuisse videntur in codice Romano Pauli Frigerii quo usi sunt socii Bollandiani, nimirum inter hæc verba num. 84. *per illum modum vel quasi quem dixerat ipse Dei electus* & ea quæ statim sequuntur in editione, inter quæ interjacent octo folia inedita in codice Colbertino, & in his continetur etiam elenchus operum S. Thomæ. Secunda ergo inquisitio facta est à Petro Episcopo Anagnino & magistro Pandulpho de Sabello Domini Papæ Notario anno MCCCXXI. mense Novembri.

HABITVM FF. PRÆD. SVSCEPIT] *invitis parentibus, qui eum monachari volebant*, inquit Thomas Vvalsinghamus. Vide Guillelmum de Thoco in vita ejus cap. 2. num. 9.

AD THEOLOGIÆ MAGISTERIVM] Extat in codice 128. bibliothecæ Colbertinæ & in altero Ecclesiæ Carnotensis epistola Alexandri IV. ad Cancellarium Parisiensem, qua ei gratias agit ob concessam eidem Thomæ licentiam legendi in academia Parisiensi. Datam eam esse anno MCCLV. v. Non. Martii testatur Spondanus an. 1255. §. 7. Quod rectè congruit cum narratione Bernardi Guidonis, qui docet eum anno Domini MCCLV. fuisse licentiatum in academia Parisiensi. Quare necesse est errare eos qui eundem putant fuisse factum magistrum in theologia anno MCCLIII.

P. 167. POSTILLAM PETRI IOHAN.] Antè quàm de hac causa agamus, notandus est insignis error Abrahami Bzovii, qui anno 1299. §. 39. ait hunc Petrum Ioannis vixisse ea tempestate. Accepit autem ille hanc opinionem ex elencho hæresum Gabrielis Prateoli. Meliùs idem Bzovius an. 1310. §. 11. ubi ætatem Petri revocat ad ea tempora quibus Clemens V. tenuit cathedram Romanam. quod videtur accepisse ex Directorio Inquisitor. par. 2. q. 15. Quamquam istud verum non est. Vvaddingus enim an. 1297. §. 33. ostendit illum mortuum esse diù ante Clementis pontificatum. Extant in libro primo miscellaneorum nostrorum pag. 213. opiniones ejus quas magistri in theologia hæreticas, erroneas, aut temerarias esse censuerunt. De iisdem hæresibus vide Guidonem Episcopum Helenensem in summa de hæresibus & Nicolaum Eymerici in Directorio Inquisitorum par. 2. q. 9. Apologiam Petri Ioannis scripsit Vbertinus de Casali, cujus exemplar idem Vvaddingus an. 1297. §. 36. apud se fuisse testatur. Initium ejus fuisse *Sanctitati apostolicæ* patet ex pagina 294. ejusdem libri primi miscellaneorum. Eruditè verò eum defendit idem Vvaddingus in loco paulò antè laudato. In libro porrò Arnaldi Camerarii ita scriptum est: *Littera Domini Iohannis Papæ XXII. continens quòd ipse non commisit finale judicium apostillarum fratris Petri Iohannis de ordine Minorum, sed examinationem tantùm, & finale judicium de iis sibi reservavit. Datum Avinioni v. Kal. Octobris, pontificatus sui anno septimo.*

In catalogo bibliothecæ Benedicti XIII. fol. 14. continetur elenchus postillarum à Petro Iohannis editarum in varios libros sacræ scripturæ. Præterea *aliquæ confessiones & littera edita per eundem ad magistros Parisienses qui condemnaverant dicta sua.* Item tractatus de usuris. Item *tractatus ejusdem de sacramentis, & tractatus emptionum & venditionum & de usuris, & quadam quæstiones & tractatus logicales. Item opus seu postilla ejusdem super librum beati Dionysii de angelica gerarchia. Item opus ejusdem quod vocatur Miles armatus. Item opus ejusdem quod dicitur Exercens. Item expositio seu disputatio regulæ fratrum Minorum per eundem composita. Item quæstio disputata per eundem.* In folio verò 152. commemoratur *quæstio disputata de paupertate per fratrem Petrum Iohannis.* In codice 56. bibliothecæ Colbertinæ habentur *Allegationes super articulis tractis per Dominum Papam de postilla quam composuit frater Petrus Iohannis super Apocalypsim*, missæ summo Pontifici, id est, Ioanni XXII. ut opinor. In codice verò 1002. extat valde prolixa refutatio eorum *quæ in postilla fratris Petri Ioannis super Apocalypsim videntur esse heretica aut erronea vel periculosa secundùm quod sunt ab eo intellecta & declarata, & prout etiam sonant verba.* Scriptus est autem hic liber pontificatu Ioannis XXII.

P. 168. IOHANNEM DE CONVENIS] filium, ut ait Arnaldus Oihenartus in Notitia Vasconiæ, Bernardi V. Comitis Convenarum & Loræ Monfortiæ, quæ filia erat Philippi Monfortii Comitis Castrensis. Eum Petrus Gariellus in serie Præsulum Magalonensium pag. 438. scribit factum fuisse Episcopum Magalonensem anno MCCCX. post translationem Petri Mirapicensis ad episcopatum Cameracensem.

Anno MCCCXIII. mense Augusto habita sunt comitia patriæ occitanæ apud Tolosam. Interfuere Archiepiscopi Auscitanus & Narbonensis & plures Episcopi, delecti ex nobilitate & ex plebeio ordine. De iis agens Guillelmus Bardini in historia parlamentorum linguæ occitanæ ait: *In camera ecclesiastica suspecti erant Regi Archiepiscopus Auxitanensis, Ioannes de Convenis Episcopus Magalonensis, Arnaldus Fredetus Episcopus Conseranensis, Ludovicus de Pictavia Episcopus Vivariensis, Raimundus Galardi Abbas Condomi, & Raimundus de Verdala Abbas sancti Saturnini. Hi erant præcipui factores rebellionis.*

Anno MCCCXIX. ei tum Archiepiscopo Tolosano & Iacobo Episcopo Appamiensi ac Raimundo Episcopo sancti Papuli delegata est à Ioanne XXII. inquisitio accusationum quæ proferebantur adversus fratrem Bernardum Delitiosi Minoritam. Sed Ioannes Archiepiscopus se excusavit, ut fidem faciunt acta processus ejusdem Bernardi, in quibus ista leguntur: *Post hæc autem die sequenti* (id est, die quarta Septembris) *de mane prædictis Dominis Archiepiscopo & Episcopis in dicto loco* (id est, apud Castrum novum de Arrio in diœcesi sancti Papuli) *pro tribunali sedentibus, idem Dominus Archiepiscopus proposuit quòd propter multa & ardua negotia sua Ecclesia Tolosana, quæ ipsum prosequi oportebat, non poterat ulteriùs quoad præsens intendere prosecutioni inquisitionis prædictæ. Ideoque voluit & rogavit quòd dicti duo Domini Episcopi eundem habentes super hoc excusatum procedant in eodem negotio sine ipso juxta traditam in dictis apostolicis litteris sibi formam.*

Anno MCCCXX. cùm quidam Philibertus sacerdos Bisuntinus errores Valdensium docuisset in diœcesi Auxitana, Ioannes XXII. Ioanni Archiepiscopo Tolosano provinciam dedit ut ipsum sacerdotali dignitate exueret. *Odor. Raynald. an.* 1320. §. 17.

Anno MCCCXXVI. idem Ioannes Papa ei & magistro Hospitalariorum injunxit ut concordiam reducerent inter Guigonem VI. Delphinum Viennensem & Eduardum Comitem Sabaudiæ. *Odor. Raynald. an.* 1326. §. 17.

Anno MCCCXXVII. die XVIII. Decembris Ioannes XXII. eum fecit Presbyterum Cardinalem. Id sanè constat. De titulo ejus nihil hactenus reperi. Immo sunt qui putent eum statim fuisse Episcopum Portuensem. Quod nullo modo subsistere potest, cùm suprà pag. 732. ostenderimus Petrum de Arreblayo fuisse Episcopum Portuensem anno MCCCXXVIII. mense Maio. Apud Contelorium dicitur translatus ab archiepiscopatu Tolosano ad episcopatum Ostiensem. quod ego non imperitiæ nec oscitantiæ Contelorii tribuendum puto, sed errori qui in quemvis etiam peritum cadere facilè potest.

Anno MCCCXXXIV. cùm atrox bellum esset inter Adolphum Episcopum Leodiensem & Ioannem Ducem Brabantiæ, Philippus verò Rex Franciæ volens inter eos revocare concordiam Papam rogaret uti juramenta quibus una pars se colligaverat relaxaret, *magna fuit altercatio inter Cardinales*, inquit Ioannes Hocsemius, *quibusdam dicentibus absolutionem nisi petentibus indulgendam, aliis è contrà quòd multa bona præstantur invitis, quando potiùs consulitur eorum utilitati quàm voluntati. Tunc quidam nobilis Cardinalis frater Comitis Convenarum animosè, Pater, inquit, caveatis incipere quod perficere nequeatis. Facta vestra præterita poterunt vos docere. Si tot Principes mandatis vestris non obediant, sicut de plerisque civitatibus contigit Lombardiæ, videte si quò nunc apostolica viget obedientia, cœperit contumacia pullulare, quàm facilè apud Bavarum repserit, qui cum 14. Episcopis & eorum civitatibus sibi subditis vestro tempore multis annis in schismate perseverat. Sancte Pater, mihi credite, rigor iste non expedit, etiamsi liceret.*

Post aliquot exinde annos Papa Ioannes XXII. sublatus est in cælum. Tum verò Cardinales pro electione futuri Pontificis congregati numero XXIV. ut Ioannes Villanius lib. XI. cap. 21. seu potiùs XXIII. ut res se habet, cùm inter se discordes essent, major pars summum pontificatum, ut ille ait, obtulit Cardinali Convenarum, viro sapienti & bonæ famæ, ea conditione adjecta ut polliceretur se non iturum Romam, sed eum forti animo conditionem respuisse ut iniquam. quam historiam Bzovius an. 1334. §. 4. refert ad Cardinalem Talayrandum, manifesto errore

Anno MCCCXXXVII. Arnaldus Cescomes Archiepiscopus Tarraconensis ad eum scripsit de Sarracenis Hispania pellendis. Ejus epistola extat in libro secundo miscellaneorum nostrorum pag. 269.

Anno MCCCXLV. Andreas Rex Siciliæ præfocatus est fraude & scelere quorundam hominum perditorum. Falsò autem Ughellus to. I. Italiæ sacræ pag. 165. & alii quidam mortis ejus invidiam rejiciunt in hunc Cardinalem Convenarum. Etenim is Cardinalis qui eam procurasse illo tempore dicebatur

fuit Talayrandus Petragoricensis, ut infrà suo loco dicetur.

Anno MCCCXLVI. mense Aprili Karolus Marchio Moraviæ, dictus postea Karolus IV. Imperator, Avenionem venit consultaturus de modo acquirendi imperii Romani, & in præsentia Clementis VI. Papæ & Cardinalium, inter quos erat Ioannes Episcopus Portuensis, sacramentum præstitit de servandis Ecclesiæ Romanæ juribus. *Ioa. Villan. lib. 12. cap. 58. 59. & Odoric. Raynald. an. 1346. §. 19. 26.*

Ioannem de Convenis Episcopum Portuensem fuisse Priorem sancti Sacerdotis judicaturæ Verduni docent literæ Ioannis Comitis Armaniacensis datæ Agenni an. MCCCXLVI. die XXI. Februarii, quæ extant in regesto senescholliæ Tolosanæ illius anni, in quarum calce adnotatum est Guidonem de Convenis Militem fuisse præsentem quando illæ datæ fuerunt.

Petrarcha lib. 1. rer. senil. epist. 3. scribens ad Talayrandum Episcopum Albanensem conqueritur de quodam Cardinale qui eum magum esse ac negromanticum persuaserat Stephano Alberti Episcopo Ostiensi. *Parcat autem illi Deus*, inquit, *qui falsæ illius opinionis auctor fuit. Magnus ille quidem vir, nempe tui ordinis non ultimus, & præterea juris consultissimus, quodque mirabiliorem facit errorem, & experientiæ multiplicis, & provectæ admodum ætatis.* Idem paulò pòst scribit hunc delatorem fuisse inimicum Talayrandi: *Oderat ille me, non propter me quidem, sed propter illum cui familiarissimum me fuisse meminerat*, id est, Robertum Regem Siciliæ, *propter quem & te ipsum oderat. Sed odii sibi conscius injusti, erga utrumque nostrum simulator callidus amicitiam fingebat. Sicut sepulto illi*, id est, Roberto, qui anno MCCCXLIII. extinctus est, *ipsius nec lenitus morte, ipsi bellum cineribus indixerat.* Et infrà: *Suggestionem hanc aluit ille dum vixit, & quam plantaverat irrigavit. Gratias Deo quod mendacium veritas, mors mendacem vicit.* Itaque Cardinalis ille delator erat inimicus Talayrandi, & extinctus erat antè quàm Stephanus locaretur in sede beati Petri. De apertis inimicitiis inter Cardinalem Convenarum & Talayrandum testis est locuples Ioannes Villanius lib. 12. cap. 59. Mortuum verò illum esse ante pontificatum Innocentii VI. hinc certò liquet quòd extinctus est anno MCCCXLVIII.

De monasterio sancti Pantaleonis apud Tolosam, quod pro sanctimonialibus conditum est ab executoribus ejus testamentariis, vide Guillelmum Catellum in Memoriis hist. occit. pag. 174.

ANIBALDVM GAYTANI] qui vulgò vocatur de Ceccano. Vnde in veteri instrumento de sepultura Michaelis de Becco Cardinalis, quod editum est inter probationes historiæ Cardinalium Gallorum, vocatur Anibaldus Gaytani de Ceccano. Sed Matthæus Villanius lib. 1. cap. 29. 38. eum nominat simpliciter *Anibaldo di Cecano*, itemque Onuphrius Panuinius in secunda epitome.

Fuisse illum primò Canonicum Parisiensem & anno MCCCXX. die XX. mensis Augusti interfuisse solenni sepulturæ corporis Michaelis de Becco Cardinalis, quod conditum est juxta majus altare Ecclesiæ fratrum Carmelitarum Parisiensium, constat ex veteri instrumento suprà laudato. Fuisse præterea Archidiaconum Atrebatensem docet Vghellus tomo VI. Italiæ sacræ pag. 186. & patet etiam ex literis Stephani Episcopi Parisiensis datis apud Gentiliacum anno MCCCXXIV. quæ editæ sunt in tomo quarto historiæ Vniversitatis Paris. pag. 204.

Anno MCCCXXVI. IX. Kal. Maii factus fuit Archiepiscopus Neapolitanus, ut tradit idem Vghellus, & anno sequenti exeunte Presbyter Cardinalis tituli S. Laurentii in Lucina, demum anno MCCCXXX. aut circiter, extincto Bertrando de Turre, Episcopus Tusculanus. Falluntur enim qui putant illum anno MCCCXXVII. ab Ecclesia Neapolitana translatum esse ad Tusculanam. Parum porrò rerum ecclesiasticarum periti sunt qui scribunt illum Neapolitano se sacerdotio abdicasse eo tempore quo factus est Cardinalis. Nam certum est hunc seculorum illorum morem fuisse ut Episcopi qui in sacrum Cardinalium collegium adsciscebantur, vacuam vulgò facerent cathedram episcopalem eu tum præerant, adeoque non erat opus abdicatione Annibaldi.

Anno MCCCXXXI. ipse & Petrus de Mortuomari Cardinalis finem dederunt gravissimæ concertationi quæ erat inter Episcopum Parisiensem & academiam ejusdem urbis ob multam quadringentarum librarum ab Episcopo indictam cuidam clerico academico ob raptum mulieris. Vide bullam Ioannis XXII. editam in tomo quarto historiæ Vniversitatis Paris. pag. 227.

Anno MCCCXXVI. crucesignatus est cum multis aliis viris principibus. *Froissart. vol. 1. cap. 28.*

In rubricis anni tertii pontificatus Benedicti XII. cap. 198. ita scriptum est: *Anibaldo Episcopo Tusculano. Datur sibi licentia testandi. Gratis pro Domino Cardinale.*

Anno MCCCXL. Archiepiscopus Toletanus ad eum scripsit de victoria quam Reges Castellæ & Portugalliæ reportaverant de Saracenis. Extat ea epistola in chronico Rothomagensi quod edidit Philippus Labbeus. pag. 388.

Anno MCCCXLII. missus est unà cum Petro Prænestino in Galliam ad reformandam pacem inter Reges Franciæ & Angliæ. *Prima vita Clementis VI. pag.* 244. *Bzov. an.* 1342. §. 32. *Odoric. Raynald. an.* 1342. §. 9. 1343. §. 24. 1345. §. 11. 12. *Buzelinus in annalib. Gallo-Flandria pag.* 341.

Anno MCCCXLVIII. missus est in Italiam eique adjacentem Siciliam occasione novitatis quæ Romæ evenerat ex tribunatu Nicolai Laurentii, & ut provinciam illam in officio contineret. *Odoric. Raynald. an.* 1348. §. 12. 13. *Bzov. an.* 1348. §. 29. Hinc Romam jussus proficisci ad celebrandum Iubilæum. *Matth. Villan. lib.* 1. *cap.* 88. Qua de re agemus in Notis ad vitam Clementis VI. & de ejus morte.

Thomas Fortifiocca in vita Nicolai Laurentii cap. 17. prioris editionis & lib. 2. cap. 1. secundæ satyram veriùs scripsit quàm historiam describens ea quæ ab Annibaldo gesta sunt tempore Iubilæi. Et Petrarcha ad eum scribens lib. 6. rer. senil. epist. 1. avaritiam in illo reprehendere videtur. Sed de Fortifiocca dici potest eum ista de Annibaldo scripsisse inflammatum studio partium Nicolai Laurentii, & quia Annibaldus erat invisus Romanis propter modum eorum avaritiæ positum. Ad Petrarcham quod attinet, manifesta & aperta non sunt verba ejus adversùs Annibaldum; & si manifesta forent, nihilo minùs de eorum veritate dubitare etiamnum liceret, cùm reliqui scriptores nullam famæ ejus inferant læsionem. Immo auctor primæ vitæ Clementis VI. eum commendat de pietate.

Ioannes Baleus centut. 5. cap. 51. & ex eo Iosephus Pamphilus in chronico Eremitarum S. Augustini aiunt Galfridum Grandefelde Augustinianum, qui ea tempestate vixit, fuisse Capellanum cujusdam Cardinalis & Episcopi Tusculani sub Benedicto XII. pontificatu. Porrò neque Baleus, neque Pamphilus, neque demum Pitseus invenerunt cujus ille sedis Episcopus fuerit. Ego verò apud Vvaræum in commentario de Præsulibus Hiberniæ reperio eum fuisse factum Episcopum Fernensem à Clemente VI. anno MCCCXLVII. & anno sequenti obiisse die XXII. Octobris. Cùmque hæc ita sint, manifestum est Cardinalem Tusculanum cujus is fuit Capellanus non esse alium quàm Annibaldum, qui ab an. MCCCXXX. usque ad annum MCCCL. præfuit Ecclesiæ Tusculanæ.

De Annibaldo vide Chioccatellum in catalogo antistitum Neapolitanorum pag. 211.

IACOBVM CISTERC.] qui fuit postea Pontifex Romanus, dictus Benedictus XII. istius nominis. Extant apud Odoricum Raynaldum an. 1327. §. 55. literæ quas ad eum scripsit Ioannes XXII. de hac nova dignitate in eum collata.

RAIMVNDVM EPM S. PAPVLI] cognomento de Mostuejolis, vulgò hodie *Monstuejouls* prope S. Romanum de Tarno, ex familia quæ nunc quoque nobilis claraque habetur. Locus autem de Mostuejolis certò pertinet ad diœcesim Ruthenensem, ut constat etiam ex chartulario Raymundi VII. Comitis Tolosani. Quare necesse est falli eos qui putant illum fuisse patria Arvernum.

Fuit primò monachus ordinis sancti Benedicti in monasterio Gellonensi, vulgò *sainct Guillaume du desert*, in diœcesi Lodovensi. Anno verò MCCCX. erat Prior de Londris in Magalonensi, ut docent collectanea de dissidio Bonifacii VIII. & Philippi pulcri pag. 371.

Si vera sunt quæ ex veteri codice Tolosano se descripsisse testatur nuperus scriptor annalium Tolosanorum, Raymundus studiorum suorum tyrocinia posuit in academia Tolosana, adeo pauper ut etiam necessariis indigeret. Sed hæc narratio mihi suspecta est ex eo saltem capite quòd docet illum fuisse Rectorem Ecclesiæ de Lantario in diœcesi Tolosana. Quod in monachum competere non potest. Adde quòd ex veteri charta archivi regii Ruthenensis apparet illum fuisse ortum ex gente clarissima & divite, quantum conjectura comprehendi res potest.

Illud certò constat, fuisse Priorem monasterii sancti Flori apud Arvernos, & ex Priore factum esse primum Episcopum illius Ecclesiæ anno MCCCXVIII. ut docet liber obligationum archivi Vaticani.

Anno MCCCXIX. cùm Ioannes XXII. duodecim Doctoribus commisisset examen quarundam opinionum Petri Ioannis Olivi quæ quibusdam videbantur erroneæ & hæreticæ, Raymundus, qui se Doctorem decretorum nominat, eas pronuntiavit esse hæreticas. Vide lib. 1. miscellaneorum nostrorum pag. 270.

Initio ejusdem anni, ut docet suprà laudatus liber obligationum, Raymundus translatus est ad episcopatum sancti Papuli, & postea XVII. Kal. Augusti Ioannes XXII. ei ac Ioanni de Convenis Archiepiscopo Tolosano & Iacobo Fornerii Episcopo Appamiensi commisit cognitionem gravissimarum accusationum quæ proponebantur adversùs fratrem Bernardum Delitiosi Minoritam, de quibus suprà jam dictum est.

Anno MCCCXX. initio mensis Iulii erat Tutelæ unà cum Arnaldo Episcopo Tutelensi & Guillelmo Montalbanensi, interfuitque celeberrimo apud nos festo sancti Clari Episcopi. Simul autem horum duorum Episcoporum consilio usus est Arnaldus in condendis statutis istius novæ Ecclesiæ cathedralis. Ea dabimus alibi.

Anno MCCCXXVII. die XVIII. Decembris Ioannes XXII. eum fecit Presbyterum Cardinalem tituli sancti Eusebii. Tum verò frater Armandus de Bellovisu ordinis Prædicatorum, qui fuit lector sacri palatii apostolici, ei dicavit collationes quas fecit pro diversis festivitatibus sanctorum & aliis per annum occurrentibus. In fine porrò epistolæ dedicatoriæ, in qua eum valde commendat de peritia divinarum literarum & sacrorum canonum, testatur se hanc dedicationem fecisse in novitate assumptionis ejus ad cardinalatum, *in novitate vestra assumptionis tam digna, tam utilis, & tam grata ad cæli cardines, ad tantum collegium, ad tantum cœtum planetarum cælestium, quos cuncta veneratur Ecclesia &c.* Et paulò pòst: *devotus offero tanto patri, ut vestra paternitas reverenda, perfecta divinarum peritia literarum, qua summum tenet apicem in canonum notitia, & quam ceterarum utpote humanarum scientiarum penetrans intelligentia non evadit &c.* Erat Armandus, ut hoc quoque obiter dicamus, natione Provincialis, ut ipse de se testatur initio collationum 66. 67. 75. 81. 84. 86. 91. 93. ubi refert quædam proverbia suæ nationis, quæ frater Ioannes de Vero, qui anno MDXIX. collationes illas in lucem edidit heic Parisiis, in Gallicam linguam vertit, atque ita non leguntur Provincialico sermone, uti dicta à se esse docet Armandus. Præterea in codice 1288. bibliothecæ Colbertinæ, in quo habentur aliquot earundem collationum, pro verbis Gallicis à Vero suppositis ita scriptum est initio collationis 84. *In nostro vulgari Provincialico dicitur tale proverbium: Maix val amics en rocha que deniers en forsa. Hoc est dictum: Melior est amicus in casu gravi quàm thesaurus in conclavi.* Ex quo facilè colligitur errare eos qui Armandum scribunt fuisse patria Barcinonensem. Errant etiam qui eum secant in tres homines, quorum primus sub Bonifacio VIII. vixerit, alter Benedicti XII. pontificatu, tertius circa annum MDXXX. Ceterùm hunc Armandum eidem Raymundo Cardinali sancti Eusebii, quo maximè familiariter utebatur, dicasse etiam declarationem terminorum tam theologiæ quàm philosophiæ ac logicæ scribit Ambrosius de Altamura, qui multa alia ejus opera recenset.

Anno MCCCXXXIV. die tertia Decembris Ioannes XXII. moriturus hunc Raymundum ad se cum aliis Cardinalibus evocavit, ut coram eis promeret veram sententiam suam de visione beatifica animarum à corporibus separatarum. *Odor. Raynald. an.* 1334. §. 36.

In octava vita Benedicti XII. pag. 240. scriptum est eum fecisse multas reformationes monachorum nigrorum & harum reformationum promotorem & compilatorem fuisse Petrum Carnotensem Cardinalem ordinis monachorum nigrorum. Cùm autem nullus ea tempestate fuerit Cardinalis ordinis sancti Benedicti præter hunc Raymundum, necessariò ita corrigendus videtur hic locus ut hæc historia ad eum referatur, præsertim cùm ex verbis Armandi de Bellovisu paulò antè descriptis constet illum fuisse virum doctum & peritissimum disciplinæ ecclesiasticæ, adeoque etiam monasticæ.

Anno MCCCXXXV. Raymundus exemptus est rebus humanis. Illud ferme pro certo habetur. De die non ita exploratum est. Ciaconius eum obiisse scribit prid. Idus Octobris, Contelotius die duodecima Novembris. Nuperus scriptor annalium Tolosanorum ait se in revelatione cujusdam Presbyteri de Altaripa eum scripta legisse eum obiisse die XV. Octobris, unius tantùm diei discrimine cum scriptione Ciaconii. Ex qua narratione, quanquam in re parum seria, colligi mihi posse videtur meliorem esse istius opinionem. Sepultus est autem in monasterio Gellonensi.

Ex veteri instrumento archivi regii Ruthenensis sumere licet conjecturam fratres ei fuisse Raimundum dominum de Mostuejolis & Marquesium de Mostuejolis dominum castri & castellaniæ de Pineto, nepotem verò Guillelmum de Mostuejolis filium Raimundi, quem impuberem & in tutela Marquesii fuisse anno MCCCXXXVII. die XIV. Martii patet ex eodem veteri instrumento, in quo mentio est Raimundi Cardinalis defuncti. In rubricis anni tertii Benedicti XII. cap. 3. ita scriptum est: *Marquesio de Mestuegulis Canonico Narbonensi. Mandatur sibi quòd præcipiat & injungat Guillelmo Archiepiscopo Antibarensi ut ad Ecclesiam suam accedat, quadam secum ipsius Ecclesia privilegia delaturus.*

Albericus à Rosate in verbo *Non obstante*, loquens de quadam opinione Ioannis Andreæ parum probata à viris doctis illius ævi, qui asserebat se vidisse declaratoriam sub bulla continentem quòd per clausulam non obstante tolleretur inhabilitas proveniens ex jure communi propter defectum ætatis ad suscipiendos ordines, ait: *Ipse etiam Dominus Iohannes personaliter fuit in Romana curia reprehensus de opinione prædicta per Reverendum Patrem Dominum Raymundum tituli sancti Eusebii Cardinalem, & professus fuit se eam in scholis revocasse.*

Errat autem vehementer Augustinus Oldoinus eos reprehendens qui putant illum fuisse Episcopum sancti Papuli, & affirmat fuisse Episcopum sancti Pauli sive Tricastinum sub Archiepiscopo Arelatensi. Nam præterquàm quòd certum est hunc Raimundum fuisse Episcopum sancti Papuli, non verò sancti Pauli

Tricastinensis, constat Episcopum Tricassinum, qui est suffraganeus Archiepiscopi Senonensis, multùm diversum esse à Tricastinensi.

PETRVM DE MORTVO MARI]. Antè quàm de Cardinale isto agamus, evellenda est ex animis hominum opinio cujusdam recentioris scriptoris, qui eum ait vocatum fuisse Petrum Galvani, vulgò *Gauin*, de Mortuo mari autem dictum à loco in quo ortus erat. Nam Petrum Galvani, qui ea omnino tempestate clarus erat in aula Regum Francorum, diversum esse à Petro de Mortuomari luculenter probatur ex testimoniis illorum temporum. Constat quippe Petrum de Mortuomari evasisse Episcopum Vivariensem anno MCCCXXII. ineunte, anno MCCCXXV. transiisse ad Ecclesiam Autissiodorensem, & anno demum MCCCXXVII. factum fuisse Cardinalem. Petrus autem Galvani anno MCCCXXVII. erat tantùm Canonicus Aurelianensis, ut docet Guillelmus Bardinus in historia chronologica parlamentorum linguæ occitanæ. quod etiam patet ex regesto 67. archivi regii Paris. cap. 77. ubi anno eodem MCCCXXVII. die XXIV. Novembris Petrus Galvani Canonicus Aurelianensis Clericusque Domini nostri Regis deputatus est unà cum nobili viro Domino Radulpho Calhori Milite Domini Regis ad partes seneschalliarum Carcassonæ & Tolosæ pro reformatione patriæ. Præterea ex actis processus facti anno MCCCXXXI. adversùs fratrem Ioannem Alberici de ordine fratrum Prædicatorum, qui dicebatur quasdam literas falsasse quæ magnarum rebellionum, seditionum, scandalorum causæ fuerant, in iisdem inquam actis, quæ extant in eodem archivo regio Parisiensi, Petrus Galvani absque ullo titulo nominatur inter eos qui consilium Episcopo Parisiensi dederunt in causa ejusdem fratris Ioannis. Ex quo necessariò consequitur Petrum Galvani fuisse diversum à Petro de Mortuomari.

Ortus est igitur Petrus à vico Mortuimaris in finibus Lemovicum & Pictonum, *genere mediocri*, si fides habenda gestis Episcoporum Autissiodorensium. Quod si verum est, jam constat falli eos qui putant illum prognatum ex nobili & antiquo stemmate Vicecomitum Rupecavardensium, eumque propterea vocant Cardinalem Pictaviensem. Quamquam Rupecavardenses non pertinent ad Pictavienses, sed ad Lemovices. Errant etiam qui matrem ejus ortam ajunt è gente de Banhaco prope Belacum in Marchia Lemovicensi, cùm contrà soror ejus nupserit patri Petri de Banhaco Cardinalis, qui propterea hunc Petrum de Mortuomari Cardinalem vocat avunculum suum.

Virum fuisse acutissimi ingenii ac juris utriusque professorem solemnem & inter consiliarios regios strenuissimum produnt eadem gesta Episcoporum Autissiodorensium, quæ eum quoque Cancellarium Regis Francorum fuisse perhibent. quod ego puto falsum esse. Constat tamen eum in magna existimatione habitum in ea aula. Extat enim in camera computorum Paris. bulla Ioannis XXII. data Avinioni VI. Kal. Iulii anno sexto, in qua Petrus de Mortuomari Cantor Bituricensis & legum Doctor nominatur inter legatos Karoli IV. Francorum Regis ad Papam pro impetranda decima in subsidium terræ sanctæ.

Hinc factus est Episcopus Vivariensis eodem anno MCCCXXII. circa mensem Iunium, ut patet ex libro obligationum. Quod confirmatur ex eo quòd in veteri quodam instrumento Vivariensi confecto die XII. Octobris anni illius vocatur electus Vivariensis. Vnde sequitur falli eos qui illum anno MCCCXX. ad eam cathedram pervenisse volunt. Eodem verò anno præsens erat Lutetiæ quando Ioanna Regina Franciæ & Navarræ primum lapidem posuit in fundamentis Ecclesiæ S. Iacobi de Hospitali, ubi per errorem vocatur Episcopus Nivernensis. *Iacobus du Breuil in antiquitatib. Paris. pag. 733. edit. anni 1639.*

Anno MCCCXXV. in vigilia Pentecostes, id est, die XXV. Maii, Karolus IV. Rex Franciæ huic Petro Episcopo Vivariensi & quibusdam aliis viris præpotentibus aulæ regiæ potestatem dedit conveniendi cum delegandis ab Eduardo II. Rege Angliæ pacemque cum eis tractandi, quæ tandem conclusa fuit. Extant harum rerum testes literæ ejusdem Regis, tum literæ delegatorum duorum Regum in codice 3126. bibliothecæ Colbertinæ. Vide etiam Odoricum Raynaldum anno 1325. §. 12.

Eodem anno, mense, ut videtur, Octobri, è cathedra Vivariensi translatus est ad Autissiodorensem; *& intravit*, inquiunt gesta suprà laudata, *cum debita solemnitate civitatem & Ecclesiam Autissiodorensem cum Principibus & Dominis aliis temporalibus qui ipsum portare debebant & portaverunt; inter quos fuit Comes Flandrensis ratione baronia de Donziaco. Qui Comes, facto homagio ipsi Episcopo, voluit & nisus fuit rapere annulum dicti Episcopi, sed non potuit. Veruntamen promisit Episcopus se informare si spectaret ad jus ipsius Comitis & sibi facere super hoc rationem.*

Anno MCCCXXVII. die sabbati secunda Maii interfuit Lutetiæ solemni translationi digiti sancti Iacobi, quem theca inclusum Ecclesiæ ejusdem sancti dictæ de Hospitali dedit eadem Ioanna Regina. *Iacobus Du Bruel in loco suprà laudato. pag. 734.*

In actis capituli provincialis ordinis Prædicatorum celebrati Lemovicis anno eodem

MCCCXXVII. in octavis sanctorum Apostolorum Petri & Pauli imperantur preces pro variis Episcopis, & inter hos, pro Altissiodorensi, id est, hoc nostro. *Item pro venerabilibus patribus Dominus Archiepiscopis Aquensi, Bituricensi, & Revennensi, & Dominis Episcopis Baionensi, Tutellensi, Petragoricensi, Albiensi, Agennensi, Altissiodorensi, Annicensi, Aurelianensi.*

Eodem anno, XV. Kal. Ianuarii, Ioannes XXII. eum creavit Presbyterum Cardinalem tituli S. Stephani in Cœlio monte, & anno sequenti in eum contulit archidiaconatum Constantini in Ecclesia Constantiensi; *eumque dictus Cardinalis possedit usque ad obitum*, inquiunt acta vetera edita inter probationes historiæ Cardinalium Gallorum. pag. 170.

Qua tempestate Petrum Rogerii Lemovicem, quem ut filium diligebat, evocavit ad curiam Romanam, ut legitur in secunda vita Clementis VI. pag. 266. De eadem re sic scribit Papirius Massonus in vita Clementis VI. fol. 288. *Primum enim Petri Mortuimaris Cardinalis Pictaviensis tituli sancti Stephani in Cœlio monte, qui illum unicè diligebat, literis ad curiam vocatus, Ioanni doctissimo Pontifici innotuit.* Hinc ergo patet hanc vitam Clementis notam fuisse Papirio Massono.

Anno MCCCXXXI. eo & Anibaldo de Ceccano Cardinale adnitentibus finis impositus est gravissimæ liti quam adversùs Episcopum suum habebat academia Parisiensis propter mulctam quadringentarum librarum ab Episcopo imperatam cuidam clerico academico ob raptum mulieris. Vide to. IV. hist. Vniversitatis Parisiensis pag. 227.

Anno MCCCXXXII. Ioannes XXII. ei & Petro de Pratis Episcopo Prænestino commisit arbitrium controversiæ quæ propter Cristam oppidum erat inter Ademarum Episcopum Valentinum & Aimarum de Pictavia Comitem Valentinensem. *Columbi lib. 3. de gestis Episcopor. Valentin. num.* 40.

Eum cum ceteris Cardinalibus ad se evocavit Ioannes XXII. anno MCCCXXXIV. die tertia mensis Decembris ut interesset declarationi quam ipse moriturus fecit in causa quæstionis de visione beatifica. *Odoricus Raynaldus an.* 1334. §. 36.

Obiit autem in novitate Benedicti XII. ut legitur in gestis Episcoporum Autissiodorensium, ubi ejus mors revocatur ad annum circiter millesimum trecentesimum trigesimum sextum. In epitaphio verò ejus, quod editum est inter probationes historiæ Cardinalium Gallorum, scriptum est eum obiisse *in die Veneris sancta, hora nona, decimo quarto mensis Aprilis, anno Domini millesimo trecentesimo trigesimo quinto.* Quæ est vera sententia. Etenim anno MCCCXXXV. Pascha incidit in diem XVI. Aprilis. Constat præterea ex bulla Clementis VI. qua confirmat ejus testamentum, illum mortuum fuisse antè quàm idem Clemens fieret Pontifex Romanus. Itaque affirmari liberè potest falli eos qui scribunt eum rebus humanis exemptum anno. MCCCXLV.

Sunt qui contendant illum à Benedicto XII. factum fuisse Episcopum Sabinensem. Verùm errare illos manifestum est. Constat etenim Guillelmum Petri de Godino factum fuisse Episcopum Sabinensem an. MCCCXVII. & semper Episcopum Sabinensem fuisse usque ad annum MCCCXXXVI. quo interiit. Tum verò Petrum de Mortuomari extinctum fuisse patet ex iis quæ paulò suprà dicta sunt. Adde auctoritatem bullæ Clementis VI. de confirmatione testamenti ejus; in qua illum vocat simpliciter Presbyterum Cardinalem tituli S. Stephani in Cœlio monte, Episcopum Sabinensem sine dubio dicturus, si re vera fuisset illius sedis Antistes.

Denique in gestis Episcoporum Autissiodorensium legitur eum fuisse Cancellarium & compatrem Regis Franciæ. Quòd cùm alibi non reperiatur, nullaque hujus rei vestigia uspiam extent, arbitror esse falsum.

PETRVM DE CAPIS] Ex octava vita Benedicti XII. videtur colligi posse hunc hominem fuisse monachum ordinis sancti Benedicti. Scriptum quippe illic habetur Petrum Episcopum Carnotensem Cardinalem fuisse ordinis monachorum nigrorum. Verùm necesse est mendum heic esse. Certò enim constat Petrum de Capis non fuisse monachum. Fuit ergo clericus, Canonicus Ecclesiarum Remensis & Ambianensis, Thesaurarius Ecclesiæ Laudunensis, Cancellarius Philippi V. Regis Franciæ, electus Episcopus Attrebatensis anno MCCCXX. & postea Carnotensis anno MCCCXXVI. demum Presbyter Cardinalis tituli S. Martini in montibus anno MCCCXXVII. die XVIII. Decembris. Certissimum est autem eos falli qui putant eum habuisse titulum S. Clementis. Vocatum vulgò fuisse Cardinalem Carnotensem docet Clemens VI. in collatione facta pro Petro Bertrandi juniore & Nicolao de Bessa Cardinalibus novis.

Anno MCCCXXXI. cùm post factum Cardinalem Talayrandum Ioanna Regina Francorum exposceret alium quempiam è Gallis in sacrum collegium adsciscì, negavit Papa Ioannes, & causas repudiatarum ejus precum communicasse se scripsit cum Petro Presbytero Cardinale tituli sancti Martini. *Odor. Raynald. an.* 1331. §. 24. Ex quo consequitur Petrum de Capis fuisse ea tempestate apud Avenionem.

Anno MCCCXXXIV. die tertia Decembris erat etiam Avenioni, interfuitque cum aliis Cardinalibus solemni declarationi quam

idem Ioannes moriturus emisit circa opinionem de visione beatifica. *Odor. Raynald. an.* 1334. §. 36.

Obiit anno MCCCXXXVI. die XXIV. Martii, ut est in libro obligationum archivi Vaticani. Ex quo consequitur falli eos qui putanr non vixisse diù post collatam in eum dignitatem cardinalitiam. Puto autem eum obiisse Avenioni.

Ex gente istius Cardinalis videtur prodiisse Petrus de Capis, qui Episcopus Suessionensis evasit anno MCCCXXXI. & obiisse scribitur anno MCCCXLVII.

MATTHÆVM DE VRSINIS] Fuerat ille missus anno superiore ad Papam Ioannem ut eum ex parte populi Romani invitaret ad veniendum in urbem. *Odor. Raynald. an.* 1326. §. 6. Extant in archivo regio Neapolitano literæ Roberti Regis Siciliæ datæ Neapoli per Ioannem Grillum de Salerno anno Domini MCCCXX. die XIV. Martii pro Domino Matthæo de filiis Ursi sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbytero Cardinale adversùs homines Casalis S. Martini in Lamis & Facioli vassallos ejus. In rubsicis verò anni tertii pontificatus Benedicti XII. cap. 348. ita legitur: *Iudicibus. Dantur conservatores Matthao tituli sanctorum Iohannis & Pauli Presbytero Cardinali. Gratis pro persona Cardinalis.* Item cap. 357. *Patriarcha Aquilegiensi. Mandatur quòd Matthao tituli sanctorum Iohannis & Pauli Presbytero Cardinali faciat justitiam contra Iehannem de Bellasio Militem Tridentin. dioc. super eo quòd à quodam nuncio dicti Cardinalis centum libras & quendam equum extorsit & in monasterio S. Laurentii Tridentinen. sibi damna intulit. Gratis pro Domino Cardinale.* Anno MCCCXXXVIII. die XVIII. Decembris factus est Episcopus Sabinensis. *Ex libro obligationum.* Vide Prosperum Mandosium pag. 84. bibliothecæ Romanæ.

PETRVM DE TOLETO] seu potiùs Petrum Gometii de Barroso, dictum de Toledo quia erat origine Toletanus ex nobili genere. Fuisse eum primò Priorem Ecclesiæ Hispalensis scribit Didacus Ortiz de Zuniga in annalibus Hispalensibus. Postea factus est Episcopus Carthaginensis post annum MCCCXV. ut tradit Franciscus Cascales. Demum verò Presbyter Cardinalis tituli sanctæ Praxedis anno MCCCXXVII.

Ei Alvarus Pelagij, qui postea fuit Episcopus Siluensis, dicat libros de planctu Ecclesiæ. Initium autem eorum ita se habet: *Optimis moribus & virtutibus adornato, utriusque juris scientia decorato, Patri reverendissimo & singulari Domino Domino Petro Gomesii Hispano, genere nobili, vita & honestate nobiliori, tituli sancti Praxedis Cardinali dignissimo Presbytero & seniori, frater Alvarus Pelagij de ordine Minorum professione, natione Hispanus, Pœnitentiarius Domini Papa.*

Anno MCCCXXXI. exeunte vacavit Ecclesia Æduensis per promotionem Petri Bertrandi ad dignitatem Cardinalis. Tum verò Ioannes XXII. ad Ecclesiam illam transtulit Ioannem de Arceis Episcopum Mimatensem, tum absentem, ut opinor. Etenim cùm promissio de solvendis communibus servitiis cameræ Domini Papæ & collegio Dominorum Cardinalium exacta sit ab Alberto electo Mimatensi die XXIII. Decembris, Ioannes autem de Arceis eam fecerit die tantùm XI. sequentis mensis Ianuarii, existimare licet ita factum esse propter absentiam ejus.

Quo loco admonendum est Sammarthanos in catalogo Episcoporum Mimatensium scribere P. tituli sanctæ Praxedis Presbyterum Cardinalem in libro obligationum curiæ Romanæ reperiri electum Mimatensem anno MCCCXXXI. die quarta Maii. quod verum est. Et tamen ego existimo totam hanc narrationem esse falsissimam. Nam ea tempestate Ecclesia Mimatensis habebat antistitem Ioannem de Arceis, qui extremo tantùm anno translatus est ad Æduensem.

Anno MCCCXXXIV. die tertia Decembris Ioannes XXII. eum ad se evocavit cum aliis Cardinalibus ut interesset solemni declarationi quam fecit moriturus circa opinionem de visione beatifica. *Odoricus Raynaldus anno* 1334. §. 36.

Anno MCCCXXXVI. Petrus Cardinalis S. Praxedis unà cum aliis nonnullis Cardinalibus & viris doctis jussu Benedicti XII. dedit operam componendis novis statutis fratrum Minorum. *Odor. Raynald. an.* 1336. §. 65.

Anno MCCCXXXVII. Benedictus XII. ei dedit archidiaconatum de Turolio in Ecclesia Cæsaraugustana. Rubricæ anni tertii Benedicti XII. cap. 184. *Petro tituli sancta Praxedis Presbytero Cardinali. Providetur sibi de archidiaconatu de Turolio in Ecclesia Casaraugustana vacante. Gratis pro Domino Cardinale.*

Anno MCCCXXXVII. missus est in Galliam unà cum Bertrando de Montefaventio Cardinale ad componenda dissidia quæ erant inter Reges Franciæ & Angliæ. *Odor. Raynal. an.* 1337. §. 15. 16. *an.* 1338. §. 57. *an.* 1339. §. 13. 25. *an.* 1340. §. 8. Rubricæ literarum de curia anni tertii Benedicti XII. cap. 17. *Petro tituli S. Praxedis & Bertrando sancta Maria in Aquiro Diacono Cardinalibus apostolica sedis Nunciis. Mandatur eis quòd processus factos & sententias promulgatas contra quamplures Pralatos & personas ecclesiasticas regni Francia pro majori summa procurationum eis debitarum solvenda suspendant.*

Anno

Anno MCCCXXXVII. aut sequenti, variant enim isthic scriptores, vacavit Ecclesia Toletana, cui tum præfectus est à Benedicto XII. vir celeberrimus Ægidius Albornotius. Præcipuum autem adjutorem illi fuisse hunc Petrum Episcopum Sabinensem testatur Clemens VI. in epistola 145. libri quarti ad eum data, his verbis: *quòdque te præfatis Cardinalibus, qui ejusdem Ecclesiæ membra sunt honorabilia, & præsertim prænominato Episcopo, qui, ut intelleximus, in tua promotione tuus extitit specialis promotor, magnam exhibere teneris reverentiam &c.*

Anno MCCCXL. fundavit anniversarium in Ecclesia Hispalensi. *Didacus Ortiz de Zuniga in annalibus Hispalensibus.*

Anno Domini MCCCXLI. datus fuit auditor Francisco de Esculo ordinis Minorum, qui addictus fuerat partibus Ludovici Bavari & Michaelis de Cæsena. Vide lib. 1. miscellancor. nostror. pag. 315.

Ioannes Villanius lib. 12. cap. 57. illius meminit, & ex eo Boninsegnius pag. 368.

Ejus nepos fuisse videtur Petrus Gometii de Barroso, quem Gregorius XI. fecit Cardinalem. Item Garcias Fernandi de Barroso Miles, quem ab Alfonso Rege Castellæ missum esse ad Clementem VI. testatur ipse Clemens lib. 4. epist. 285.

IOHANNEM DE COLUMNA] ortum ex primaria nobilitate Romana, virum, ut apparet ex epistolis Petrarchæ, magnarum virtutum magnorumque meritorum. Eum idem Petrarcha lib. 8. rer. famil. epist. 1. vocat hominem sacræ memoriæ, Romani decus cardinis, & familiæ Columnensis principem, lib. 14. rer. fenil. epist. 6. dominum & altorem suum, lib. 15. epist. 1. virum optimum atque innocentissimum. Ad eum præterea scripsit plures epistolas, præcipuè verò lib. 7. rer. famil. epist. 13. in qua profitetur se illi omnia debere, *ingenium scilicet*, inquit, *& corpusculum hoc quod peregrinus inhabito, & si quid externorum obtigit bonorum. Neque enim minus aula tua animo meo contulit quàm corpori, quàm fortunis. Sub te nutritus à juventute mea, sub te auctus atque eruditus sum, quantum vel intercurrentium casuum malignitas vel ingenii mediocritas passa est.* Denique lib. 7. rer. fenil. epist. 1. ait illum sibi semper reverenti suspirio memorandum esse.

Hunc tantum virum Ioannes XXII. Diaconum Cardinalem tituli sancti Angeli creavit anno MCCCXXVII. de quo hæc habet Ioannnes Andreæ in cap. *Ad succidendos.* de schismar. in 6. *Ioannes XXII. Papa ad cardinalatum gratiosè promovit Reverendum in Christo Patrem, quem dignitatis altitudine commendare non expedit, Dominum Iohannem natum ex Milite in quo virtutum viget acervus D. Stephano.*

Anno MCCCXXXIV. die tertia Decembris interfuit unà cum aliis Cardinalibus solemni declarationi quam Ioannes XXII. moriturus fecit circa opinionem de visione beatifica. *Odoric. Raynal. an.* 1334. §. 36.

Anno MCCCXLV. resignavit in manibus Papæ Cantoriam Ecclesiæ Bajocensis, quam obtinebat. *Epistola Clementis VI. lib. 4. epist.* 22.

Erat etiam Præpositus Ecclesiæ Moguntinæ, ut docet Albertus Argentinensis pag. 140. 145.

Obiit anno MCCCCXLVIII. die tertia Iulii. Albertus Argentinensis ad hunc annum: *Mortuo interim Io. de Columna Cardinali Præposito Ecclesiæ Moguntinensis, prædictus Cuno de Valckenstein & Reinhardus de Spanheim Canonici Ecclesiæ Moguntinæ in discordia sunt electi.*

IMBERTUM DE PUTEO] vulgò *Du Puy.* Illum isthic Bernardus Guidonis, qui coævus ei fuit, ait fuisse ortum è Montepessulano. Ioannes autem Villanius lib. 10. cap. 53. eum vocat Imbertum de Puteo de Caturco, & propinquum Papæ fuisse ait. *M. Imberto di Ponzo di Caorsa parente del detto Papa.* Sanè apud Cruceum in serie Episcoporum Cadurcensium pag. 169. reperio Raymundum de Podio, quod idem est in lingua Gallica, fuisse civem Cadurcensem anno MCCVII. die tertia mensis Aprilis. Itaque suspicari licet eum fuisse ex familia Caturcorum sive Cadurcorum burgensium Montispessulani (quorum meminit etiam Innocentius III. lib. 15. epist. 174. 175.) & ita explicandum Villanium ut non quidem existimetur intellexisse illum ortum esse è Cadurco, sed ex gente de Podio sive de Puteo, qui & de Cadurco cognominati erant. Extant enim in regesto curiæ Franciæ sequentes literæ. *Universis præsentes literas inspecturis Officialis curiæ Parisiensis salutem. Notum facimus quòd in nostra præsentia constituti magister Elias de Caturco Canonicus Parisiensis, Philippus Capicerius sancti Mederici Parisiensis, & Raimundus de Caturco fratres & filii quondam Raimundi de Caturco burgensis Montispessulani, recognoverunt se quitasse illustri Domino Ludovico Dei gratia Franciæ Regi & heredibus ejus totum jus quod habebant seu habere poterant vel debebant ex quacunque causa in castris de Pedenatio & de Torves &c. Datum anno Domini MCC. sexagesimo primo, mense Martio.* Nemini autem debet videri multùm abhorrens si eam gentem dicamus affinitate conjunctam cum familia Ioannis XXII. cùm suprà pag. 721. cùm ageremus de Gaucelmo Ioannis Cardinale ostenderimus eum consanguineos habuisse apud Montempessulanum.

Sanè oportuit gravem fuisse causam quæ

Ioannem adegit ut virum alioqui parum clarum, nulla præterea dignitate usque ad hanc diem ornatum, adlegeret in ordinem Cardinalium. In creandis autem Cardinalibus sufficit voluntas Paparum, qui propinquos suos, tamenetsi aliàs meritorum suorum luce parum splendidos, eo splendore possunt & solent ornare. Certè neque tum neque postea Imbertus inclaruit in curia Romana, neque legationibus apud Principes ullis ornatus fuit, quamvis longam ætatem egerit in cardinalatu.

Factus est igitur Cardinalis à Ioanne XXII. anno MCCCXXVII. die XVIII. Decembris. Onuphrius Panuinius scripsit illum primò fuisse factum Diaconum Cardinalem; in quo eum secuti sunt qui postea scripserunt historiam Cardinalium. quod ex eo confirmari posse videretur quòd in ea creatione Cardinalium recensetur omnium ultimus post Ioannem de Columna, quem constat fuisse Diaconum Cardinalem sancti Angeli. Contelorius tamen nihil istiusmodi scribit, sed eum tradit creatum à Ioanne fuisse Presbyterum Cardinalem basilicæ sanctorum duodecim Apostolorum. quod ego facilè adducor ut credam. Etenim posthac Ioannes XXII. duos tantùm Cardinales creavit; & qui eos perhibent factos Cardinales, nullam mentionem faciunt illum mutasse titulum cujuspiam veteris Cardinalis. Et tamen Imbertus vocatur Presbyter Cardinalis basilicæ sanctorum duodecim Apostolorum in declaratione solemni quam idem Ioannes moriturus fecit occasione novæ opinionis de visione beatifica sanctorum, ut videre est apud Odoricum Raynaldum an. 1334. §. 36.

Anno MCCCXLII. dimisit præposituram Ecclesiæ Posoniensis in diœcesi Strigoniensi, & assecutus est parrochialem Ecclesiam sancti Pauli de Frontiniano Magalonensis diocesis. Id testatum faciunt literæ Clementis VI. ad Guillelmum de Pusterla de Mediolano Capellanum suum, cui hanc præposituram sic vacantem donavit, datæ apud Pontem Sorgiæ Avinionensis diocesis III. Kal. Maii anno primo. *Cùm itaque præpositura Ecclesiæ Posoniensis Strigoniensis diocesis, cui cura imminet animarum, ex eo vacare noscatur ad præsens quòd dilectus filius noster Imbertus basilicæ duodecim Apostolorum Presbyter Cardinalis parrochialem Ecclesiam sancti Pauli de Frontiniano Magalonensis diocesis tunc vacantem per nos in supportationem onerum expensarum eidem incumbentium sibi collatam est canonicè assecutus & ipsius pacificam possessionem adeptus &c.*

Anno MCCCXLIII. die IX. Iunii Philippus VI. Rex Franciæ confirmavit literis datis apud turrim capitis pontis Avenionensis certam emptionem factam per Dominum Cardinalem de Puteo à Rege Majoricarum. In ipsis literis, quæ exstant in regesto LXXV. archivi regii Parisiensis, ita scriptum est: *Notum facimus quòd cùm Reverendus in Christo Pater Imbertus de Puteo Cardinalis &c. emisset à carissimo consanguineo nostro Rege Majoricarum domino Montispessulani quandam pratam cum duobus casalibus molendinorum quam & quæ idem consanguineus noster habebat apud locum de Palude aliàs dictum de Latis &c.*

In eodem regesto cap. 266. exstant literæ ejusdem Philippi de admortisatione centum librarum terræ pro dotatione duarum capellarum per Dominum Cardinalem de Puteo fundandarum, datæ apud sanctum Germanum in Laia anno MCCCXLIV. mense Aprili. Fundationis autem acta edita sunt à Petro Gariello in serie Præsulum Magalonensium par. 2. pag. 17.

Mortuus est anno MCCCXLVIII. die XXVI. Maii, ut docet Contelorius. Ei verò morienti adstitisse Arnaldum de Verdala Episcopum Magalonensem tradit ibidem Gariellus. Quod confirmatur ex bulla Clementis VI. directa executoribus testamenti ejusdem Imberti, quæ data est Kal. Octobris anno septimo. Exstat apud eundem Gariellum pag. 19.

IX. KAL. IVNII] Meliùs in bulla Ioannis XXII. apud Odoricum Raynaldum anno 1331. §. 33. & apud Contelorium, VIII. *Kal. Iunii.* P. 169.

TALAYRANDVM] virum celeberrimum, multùm laudatum à scriptoribus illius ævi, præcipuè verò à Francisco Petrarcha, sed pessimè dilaceratum à Matthæo Villanio. Ceterùm cùm multa de eo nobis incumbant dicenda, ordiemur ab origine ejus, tum laudes ejus exequemur, & mox bona fide referemus quæ adversùs famam ejus jacta sunt à malis hominibus, denique res ab eo gestas describemus ordine temporum servato.

Rhetorum disciplina est, inquit Hieronymus, ab avis & atavis & omni retro nobilitate ornare quem laudes. Scilicet nunc mihi repetenda essens clara nomina veterum Comitum Petragoricensium, nisi hos terminos posuissemus his Notis nostris ne in immensum excurrant. Itaque ultimorum temporum & Talayrandi proximorum historia contenti, à ceteris abstinebimus, eam curam relinquentes iis qui genealogias nobilissimarum familiarum suscepere describendas.

Ac primùm quidem is qui scripsit antiquitus gesta Episcoporum Autissiodorensium eum vocat virum nobilissimum, Ioannes verò XXII. de nobili prosapia genitum esse testatur in bulla qua illum præfecit Ecclesiæ Lemovicensi. In epistola Clementis VI. ad Ludovicum Regem Hungariæ scripta anno MCCCXLVI. dicitur *de præclaro & antiquo genere trahens originem.* In chronico Aymerici de Peyraco

Abbatis Moyssiacensis fol. 149. Comes Petragoricensis, Talayrandi, ut arbitror, nepos, dicitur ortus *de genealogia antiquiori totius regni Franciæ.* Vnde in collatione quam anno MCCCLVII. apud S. Audomarum habuit quidam consanguineus Andreæ de Florentia Cardinalis ita scriptum est : *Attendite quòd vos estis multorum Regum consanguineus & affinis.* Et Karolus V. Rex Francorum in litteris quibus confirmat acquisitionem quarundam domorum & redditùum pro fundatione collegii Petragoricensis Tolosæ eum vocat consanguineum suum ; *Carissimus & fidelis consanguineus noster Taleyrandus Cardinalis Petragoricensis.*

Natum illum esse anno MCCCI. aut circiter hinc colligitur quòd Ioannes XXII. in bulla de episcopatu Lemovicensi ei collato testatur eum fuisse tum constitutum in vigesimo quarto ætatis anno aut circiter. Bulla autem illa data est anno MCCCXXIV. VI. Idus Octobris.

Parentes habuit Heliam Talayrandi, dictum quoque, ut puto, Archambaldum, Comitem Petragoricensem & Brunissendam de Fuxo filiam Rogerii Bernardi Comitis Fuxensis, feminam, ut lib. 9. cap. 58. testatur Ioannes Villanius, forma pulcherrimam. Patrem ejus dixi fuisse binominem. Nam cùm pro certo tradatur eum vocatum fuisse Heliam Talayrandi, quo modo ipse se vocavit in literis de commutatione Vicecomitatus Leomaniæ & Altivillaris datis anno MCCCX. mense Novembri, quæ extant in archivo regio Parisiensi, & in aliis literis authenticis, quas vidi in camera computorum Parisiensi, datis anno MCCIV. die lunæ ante festum beati Ioannis Baptistæ, in quibus fatetur se certam summam pecuniæ habuisse à Philippo Rege Francorum pro commutatione vicecomitatus Leomaniæ, & tamen in pactis matrimonii Agnetis Ducissæ Gravinæ, quæ filia ejus erat, ea dicatur filia Archambaldi Comitis Petragoricensis, necesse est existimare eum Archambaldum quoque fuisse vocatum.

Sed ut ad Cardinalem nostrum redeamus, is vocabatur haud dubiè Helias Talayrandi ex nomine patris, postea verò nomen prius abjecit ut Talayrandi appellationem retineret. Compertum enim mihi est illum initio vocatum fuisse Heliam. Etenim ipse testatur in suo testamento se fuisse electum Lemovicensem. In bulla verò Ioannis XXII. qua eum præfecit Ecclesiæ Lemovicensi, de qua paulò antè dixi, vocatur simpliciter Helias. Et in libro obligationum archivi Vaticani ad annum MCCCXXIV. vocatur tantùm Helias electus Lemovicensis. Præterea in actis capituli provincialis ordinis Prædicatorum celebrati Lemovicis anno MCCCXXVII. in octavis sanctorum Apostolorum Petri & Pauli ita legitur : *Item pro venerabili Patre Domino Helia electo Lemovicensi & toto collegio Dominorum Canonicorum Lemovicensium quilibet sacerdos unam Missam.*

Puto eum tyrocinia studiorum suorum posuisse Tolosæ, eamque ob causam illic fundasse collegium ad alendos scholares studio juris civilis & canonici daturos operam. Certè illum juris civilis peritum fuisse docent gesta Episcoporum Autissiodorensium. Ioannes XXII. in bulla suprà citata testatur eum *litterarum scientia præditum.* Clemens VI. ad Ludovicum Hungariæ Regem scribens anno MCCCXLVI. eum commendat de *magna probitate & litterarum scientia.* Et ab auctore collationis suprà laudatæ dicitur *profundissimus & famosissimus in scientia.* Tanto enim litterarum amore flagrabat ut cùm factus fuit Episcopus Autissiodorensis, *quasi continuè manserit in castro de Odanto prope Verziacum, in quo dictus Talerandus speciosam aulam ac cameram construi fecit & ad opus studendi unum claustrum retro ad modum religiosorum, & ibi multùm profecit studendo.* Itaque mirum non est quòd ab Aymerico de Peyraco in vita Vrbani V. pag. 424. vocatur eximius clericus, à Petrarcha lib. 7. rer. senil. epist. 1. lucidum Ecclesiæ sidus & vir oculatissimus, à Ioanne Carmessonio in vita S. Petri Thomæ vir magnæ prudentiæ. Petrarcha eum multis ac magnis laudibus sæpe prosecutus est, in primis verò lib. 13. epist. 5. & lib. 14. epist. 2. rer. familiarium. Afferam autem ejus verba eò lubentiùs quòd nondum sint edita. Sic ergo habet priore loco : *Duo illi principes Ecclesiæ me certatim evocabant quos velut duos thesauros validissimos latéque Christi regnantes in pascuis grex dominicus nunc habet : quorum me alter veteribus beneficiis, alter insperata & nova ignoti nominis benevolentia famæ solius testimonium secutus obstrinxerat. Superbia visa est voces illorum spernere quos Reges ac Principes venerantur, & præsertim voces quibus summi pastoris inesse diceretur auctoritas.* Intelligi autem in hoc loco Talayrandum & Guidonem de Bolonia liquet ex testimonio Froissarti, qui vol. 1. cap. 216. testatur eos fuisse majores sive principes collegii Cardinalium, *qui estoient les plus grans du College.* Posterior autem locus sic se habet : *Magnanimum illum virum planè nosti supra quem præter unum Romanum Pontificem nihil videt status Ecclesiæ militantis, immo, nisi illi invidiam, mihi adulatoris infamiam quæsisse verear, ne hunc quidem. Aliquanto enim altius videtur Papas facere quàm Papam esse Tacet ille, fama loquitur ; negat ipse, sed affirmant omnes, duos ex ordine Romanos creasse Pontifices ; quos si quis tanti beneficii memores gra-*

tosque jactaverit, tota neget Ecclesia. Duos illos Pontifices intelligere necesse est Innocentium VI. & Vrbanum V. quorum prior electus est cùm Talayrandus Cardinales dehortatus esset ne Ioannem Birellium eveherent ad summi pontificatus fastigium, alter ad illud evectus est ob discordiam quidem Cardinalium, sed annitentibus in primis Talayrando & Guidone de Bolonia, ut testatur Froissartus in loco paulò antè laudato.

Tot ac tantis magni viri laudibus opponam necesse est quæ Matthæus Villanius lib. 4. cap. 87. adversùs eum scripsit, vocans eum hominem arrogantem & insolentem ac superbum, *baldundozo & superbo, non meno per la potenzia del suo lignagio che per lo capello rosso.*

Puto eum fuisse primò Archidiaconum Petragoricensem, argumento inde ducto quòd in pactis matrimonii Agnetis ejus sororis cum Ioanne Comite Gravinæ initis anno MCCCXXI. inter testes dignitate præstantes nominatur Helias de Petragoris Archidiaconus Petragoricensis. Certè ipse in testamenti tabulis testatur se promotionis suæ primordia sumpsisse in Ecclesia Petragoricensi. Deinde fuit etiam Archidiaconus Richemondiæ in Ecclesia Eboracensi. Anno verò MCCCXXIV. cùm Geraldus Rogerii Episcopus Lemovicensis obiisset in civitate Avenionensi, Ioannes XXII. episcopatum Lemovicensem ei dedit VI. Idus Octobris. Sed tamen illum nunquam fuisse consecratum Episcopum Lemovicensem hinc constat quòd ipse in testamento suo se vocat tantùm electum Lemovicensem, & quòd in actis suprà laudatis capituli provincialis ordinis Prædicatorum vocatur tantùm electus Lemovicensis post integrum ferme triennium quàm Ecclesiæ Lemovicensi datus erat Antistes à Papa Ioanne XXII.

Anno MCCCXXVIII. idem Papa eum transtulit ad Ecclesiam Autissiodorensem.

Anno MCCCXXXI. factus est Presbyter Cardinalis tituli sancti Petri ad vincula; idque datum precibus Philippi VI. Regis Francorum docet ejusdem Papæ Ioannis epistola ad eum data VIII. Kal. Iulii, quæ edita est in annalibus ecclesiasticis Odorici Raynaldi. In epistola autem illa sic inter cetera continetur: *Et ut in veniendo possit expensas habiliter supportare, eidem dictam Autissiodorensem Ecclesiam de fratrum eorundem consilio usque ad instans festum Magdalenæ duximus commendandam.* Aymericum porrò ei suffectum esse eodem anno MCCCXXXI. in festo nativitatis Domini produnt gesta Episcoporum Autissiodorensium. Ex quo colligi posse videtur vana esse hæc verba ex iisdem gestis: *Vacavit sedes quasi per annum propter contrarietatem promissionis durantem in sancto collegio promovendi Dominum Stephanum de Mornayo Cancellarium Franciæ; sed multos habuit adversarios.* Episcopatus enim Autissiodorensis vacare non potuit ante festum sanctæ Mariæ Magdalenæ. Cùm autem Aymericus ei præfectus fuerit sequenti mense Decembri, jam constat vacare non potuisse ultra quinque menses.

Anno MCCCXXXIV. die tertia Decembris Ioannes XXII. eum cum ceteris Cardinalibus evocavit ut audiret declarationem quam ipse moriturus facere decreverat circa opinionem de visione beatifica sanctorum. *Odoric. Raynald. an.* 1334. §. 36.

Mortuo verò eodem Pontifice, cùm Cardinales ingressi essent conclave pro eligendo successore, scissi sunt in varias partes; quarum unius princeps fuit Talayrandus, alterius Ioannes de Columna, ut videtur. Obscura sunt enim verba Ioannis Villanii lib. 11. cap. 21. & aliunde illustrari non possunt, cùm is solus referat eam historiam.

Anno MCCCXXXVI. cùm Benedictus XII. crucem prædicasset adversùs inimicos Christianæ religionis, Rex Francorum & alii qui tum erant Avenioni crucesignati sunt, ac præterea multi alii viri nobilissimi & quidam Cardinales, inter quos Froissartus vol. 1. cap. 28. nominat Petragoricensem. Ea occasione Talayrandus Guillelmo de Baldensel nobili Germano imposuit laborem describendarum earum regionum quæ vulgò orientales vocantur & Asiaticæ, præcipuè verò terræ sanctæ. Sic enim legitur in fine operis apud Henricum Canisium to. v. lectionis antiquæ pag. 142. *Explicit tractatus de quibusdam ultramarinis partibus, & præcipue de terra sancta, compilatus per nobilem virum Gulielmum de Boldenselo ad instantiam Reverendi Patris & Domini Domini Thalayrandi Petragorici tituli sancti Petri ad vincula Presbyteri Cardinalis anno* 1336. Extat in codice 8392. bibliothecæ regiæ versio Francica hujus operis, in cujus calce ita scriptum est: *Explicit une traitiés de la terre saincte & aussy en partie de Egipte fais par noble homme Monsieur Guillaume de Boldesele Chevalier de Allemaigne à la requeste de tres-Reverent seigneur Monsieur Thalayrant de Pierregort Cardinal au titelle saint Pierre à vincula, fais l'an de grace mil* CCCXXXVI. *environ la Penthecouste, & translaté par frere Iehan d'Yppre moisne de saint Bertin en saint Aumer l'an de grace mil* CCCLI. *acomplis.* Apud Canisium, ut id quoque moneam, pag. 103. legitur: *& uno brachio ejus, quo attingit Hispaniam, & strictum Demorach vulgariter dicitur.* Quem locum sic distinguendum & interpungendum esse censet idem Canisius pag. 142. *quo attingit Hispaniam & Strictum, Demorach vulgariter dicitur;*

& *Demorach* interpretatur *De Majorica*. Verùm ex veteri versione facilè colligitur retinendum esse ordinem qui servatus est in editione libri. Agitur enim isthic de freto Gaditano inter Hispaniam & eam partem Africæ quæ subest Regi Marochiæ. Quare optimè monachus Bertinianus vertit, *cils braz a nom le estroit de Maroch*. De hoc opere ejusque auctore sic legitur in chronico Mindensi apud Meibomium: *Per idem tempus Otto de Rienbusz de conventu Mindensi recedens, nomenque suum mutans, Vuilhelmum de Boldensleve se nominavit. Ex parte enim matris, quæ erat de genere illorum de Boldensleve, nobilis erat. Accessit ad curiam Romanam, & absolutione pro apostasia accepta, ad terram sanctam pervexit, quam ad instantiam unius Cardinalium gratiose sic legenti pòst descripsit. Hic postea in sui reversione ad ordinem redire disponens Coloniæ apud fratres Prædicatores defunctus est.* Ceterùm illud quoque monere visum est, eodicem bibliothecæ regiæ scriptum esse manu celeberrimi illius Nicolai Flamel pro Ioanne Duce Biturigum & Arvernorum.

Anno MCCCXLII. effecit in primis ut Andreas de Florentia Episcopus Tornacensis adsisceretur à Clemente VI. in sacrum Cardinalium collegium. Testatur illud auctor collationis de qua suprà dictum est, cujus hæc sunt verba ad Talayrandum: *Dominus Andreas de Florentia Cardinalis Tornacensis, cujus ego fui consanguineus. Unde sicut Andreas fuit junior Petro & fratre ipsius, ita Dominus Andreas fuit vobis junior dignitate. Fuit tamen frater, dilectione intima vos insimul connectente. Quippe ipse vos habuit in magna reverentia & plurimùm commendabat, & meritò, quia in omnibus quæ habuit agere circa Papam, & specialiter quando ipse Cardinalis fuit effectus, promotor ejus maximus vos fuistis.*

Anno MCCCXLIII. electus est Protector ordinis fratrum Minorum in comitiis generalibus ordinis Massiliæ celebratis; eamque electionem Clemens VI. ratam habuit. *Vvadding. an.* 1343. §. 8.

Nicolaus Harpsfeldius in historia Anglicana ecclesiastica pag. 509. scribit Clementem VI. anno MCCCXLIII. dedisse duobus Cardinalibus, è quibus alter fuit Peragorsius, id est, Petragoricensis, supra decem millia marcharum annuatim ex reditibus ecclesiasticis Angliæ redigenda. Verùm errat. Cardinales quibus tunc Clemens VI. dedit beneficia ecclesiastica in Anglia fuere Ademarus Roberti & Gerardus de Guardia.

Anno MCCCXLV. Andreas Ioannæ Reginæ Siciliæ maritus nefario scelere præfocatus est apud Aversam. Hinc variæ suspiciones in auctores sceleris in occulto patrati. Magna autem suspicionum pars incubuit in Talayrandum Cardinalem, ut avunculum Duraciorum; ad quos regia dignitas spectare videbatur, si Regina decederet absque liberis. Vide Ioannem Villanium lib. 12. cap. 59. Albertum Argentinensem pag. 130. & Odoricum Raynaldum an. 1346. §. 56. & 1348. §. 7.

Anno MCCCXLVI. interfuit solemni jurejurando quo se Karolus Marchio Moraviæ obstrinxit de tuendo jura Romanæ Ecclesiæ, si contingeret ipsum eligi Imperatorem. *Odor. Raynald. an.* 1346. §. 19. 26.

Anno MCCCXLVII. vel sequenti, nam dissentiunt in hoc loco scriptores, Ioanna Regina Siciliæ nupsit Ludovico Principi Tarentino, obtenta priùs à Clemente Papa dispensatione super consanguinitate. Erant enim consanguinei in tertio gradu. Sceleratum id matrimonium vocat Ioannes Villanius lib. 12. cap. 98. qui omnem hujus dispensationis invidiam rejicit in Cardinalem Petragoricensem avunculum Ludovici.

Anno MCCCXLVIII. factus est Episcopus Albanensis.

Anno MCCCLII. exeunte Papa Clemens VI. extinctus est. Cardinales verò cogitantes de successore, in Ioannem Bitellium Priorem generalem Cartusianorum conferebant vota sua. Talayrandum verò impedivisse ne ita fieret ait Petrus Dotlandus in chronico Cartusiensi lib. 2. cap. 22. veritum ne is modum poneret luxui & fastui Cardinalium. Itaque tum electus fuit Innocentius VI. adnitente in primis eodem Talayrando, ut colligere licet ex epistola Petrarchæ suprà laudata.

Anno MCCCLV. cùm ageretur de mittendis Romam Cardinalibus unà cum Petro Bertrandi Episcopo Ostiensi pro coronando Karolo IV. Imperatore, & Talayrandus Episcopus Albanensis & Guido Portuensis eum honorem sibi deberi contenderent ex privilegio suarum Ecclesiarum, statutum est ab Innocentio VI. Papa die decima Novembris eos de jure esse debere Legatos, ut docet liber Episcopi Ostiensis de ea legatione conscriptus. Sanè in pontificali Ecclesiæ Romanæ, ut alibi diecimus, tres Episcopi qui peragere debent coronationem Imperatoris dicuntur esse Ostiensis, Portuensis, & Albanensis. Matthæus Villanius de ea re agens lib. 4. cap. 71. scribit Talayrandum & Guidonem magnis animis & magna contentione eum honorem expetiisse & obtinuisse, sed tamen remisisse, quia Papa & Cardinales noluerunt suppeditare sumptus necessarios ad illud iter Romanum. Vide etiam Boninsegnium pag. 436.

Idem Villanius lib. 4. cap. 87. eum facit auctorem cædis quorundam nobilium Vasconum apud Avenionem occisorum anno eodem in quadragesima.

Eodem anno grave jurgium commotum est

inter Papam Innocentium VI. & Talayrandum occasione mortuum quos in Provincia adversùs Ludovicum Regem Regem Siciliæ patruelem suum excitaverat Ludovicus de Duracio Comes Gravinæ frater Roberti Principis Moreæ. Hic enim *castrum fortissimum Provinciæ, in quo idem Ludovicus thesaurum suum habuit*, inquit Albertus Argentinensis, *obtineas, Militem, de quo prædictus Ludovicus confidit, custodientem castrum, qui & Clementis Papæ habuit filiam, cum uxore dejecit, omnibus per eum occupatis in castro repertis. De quo cùm Papa ipsorum fratrum avunculum & quosdam alios Cardinales sibi faventes de fautoria haberet suspectos, ut eis ablationem pilei, ipsi verò sibi divisionem capitis minarentur, nimia Avinioni scandala sunt suborta; Papaque conquisitis stipendiariis ad custodiendum se in palatio, cùm Petragoricensis cum suis plures Cardinalium assistentes Papæ de suis curiis ejecisset, Papa Rhodanum in tuitionem Franci transivit.*

Anno tamen eodem, 11. Kal. Martii, obtinuit ab Innocentio uti liceret Cartusiensibus uti cùm tempore interdicti celebrarent Missam & alia divina officia, conversi & familiares eorum ordinis & etiam alii seculares qui intra septa monasteriorum illorum habitabunt, interesse iis possint, dummodo ipsi non dederint causam interdicto, nec eis contingat specialiter interdici. Bulla Innocentii VI. extat in collectione privilegiorum ordinis Cartusiensis.

Anno MCCCLVI. præcipitantibus rem Gallicam fatis, cùm bellum graviùs exarsisset inter Reges Franciæ & Angliæ, Innocentius VI. mense Iunio ad eos reconciliandos misit Talayrandum & Nicolaum de Capocia Cardinalem tituli S. Vitalis. *Prima vita Innocentii VI. pag.* 329. Pervenisse eos in Galliam ante mensem Septembrem hæc res indicio est quod Froissartus vol. 1. cap. 159. 161. testatur Talayrandum fuisse Cæsaroduni Turonum initio mensis Septembris & hinc citò profectum ad Pictavos, multùm laborasse ne pugna ea pugnaretur in qua Ioannes Rex Francorum captus est, sed in cassum.

Post infelicem illum diem Talayrandus Principem Vvalliæ assecutus Burdegalam, quò post pugnam Pictaviensem secesserat cum Rege Ioanne, ab eo benignè exceptus est, ut constat ex literis Innocentii Papæ quæ extant apud Odoricum Raynaldum an. 1356. §. 9.

Cùm verò ea tempestate Karolus IV. Imperator indixisset comitia imperii in urbe Metensi, Talayrandus illuc accessit, festumque natalis Domini illic cum eo exegit. *Spondan. an.* 1356. §. 10. *Odoric. Raynald. an. eodem* §. 11. 12. In his autem comitiis, præsente eodem Talayrando, quasdam leges edidit Karolus, quæ editæ sunt à Goldasto in tomo primo constitutionum imperialium. Quo loco observandum est malè in earum titulo scriptum esse *Theoderico* pro *Talayrando*, non solùm apud Goldastum, sed etiam in magno chronico Belgico pag. 306. & in codice 751. bibliothecæ Colbertinæ. Quare quod Odoricus Raynaldus an. 1356. §. 13. scripsit *Talayrando* videtur esse ex ejus emendatione, quæ certa est. Trithemius in chronico Hirsaugiensi ad annum MCCCLVI. Talayrandum in hoc loco designat sub nomine Archiepiscopi cujusdam Italiæ missi à Papa Innocentio VI. ex Avenione Legati.

Interim Papa Innocentius semper cogitans ea quæ pacis erant, simul liberaturus Regem Ioannem è carcere Anglicano, Talayrandum sociumque ejus in Angliam trajicere jussit anno MCCCLVII. ineunte Iunio, ut colligi potest ex Thoma Vvalsinghamo. Quod hinc quoque confirmatur quòd ex quadam collatione edita inter probationes historiæ Cardinalium Gallorum pag. 313. Talayrandum constat fuisse apud sanctum Audomarum in Belgio, unde facilis brevisque via in Angliam, die XIX. Iunii, & ex chronico Vvillelmi Thorn pag. 2120. apud Cantuariam die XXVIII. ejusdem mensis, ubi *interfuit matutinarum solemniis, & in crastino Missarum sacramenta ad magnum altare festivè celebravit, in magna aula nobiliores patriæ splendidè convivando.* Et die secunda Iulii pervenit Londinum, ubi cum maximo honore receptus fuit per Regem Angliæ. *Odor. Raynald. an.* 1357. §. 1. Itaque Talayrandus & socius ejus Nicolaus de Capocia inducias tandem statuerunt inter Reges. *Odoric. Raynald. ibid.* Vide etiam Matthæum Villanium lib. 8. cap. 44. 47. Sed eæ malè servatæ fuerunt propter fraudes Eduardi III. Regis Anglorum. *Odoric. Raynald. an.* 1358. §. 3. Moram biennalem traxisse eos in Anglia scribit Vvalsinghamus. Verùm rectè observat Odoricus Raynaldus an. 1357. §. 2. eos illic moratos non esse integro biennio quòd Matthæus Villanius lib. 7. cap. 95. ait ipsos extremo Augusto excessisse ex Anglia. Addit idem Odoricus an. 1358. §. 3. eos mense Octobri ad sedem apostolicam reversos esse. Verùm ex literis Talayrandi editis apud Severtium in catalogo Episcoporum Matisconensium cap. 53. §. 7. apparet illum adhuc in Gallia fuisse anno MCCCLIX. mense Martio. Vide lib. 5. de concordia sacerdotii & imperii cap. 50. §. 8.

Interim verò dum Cardinales ex Anglia redeuntes in Gallia moram trahebant, Innocentius eis imposuit laborem revocandæ concordiæ inter Karolum Delphinum & Regem Navarræ. *Bzov. an.* 1358. §. 1. *Odoric. Raynald. an. eod.* §. 3.

Eodem tempore Talayrandus jussu ejusdem Innocentii operam suam insumpsit in componendis dissidiis quæ propter Cristam oppidum erant inter Episcopos & Duces Valentinenses, ut scribit Ioannes Columbi in libro tertio de rebus gestis Episcoporum Valentinensium.

Anno MCCCLX. Innocentius VI. Talayrando Episcopo Albanensi, Raymundo Presbytero tituli sanctæ crucis in Hierusalem, & Audoyno tituli sanctorum Ioannis & Pauli imposuit curam sopiendæ controversiæ quæ tum erat inter magistrum Hospitalariorum & Castellanum Empostæ. Qua de re vide Iacobum Bosium parte 2. histor. Hierosolymit. lib. 3.

Anno MCCCLXII. extincto Innocentio VI. die XII. Septembris, cùm plures ex Cardinalibus ad summum pontificatum aspirarent, certamen in primis fuit inter Talayrandum & Guidonem de Bolonia. Tandem ea concertatio sic conquievit ut quia neuter ad eum gradum pervenire poterat propter contradictionem ceterorum, neminem ex Cardinalibus in eo locarent, sed quempiam extra collegium, nimirum Guillelmum Grimoardi Abbatem sancti Victoris Massiliensis. *Froissart. vol. 1. cap. 216.* Itaque Vrbanus V. electus fuit adnitente in primis Talayrando, ut colligere licet ex epistola Petrarchæ suprà laudata. Quamquam auctor primæ vitæ Vrbani V. pag. 376. ait Guillelmum de Agrifolio Cardinalem Cæsaraugustanum fuisse post Deum præcipuum promotorem & auctorem assumptionis ejus in Papam.

Eodem annno, cùm Francorum & Cypri Reges venissent Avenionem, decretum est bellum adversùs Turcos; ejusque expeditionis legatio commissa est Talayrando. *Prima vita Vrbani V. pag. 367. Froissart. vol. 1. cap. 217.* Sed antè quàm cuncta parata essent ad eam expeditionem suscipiendam obiit Talayrandus anno MCCCLXIV. die XVII. Ianuarii, ut legitur in secunda vita Vrbani V. pag. 402. & in libro obligationum archivi Vaticani.

Statuerat ille in testamento suo uti si ipse decederet in civitate Avenionensi vel prope eam, exequiæ ejus fierent in domo fratrum Minorum Avenionensium, & exinde post novem dies corpus ejus transferretur ad Ecclesiam sancti Frontonis Petragoriensis illicque sepeliretur. Nesciunt tamen Petrocorii, nesciunt Franciscani Avenionenses ubinam sepultus sit Talayrandus. Cùm enim ad amicos meos qui in his locis habitant scripsissem de ea re, illicque in mei gratiam consuluissent eos à quibus aliqua istius rei notitia haberi poterat, tandem rescripserunt illos in summa ignorantia esse loci in quo cubat corpus ejusdem Cardinalis. Si quis tamen conjecturæ locus, probabile est illud illatum in Ecclesiam Franciscanorum, deportandum ad Petrocorios, neglectum fuisse, & tandem humo apud eosdem Franciscanos conditum absque ullo titulo, absque ulla distinctione.

Olim Archambaldus III. Comes Petragoricensis, qui brevissimum ævum peregit, apud Vallemclaram in Petrocoriis initia posuerat monasterii Cartusianorum, & mox extinctus erat circa annum MCCCX. ut vulgò traditur, Talayrando fratre ejus tum admodum puero. Eo in statu diù mansit hæc domus. Tandem Talayrandus eam suis sumptibus perfecit; & cùm adhuc nonnulla deficerent, monachis illis ingentem summam pecuniæ testamento legavit. Testatum id faciunt tabulæ testamenti ejus & codicilli. Sed præterea in libris veteribus Cartusianorum ista de domus istius initiis & de Talayrando leguntur, quæ à R. P. Ioanne Puteano referuntur: *Ipse domum seu monasterium Vallisclara nostri ordinis inchoatum per inclitæ recordationis Principem Archimbaudum Comitem Petrachorensem germanum suum præclarissimum quasi in primo lapide præmatura morte, sed tamen devota & Deo grata sublatum erexit, munivit, magnificèque dotavit, & nihilominus quasi desuper abundanti pro supplemento aliquorum ædificiorum restantium duodecim millia florenorum in manibus ordinis novissimè numeravit.* Ex quibus videtur colligi non absurdè posse vanam & somnii similem esse historiam quæ de initiis istius monasterii legitur apud Dorlandum in chronico Cartusiensi.

Anno MCCCXLVII. juxta Ecclesiam Petragoricensem sancti Frontonis fundari & construi fecit quandam capellam, & in ea duodecim perpetuas capellanias instituit pro duodecim perpetuis capellanis, ac nonnulla statuta & ordinationes pro bono statu capellaniæ & capellanorum ipsorum edidit; eaque omnia à Clemente VI. confirmata fuerunt literis datis Avenioni prid. Idus Novembris anno septimo.

Anno MCCCLX. die XXV. Octobris condidit testamentum; & in eo multa variis Ecclesiis ac monasteriis legavit. Et tamen interim nulla in eo mentio collegii quod illum Tolosæ fundari ordinasse in suo testamento seu ultima voluntate testatur Karolus V. Rex Francorum in literis datis apud sanctum Germanum in Laia anno MCCCLXIX. die XXVIII. Martii. Præterea Gregorius XI. in bulla de confirmatione fundationis & statutorum ejusdem collegii mentionem facit testamenti ejus, cujus auctoritate executores ejusdem testamenti ea fecerant quæ ipsis incumbebant pro perficienda fundatione collegii. Ipse verò in suo testamento heredes universales instituens Abbatem de Cancellata ordinis sancti Augu-

stini in omnibus bonis suis mobilibus, excepit libros juris civilis & canonici, *de quibus*, inquit, *intendimus aliter ordinare*. Nimirum eos, ut licet existimare, dare volebat ei collegio, cujus sodales volebat dare operam studio juris civilis & canonici. Itaque oportet eum condidisse aliud testamentum, in quo de fundatione tantùm illius collegii agebatur. Extant in regesto XCIII. archivi regii Paris. cap. 170. literæ Ioannis Regis Francorum datæ apud Villamnovam prope Avenionem anno MCCCLXIII. die IX. Maii, quibus approbat & confirmat emptionem domorum & redditunm à Talayrando factam in urbe Tolosana pro fundatione ejusdem collegii. In regesto verò XCIX. cap. 250. literæ Karoli V. filii Ioannis datæ Parisiis an. MCCCLXVIII. die XXVII. Augusti, quibus confirmat literas Ludovici Ducis Andegavensis fratris sui concessas executoribus testamenti hujus Cardinalis occasione acquisitionum ab eis factarum pro fundatione ejusdem collegii; quod hodie superest, & vulgò vocatur collegium Petragoricense.

Superest ut nonnulla dicamus de genealogia Talayrandi. Habuit ergo ille patrem Heliam Talayrandi. Is, uti suprà pag. 617. dictum est, primam uxorem habuit Philippam Vicecomitissam Leomaniæ, ex qua genuit Marquesiam sanctimonialem Clarissam in monasterio Petragoricensi. Secunda illius uxor fuit Brunissendis de Fuxo, mater Archambaldi III. mortui sine liberis, Rogerii Bernardi Canonici primùm, ut reor, Parisiensis, postea verò Comitis Petragoricensis post fratrem, Agnetis Ducissæ Gravinæ, Ioannæ desponsæ Poncio domino de Castellione, & Margaritæ nuptæ Amalrico Lautricensi matri Sicardi de Lautrec Episcopi Biterrensis.

Amitam habuit Talayrandus Ioannam de Perigueux, quæ in regesto LXXV. archivi regii Parisiensis cap. 349. dicitur *relicta Saussaneri de Pinibus Militis, quondam domina castrorum sive locorum de Lavardaco &c.* In his autem literis sic loquitur Rex Philippus: *Amicusque noster specialis Taleyrandus sacrosancta Romana Ecclesia Cardinalis Petragoricensis, nepos ejusdem quondam Iohanna &c.* In calce earum sic scriptum est: *Datum Parisius anno Domini* MCCCXLIV. *mense Ianuarii.* Castri de Lavardaco ad Talayrandum Cardinalem pertinentis mentio extat in epistolis Clementis VI. lib. 4. epist. 83.

Amitam præterea habuit Aremburgim Abbatissam monasterii sanctæ Claræ Petragoricensis, de qua dictum est suprà pag. 617.

Agnes matrimonium contraxit cum Ioanne Duce Gravinæ filio Karoli II. Regis Siciliæ anno MCCCXXI. uti suprà pag. 685. dictum est; ex eoque matrimonio orti sunt Karolus Dux Duracii, Ludovicus Comes Gravinæ, & Robertus Princeps Achaiæ sive Moreæ. Ex Karolo deinde ortus est Ludovicus pater Karoli III. Regis Siciliæ, quem ætas illa vocavit Karolum de pace. Agnes autem vivebat adhuc anno MCCCXLIII. die I. Augusti.

Ex Rogerio Bernardi fratre Talayrandi Cardinalis prognati sunt Archambaldus IV. Comes Petragoricensis, quem ipse heredem suum instituit, & Talayrandus.

Anno præterea MCCCXXXIII. vivebat Archembaudus de Petragorio Canonicus sancti Frontonis Petragoricensis, ut patet ex regestis parlamenti Parisiensis.

PETRUM ÆDUENSEM] vulgò dictum Petrum Bertrandi. Ortus erat ille è vico Annoniaci in diœcesi Viennensi, patre Marthæo Bertrandi, matre Agnete cognomento Imperatrice. Hæc tantùm vetus lapis. Postea Frizonius, quem secutus est Oldoinus, Matthæum scripsit fuisse nobilem. quod minimè verum est. Extant enim in regesto LXXIII. archivi regii Paris. cap. 67. literæ Philippi VI. Regis Francorum datæ in abbatia regali beatæ Mariæ prope Pontisaram anno millesimo CCCXXXIX. mense Martio, quibus Guillelmum Bertrandi, aliàs Maletonis, dominum castri sancti Romani & posteritatem ejus perpetuò nobilitat & nobilitatis titulo decorat, concedens ei ut militiæ dignitatem à quocunque recipere possit, & ut gaudeat omnibus omnino privilegiis, libertatibus, & juribus quibus gaudent nobiles regni Francorum. Et in regesto LXXIV. cap. 56. habentur literæ ejusdem Philippi datæ apud sanctum Germanum in Laia anno Domini MCCCXLII. mense Februarii quibus Ioannem Bertrandi de Columbario filium quondam Guillelmi Bertrandi ejusque liberos utriusque sexus in perpetuum nobilitatis plenariæ beneficio decorat, ut proinde quoad omnia tam præterita quàm futura ipsius nobilitationis juribus integrè potiatur ac si in nativitate fuisset ex nobilibus genere parentibus procreatus. Itaque anno MCCCXLIII. die XXI. Ianuarii idem Ioannes Bertrandi vocatur Domicellus in veteri instrumento quod Andreas Duchesnius edidit inter probationes historiæ Comitum Valentinensium pag. 25. in quo idem Ioannes dicitur nepos Petri Cardinalis tituli S. Clementis & Petri Episcopi Attrebatensis. P. 170.

Iuri canonico & civili operam dedisse Petrum Bertrandi satis constat; extatque in codice 1672. bibliothecæ Colbertinæ tractatus de ecclesiastica & seculari potestate, in cujus calce adnotatum est auctorem illius esse Petrum Bertrandi Doctorem Aurelianensem. Hinc in literis Philippi V. Regis Franciæ datis apud boscum Vicenarum die lunæ in crastinum nativitatis beati Ioannis Baptistæ anno MCCCXIX.

MCCCXIX. nominatur inter testes magister P. Bertrandi. Editæ sunt ab eodem Duchesnio inter probationes historiæ Comitum Valentinensium pag. 28.

Famosa est annalium monumentis concertatio quæ anno MCCCXXIX. fuit Lutetiæ inter Episcopos & Petrum de Cugneriis Advocatum regium acriter conquerentem quòd jurisdictio ecclesiastica ad se traheret cunctas causas absque delectu. Inclaruisse autem multùm ea occasione constat Petrum Bertrandi. Sed tamen maxima pars hujus egregii facinoris debetur Petro Rogerii electo Senonensi, qui unus pro omnibus respondit argumentis allatis à Petro de Cugneriis adversùs jurisdictionem ecclesiasticam. Chronicon Rothomagense editum à Philippo Labbeo ad annum MCCCXXIX. *Hoc anno facta convocatione Prælatorum totius regni Franciæ coram Rege fuerunt multi articuli propositi contra jurisdictionem ecclesiasticam. Sed Prælati virtuosissimè responderunt & viriliter restiterunt, & magister Petrus Rogerii electus Senonensis magister in theologia responsionem fecit solemniter pro Prælatis.* Patet etiam istud ex actis istius disputationis, quæ edita sunt Parisiis anno MCCCCXCV. & dein recusa in bibliotheca patrum, & reperiuntur manuscripta in quinque antiquis codicibus bibliothecæ Colbertinæ. Quoniam verò in his actis nomen electi Senonensis non proditur, fuit qui putaret ista referenda esse ad Guillelmum de Brocia electum hoc ipso anno Archiepiscopum Senonensem. At Spondanus rectè observat disertè scriptum esse in antiquis chronicis hunc electum fuisse Petrum Rogerii, eaque chronica sibi Parisiis exhibita fuisse ait ab Andrea Duchesnio. Habemus nos præ manibus illa ipsa chronica quæ Duchesnius ostendit Spondano, ab ipso Duchesnio descripta ex veteri codice Petaviano; in quo oratio electi Senonensis, quæ incipit *Quia Dominus Petrus de Cuigneriis pridie proponendo contra Ecclesiam Gallicanam*, habet hanc inscriptionem: *Propositio sive responsio per Dominum Petrum Rogerii Senonensem electum facta coram Rege pro Prælatis apud nemus de Vicennis anno Domini* MCCCXXIX. *die Veneris ante natale, qua fuit dies* XXII. *mensis Decembris.* In codice verò 1324. bibliothecæ Colbertinæ scriptum est à manu coætanea in initio istius orationis: *Iste electus Senonensis, ut audivi, fuit Papa Clemens VI. niger monachus.* Præterea Bernardus de Rosergio Præpositus Tolosanus in libro de ecclesiastica libertate, qui servatur in bibliotheca regia, ita scribit fol. 79. *Ergo ex doctrina evangelica & exemplo Christi videretur per ecclesiasticos ad vitandum scandalum tributum quod de præsenti petitur pariter esse solvendum. Super hoc passu Reverendus Dominus Petrus Rogerii Archiepiscopus Rothomagensis coram claræ memoriæ Domino * Karolo sexto Francorum Rege pro libertate ecclesiastica tunc proponens Parisius solemniter respondit sic evidenter: Christus Dominus solvit tributum, non ad præstandum exemplum ecclesiasticis ut solverent, imò probavit eos non teneri, concludendo quòd filii sunt liberi &c.* Quæ sunt ipsissima verba electi Senonensis in oratione de qua heic nobis sermo est. Sunt tamen in his actis nonnulla quæ auctorem habent Petrum Bertrandi, uti illic disertè scriptum est; & præterea ipse Petrus Bertrandi in lectura super sextum librum decretalium & super constitutiones Clementis V. & Ioannis XXII. (quam composuit pontificatu Benedicti XII.) scribit in initio se decrevisse nonnulla scribere de potestate temporali & spirituali, quibus regitur populus; *ut si in posterum*, inquit, *aliqua altercatio oriatur, sicut temporibus meis, dum eram Episcopus Æduensis, orta fuit in regno Franciæ, possit veritas clarius apparere & defendi: quarum potestatum materiam, additis aliquibus, sumpsi ex quodam libello quem super hoc composuit bonæ memoriæ Dominus Durandus de sancto Porciano ordinis Prædicatorum, excellens magister in theologia, Episcopus Meldensis; quem libellum intitulavit de origine jurisdictionum quibus populus regitur.* Et in fine ait: *Istas rationes proposui ego coram Domino Rege Philippo qui nunc est in illa prosecutione quam habuit Ecclesia Gallicana, quæ per Dei gratiam fuit sopita sine scandalo.*

* Leg. Philippo.

Anno MCCCXXXI. factus est Presbyter Cardinalis tituli sancti Clementis à Ioanne XXII. interventu precum Regis & Reginæ Francorum. *Odor. Raynald. an.* 1331. §. 34.

Eodem anno Ioanna Regina Franciæ & Comitissa Attrebatensis & Burgundiæ Palatina ei & Nicolao de Lyra commendavit fundationem collegii Parisiensis vulgò vocati de Burgundia, quod ipsa inceperat, sed perficere propter mortem non potuit. Vide to. IV. hist. Vniversit. Paris. pag. 235.

Anno MCCCXXXIV. die tertia Decembris interfuit solemni declarationi quam Ioannes XXII. moriturus edidit circa opinionem de visione beatifica. *Odor. Raynal. an.* 1334. § 36.

Anno MCCCXXXIX. cum fuisset Decanum Aniciensem & impetrasse ne corpora Canonicorum Aniciensium sepelirentur intra Ecclesiam reperio adnotatum ab Odone Gissejo lib. 3. hist. Anic. cap. 22.

Anno MCCCXL. condidit monasterium Montisalri prope Villamnovam Avenionensis diœcesis. *Franc. Nouguier in Hist. Ecclesiæ Avenien. pag.* 131.

Anno MCCCXLI. die XXIX. Iulii Guigo de sancto Germano Episcopus Casinensis,

olim Canonicus Aniciensis, ita scripsit in suo testamento : *Item recognosco & confiteor me teneri ex causa veri & puri mutui Reverendissimo Patri & Domino meo pracipuo Domino Petro tituli sancti Clementis Presbytero Cardinali in centum florenis auri de Florentia.*

Anno MCCCXLIII. die XXI. Ianuarii Aimarus dominus Rossilionis & Annonaii villam de Columbario ac mansa de Gurino magno & parvo donavit Ioanni Bertrandi de Columbario domicello, contemplatione Petri S. Clementis Cardinalis ac Petri Episcopi Attrebatensis patruornm dicti Ioannis. *Preuves de l'Histoire des Comtes de Valentinois pag. 25.*

Anno MCCCXLVI. die XXII. Aprilis Petrus Bertrandi Cardinalis interfuit solemni juramento quod Katolus Marchio Moraviæ, futurus Imperator, præstitit apud Avenionem de tuendo jura Ecclesiæ Romanæ. *Odor. Raynald. an. 1346. §. 19. 26.*

Anno MCCCXLVII. x. Kal. Maii Clemens VI. Petro Presbytero Cardinali tituli S. Clementis concessit ut in castro Annoniaci diocesis Viennensis originis suæ loco & fundo proprio monasterium monialium sanctæ Claræ ædificare posset. Extat bulla apud Vvaddingum to. 3. in regesto pag. 352.

Nescio quod magnum scelus adversus regiam majestatem commisit eodem anno hic noster Cardinalis. Et tamen, si Vvaddingus aliis magis intentus non erravit, eum & alios quosdam Cardinales eorumque familiares Rex Francorum Philippus in custodiam conjecit anno MCCCXLVII. ut in regesto Clementis VI. invenisse se ait idem Vvaddingus. Ait enim an. 1339. §. 2. invenisse se in eo regesto instrumenta legationis Pastori de Sarrescuderio Archiepiscopo Ebrednnensi & Guillelmo Episcopo Carnotensi ad Philippum Regem Galliarum commissæ super relaxandis seu liberandis Petro Cardinale Presbytero tit. S. Clementis aliisque Cardinalibus & eorum familiaribus, quos Rex sub custodia detinebar. Hanc eorum legationem commemorat Odoricus Raynaldus an. 1347. §. 24. nulla mentione carcerum in quibus Cardinales detinebantur, non omissurus haud dubiè, quo erat in nos animo, eam historiam, ut per eam quoque occasionem nervos eloquentiæ suæ intenderet in rem Gallicam, si quid istiusmodi reperisset in regesto Clementis. Itaque suspicari cogor Vvaddingum, quamvis eruditissimum & bonæ fidei scriptorem, vitio humani ingenii lapsum in hoc loco esse & historiam alius cujuspiam loci & temporis per incogitantiam huc transtulisse. Quare miror Spondanum an. 1350. §. 10. eam historiam referre ut omni suspicione falsitatis carentem.

Obiit anno MCCCXLVIII. die XXIII. Iulii, ut ex libro obligationum scribit Contelorius. At in veteri inscriptione collegii Augustodunensis adnotatum est eum decessisse in prioratu Montisalti anno MCCCXLIX. die XXIV. Iunii, hora vespertarum.

In secundo chartulario Ecclesiæ Carnotensis fol. 293. reperio hunc Petrum Bertrandi Cardinalem tituli S. Clementis fuisse Capicerium ejusdem Ecclesiæ.

In codicibus 241. 242. bibliothecæ Colbertinæ habetur lectura istius Petri Bertrandi in Decretales, in codice verò 446. apparatus in sextum Decretalium & in Clementinas. Lecturam ejus super sexto commemorat Ægidius Bellamera in cap. *Quod sicut.* de elect.

Nepotem habuit Petrum Bertrandi Presbyterum Cardinalem tituli S. Susannæ, dein Episcopum Ostiensem; de quo plura dicturi sumus ad vitam Clementis VI.

ELEGIT IBIDEM SEPELIRI] Vidi ego sepulcrum ejus in Ecclesia Avenionensi. Sed eum ibi sepultum non esse integrum liquet, si vera sunt quæ tradit Ioannes Villanius lib. II. cap. 20. nimirum totum corpus vel partem ejus à propinquis ejus delatum esse ad Cadurcos : *e fu soppellito in Vignone, ma poi i suoi parenti ne portarono tutto o parte del suo corpo à Caorsa.* quam scriptionem reprehendit Sebastianus Fantonius lib. 2. cap. 3. §. 41. historiæ Avenionensis.

Ioanni XXII. defuncto solenniter parentatum esse in cathedrali Ecclesia Parisiensi reperio in transactione inita anno MCCCXXXV. die quinta Novembris inter Guillelmum Episcopum Parisiensem & eandem Ecclesiam. Nam earum præcipuè exequiarum occasione orta erat inter eos controversia, ut testantur eorum litteræ de compromisso in arbitros : *& potissimè ratione torchiarum & cereorum ac pannorum deauratorum seu sericorum qui fuerunt positi supra feretrum ad dictam nostram Ecclesiam Parisiensem in servitiis exequiarum felicis recordationis sanctissimi Patris Domini Iohannis Papa XXII. ac bona memoria Domini Guillelmi de sancta Maura olim Canonici Parisiensis ac Francia Cancellarii celebratis in dicta nostra Ecclesia.* Super qua controversia sic statuerunt arbitri : *Item quoad pannos deauratos & sericos qui fuerunt in dicta Ecclesia Parisiensi in exequiis felicis recordationis Domini Iohannis Papa XXII. & Guillelmi de sancta Maura quondam Francia Cancellarii ordinamus & pronuntiamus quòd restituantur fabrica dicta Ecclesia.* Extat ea transactio in veteri regesto archivi regii Parisiensis, in magno chartulario Ecclesiæ Paris. lib. 20. cap. 249. & in primo chartulario Episcopi Paris. fol. 39.

PETRVS ARCHIEPS ROTHOMAG.] P. 175. Is ea occasione sermonem habuit coram Papa Ioanne, in quo inter alia sic locutus est: *Modo,*

Pater sanctissime, devotissimus filius vester Rex Franciæ, qui nos sanctitatis vestræ servos ad pedes ejusdem sanctitatis suos nuncios destinavit, spiritu sancto instigatus, de divino auxilio confisus, de vestro & Ecclesiæ consilio, adjutorio, & patrocinio non dubius, devotione motus, vestra salubri exhortatione admonitus, Prælatorum & Baronum suorum & etiam Domini Patriarchæ instantia opportunè & importunè pulsatus, & etiam voto & obligatione & crucis assumptione astrictus, prædecessorum suorum inhærendo vestigiis, sicut aliàs sanctitati vestræ scripsit, opus grande, opus meritorium, opus valde virtuosum, opus omni laude assumpsit dignissimum, ire personaliter in Hierusalem & terram sanctam Christi sanguine consecratam, sepulchrumque dominicum de impiorum & blasphemorum manibus liberare. Patriarcha suprà memoratus erat Petrus de Palude Patriarcha Hierosolymitanus. Subdit autem Petrus Rogerii: *Modo istud negotium fecit faciliter assumere Dominum Regem spiritus sancti urgens stimulatio. Nota modum. Cùm enim quadam die Veneris Dominus Rex Prælatos & Barones Parisius & aliàs pro arduis regni sui negotiis convocasset, Dominus Patriarcha Hierosolymitanus affuit, & Regem obnixè rogavit ut coram tot valentibus vellet sibi dare audientiam super negotio Christi. Qui ibidem proposuit multa propter quæ Rex tenebatur ad passagium assumendum. Consequenterque omnes Prælati numero XXVI. hoc idem multis rationibus ostenderunt, Baronesque consimiliter ipsum obsecrantes ut prædictum negotium assumeret, in quo parati erant eum sequi & exponere se & sua.* Et infrà: *Tertiò videtur interpellare tempus ex perfidorum Agarenorum utinam veraci vaticinio. Dicunt enim viri multi solemnes quòd prophetæ eorum prædixerunt legem illam diabolicam & contra omnem rationem datam illius pessimi & sceleratissimi Machometi in anno trigesimo quinto proximo finiendam.* Vide Ioannem Villanium lib. 3. cap. 47. & lib. 7. cap. 2. Vide etiam Odoricum Raynaldum anno 1332. §. 2. & 1333. §. 3. & probationes historiæ Cardinalium Gallorum pag. 330.

CIRCA VISIONEM] Repetenda ista sunt ab initio, ut origo & processus istius gravissimæ controversiæ meliùs intelligantur.

Anno MCCCXXIV. die XVI. Decembris apud Alestum in diœcesi Nemausensi obiit quidam civis ejusdem loci nomine Guido de Corvo, *& per dies octo*, ut legitur in veteri narratione tum conscripta, *spiritus ejus post sepulturam corporis sine aliqua forma visibili apparuit in voce propria uxori, eam graviter affligens.* Tandem post multas ceremonias & exorcismos cessavit ea visio anno MCCCXXV. in die Paschæ. Multùm per eas tempestates celebrata fuit hæc revelatio; cujus meminere Ioannes Villanius lib. 9. cap. 234. sanctus Antoninus tit. 21. cap. 5. §. 8. & M. chronicon Belgicum. pag. 293. Eandem extare manuscriptam in variis Belgii bibliothecis testatur Nicolaus Sanderus. Typis autem edita fuit apud Delff anno MCCCCLXXXVI. & in fine istius editionis ista leguntur: *Tempore Io. Papæ XXII. quidam erroneè sentiebant de animabus purgatis etiam sanctis, scilicet quòd non viderent gloriam Dei & faciem Christi ante diem judicii. Vnde ipse Papa etiam erroneus creditur per præscripta correctus. Nam in præscriptis dictis quæ dixerat spiritus Guidonis patet quòd anima ejus in Pascha fuit in cælis cum sanctis & angelis.*

Quoad Ioannem Papam, testatur Nicolaus Minorita fol. 253. illum cœpisse prædicare de hac materia anno MCCCXXIX. Dominica tertia adventus. Referenda sunt autem ejus verba, licèt paulò prolixiora. Nondum enim typis edita sunt. Sic ergo ait Nicolaus: *In primis anno Domini MCCCXXIX. Dominica tertia de adventu in quodam sermone qui incipit, Gaudete in Domino semper, dixit: Beati in patria videbunt magnam novitatem, scilicet Deum trinum & unum. Et est mirabilis novitas videre tres personas adinvicem non distinctas. Nam filius non distinguitur à patre, neque spiritus sanctus à patre & filio, qui procedit ab eis. Et tamen tres personæ sunt, & ii tres unum sunt. Et hæc est magna novitas, de cujus visione gaudebunt beati.* Idem fol. 255. sic persequitur istam materiam. *Item anno Domini MCCCXXXI. in festo omnium sanctorum fecit unum sermonem publicè, qui incipit, Mementote operum vestrorum &c. Et in sequenti tertia Dominica de adventu eodem anno fecit unum sermonem publicè, qui incipit, Gaudete in Domino semper &c. Quem sermonem fecit in scriptis redigi, & mandavit omnibus volentibus accipere copiam dari. Et in anno Domini MCCCXXXII. in vigilia epiphaniæ fecit alium sermonem publicè, qui incipit, Tolle puerum & matrem ejus &c. In quibus sermonibus publicè & pertinaciter contra fidem catholicam quam sancta Romana tenet Ecclesia dicit, asserit & dogmatizat in hæc verba: Merces sanctorum ante Christi adventum erat sinus Abrahæ. Post adventum verò Christi & ejus passionem & ascensionem in cælo merces sanctorum est & erit usque ad diem judicii esse sub altare Dei, quia animæ justorum usque ad diem judicii erunt sub altari, id est, sub protectione & consolatione humanitatis Christi. Sed postquàm Christus venerit ad judicium, erunt sub altare, id est, super Christi humanitate, quia post diem judicii videbunt sancti & contemplabuntur, non solùm humanitatem Christi, sed etiam ejus divinitatem ut in se est. Videbunt enim patrem & filium &*

spiritum sanctum. Anima ergo sanctorum ante diem judicii sunt sub altari, id est, consolatione & protectione humanitatis Christi; sed post diem judicii, ipse elevabit eos ut videant ipsam divinitatem. Et secundùm hoc dicentur ascendere sub altare. Quod autem Nicolaus Ioannem introducit dicentem animas sanctorum post judicium futuras esse *sub altare*, emendandum istud est, & legendum *supra altare*, ut & sensus postulat, & docet Ockamus, qui hæc eadem verba refert in compendio errorum ejusdem Ioannis hoc modo: *Anima justorum usque ad diem judicii erunt sub altari, id est, sub protectione & consolatione humanitatis Christi. Sed postquàm Christus venerit ad judicium, erunt supra altare, id est, supra Christi humanitatem, quia post diem judicii videbunt sancti & contemplabuntur, non solùm Christi humanitatem, sed etiam ejus divinitatem ut in se est &c.* Addit Nicolaus Ioannem in sermone qui incipit *Gaudete* ista dixisse inter alia: *Magnum gaudium est videre Christum glorificatum in calis, in quem desiderant etiam angeli prospicere. Sed istud non erit plenum usque ad diem judicii. Tunc intrabit Domina nostra, tunc intrabunt Apostoli, tunc intrabunt sancti in gaudium domini sui.* Qui locus non adjuvat eorum opinionem qui putant corpus beatæ Mariæ assumptum fuisse in cælum.

Hanc opinionem Ioannis XXII. multos scandalizasse docet continuator Nangii in tomo XI. Spicilegii Dacheriani pag. 755. 758. sed tamen scandalum illud paulatim cessasse donec anno MCCCXXXIII. eadem opinio vires resumpsit in curia Avenionensi. Quoniam verò Papa sciebat theologos Parisienses in diversa esse sententia, occulto, ut quidam credidere, consilio Lutetiam misit conterraneum suum Gerardum Odonis ministrum generalem ordinis fratrum Minorum & quendam fratrem ordinis Prædicatorum; qui specie quidem reformandæ pacis inter Reges Angliæ & Scotiæ missi esse dicebantur, sed re vera missi putabantur ut opinionem Papæ publicè in ea urbe prædicarent, ad eamque adducerent magistros theologiæ. Verùm ea res in diversum abiit. Etenim cùm Gerardus eandem quæstionem in præsentia scholarium quasi infinitorum determinaret & teneret pro conclusione affirmando quòd animæ decedentium seu animæ sanctorum non vident nec videbunt Deum visione beatifica & gloriosa usque ad assumptionem corporum in die extremi judicii, magnum murmur inter scholares auditum est dicentes talem errorem sine punitione transire non debere. Rex Philippus VI. propterea congregavit magistros in theologia apud nemus Vicennarum. Hi verò uno consensu responderunt animas sanctorum & fidelium defunctorum quæ nihil habent purgabile, vel quæ jam in purgatorio sunt purgatæ, ad visionem nudam & claram beatificam esse assumptas ipsaque deitate beata perfectè frui, quòdque dicta visio quam nunc habent resumptis corporibus minimè evacuabitur alia succedente. Edita sunt acta congregationis illius inter probationes libertatum Ecclesiæ Gallicanæ pag. 1267. secundæ editionis Parisiensis. Eorum verò exemplar authenticum cum filis sericis ex quibus pendebant sigilla Prælatorum & Doctorum qui in ea congregatione erant servatur in bibliotheca viri superillustris & literarum nostrarum amantissimi ac peritissimi Achillis Harlæi Principis senatus Parisiensis. Extant autem in editione aliquot menda de quibus visum est admonere lectorem. Primùm enim in nominibus eorum qui huic conventui interfuere erratum est, in nomine nimirum Ioannis de Menthenon, qui malè vocatur *de Menthono*, deinde in nomine Garini de Gyaco, postremò in nomine Guillelmi Calcot. Postea legendum est: *Præfato autem juramento per uos præstito dua nobis &c.* Et paulò pòst, *nostra ibidem theologica facultatis.* Infrà: *respondimus, sed omnes in hanc sententiam convenimus.* Deinde, *facie ad faciem sunt assumpta.* Et paulò pòst, *quòdque dicta visio quam nunc habent resumptis corp. min. evacuabitur alia succedente, sed ipsamet in eis, cùm sit eorum vita æterna, perpetuò remanebit.* Infrà, *sicut quilibet sigillatim responderat.* Denique, *Henricus de Sonions, minister provincialis ordinis fratrum Minorum.* Sic enim in authentico legitur quemadmodum nos monuimus esse reponendum.

Præter hanc theologorum declarationem, cujus exemplum missum esse ad Papam testatur continuator Nangii, eosdem theologos alias literas ad eum scripsisse docet Nicolaus Minorita fol. 305. dicens *quia noluit exaudire Doctores & magistros Parisienses, qui concorditer scripserunt per suas litteras Domino Iohanni quòd ipse partem affirmativam, scilicet quòd anima sanctorum qui sunt in calo ex nunc vident divinam essentiam, in qua nutrita fuerat hactenus devotio populi Christiani, dignaretur veram esse determinatione apostolica confirmare.* Rex etiam ei privatim scripsit, ut docet continuator Nangii, *mandans sibi à latere quatinus sententiam magistrorum de Parisius, qui meliùs sciunt quid debet teneri & credi in fide quàm jurista & alii clerici, qui parum aut nihil sciunt de theologia, approbaret, & quòd sustinentes contrarium corrigeret.* Contrà idem Ioannes apud Odoricum Raynaldum an. 1333. §. 45. 46. acriter Regem reprehendit quòd foveret partem affirmativam, monuitque ut ab incepto desisteret, ac tamen se pluribus aliis literis excusavit apud

eundem Regem & Reginam ejus uxorem, conquerens de iniquitate eorum qui se in crimen vocarent ob eam quæstionem, cùm ipse nihil statuisset aut determinasset, sed dicta patrum tantummodo veritatis indagandæ studio collegisset, quæ à Petro Rogerii Archiepiscopo Rothomagense Gallicis verbis reddi ac Regi exponi jussit.

P. 176. PLURES AUCTORES COLLEGERAT] id est, loca sanctorum patrum de visione beatifica loquentium in utramque partem. Ioannes XXII. in epistola ad Reginam Franciæ apud Odoricum Raynaldum an. 1334. §. 27. *Quid circa quæstionem visionis animarum ordinaverimus ad regalem notitiam credimus diù est pervenisse. Injunximus siquidem fratribus nostris, scilicet S. R. E. Cardinalibus, ac Prælatis aliis, & Doctoribus theologiæ ac juris canonici præsentibus in curia, ut super illa cum diligentia studeant, nobisque quod eis videatur exponant. Quòd ut promptiùs possent facere, multarum auctoritatum tam canonis* (id est, Decreti Gratiani. Sic enim tum vocabant ejus collectionem) *quàm originalium sanctorum pro utraque parte collectorum copiam fecimus.* Pro opinione Papæ afferebantur in primis testimonia sanctorum Augustini & Bernardi, ut patet etiam ex iis quæ ex Durando Meldensi referuntur ab Odorico Raynaldo an. 1333. §. 57. ubi singularis est locus de auctoritate scriptorum sancti Bernardi. Ait enim: *Et notandum quòd licet Bernardus fuerit vir magnæ devotionis in oratione & sermonibus, non fuit tamen magnæ auctoritatis in expositionibus. Et ideo in talibus qui vult potest eum tenere vel negare sine reprehensione.*

His ita enarratis, superest ut paulisper revertamur ad historiam congregationis theologorum Parisiensium. Diximus ergo putasse tum quosdam Papam Ioannem occulto consilio misisse in Galliam ministrum generalem ordinis fratrum Minorum & quendam fratrem ordinis Prædicatorum ut Lutetiæ publicè docerent ejus opinionem. Sed ipse eam calumniam purgavit in literis ad Regem Philippum scriptis VI. Idus Martii anno XVIII. quæ extant apud Vvaddingum anno 1333. §. 11. & apud Odoricum Raynaldum anno 1334. §. 30.

Inter eos verò qui huic congregationi Doctorum Parisiensium interfuere sunt nonnulli magnæ famæ magnarumque virtutum, in primis verò Petrus de Palude Patriarcha Hierosolymitanus, Petrus Rogerii Archiepiscopus Rothomagensis, dictus postea Clemens VI. Papa, Nicolaus de Lyra, quem scientia sacrarum scripturarum multùm nobilitavit, Petrus de Casa tum quidem Prior generalis ordinis fratrum Carmelitarum, postea verò Episcopus Vasionensis & Patriarcha Hierosolymitanus, denique Robertus de Bardis, qui postea fuit Cancellarius Ecclesiæ Parisiensis, cujus præclaram memoriam facit studium quo ferebatur erga sermones sancti Augustini, quos collegisse eum in unum corpus constat ex vetustis codicibus MSS. bibliothecæ regiæ & Colbertinæ.

USQUE AD EPIPHANIAM] Legendum, *usque ad circumcisionem.* Nam si ea testimonia lecta sunt per quinque dies, ea verò lectio incepit die XXVIII. Decembris, manifestum est illam finitam esse die trigesima prima Decembris.

CONCLUSIT UT SUPRA] id est, quòd in prædicta quæstione nihil definiendo sed recitando dixerat, & quòd paratus esset revocare si qua erronea dixisset. Huic rei testimonium perhibet etiam capitalis Papæ Ioannis inimicus Bonagraria apud Odoricum Raynaldum an. 1334. §. 29. ubi hæc verba Ioannis refert publicè dicta coram Cardinalibus & maxima multitudine Prælatorum & clericorum, id est, post lectionem quinque dierum: *Quia nos studuimus in originalibus, ista proposuimus. Nunquam tamen fuit nostra intentionis dicere aliquid contra fidem. Et si aliquid diximus, totum ex nunc revocamus.* Quæ verba verè esse Ioannis patet etiam ex opere Guillelmi Ockami quod vocavit compendium errorum Ioannis XXII.

SEPTEM CARDINALIBUS] P. 176. Difficile est certò assequi eorum nomina. Ego tamen istos fuisse crediderim, quòd eos præcipuè in partem curarum vocare solitus sit Ioannes Papa, tum propter consanguinitatem, tum propter doctrinam eorum aut affectum quo eos prosequebatur. Hos itaque fuisse puto, Petrum de Pratis Episcopum Prænestinum, Bertrandum de Poieto Episcopum Ostiensem nepotem Papæ, Gaucelmum Ioannis Episcopum Albanensem, Raymundum de Mostuejolis Presbyterum Cardinalem tituli sancti Eusebii, Petrum Bertrandi Presbyterum Cardinalem tituli sancti Clementis, Bertrandum de Montefaventio Diaconum Cardinalem sanctæ Mariæ in Aquiro, & Arnaldum de Via Diaconum Cardinalem tituli sancti Eustachii nepotem item Papæ.

HENRICUS DUX BAVARIÆ] Henricus Rebdorffius ad annum MCCCXXXIII. *Oritur fama in Alemania quòd Ludvvicus occultè regno renunciaverit Hainrico Duci inferioris Bavariæ, supplicans Principibus ut eidem Hainrico regni gubernationem committere dignentur. Super quo Papa Iohannes consolatus est, quia ad Ludvvici depositionem nitebatur omnino. Sed Ludvvicus immediatè audita fama revocavit hoc dicens se nunquam cogitasse regno renunciare. Propter quod ipse graviùs prædicto Hainrico cœpit inimicari.* In veteri codice

Vaticano apud Odoricum Raynaldum anno 1334. §. 33. Neapoleo Cardinalis Ludovicum monuisse per fratrem Gualterum Minoritam dicitur *quòd custodiat se à Rege Bohemiæ & Duce Henrico, & quòd non confidat eis, quia dixerunt quòd cogerent cum potentia Imperatorem ad renuntiandum. Item quòd Imperator scribat Regi Franciæ quòd falsa sunt quæ dicuntur quòd ipse Imperator velit renunciare.* In codice verò 506. bibliothecæ Colbertinæ fol. 219. post libellum Opicini de Canistris de præeminentia spiritualis imperii ista leguntur: *Primò cùm diversorum tractatuum relatio arduorum plurium & gravium devenerit ad audientiam Italiæ liga consortum, multùm mirari coguntur. In primis quia eis scriptum est quòd Bavaro renunciante, & ipso Rege Alamaniæ remanente, Dominum Enricum Ducem Bavariæ dicti Bavari nepotem & excellentis Principis Regis Boemiæ generum Imperatorem elegi.*

P. 177. VT EXTRA DE FERIIS] id est, ut habetur in cap. *Quoniam.* de feriis, in Decretalibus, ubi Alexander III. ita scribit Terdonensi Archiepiscopo: *Præterea festivitas sanctæ Trinitatis secundùm consuetudines diversarum regionum à quibusdam consuevit in octavis Pentecostes, ab aliis in Dominica prima ante adventum Domini celebrari. Ecclesia siquidem Romana in usu non habet quòd in aliquo tempore hujusmodi celebret specialiter festivitatem.*

PROHIBET DOMINICIS] Alexander III. in eadem decretali: *Diebus autem dominicis & aliis præcipuis festivitatibus, sive inter Pascha & Pentecosten, genuum flexio nequaquam debet fieri, nisi aliquis ex devotione id velit facere in secreto.* Vide etiam Concilium Nicænum can. 20. & Burchardum lib. 13. cap. 3.

P. 178. OMNES CARDINALES] Testatur istud ipsum Benedictus XII. apud Odoricum Raynaldum an. 1334. §. 36. Certa est autem observatio scriptoris istius vitæ, nimirum Ioannem Gaytanum & Neapoleonem Vrsinum inter eos non numerari. Manifesta est porrò causa cur Ioannes non adfuerit. Rediit enim ex legatione Italica post mortem Ioannis Papæ, ut suprà pag. 177. adnotatum est.

IVRAVIT SE NVNQVAM] Hanc historiam falsam esse putant Henricus Spondanus & Odoricus Raynaldus, ob hoc nimirum quòd illud jusjurandum nunquam Ioanni XXII. objectum fuerit à Ludovico Bavaro aut ceteris ejus inimicis. Illud certò falsum est quod isthic scribitur Ioannem in electione sua jurasse Neapoleoni se nunquam ascensurum equum vel mulum nisi iret Romam. In dia quippe coronationis suæ, quæ diù post electionem facta est, equitavit, ut rectè observat idem Spondanus ex continuatore Nangii; cujus hæc sunt verba in tomo XI. Spicilegii Dacheriani pag. 667. *mutato nomine Iohannes XXII. Papa vocatus ibidem sua suscepit insignia, Carolo Comite Marchiæ fratre Philippi regentis regna Franciæ & Navarræ eorumque avunculo Ludovico Ebroicensi Comite frenum equi cui insidebat regentibus.*

DVRANDVS EPISCOPVS] Meldensis, de quo hæc habentur apud Bernardum Guidonis in catalogo magistrorum in theologia Parisius assumptorum ex ordine Prædicatorum: *Frater Durandus de sancto Porciano Claromontensis diocesis fuit licentiatus anno Domini MCCCXII. fuitque vocatus ad lectionem curiæ sacri palatii infra annum circa quadragesimam proximò subsequentem.* Excellentem propterea magistrum in theologia eum vocat Petrus Bertrandi Cardinalis suprà pag. 784. professus se ex libello ejus de origine jurisdictionum accepisse maximam partem eorum quæ anno MCCCXXIX. dixit coram Rege Philippo VI. pro defensione Ecclesiæ Gallicanæ. Iacobus quoque Presbyter Cardinalis S. Priscæ (qui postea fuit Benedictus Papa XII.) apud Odoricum Raynaldum an. 1333. §. 48. eum vocat famosum & antiquum magistrum in theologia. P. 181.

FECIT TRACTATVM] Extat apud Odoricum Raynaldum an. 1333. §. 49. ubi inscribitur *Libellus Episcopi Meldensis.*

CONTRA OPINIONEM IOHANNIS] Iacobus Cardinalis S. Priscæ: *Bonæ memoriæ Durandus Episcopus Meldensis, famosus & antiquus magister in theologia, qui super dicta materia scribens, & illud quod scripserat mittens dicto Domino Papæ, conatus fuit ostendere quòd error erat asserere quòd dicta anima à carne resoluta & purgata non videret divinam essentiam ante resurrectionem & judicium generale. Quæ scriptura per dictum Dominum Papam tradita fuit ad videndum aliquibus magistris in theologia.* Movit enim ista Durandi audacia bilem Papæ Ioannis, cujus jussu scripta ejus acerrimè discussa fuisse à theologis qui in pontificia curia versabantur colligitur ex Odorico Raynaldo an. 1333. §. 58.

FVIT CITATVS] Vidit ista Odoricus Raynaldus, qui ait Durandum propterea gravem passum esse invidiam, à Pontifice nimirum, adeo ut etiam à fidei censore in jus vocatus, Gallorum Regis patrocinio tectus fuerit.

AD EXHORTATIONEM AMICOR.] id est, Bertrandi de Pogeto Cardinalis & ceterorum consanguineorum suorum, ut tradit Ioannes Villanius lib. 11. cap. 19. *E cio fece, secundo si disse, piu per infesta-*

mento del Cardinale dal Poggette suo nipote e de gli altri suoi parenti, acciochè non morisse con quella sospizione e fama, che da suo movimente, non credende si tosto morire. Ceterùm hunc locum Petri de Hereutals descripsit auctor M. chronici Belgici pag. 293.

P. 185. IACOBVS DE OZA] Ita sanè scriptum est in aliquot antiquis codicibus. Alii habent *Ossa*. Quod fraudi fuit illis qui eum patria Bergomensem fuisse dixerunt ob hoc quia ea tempestate vivebat Bartholomæus de Osa civis Pergamensis laudatus à Trithemio in libro de scriptoribus ecclesiasticis. Verum autem ejus nomen, ut ex multis indubiæ fidei monumentis colligitur, est *De Eusa*, vel *d'Eusa*, & sæpe corruptè *Duesa*. In libro rubeo cameræ computorum Paris. fol. 57t. extant literæ Philippi V. Regis Francorum datæ anno MCCCXXI. mense Augusto, quibus Petro Duesa fratri germano Ioannis XXII. donat altam & bassam justitiam in illa parte forestæ de Bauro quæ de mandato regio eidem fuerat assignata. Sequuntur deinde literæ de confirmatione donorum regiorum huic genti factorum; in quibus mentio fit ejusdem Petri fratris germani Papæ ac Petri de Via & Arnaldi de Trianno nepotum ejus. In regesto LXI. archivi regii Paris. cap. 356. habentur literæ Karoli IV. Regis datæ Vincenis anno MCCCXXII. mense Octobris, quibus confirmat venditionem terræ de Culmone in seneschallia Caturcensi, quam Ludovicus Comes Ebroicensis fecit Domino Petro D'Eusa domino Montisbruni. Et in fine ista adduntur, quæ pertinent ad tempus venditionis: *Acta & celebrata sunt hac in regno Francia in capite pontis ultra Rhodanum prope Avinionem, die videlicet vicesima quarta mensis Martii anno Domini MCCCXVIII. in præsentia & testimonio nobilium virorum Dominorum B. Iordani domini insula, P. de Via domini Sailliaci, Arnaldi de Cerano Marescalli Domini Papa, Militum.* In regesto seneschalliæ Tolosanæ pro anno MCCCXCIV. fol. 19. extant litteræ Philippi VI. Regis Franciæ datæ Parisiis anno MCCCXXX. mense Februario, quibus concedit Arnaldo d'Euse ut quandam capellaniarum fundationem faciat. *nostre amé & feal Arnaut D'Euse chevalier Viscente de Caramaing.* In arcbivo oppidi Falceti in comitatu Pratensi apud Catalanos extant literæ Petri Infantis Arragoniæ ad Arnaldum Duesa Militem summi Pontificis nepotem, datæ anno MCCCXXVII. XVI. Kal. Decembris. Rectè ergo fecerunt Chenutius, Bzovius, Vvaddingus, Spondanus Ioannem XXII. vocantes Iacobum de Eusa. Eorum posteri vocati sunt de Caramanno, ut dicemus infrà ubi agemus de Ioanne Cardinale istius nominis.

CANCELLARIVS ROBERTI REGIS] Ita etiam Albertus Argentinensis. Sed quod ait Amalricus illum fuisse primò Cancellarium Roberti Regis, deinde Episcopum Forojuliensem, non cohæret cum iis quæ de eo tradit Ioannes Villanius lib. 9. cap. 79. nimirum eum, tum Episcopum Forojuliensem, factum fuisse Cancellarium Roberti post mortem Petri de Ferrariis Archiepiscopi Arelatensis.

DE BRITANNIA] Mirum est quod isthic scribit Amalricus, hunc Petrum de Arreblayo fuisse de Britannia. Nam alii disertè eum vocant Gallicum, id est, neque Vasconem, neque Britannum. P. 186.

IN SVA ABBATIA] seu potiùs prioratu. Nam monasterium S. Flori non erat abbatia, sed prioratus tantùm dependens à monasterio Cluniacensi. Vide suprà pag. 740. P. 189.

NATIONE TOLOSANVS] quia nimirum Savardunum erat olim in pago Tolosano antè quàm Bonifacius VIII. episcopalem cathedram locasset in urbe Appamiarum. Integer enim comitatus Fuxensis continebatur finibus episcopatus Tolosani. Itaque Benedictus, qui natus erat ante illam episcopatus divisionem, rectè dici potuit natione Tolosanus; *qui de Savarduno comitatus Fuxi oriundus dicebatur*, ut ait Raymundus Bernardi de Mota Episcopus Vasatensis in suo chronico. P. 197.

APPAMIAR. DIOC.] Ita quidam codices. Alii habent *diocesis Rivensis*. Quod utrumque verum est. Nam Savardunum fuit primò in diœcesi Appamiarum, postea verò positum est intra limites diœceseos Rivensis. Vide Spondanum an. 1334. §. 6.

IACOBVS FVRNERII.] Nescio ubinam laudatus paulò antè Raymundus Episcopus Vasatensis invenerit illum antè quàm fieret summus Pontifex vocatum fuisse Iacobum Benedicti. Nisi si error est editoris.

IN MONASTERIO BOLBONÆ] Istud est constantissimum. Et tamen sunt qui velint eum fuisse Carmelitam, nimirum antè quàm Cisterciensium institutum arriperet. Petrus Lucius, ut hanc sententiam confirmet, affert auctoritatem catalogi theologorum Vniversitatis Tolosanæ, ubi istum recenseri ait inter Carmelitas, & epitaphium sepulchro ejus, ut testatur Claudius de Ville in libro heroicorum epitaphiorum secundo, adscriptum, quod sic habet: *Hic jacet Benedictus, quem Carmelus protulit, Cassinus aluit, Vaticanus coronavit.* Verùm hæ probationes nullius momenti esse videntur. Catalogus enim theologorum Tolosanorum non ostenditur; & licèt ostenderetur, adhuc tamen superesset investigandum an scriptus foret ævo Benedicti, & à qua manu. Quoad epitaphium verò, merum

mentum est, in quo nihil veri. Præterea certum est illud sepulchro ejus adscriptum non fuisse. Adde testimonium ipsius Benedicti, qui in literis quas in exordio sui pontificatus scripsit ad Cistercienses, quas Vghellus edidit in tomo primo Italiæ sacræ, & in bulla de reformatione ordinis Cisterciensis testatur se ab adolescentia sua sustulisse jugum ejusdem ordinis & in eo juventutis suæ tempora peregisse ejusque effectum fuisse alumnum. Confirmatur istud ex secunda & ex quinta vita ejusdem Benedicti, in quibus scriptum est pag. 213. 229. eum tempore pubertatis suæ ingressum esse monasterium Bolbonense Cisterciensis ordinis & ibidem fecisse professionem, & ex Nicolao Speciali lib. 8. cap. 5. qui ait eum fuisse nutritum in ordine Cisterciensi, *quem Cisterciensis ordo nutriverat*. Denique non fuit factus magister in theologia in academia Tolosana, sed in Parisiensi, ut legitur in quinta vita ipsius pag. 229. Ex quibus argumentis insimul collectis colligi videtur certò posse eum admodum juvenem fuisse monachum Cisterciensem; adeoque non fuisse Carmelitam.

MAGISTER IN THEOLOGIA] Extant apud Odoricum Raynaldum in annalibus ecclesiasticis quædam ejus lucubrationes theologicæ de paupertate Christi & Apostolorum, & de visione beatifica sanctorum. Testatur autem Carolus de Visch in bibliotheca scriptorum ordinis Cisterciensis scriptam ad se fuisse ab Vghello epistolam quæ docet opus de visione beatifica & aliis controversiis theologicis divisum in sex tractatus extare in bibliotheca Vaticana. quod etiam testatur Odoricus Raynaldus an. 1342. §. 4. Dicitur præterea scripsisse commentarium in evangelium Matthæi, quod extitisse olim in bibliotheca Benedicti XIII. docet catalogus librorum qui in ea olim extabant. Censetur ille hodie in codice 2743. bibliothecæ Colbertinæ, in quo fol. 8. sic legitur: *Prima pars postillæ Domini Benedicti XII. super Matthæum, quæ distincta est per* CXXXII. *tractatus. Et hoc volumen continet à primo usque* L. *tractatum inclusivè. Item aliud volumen ejusdem postillæ continuum præcedenti consimilis litteræ & formæ continens à* LI. *tractatu usque ad* LXXXIX. *inclusivè. Item sequuntur sex volumina ejusdem postillæ alterius formæ & litteræ; quæ quidem videntur ejusdem manus & in meliori ordine posita.* Et hæc quidem de postilla in Matthæum. Et in folio 9. additur: *Item responsiones ejusdem Domini Benedicti contra dicta magistri Echardi, magistri Guillermi de Ocham, fratris Petri Iohannis, Abbatis Ioachim super Apocalypsim, & magistri Michaelis de Sezena.* Item fol. 109. *Item dicta fratris Iacobi tituli sanctæ Priscæ Presbyteri Cardinalis super articulis traditis contra patrem Acardum magistrum in theologia.* Et fol. 108. *Item dicta Iacobi Cardinalis Albi ad articulos Guillelmi Oquam.*

AD MONAST. FONTIS FRIGIDI] cujus Abbas fuit effectus anno MCCCXI. ut vulgò traditur, nimirum postquàm Arnaldus Novelli factus fuit Cardinalis.

APPAMIARVM] anno MCCCXVII. ut est in libro obligationum archivi Vaticani. Qua in sede successorem habuit an. MCCCXXVI. fratrem Dominicum dictum Grenier ordinis Prædicatorum, cujus extat lectura literalis super sacram scripturam in codicibus 114. 115. 116. 117. 118. & 2521. bibliothecæ Colbertinæ.

BENEDICTVS DOMINVS] Vide etiam infrà pag. 227. 237. ubi ea decretalis refertur, quamquam non integra. Habetur autem integra in Bullario Romano & in codice 2419. bibliothecæ Colbertinæ. Eandem citat Nicolaus Minorita fol. 326. ubi hunc Benedictum vocat pseudopapam propterea quòd eam constitutionem fecit in favorem & defensionem Ioannis XXII. hæretici prædecessoris sui & errorum ac hæresum dogmatizatarum per eum. In codice verò 731. bibliothecæ Colbertinæ extat tractatus ostendens quòd Benedictus Papa XII. nonnullas hæreses Io. Papæ XXII. in ejus statutis dogmatizatas defendit & probavit; & contendit ob eam causam ipsum magis deliquisse quàm Ioannem primum earum assertorem. Auctor istius operis, quod in septem libros divisum est, non invenitur nominatus in veteri codice. Sed cùm scriptum in eo sit post opus nonaginta dierum Guillelmi Ockam & ante epistolam ejusdem Guillelmi ad universos fratres Minores anno MCCCXXXIV. apud Assisium congregatos, non absurda conjectura erit, si quis horum septem librorum auctorem esse conjecerit hunc Guillelmum.

NON DETERMINAVERAT] Nimirum quia morte præventus fuit, ut isthic dicitur & in constitutione etiam Benedicti. Et tamen Ioannes Villanius lib. 11. cap. 19. air Ioannem XXII. pridie quàm moreretur edidisse declarationem circa materiam visionis beatificæ datam Avenioni die tertia Decembris anno XIX. pontificatus sui. Quod ita intelligere oportet ut dicatur ea declaratio fuisse expedita & grossata, non tamen bullata, superveniente nimirum obitu Ioannis, ut legimus in alia bulla Benedicti apud Odoricum Raynaldum an. 1334. §. 37. P. 198.

REVOCAVIT COMMENDAS] Ea constitutio extat in codice 1562. bibliothecæ Colbertinæ fol. 49. & in codice 2419. fol 55. data Avinioni XV. Kalend. Iunii anno primo.

NVNTIOS

NVNTIOS AD LVDOVICVM] Alberrus Argentinensis pag. 127. *Misit autem Papa solennem legatum ad Ludovicum Episcopum Magalonensem, qui mores & motum Principis erga Ecclesiam indagaret.* Fuit is Pictavinus de Montesquino, quem postea Clemens VI. fecit Cardinalem.

P. 199. LIBRATAS] Infrà pag. 374. *libratas pro Dominis Cardinalibus dividendi.* Inter probationes historiæ Cardinalium Gallorum pag. 340. extant literæ de librata Avenionensi Nicolai de Bessa Diaconi Cardinalis tituli sanctæ Mariæ in via lata, ex quibus liquet unamquamque libratam fuisse compositam ex variis domibus, viridariis, & hortis. Quod verum est. Extat enim in veteri codice MS. illustrissimi viri Karoli Mauritii le Tellier Archiepiscopi Remensis & apud Sebastianum Fantonium lib. 2. cap. 3. hist. Avenion. *ordinatio quadam facta per Dominum Johannem divina providentia Papam XXII. super ordinandis libratis eidem & Dominis Cardinalibus in civitate Avenionis*, ex qua facilè colligitur plures domos & ædificia data fuisse uni Cardinali & ex iis constitisse libratam ejus. Hinc apud Henricum Rebdorffium an. 1351. quidam frater Papæ propter quasdam privatas simultates cum quodam Cardinale, ingressus curiam ejus, eum inde expulit, *ac domum in ipsius librata funditus demolitur.* Hinc apud Ioannem Villanium lib. 12. cap. 59. *E ciascuno di detti due Cardinali abbarraro le loro case e liuree.* Item Matthæus Villanius lib. 4. cap. 87. *e sanza vergogna le teneano palesi nelle loro liuree.*

ÆDIFICARE PALATIVM] Hinc certè constat Benedictum XII. sincerè cogitasse de itinere Italico, sed ab ea cogitatione retractum propter contumaciam Italorum, ob eam verò causam convertisse animum ad ædificandum palatium in civitate Avenionensi. Quare verum esse non potest id quod ait Odoricus Raynaldus an. 1335. §. 17. Cardinales à Rege Philippo delinitos ad sedem Avenioni constabiliendam auctores Benedicto fuisse ut palatium pontificium magnis sumptibus excitaret, ut ex pontificatu in Gallica gente retento Gallica res amplificaretur.

P. 200. ECCLES. B. PETRI DE VRBE] Ex literis Benedicti XII. quæ extant in codice 755. bibliothecæ Colbertinæ & ex Odorico Raynaldo an. 1335. §. 68. apparet curam hujus fabricæ fuisse delegatam magistro Ioanni Piscis rectori primùm Ecclesiæ de Esenlenchis Narbonensis diœcesis, deinde verò Canonico Ecclesiæ Narbonensis. Eundem fuisse Canonicum Biterrensem & anno MCCCXXXVII. à Benedicto XII. fuisse factum Capellanum commensalem sedis apostolicæ constat ex cap. 364. rubricarum anni tertii pontificatus ejus. Postea idem Papa anno MCCCXLI. illum promovit ad episcopatum Diniensem, Innocentius VI. ad archiepiscopatum Aquensem anno MCCCLX.

LITTERIS GROSSIS] Extat etiamnum ea inscriptio. Sic autem habet. *Benedictus Papa XII. Tolosanus fecit fieri de novo tecta hujus basilica anno ab incarnatione Domini* MCCCXLI.

CONCESSIONEM REVOCAVIT] In codice 1561. bibliothecæ Colbertinæ fol. 55. & 65. & in codice 2419. fol. 46. & 54. extant duæ bullæ Benedicti XII. in quibus continetur revocatio decimarum Regi Franciæ concessarum extra regnum suum, & quòd levata restituantur. Vtraque autem data est anno secundo pontificatus, prior XV. Kal. Ianuarii, alia XII. Kal. Februarii. In rubricis verò anni tertii ejusdem Benedicti cap. 2. ista leguntur: *Archiepiscopo Narbonensi ejusque suffraganeis. Mandatur eis quòd à collectione & exactione decima sexennalis pro passagio terra sancta Regi Francia concessa cessent & abstineant omnino.*

AD IPSVM VENIT] anno MCCCXXXVI. ut docet continuator Nangii. Vide Froissartum vol. 1. cap. 28.

OCCVPAVIT DVCATVM AQVITANIÆ] Petrus Rogerii Cardinalis in sermone pro guerra indicenda: *Quantum ad Regem Anglia, sciatis quòd Dominus Rex ex multis & justis causis & cum magno & maturo consilio Pralatorum & Baronum & aliorum propter multas rebelliones & inobedientias, vituperia, & contemptus, qua Dominus P. de Cuigneriis vobis in specie exponet, ordinavit ducatum Aquitania ad manum suam realiter poni, non ad finem ipsum suo domino appropriandi, sed sibi ad finem justitiam faciendi &c.* P. 201. Meminit istius rei etiam continuator Nangii ad annum MCCCXXXVI. ubi ait castrum Santonense, quod est in Aquitania, dirutum fuisse à Karolo Comite Alenconii fratre Regis Philippi. Vide etiam Odoricum Raynaldum an. 1337. §. 21.

VENIT IN FRANKEFORD.] anno MCCCXXXVIII. ut docet Vualsinghamus: *Interea cùm nuntiatum fuisset Duci Bavaria, qui se appellavit Imperatorem, quòd Rex Anglia advenisset, accersiri eum jussit, & circa Calendas Augusti occurrit sibi juxta Coloniam, ubi eum maximo apparatu & gloria se invicem salutarunt. Quidam autem ferebant quòd Bavarus indignè ferebat quòd Rex Anglia non se subjecisset ad oscula pedum suorum. Cui responsum fuit quòd Rex Anglia erat inunctus & habet vitam & membrum in potestate sua, & idcirco non debet se submittere tantum sicut Rex altus non inunctus.* Testatur istud etiam Nicolaus Minorita fol. 331. qui ait

literas quas in sui excusationem adversùs Ioannem XXII. publicavit Ludovicus IV. Imp. fuisse positas & appensas *in Confluentia civitate Archiepiscopi Treverensis super Rhenum coram serenissimo Principe Domino Aduardo Rege Angliæ & infinita multitudine fidelium die tertia Septembris prædicti anni.* Et fol. 342. ita scribit: *Sequitur quædam lex publicata & pronuntiata per serenissimum Principem ac Dominum Dominum Ludovicum IV. Romanorum Imperatorem unà cum Electoribus sacri Imperii, præsentibus Archiepiscopis, Episcopis, Prælatis, Præpositis, Abbatibus, Prioribus, religiosis & clericis, Marchionibus, Ducibus, Comitibus, Baronibus, Dominis, Capitaneis, Rectoribus, Iudicibus, & Officialibus, anno Domini millesimo* CCCXXXVIII. *die* VI. *mensis Augusti in Franchenvort & etiam in Confluentia civitate Archiepiscopi Treverensis super flumen Rheni coram serenissimo Principe Domino Aduardo Rege Angliæ.* In codice 720. bibliothecæ Colbertinæ fol. 110. ista leguntur: *Anno Domini millesimo tricentesimo tricesimo octavo Ludovicus quartus Romanorum Imperator, omnibus Electoribus imperii, dempto Rege Bohemiæ, ac aliis Principibus, Prælatis, nobilibus &c. præsentibus apud Confluentiam supra Rhenum tenuit consistorium imperiale: in quo ipse cum diademate, sceptro, & aliis insignis imperialibus præsidebat. Ibique de consilio Electorum, Principum, & procerum suorum Edvvardum tertium Regem Angliæ personaliter ibi præsentem Vicarium imperii solemniter constituit, & quinque novas leges imperiales quæ sequuntur promulgavit.* Ægidius de Roya in annalibus Belgicis: *Anno Domini* MCCCXXXVIII. *Edvardus Rex Angliæ confœderatione facta cum Principibus Alemanniæ, Brabantinis, Flamingis, Hollandinis, & aliis multis cum magno navigio transmeans in portu Antuerpiensi cum Regina sua applicuit, & in monasterio sancti Michaelis hospitatus est, ubi Regina gravida filium peperit. Inde in Alemanniam transiens, ab Imp. Ludovico de Bavaria honorificè susceptus est & Vicarius imperii constitutus, & hyemavit ibidem, & Regina ejus in Antuerpia.*

CONTRA PHILIPPUM CONFOEDERATI] Henricus de Knyghton lib. 4. de eventibus Angliæ pag. 2572. *In crastino verò convenerunt ad matricem Ecclesiam Imperator & Rex Angliæ cum ceteris magnatibus, & Archiepiscopus Coloniæ celebravit Missam. Et post Missam statim juraverunt tam Imperator & omnes ceteri magnates Regi Angliæ quòd ipsum juvarent & manutenerent contra Regem Franciæ ad vivere & mori per VII. annos proximè integraliter sequentes, si guerra inter dictos Reges tanto tempore duraret. Et similiter fuerunt jurati omnes Regi Angliæ quòd omnes magnates de Colonia & citra citò venirent ad Regem Angliæ, & semper debent esse parati venire ad eum omni tempore quo fuerint præmoniti contra Regem Franciæ cum eo seu in quo loco Rex Angliæ ipsos voluerit assignare.* De hoc fœdere Ludovici & Eduardi sic loquitur Petrus Rogerii Cardinalis in sermone pro guerra indicenda: *Modo de justitia istius guerra possum vos reddere certiores. Certum est enim quòd Bavarus & Rex Angliæ nullo modo possunt habere justam causam regnum Franciæ invadendi, in quo regnat justitia, in quo pax viget, securitas floret, fides & devotio ceteraque bona omnia pollent. Bavarus autem vult facere unam fallaciam quam vocant logici non causam ut causam. Fingit enim pro causa quòd vult venire propter hoc quòd Dominus Rex tenet aliqua quæ sunt de jure imperii, cùm tamen causa sit pecunia per Regem Angliæ sibi promissa, cùm tamen Dominus Rex nihil teneat nisi quod sui prædecessores, qui fuerunt Principes Christianissimi & justissimi, tenuerunt.* Verum esse hoc Petri Rogerii testimonium patet ex Alberto Argentinensi, Henrico Rebdorffio, & ex Trithemio, cujus ea sunt verba in Chronico Hirsaugiensi: *Anno etiam prænotato Ludovicus Imp. conventum Principum celebravit apud Confluentiam oppidum Archiepiscopi Treverorum. Ad quem venit propria in persona Eduardus Rex Angliæ multam pecuniam offerens, & majorem, ut fieri solet, illi promittens si venire aut mittere exercitum Anglis in auxilium contra Regem Gallorum dignaretur. Imperator acceptavit pecuniam sibi oblatam, & promisit Anglis optatum subsidium, quod tamen non impendit. Rex igitur Eduardus & pecuniam perdidit & promissum subsidium non accepit.* Item chronicon Rothomagense editum à Labbeo: *Eodem anno Rex Angliæ perverso ductus consilio alligat se cum Ludovico schismatico de Bavaria contra Regem Franciæ, pecunia multa data.*

VICARIUM IMPERIALEM] Vvalsinghamus de ea re agens ad annum MCCCXXXVIII. ait: *Post mutuam collocutionem & pristinæ confœderationis renovationem dictus Bavarus, qui se dicit Imperatorem, constituit Regem Angliæ vicarium suum.* Quam ob rem Benedictus XII. Eduardum graviter reprehendit in literis ad eum scriptis, quarum meminit Bzovius an. 1338. §. 16. ex regesto Vaticano, quæ verò extant apud eundem Vvalsinghamum, ei exprobrans quòd *vicariatus officium per totam Alemanniam & Germaniam ac universas & singulas earum provincias sive partes ab eodem Ludovico* suscepisset *de facto.* Quod etiam legitur in epistola ejusdem Benedicti scripta ad capitulum Ecclesiæ Leodiensis, quæ extat apud Ioannem Hocsemium pag. 459. In quo tamen errabat

Benedictus. Vicariatus enim ille incipiebat à Colonia, & hinc protendebatur in Galliam, ut docet idem Vvalsinghamus in Ypodigmate Neustriæ. Postea verò idem Ludovicus Eduardo abstulit hunc vicariatum. Extant apud eundem Vvalsinghamum literæ Ludovici de ea re, in quibus ita disertè scriptum est: *vicariatum tibi per nos commissum ex causis revocamus prenotatis.* Quod ægrè ferens Eduardus ista rescripsit ad Ludovicum: *Videtur etiam aliquibus quòd revocatio dicti vicariatus facta fuerit prematurè.* Idem Vvalsinghamus ad annum MCCCXLII. de eadem revocatione sic loquitur: *Hoc anno Ludovicus de Bavaria, qui se Imperatorem appellavit, fœdifragus & falsus vicariatum citra Coloniam à Rege Angliæ, ut ferebatur, minùs consultè susceptum per suas literas revocavit, & spretis fœderibus Regi Angliæ sacramento firmatis, amicitias contraxit cum Rege Francorum.* Vide etiam Albertum Argentinensem pag. 128.

IN PARTIBVS GALLIÆ] Ita omnia vetera exemplaria, etiam Fuxense. Quare miror heic ab illustrissimo Bosqueto scriptum fuisse *Italiæ*. Italiam enim exceptam esse disertè tradit Ioannes Villanius lib. 11. cap. 83. *In quello parlamento si pruvicò con brivilegi imperiali il Rè d'Inghilterra essere vicario dello'mperio, salvo in Italia.* Vicarium autem imperii Eduardum fecit Ludovicus, non in universa quidem Gallia, sed in ea tantùm parte quæ erat in imperio, cujusmodi erat civitas Cameracensis.

CAMERAC. CIVITATEM] quæ pertinebat ad imperium, tum verò se verterat ad Regem Francorum, ut ait Froissartus vol. 1. cap. 33. 35. quam verò Rex Francorum muniri in favorem suum procuraverat, ut legitur apud Hocsemium pag. 452. De hac porrò obsidione vide rursum eundem Froissartum cap. 36. & 39. ejusdem voluminis, Ioannem Villanium lib. 11. cap. 85. 86. & Spondanum an. 1338. §. 7.

CAMERA IMPERII] *terra d'imperio*, ut ait Ioannes Villanius lib. 11. cap. 84. de hac ipsa re agens. id est, civitas quæ pertinet ad cameram Imperatoris, proprium patrimonium, propria possessio ejus, quæ neque alienari neque separari potest à dominio ejus. Apud Vvalsinghamum in ipsis initiis regni Richardi II. Ioannes Philpot ei commendans civitatem Londoniensem, ait eam esse cameram Regis, *cameram scilicet vestram.* In itinerario Gregorii XI. Romam proficiscentis civitas Aquensis vocatur *grata, amœna civitas, regalis cameraque.* Inter probationes historiæ Cardinalium Gallorum pag. 304. refertur excerptum ex veteri libro scripto anno MCCCCV. in quo scriptor loquens de loco Montis Maurilionis, qui vulgò dicitur *Montmorillon*, ait illum fuisse olim sedem regiam & cameram Regis, *qui estoit paravant siege royal & chambre du Roy.* Froissartus vol. 1. cap. 230. *& appelloient ces compaignons le royaume de France leur chambre.* Idem vol. 2. cap. 41. *Et si Courtray est nostre chambre.* Apud Aquitanos quoque nostros ea vox eandem significationem olim habebat. Testes hujusce rei laudabo literas Geraldi de Salis primi institutoris monasterii Dalonensis in Lemovicibus; qui cùm Dalonensem locum dono accepisset à viris nobilissimis Geraldo & Golferio de Turribus, constituit *quòd totus præsens locus, Ecclesia videlicet Dalonensis, ab omni ecclesiastica vel seculari subjectione sit libera & quasi propria Christi camera insignibus sublimetur.* Vide Glossarium Latinum Caroli Dufresnii Cangii, ubi reperies plura exempla istiusmodi. Hinc hodie apud Italos *incamerare* significat unire fisco aut patrimonio principali.

COMITEM GVELRIÆ IN DVCEM] Vide infrà pag. 228. & Froissartum vol. 1. cap. 33. Literæ Ludovici IV. Imp. de ea re editæ sunt ab Auberto Miræo in Notitia Ecclesiarum Belgii cap. 228. pag 677. P. 202.

SVOS NVNTIOS] anno MCCCXXXVII. mense Iunio, ut patet ex literis Benedicti XII. editis apud Odoricum Raynaldum an. 1337. §. 25. & sequentibus. Multùm illi moverunt, sed parum promoverunt. Treugas nihilominus sive inducias inter Reges constituerunt in Ecclesia de Esplerelyn anno MCCCXL. die lunæ XXV. Septembris, ut docet Vvalsinghamus.

REGNVM ANGLIÆ INTRARE] Et tamen ex eodem Vvalsinghamo constat illos fuisse in Anglia anno MCCCXXXVIII. & unum eorum sermonem habuisse ad clerum; contra quem Archiepiscopus Cantuariensis prædicavit publicè assertiones Cardinalis fore vanas. Et paulò pòst ait: *Hoc anno Cardinales prædicti de Anglia sunt egressi.*

EFFECTVS FVIT NVLLVS] Continuator Nangii pag. 772. *Hoc etiam anno Benedictus Papa duos Cardinales pro reformanda pace inter Regem Franciæ & Regem Angliæ misit; qui tamen in hoc minimè profecerunt.* Vide Odoricum Raynaldum an. 1340. §. 8.

DE MONTEFAVENTIO] Vide Franciscum Noguierium in historia Ecclesiæ Avenionensis pag. 130. ubi scribit hoc monasterium anno MCCCCXLII. fuisse unitum hospitali quod est juxta pontem Avenionensem, idque factum auctoritate Nicolai V. fuisse. In quo necesse est errorem esse, cùm certum sit Nicolaum anno tantùm millesimo CCCCXLVII. factum fuisse Papam. P. 203.

CONVENTVM NOTABILEM] nunc dirutum, ut ait idem Noguierius pag. 131. qui addit lapides ex quibus constabat

ædificium illud usui postea fuisse ad reparandos muros urbis.

ECCLESIA COLLEGIATA] Ea institutio facta est ab Arnaldo de Via Cardinale anno MCCCXXXIII. die septima Augusti, confirmata à Ioanne XXII. litteris datis Avenioni anno XVIII. x. Kal. Novembris. Deinde idem Arnaldus statuit anno MCCCXXXV. die XIII. Iulii ut deinceps collatio præbendarum pertineat alternis vicibus ad Regem Franciæ & ad Decanum ejusdem Ecclesiæ.

SURREXIT QUIDAM] Is infrà pag. 228. vocatur Armileder, in pagina verò 236. Arculeder.

P. 204. REGEM MARROCHIÆ] Contigere ista anno MCCCXLI. ut patet ex Odorico Raynaldo an. 1341. §. 5. & ex veteribus historiis Pistoriensium pag. 151. Vide etiam Martinum Ximenam in catalogo Episcoporum Giennensium pag. 335. & seqq.

P. 205. TRES ECCLESIAS] Ipse tamen in suo testamento sex numerare videtur. Sic enim illic scriptum est: *Item cùm de bonis suis voluerit & ordinaverit fabricari quinque Ecclesias seu perfici inchoatas, videlicet Ecclesiam fratrum Prædicatorum Baionensium, item Ecclesiam fratrum ejusdem ordinis in Orthesio, item Ecclesiam fratrum ejusdem ordinis in Morlanis, item Ecclesiam fratrum ejusdem ordinis in sancto Severo, item Ecclesiam sororum monasterii Pontis viridis prope Condomium ordinis sancti Augustini sub cura & regula dictorum fratrum Prædicatorum viventium, & ad hoc deputaverit & jam tradiderit certas pecuniæ quantitates, voluit & ordinavit quòd si dictæ Ecclesiæ consummatæ ex toto non fuerint, tempore mortis suæ videlicet, quòd ad opus parietum & tectorum ac......... quoad pavimenta & vitreas ac picturas necessarias perficiantur de bonis suis quæ restarent, legatis omnibus in suo testamento & codicilla seu codicillis contentis primitus integrè persolutis......... Cùm Ecclesia fratrum Prædicatorum Tolosæ de bonis suis præter chorum fuerit consummata, voluit & ordinavit quòd chorus ipse jam inchoatus perficiatur de sua pecunia decenter & honestè.*

MONACHOR. NIGROR.] Edidit enim anno MCCCXXXVI. statuta & ordinationes pro bono regimine eorundem monachorum, adhibitis in consilium aliquot Abbatibus ordinis Benedictini. Verùm quia plures insignes difficultates occurrerunt in executione eorundem statutorum, idem Benedictus quædam ex eis moderanda & mitiganda, aliqua verò mutanda & declaranda esse censuit. Extat in veteri codice MS. bibliothecæ regiæ & in archivo monasterii Montisolivi in diœcesi Carcassonensi, cujus Abbas Guillelmus unus fuit ex iis quos Benedictus in consilium adhibuerat, extat inquam in codice regio & in archivo monasterii Montisolivi constitutio ejusdem Benedicti data Avenioni Nonis Decembris anno sexto, in qua plerasque ex iisdem constitutionibus mutavit aut emendavit. Insignis est locus ex dictionario Alberici de Rosate, in quo loquens de his statutis in verbo *Monachus* ait: *Subsequenter sanctissimus Pater Dominus Benedictus XII, cujus tempore fui in curia Romana, cum magno studio & deliberatione laboravit pulchris extravagantibus corrigere & reformare statum monachorum. Quod tamen observatum non fuit ut aliàs, nec servatur, propter abundantiam, insolentiam, & petulantiam malorum monachorum.*

CISTERCIENSIUM] Extat bulla ejus de reformatione ordinis Cisterciensis, data apud Pontem Sorgiæ IV. Idus Iulii anno primo. Ejus verò exemplum vetus habetur in codice 2419. bibliothecæ Colbertinæ. Usus est Benedictus in iis statutis condendis consilio Guillelmi Abbatis Cisterciensis, Ioannis de Firmitate, Ioannis de Claravalle, & Raynaldi de Morimundo. In codice 764. bibliothecæ Colbertinæ reperiuntur variæ observationes circa reformationem statutorum ejusdem ordinis, missæ ad quendam Romanum Pontificem, fortè Ioannem XXII. cùm ista certum sit scripta esse, si error non est in numeris, ducentesimo & vigesimo anno post conditum monasterium Cisterciense. Sic enim illic legitur: *si consideretur quantum in ducentis viginti annis, quibus ordo duravit.* Cistercii namque initia certò incidunt in an. MXCVIII. adeoque existimari potest ista scripta esse anno MCCCXVII.

VAS ELECTIONIS] Extat inter extravagantes communes in titulo de censibus. P. 107.

ADVOCATI] Ejus constitutio circa patronos causarum qui in Romana curia officium advocationis exercent habetur in veteri codice MS. bibliothecæ regiæ.

IOHANNES ANDREÆ] Ita scribendum esse, non verò *Iohannes Andreas*, ut plerique solent, patet ex libris veteribus & ex Cherubino Ghirardaccio lib. 21. hist. Bonon. pag. 112. qui eum vocat *il famosissimo Giouanni di Andrea Giurisconsulto*, pag. 154. *Giouanni di Andrea Dottore Decretale*, & pag. 192. ubi de ejus morte, *Giouanni di Andrea di patria Florentino, ma per adottione Bolognese, Giurisconsulto celeberrimo.* Liber Arnaldi Camerarii: *Item duo instrumenta continentia qualiter Iohannes Andreæ decretorum Doctor & Gerra de Pepulis executores testamenti Alberti Thomaxini consentientis de Bononia consenserunt quòd Iohanna filia & heres dicti Alberti venderet certa bona sua Domino Bertrando Episcopo Ostiensi. Datum Bononiæ anno*

Domini millesimo CCCXXXII. *die* X. *Februarii*. Extremum diem finivit anno millesimo CCCXLVIII. Bononiæ; ubi sepultus est apud fratres Prædicatores, ut ex Martino de Salva scribit etiam Ægidius Bellamera in c. *Conquestus*. de feriis, loquens de controversia quæ olim exarsit inter Prædicatores & Minores propter conceptionem beatæ Mariæ virginis. Sic enim ait: *Martinus de Salva dicit quòd Ioannes Andreæ & Ioannes Calderinus ejus filius adoptivus hanc partem quam tenent omnes Prædicatores tenuerunt, quia fuerunt de sequela ipsorum, ideo quòd ambo in Ecclesia Prædicatorum suam sepulturam elegerunt & sepulti fuerunt*. Filium habuit Bonincontrum, ut docent literæ Clementis VI. apud Ghirardaccium lib. 22. pag. 191. Illius caput amputatum est anno MCCCLI. jussu magistratus Bononiensis, ut legitur in libro 10. cap. 6. historiæ Cortusiorum: *Tunc Ioannes de Pepulis & Iacobus Domini Bononiæ jusserunt amputari caput Bonincontri Doctoris legum, filii famosi Doctoris Ioannis Andreæ*.

LIBRVM SEXTVM GLOSSAVIT] Vt locus iste, qui tamen prima fronte non videtur habere difficultatem, rectè intelligatur, animadvertere oportet duas hodie extare lucubrationes Ioannis Andreæ in librum sextum decretalium, apparatum videlicet sive glossam & Novellam. quod rectè distinxit auctor hujus vitæ. Prius opus ab eo in juventute elaboratum fuit illud quod apparatum sive glossam vocavimus. Incipit ab his verbis: *Quia præposterus est ordo prius humana subsidia petere &c*. Posterius scripsit in ætate provecta, & Novellam vocavit. Incipit: *Cùm eram parvulus, loquebar ut parvulus*. Apparatus edi solet in corpore juris canonici. Novella edita est cum Novella in Decretales. Prioris operis novem antiqua exemplaria habentur in bibliotheca Colbertina, tria verò secundi.

ADDITIONAVIT] Bosquetus ediderat *adornavit* contra fidem veterum exemplarium, in quibus habetur ea lectio quam nos protulimus. Rectè. Isthic enim agitur de opere Ioannis Andreæ quod vulgò vocant Additiones ad speculum judiciale Guillelmi Durandi Episcopi Mimatensis.

PAVLVS DE LIAZARIIS] Ita semper apud Ghirardaccium lib. 22. hist. Bonon. pag. 138. & sequentibus. Ita etiam Trithemius in libro de scriptoribus ecclesiasticis. Albericus à Rosate in Cod. to. 1. fol. 32. *Paulus de Liazaris modernus Doctor Bononiensis*. In libro Arnaldi Camerarii inter legatos Bononienses missos ad Benedictum XII. reperio magistrum Paulum de Liazariis Doctorem decretorum. Ioannes Andreæ in cap. 1. de rer. permut. in sexto: *Paulus de Cospis alias Lazarini*. Sigonius lib. 3. de Episcopis Bononiens. pag. 173. commemorat quendam Ciolum Liazarium civem Bononiensem. Historia Cortusiorum lib. 1. cap. 24. *Vgolinus de Liazaris de Bononia*. Vide Mantuam Patavinum in epitome virorum illustrium fol. 53.

IACOBVS DE BVTRIGARIIS] de quo vide eundem Mantuam fol. 48. Apud Ghirardaccium lib. 22. hist. Bonon. pag. 147. extant *allegationes Domini Iacobi de Butrigariis super statu Domini Taddei de Peppolis, quòd impugnantes Domini nostri Conservatoris officium non juridicè dicant*.

NICOLAVS DE LYRA] Inutile esset isthic agere de hoc viro, quem constat esse celeberrimum in Ecclesia Dei. Illud tantùm dicam, obiisse eum Lutetiæ anno MCCCXL. & apud suos Minores sepultum esse. Tractatus ejus de visione divinæ essentiæ ab animabus sanctis à corpore separatis, qui nondum editus est, extat cum aliquot aliis ejusdem operibus in codice 149. bibliothecæ Colbertinæ. Vvaddingus in libro de scriptoribus ordinis Minorum pag. 265. affert humilem Nicolai confessionem adjectam in fine commentariorum suorum in sacra Biblia; quam cùm ego invenerim multò meliorem in codice 2184. bibliothecæ Colbertinæ, heic edere visum est è re publica. Sic ergo illic legitur: *Explicit postilla super secundum librum Esdræ & super libros non canonicos magistri Nicolai de Lyra ordinis fratrum Minorum, qui & Deo gratiarum actiones in fine totius libri seu operis reddit in hunc modum. Ego igitur gratias ago Deo, qui dedit mihi gratiam scribendi secundùm modulum ingenii mei super omnes libros in Biblia contentos, primò super illos qui sunt de canone incipiendo à Genesi & percurrendo usque ad finem Apocalypsis, postea super libros illos qui non sunt de canone incipiendo à libro Thobiæ & terminando in libro qui dicitur secundus Esdræ, ut sic per hanc distinctionem librorum & ordinationem appareat simplicibus qui libri sint canonici & qui non, & qui majoris auctoritatis, & qui minoris. Et quoniam probabiliter timeo defecisse, tum propter magnitudinem operis, tum propter scientiæ meæ parvitatem, ideo de defectibus veniam postulo, & de aliis ad laudandum Deum meum legentes invito, deprecans humiliter & devotè ut apud Deum me velint suis orationibus adjuvare*.

ABBAS MON. NOVI PICTAV.] P. 228. Necrologium ejusdem monasterii novi. I V. Non. Ianuarii. *Depositio Domini Guillermi de Montelauduno hujus monasterii Abbatis*. In calce codicis 349. bibliothecæ Colbertinæ sic scriptum est: *Explicit sacramentale compositum per Dominum Guillermum de Montelauduno monachum & Doctorem excellentissimum in decretis Abbatem Pictavinum*. Trithemius in

libro de scriptoribus ecclesiasticis : *Guilhelmus de Montclauduno, ut ferunt, Abbas monasterii Pictaviensis ordinis divi patris Benedicti.* Nicolaus Bertrandi in libro de gestis Tolosanorum fol. 50. *Temporibus quoque Benedicti Papæ XII. legitur quòd Tolosæ floruit Guillermus de Montilauduno Abbas monasterii novi Pictavensis & decretorum Doctor elegantissimus.* Quare emendandus est vulgatus à Sammarthanis catalogus Abbatum monasterii novi Pictaviensis, in quo Abbas iste collocatur post annum millesimum quadringentesimum. Interfuit coronationi Clementis V. uti suprà pag. 624. dictum est. Tractatus ejus de Cardinalibus laudatur ab Ægidio Magistro in tractatu de regalibus cap. 7.

SUPER CLEMENTINIS] Editus est pluries. Ejus autem duo vetera exemplaria servantur in bibliotheca Colbertina, in qua etiam extant duo vetera exemplaria apparatus ejusdem Guillelmi in extravagantes Ioannis XXII.

SACRAMENTALE] Hujus operis, quod nondum editum est, plurima extant vetera exemplaria, unum quidem in archivo Ecclesiæ Helenensis, duo in bibliotheca monasterii Rivipullensis, quinque verò in Colbertina.

GENSELINUS DE CASSANHIS] Nicolaus Bertrandi in loco paulò antè laudato : *Eadem tempestate Gaucelinus de Cassanhis magnus canonista, qui etiam super Clementinis scripsit, atque extravagantes Iohannis XXII. glossavit, in Tolosano floruit studio.* Ejus extat in codice 2747. bibliothecæ Colbertinæ apparatus in Decretales, in codice verò 2680. apparatus in Sextum, in codice 1407. apparatus super Clementinis, denique in codicibus 367. & 562. apparatus in constitutiones extravagantes Ioannis XXII. quæ editæ sunt unà cum ipsis extravagantibus in corpore juris. In actis fundationis Ecclesiæ collegiatæ B. Mariæ de Villanova contra Avenionem editis anno MCCCXXXIII. nominatur inter testes Genselinus de Cassagnies Canonicus Biterrensis, Domini Papæ Capellanus, & ipsius sacri palatii causarum auditor. Vide Gariellum in serie Præsulum Magalonensium pag. 471.

CERTOS NUNTIOS] Nicolinum de Flisco, ut dicitur infrà pag. 227. ubi pluribus agemus de hoc negotio.

MARESCHALLO SUO] qui infrà pag. 217. nominatur Joannes civis Tolosanus. In codice 755. bibliothecæ Colbertinæ extat tractatus concordiæ initus anno millesimo CCCXXXVI. inter Mareschallum Romanæ curiæ & cives Auenionenses. An jurisdictio istius Mareschalli sit ordinaria, an verò delegata, disputat Ioannes Andreæ in cap. *Ne Romani.* in Clementinis. Per ea porrò tempora Mareschallus Domini Papæ tributum capiebat à meretricibus & lenonibus earundem. Quod emendari in Concilio Viennensi petebat Guillelmus Durandi, cujus hæc sunt verba ex tractatu de modo celebrandi Concilii generalis parte 2. tit. 10. *Et insuper quòd prostibula publica non teneantur prope Ecclesias, in Romana curia prope palatium Domini Papæ, & nec alibi propè domos Prælatorum. Et ne Mareschallus Domini Papæ & consimiles aliquid recipiant à meretricibus & lenonibus earundem.*

DEBEAT ESSE COMMUNIS] Bulla Benedicti XII. de hoc negotio : *provida circumspectione pensantes quòd ad Romanam curiam, quæ communis patria existere noscitur, securus debet haberi accessus.* Ioannes XXII. in bulla adversùs Matthæum de Vicecomitibus de Mediolano, quæ extat in codice 819. bibliothecæ Colbertinæ fol. 198. & apud Bzovium an. 1322. pag. 383. *licet manifestum existat quòd idem Matthæus de civitate & districtu Mediolanensi per terras & loca sibi non suspecta usque ad civitatem Avinionensem, in qua cum Romana curia residemus, venire possit liberè & securè, & in dicta curia, in qua omnes securitate gaudent, cùm sedes apostolica cunctis ad ipsam venientibus locum suæ residentiæ liberum exhibeat & securum, non oporteat de securitate quomodolibet dubitare.*

SEPULTURA CARERET] Vide infrà pag. 218. 226. p. 1091

GOCIUS DE ARIMINO] sic cognominatus à loco originis, cùm nomen gentis esset *de Bataglijs.* Sed antè quàm de eo agamus, adnotandum est Ioannem Dubravium lib. 18. hist. Boiemicæ pag. 150. mentionem facere cujusdam Itali legum peritissimi in Boiemiam missi sub pontificatu Bonifacii VIII. sed cum nomine Gotium Urbevetanum. Ex quo colligi posse videtur eum esse diversum à Gotio de Arimino, quamvis iste fuerit juris utriusque professor. quod ex inscriptione Ariminensi & ex pluribus aliis veteribus monumentis liquet, in primis verò ex collectaneis Petri Puteani de dissidio Bonifacii VIII. & Philippi pulchri pag. 370. 371. 390. 394. 399. ubi vocatur utriusque juris Doctor. Fuit autem ille tum unus ex iis qui anno MCCCX. Bonifacii VIII. memoriam suscepere defendendam adversùs accusationes Guillelmi de Nogareto. Ex quo apparet magnam jam tum fuisse ejus famam.

Natus est ergo apud Ariminum in parrochia sanctæ Agnetis, baptizatus in Ecclesia cathedrali ; ut patet ex actis fundationis capellæ illic conditæ sub titulo sanctæ Priscæ, quæ extant apud Raphaelem Adimarium lib.

2. hist. Arimin. pag. 69. & to. 2. Ital. facr. pag. 428. 429.

Nullam ejus mentionem uspiam reperi post tempora Clementis V. donec perventum est ad annum millesimum cccxxvi. quo Guillelmus Testa Cardinalis condidit suum testamentum, in quo legat *Domino Gotio Auditori suo centum florenos.*

Anno MCCCXXXV. XVIII. Kal. Iulii factus est Patriarcha Constantinopolitanus. *Odoric. Raynald. an.* 1335. §. 63.

Anno MCCCXXXVI. Benedictus XII. cogitans de constituenda bona disciplina in ordine fratrum Minorum, usus est consilio plurimorum Cardinalium & aliorum virorum doctorum, in primis verò Gotii Patriarchæ Constantinopolitani. *Odoric. Raynaldus anno* 1336. §. 65.

Eodem, ut opinor, tempore unà cum Gaucelmo Episcopo Albanensi, Iacobo Episcopo Brixiensi, & Guillelmo de Aura Abbate monasterii Montisolivi incubuit de speciali mandato Benedicti Papæ XII. corrigendo & reformando formulario pœnitentiariæ Domini Papæ, uti diximus suprà pag. 723.

Anno MCCCXXXVIII. missus est in Siciliam unà cum Raterio Episcopo Vasionensi. Vide Spondanum an. 1338. §. 10. & Odoricum Raynaldum eod. an. §. 55. & an. 1349. §. 9. 1354. §. 15. At Fazellus lib. 9. posterioris decadis eam legationem revocat ad annum MCCCXL. additque legatos cum tribus triremibus Messanæ portum ingressos à Messanensibus repulsos esse missilibus & machinis, ac propterea Siciliam omnem ditis execratam. Quem anachronismum non sentientes Abrahamus Bzovius an. 1340. §. 1. & Odoricus Raynaldus an. 1340. §. 63. hoc iter legatorum retulerunt ad annum MCCCXL. manifesto erore, ut patet etiam ex litteris eorundem legatorum commemoratis ab eodem Bzovio an. 1338. §. 14. & editis à Raynaldo an. 1339. §. 44. Vide etiam Rocchum Pitrum in Notitia Ecclesiæ Agrigentinæ pag. 294.

Interim Gotius à Benedicto XII. factus est Cardinalis anno MCCCXXXVIII. die XVIII. Decembris. Absens erat. Quam ob rem diù fuit fine titulo, quia titulus dari non consuevit nisi præsentibus. Vnde ipse apud Odoricum Raynaldum in loco proximè laudato se vocat tantùm sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyterum Cardinalem. Et in libro Arnaldi Camerarii ita legitur: *Item quoddam instrumentum continens processus, sententias, & pœnas latas de mandato Domini Benedicti Papa XII. per Dominos Gotium sancta Romana Ecclesia Cardinalem & Episcopum Vasionensem sedis apostolica Legatos in partibus regni Sicilia citra Farum contra nobilem Petrum primogenitum quondam Frederici olim Regis Trinaclia & alios natos & heredes ipsius Frederici detinentes & occupantes civitatem Regii vicinam insula Sicilia & multas alias insulas pertinentes Regi Sicilia & Ecclesia Romana. Datum in Vrbe VII. die Aprilis anno Domini* MCCCXXXIX. *pontificatus Domini Benedicti Papa XII. anno quinto.* quod est compendium processuum quos monuimus extare apud Odoricum Raynaldum.

Difficile est certò statuere de tempore quo datus ei est titulus Cardinalis. Etenim cùm is, ut diximus, dati non consueverit absentibus, Gotius verò in Italica legatione fuerit eo tempore quo dignitate illa ornatus est, & nullibi repetiamus eum rediisse Avenionem quandiu Benedictus XII. fuit in humanis, affirmare non possumus titulum illi datum fuisse à Benedicto. Immo proclivius est existimare enm non deposuisse provinciam ante mortem ejus, cùm ex auctoribus vitæ Clementis VI. constet XVIII. tantùm Cardinales in conclavi fuisse quum is electus est, inter eos verò connumerari ipsum Clementem. Cùm autem aliunde certum sit XIX. tum Cardinales fuisse in sacro collegio, necesseque sit duos ex iis fuisse absentes tempore mortis Benedicti, non invitus adducor ut credam Gotium non interfuisse electioni ejusdem Clementis. Ex quo consequitur titulum ei datum à Clemente. Quod si ita est, evanescit profectò conjectura Raphaelis Adimatii censentis Benedictum assignasse Gotio titulum sanctæ Priscæ, quem is habuerat ante papatum, ut sui in eum amoris abundantiam illi ostenderet, argumento ducto ex usu posteriorum temporum, quibus novi Pontifices consueverunt suos pileos suosque titulos dare nepotibus suis.

Errant qui putant Gotium fuisse Episcopum Vasionensem.

BERTRANDVS DE DEVCIO] Constat eum fuisse ortum è Blandiaco in senescallia Bellicadri & diœcesi Vceticensi; quod castrum cum omni juridictione alta, media, & bassa, meroque & mixto imperio, Ioannes Rex Francorum dono dedit Petro de Deucio armigero nepoti istius Cardinalis, ac postea ei dedit ressortum primarum appellationum dicti castri de Blandiaco & pertinentiarum ejusdem, litteris datis Parisiis anno MCCCLIII. mense Novembri. Extant illæ in regesto LXXXII. archivi regii Paris. cap. 28.

Ex Præposito Ecclesiæ Ebredunensis evasit illius sedis Archiepiscopus anno MCCCXXIII. ut docet liber obligationum archivi Vaticani.

Anno MCCCXXIX. die XI. Octobris erat apostolicæ sedis Nuntius apud Tarbam in Vasconibus ad componenda dissidia quæ tum erant inter Gastonem Comitem Fuxensem, Ioannem

Comitem Armaniaccosem, & Geraldum Vicecomitem Fezensaguelli; qui compromiserunt in Philippum Regem Navarræ. Inter testes qui adfuerunt, ii præcipuè nominantur, Bertrandus Ebreduoensis Archiepiscopus sedis apostolicæ nuntius in hac parte, Vitalis Archiepiscopus Bisuntinensis, Raymundus Episcopus Lascurrensis, Henricus dominus de Soliaco, & Petrus de Galardo dominus de Lucolio magister arbalestariorum regni Franciæ. Tum die XIX. ejusdem mensis iidem interfuerunt judicio laro ab eodem Rege. Extant harum rerum acta in veteri regesto archivi regii Palensis.

Anno MCCCXXXIII. Ioannes XXII. hunc Bertrandum Archiepiscopum misit ad Robertum Regem Siciliæ & Franciscum Dandulum Ducem Venetorum ut cum ipsis consultaret de modo refrænandi malignos impetus Turcorum adversùs Christianos. *Odoric. Raynald. an.* 1333. §. 16. Vide etiam Ioannem Villanium lib. 11. cap. 6. Hinc Bononiam ad Bertrandum de Poiero Legatum se contulit. Et cùm fortè exorta esset seditio in populo Bononiensi adversùs Legatum, Bertrandus Ebredunensis malè habitus à furente vulgo, damna quoque multa passus est. *Ghirardacci lib.* 21. *pag.* 112.

In libro Arnaldi Camerarii hæc leguntur: *Item quadam alia littera auro bullata Roberti Regis Siciliæ quòd ipse nomine & commissione speciali Domini Benedicti Papæ XII. fecit homagium & præstitit fidelitatis juramentum Domino Ebredunensi & Neapolis Archiepiscopis. Actum Neapoli die XXV. mensis Iunii anno Domini MCCC. tricesimo quinto. Item quoddam instrumentum super forma homagii Domini Roberti Siciliæ Regis Dominis Ebredunensi & Neapolis Archiepiscopis commissariis ad hoc deputatis per Dominum Benedictum Papam XII. In quo instrumento sunt multæ conventiones pro Ecclesia Romana. Actum anno, die, & loco quibus suprà in proximo. Item unum aliud instrumentum sigillatum sigillo Archiepiscopi Neapolitani continens quòd ipse & Archiepiscopus Ebredunensis auctoritate apostolica receperunt homagium & juramentum fidelitatis à Domino Roberto Rege Siciliæ in Neapoli. Datum Neapoli anno Domini MCCCXXXV. die XXV. Iunii.* Vide Spondanum an. 1335. §. 3.

In rubricis literarum de curia anni tertii Benedicti XII. cap. 12. ita habetur: *Prorogantur treugæ inter Ursinos & Columpnenses per D. Bertrandum Archiepiscopum Ebredunensem indicta.* Vide Bzovium an. 1336. §. 29.

Anno MCCCXXXVII. mense Decembri interfuit Concilio quod habitum est in loco seu monasterio sancti Ruffi Avenionensis diocesis. Vide Concilia Galliæ Narbonensis pag. 341. 426.

Anno MCCCXXXVIII. die XVIII. Decembris factus est Presbyter Cardinalis, & anno sequenti, die XVI. mensis Ianuarii, Benedictus Papa ei dedit titulum sancti Marci. Vide Odoricum Raynaldum an. 1338. §. 87. & Ordinem Romanum editum in tomo secundo Musei Italici pag. 432.

Anno MCCCXXXIX. die XX. Iulii, auctoritate sibi delegata à Benedicto XII. Papa, quasdam constitutiones edidit pro bono regimine academiæ Monspeliensis, quarum vetus exemplum apud nos extat. Earundem meminit etiam Petrus Gariellus in serie Episcoporum Magalonensium pag. 470.

Anno MCCCXLIII. mandato Pontificis Clementis ad Petrum Arragonensem Regem se contulit ad sedandum Baleatium & Arragoniæ Regum bellum. Inducias inter Reges statuit XVII. Kal. Septembr. cum administro legationis Oliverio Valentino Episcopo. Ita quidem Petrus Frizonius, ac post eum Augustinus Oldoinus. Uterque pessimè. Nam qui tum missus fuit in Hispaniam dicebatur Bernardus de Albia Presbyter Cardinalis tituli S. Cyriaci in Thermis. Vide Suritam lib. 3. Indicum & Bzovium an. 1343. §. 13.

Anno MCCCXLVI. à Clemente VI. delegatus est vivæ vocis oraculo ut constitutionem à Ioanne XXII. factam in ordine Grandimontensi, quæ eidem ordini incommodare dicebatur, examinaret, & quæ emendatione indigerent emendaret, quædam statuta edidit die XVI. Maii ejusdem anni, quæ postea à Clemente confirmata fuere x. Kal. Februar. anno quinto. Habentur in archivo monasterii Grandimontensis.

Anno MCCCXLVI. ei commissa est provincia Italia. Qua de re pluribus agemus ad vitam Clementis VI.

Apud Montemflasconem constitutus multa fortiter egit adversùs Nicolaum Laurentii Tribunum urbis Romanæ, quem de crimine hæreseos judicavit, ut docet Clementis VI. epistola ad Anibaldum Episcopum Tusculanum, edita apud Odoricum Raynaldum an. 1348. §. 13. Hinc factum est ut ei Ioannes Hocsemius pag. 509. imputet ruinam ejusdem Laurentii. Referam autem ipsa ejus verba: *Post hæc venerunt nova de curia quòd Romani hunc Tribunum fugaverunt adnitente Legato sedis apostolicæ Domino Bertrando de Docio Cardinali Præposito nostro Leodiensi.* Vocabatur ille vulgò Cardinalis Ebredunensis, vulgò *Embrun* vel *Ambrun*. Ex quo Matthæus Villanius lib. 11. cap. 26. fecit *Unibruno*, & lib. 12. cap. 70. *Dombruno*, auctor verò vitæ Nicolai Laurentii *Donno Bruno*. Quòd non animadvertens Bzovius an. 1353. §. 2. ex hoc Cardinale fecit commissarium nomine Brunonem. Sed apud Fortifioccam reponendum est *d'Ombruno*,

d'Ombruno, ut apud Villanium, & apud istum in alio loco *Umbruno* pro *Umbruno*. In epistola ejusdem Tribuni ad Guidonem de Bolonia Cardinalem, quæ edita est in calce tomi secundi operum Petrarchæ, vocatur Obredunensis. *Dominis meis Obredunensi & Petragoricensi*, inquit, *supplicans pro misericordia rescripsissem, nisi caligantes præ lacrymis oculi prohiberent.* Ad eundem Bertrandum Cardinalem Præpositum Leodiensem extat epistola Leodiensium apud eundem Hocsemium pag. 489. ubi adnotatum est eum non fuisse inventum in curia, nimirum apud Avenionem. Erat enim tum in Italia.

Anno MCCCL. apud Avenionem in Ecclesia fratrum Minorum consecravit virum ea tempestate doctissimum Thomam Bradvvardinum Archiepiscopum Cantuariensem, adstante solenni Cardinalium corona. *Antiquitates Ecclesiæ Britannicæ pag. 243. & Franciscus Godvvinus in catalogo Archiepiscoporum Cantuariensium.* Vide etiam Pitseum in libro de illustribus Angliæ scriptoribus pag. 470. ubi commemorat in primis opus illius adversus Pelagianos, quod anno MDCXVIII. in lucem emissum est à viro doctissimo Henrico Savilio, cujus verò duo vetera exemplaria MSS. extant in bibliotheca Colbertina.

Eodem anno MCCCL. Bertrandum fuisse Legatum in Sicilia patet ex his quæ referuntur ab Odorico Raynaldo ad an. 1350. §. 1. & sequentibus.

Quo eodem anno, cùm Petrus Gomesii de Barroso Episcopus Sabinensis in cælum abiisset, iste Bertrandus ei substitutus est, ut patet ex bulla Clementis VI. paulò antè laudata. Ordo Romanus editus in tomo secundo Musei Italici pag. 437. *Domino Cardinali Ebredunensi, qui erat absens à curia quando fuit creatus Episcopus Sabinensis, in regressu suo per Papam anulus non fuit ei datus.* Vide etiam Odoricum Raynaldum an. 1349. §. 3. & an. 1350. §. 5. 23.

Anno MCCCLIII. die prima Iulii quasdam constitutiones edidit pro reformatione & salubri ordinatione Ecclesiæ Ruthenensis in Aquitania, in primis verò circa distributiones redditum ecclesiasticorum inter Canonicos præsentes & absentes. Earum hoc est initium. *Bertrandus miseratione divina Episcopus Sabinensis, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, reformator & ordinator Ecclesiæ Ruthenensis à sede apostolica deputatus, ad perpetuam rei memoriam.*

Obiit anno MCCCLV. die XXI. Octobris apud Avenionem, ut legitur infrà pag. 346. Nescio autem ubinam tum sepultum fuerit ejus corpus. Illud tantùm constat, translatum postea fuisse in novam Ecclesiam sancti Desiderii, quam executores testamenti ejus de novo ædificarunt, anno MCCCLIX. exeunte Septembri, ut docet Canonicus Bunnensis infrà pag. 353.

Vulgò traditur eam Ecclesiam fundatam fuisse ab ipso Bertrando. Cogitaverat is quidem de fundanda Ecclesia collegiata, sed apud Villamnovam, non verò apud Avenionem. Verùm cùm ille interim ex hac vita sublatus fuisset, executores ejus, quibus ipse arbitrium dederat Ecclesiam illam instituendi apud Villamnovam *vel alibi prout eis magis expediens & utilius videretur, considerata temporum qualitate, deliberatione præhabita diligenti, pro magis opportuna hujusmodi expeditione negotii ac pro utiliori complemento piæ intentionis testatoris ejusdem, & de consensu & licentia speciali Domini Papæ, in Ecclesia parrochiali sancti Desiderii de Avinione, ipsa penitùs renovata, collegium hujusmodi erexerunt.* Testatum id faciunt literæ Ioannis Regis Francorum datæ apud sanctum Audomarum die tertia Novembris anno MCCCLX. quarum vetus exemplum penes nos extat. Vide Franciscum Nouguierium in historia Ecclesiæ Avenion. pag. 144. & Sebastianum Fantonium lib. I. hist. Avenion. cap. 9. §. 7.

Nepotes habuit Gaucelmum de Deucio Abbatem Psalmodiensem, postea verò, uti reor, Episcopum Nemausensem & Magalonensem, Paulum de Deucio monachum & Cameratium monasterii sancti Guillelmi de Desertis, & Petrum de Deucio armigerum. Adde Raymundum de Canillaco Cardinalem, quem nepotem Cardinalis Ebredunensis vocat Matthæus Villanius lib. 11. cap. 26. Præterea vulgò traditur Ioannem de Blandiaco Cardinalem Nemausensem fuisse nepotem ejus, ex sorore nimirum.

In rubricis anni tertii Benedicti XII. cap. 384. ista leguntur: *Raymundo de Deutio. Providetur sibi de canonicatu sancti Pauli Narbonensis sub expectatione prabendæ.*

GUILLELMUS CURTI] Isthic dicitur ortus in diœcesi Tolosana. Quod an intelligi debeat de antiqua diœcesi Tolosana, in qua situm erat oppidum Mirapicense, an verò de nova, obscurum est. Etenim in processu fratris Bernardi Delitiosi reperio honorabilem virum Dominum Raymundum Curti Iurisperitum Mirapicensis diocesis fuisse præcipuum ministrum inquisitionis factæ adversus eundem fratrem Bernardum an. MCCCXIX. eundemque fuisse judicem ripariæ Verduni. Ex quo colligi posse videretur Curtios fuisse oriundos ex oppido Mirapicensi, olim diœceseos Tolosanæ.

Franciscus Bosquetus in Notis ad hunc locum vocat illum Benedicti Papæ propinquum & ex fratre nepotem, idque se accepisse ait ex Arnoldo Vvione, apud quem nihil istius-

F F f.

modi legitur. Et tamen Frizonius ea auctoritate fretus eum dixit fuisse ejusdem Benedicti nepotem ex fratre. Quam historiam ut certam amplexi postea sunt ceteri scriptores absque ullo examine. Ad fulcimentum nihilominus ejus opinionis afferri potest id quod paulò pòst ait idem Frizonius, Benedictum Papam commisisse Guillelmo Cardinali nepoti ut pacem stabiliret inter Casimirum Regem Poloniæ & Cruciferos. Nam si semel constet illum à Benedicto vocatum fuisse nepotem, dubium esse non potest quin fuerit illius nepos. Verum id quidem. Sed cùm apud Bzovium, ex quo Frizonius sua accepit, an. 1339. §. 16. nihil scriptum sit quo consanguinitas eorum confirmetur, sed tantùm Papam Guillelmo tituli sancti Stephani in Cœlio monte Cardinali commisisse ut pacem illam stabiliret, ruit profectò auctoritas quæ ex illo Frizonii loco capi poterat; præsertim cùm ea historia referri non possit ad Guillelmum Gurri, sed ad Guillelmum de Aura Cardinalem S. Stephani in Cœlio monte.

Certum est Philippum VI. cognomento Valesium Regem Francorum apud Avenionem cum filio suo Ioanne Duce Normanniæ fuisse anno MCCCXXXVI. illicque cum Papa tractasse de passagio terræ sanctæ. Qua de re videndus in primis continuator chronici Nangiaci in tomo XI. Spicilegii Dacheriani. Meminit etiam istius rei Froissartus vol. I. cap. 28. & inter eos qui tum crucesignati sunt numerat Cardinalem Neapolitanum, Petragoricensem, Album, & Ostiensem. Hæc sunt ejus verba: *Et aussy le Cardinal de Naples, le Cardinal de Pierregort, le Cardinal Blanc, & le Cardinal d'Ostie.* Et ceteri quidem difficultatem non habent. Albus habet maximam. Nam duo tantùm per ea tempora Cardinales reperiuntur Albi cognominati, Iacobus nimirum de Furno, & Guillelmus Curti, ambo ita dicti quia erant monachi albi, id est, Cistercienses. Porrò Iacobus tum non erat Cardinalis, sed Papa. Guillelmus verò nondum erat Cardinalis, ad eam dignitatem promotus post duos tantùm exinde annos. Error itaque est apud Froissartum, qui irrepsit ex temeritate editorum. Veteres enim libri MSS. rectè habent: *Et aussi furent quatre Cardinaulx, c'est assavoir le Cardinal de Napples, le Cardinal de Pierregort, le Cardinal d'Albane, & le Cardinal d'Ostie.* Cardinalis autem Albanensis erat eo tempore Gaucelmus Ioannis.

Anno MCCCXXXVII. prid. Kal. Maii Guillelmus Curti factus est Episcopus Nemausensis, tum III. Non. Decembris ad Albiensem Ecclesiam translatus. Fuit igitur Episcopus Albiensis. quod Frizonium nullo fundamento nixum negare ait Vghellus in catalogo Episcoporum Tusculanorum. Sanè illum fuisse Episcopum Albiensem adeo certum est ut Benedictus quoque XII. huic veritati testimonium perhibeat. Scribens enim ad Philippum VI. Regem Francorum V. Kal. Februarii anno quinto in gratiam Pictavini, cui recenter dederat episcopatum Albiensem, ait: *Nuper siquidem Ecclesia Albiensi pastoris regimine destituta pro eo quòd nos dilectum filium nostrum Guillermum tituli sanctorum quatuor Coronatorum Presbyterum Cardinalem, tunc Episcopum Albiensem, à vinculo quo eidem Ecclesiæ Albiensi, cui præerat, tenebatur astrictus, de fratrum nostrorum consilio & apostolicæ potestatis plenitudine absolventes, eum in Cardinalem sanctæ Romanæ Ecclesiæ duximus assumendum &c.*

Anno MCCCXXXVIII. die XVIII. Decembris factus est Presbyter Cardinalis. Et anno sequenti, die XVI. Ianuarii, Papa ei dedit titulum sanctorum quatuor Coronatorum. Vide Odoricum Raynaldum an. 1338. § 87. & Ordinem Romanum editum in tomo secundo Musei Italici pag. 432.

Anno MCCCXLII. Clemens VI. eum misit in Italiam ad componendos motus principum inter se pugnantium. Qua de re plutibus agemus in Notis ad vitam ejusdem Clementis.

Apud Nicolaum Eymerici in Directorio Inquisitorum par. 2. q. 38. ista leguntur: *Tempore Domini Clementis VI. per Dominum Cardinalem Album delegatum in negotiis fidei fuerunt condemnati tanquam haretici pertinaces in Avinione, ubi tunc Romana curia residebat, ac etiam concremati duo fratres Minores; quorum unus vocabatur frater Petrus Castilionis, & alter frater Nicholaus.*

Hujus Cardinalis hortatu frater Ioannes de Rupescissa Franciscanus scripsit librum revelationum suarum, uti pluribus dicemus ad primam vitam Innocentii VI.

Anno MCCCL. XV. Kal. Ianuarii factus est Episcopus Tusculanus. *Vghellus in Episcopis Tusculanis.* Ordo Romanus editus in tomo secundo Musei Italici pag. 437. *Domino Cardinali Albo, cùm factus fuit Episcopus Tusculanensis, datus fuit anulus, quia erat tunc in curia præsens, per Dominum Clementem Papam.* Clemens VI. in bulla privilegiorum ordinis Cisterciensis data prid. Non. Februarii anno nono, quæ edita est ab Emmanuele Roderico, ait se illa concedere consideratione Guillelmi Episcopi Tusculanensis & Ioannis Regis Franciæ.

Nicolaus Eymerici in loco paulò antè laudato: *Tempore Domini Papæ Innocentii VI. fuerunt condemnati per eundem Dominum Cardinalem Album alii duo fratres Minores ibidem Avinione tanquam hæretici pertinaces & etiam concremati, traditi curiæ seculari; quorum unus*

vocabatur frater Mauritius, & alter frater Ioannes de Narbona.

Cardinalem Album Matthæus Villanius lib. 10. cap. 71. ait mortuum esse anno MCCCLXI. in curia Romana, id est, apud Avenionem. Addit Oldoinus illum ibidem sepultum esse, testem laudans Contelorium, apud quem nulla hujusce rei mentio. In libro obligationum archivi Vaticani adnotatum est Guillelmum Curti Episcopum Tusculanum Camerarium sacri collegii obiisse anno MCCCLXI. die XII. Iunii. quod etiam notaverat Onuphrius Panuinius in secunda epitome. Quamvis autem esset Camerarius collegii Cardinalium, non ideo tamen censendus est fuisse ærario pontificio præfectus, ut malè interpretatus est Hieronymus Rubeus lib. 6. hist. Ravennat pag. 571. ubi ait Fortanerium Archiepiscopum Ravennatem florenos centum quinquaginta solvisse Guillelmo Episcopo Tusculano Cardinali ærario pontificio præfecto. Divisa erant munia Camerarii Papæ & Camerarii collegii Cardinalium, ut patet ex libris obligationum & solutionum. Camerarius Papæ recipiebat pecunias pro Papa, Camerarius collegii Cardinalium pro Cardinalibus.

Lutetiæ in collegio sancti Bernardi Ecclesiam ingressis statim occurrit sequens inscriptio posita sub scuto gentilitio secto in duas partes à summo ad imum; cujus prior pars est area pura; in altera habentur tria conchylia eo ordine disposita quo in vulgatis historiæ Cardinalium scriptoribus reperiuntur in scuto Guillelmi de Aura, ad quem non pertinet. Eam inscriptionem Frizonius scripsit videri pro templi foribus. Oldoinus de suo addidit illam esse positam pro foribus ejusdem collegii. Illi ergo & Franciscus Duchesnius inscriptionem illam dederunt decurtatam. Nos dabimus integram. Ea sic habet.

Arma hæc sunt venerandæ memoriæ Guillermi Curti quondam Cardinalis Albi, qui etiam intus sacra theologia Doctor, Tholosanus natione, Cisterciensis religione, de Bolbona professione. Ecclesiam præsentem ad perfectionem qualem optinet perduxit, & redditus ipsius emit, aulam multis jocalibus librisque bibliothecam insignivit, sexdecim scolares intus in theologia studentes ex proprio perpetuò fundavit; cujus solemne anniversarium intus XII. Iulii celebratur, tuncque præsens conventus recreatur. Orate pro eo.

Vide to. 1. Italiæ sacræ pag. 273.

De eodem Cardinale Albo ista reperi apud Ioannem Schaldenland Episcopum Culmensem in tractatu de statu Cardinalium sub finem. Extat MS. in codice 2089. bibliothecæ Colbertinæ. Fuit porrò Ioannes ille ordinis Prædicatorum, factus Episcopus Culmensis anno MCCCLIX. exeunte, postea verò etiam Hildesemensis, Augustanus, & Vvormaciensis. Sic ergo scribit de hoc Cardinale. *Ego ex gratia tacendum hic non vidi quod audivi. Me præsente venit quidam monachus Cisterciensis ordinis ad quendam Dominum Cardinalem petens & rogans ab eodem Domino Cardinale ex parte Domini Albi piæ recordationis nuper defuncti quatenus Cardinalis sibi vellet assistere in promotione cujusdam magistri in theologia Bertoldi nomine ejusdem ordinis ad Ecclesiam Eystetensem. Statim ille Dominus Cardinalis, qui tunc inter alios non erat parvæ reputationis, respondit in hæc verba: Dicatis Domino meo Cardinali Albo quòd ego promisi tali Cardinali, quem etiam nominavit, assistere in promotione illius Cruciferi de domo Theutonica. Alioquin sibi libenter assisterem in personam istius, si promissum hujusmodi non obstaret. At ille frater cum omni reverentia replicavit contra promissum hujusmodi dicens: Reverendissime Pater, non facitis conscientiam quòd personam litteratam & quæ diebus vitæ suæ Deo in religione militavit postponitis propter personam laicam & totaliter illitteratam, quæ diebus suis non Deo sed mundo militavit. Cui replicationi respondit Dominus Cardinalis in hæc verba: Frater, vos Alemanni consuevistis tales Episcopos habere qui sunt magis usitati & experti in bellis quàm in libris; & ideo non facio de hoc conscientiam, quòd in Alamannia miles monacho præfertur. Sed monachus nihilominus iterum replicavit dicens: Pater reverendissime, verum est. Utique Alamanni consueverunt tales Episcopos habere. Sed tamen scitis causam? Et respondit Dominus Cardinalis: Certè libenter scirem. Cui monachus: Causa quare tales habere consuevimus est quia tales curia Romana nobis dare consuevit. Alioquin re vera nec unus illiteratus pro aliqua promotione tali ad curiam declinaret. Quo verbo Dominus Cardinalis submisso capite tanquam repercussus respondit submissa voce: Forte verum dicis. Sed pro certo resilire non possum pre nunc à promisso. de quo doleo.*

BERNARDVS DE ALBIA oriundus è diœcesi Appamiarum, ut isthic scriptum est. Bertrandus Helias in historia Fuxensium Comitum fol. 55. eum vocans literatum doctissimumque virum, Appamiensem domo fuisse scripsit. quem secuti sunt Sammarthani in catalogo Episcoporum Ruthenensium. At in veteri genealogia MS. Regum Francorum, in qua recensentur Cardinales ea tempestate creati, dicitur ortus *de castro Fuxensi.* Antonius Bonaldus ei Savardunum oppidum tribuit pro patria. Michael verò Carbonellus lib. 3. cap. 18. scribit patrem ejus fuisse Catalanum è vicecomitatu Cardonensi.

Anno MCCCXXXVI. factus est Episcopus Ruthenensis, & in eam urbem solemni pompa

invectus est die XV. mensis Augusti.

Anno MCCCXXXVII. missus est in Hispaniam ad conciliandos Reges Castellæ & Lusitaniæ. *Odor. Raynald. an.* 1337. §. 25. & *an.* 1338. §. 50.

Anno MCCCXXXVIII. die XVIII. Decembris fuit factus Presbyter Cardinalis. Erat absens, nimirum in legatione Hispanica. Puto autem eum abfuisse etiam tempore mortis Benedicti XII. adeoque titulum sancti Cyriaci in Thermis habuisse à Clemente VI. non verò à Benedicto. Quippe apud Michaelem Carbonellum lib. 2. cap. 24. & in Indicibus Suritæ legimus illum anno MCCCXXXIX. adhuc in Hispania fuisse mense Iulio & interfuisse translationi reliquiarum sanctæ Eulaliæ; eumque idem Surita lib. 7. annal. Aragon. cap. 69. ait præfuisse Concilio quod tum celebratum est apud Barcinonem. Rursum in Hispaniam missus est à Clemente propter dissensionem quæ erat inter Petrum Regem Arragonum & Iacobum Regem Majoricarum. Qua de re pluribus agemus in Notis ad vitam Clementis VI.

In regesto LXXIV. archivi regii Parif. cap. 771. extant literæ Ioannis filii Philippi Regis Francorum datæ apud Nemausum anno MCCCXLIV. mense Iulio, quibus amortizavit centum libras annui redditus in gratiam hujus Cardinalis, *Reverent Pere en Dieu nostre tres-cher & especial amy le Cardinal de Rodés*, cum facultate eas transferendi in personas ecclesiasticas aut alia loca pia pro remedio animæ ejus & amicorum, prout ei placuerit.

Anno MCCCXLVI. Clemens VI. ei commisit causam Henrici Archiepiscopi Moguntini, cujus animus contumax adversùm se excitaverat bilem pontificiam. *Odoric. Raynald. an.* 1346. §. 14. *& seq.*

Eodem anno die XXII. mensis Aprilis interfuit juramento quod Karolus Princeps Moraviæ assumendus in Imperatorem præstitit de tuendo jura Ecclesiæ Romanæ. *Odoricus Raynald. an.* 1346. §. 19. 26.

Anno MCCCXLVIII. factus est Episcopus Portuensis. Quo loco observat auctor Ordinis Romani editus in tomo secundo Musei Italici pag. 435. eum fuisse prælatum Cardinalibus antiquioribus, quia ante promotionem ad cardinalatum fuerat Episcopus consecratus. Tum verò ei Clemens Papa dedit anulum dari consuetum Cardinalibus præsentibus, ut observatum est in eodem Ordine pag. 437.

Mortalitatem explevit anno MCCCL. die XIII. Novembris, ut docet Contelorius. Condito autem testamento nonnullas domos ad se pertinentes in suburbio urbis Tolosanæ & certas pecuniarum summas legavit ad construendum cœnobium Clarissarum. Testatur id Innocentius VI. in bulla edita à Vvaddingo in regesto tomi quarti pag. 28.

Virum fuisse doctissimum testatur Bertrandus Helias, ut suprà vidimus. Quod etiam colligitur ex epistolis Petrarchæ versibus scriptis, inter quas tres reperiuntur ad hunc Cardinalem scriptæ. Geraldus de Cussaco Carmelita Agennensis ei dicavit collectionem sermonum suorum, ut testatur Antonius Possevinus. Petrarcha verò ad eum dono misit vetustissimum exemplar commentariorum Servii in Virgilium, uti videre est in prima epistola Petrarchæ ad illum scripta.

Augustinus Oldoinus in Athenæo Romano pag. 135. testatur poemata aliquot istius Cardinalis extitisse olim in codice MS. Cardinalis Sirleti. Idem pag. 134. commemorat orationem ejus ad Gallos editam in Spicilegio veterum scriptorum à Domino Luca Dacherio monacho Benedictino, ubi ego illam reperire non potui.

GUILLELMUS DE AURA] Fuit ille primò monachus in monasterio Letatensi, uti scriptum est in secunda vita Benedicti XII. pag. 216. & ipsemet Guillelmus docet in epistola ad monachos ejusdem monasterii scripta, quæ extat in tomo quarto Galliæ Christianæ. Quare temeraria vita est conjectura Frizonii censentis eum professum esse monachismum in monasterio Montis-olivarum, quia illic Abbas fuit. Factum porrò fuisse Abbatem à Ioanne XXII. anno MCCCXXII. invenit in monumentis veteribus ejusdem monasterii vir diligentissimus Domnus Claudius Stephanotius.

Eo tempore quo adhuc erat Abbas Montisolivi Benedictus XII. ei & quibusdam aliis viris doctis curam injunxit corrigendi & reformandi formularium pœnitentiariæ. Vide suprà pag. 723.

Anno MCCCXXXVI. ejusdem Guillelmi opera usus est idem Benedictus in condendis novis statutis monachorum ordinis sancti Benedicti, ut patet ex initio eorundem statutorum.

Eadem tempestate idem Papa ei commisit cognitionem controversiarum quæ ortæ erant inter Pictavinum Episcopum Magalonensem & academiam Monspeliensem, ut docet præfatio statutorum quæ ad componenda illa dissidia constituta fuot à Bertrando Deucio Cardinale sancti Marci anno MCCCXXXIX.

Anno MCCCXXXVIII. die XVIII. Decembris Benedictus Papa hunc Guillelmum adlegit in ordinem Presbyterorum Cardinalium, & anno sequenti, die XVI. Ianuarii, ei commisit titulum sancti Stephani in Cœlio monte. Vide Ordinem Romanum editum in tomo secundo Musei Italici pag. 432.

Semper autem stetit in ordine Presbyterorum Cardinalium, neque unquam potuit pervenire ad honorem Episcopi Cardinalis, quia *titulus episcopalis cardinalatus*, ut legitur in pagina 436. ejusdem Ordinis Romani, *non consuevit committi alicui Cardinali nisi primò fuerit Episcopus consecratus, posito quòd tempore quo talis titulus episcopalis vacat sit Prior Presbyterorum Cardinalium primus qui non fuit Episcopus consecratus ante promotionem suam ad cardinalatum. Et ita factum fuit quando Dominus Cardinalis de Bolonia fuit factus Episcopus Portuensis, qui erat Subprior Presbyterorum Cardinalium, quia fuerat ante cardinalatum Archiepiscopus Lugdunensis consecratus, & Dominus Cardinalis Montisolivi erat Prior Presbyterorum Cardinalium. Sed quia ipse Dominus Montisolivi non fuerat Episcopus consecratus ante promotionem suam ad cardinalatum, ideo non fuit sibi commissus titulus episcopalis supradictus*. Eandem ob causam postpositus quoque est Bernardo de Albia Episcopo Portuensi, Stephano Alberti Ostiensi, & Ægidio Albornotio Sabinensi, ut legitur in eodem Ordine Romano pag. 435.

Anno MCCCXLI. Benedictus Papa huic Guillelmo Cardinali sancti Stephani in Cœlio monte commisit ut cum Casimiri Regis Poloniæ ac Cruciferorum nuntiis Avenione præsentibus concordiam stabiliret, ut ad annum 1341. §. 6. scribit Abrahamus Bzovius. At Odoricus Raynaldus an. eod. §. 40. scribit illum propterea missum fuisse Legatum in Poloniam, idque in margine accepisse se docet ex regesto Benedicti.

Anno MCCCXLII. arbiter electus est unà cum Ioanne Arelatensi Archiepiscopo & Raymundo de Canilhaco Præposito Magalonensi ut litem dirimeret quæ erat inter Guillelmum de Lauduno Vestiarium Magalonæ & Canonicos claustrales super augmentis quæ dictus Vestiarius eisdem Canonicis dare tenebatur. *Gariellus in serie præsulum Magalon. par. 2. pag.* 10.

Anno MCCCXLIII. dedit monasterio Lesatensi quædam monilia & vasa argentea & ducentos florenos auri ad celebrandum bis in anno anniversarium suum in eodem monasterio. *To. IV. Galliæ Christ. pag.* 567.

Cùm autem anno MCCCXLV. Andreas Ioannæ Reginæ Siciliæ maritus horrenda morte periisset, & Ludovicus Rex Hungariæ frater Andreæ Ioannam hujus sceleris auctorem esse palam clamitaret, eaque accusatio ad Clementem VI. Papam delata fuisset, ille ejus inquisitionem commisit Guillelmo Cardinali de Aura. Vide Odoricum Raynaldum an. 1348. §. 4. & 1349. §. 7.

Anno MCCCLIII. Innocentius VI. Bertrando Episcopo Sabinensi & Guillelmo Cardinali tituli sancti Stephani in Cœlio monte commisit ut inquirerent de veritate eorum quæ Ioannes Archiepiscopus Mediolanensis afferebat in defensionem Matthæi, Galeacii, Marci, & Stephani de Vicecomitibus Mediolani, quorum corpora hactenus erant insepulta propter processus adversùs eos factos à superioribus Pontificibus. Literarum Innocentii, quæ admodum prolixæ sunt, fragmentum refert Odoricus Raynaldus an. 1353. §. 18.

Obiit anno MCCCLIII. die tertia mensis Decembris, ut scribit Contelorius. In Necrologio monasterii Montisolivi, unde descripsit laudatus suprà Stephanotius, ita habetur: *Anno Domini MCCCLIII. die......... mensis Decembris migravit ad Dominum Reverendissimus in Christo Pater Dominus Guillelmus tituli sancti Stephani in Cœlio monte sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Presbyter Montisolivi, quondam Abbas hujus monasterii, & jacet in hoc monasterio ante altare beati Iohannis Baptistæ*. Ejus sepulcrum, quod erat in medio chori, destructum est à Calvinistis. In eodem Necrologio ista quoque leguntur ad diem XIII. Kal. Iunii. *Generale officium pro anima Reverendissimi in Christo Patris Domini Guillelmi tituli sancti Stephani in Cœlio monte Presbyteri sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Montisolivi*.

Ei in regimine monasterii Montisolivi successit anno MCCCXXXVIII. affinis ejus Raymundus Rogerii de Aura.

POTIVS VOLEBAT QVOD VACARENT] Aymericus de Peyraco Abbas Moyssiacensis in chronico MS. loquens de hoc Benedicto Papa: *Valde probus fuit, & de rebus Ecclesiæ largiendis parentibus suis parcissimus, & in beneficiis vacantibus conferendis tenax. Et ideo depingitur cum pugillo clauso*. Hanc ejus asperitatem perstringere videtur Petrarcha in libro variar. epist. 38. ubi loquens de Gregorio XI. ait: *Non est enim, ut opinor, Dominus noster in illa duritie qua fuerunt aliqui in diebus nostris, negare omnia parati, dum nonnisi perfectis viris dare aliquid volunt. Quod si fiat, aut omnia beneficia vacabunt, aut paucissimis omnia conferentur*. Vide infrà pag. 240. P. 1101

VNVM SOLVM] nepotem suum, ut legitur infrà pag. 219. Vocabatur autem Ioannes, cognomento Bauzianus, ut ait Saxius. Illum ego suspicor fuisse monachum Cistercienscm, cùm in libro obligationum archivi Vaticani vocetur frater Ioannes electus Archiepiscopus Arelatensis. Evasit igitur Archiepiscopus Arelatensis anno MCCCXLI. quo Gasbertus ad archiepiscopatum Narbonensem translatus est. Eum Saxius tradit obiisse anno MCCCXLVII.

P. 211. CVM AD IPSVM VENIT] anno MCCCXXXVI. ut dictum est supra pag. 800. 817.

SI HABERET DVAS ANIMAS] Contrà Nicolaus Spinellus animo commotus adversùs Vrbanum VI. propter contumeliam sibi jussu ejus illatam in quodam convivio, eam ulturus, cuidam Cardinali in recessu dixisse fertur habere se duas animas, unam Deo destinatam, aliam daturus alii qui eam vellet accipere. Ita enim narrat Pandulphus Collenuccius lib. 5. hist. Neapolitanæ.

P. 212. INTER MELIORES] Certum est hunc Benedictum valde laudatum fuisse à scriptoribus illius ævi & à supparibus. Et tamen non potuit vitare aculeatas quorundam criminationes, ut videre est infrà pag. 240. & sequenti. Atrociora sunt quæ alii tradunt de sorore Petrarchæ ab eo stuprata. Quæ narratio hinc quoque argui potest falsitatis quòd Hieronymus Squarzafichus in vita Petrarchæ scribit fratrem ejus, qui furori Pontificis hanc sororem depereuntis consenserat, eamque illi dederat in manus, pœnitentia ductum eo tempore factum esse Carthusianum haud procul Massilia. Etenim si ea fuisset causa secessus fratris Petrarchæ, & Petrarcha, qui de Benedicto sæpe locutus est, ei non pepercisset, & fratrem non sic laudasset quo modo videmus laudatum ab eo fuisse in variis epistolis ad eum scriptis. Ceterùm nescio unde Baleus cent. 4. in appendice capitis 92. acceperit hunc Benedictum plures meretrices habuisse. Sed adversarii nostræ religionis facilè scribunt quæ eis occurrunt ad deturpandam vitam Pontificum, facilè ab eorum laudibus abstinent. Itaque Simon Goulartius in catalogo testium veritatis pag. 1820. hoc telum lubenter arripuit, ut in nos contorqueret.

P. 213. XXIV.] Ita etiam infrà pag. 219. & apud Ioannem Villanium lib. 11. cap. 21. Sed Oldoinus nominat viginti & unum tantùm; quia omisit Lucam de Flisco, Raymundum de Fargis, & Petrum Bertrandi. Eosdem omiserat Ciaconius; eorum verò loco posuerat Raynerium de Rufo, Guillelmum Tostam, & Arnaldum de Pelagrua. Hos itaque Oldoinus sciens extinctos fuisse ea tempestate, hinc sustulit, parum curans de implendo numero.

IN PALATIO AVINIONENSI] Sic etiam infrà pag 219. & 230. Quare nescio ubi Abrahamus Bzovius invenerit Cardinales tum inclusos fuisse in monasterio Prædicatorum Avenionensi.

CORONATIONIS HONOREM] per manus Neapuleonis Vrsini, qui erat antiquior Diaconorum Cardinalium, ut legitur infrà pag. 220. 225.

NICOLINVM DICTVM CARDINALEM] Illum anno MCCCXXVIII. missum esse à Genuensibus ad Hugonem Regem Cypri pro componenda controversia quam Genuenses cum eo habebant tradit ex regesto Ioannis XXII. Odoricus Raynaldus anno 1328. §. 85. P. 217.

Hanc historiam ex hoc nostro scriptore enarravit suis verbis Henricus Spondanus an. 1341. §. 3.

PROCESSVS TERRIBILES] Extant in archivo Episcopi Albiensis; unde nos exemplum habemus, quod daturi sumus in appendice.

TIBIAR. INFIRMITATE] In veteri libro MS. inscripto *Arbor genealogiæ Regum Francorum* hæc leguntur: *Hic Papa Benedictus anno Domini* MCCCXL. *pontificatus sui anno sexto infirmatur infirmitate tibiarum, sic quòd non poterat esse in consistorio. Vnde ad instantiam Cardinalium tenuit aliqua consistoria generalia eodem anno mense Iulii in camera sua sedens more Pontificum in lecto suo. Et inter cetera in consistorio publico in lecto, ut prædictum est, celebrato Bononienses, qui sub gravi excommunicatione & anathemate propter invasionem & depredationem Cardinalis Hostiensis apostolica sedis Legati detenti fuerant multis annis, absolvit, emenda & satisfactione recepta.* P. 219.

COMITEM NOVALIVM] Ita profectò habet codex Vaticanus, ex quo ista ediderunt Odoricus Raynaldus & Daniel Papebrochius. Nos enim cùm certi esse vellemus de scriptura veteris libri, deque ea re scripsissemus ad eminentissimum Cardinalem Hieronymum Casanatam, ille mittens varias lectiones hujus vitæ Benedicti ex codice Vaticano, plures quidem misit quoad alia loca, nullam quoad Comitem Novalium. Hinc confirmata in animo meo est lectio quam exhibent editiones Raynaldi & Papebrochii. Sed adversùs hanc lectionem opponi potest auctoritas Bzovii, qui an. 1334. §. 4. de ea re agens ait Cardinales à Comite Monasio, qui pro Rege Roberto provinciam Narbonensem cum imperio regebat, reclusos fuisse in monasterio Prædicatorum. Quod confirmare videtur Ioannes Villanius lib. 11. cap. 21. scribens illos in conclavi inclusos per Seneschallum Roberti Regis in Provincia. Ego tamen nihilominùs retineo lectionem codicis Vaticani, præsertim cùm Bzovius auctorem illius historiæ nullum referat, aberret autem in loco in quo Cardinales inclusi fuerunt. Et sanè fieri facilè potuit ut & Seneschallus Roberti & Comes Noualius eam curam susceperint, Seneschallus auctoritate ejus Principis ad quem pertinebat civitas Avenionensis, alter ut rector comitatus Venecyssini aut Mareschallus P. 220.

curiæ Romanæ. Solebant enim tum Romani Pontifices has dignitates demandare caris suis, ut pluribus exemplis demonstrari potest. Sic Raymundus Guillelmi dominus de Budos nepos Clementis V. fuit ab eo constitutus rector comitatus Veneyssini, ut suprà pag. 620. adnotatum est. Sic Arnaldus de Trianno Mareschallus & nepos Ioannis XXII. erat rector comitatus Veneyssini anno MCCCXXXIV. ut docet liber Arnaldi Camerarii. Hugonem de Rupe, qui Dalphinam Rogeriam neptem Papæ Clementis VI. habebat uxorem, fuisse rectorem ejusdem comitatus & Mareschallum curiæ Romanæ ostendemus paulò infrà ubi Clementis VI. genealogiam enarrabimus. Sed dicet aliquis gentem Noalliorum nondum fuisse insignitam titulo comitatus, adeoque narrationem illam referri ad eam gentem non posse. Sanè ut verum est Noallios nostros non fuisse tum dictos Comites, ita negari non potest quin iste Comes dictus fuerit, si modò fuit rector comitatus Veneyssini. Nam tum, ut observavit Bonaventura Angelius in historia Parmensi, & aliunde multis exemplis ostendi potest, qui terras ad Romanam Ecclesiam pertinentes regebant nomine summorum Pontificum, Comites dicebantur. Ea porrò tempestate, ut illud quoque addamus, Noalliarum dominus fuisse videtur Helias filius Hugonis & Luciæ Combornensis, nepos Petri & Helidis Rogeriæ amitæ Clementis VI.

P. 222. LIBRUM QUEM COMPOSUIT] divisum in sex tractatus, uti suprà pag. 797. diximus. Extat MS. in bibliotheca Vaticana. Varia verò illius fragmenta edidit Odoricus Raynaldus an. 1333. §. 59. & seqq. 1335. §. 9. & seqq. 1336. §. 4. & seqq.

IOHANNES GAYTANI] Hinc ergo emendandi sunt ceteri scriptores, qui mortem istius Cardinalis revocant ad annum MCCCXXXIX.

P. 224. IPSUM ABSOLVIT] Rubricæ anni tertii Benedicti XII. cap. 525. *Henrico Duci inferioris Bavariæ. Absolvitur ab excommunicationum & aliis sententiis atque pœnis quas incurrerat obtemperando, obediendo, & favendo Ludovico Duci Bavariæ ut Imperatori Romano.* Et cap. 526. *Episcopo Kiemensi. Mandatur sibi quòd Margaritam conjugem dicti Henrici Ducis & familiares Ducis & conjugis eorundem absolvat à pœnis & sententiis antedictis.* Vide Odoricum Raynaldum an. 1337. §. 5. & seq.

P. 225. AD REGIMEN] Habetur in extravagantibus commun. sub titulo de præbendis & dignitatibus. Extat etiam in codice 2419. bibliothecæ Colbertinæ fol. 52. inter varias constitutiones ejusdem Benedicti.

P. 226. NUNQUAM ABSOLVIT] Contrà Baleus cent. 4. pag. 373. ait Ludovicum tandem absolutum fuisse à Benedicto, & in tota Germania publico decreto publicari jussisse processus omnes, quotquot à Ioanne XXII. contra Imperatorem facti fuerant, nullos esse, nec decuisse Ioannem contra illum talia attentare, cùm Pontificis & Imperatoris jurisdictiones distinctæ sint.

MARESCHALLUM SUUM] Eadem historia enarratur etiam suprà pag. 209. & 217.

FREDERICUM] cui favorabilem fuisse Benedictum tradit Nicolaus Specialis lib. 8. cap. 5. P. 234.

EBREDUNEN. ARCHIEPM.] Bertrandum de Deucio. Vide suprà pag. 812.

INTER URSINOS ET COLUMN.] Rem sic gestam narrat Bzovius an. 1338. §. 16. ex regesto Papæ Benedicti: *Legatum in urbem, qui populum ad magistratum recens à Ludovico impositum abrogandum induceret, & inter proceres Ursinos atque Columnenses pacem componeret, senatoremque nomine sedis apostolicæ urbi præponeret, destinavit. Facilè omnia ex animi sententia cesserunt in urbe Legato, cùm Matthæum Ursinum & Petrum Columnam senatores esse jussisset.* In rubricis literarum curialium anni tertii Benedicti XII. cap. 12. ista leguntur: *Ad futuram rei memoriam. Prorogantur treuga inter Ursinos & Columpnenses per Dominum Bertrandum Archiepiscopum Ebredunensem indicta.* De inimicitiis inter Ursinos & Columnenses vide Petrarcham lib. 11. rer. familiar. epist. 16. Ioannem Villanium lib. 7. cap. 118. veteres historias Pistoriensium pag. 107. & Odoricum Raynaldum an. 1333. §. 25. Recruduerunt illæ anno quarto pontificatus Clementis VI. cùm Aymericus de Castrolucii Cardinalis urbem ingrederetur, ut docet idem Clemens in epistola 512. libri quarto ad eum scripta XVII. Kal. Augusti. Theodericus à Niem lib. 2. de schismate cap. 34. testatur Columnenses fuisse Gibellinos, Ursinos verò Guelfos.

MASTINUM DE LA SCALA] Liber Arnaldi Camerarii: *Littera bullata continens qualiter Dominus Benedictus Papa XII. in consistorio publico, vacante imperio Romano, constituit nomine suo & successorum Romanorum Pontificum & Ecclesiæ Romanæ Vicarios ad regendum & gubernandum civitates Veronensem, Parmensem, & Vincentinam cum eorum comitatibus, castris, villis, mero & mixto imperio, & jurisdictionibus omnibus, videlicet nobiles Albertum & Mastinum de la Scala & eorum successores, quandiu dictum imperium vacaret & dicto Domino Papæ placeret, sub censu annuo quinque millium florenorum auri anno quolibet per eosdem nobiles in festo beatorum Petri & Pauli Apostolorum eidem* P. 235.

Domino Papæ vel successoribus suis, vel sede vacante, Ecclesia Romana, ubicunque fuerit, eorum sumptibus & expensis exsolvendo, & quòd anno quolibet dicti nobiles haberent tenere per tres menses eorum expensis ducentos homines equites & trecentos pedites bene armatos in Lombardia in auxilium terræ Ecclesiæ Romanæ; pro quibus juramentum fidelitatis præstiterunt & se efficaciter obligarunt. Datum Avinioni Kal. Septembris pontificatus sui anno quinto.

P. 237. CAPELLANI SVI] Habuisse unum exemplar hujus vitæ Baleum docent hæc ejus verba ex centuria quarta pag. 373. *Vt omnes ejus Capellani canonicas horas cum nota celebrarent ac in uno dormitorio cubarent constituit, nec haberent alios redditus quàm ad mensa victum & vestitum.* Vide suprà pag. 234.

P. 239. OCTAVA VITA] Amarulenta est & ab eo scripta qui palam inimicus erat hujus Benedicti. Videtur autem scripta à quodam religioso ordinum mendicantium, quibus illum non fuisse admodum favorabilem patet ex his quæ paulò pòst dicet auctor iste & ex iis quæ leguntur suprà pag. 218. 219.

P. 240. FECIT MVLTAS REFORMAT.] Hunc locum integrum & quæ sequuntur descripsit. Matthias Flacius Illyricus in catalogo testium veritatis pag. 447. testatus se accepisse ex appendice Martini pœnitentiarii Papæ. Ex quo certò colligitur eum habuisse exemplar simile Colbertino in quo nos vitam istam invenimus.

PETRVS CARNOT.] Suprà pag. 764. monuimus mendum heic esse & ista non posse convenire Petro de Capis Episcopo Carnotensi, qui nunquam fuit monachus. Itaque referenda sunt ad Raymundum de Mostuejolis. Hic enim solus ex ordine monachorum nigrorum Cardinalis erat in initiis pontificatus Benedicti. Sanè Benedictus in initio statutorum quæ dedit monachis nigris testatur se in iis condendis adhibuisse quosdam Cardinales, sed eos non nominat.

P. 243. DE MALOMONTE] In veteri chartulario monasterii Vlercensis in Lemovicibus pag. 17. ista leguntur: *Hic incipiunt emptiones & conquestæ ac meliorationes factæ per Ebolum de Seyrac Præpositum Vlercensem.* Et infrà: *Item emit à Geraldo Rotgerii Domisello de Malomonte idem Præpositus quandam vineam quam habebat apud sanctum Silvanum precio quadraginta librarum & quinquaginta solidorum Lemovicensis monetæ. Habent super hoc litteras Eboli Archipresbyteri Vosiensis.*

Certum est Clementem VI. fuisse prognatum ex progenie militari, ut ait Albertus Argentinensis, id est, ex equestri nobilitate Rogeriorum Malomontensium. Eorum tamen indiligentia quibus ea res cordi esse debuerat effectum est ut difficile admodum sit texere genealogiam hujus gentis. Nam quod attinet ad genealogiam Belfortiorum quam Iustellus edidit ut antiquam, ea opus est hominis imperiti & ab ætate illa multùm remoti. Quod ex eo facilè probatur quòd omnia permiscet, multa omittit quæ certa sunt, pleraque addit admodum incerta. Nos conabimur verum gentis illius stemma describere, sic tamen ut liberè fateamur multis nos adhuc præsidiis destitutos esse, adeoque mirum non esse si interdum cœcutiamus in opere admodum difficili. Sed ante omnia ostendendum est genealogiam à Iustello prolatam esse falsam, mutilam, imperfectam, & compositam ab eo qui aliquam sanè gentis illius notitiam habebat, sed admodum tenuem & exilem, adeoque credi illi posse in rebus quæ difficultatem non habent, in aliis nullam fidem mereri. id quod nullo negotio probari potest. Nam primò Gregorium XI. ait fuisse filium Garinæ de Canilhaco, quem constat natum esse multò ante matrimonium patris ejus cum Garina. Deinde ait Marquesium de Belloforti fuisse filium Guillelmi Comitis Bellifortis, ex Catharina de la Garda, quem constat fuisse filium Garinæ de Canilhaco. Nullam mentionem facit matrimonii Mariæ de Belloforti sororis Ioannis Archiepiscopi Narbonensis cum Raymundo de Nogareto domino de Calvissone. Omittit quoque Dalphinam sororem Gregorii XI. uxorem verò Hugonis de Rupe, & Nicolaum Belfortium, quem idem Gregorius apud Bzovium an. 1353. §. 4. vocat nepotem suum. Omittit etiam Ioannam filiam Guillelmi Rogerii & Garinæ de Canilhaco, quam Ioannes Rex Francorum in literis datis anno MCCCLI. mense Maio testatur se nuper de sacro fonte suscepisse. Præterea in prima vita ejusdem Gregorii pag. 428. scriptum est Ioannem Fabri Cardinalem fuisse consanguineum ejus germanum, id est, ortum ex amita quadam Gregorii sociata vinculo jugali cum patre istius Cardinalis. Ejus tamen matrimonii nulla prorsùs mentio habetur in genealogia illa. Rursum in eadem vita Gregorii XI. pag. 428. legitur Ioannem de Crosso Cardinalem, Lemovicensem vulgò dictum, fuisse consanguineum ejus in tertio gradu, id est, aut aviam Ioannis fuisse Rogeriam, aut aviam Gregorii ortam è gente de Crosso. Sed hanc quoque affinitatem prætermittit illa genealogia. Constat præterea ex Odorico Raynaldo an. 1345. §. 6. Guichardum Vicecomitem Combornensem fuisse Clementis VI. nepotem. Affinitas autem illa, cùm fuerit illustrissima, non debuit silentio transmitti ab eo qui genealogiam Rogeriorum texebat. Consanguineos quoque Clementis fuisse certum est Geraldum Domarum de Gardia Cardinalem, Guillelmum de Gardia

Archiepiscopum

Archiepiscopum Bracharensem & Arelatensem, & Guillelmum de Agrifolio Presbyterum Cardinalem tituli S. Mariæ trans Tyberim. Denique compertum est Guidonem de Malesicco & Geraldum de Podio Cardinales fuisse Gregorii XI. consanguineos. Quarum omnium affinitatum altum silentium est in antiqua illa genealogia Belfortiorum.

His ita enarratis, ita mihi constitui posse videtur totum istud negotium ut cùm certò constet Clementem VI. natum esse an. MCCXCI. aut circiter, & ex epistola 350. libri 4. ejusdem Clementis & ex testamento fratris ejus Guillelmi Comitis Bellifortis itidem certò colligatur Nicolaum Rogerii Archiepiscopum Rothomagensem fuisse eorum parruum, asseramus hunc Nicolaum & Petrum Rogerii dominum de Roserio, qui primus nominatur in hac genealogia, fuisse fratres, Petri verò liberos fuisse Guillelmum Comitem Bellifortis, Clementem Papam, Hugonem Cardinalem, Dalphinam uxorem Iacobi de Bessa, & aliam filiam, cujus nomen ignoratur, nuptam Iacobo de Iudicia.

Guillelmus istius nominis primus, qui comitatum Bellifortis intulit in familiam suam, erat dominus locorum de Roserio & de Chambonio anno MCCCXXXVI. ut patet ex monumentis veteribus editis à Iustello inter probationes historiæ Turrianorum Arvernorum pag. 86. quæ loquuntur de emptione castri & castellaniæ de Margarida apud Arvernos. Tria ille matrimonia expertus est. Ex priore conjuge, quam suspicor fuisse Mariam de Chambonio, procreavit Guillelmum II. Vicecomitem Turennensem & Comitem Bellifortis, Gregorium XI. Papam, Nicolaum dominum de Hermanco & de Limolio, Ioannem Archiepiscopum Rothomagensem & Narbonensem, Raymundum, Elipdim Comitissam Valentinensem, Dalphinam uxorem Hugonis de Rupe, Matham nuptam anno millesimo CCCLIII. Guidoni de Turre, Margaritam uxorem Geraldi Ventedornensis domini de Donzenaco, & Mariam nuptam primùm Garino de Castronovo domino de Apcherio, deinde, eo circa annum MCCCLXXV. extincto, conjunctam, ut arbitror, cum Raymundo de Nogareto domino de Calvissone. Ex actis quippe veteribus datis anno millesimo CCCLXXIX. die XXIX. Augusti, quæ extant in archivo Archiepiscopi Narbonensis, liquet Mariam de Belloforti sororem germanam Ioannis Archiepiscopi Narbonensis fuisse ea tempestate uxorem istius Raymundi de Nogareto. Domini de Apcherio consobrini Raymundi de Turenna mentio est in bulla Benedicti XIII. data anno XIV. edita inter probationes histor. Turennens. pagin. 138.

Circa annum MCCCXLIV. obit apud Avenionem prima uxor Guillelmi Comitis Bellifortis, tot liberorum mater, & sepulta est in Ecclesia cathedrali beatæ Mariæ de Donis in capella Domini Comitis Bellifortis, ut docet Gregorius XI. in suo testamento. Tum verò Guillelmus cogitavit de secundis nuptiis, & anno MCCCXLV. duxit Garinam de Canilhaco filiam & heredem universalem Marquesii domini de Canilhaco diœcesis Mimatensis, neptem verò Raymundi de Canilhaco Cardinalis. Ex ea sustulit Marquesium dominum de Canilhaco natum, ut arbitror, anno MCCCXLVIII. mense Iulio, & Ioannam natam anno MCCCLI. quam Ioannes Rex Francorum de sacro fonte suscepit.

Garina mortua est circa annum MCCCLIX. quo reperio Raymundum Cardinalem fuisse gubernatorem marquesiatus, terrarum, & baroniarum quondam magnifici Domini Marquesii domini de Canilhaco germani sui, Guillelmum verò Comitem Bellifortis & Vicecomitem Motæ vocari patrem & legitimum administratorem Marquesii filii sui nepotisque dicti Domini Cardinalis heredisque universalis dicti quondam domini de Canilhaco avi sui materni.

Post extinctam Garinam, Guillelmus ejus maritus ambivit nuptias Catherinæ de Garda sororis Hugonis Ademarii domini Montilii & Gardæ, ex gente quæ nunc quoque nobilis claraque habetur in Provincia. Vnicam prolem sustulit ex Catherina, Raymundum videlicet Vicecomitem Valernæ.

Porrò præter liberos ex uxoribus susceptos spurium quoque habuit nominatum Tristanum. Testatur illud in depositione sua Ioannes Columbi clericus Avenionensis diœceseos his verbis: *Dixit se scire quòd Camerarius intravit dictum castrum una die antequam Cardinales intrarent conclave, & credit quòd intrarunt cum ipso dictum castrum aliqui de parentela Papæ Gregorii, videlicet Dominus Guido de Pastellis, & Dominus Hugo de Rupe, & Dominus Geraldus ejus filius, & Dominus Tristanus frater bastardus dicti Papæ Gregorii, & Dominus de Ruac.* Vivebat adhuc anno MCCCLXXXV. die secunda Februarii, ut patet ex diario Ioannis Fabri Episcopi Carnotensis: *Ce jour le Visconte de Turenne envoia son frere le bastard & deux aultres requerir Madame* (id est, Mariam Reginam Siciliæ, quæ tunc erat apud Aptam Iuliam) *que elle le aidast devers le Duc de Berri, qui avoit mis la main à sa terre.*

II. filius Guillelmi I. & Mariæ de Chambonio fuit emancipatus à patre ante annum MCCCL. quo vicecomitatum Turennensem emit, eodemque anno duxit uxorem Alienordim de Convenis. Propter istud

opus Bertrandus Episcopus Lumbariensis Papæ Thesaurarius anno proximo missus fuerat in Cataloniam; ut patet ex codice 764. bibliothecæ Colbertinæ, in quo ista leguntur: *Sequuntur expensa facta in & pro prosequutione ac expeditione tractatuum matrimonii Domini Guillelmi de Belloforti Vicecomitis & emptionis vicecomitatus Turenna & pro reformanda pace inter Comitem Convenarum & Comitissam Vrgelli, & soluta per me Thesaurarium supradictum de mandato dicti Domini nostri Papa, anno à nativitate Domini millesimo* CCCXLIX. *pontificatus dicti Domini nostri Clementis Papa VI. anno septimo.* Postea anno MCCCL. mense Martio idem Thesaurarius profectus est Perpinianum *pro complenda expeditione emptionis vicecomitatus Turenna & aliorum negotiorum supradictorum*; habuitque tum socium itineris & adjutorem Hugonem de Rupe Mareschallum curiæ Romanæ.

Guillelmus II. ex Alienorde uxore sua (quam vixisse reperio usque ad annum saltem MCCCLXXXVI. & diem octavam Aprilis) genuit Raymundum Comitem Belliforris & Vicecomitem Turennensem, Eleonoram, Margaritam nuptam anno MCCCLXXIX. Armando Vicecomiti Podompniaci, Ioannam nuptam primùm Raymundo de Baucio, postea verò Guidoni de Calviniaco, & Cæciliam uxorem Ludovici II. de Pictavia Comitis Valentinensis.

Raymundus uxorem habuit Mariam de Bolonia neptem Guidonis Cardinalis Boloniensis, consobrinam germanam Clementis VII. Papæ, ut testatur etiam Benedictus XIII. in bulla edita inter probationes historiæ Turennensis; ex qua orta est Antonia Comitissa Bellifortis & Vicecomitissa Turennensis; post cujus mortem absque liberis Eleonora, quam diximus Guillelmi II. filiam fuisse, evasit Comitissa Bellifortis & Vicecomitissa Turennensis anno MCCCCXVI. & quadriennio pòst obiit absque liberis.

Hugo de Rupe (cujus mentio extat apud Froissartum vol. 1. cap. 286.) Mareschallus curiæ Romanæ, de quo paulò antè dicebamus, vir fuit ea tempestate clarissimus, nobilis ac potens vir vocatus in actis veteribus anni MCCCL. editis inter probationes historiæ Turennensis pag. 89. quem constat ortum esse ex antiqua nobilitate Lemovicensi circum Tutelam. Hunc nepotem suum vocat Clemens VI. lib. 4. epist. 424. ob hoc nimirum quia duxerat Dalphinam Rogeriam, ut docet Petrus de Paterois in epistola dedicatoria tractatus de necessitate & sufficientia vitæ humanæ MS. in codice 1517. bibliothecæ Colbertinæ: *Reverendissima ac prapotenti Domina &c. Domina Dalphina de Belloforti domina de Rupe, nepti sanctissimi in Christo Patris & Domini Domini Clementis Papa sexti, & ejusdem Domini nostri pro nunc Mareschalcissa Romana curia ac etiam ex parte ejusdem Domini nostri Rectorissa comitatus Venaycini, frater Petrus de Paternis sacra theologia professor ordinis fratrum heremitarum sancti Augustini.*

Rectè autem Dalphina vocatur Mareschalcissa curiæ Romanæ & Rectorissa comitatus Venayssini. Quippe maritum ejus ornatum fuisse his dignitatibus anno MCCCXLV. constat ex lib. 4. epist. 55. & 424. ejusdem Clementis. Eundem fuisse Mareschallum curiæ Romanæ etiam sub Gregorio XI. docet codex epistolarum ejusdem Gregorii & Petrus Amelii in descriptione itineris ejus Romani. Eundem fuisse dominum Castrinovi & Toronlii liquet ex veteribus actis editis inter probationes historiæ Turenn. pag. 87. 103. & inter probationes historiæ Comitum Valentinensium pag. 57. itemque ex regesto LXXX. archivi regii Paris. cap. 127. & 171. ex quibus emendandus est Bzovius an. 1373. §. 16. pag. 1469. ubi eum vocat dominum Turnonii.

Duos ille, ut ex epistolis Gregorii XI. colligitur, filios habuit, Ioannem & Geraldum, quos idem Gregorius vocat nepotes suos. Præterea ex testamento Helidis de Belloforti Comitissæ majoris Valentinensis, quæ ejusdem Gregorii soror erat, apparet ejus nepotem fuisse Petrum de Rupe Militem, neptem Dalphinam de Rupe Vicecomitissam Vceticensem, quam consobrinam germanam Raymundi Turennensis rectè vocat Benedictus XIII. in bulla edita inter probationes historiæ Turennensis. Quatuor ergo fuere liberi Hugonis de Rupe & Dalphinæ Rogeriæ ejus uxoris, Ioannes nimirum, Geraldus, Petrus, & Dalphina. Ioannes anno MCCCLXXVI. captus fuit in quodam bello Aquitanico à Capitali Boiorum & in Angliam abductus in captivitatem, Geraldus verò eodem anno obtinuit præceptoriam Brundusii in regno Neapolitano, ut docet idem codex epistolarum Gregorii. Hunc Geraldum Gregorius destinaverat aggregare collegio Cardinalium, ut legitur in Facto quod Iacobus de Seva misisse dicitur ad Vniversitatem Parisiensem in initio schismatis; ubi scriptum est Ioannem de Crosso, Guillelmum de Agrifolio, & Guidonem de Malesicco Cardinales supplicasse Vrbano VI. recenter electo ut in Cardinalium numerum referret *in prima creatione Cardinalium unum eorum consanguineum, quem idem Dominus Gregorius facere intendebat, videlicet quendam filium Domini Hugonis de Rupe Militis, nepotem dicti quondam Domini Gregorii.* Hæc verba descripta ex codice 842. sancti Victoris Parisiensis extant in tomo quarto historiæ Vniversitatis Paris. p. 498. Vide etiam

factum missum Regi Castellæ per Bartholomæum apud Odoricum Raynaldum an. 1378. §. 93.

Inter consanguineos Clementis omissos ab iis qui de rebus istius generis tractarunt reperitur Durandus Episcopus Conseranensis, quem fuisse consanguineum germanum ejusdem Clementis docent literæ Ioannis Comitis Aemaniacensis datæ Tolosæ anno MCCCXLVI. die XVI. Octobris.

CORONATVS] Extat in codice MS. sermonum Clementis VI. & in tomo quarto Maii Bollandiani pag. 578. collatio per eum facta die XVIII. Maii in recitatione processus pro canonizatione sancti Ivonis. In collatione autem illa sic loquitur idem Clemens : *Et fortè non casu sed divina dispensatione factum est ut mihi istud negotium servaretur. Et ratio videtur prima ut quia Dux Britanniæ Iohannes ex parte patris Brito est & ex parte matris Lemovicensis erat, Brito Yvo Heloy per Papam Lemovicensem sanctorum catalogo adscribatur. Secunda, quia, ut ex processu colligitur, iste Dominus Yvo anno ætatis suæ quinquagesimo & XIX. die Maii coronatur in cælis, ego autem anno ætatis meæ quinquagesimo ad statum istum, licet invitus, assumptus XIX. die mensis Maii coronatus fui.* Errant autem vehementer qui scribunt coronatum eum fuisse à Cardinale Neapoleone, quem nos suprà pag. 600. ostendimus mortuum esse antè quàm Clemens fieret Pontifex.

HABITV MONAST. INDVTVS] anno ætatis suæ decimo, juxta canonem 40. synodi habitæ in Trullo. Testem hujus rei habeo Ioannem de Cardalhaco Patriarcham Alexandrinum in sermone habito in exequiis ejusdem Clementis: *Nam à principio suæ puerilis juventutis Deum habuit in memoria, puer decem annorum religionem sancti Benedicti ingrediendo.* Ipse Clemens in bulla data III. Non. Iul. anno primo, qua Abbatem, monachos, & monasterium Casæ-Dei cum omnibus membris ejus exemit à quacunque ordinaria & cujuscunque diocesani aut alterius cujuslibet potestate & jurisdictione, testatur se in eodem monasterio sub regulari habitu ab annis teneris militavisse & in eo professionem emisisse regularem. Igitur factus est monachus anno MCCCI. ut colligi potest ex verbis Clementis paulò antè relatis, qui se in quinquagesimo ætatis anno constitutum fuisse tradit eo tempore quo factus est Papa.

IVIT AD STVDIA] Lutetiam, ut dicitur infrà pag. 265. 280. Hinc rediens ad monasterium Casæ-Dei, spoliatus est à latronibus in saltu Randano. Historia illa extat in tabula appensa in Ecclesia monasterii sancti Illidii Claromontensis, ex qua eam Massonus transtulit in librum sextum de Episcopis urbis. Nos inscriptionem ipsam olim edidimus.

MAGISTER IN THEOLOGIA] anno ætatis suæ XXXI. ut legitur infrà pag. 266. vel XXX. ut pag. 280. Extat apud me vetus codex MS. in quo legitur : *Incipit lectura magistri Petri Rogerii Prioris sancti Baudilii, Doctoris in theologia, super decretali per sanctissimum Patrem Dominum Iohannem Dei gratia summum Pontificem edita quæ incipit: Quia quorundam mentes &c.* Eum publicè tum in academia Paris. interpretatum esse librum quartum sententiarum legimus apud Ægidium Bellameram in cap. *Quanto*. de consuetud.

ROTHOMAGENSEM] anno millesimo CCCXXX. XIX. Kal. Ianuarii. Erat autem tum etiam Provisor domus magistrorum & scholarium de Sorbona ante palatium de Thermis Parisius sita, ut legitur in veteri instrumento illius anni edito in tomo IV. historiæ Vniversitatis Parisiensis pag. 230. Antè quàm eminentissimus Cardinalis Armandus Ioannes Richelius longam juventutem redderet huic domui, istius Papæ imago visebatur in vitrea fenestra Ecclesiæ ejusdem domus cum hac inscriptione. CLEMENS PP. VI. PROVISOR HUJUS DOMUS. Hæc imago deposita tempore novæ ædificationis, aliquandiu servata est illæsa, postea neglecta, postremò confracta. Manet tantùm memoria.

SVOS NVNTIOS] Vide Odoricum Raynaldum an. 1342. §. 9. 15. & Froissartum vol. 1. cap. 52. 64. p. 244.

INCLINAVERVNT AD TREVGAS] Conditiones earum induciarum referuntur à Thoma Walsinghamo.

HELIAS DE NABILANIS] sive de Nabinallis. Nobilem eum fuisse colligi potest ex rubricis anni tertii Benedicti XII. capit. 9. *Episcopo Famagustanensi. Mandatur sibi quòd absolvat Raymundum de Nabinallis domicellum Petragoricensis diocesis & Petrum Milheti civem Tholosanum ab excommunicationis sententia quam incurrerunt quia sepulcrum dominicum sine licentia sedis apostolicæ visitarunt.*

Fuit primò professor ordinis sancti Francisci, deinde Archiepiscopus Nicosiensis in Cypro. *Odoric. Raynald. an.* 1338. §. 72. Postea factus est à Clemente VI. Patriarcha Hierosolymitanus anno MCCCXLII. IV. Idus Iulii. *Bzov. an.* 1342. §. 23. *Wadding. an. eod.* §. 4. *& in regesto pag.* 265. *Odoricus Raynaldus an. eod.* §. 24. Tum sequenti mense Septembri Presbyter Cardinalis tituli sancti Vitalis. *Waddingus an.* 1342. §. 5.

Anno MCCCXLIII. adfuit comitiis generalibus fratrum ordinis sancti Francisci quæ tum coiere Massiliæ. *Nostradamus in histor. Provinciæ p.* 373. *& Wadding. an.* 1343. §. 6.

Hunc plerique omnes confundunt cum Helia de sancto Aredio Cardinale creato ab Innocentio VI. & anno MCCCLXVII. obiisse tradunt. Ego verò puto illum fuisse exemptum rebus humanis anno saltem MCCCL. quo titulus sancti Vitalis datus est Nicolao Capocio.

Ex gente istius Cardinalis fuit Iterius de Nabinallis Episcopus Nimociensis in regno Cypri, ac postea Famagustanus. *Vvadding. an.* 1344. §. 6. & 1346. §. 10.

P. 245. GVIDO DE BOLONIA] Illum fuisse virum magnæ dignationis & magnæ auctoritatis patet ex fragmento Petrarchæ suprà edito pag. 772. Erat enim ortus ex illustrissimo Comitum Arvernensium stemmate, patre Roberto Comite Boloniæ & Arverniæ, matre Maria Flandrica filia Guillelmi de Flandria domini Teneræmundæ. Illum, ut Iustellus ait, Ioannes Rex Francorum vocat avunculum suum in literis datis anno MCCCLII. propterea quòd uxorem habebat Ioannam neptem Guidonis. Eam ob causam Guido Regi Ioanni junctus erat amore & sanguine, ut ait Petrarcha lib. 14. rer. famil. epist. 7. his verbis: *Quid autem Rex ille Regum maximus, & cui amore pariter junctus & sanguine, simul & tua Parisius & Secana blandior tua te promissionis immemorem ultra præstitutum reditus tempus tenent?*

Fuit in juventute sua Canonicus Ecclesiæ Ambianensis, ut legitur in Necrologio ejusdem Ecclesiæ.

Anno MCCCXL. factus est Archiepiscopus Lugdunensis, & biennio pòst Presbyter Cardinalis tituli S. Cæciliæ.

Anno MCCCXLVI. interfuit juramento quod Karolus Marchio Moraviæ futurus Imperator præstitit Papæ Clementi VI. de servandis juribus Ecclesiæ Romanæ. *Odor. Raynal. an.* 1346. §. 19. 26.

Anno MCCCXLVIII. Nicolaus Laurentii olim Tribunus urbis Romæ constitutus in carcere Pragensi prolixam epistolam scripsit ad hunc Guidonem Cardinalem, ejus opem implorans ut ex eo eductus insereretur militiæ Hierosolymitanæ. *Fiat autem quod placet altissimo, fiat quæso, Pater misericors, fiat vestro patrocinio, Pater juste, ut examinatus in Pragensi Ecclesia, ibique Hierosolymitana militia honestatus, surdus, tacitus semper & mutus, humiliatus semper in Domino peregriner.* Verùm aliter evenit. Missus enim est Avenionem, ut postea videbimus. Porrò epistola illa Nicolai edita est in tomo secundo operum Petrarchæ.

Anno MCCCXLIX. missus est Legatus in Hungariam. *Ioa. Thurotzius par. 1. cap. 24. chronica Hungarorum, Odoric. Raynald. an.* 1349. §. 1. & *seqq.* Transivit autem per Paduam & Venetias, per Tarvisium ivit in Hungariam, ut legitur in lib. 10. cap. 1. hist. Cortusiorum.

Anno MCCCL. mense Februarii reversus Paduam, interfuit translationi corporis sancti Antonii. *Hist. Cortus. ibid.* Deinde profectus est Romam propter Iubilæum, ut legitur in eadem historia. Qua tempestate unà cum Hannibaldo Episcopo Tusculano constitutionem fecit de divisione oblationum quæ fiunt in altari basilicæ principis Apostolorum de urbe inter cameram apostolicam & capitulum ejusdem Ecclesiæ facienda, sic ut tres partes secundùm veterem morem pertinerent ad Romanum Pontificem, & una tantùm ad capitulum. Meminit hujus constitutionis Innocentius VI. in epistola scripta ad Pontium Vrbevetanum & Stephanum Castrensem Episcopos.

Reversus deinde Paduam Guido mense Maii celebravit Concilium generale de Prælatis suæ legationis. *Hist. Cortusior. ibid.*

Eodem tempore conatus est concordiam revocare inter Bertrandum de sancto Genesio Patriarcham Aquileiensem & Comitem Goritiæ, inter quos erat magna discordia, sed frustra. *Hist. Cortusior. lib. 10. cap. 3.*

Eadem tempestate, aperto Iubilæo, Maria mater Guidonis Romam profecta est. *Odor. Raynald. an.* 1350. §. 2. Puto autem illam tum mortuam esse. Constat quippe ex epistola prima lib. 13. rer. familiar. Petrarchæ eam excessisse rebus humanis paulò pòst quàm Guido factus est Episcopus Portuensis, id est, anno MCCCL. quo obiit Bernardus de Albia Episcopus Portuensis. Sepulta est autem in monasterio Clarissarum de Moncello prope Pontem sanctæ Maxentiæ in diœcesi Belvacensi, in quo Margarita ejus filia professa erat regulam sanctæ Claræ. Extat enim in regesto Clementis VI. epistola ad Mariam de Flandria Comitissam Boloniæ data apud Villamnovam Avenion. dioc. v. Non. Octobr. anno nono, qua ei concedit ut monasterium de Moncello ad visitandam filiam suam monialem Margaritam ingredi & in eo pernoctare possit. Ex quo colligi posse videretur eam mortuam esse in ipso monasterio aut certè in loco non multùm remoto.

Rediens Guido ex Italia Avenionem, paulò antè quàm ad lacum Benaeum perveniret habuit obvium Franciscum Petrarcham, ut ipse tradit lib. 7. rer. senil. epist. 1. scribens ad Vrbanum V. Papam: *Addam tamen alium testem, vivum quoque, & alienigenam, & præclarum, Guidonem Portuensem; quem memini, & ipse etiam puto meminerit, anno Iubilæo ab illa sua gloriosa legatione redeuntem, dum iter suum innata mihi ad illum devotione prosequerer, & ad Benacum Venetiæ la-*

cum nobilissimum venissemus &c.

Guido igitur ex Subpriore Presbyterorum Cardinalium (ut legitur in Ordine Romano edito in tomo secundo Musei Italici pag. 436.) factus est Episcopus Portuensis anno MCCCL. exeunte. Erat autem tum Avenioni, ac propterea accepit à Papa Clemente VI. anulum nobilem, ut docet idem Ordo Romanus pag. 437.

Illum fuisse factum Decanum Ecclesiæ S. Martini Turonensis anno MCCCLII. die XIII. mensis Novembris liquet ex veteri libro MS. ejusdem Ecclesiæ.

Hunc Guidonem profectum esse suis expensis in Galliam ad tractandam pacem inter Reges Franciæ & Angliæ legitur in quarta vita Clementis VI. pag. 308.

Anno MCCCLIII. destinatum eum fuisse Legatum pro pace constituenda inter Reges Franciæ & Angliæ vidimus inter eas epistolas Innocentii VI. quas scripsit in initio pontificatus sui. Mansit autem in ea legatione Gallica usque ad annum sequentem exeuntem. Vide Bzovium an. 1353. §. 28. & Odoricum Raynaldum an. 1353. §. 15. 1354. §. 15. 19.

Eo autem anno, XVI. Kal. Octobris dedicavit Ecclesiam Carmelitarum Parisiensium præsentibus Rege & Regina. Videto. IV. hist. Vniversitatis Paris. pag. 328.

Froissartus vol. I. cap. 154. scribit illum mense Septembri excessisse Lutetia & rediisse Avenionem.

Anno MCCCLV. cùm ageretur de mittendis Romam Cardinalibus pro coronando Karolo IV. Imperatore, eumque honorem expeterent Talayrandus Cardinalis Petragoricensis & Guido de Bolonia, facilè obtinuerunt. Non ivisse tamen ait Matthæus Villanius lib. 4. cap. 71. quia Papa & Cardinales noluerunt suppeditare sumptus necessarios.

Anno MCCCLIX. ei imposita est legatio Hispanica. *Bzov. an.* 1359. §. 6. 1360. §. 8. *Odoric. Raynald. an.* 1359. §. 2. 1363. §. 18. *& Surita lib. 9. annal. Arragon. cap.* 21. 33. *& lib.* 3. *Indic. an.* 1359. *&* 1361. Rediit inde anno MCCCLXI. ut ait idem Bzovius an. 1361 §. 6. Qua de re sic legitur in quodam libro obligationum archivi Vaticani ad annum illum : *Die octava Novembris Guido de Bolonia Cardinalis redit de legatione Hispania & intravit curiam.* Vide etiam Rodericum Santium par. 4. cap. 17. tet. Hispanicar, & primam vitam Innocentii VI. pag. 336.

Anno MCCCLXVIII. fuisse Legatum in Italia docet Bonintegnius pag. 536. Vide etiam primam vitam Vrbani V. pag. 385. & quæ nos illic adnotamus.

Anno MCCCLXX. concessit in locationem ad quindecim annos unum castrum cum aliquibus possessionibus Ecclesiæ Portuensis absque superioris auctoritate vel absque evidenti Ecclesiæ Portuensis utilitate. *Ægid. Bellamera in Clement. Si una. de rebus eccles. non alien.*

Anno MCCCLXXI. die quarta Ianuarii fecit Presbyterum Gregorium XI. electum Pontificem Romanum. *Secunda vita Gregorii XI. pag.* 451.

Eodem anno idem Gregorius ei & Ægidio Aiscelini Episcopo Tusculano commisit causam Astruchi de Pieta Iudæi Barcinonensis, qui confessus fuerat quòd dæmones invocaverat, sacrificaverat, responsa expectaverat & habuerat. *Nicol. Eymerici in secunda parte Directorii Inquisitor. quæst.* 46.

Anno MCCCLXXII. rursum missus est Legatus in Hispaniam ad componendas controversias quæ exortæ erant inter Reges illius provinciæ. *Bzov. an.* 1372. §. 31. 1374. §. 10. *Odoric. Raynald. an.* 1372. §. 27. 1373. §. 23. 24. Vide etiam appendicem Marcæ Hispanicæ tit. 529.

Obiit Ilerdæ in Hispania Tarraconensi anno MCCCLXXIII. die XXV. Novembris. Fuere qui dicerent veneno extinctum esse quod ei datum est arte Karoli Regis Navarræ. *Odoric. Raynald. an.* 1373. §. 24. 1374. §. 22. Sepulcrum ejus elegantissimum è marmore candido visitur in Ecclesia monasterii Vallis lucidæ in Lemane Arvernorum, ubi ipse, cùm de supremis suis decerneret, corpus suum sepeliri jussit, certamque pecuniæ summam reliquit ex qua acquirerentur reditus qui sufficerent alendis duodecim monachis Cisterciensibus addendis ad eos qui jam illic constituti erant, ut docent vetera temporum illorum monumenta hinc ad nos missa. Hodie monasterium illud vocatur *du Bouschet*.

Multùm laudatur Guido à Francisco Petratcha lib. 14. rer. famil. epist. 7. lib. 19. epist. 8. & lib. 6. rer. senil. epist. 6. lib. 7. epist. 1. & lib. 1. variar. epist. 43.

Habuisse eum inter familiares & domesticos suos Bartholomæum Archiepiscopum Barensem, qui postea sub Vrbani VI. nomine tenuit papatum Romanum, docet Garsias Martini electus Auriensis in sua depositione : *Item dixit quòd post paucos dies post electionem dixerat sibi Cardinalis Gebennensis quòd ipse expediret factum suum cum isto primo electo pro eo quòd fuerat familiaris Cardinalis avunculi sui, & ipse voluisset eum ducere secum quando venit ad Italiam Legatus, & quòd hoc omiserat pro eo quòd regebat bene cancellariam.*

AYMERICVS DE CASTROLVCII] sic dictus à loco originis suæ, teste Clemente VI. in sermone quem habuit in regressu ejusdem Aymerici à partibus Tusciæ & Siciliæ : *Item & ex cognomine. Cognomi-*

natur enim de Castrolucii. Est enim castrum eminenter situm, affluenter munitum, precellenter insignitum, diligenter custoditum. Celebre est hoc castrum propter mortem Richardi I. Regis Anglorum, qui in illius obsidione periit.

Fuit primò Canonicus Lemovicensis circa annum MCCCXIV. ut legitur in archivo Episcopi Albiensis. Deinde Archidiaconus Transvigennensis in Ecclesia Turonensi. Sic enim scribendum, non verò *Transligerensis*, ut vulgò fit, patet ex multis bullis Ioannis XXII. ad eum datis, quæ extant in codice 819. bibliothecæ Colbertinæ.

Anno MCCCXVIII. missus est unà cum Vberto Episcopo Bononiensi nuntius apostolicus in Italiam ad compescendam audaciam quorundam hominum potentium qui Romanæ Ecclesiæ juribus insultabant. *Odor. Raynal. an.* 1318. *§.* 41. *& seq.* Verùm bullæ Ioannis XXII. quibus eam provinciam imposuit huic Episcopo & Aymerico, quæ extant in regesto ejusdem Ioannis in bibliotheca Colbertina, disertè præferunt annum quartum pontificatus ejus. Itaque oportuit seriùs missos esse quàm scribit Raynaldus.

Anno MCCCXXII. factus est Archiepiscopus Ravennas.

In libro Arnaldi Camerarii hæc scripta sunt: *Item transumptum duarum litterarum illustris Roberti Regis Siciliæ & Iohannis ejus filii Comitis Gravinæ, in quibus mandaverunt eorum officialibus & gentibus gubernantibus in Romandiola & comitatu Britonorii sub pœna proditionis ut in continenti dimitterent & traderent Romandiolam & comitatum prædictum magistro Aymerico de Castrolucio Rectori provinciæ Romandiolæ & comitatus prædictorum pro Domino Papa constituto. quod transumptum sigillis duorum Cardinalium est sigillatum. Datum Avinione anno Domini* MCCCXXIII. *Idibus Novembris, pontificatus Domini Io. Papæ XXII. anno quinto.*

Anno MCCCXXVI. Marinus Sanutus Torsellus ad eum scripsit epistolam, in qua eum commendat de famæ celebritate & de bono regimine quod exercebat in Italia.

Anno MCCCXXXII. ab Ecclesia Ravennatensi translatus est ad Carnotensem. Sic autem scriptum legi in vetustissimo catalogo Episcoporum Carnotensium: *Aymericus de Castrolucii Lemovicensis diocesis, Doctor juris solemnis. Hic per multa tempora fuit auditor palatii apostolici, & inde in Archiepiscopum Ravennatensem promotus, & Comes Romandiolæ à sede Apostolica constitutus, in quibus per longa tempora se prudentia incomparabili gessit, & inde per Dominum Iohannem Papam XXII. ad episcopatum Carnotensem translatus, in utroque, videlicet spirituali & temporali, summè se habuit. Ecclesiam Carnotensem* X. *annis rexit strenuissimè, & inde anno Domini millesimo* CCCXLII. *fuit factus Cardinalis tituli sancti Martini in montibus. Cujus scientia & experientia in jure, rebus bellicis, & mundiali prudentia, aliisque virtutibus exemplar est præsentibus & futuris.*

Anno MCCCXLII. Clemens VI. eum creavit Presbyterum Cardinalem tituli sancti Martini in montibus.

Iterum in libro Arnaldi Camerarii sequentia habentur: *Item duæ litteræ ejusdem tenoris bulla plumbea bullatæ continentes commissionem factam Domino Aymerico tituli sancti Martini in montibus Cardinali sedis apostolicæ Legato in regno Siciliæ per Dominum Clementem Papam VI. destinato ad recipiendum homagium ligium & vassallagium ac fidelitatis juramentum à Domino Roberto Siciliæ Rege; in quibus etiam continentur conventiones & pacta ac forma juramenti & plura alia quæ habent facere, jurare, & præstare Reges Siciliæ Romano Pontifici & Ecclesiæ Romanæ, prout hic seriosius exprimuntur. Datum Avinione* XIV. *Kal. Decembris pontificatus sui anno primo.* Et paulò pòst: *Item sunt quinque instrumenta publica tangentia qualiter mortuo Roberto Rege Siciliæ Dominus Clemens VI. apposuit gubernatorem & administratorem in regno Siciliæ, videlicet Dominum Aymericum Cardinalem Legatum antedictum; cui dedit potestatem revocandi omnes donationes & concessiones factas & datas in prajudicium Ecclesiæ Romanæ & jurium dicti regni per dictum Dominum Robertum & Dominam Iohannam. Et super hoc fuerunt facti multi processus per dictum Legatum sub anno Domini* MCCCXLV. *pontificatus ipsius Domini Clementis anno quarto. Item quædam patens littera bulla aurea bullata, videlicet Dominæ Iohannæ Reginæ Siciliæ, continens commissionem factam præfato Domino Aymerico Cardinali Legato in regno Siciliæ ad recipiendum homagium ligium & vassallagium ac fidelitatis juramentum à Domina Iohanna Siciliæ Regina nomine Domini Papæ & Ecclesiæ Romanæ. Quæ omnia fecit dicta Domina Iohanna & præstitit eidem Legato prout in ista littera & in litteris apostolicis hic insertis plenius continetur. Actum Neapoli in monasterio sanctæ Claræ anno Domini* MCCCXLIV. *die ultimo mensis Augusti.* Vide etiam Summontium par. 2. lib. 3. hist. Neapolitanæ.

Rursum in Siciliam missum esse anno millesimo MCCCXLV. fidem faciunt variæ epistolæ quæ habentur in regesto pontificio illius anni. Multa passum esse Aymericum in legatione illa testatur Clemens VI. in epistolis ad eum scriptis & in sermone suprà laudato, ubi ista leguntur: *Sic autem per Dei gratiam fecit Legatus noster; qui fuit in laboribus plu-*

rimis, in vigiliis, in sollicitudinibus, in tentationibus variis tam in Romandiola, ubi statim obtinuit Imolam & Faventiam & multa alia loca, quàm etiam in regno; ubi & antè quàm ingrederetur & postquàm ingressus est, nunc minis territus, nunc promissionibus allectus ne administrationem regni quam sibi commiseramus ageret, ipse sicut fortis athleta & constans, nec timore concutitur, nec blandimento seducitur, nec promissis corrumpitur. Vide suprà in prima vita Clementis VI. pag. 246.

Anno MCCCXLVI. interfuit juramento quod Karolus Marchio Moraviæ futurus Imperator præstitit de servandis juribus Ecclesiæ Romanæ. *Odoric. Raynald. an.* 1346. §. 19. 26.

Abrahamus Bzovius ad annum 1347. §. 18. ait hunc Aymericum missum esse Romam anno MCCCXLVII. ad sedendas seditiones & compescendam audaciam Tribuni almæ urbis. Verùm Thomas Fortifiocca, ex quo Bzovius sua accepit, in vita Nicolai Laurentii non nominat Cardinalem qui ad se evocavit Tribunum. Itaque in obscuro est de quo Cardinale loquatur, nisi aliunde argumenta sumantur. Aymericum non fuisse hinc colligi posse videtur quòd nullibi invenitur excessisse Avenione postquàm illic interfuit anno MCCCXLVI. juramento Karoli Marchionis Moraviæ, de quo dictum est paulò antè. Melius igitur Odoricus Raynaldus an. 1347. §. 16. 17. ista referens ad Bertrandum de Deucio Cardinalem Ebredunensem. Quare emendandus est Oldoinus hanc historiam adscribens huic Aymerico.

Obiit Aymericus anno MCCCXLIX. die Martis septima Iulii, ut scribit Felix Contelorius. At in Necrologio Ecclesiæ Carnotensis adnotatum est eum obiisse VII. Idus Ianuarii.

Executores testamenti sui nominavit Ademarum Roberti & Stephanum Alberti Cardinales & Petrum Panabon Canonicum Turonensem. Docet illud Innocentius VI. in bulla qua executionem ejusdem testamenti vice sua commisit quatuor viris in ea bulla nominatis.

Nepotem habuit Cassidium, qui literarum studiis dedit operam in academia Bononiensi, ut docet Ghirardaccius lib. 21. hist. Bonon. pag. 101.

Fuit autem junctus amicitia Aymericus cum celeberrimo illo canonici juris interprete Ioanne Andreæ, ut ipse Ioannes docet in additionibus ad speculum Durandi pag. 37. 41. & 542. editionis Basil. an. 1563. ubi eum vocat suum singularissimum benefactorem, patrem, & dominum. Falluntur tamen qui putant eum fuisse auditorem ejusdem Ioannis.

Apud Labbeum in nova bibliotheca seu specimine antiquarum lectionum pag. 223. habetur mentio cujusdam codicis Naudeani, in quo, inter cetera, continetur instrumentum obedientiæ præstitæ circa annum MCCCXLIII. à Dominis Galeacio & Pandulfo de Malatestis pro civitate Ariminensi. Incipit autem: *Aymericus tituli sancti Martini in montibus Presbyter Cardinalis, apostolicæ sedis Legatus, ad notitiam præsentium & perpetuam memoriam futurorum. Dudum propter rebelliones, inobedientias &c.*

Eum malè Saxius & alii confundunt cum Stephano de Gardia Archiepiscopo Arelatensi.

ANDREAS DE FLORENTIA] Ita tum vulgò vocabatur; ut patet etiam ex libro obligationum archivi Vaticani, ex regesto 67. archivi regii Paris. cap. 291. ex collatione habita ad Talayrandum Cardinalem anno MCCCLVII. apud sanctum Audomarum, & ex Arnulpho Ruzeo in tractatu juris regaliæ privil. 14. num. 1. Verum tamen nomen ejus est Andreas Ghini Malpighli, ut eum vocat Ioannes Villanius lib. 12. cap. 7. *Andrea Ghini Malpigli di Firenze.* Hinc Buzelinus in annalibus Galloflandriæ pag. 332. eum vocat Andream Ghinium Malpigliam Florentiæ natum. Erat per eas tempestates clarissima gens Malpiglia apud Florentiam, præcipuè verò in castro sancti Miniati Tentonici, ut patet ex Ioanne Villanio lib. 9. cap. 98. & lib. 12. cap. 81. In regesto LXXIV. archivi regii Paris. cap. 428. extat *confirmatio venditionis certæ domus hic contentæ factæ Iacobo de Malpiglis de Florentia pro certa summa pecuniæ sibi quondam debita à Guillelmo Duche quondam Parisiis commorante.* In literis porrò ipsis datis Parisiis an. MCCCXLII. mense Ianuario idem vocatur à Rege *nostre amé sargent d'Armes Iasques Malpins de Florence.*

De Andrea sic loquitur Thomas de la Moor in vita Eduardi II. Regis Angliæ: *Anno MCCCXXII. Philippus Rex Franciæ moritur. Succedit Carolus frater, qui statim in Angliam misit Andream de Florentia ad citandum Regem ut ad se veniret homagium præstaturus de Ducatu Aquitaniæ & aliis terris quas à se tenuit.*

Anno MCCCXXX. Andreas, tum Canonicus Tornacensis, factus est Episcopus Attrebatensis, & quadriennio pòst translatus est ad ad Ecclesiam Tornacensem. *Ioa. Cousin lib. 4. hist. Tornac. cap. 25.* Anno eodem fundavit Lutetiæ collegium Lombardorum vulgò dictum. Vide to. IV. histor. Universitat. Parisiens. pag. 225.

Demum anno MCCCXLII. Clemens VI. eum fecit Presbyterum Cardinalem tituli sanctæ Susannæ. Istud quidem certum est. Et tamen in actis authenticis promissionum quas

Iacobus Rex Majoricarum fecit eidem Andreæ apud Perpinianum anno MCCCXLIII. die secunda mensis Maii, quæ mecum olim communicata sunt à viro clarissimo Antonio Vione Herovallio, idem Andreas vocatur Presbyter Cardinalis tituli sanctæ Anastasiæ. Factum autem fuisse Cardinalem adnitente in primis Talayrando Cardinale Petragoricensi constat ex collatione facta apud sanctum Audomarum, de qua dictum est paulò antè. Et nihilo minùs verum est quod ait Ioannes Villanius lib. 12. cap. 7. eam dignitatem illi collatam esse ad preces Philippi VI. Regis Francorum.

Anno itaque MCCCXLII. III. Kal. Ianuarii, ardente discordia inter Petrum Regem Arragonum fratremque ejus Iacobum Regem Majoricarum, Clemens VI. ad eos conciliandos misit in Cataloniam hunc Andream Cardinalem. *Odoricus Raynaldus anno 1342.* §. 26. Datum autem id fuisse precibus Iacobi Regis fidem faciunt veteres schedæ nostræ, in quibus ita scriptum est: *Sextò quia idem Iacobus post prædicta misit ad sedem apostolicam solemnes nuncios & per importunitatem obtinuit ad dictum Dominum Regem mitti Reverendum in Christo Patrem bonæ memoriæ Dominum Andream sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem, cum quo putabat sua negotia colorare.*

Pervenisse videtur Andreas in eas regiones anno MCCCXLIII. mense Aprili, cùm acta promissionum à Rege Iacobo factarum data sint Perpiniani die secunda Maii. Destinaverat autem proficisci Majoricam ad dirimenda Regum prœlia; sed cùm ob adversam valetudinem navigare non posset, coactus est subsistere Perpiniani, ubi obiit. Vide Odoricum Raynaldum an. 1343. §. 26. & an 1344. §. 34.

Mortuus est igitur anno MCCCXLIII. die secunda Iunii apud Perpinianum. Inde verò corpus ejus translatum est Florentiam, ubi sepultum est in quodam monasterio sancti Benedicti quod ipse fundaverat. Sammarthani in catalogo Episcoporum Tornacensium eum aiunt obiisse in patria.

Nepotem habuit Nicolaum de Malpiliis Abbatem Florentinum, juris utriusque Doctorem eximium, pauperum advocatum. Ita enim tradit Placidus Puccinellus in apparatu de illustribus abbatiæ Florentinæ viris pag. 8.

HVGO ROGERII] Iam antea monuimus falsam esse genealogiam Belfortiorum à Iustello prolatam, quæ hunc Hugonem facit filium Guillelmi Rogerii & Mariæ de Chambonio. Nam cùm auctor tertiæ vitæ Clementis VI. ejus matrem tradat vocatam fuisse Guillelmam, auctor verò quartæ scribat eum ortum ex quodam loco dicto Mostrio, & Onuphrius Panuinius in secunda epitome ex familia Monstria originem duxisse, adeoque hunc nostrum Hugonem appellat Monstrium, quamquam illi in quibusdam errasse videantur, existimare tamen oportet eos ita fecisse cum ratione & cum auctoritate. Errorem enim merum esse puto quòd hunc Cardinalem Monstrium vocant ex nomine matris, cùm certum sit eum semper vocatum fuisse Hugonem Rogerii. Quod ideo dico ne quis imitetur nuperum quendam historiæ Cardinalium scriptorem, qui Monstrium illum ea de causa dici etiam potuisse autumat quòd monstri simile sit summum pontificatum recusare. Quid si ego contendam eam illi nuncupationem contingere potuisse propterea quòd monstrasus est summo pontificatui? Sanè si licentia isthæc inquirendi in origines nominum prævalebit, nihil unquam purum erit in historia, nugæ istæ utramque paginam facient.

Hugo puer, ut ferè solebant, Deo oblatus est in monasterio Tutelensi. Dein evasit Abbas Angeliacensis, & mox Episcopus Tutelensis anno MCCCXLII. XV. Kal. Augusti. Quod non tacent vulgati Tutelensium Episcoporum catalogi. Et tamen Augustinus Oldoinus ait ejus nomen non reperiri in Nomenclatura Præsulum illius Ecclesiæ. Nunquam porrò fuit consecratus Episcopus, ut animadvertit etiam Ioannes Chenutius. Quod antiquitus observatum est in Ordine Romano quem vir clarissimus Dominus Ioannes Mabillonius edidit in tomo secundo Musei Italici, ubi pag. 435. legendum est ex fide codicis 1713. bibliothecæ Colbertinæ: *Cardinalis Tutellensis frater dicti Domini Clementis Papæ VI. qui fuerat electus Tutellensis, & non fuerat consecratus.* Scilicet Clemens cùm animo destinasset fratrem suum in Cardinalium numerum cooptare, ei consulis episcopatum Tutelensem ea mente ut Cardinalis Tutelensis appellari posset, pro more videlicet illorum temporum, quo Cardinales qui antea fuerant Episcopi solebant nuncupationem suam trahere ab Ecclesiis suis, ut Clemens VI. à Rothomagensi, Innocentius VI. à Claromontana, & sic de aliis. Itaque Hugo sequenti mense Septembri factus Presbyter Cardinalis sancti Laurentii in Damaso, vulgò dictus est Cardinalis Tutelensis.

Eum Papirius Massonus in vita ejusdem Clementis ait fuisse Episcopum Ruthenorum, haud dubiè quia Onuphrius in prima epitome eum vocaverat *H. de Rhodes*. Error hinc oriri potuit quòd erat Prior monasterii Rhodensis ordinis sancti Benedicti in diœcesi Gerundensi. Extant enim in archivo oppidi Falceti in Catalonia literæ Petri Infantis Regis Arragonum filii datæ Barcinone an. MCCCLIT. die XIII.

die XIII. Octobris ad vicarium Ilerdensem procuratorem Cardinalis Tutelensis Prioris Rhodensis.

Anno MCCCXLVI. interfuit apud Avenionem juramento quod Karolus Marchio Moraviæ futurus Imperator præstitit de conservandis juribus Ecclesiæ Romanæ. *Odoric. Raynald. an.* 1346. §. 19. 26.

Anno MCCCXLVII. die tertia mensis Novembris emit ab Ademaro de Pictavia filio Ademari de Pictavia Comitis Valentinensis & Diensis *castra Bouzolii & de Servissac unà cum boria de Cordaco Aniciensis diœcesis*. Acta venditionis edita sunt ab Andrea Duchesnio inter probationes historiæ Comitum Valentin. pag. 113. & deinde à Christophoro Iustello inter probationes historiæ Turenn. pag. 93. Postea verò anno MCCCLI. eadem castra dono dedit nepoti suo Guillelmo de Belloforti Vicecomiti Turenensi, ut liquet ex actis editis inter probationes ejusdem historiæ Turen. pag. 105.

Anno MCCCXLIX. cùm Lodovicus Rex Hungariæ legatos misisset ad Clementem VI. expostulaturos cum eo quòd in partes inimicorum ejus videretur transgressus, iique propterea varia querelarum capita apud eum proposuissent, ad ea Pontifex respondit diffusa oratione, assidentibus sibi Hugone tituli sancti Laurentii in Damaso Presbytero & Guillelmo tituli sanctæ Mariæ in Cosmedin Diacono Cardinalibus. *Odoricus Raynaldus anno* 1349. §. 1. *& seq.*

Ex regesto LXXX. archivi regii Parif. cap. 468. apparet hunc Hugonem Cardinalem obtinuisse à Ioanne Rege Francorum ut sibi liceret acquirere in regno ejus *usque ad summam & valorem ducentarum librarum Turenensium annui & perpetui redditus & de ipsis ducentis libris vicarias perpetuas & capellas seu quadam alia pia loca pro sua suorumque animarum salute construere & dotare.* Datum Lugduni anno Domini MCCCL. mense Februarii.

Suprà pag. 815. monuimus Thomam Bradvvardinum anno MCCCL. consecratum fuisse Archiepiscopum Cantuariensem à Bertrando de Deucio Cardinale Ebredunensi. Narrat autem auctor antiquitatum Ecclesiæ Britannicæ pag. 243. in ipso consecrationis convivio Hugonem Cardinalem Totelensem, virum fastu inanem, Thomæ humilitate & simplicitate despecta, ut ei convitium faceret, vilem quondam & abjectum homunculum asino insidentem & archiepiscopatum petentem induxisse, qui à toto Cardinalium cœtu reprehensus & stultitia notatus discessit. Sed ego eam historiam puto meram fabulam esse. Constat enim, uti mox dicemus, ex Matthæo Villanio lib. II. cap. 26. Hugonem fuisse hominem vitæ austeræ ac spiritualem, ut vocant, adeoque valde alienum à scurrilitate quæ illic describitur.

Anno MCCCLII. die sexta Decembris obiit Hugonis frater Clemens Papa VI. cujus corpus anno sequenti, ut vitæ Innocentii VI. auctor scribit, fuit translatum ad monasterium Casæ-Dei in Arvernis, comitantibus funus quinque Cardinalibus, inter quos recensetur hic noster. Vide etiam Bzovium anno 1352. §. 20.

Anno MCCCLXII. cùm post mortem Innocentii VI. Cardinales numero XXI. de eligendo Romano Pontifice tractarent, quindecim ex iis vota sua, ut ait Matthæus Villanius in loco paulò antè laudato, contulere in quendam Cardinalem Lemovicensem monachum ordinis sancti Benedicti & Episcopum, virum provectæ ætatis, ceterùm austeri moris, & totum spirituali vitæ deditum. Sic enim virum describit, sed nomen non exprimit. Addit autem Cardinalem illum, audito scrutinio quo sine controversia creabatur Papa, cùm vororum numerus duas tertias partes excederet, priùs quàm denuntiaretur humillimè renuntiasse electioni suæ. Duo tum Cardinales Lemovices monachi ordinis Benedictini, ambo Episcopi, erant in eo collegio, Hugo noster, & Guillelmus de Agrifolio senior. Præfert autem suo judicio Spondanus Hugonem. Quam conjecturam uti certam amplexi sunt qui postea conscripsere historiam Cardinalium. Rectè. Cùm enim Villanius testetur illum fuisse provectæ ætatis, ea verò tempestate Guillelmus de Agrifolio esset quadraginta quinque annorum duntaxat, ut alibi dicemus, manifestum est eam historiam necessariò intelligendam esse de Hugone Rogerii.

Cogor heic observare Frizonium & Oldoinum parum attentos ad res historicas falsò huic Cardinali tribuisse concordiam quæ anno MCCCLXII. revocata est (ut ait Cæsar Nostradamus in historia Provinciæ pag. 412.) ope Cardinalium Boloniensis, Lemovicensis, & de Belloforti inter Comitem Armaniacensem & Vicecomitem Turenensem. Hugo enim nunquam vocatus fuit Cardinalis Lemovicensis, sed Tutelensis. Itaque ea historia referenda potiùs est ad Nicolaum de Bessa dictum Cardinalem Lemovicensem quia electus erat Episcopus Lemovicensis eo tempore quo factus est Cardinalis, uti suo loco dicemus.

Obiit Hugo anno MCCCLXIII. die XXI. Octobris in monasterio Montisolivi in diœcesi Carcassonensi, ut opinor, illicque sepultus est. Quippe in Necrologio istius monasterii sic scriptum est: *Anno MCCCLXIII. die XXI. Octobris migravit ad Dominum Reverendissimus Pater in Christo Dominus H. sancti Laurentii in Damaso Presbyter Cardinalis Tu-*

tellensis, sepultus in Ecclesia hujus monasterij. Postea corpus ejus delatum fuit ad Lemovicees, ubi sepultum est in Ecclesia sancti Germani de Manso sereno, vulgò *Maseré*, haud proeul Tutela, in monumento æreo elegantissimo quod etiamnum superest. Testamentum enim condiderat, in quo edixerat uti ex facultatibus & bonis suis constitueretur collegium Canonicorum secularium in ædibus suis apud Villamnovam Avenionensis diœcesis, & testamenti sui executorem nominaverat, præter ceteros, Hugonem Cardinalem de sancto Martiale. Is verò anno MCCCLXXXXIV. unà cum Petro de Crosso Presbytero Cardinale tituli sanctorum Nerei & Achillei, qui ceteris extinctis subrogatus fuerat, auctoritate Clementis VII. mutavit locum, mentemque fundatoris transtulit ad diœcesim Lemovicensem, ad Ecclesiam videlicet parrochialem sancti Germani de Manso sereno, ubi collegium illud institutum fuit, tum etiam datæ leges & regulæ secundùm quas Canonici & ceteri viverent. Ea verò omnia postea confirmavit Innocentius VIII. anno MCCCCLXXXXV. v. Idus Decembris.

In diario Ioannis Fabri Episcopi Carnotensis scriptum est Ludovicum Ducem Andegavensem an. MCCCLXXXXII. die Veneris sexta Iunii executoribus testamenti Cardinalis Tutelensis restituisse domum Villænovæ quæ fuerat ejusdem Cardinalis. *Item une letre par laquelle Monseigneur rend l'ostel de Villeneuve, qui fu au Chardinal de Tuelle, à son execution.*

ADEMARUS ROBERTI] frater Ademari domini de sancto Gallo, *Saint Ial*, XII. M. P. à Tutela. Vetus membrana illius gentis: *Dominus Ademarus Rotberti Miles pater quondam fuit Domini Bernardi Rotberti Militis.* Et paulò pòst: *Item tenuit Dominum Ademarum fratrem suum quondam Cardinalem viginti & duos annos in scholis, & ipsum fecit doctorari ad suas proprias expensas.* Vetustissima gens & nobilissima, cujus clara documenta extant in chartulariis monasteriorum Tutelensis, Vterensis, & Vosiensis à tempore Paschalis II. usque ad Eugenii III. pontificatum; in quibus nominatur Ademarus Roberti, cujus filius fuisse videtur Hugo Roberti de sancto Gallo maritus Petronillæ. Hugonis & Petronillæ filius fuit Ademarus Roberti, ac forsean Petrus Roberti sancti Galli. Horum tempore vixit Petrus de sancto Gallo monachus Vosiensis, ortus haud dubiè ex eadem familia. In testamento Guidonis de Noalhas condito anno MCCXCV. reperio G. Roberti fuisse tum Abbatem sanctæ Mariæ majoris Pictaviensis & Ademarum Roberti Archipresbyterum de Mastatio Santonensis diœcesis, nepotem, ut puto, ejusdem Guidonis.

Gens Roberti totum videtur amisisse potestatem & dominium castri sancti Galli ante annum MCCCCXLV. quo reperio inter probationes historiæ Turenn. pag. 150. Ludovicum de Gimello fuisse dominum de sancto Gallo Lemovicensis diocesis. In genealogia gentis Cardalliacensis pag. 38. legitur Guibertum de Cardalhaco matrimonio sibi sociasse anno MCCCCXL. Bertrandam Roberti filiam Guinoti Roberti domini de Ligneraco ex antiqua progenie militari provinciæ Lemovicensis. Inter probationes verò historiæ Turrianorum Arvernorum pag. 328. extat mentio Ioannæ & Margaritæ Roberti de Lineyrac filiarum Gilberti de Lineyrac equitis torquati nuptarum anno MDVII. Thomæ & Mattino de Turre. Ex eadem gente paulò postea prodiit Iacobus Roberti de Lineyrac, quem in veteribus schedis meis reperio fuisse præsidem inquestarum in parlamento Burdegalensi anno millesimo DLXIV.

In veteri membrana Ecclesiæ Aquensis in Vasconia reperio Ademarum Roberti fuisse Auditorem Galhardi Cardinalis de Mota. In codice verò 2308. bibliothecæ Colbertinæ sic legitur: *Sanctæ ac .... Trinitati, cujus sapientie potentia gratia sancta cujuslibet inceptio provenit operis atque finis, & beatissime virgini, nec non & beate Antonie confessori, cujus devotioni afficior, perennibus referta benedictionum laudibus gloria & honore, de hujus breviarii venerabilis & circumspecti viri Domini Galhardi de Bedach decretorum Doctoris, Prepositi Arelatensis, Reverendi in Christo Patris & Domini Domini Ademari Roberti tituli sancte Anastasie Presbyteri Cardinalis Auditoris, futuri Episcopi, Domini mei pracipui, scriptura perfectione per me Iohannem Corradi de Fulgineo Notarium scripti infinitarum sit actio gratiarum.*

Igitur Ademarus Roberti factus fuit Presbyter Cardinalis tituli S. Anastasiæ à Clemente VI. anno MCCCXLII. die vigesima Septembris. Et mox, quum ei Clemens quædam opima sacerdotia contulisset in Anglia, gravissimam contradictionem passus est à Rege Eduardo III. & à Ioanne Episcopo Exoniensi, in cujus diœcesi sita erat aliqua pars eorundem sacerdotiorum. Testatum id faciunt literæ pontificiæ ad eundem Eduardum editæ apud Walsinghamum, & aliæ datæ ad eundem Episcopum, quæ extant in libro quarto regestorum ejusdem Clementis VI. cap. 54. Vide etiam Odoricum Raynal. an. 1344. §. 54. Ex epistola porrò scripta ad Episcopum Exoniensem liquet Ademaro datam fuisse præbendam Ecclesiæ Eboracensis.

Anno MCCCXLVII. quum recitaretur processus canonizationis sancti Ivonis, Clemens VI. collationem publicè habuit de hac causa,

ut suprà diximus, & in fine ista addidit: *Istis ergo in consistorio diligenter discussis & examinatis, & relatione facta per fratres nostros Petrum Sabinensem Episcopum, Ademarum tituli sanctæ Anastasiæ Presbyterum, & Galhardum sanctæ Luciæ in silice Diaconum Cardinales, & ibidem omnibus particulariter lectis, visum fuit quòd etiam à Prælatis hic existentibus in curia an deberemus ad ipsius canonizationem procedere consilium peteremus.* Hæc verba descripta sunt ex tomo quarto Maii Bollandiani pag. 578. sed emendata ope veteris codicis M S.

In veteri codice Naudeano, ut testatur Philippus Labbeus in nova bibliotheca seu specimine antiquarum lectionum, exstabat processus factus per R. P. D. Ademarum tituli sanctæ Anastasiæ Presbyterum Cardinalem super suspicione hæresis contra Franciscum de Ordelafis de Forlivio anno MCCCXLVI. mense Octobri.

Anno MCCCXLVII. nondum finita causâ Bononiensium, qui aliquanto antè insultaverant majestati Romani Pontificis & Bertrandi de Poieto Legati, Clemens eos evocavit Avenionem, eisque dedit auditorem hunc Ademarum Cardinalem. Sed illi eum recusavere. *Ghirardac. lib. 22. hist. Bonon. pag. 175.*

Anno MCCCXLIX. extinctus est Aymericus de Castrolucii Cardinalis; qui testamenti sui executores, ut ait Auberyus, nominavit Cardinales Ostiensem & sanctæ Anastasiæ, id est, Stephanum Alberti, qui paulò pòst fuit Papa, & Ademarum Roberti. Idipsum testatur ipse Innocentius VI. in epistola qua vices suas & Ademari jam defuncti delegat Bernardo Cremosi Decano Briocensi, Gaucelmo Danielis Canonico Carnotensi, Stephano Guerruti Canonico Lemovicensi, & Ioanni Beraudi Canonico Nannetensi.

Obiit Ademarus anno MCCCLII. Kal. Decembris, ut docet Felix Contelorius ex libro obligationum.

Falsò eum quidam confundunt cum Ademaro Roberti Episcopo Lexoviensi & Archiepiscopo Senonensi. Diversi enim fuere; quorum unus patruus, alter fratris filius fuit. Arbitror autem Archiepiscopum fuisse fratrem Bernardi Roberti Domicelli, qui nepos Cardinalis vocatur anno MCCCXLIX. in arresto Parlamenti Paris. quod inter probationes historiæ Chasteneriorum pag. 69. retulit Andreas Duchesnius, & uxorem habuit Ioannam de Pruilliaco. Habuit præterea Archiepiscopus alium fratrem nomine Petrum Decanum sancti Germani Autissiodorensis & Magistrum libellorum supplicum in regia, qui se ait esse fratrem & solum heredem Archiepiscopi in quodam instrumento edito inter probationes historiæ Cardinalium Gallorum pag. 611. Et tamen Andreas Duchesnius inter probationes historiæ Chasteneriorum pag. 71. refert exceptum ex quodam veteri regesto parlamenti Parisiensis, in quo Ademarus Roberti Miles anno MCCCLXXXIV. nominatur heres & nepos Ademari Roberti Archiepiscopi Senonensis. Qui quidem Ademarus videtur propterea fuisse filius Bernardi Roberti & Ioannæ de Pruilliaco.

GERALDVS DE GVARDIA] certum est hoc ei nomen fuisse, ut constat etiam ex Missali Ioannis Iofrevi Episcopi Aniciensis. Et tamen certum etiam est illum fuisse vocatum Geraldum de Domaro, sive de Daumario. In parvo quippe pastorali Episcopi Paris. fol. 282. inter testes cujusdam instrumenti scripti anno MCCCXXVI. in domo Ioannis Haudrici civis Parisiensis nominatur primo loco frater Geraldus de Domaro ordinis fratrum Prædicatorum. Præterea in veteri codice M S. fratrum Prædicatorum Tolosæ sequentia scripta sunt antiquitus: *Fratrem Geraldum de Domaro Brivensem ordinis fratrum Prædicatorum magistrum in theologia Parisius assumpsit in Presbyterum Cardinalem tituli sanctæ Sabinæ Dominus Clemens Papa VI. sabbato in jejuniis quatuor temporum post festum exaltationis sanctæ crucis anno Domini MCCCXL. primo anno sui pontificatus. Erat autem tunc magister ordinis electus in capitulo generali Carcassonensi anno eodem.* Et alibi in eodem codice: *Decimus septimus magister ordinis fuit Geraldus de Daumario provinciæ Tolosanæ, postea Cardinalis.* Vt ista discrepantia tolli possit, dicendum videtur eum cognomen illud habuisse à parentibus dominis loci de Daumario parrochiæ de Guardia in diœcesi Tutelensi, ut hoc pacto istum distingnerent à fratribus ejus, ut solent viri nobiles.

Auctor istius vitæ ait illum fuisse consanguineum Papæ Clementis. Onuphrius Panuinius, quem alii postea secuti sunt, scribit fuisse filium sororis Papæ. Quod ego puto verum non esse. Nam si is fuisset nepos Clementis, auctor istius vitæ, qui statim loquens de Guillelmo Iudicis admonet illum fuisse nepotem Papæ ex sorore, non omisisset istud idem scribere de Geraldo de Guardia. Præterea idem auctor infrà pag. 253. loquens de Guillelmo de Guardia ait illum fuisse consanguineum Papæ. quod etiam Bzovius an. 1352. §. 7. docet ex regesto ejusdem Pontificis.

Ordini fratrum Prædicatorum se addixit in conventu Brivensi, cujus postea Prior fuit anno MCCCXXIII. & post tres menses factus est lector theologiæ in eodem conventu. Postea translatus est Lutetiam, ubi eum docuisse theologiam anno MCCCXXVII. reperi in veteri membrana.

Anno MCCCXLII. die XX. Septembris factus est Presbyter Cardinalis tituli S. Sabinæ.

Statim verò ei Clemens, ut necessarios sumptus suppeditaret ad dignitatem illam exornandam, ei dedit præbendam Ecclesiæ Eboracensis. Quæ res magnam contradictionem passa est. Vide quæ paulò antè pag. 850. dicta sunt de Ademaro Roberti. Nam eorum causa conjuncta fuit.

Obiit Avenioni anno MCCCXLIII. die XXVII. Septembris, ut est in libro obligationum. Idem docet vetus Kalendarium præfixum Missali Ioannis Iofrevi Episcopi Aniciensis in codice 730. bibliothecæ Colbertinæ, ubi ista leguntur ad diem v. Kal. Octobris. *Hac die decessit Dominus meus Cardinalis de Gardia anno MCCCXLIII.*

Vulgò traditur illum & Ioannem de Molendino Cardinalem sepultos esse Tolosæ apud Dominicanos. Veruntamen ego sepulcra eorum conquisivi cum summa diligentia, & nullam eorum memoriam reperire potui.

BERNARDVS DE TVRRE] Patrem habuit Bernardum dominum de Turre in Arvernia, matrem Beatricem filiam Henrici Comitis Ruthenensis & Mascarosiæ. Ipse à prima pueritia clericus factus est, ut fidem faciunt vetera instrumenta illorum temporum; eratque anno MCCCXXI. major XIV. annorum, minor viginti. Cùm autem anno millesimo CCCXLII. Guillelmus de Turre nepos ejus uxorem duxisset Elipdim filiam Guillelmi Rogerii domini de Chambonio, neptem verò Clementis VI. Papæ, iste in gratiam istius matrimonii Bernardum de Turre creavit paulò post Diaconum Cardinalem tituli sancti Eustachii.

Anno sequenti, prid. Non. Aprilis, subscriptus reperitur privilegio quod Clemens VI. concessit Clarissis de Manuatca in diœcesi Sistaricensi, quod editum est à Vvaddingo.

Anno MCCCXLVIII. prid. Kal. Maii subscripsit etiam privilegio quod idem Papa concessit Clarissis de Deneyo in diœcesi Eliensi. Edidit Vvaddingus.

Anno MCCCLV. die Mercurii quarta mensis Februarii interfuit consistorio in quo legatio Romana ad coronandum Karolum IV. Imperatorem decreta est Petro Bertrandi de Columbario Episcopo Ostiensi; cui ipse & Galhardus de Mota Diaconus Cardinalis sanctæ Luciæ in silice pallium tribuerunt de speciali mandato Innocentii VI. die septima ejusdem mensis. Harum testes extant acta rerum à Petro Cardinale Ostiensi tum gestarum, quæ edita sunt inter probationes historiæ Cardinalium Gallorum pag. 352. & seq.

Anno MCCCLXI. die quinta mensis Iulii idem Petrus Bertrandi Episcopus Ostiensis eum nominavit inter executores testamenti sui, & mox extinctus est die XIII. ejusdem mensis. Sed Bernardus ei parum supervixit. Obiit enim Avinioni sequentibus Kalendis Augusti, ut est in libro obligationum. Numerat eum inter Cardinales ea tempestate mortuos Matthæus Villanius lib. 10. cap. 71.

GVILLELMVS IVDICIS] Ita vulgò scribitur hoc nomen, sæpe etiam *de Iudicia*, interdum *de Iudiciaria*. In parrochia d'Eyten prope Roserium situs est locus de Iudicia, vulgò *la Iugie*, in quo etiam ætate nostra visebatur turris antiquissima quam fama erat constructam esse à Cardinalibus de Iudicia. In Ecclesia porrò parrochiali extat etiamnum sacellum de Iudicia, hodie pertinens ad nobiles de Champagnac, qui dominium villæ de Iudicia nuper emerunt à nobilibus de Podiovalle, ad quos pervenerat propter matrimonium unius eorum cum femina orta ex gente de Iudicia, ut etiam vulgus illius parrochiæ novit, & nos paulò pòst ostensuri sumus.

Guillelmus ergo ortus est in parrochia d'Eyten in diœcesi Lemovicensi, patre Iacobo, quem Philippus VI. Rex Francorum anno MCCCXXXVIII. nobilitatis titulo decoravit, matre quæ fuit soror Clementis VI. Papæ. Quippe nomen ejus non proditur. Eorum filii fuere Nicolaus sive Colinus, quem idem Clemens apud Odoricum Raynaldum an. 1350. §. 48. vocat nobilem virum Nicolaum Iudicis Domicellum dominum de la Vineria sancti Pontii Thomeriarum diocesis & nepotem suum, hic Guillelmus Cardinalis, Petrus Archiepiscopus Narbonensis & Cardinalis, Hugo Episcopus Biterrensis, Guillelmus, quem fuisse Domicellum de Colungis anno MCCCXLIX. die XVII. Iulii reperi in veteri quodam instrumento quod extat in archivo nobilissimæ gentis Noalliorum, & Helipdis sive Helisia nupta Guidoni domino de Podiovallis, vulgò *Puydeval*, in tractu inferiore Lemovicensi. Is Guido filius erat Guillelmi de Podiovalle & Annæ de Rajaud ex antiqua Marcilliacorum gente qui domini quoque erant loci de sancto Exuperio in parrochia sancti Germani. Guido ex Helipde genuit Guillelmum II. de Podiovalle. Iste verò testamentum condidit anno MCCCLXXXI. die nona Ianuarii, heredemque instituit Ioannem filium suum primogenitum, ea conditione adjecta ut, quemadmodum Nicolaus de Iudicia statuerat in suo testamento, nomen & insignia gentilitia eorum acciperet qui de Iudicia vocabantur. Qui quidem Ioannes is est quem postea visuri sumus fuisse dominum de Alzona; cujus loci mentio habetur in capite 21. & 34. historiæ Albigensium Petri de Valle Cernaii. Ademaro autem alteri filio suo dedit idem Guillelmus castellaniam de Podiovalle. Hunc tamen Guillelmum & matrem ejus Helipdem fuisse adhuc vivos anno MCCCXCVI. & litem

habuisse eum Margarita de Terrida vidua Ioannis Ytalguerii Militis inveni in vetere regesto seneschalliæ Tolosanæ. Eundem Guillelmum fuisse adhuc in humanis anno MCCCCVII. die XII. Septembris liquet ex testamento Guidonis de Malesicco Cardinalis. Porrò Ademarus de Podiovalle vinculo jugali sociatus fuit cum Margarita de Gimello anno millesimo CCCCXXII. die XII. Iulii. Plures ex eo matrimonio liberi prodiere, & inter hos Antonius de Podiovalle, qui uxorem habuit Blancham de Malesicco ex gente ejusdem Cardinalis de Malesicco. Antonii & Mariæ filius fuit Dionysius de Podiovalle eques torquatus, qui anno MDXXV. cæsus est ad Ticinum cum filio suo primogenito, quem susceperat ex Catharina Fulcalda ex genere dominorum sancti Germani Bellipratensis in Marchia Lemovicensi. Superstitem ergo filium habuit Dionysius Geraldum, qui anno millesimo DXXXI. die XI. Maii in matrimonium duxit Franciscam de Noalliis sororem viri nobilissimi ac clarissimi Antonii de Noalliis, sororem item virorum celeberrimorum Francisci Episcopi Aquensis & Ægidii Abbatis Insulani. Probabile erat & verisimile posteritatem Geraldi de Podiovalle, qui plures liberos masculos ex Francisca suscepit, duraturam adhuc per aliquot secula. Et tamen, cùm mares omnes decessissent absque liberis, sola relicta est Francisca de Podiovalle eorum soror & filia Geraldi, quæ anno MDLIX. die XVIII. Iunii nupsit Rigaldo Sammarsalio Drugiaco Baroni Aureliacensi & Ballivo montium Arverniæ. Sic itaque extinctus est ramus ille gentis de Podiovalle. Posteritas Ioannis, qui fuit dominus Alzonæ & Rivi de Minerbesio, quærenda est apud Occitanos.

Nicolaus sive Colinus de Iudicia, qui in regesto LXXXX. archivi regii Parif. cap. 166. dicitur *nobilis vir Nicolaus Iudicis filius emancipatus nobilis & potentis viri Domini Iacobi Iudicis Militis Lemovicensis diocesis germanusque Reverendi Patris Domini Guillelmi sanctæ Mariæ in Cosmedin Diaconi Cardinalis*, duas uxores habuit. Prima fuit Dalphina de Castronovo domina de Castronovo & de S. Remigio Mimatensis & Vivariensis diocesum: quæ sine liberis decedens testamentum condidit apud Avenionem *in librata præfati Domini Cardinalis Guillelmi* sanctæ Mariæ in Cosmedin Diaconi Cardinalis anno MCCCLXIV. die Martis ultima mensis Aprilis, in quo dedit nobili Nicolao domino de la Vineria domino & marito suo *duo millia florenorum auri semel sibi solvendos necnon castrum de S. Remigio Vivariensis diocesis per ipsum tenendum & possidendum quandiu vitam duxerit in humanis.* Testatur autem matrem suam fuisse filiam Astorgii quondam domini de Aureliaco. Ex quo colligi posse videtur eam fuisse etiam filiam Delphinæ de Turre, quæ anno MCCCXIV. nupsit Astorgio de Aureliaco, ut fidem facit vetus membrana edita à Iustello inter probationes historiæ Turrianorum Arvernorum pag. 179. Ex quo consequitur Dalphinam de Castronovo uxorem Nicolai Iudicis fuisse consanguineam germanam Ægidii Aycelini Presbyteri Cardinalis tituli sancti Martini in montibus, quem ipsa constituit executorem testamenti sui unà cum Guillelmo Iudicis Diacono Cardinale sanctæ Mariæ in Cosmedin & Bertrando de Castronovo Archiepiscopo Ebredunensi. Etenim Macarona de Turre, quæ soror erat aviæ istius Dalphinæ de Castronovo, data fuit in matrimonium anno MCCCXI. Ægidio Aycelini Militi domino Montisacuti, ut legitur apud Iustellum in loco suprà laudato. Dalphina porrò instituit heredes suas Maragdam de Castronovo dominam de Lauduno & Marquesiam de Castronovo amitas suas, tum etiam liberos Guigoniæ de Castronovo alterius amitæ suæ, quæ videntur fuisse filiæ Guillelmi de Castronovo S. Remigii viventis anno MCCCIII. ut docent acta edita in collectaneis de dissidio Bonifacii VIII. & Philippi pulcri p. 145.

Et quoniam occasio se obtulit ostendendi quis & undenam fuerit Bertrandus Archiepiscopus Ebredunensis, cujus nomen tantùm ponitur in Gallia Christiana, aliqua nobis de eo dicenda sunt. Ortus est ergo ex nobili gente de Castronovo in diœcesi Mimatensi. Factus autem Archiepiscopus Tarentinus à Clemente VI. anno MCCCXLVIII. deinde Salernitanus anno sequenti, tum Ebredunensis anno MCCCLXIV. VI. Idus Ianuarii, denique Episcopus Vivariensis anno MCCCLXV. Nonis Septembris, ut docet Ferdinandus Vghellus, & legitur etiam in regestis pontificiis. Videtur autem obiisse anno MCCCLXXIII. quo constat ex libro obligationum archivi Vaticani Petrum Episcopum Vivariensem promisisse & recognovisse pro Bertrando prædecessore suo die XIX. Octobris.

Altera uxor Nicolai Iudicis fuit Alienor de Levis filia Ioannis de Levis Mareschalli Mirapiscensis, quam vixisse adhuc anno millesimo CCCLXXII. legitur in regestis parlamenti Parisiensis. Nullos autem liberos reliquit Nicolaus ex ista etiam conjuge. Quippe cùm anno MCCCLXXIV. die XXVI. Martii conderet testamentum, jussit ut Ioannes de Podiovalle pronepos suus ex sorore in nomen transiret de Iudicia, eique propterea legavit bona sua. Pater illud etiam ex veteribus actis editis ab Augusto Gallandio in tractatu de Franco-allodio pag. 170. ubi legimus litem de successione Nicolai fuisse inter fratres ejus Petrum de Iudicia Cardinalem & Hugonem de Duroforti, contendisseque Cardinalem non

licuisse Nicolao heredem instituere nec per consequens substituere, saltem in baronnia de RivoMartvesii. Et tamen in pagina 169. mentio est Ioannis de Iudicia domini de Alzona in senescallia Carcassonensi anno MCCCCIX. die ultima Iulii; qui est is ipse Ioannes de Podiovalle, qui nomen suæ gentis commutavit. Ex eadem gente fuisse videtur Guillelmus Iudicis, quem reperio fuisse Infirmarium Ecclesiæ Tutelensis anno MCCCXCIX. & anno MCCCCVIII.

Fuit igitur Guillelmus de Iudicia Cardinalis, de quo nunc agimus, filius Iacobi & unius ex sororibus Clementis VI. à quo factus est Diaconus Cardinalis tituli sanctæ Mariæ in Cosmedin anno MCCCXLII. die XX. Septembris. Extat inter sermones Clementis VI. collatio per eum facta Guillelmo Iudicis Cardinali Diacono in adventu Domini, in qua ista inter cetera leguntur: *Ex vinculo quidem naturæ estis nepos, os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Avunculus autem jure naturæ habet quoddam imperium in nepote, maximè quem sibi videtur in peculiarem filium adoptasse.*

Anno MCCCXLV. Clemens VI. ei providit de quibusdam beneficiis & locis ecclesiasticis in regno Hungariæ consistentibus. Hæc tantùm in epistola quam eo anno idem Clemens scripsit ad Ludovicum Regem Hungariæ. Sed ex epistola Innocentii VI. ad eundem Regem data intelligimus datum ei fuisse archidiaconatum Albensem, & cùm contradictionem propterea pareretur ab Andrea Episcopo Albensi & Thoma Custode ejusdem Ecclesiæ, commendatum illum eidem Regi fuisse ab Innocentio.

Anno MCCXLVI. adfuit juramento quod Karolus IV. Marchio Moraviæ futurus Imperator præstitit de conservandis Ecclesiæ Romanæ juribus. *Odoric. Raynald. an.* 1346. §. 19. 26.

Anno MCCCXLVII. Clemens VI. ei delegavit cognitionem causæ quæ erat inter familiam Bertrandi Cardinalis Ostiensis & Bononienses. *Ghirardacci lib. 22. histor. Bonon. pag.* 175.

In regesto LXXVII. archivi regii Paris. cap. 150. & 190. habentur literæ Philippi VI. Regis Francorum datæ apud Vvincestriam juxta Lutetiam anno MCCCXLVIII. mense Iunio, quibus Guillelmo Cardinali nepoti Papæ potestatem fecit emendi pro se, fratribus suis, aut uno eorum ab heredibus Petri de Columna Diaconi Cardinalis castrum & castellaniam de la Vinerie & castrum de Ferrals in senescallia Carcassonensi.

Anno MCCCXLIX. cùm Ludovicus Rex Hungariæ varia querelarum capita proposuisset adversus Clementem, tanquam si is inimicorum ejus partes foveret, ad ea Pontifex multa respondit, adhibitis in consilium Hugone Presbytero Cardinale sancti Laurentii in Damaso & Guillelmo Diacono tituli sanctæ Mariæ in Cosmedin. *Odoric. Raynald. anno* 1349. §. 1. *& seq.*

Anno MCCCL. imposita est huic Guillelmo & alteri Guillelmo Episcopo Tusculano provincia revocandæ concordiæ inter Ludovicum & Ioannam Siciliæ Reges ac Ludovicum Hungariæ Regem. *Odor. Raynal. an.* 1350. §. 26.

Anno MCCCLII. prosecutus est funus Clementis VI. cujus corpus propinqui ejus deferri curabant ad monasterium Casæ-Dei in Arvernis. *Bzov. an.* 1352. §. 25.

Anno MCCCLV. missus est Legatus in Castellam ad compescendos furores Petri Regis. *Bzov. an.* 1355. §. 27. 28. *Spondan. eod. an.* §. 15. *Odor. Raynald. an. eod.* §. 30.

Anno MCCCLVII. erat adhuc in legatione Hispanica, ut patet ex Bzovio an. 1357. §. 1. Spondano eod. an. §. 7. & Odorico Raynaldo an. eod. §. 37. Vide etiam Suritam lib. 3. Indicum, & Rodericum Santium par. 4. rer. Hispan. cap. 14.

Anno MCCCLXI. Petrus de Foresta Cardinalis moriens eum nominavit executorem sui testamenti. Item Talayrandus Cardinalis anno MCCCLXIV.

Anno MCCCLXVIII. die XXII. Septembris Vrbanus V. illum ex Diacono fecit Presbyterum Cardinalem. *Prima vita Vrbani V. pag.* 384. Datum autem ei tum fuisse titulum sancti Clementis hinc patet quòd idem titulus, eo extincto, datus est fratri ejus Petro de Iudicia quum factus est Cardinalis à Gregorio XI. ut patet ex secunda ejus vita pag. 452. 455. Ex quo consequitur falli eos qui putant Gregorium XI. ab eo, ut Priore Diaconorum, fuisse coronatum.

Anno MCCCLXXIII. constitutus est Protector ordinis Minorum. *Vvadding. an.* 1373. §. 22.

Anno MCCCLXXIV. obiit Avenioni *in domo sua propria*, ut ait auctor secundæ vitæ Gregorii XI. Papæ, die XXVIII. Aprilis, sive IV. Kal. Maii. Constat autem corpus ejus delatum esse ad monasterium Casæ-Dei, ibique sepultum in choro in tumulo modico lapide simplici cooperto juxta avunculum Clementem.

GVILLELMVM CVRTI] De hac legatione Guillelmi Curti extant apud Odoricum Raynaldum an. 1342. §. 17. literæ Clementis VI. datæ decimo quarto Kal. Augusti anno primo, ex quibus patet ejus legationi subjectos fuisse patriarchatus Aquileiensem & Gradensem, necnon Mediolanensem, Ianuensem, Spalatensem, Ragusiensem, Cretensem, & Antibarensem provincias, ac Pa-

piensem, Ferrariensem, Placentinam, Parmensem, Mutinensem, & Rheginensem civitates & dioeceses. Peroptimè munere suo functum esse Legatum docent aliæ literæ Clementis quæ extant apud eundem Raynaldum an. 1342. §. 19. & an. 1346. §. 59. in quibus agitur de treugis triennalibus ejus auctoritate initis inter nobiles & communitates Lombardiæ. De eadem re agitur etiam in libro quarto regesti ejusdem Papæ epist. 125. 165. 231. 397. 459. & in collatione quam idem Clemens fecit in reditu ejus à legatione, ubi sic loquitur: *Vnde videtur mihi quòd hodie ad nos rediens venit gloriosus & desiderabilis ex commissi operis consummatione, ex morum in clero & populo reformatione. Venit fructuosus & valde utilis ex tanti fœderis copulatione. Dico primo &c. Ad litteram enim ipsum propter negotia quæ ad officium Legati incumbunt missimus ad tria opera specialiter exercenda, ad faciendum pacem seu treugas in Lombardia, quæ erat variis bellis & multiplicibus afflicta mirabiliter & concussa, secundò ad uniendum omnes de illis partibus ad resistendum Bavaro, si vellet Lombardiam intrare, tertiò ad inducendum Venetos & alios ad succurrendum Christianis in Romaniis partibus contra Turcos. Ipse autem prædicta perfecit auxiliante Domino.* Eodem tempore Guillelmus Curti inducias in quinquennium constituit inter Lombardum Episcopum Vercellensem & Petrum dominum Burgi Masini aliosque Masini & Maglioni dominos, ut scribit Stephanus Ferrerius in catalogo Episcoporum Vercellensium. Tum verò Clemens VI. Guillelmo Cardinali sanctorum quatuor Coronatorum apostolicæ sedis Legato scripsit XIV. Kal. Iun. anno secundo ut bona Lombardi Episcopi Vercellensis mortui recipiat, ne pereant, eaque vicariis & ministris Emmanuelis de Flisco electi Vercellensis tradat. *Idem Ferrerius ibid. pag. 206.*

IOHANNE DVCE CALABRIÆ] Legendum, *Karolo*. Sic enim vocatum fuisse patrem Ioannæ Reginæ certò constat. Simili errore Froissartus vol. 1. cap. 35. eum vocat Ludovicum. Obiit Neapoli anno MCCCXXVIII. die nona Novembris, ut ait Summontius. Ejus encomium enarrat Petrarcha lib. 10. rer. senil. epist. 4.

P. 146. FVIT INTERFECTVS] De morte hujus Andreæ, quæ magnas tragœdias excitavit, vide Ioa. Villanium lib. 12. cap. 50. 78. 98. 111. Matth. Villanium lib. 1. cap. 11. Albertum Argentinensem, historiam Cortusiorum lib. 9. cap. 3. 13. Bzovium an. 1353. §. 28. Odoric. Raynald. an. 1345. §. 27. & sequentibus, Summontium, Sabellicum, & alios. Ejus mortem deplorat Petrarcha lib. 6. rer. familiar. epist. 5.

AVERSANA CIVITATE] Petrarcha ibidem: *O infelix Aversa, verè aversa, nomen ex re sumptum, aversa inquam prorsus ab humanitate ac fide; quarum prima homini, secunda Regi & justo domino debebatur.*

AD LECTVM] Clemens VI. in collatione facta contra interfectores ejusdem Andreæ: *Sic isti, cùm ipse jam expoliasset supertunicale suum & discalciasset sotulares, & vellet intrare lectum cum Regina uxore sua, vocaverunt eum, & illa hora ceperunt & occiderunt.*

DEAMBVLATORIVM] Idem Clemens in eadem collatione: *Sicut enim relatione multorum didicimus, statim cùm per eos vocatus venit ad gayphum vel deambulatorium quod est ante cameram, aliqui posuerunt manus ad os, ut clamare non posset, & ita impresserunt illos ganteletos ferreos circa os ejus quòd etiam vestigia & characteres apparebant post mortem. Alii verò funem in collo posuerunt ut strangularent eum, sicut etiam characteres post mortem ostendebant. Alii verò receperunt eum per genitalia & adeo traxerunt quòd multi qui dicebant se vidisse retulerunt mihi quòd transcendebant genua. Alii capillos de capite evulserunt. Alii eum in pratum trahendo projecerunt, Alii dicunt quòd cum fune cum qua eum strangulaverant eum quasi suspensum in pratum projecerunt. Alii super eum cum genibus ascenderunt, & eum usque ad compassionem cordis oppresserunt. Et audivi quòd etiam de hoc vestigia exteriùs apparebant. Fuit etiam nobis dictum quòd volebant eum projicere in puteum profundum, sicut projectus fuerat ille sanctus Ieremias in foveam, & postea dicere quòd iverat extra regnum de consilio aliquorum fidelium sibi, qui disposuerunt postea capere & mittere Regi Vngariæ captivos ac si scirent ubi esset. Et perfecissent nisi nutrix dicti Regis ocius occurrisset.*

IN QVO DISCANT] Similem ferè admonitionem legere licet apud Petrarcham lib. 19. rer. familiar. epist. 9. in qua loquens de morte Marini Phalerii Ducis Venetorum, quem Veneti in ipso palatii vestibulo decollarant, ait: *Ducibus qui pro tempore fuerint edico positum sibi præ oculis speculum sciant ubi videant se Duces esse, non dominos, immo verò nec Duces, sed honoratos rei publicæ servos esse.* Canonicus Bunnensis in vita Bonifacii VIII. sub finem: *Superbia Bonifacii itaque, qui Reges & Pontifices ac clerum cum populo tremere fecit & pavere, timor & tremor una die venerunt, ut ejus exemplo discant superiores Prælati non superbè dominari, sed forma facti gregis, curam gerentes subditorum, plus amari appetant quàm timeri.*

BERNARDVM DE ALBIA] vulgò dictum Cardinalem Ruthenensem. Illum Clemens VI. in Hispaniam Tarraconensem mi- P. 147.

sit anno MCCCXLIII. v. Idus Iunii, ut constat ex ejus literis ad Petrum Regem Artagonum, quarum partem edidit Odoricus Raynaldus an. 1343. §. 28. Et quamvis tum in Romana curia mos esset ut Cardinalibus Legatis aut Nunciis sedis apostolicæ destinatis daretur mensis *ad parandum se & iter arripiendum*, tamen, quia res urgebat, iste *die duodecima post diem sua publicate legationis iter suum arripuit*, ut docet Ordo Romanus editus in tomo secundo Musei Italici pag. 442. Missum autem eum fuisse ad preces Iacobi Regis Majoricarum reperi in veteribus schedis eo tempore scriptis, quæ apud me sunt. Excessit itaque Avenione die vigesima Iunii, & summa celeritate conficiens iter, Barcinonem ad Regem Artagonum pervenit die XI. Iulii, ut scribit Michael Carbonellus lib. 3. cap. 10. Sic etiam in iisdem schedis veteribus, in quibus ita habetur: *Postmodum die Veneris intitulata v. Idus Iulii anno prædicto Reverendus in Christo Pater Bernardus divina providentia tituli sancti Cyriaci in Thermis Presbyter Cardinalis missus ad præsentiam dicti Domini Regis per Dominum Papam comparuit coram ipso Domino Rege in palatio regio Barchinone, & præsentavit eidem Domino Regi quandam cartam pergameneam bulla Domini Papæ munitam, cujus tenor tam jam suprà quàm hic insertus mandato dicti Domini Regis sequitur in his verbis. Clemens Episcopus servus &c.* Et post descriptam eam bullam statim sequitur: *Qua quidem carta papali præsentata præfato Domino Regi, idem Dominus Cardinalis exponendo legationem suam in præsentia dicti Domini Regis verbo tenus, congregato honorabili consilio dicti Domini Regis proposuit plures rationes inductivas ut idem Dominus Rex supersederet in executione incepta per eum contra inclitum Iacobum de Majoricis memoratum, & quòd dignaretur eidem Iacobo de Majoricis misereri Dei intuitu & ob reverentiam Domini summi Pontificis & amorem ipsius Domini Cardinalis, cùm ipse Dominus Cardinalis intenderet, ut dicebat, tractare concordiam inter ipsum Dominum Regem & ipsum inclitum Iacobum de Majoricis, ita quod idem inclitus Iacobus firmaret sub certa forma in posse ejusdem Domini Regis Arragonum de directo.* Constitutæ sunt itaque induciæ usque ad diem primam mensis Maii cum sequentis; quas non servasse Iacobum graviter apud Papam & hunc Bernardum Cardinalem conquestus est Rex Petrus in literis ad eos scriptis, quæ extant in iisdem veteribus schedis. Sic igitur sopita quodammodo hac turbida tempestate, Bernardus Cardinalis rediit Avenionem, ubi eum fuisse IV. Idus Septembris testantur eædem schedæ veteres. Confecisse autem iter celerrimè hinc liquet quòd Michael Carbonellus lib. 3. cap. 22. testatur illum fuisse adhuc apud Perpinianum die XIX. mensis Augusti. Extat inter sermones Clementis VI. *collatio facta per eundem Dominum Papam in reditu B. tituli sancti Cyriaci Cardinalis*, id est, in reditu à legatione Hispanica.

NVNTIOS MISERANT] Extat inter sermones Clementis VI. *Responsio facta Romanis per Dominum Clementem Papam VI. quando concessit indulgentiam generalem Romæ in anno quinquagesimo perpetuò duraturam.* Incipit: *Desidero vos videre.* Infrà verò sic alloquitur nuntios Romanorum: *Vos, Romani, venistis & proposuistis coram nobis & fratribus nostris sex pro parte omnium Romanorum. Primò venistis ad exhibendum reverentiam filialem, secundò ad petendum veniam paternalem, tertiò ad notificandam lætitiam universalem, quartò ad postulandum nostram præsentiam corporalem, quintò ad impetrandum indulgentiam plenam & salutarem, sextò ad offerendum totius Romani regiminis dominationem generalem.* Et infrà: *Quintò venistis ad impetrandum indulgentiam plenam & salutarem, videlicet quòd annus jubilans, qui fuit ordinatus per Papam Bonifacium VIII. prædecessorem nostrum, scilicet de centesimo in centesimum annum, fiat & ordinetur de quinquagesimo in quinquagesimum. Et nobis videtur quod debeat exaudiri talis petitio.* Vide quæ adnotamus infrà ad paginam. 256.

RENOVAVIT PROCESSVS] Albertus Argentinensis pag. 134. *Anno Domini* MCCCXLVI. *in cœna Domini Clemens Papa contra Ludovicum principem crudelissimum faciens sermonem, contra ipsum durissimè procedens, & eos processus Papa Ioannis innovans, ipsum hæreticum & schismaticum declaravit, in processu pœnas juris hæreticorum & omnes maledictiones antiquas inserendo: in quo etiam monuit Principes electores ut Regem eligerent idoneum in Imperatorem promovendum infra certum tempus expressum, ne Ecclesia diù advocato careat, alioquin circa hoc sedes apostolica cogitaret.* Extat sermo ille in codice sermonum ejusdem Clementis. Habet autem hoc initium: *Hæreticum hominem post unam & secundam correptionem devita, sciens quòd subversus est qui ejusmodi est. Ad Titum tertiò.* Et mox addit: *Ergo hæreticus est summo opere vitandus, Ludovicus autem de Bavaria fuit mediante justitia per fe. rec. Dominum Io. prædecessorem nostrum de hæresi condemnatus, in qua longissimo tempore mansit multos inficiendo, multos decipiendo, multos seducendo, multos occidendo. Ergo summo opere vitandus est.* Et infrà: *Ad litteram enim ipse fuit de duplici hæresi condemnatus. Primò quia hæresim condemnatam per Dominum Io. de paupertate Christi & Apostolorum in decretali* Cùm inter nonnullos

nonnullos *de tanta maturitate & cum tanto consilio, quia non solùm Cardinalium, sed etiam magistrorum in theologia & etiam in jure canonico & civili digesta se tenere affirmavit & se tenere & dictam hæresim juravit, sicut apparet in sua magna appellatione, quam habemus sigillatam sigillo suo magno. Secundò fuit condempnatus de hæresi quam ille Marcilius de Padua & Io. de Ienduno invenerunt, scilicet quòd ad Imperatorem pertinet deponere Papam, constituere. quod ipse de facto fecit.*

P. 248. DEPOSVIT HENRICVM] Inter sermones Clementis VI. habetur sermo ab illo habitus in suspensione & condemnatione istius Archiepiscopi, cujus hoc est thema: *Filius protervus & contumax &c.* Item *collatio facta per eundem Dominum Papam in depositione Henrici Archiepiscopi Maguntinensis.* Incipit: *Cùm judicatur, exeat condemnatus.* Sententia depositionis adversùs eum lata extat apud Odoricum Raynaldum an. 1346. §. 12.

GELRACVM.] Sic etiam vocatur in libro quarto epistolarum Clementis VI. epist. 271. Alii eum vocant Gerlacum. Sed hæc discrepantia nullius est momenti. Agebat autem ille tum circa vigesimum annum ætatis, ut tradit Albertus Argentinensis. Sanè illum fuisse admodum juvenem testatur Ioannes Andreæ in additione ad caput speculi Durandi de sacra unctione his verbis: *Nuperrimè propter schisma Baveri videmus Dominum nostrum Papam Clementem sextum promovisse Dominum G. de Nassau filium Domini N. Comitis de Nassau ad Ecclesiam Meguntinam satis juvenem ætate, verè tamen scientia & moribus maturum valde, & in hoc studio gratiosum, quem propter id summè dilexi, & quia ipse Dominus Comes pater ejus fuit hic scholaris & compater.*

ELEGERVNT] Istud est certissimum. Et tamen in calce vitæ Karoli IV. scriptum est illum tempore Benedicti XII. fuisse electum in Regem Romanorum. Ex quo facilè colligitur postrema folia istius vitæ composita non fuisse à Karolo. Confirmavit eam electionem Clemens VI. literis ad eundem Karolum datis VIII. Idus Novembris anno quinto, quas ad annum 1346. §. 34. retulit Odoricus Raynaldus. Extat præterea in codice sermonum ejusdem Clementis collatio per eum facta in approbatione Domini Karoli in Regem Romanorum electi die sexta mensis Novembris, pontificatus sui anno quinto, id est, eadem die qua datæ sunt literæ de quibus paulò antè dicebamus. In calce igitur illius collationis ista leguntur. *Facta igitur brevi recitatione tam de diutina imperii vacatione, quia à tempore mortis Imperatoris Henrici, qui decessit anno MCCCXIII. die XXIV. Augusti, quàm etiam de electione discordi Frederici Austriæ & Ludovici Bavariæ olim Ducum, & de morte dicti Frederici, & de privatione facta per Dominum Iohannem prædecessorem nostrum justo judicio sententialiter dicti Ludovici, suis demeritis exigentibus, ab omni jure, si quod sibi ex electione hujusmodi in regno & imperio competebat, necnon de requisitione & monitione qua electores monuimus ut ad electionem procederent, alioquin oporteret nos de opportuno remedio providere, & etiam de electione dicti Karoli apud Renz juxta Confluentiam concorditer celebrata per electores qui debuerunt & potuerunt & voluerunt electioni hujusmodi interesse, & de consensu per dictum Karolum tunc Marchionem Moraviæ præstito, & de significatione tam per eum quàm per electores super electione hujusmodi nobis facta, necnon super missione ad nostram præsentiam nunciorum solemnium, & eorum propositione & instanti ac humili & frequenti supplicatione, & examinationis dictæ electionis commissione facta sex Cardinalibus, tam super forma quàm super persona dicti electi, factaque nobis tandem in consistorio in præsentia fratrum nostrorum relatione fideli, concludimus in hunc modum. Nos ad laudem & gloriam omnipotentis Dei patris & filii & spiritus sancti & beatæ ac gloriosæ semper virginis Dei genitricis Mariæ & beatorum Apostolorum Petri & Pauli & exaltationem & honorem Ecclesiæ & bonum & promotionem imperii & prosperum statum mundi de fratrum nostrorum consilio dictum Karolum in specialem nostrum & Ecclesiæ filium suscipimus, et nostros favorem & gratiam concedentes, ipsiusque persona idonea reputata, eundem nominamus, denuntiamus, assumimus, & declaramus ad suscipiendam imperialis celsitudinis dignitatem, ac decernentes unctionem, consecrationem, & coronationem imperialem per manus nostras sibi opportunis loco & tempore impendendas, supplentes nihilominus omnem defectum, si quis aut ratione formæ aut rationa personæ suæ aut personarum electorum suorum seu ex quavis alia ratione sive causa hujusmodi in electione intervenerit quovis modo, ex certa scientia & de apostolica plenitudine potestatis, præcipientes etiam omnibus fidelibus & vassallis imperii ut sibi sicut Regi Romanorum in Imperatorem promovendo pareant efficaciter & intendant.*

IN OPPIDO BVNNENSI] Nam (ut docet Innocentius IV. in cap. *Venerabilem.* de elect.) si Imperator coronam in loco debito recipere non possit, nihilominus auctoritatem ministrandi ab Archiepiscopo Coloniensi posset recipere.

GVILLELMVS DE LAVDVNO] Bernardus Guidonis in catalogo Episcoporum Tolosanorum: *Frater Guillelmus de Landuno*

ordinis fratrum Prædicatorum, de loco qui dicitur Laudunum Vticensis diœcesis extitit oriundus. Hic successit Domino Iohanni de Convenis, translatus de sede Viennensi, & factus Archiepiscopus Tolosæ per provisionem & ordinationem Domini Iohannis Papæ XXII. in jejuniis quatuor temporum adventus. Puto autem eum fuisse natum è nobili familia. Quippe reperio in testamento quod anno MCCLXIV. condidit Dalphina de Castronovo uxor Nicolai de Iudicia nepotis Clementis VI. amitam ei fuisse Maragdam de Castronovo dominam de Lauduno, & in schedis in quibus extat testamentum illud lego nobilem virum Guillelmum de Lauduno Domicellum, haud dubiè filium Maragdæ, petiisse ut testamentum illud referretur in codices publicos. Prætetea R. P. Ioannes Columbi in lib. 2. de rebus gestis Episcoporum Vasionensium num. 20. loquens de Vvillelmo de Lauduno sedis illius Episcopo ait eam gentem iis fuisse opibus per inferiorem Occitaniam & tam multas affinitate cognationeque gentes nobilitate rebusque bello & pace gestis illustres contigisse ut Comitibus Tolosanis terrori esset. Porrò Guillelmi de Lauduno filius fuisse videtur Raymundus dominus de Lauduno, nepos Archiepiscopi Tolosani, maritus Mariæ de Agrifolio, quam extinctam fuisse an. MCCCXCII. absque liberis docent excerpta ex regestis parlamenti Parisiensis edita inter probationes historiæ Cardinalium Gallorum pag. 414. Raymundum verò maritum ejus fuisse adhuc in humanis anno MCCCXCVII. die XVII. Novembris patet ex veteri instrumento illius ævi.

Guillelmus igitur in juventute addictus sodalitio fratrum Prædicatorum, cùm se literarum studiis addixisset, magnosque progressus fecisset in rebus theologicis, unde à Clemente VI. lib. 4. epist. 171. vocatur vir multorum meritorum & eminentis scientiæ, ad docendam theologiam constitutus est lector in conventu Avenionensi. Postea verò anno MCCCV. factus est secundus Prior provincialis in provincia Provinciæ; mansitque in eo gradu usque ad annum MCCCXII. quo fuit absolutus in capitulo generali Carcassonæ, *& ad legendum sententias pro anno sequenti Parisius assignatus*, ut ait Bernardus Guidonis in catalogo Priorum provincialium Provinciæ. Anno dein millesimo CCCXIV. die Iovis post festum sancti Barnabæ, ut idem ait alibi, fuit licentiatus in theologica facultate Parisiensi. Eodemque anno rursum fuit electus Prior provincialis Provinciæ, sed anno tantùm sequenti confirmatus. Interim verò officium magistri in theologia legendo Parisiis exercebat. Demum anno MCCCXVII. factus est lector sacri palatii. Præstat autem referre in hoc loco verba Bernardi Guidonis ex catalogo paulò antè laudato: *Frater Guillermus de Lauduno præfatus secunda vice successit Iohanni Gobi prædicto, electus in capitulo provinciali Massiliæ celebrato in festo assumptionis beatæ Mariæ anno Domini MCCCXIV. fuitque ejus confirmatio dilata usque ad quadragesimam subsequentem. Interim verò officium magistri in theologia legendo Parisius exercebat. fuitque confirmatus à magistro ordinis fratre Berengario in mense Februarii in quadragesima anno Domini prætaxato MCCCXV. Fuit autem Prior provincialis hac vice annis duobus cum dimidio, & de provincialatu factus est lector sacri palatii per Dominum Iohannem Papam XXII. Et ob hanc causam fuit à provincialatus officio absolutus in provinciali capitulo Tarasconensi anno Domini MCCCXVII.* Vnde colligitur necessariò falli Vincentium Mariam Fontanam & Ambrosium Altamuram scribentes hunc Guillelmum, quem falsò vocant Gavantum, factum esse magistrum sacri palatii à Clemente V. anno MCCCXII. postquàm Guillelmus Petri de Godino assumptus fuerat ad purpuram.

Ea tempestate Ioannes XXII. Guillelmi istius & aliorum quorundam theologorum sententiam exquisivit quid censendum esset de controversiis quæ inter professores ordinis sancti Francisci magna contentione agitabantur propter vestes curtas & strictas fratrum qui se vocabant spirituales & propter res usu consumptibiles. Vide lib. 1. miscellaneor. nostrorum pag. 270.

Anno MCCCXIX. fuit unus ex octo theologis delectis ab eodem Ioanne ad examinandos articulos extractos de postilla fratris Petri Ioannis Olivi quondam ordinis Minorum facta super Apocalypsi. Vide eod. lib. 1. miscellaneor. pag. 213.

Anno MCCCXXI. factus est Archiepiscopus Viennensis; & in remotis agens, ut legitur in libro obligationum archivi Vaticani, XI. Aprilis per procuratorem promisit se soluturum cameræ apostolicæ & collegio Dominorum Cardinalium certam pecuniæ summam pro bullis archiepiscopatus & quæcunque servitia consueta pro familiaribus & officialibus Domini Papæ & Cardinalium.

Anno MCCCXXIII. à Ioanne XXII. missus est in Galliam unà cum fratre Dominico Tolosano ordinis Prædicatorum, qui postea fuit Episcopus Appamiarum, ut Regi Karolo IV. suaderet bellum sacrum. *Bzovius an.* 1323. §. 18. *Odoric. Raynald. an. eod.* §. 10. Fuisse autem eum adhuc Parisiis anno sequenti die Iovis ante sacros cineres patet ex literis Stephani Episcopi Parisiensis editis in tomo quarto historiæ Vuiversitatis Parif. pag. 205.

Anno MCCCXXV. ab eodem Pontifice missus est rursum in Galliam eum Hugone Episcopo Arausicano ad constituendam pacem inter Karolum IV. & Eduardum II. Reges Franciæ & Angliæ. *Odoricus Raynaldus an.* 1325. §. 12. Erravit autem Antonius Muldrac in chronico abbatiæ Longipontis pag. 328. ubi Episcopum Aurelianensem socium Guillelmi in ea legatione facit pro Arausicano. Constituta sane fuit pax, sed parum duravit. Itaque anno sequenti Pontifex iisdem nuntiis mandavit ut Regem Franciæ moneret ne adversus Anglum uteretur rigore juris, sed potius se in eum praeberet gratiosum. *Odor. Raynald. an.* 1326. §. 11. Vualsinghamus ad annum MCCCXXV. *Per idem tempus Dominus Papa paci regnorum Angliæ & Franciæ prospiciens Archiepiscopum Viennensem & Episcopum Auraicensem ad utriusque regni principes destinavit, qui pacis monita darent utrisque. Qui cùm nihil profecissent, facto in clero tallagio, videlicet de singulis marcis accipientes quadrantem pro suis expensis, infecto negotio sunt reversi.* Sed cùm brevi postea discordia inter eosdem Reges in immensum excrevisset occasione divortii inter Isabellam Reginam Angliæ sororem Karoli & Eduardum ejus maritum, Pontifex adducta re in deliberationem cum Cardinalibus Guillelmum Archiepiscopum Viennensem & Hugonem Episcopum Arausicanum, qui è legatione redierant, iterum mittendos censuit, eosque ad pacem Eduardum inter ac Isabellam revocandam jussit incumbere. *Odoric. Raynald. an. eod.* §. 13. Qua de re agens Vualsinghamus ait: *Quod cernens Dominus Papa & vehementer condolens misit in Angliam nuntios duos Episcopos, qui primò pacem studerent facere inter Regem & Reginam & secundariè inter Reges. Qui reverenter admissi nihil præter reverentiam receperunt. Unde dolentes reversi sunt, de pace penitùs desperantes.*

Anno MCCCXXVII. exeunte Ioannes de Convenis Archiepiscopus Tolosanus factus est Cardinalis. Tum verò Papa Ioannes archiepiscopatum Tolosanum vacantem contulit in Guillelmum Archiepiscopum Viennensem.

COECVS EFFECTVS] Ex epistola 171. libri quarti Papæ Clementis apparet illum senio tum & aliis impedimentis, id est, ut ego interpretor, cæcitate, detentum nequivisse prosequi negotia Ecclesiæ suæ.

RENVNTIAVIT ECCLESIÆ] Si verum esset quod à Sammarthanis proditum est, nimirum Raymundum de Canilhaco, qui Guillelmo successit, renuntiatum fuisse Archiepiscopum Tolosanum anno MCCCXLVII. die XXIX. Octobris, difficile non esset constituere tempus quo Guillelmus renuntiavit regimini Ecclesiæ Tolosanæ. Verùm id falsum. Itaque alia persequenda via est. Certum est ergo ex literis Guillelmi editis in appendice Conciliorum Galliæ Narbonensis pag. 180. illum fuisse adhuc Archiepiscopum Tolosanum anno MCCCXLV. die tertia Iunii. Rursum certum est ex libro 4. epist. 437. Clementis VI. Raymundum fuisse consecratum Archiepiscopum Tolosanum eodem anno. Ex quo consequitur Guillelmum renuntiasse Ecclesiæ suæ eodem anno post diem tertiam mensis Iunii.

Occurrit autem in hoc loco gravis difficultas. Etenim auctor istius vitæ Clementis adnotat Guillelmum hunc vixisse pluribus annis post renuntiationem suam. In vulgata tamen glossa tituli de renuntiatione in Clementinis, quæ putatur esse Ioannis Andreæ, adnotatum est Archiepiscopo Tolosano, qui habebat suum archiepiscopatum per renuntiationem seu resignationem, necessariam fuisse aliam collationem, quia medio temporis resignans excesserat è vita. Cùm verò constet Ioannem Andreæ exemptum fuisse rebus humanis anno MCCCXLVIII. manifestum est Guillelmum non supervixisse diù suæ renuntiationi. Verum observandum est in hoc loco hanc glossam non esse Ioannis Andreæ, sed diù post illum additam fuisse à quodam Helia Regnier anno MDIII. & illam respicere ad Ioannem Aurelianensem, cui Papa concessit archiepiscopatum Tolosanum anno MDII. cùm vacaret per mortem Hectoris Borbonii.

Fundavit capellam in Ecclesia fratrum Prædicatorum beatæ Mariæ de Crolis in diœcesi Aquensi, quæ nunc dicitur sancti Maximini, ut docet Gregorius XI. in bulla edita apud Odoricum Raynaldum an. 1376. §. 24.

Denique illud monendum est, vehementer errare Fontanam dum scribit hunc Guillelmum è cathedra Viennensi transiisse ad Nemausensem. Constat enim illum fuisse Archiepiscopum Viennensem donec Tolosana Ecclesia commissa est ejus regimini.

Ejus sermones in epistolas & evangelia totius anni, in evangelia dominicalia, de tempore, & de sanctis extare manuscriptos in variis Belgii bibliothecis testatur Nicolaus Sanderus in bibliotheca Belgica MS. parte 1. pag. 129. 181. 356. & parte 2. pag. 83.

Nepos ejus fuisse videtur Guillelmus de Lauduno, quem Vestiarium Magalonæ fuisse anno MCCCXIII. testatur Petrus Gariellus in serie Episcoporum Magalonensium parte 2. pag. 10. 51.

VIXIT PLVRIB. ANNIS] Rectè. Vixit enim usque ad annum saltem MCCCLII. quo, die quinta mensis Augusti, fundavit in Ecclesia de Lauduno quatuor capellanias. Hæc sunt enim verba instrumenti fundationis ab P. 549.

eadem Ecclesia accepti : *In nomine Domini. Amen. Anno ab incarnatione ejusdem millesimo tricentesimo quinquagesimo secundo, Indictione quinta, & die quinta mensis Augusti, pontificatus sanctissimi in Christo Patris & Domini Clementis divina providentia Papa sexti anno undecimo. Noverint universi presentes pariter & futuri hoc presens publicum instrumentum visuri & audituri quod nos frater Guillermus de Lauduno miseratione divina Episcopus, olim Archiepiscopus Tolosa, cultum nominis sancta & individua trinitatis patris & filii & spiritus sancti in Ecclesia nova de Laudano Vticensis diocesis in duabus capellis nostris, quarum una intitulatur sub nomine sancti Dominici, & alia sub nomine beati Stephani, ampliare cupientes statuimus, assignamus, ac etiam tenore presentium ordinamus quatuor capellanias in capellis predictis per nos nuper constructis in dicta Ecclesia de Laudano ad honorem Dei & laudem beatissime virginis Maria ejusdem matris ac beatorum Dominici confessoris & Stephani martyris. Item quòd in ipsis capellaniis sint quatuor Presbyteri Missas celebrantes perpetuò pro anima nostra, parentibus & amicis nostris &c.* Et infrà : *Item quòd dicti capellani ponantur & assignentur in dictis capellis seu capellaniis, cùm removendi fuerint, per nos, & post nos præsententur Episcopo Vticensi per nobilem virum nepotem nostrum carissimum Dominum Raymundum de Lauduno Militem dominum castri de Lauduno Vticensis diocesis & successores suos dominos dicti castri. Cui Domino Raymundo nepoti nostro & successoribus suis dominis seu domino dicti castri de Lauduno damus & concedimus omne jus patronatus dictarum capellaniarum &c.*

Obiit Avenione in conventu fratrum Prædicatorum, ubi sepultus est in tertio sacello alæ sinistræ Ecclesiæ ejusdem conventus, ubi tamen hodie nulla extant vestigia sepulcri ejus. In veteri libro ejusdem loci hæc de eo leguntur : *Dominus frater Guillelmus de Laudano Archiepiscopus Tolosanus ordinis Prædicatorum, frater conventus dicti ordinis loci Avinionis, donavit donatione inter vivos, retento usu ad ejus vitam, cunctos libros designatos in instramento donationis, item crucem, item capellam albam, anno* MCCCXXVIII. III. *Idus Ianuarii.*

DUOS NOVOS CARDINALES] Tum verò Clemens Papa fecit collationem, cujus hoc fuit thema : *Assumpsi mihi duas virgas &c.* Deinde ait : *Teste Deo, die Iovis tantum eramus determinati ad tenendum ordines sicut de re qua non est nec esse potest. Sed multùm tardè die Iovis de sero venerunt litteræ dilecta filia nostra Regina Franciæ, quæ à principio nostra creationis nobis scripsit quòd sibi deberemus concedere unum Cardinalem. Nec est assumptio ista inordinata quantum ad tempus, quia sunt quatuor tempora vel tempus ordinationis. Sed de tam paucis dicimus verè quòd si præsentissemus nos ordinationem debere tenere, nos assumpsissemus aliquos Italicos vel aliquem.*

PETRUM BERTRANDI] Constat ex testamento ejus, quòd nuper editum est inter probationes historiæ Cardinalium Gallorum, illum natum esse apud vicum Columbarium in diœcesi Viennensi illicque baptizatum in Ecclesia sancti Cyriaci, parentes porrò habuisse Bartholomæum de Columbario & Margaritam Bertrandi de Columbario, sororem videlicet Petri Bertrandi Cardinalis Æduensis. Quare licèt omnino discedam ab illorum sententia qui Bartholomæum volunt fuisse dominum Columbarii & virum primæ inter Vivarienses nobilitatis, eorum tamen opinioni facilè accedo qui censent Petrum Bertrandi juniorem Cardinalem, de quo nobis nunc sermo est, abjecisse gentis suæ nomen ut nomine avunculi nuncuparetur, non ob rationes à quibusdam scriptoribus allatas, sed quia ita haud dubiè ex pacto convenerat eo tempore quo matrimonium contractum est inter Bartholomæum & Margaritam. Quippe deinceps omnes ex ea gente agnominati sunt ex nomine Bertrandi, ut patet ex eodem testamento. Itaque sic censeo constitui posse stemma eorum. Matthæus Bertrandi ex Agnete cognomento Imperatrice uxore sua sustulit Petrum Bertrandi Cardinalem Æduensem & Margaritam nuptam Bartholomæo Maletonis de Columbario. Istorum liberi fuere Guillelmus Bertrandi dominus castri sancti Romani in diœcesi sancti Flori, Petrus Cardinalis Episcopus Ostiensis, Guillelmus Episcopus Suessionensis, & Margarita. Guillelmus Bertrandi genuit Ioannem Domicellum, cui anno MCCCLXII. Aimarus dominus Rossilionis & Annonaii dedit villam de Columbario ac mansa de Gurino magno & parvo, Bertrandum dominum sancti Romani, & Bertrandum Notarium sedis apostolicæ, quos nepotes suos vocat Petrus Cardinalis Ostiensis in suo testamento. Ejusdem Guillelmi filiæ fuerunt matres nobilium virorum Petri de sancto Desiderio, Petri de Monasterio, & Petri de Alouesco Domicellorum Cardinalis Ostiensis nepotum, quos Karolus IV. Imperator militari titulo decoravit anno MCCCLV. in ingressu urbis Romanæ. Quo loco cogor observare Froissartum vol. 1. cap. 215. hunc nostrum Cardinalem vocare Petrum de Monasterio.

Non commemoravi in hac genealogia Guillelmum Bertrandi Episcopum Noviomensem, quem nonnulli scriptores aiunt fuisse patruum Petri Cardinalis Ostiensis, quia mihi certò constat illum non fuisse ex ea gente, sed ex

Normannica, quam tum valde illustrabat Robertus Berrrandi dominus de Briquebec Franciæ Seneschallus sive Mareschallus, ut ad annum MCCCXXX. scribit continuator Naugii: *Instante prædicto conflictu mutationum in prælationibus, misit Dominus Papa dignitatem episcopatus Noviomensis tunc vacantis Domino Guillermo de sancta Maura Tornacensis diœcesis Cancellario Regis Franciæ, qui tamen noluit eam acceptare. Et sic eam Dominus Papa contulit Domino Guillelmo fratri Roberti dicti Bertrandi natione Normanno.* Sic enim illic emendandum & legendum est. In regesto LVI. archivi regii Paris. cap. 323. Guillelmus Bertrandi Canonicus Belnensis dicitur frater Roberti Bertrandi domini de Briquebec in tractatu matrimonii ejusdem Roberti inito anno MCCCXVIII. mense Maio cum Maria filia Henrici de Silvanecto Franciæ Buticularii. Is ergo fuit primò Episcopus Noviomensis, inde Bajocensis, postremò Bellovacensis.

Vt verò tandem revertamur ad Petrum Bertrandi juniorem, videtur is fuisse factus Canonicus Æduensis à Benedicto XII. Papa. Sic enim legitur in rubricis anni tertii ejus pontificatus cap. 372. *Petro Bertrandi, aliàs Maletoitis. Providetur sibi de canonicatu & præbenda Ecclesiæ Eduensis & de officio seu ministerio sessealcia in domo Episcopi Eduensis vacantibus.* Cujus loci auctoritate emendandum videtur quod aiunt Sammarthani in catalogo Episcoporum Noviomensium num. 71. Guillelmum dominum de sancto Romano, qui frater erat hujus Petri, ut suprà vidimus, fuisse Seneschallum Æduorum. De hoc porrò Guillelmo vide probationes historiæ Comitum Valentinensium pag. 19.

Certum est eum fuisse Episcopum Nivernensem, non quidem per resignationem avunculi, ut innuere videntur Sammarthani, sed per provisionem Papæ. Quippe cùm avunculus è cathedra Nivernensi transiisset ad Æduensem, ei anno MCCCXXII. in Nivernensi substitutum esse quendam Bertrandum docet liber obligationum archivi Vaticani, eundemque adhuc anno MCCCXXXII. die Veneris post festum decollationis B. Ioannis Baptistæ fuisse Episcopum Nivernensem fidem facit vetus charta edita à Petro Roverio pag. 317. historiæ monasterii Reomaensis. Rursum difficile est statuere tempus quo Petrus Berrrandi junior præfectus est Ecclesiæ Nivernensi. Nam libri obligationum archivi Vaticani fallunt aliquando. In uno porrò eorum adnotatum est Petrum fuisse electum Nivernensem anno MCCCXXXV. mense Ianuario. Quod verum esse non potest si Petrus iste non est diversus ab eo quem paulò antè diximus factum fuisse Canonicum Æduensem. Sanè Atrebatensem Episcopum evasisse anno millesimo CCCXXXIX. ineunte certum est.

Anno MCCCXLIV. die XXVI. Februarii Clemens VI. in secunda creatione Cardinalium facta apud Villamnovam contra Avenionem eum fecit Presbyterum Cardinalem tituli sanctæ Susannæ. Datum id fuisse precibus Ioannæ Reginæ Francorum testatur Clemens Papa in collatione per eum facta quo tempore istam Cardinalium creationem peregit. Statim enim post verba relata suprà pag. 869. addit: *Sed posset iterum quæri, Quare magis assumpsistis istos quàm alios? Respondetur. Et primò quantum ad Episcopum olim Atrebatensem, primò ex parte Reginæ Franciæ, quæ intercessit ferventer, secundò ex parte sui avunculi, qui promeruit patenter, tertiò ex parte nostra, qui concessimus clementer, quartò ex parte sua, qui recipiet libenter. Primò dico ex parte illustris Reginæ Franciæ, quæ intercessit frequenter, & specialiter se determinando ad istum Attrabatensem Episcopum & per frequentes litteras & per sollemnes Ambaxatores, quia Dominus Ludovicus de Sabaudia habuit super hoc singularem ambaxiatam, & Dominus Raynaudus de Moliuis diù fuit in curia super isto negotio.* Et infrà: *Secunda causa de promotione istius Attrabatensis ex parte avunculi sui, qui pro nunc patenter & certè bene promeruit habere nepotem Cardinalem. Si ipse Cardinalis Æduensis esset præsens, non diceremus. Sed gaudemus quia ipse non est. Nunc istud collegium multùm honoratur ex sua præsentia propter suam experientiam, prudentiam, scientiam & vitam.*

Quamvis autem ei datus fuerit titulus sanctæ Susannæ, pro more tamen illorum temporum vocatus est Cardinalis Attrebatensis ex nomine ultimæ Ecclesiæ quam possedit. Clemens VI. in eadem collatione: *Primò, ratione suæ sufficientiæ. Ipse est Doctor legum, & primò fuit Episcopus Nivernensis, & pòst Attrabatensis, & in utroque bene profecit propter suam prudentiam. Secundò ratione dignitatis suæ Ecclesiæ. Illa Ecclesia genuit Cardinalem & Papam. Cardinalis Carnotensis fuit consecratus in Episcopum illius Ecclesiæ Attrabatensis; sed non retinuit nomen, quia fuit assumptus de Carnotensi Ecclesia. Et nos similiter fuimus consecrati in Episcopum illius Ecclesiæ; sed non retinuimus nomen, quia non fuimus inde assumpti. Et ideo volumus quòd habeat Cardinalem qui retineat nomen Ecclesiæ Attrabatensis.*

Videtur autem fuisse absens eo tempore quo factus est Cardinalis. Extat enim inter sermones ejusdem Clementis collatio alia facta per eum pro adventu cujusdam Cardinalis nomine Petri in novitate sua, in qua hæc inter alia leguntur: *Nam istud collegium fratrum nostrorum ipsum videre desiderabant propter*

sua conscientia soliditatem. Ille autem alius esse non potest quàm iste Petrus Bertrandi. Quod in primis colligitur ex eo loco ubi Clemens loquitur de avunculo istius novi Cardinalis, *quia nunc est sibi pater*, inquit, *quia ipsum virtuosè nutrivit & prudenter & sollicitè promovit.* Vnum me ab ea sententia dimovebat, quòd hunc Petri avunculum Clemens vocat consobrinum suum. Et tamen non possum eam abjicere, quia reliqua hujus collationis verba in nullum alium Cardinalem à Clemente creatum convenire possunt quàm in Petrum Bertrandi juniorem.

Anno MCCCLIII. factus est Episcopus Ostiensis *juxta cursum Collegii*, ut legitur in tertia vita Clementis, quia nimirum erat antiquior Presbyterorum Cardinalium qui antea fuerant Episcopi consecrati.

Anno MCCCLIV. cùm post occisum Karolum de Hispania Conestabularium Karolus Rex Navarræ, vir turbulenti & inquieti ingenii, nova semper moliretur adversùs Regem Francorum, Avenionem quoque turbaturus, si posset, se contulit. Extat enim in archivo regio Parisiensi vetus scheda illorum temporum, in qua Fricquetus de Friquanto (cujus meminit Froissartus vol. 1. cap. 156.) ait de Rege Navarræ *que il ala en capinage hors du royaume de France lui huictiesme, & se rendi en Avignon, & y fu en l'ostel du Cardinal d'Arras, qui depuis fut d'Ostie, jusques à ce que le Duc de Lancastre, le Comte d'Arondel, l'Evesque de Nervit & autres y vindrent messages pour le Roy d'Angleterre, & le Duc de Bourbon, le Comte de Beloigne, l'Archevesque de Roüen Chancelier, & autres y furent messages pour le Roy de France pour l'enterinement d'un traictié de paix parlé entre Guignes & Calais en la presence du Cardinal de Boloigne entre lesdits messages. Et quant lesdits messages y furent venus, encore se tint si secrettement en la ville par aucuns jours. Et eux estans illenc, faigny aller & s'en alla hors de la ville à grant compaignie, & la nuit s'en retourna avec sadite compaignie seulement, sen ce que nul en sceust aucune chose. Et fu depuis par quinze jours tant en l'ostel du Cardinal d'Ostie comme en celui du Cardinal de Bologne, parlant & conseillant toutes les nuicts avec ledit Duc de Lencastre que tant que demoura pour ceste cause. Et depuis ala en son pays de Navarre &c.*

Anno MCCCLV. missus est ad Romam pro exequendis solennibus coronationis Karoli IV. Imperatoris. Qua de re pluribus agemus ad vitam Innocentii VI.

Anno MCCCLXI. cùm societates prædonum publicorum multùm incommodarent curiæ Romanæ, decretum est adversùs eos bellum sacrum, & publicata cruciata, ut vocant. Dux autem exercitus delectus est Petrus iste Episcopus Ostiensis. *Oderic. Raynal. an. 1361. §. 5. & Froissartus vol. 1. cap. 215.* Interim obiit ille die XIII. Iulii ejusdem anni. Cetera nota sunt.

NICOLAVM DE BESSIA] In codice regio vocatur Iacobus certo errore. Quidam, ut hanc discrepantiam conciliaret, eum vocavit Nicolaum Iacobum. Parentes habuit Iacobum de Bessa & Dalphinam Rogeriam sororem Papæ Clementis. Testatur id ipse Clemens in collatione facta eo tempore quo hunc Nicolaum & Petrum Bertrandi Episcopum Attrebatensem promovit ad cardinalatum. *Ipse*, inquit, *nepos noster est, filius sororis nostræ.* Et infrà: *Incepimus eum nutrire, & fecimus eum venire Parisius, & ibi fecimus eum studere. Postea studuit in Aurelianis, ubi modo legebat quando fecimus ipsum venire ad curiam.* Eum avunculus Clemens fecit Episcopum Lemovicensem anno MCCCXLIII. circa mensem Septembrem. Verùm nunquam fuit consecratus. Vnde semper vocatus fuit electus Lemovicensis usque ad illud tempus quo factus est Cardinalis, id est, usque ad annum millesimum CCCXLIV. die XXVII. mensis Februarii. De hac ejus promotione sic ait idem Clemens in collatione suprà laudata: *Sed quid dices de iste Lemovicensi? Verè dicimus in verbo veritatis quòd heri de mane, quando intravimus consistorium, tantum cogitaveramus de sua promotione sicut de re qua non est. Sed ad petitionem totius collegii, nullo de collegio discordante, oportuit quòd ipsum assumeremus. Et fuerunt Cardinales qui dixerunt quòd non consentiebant in Attrabatensem nisi nos assumeremus istum Nicolaum. Et ideo ipsum assumpsimus.*

Anno MCCCXLIV. seu potiùs sequenti, die XVI. mensis Ianuarii, apud Avenionem interfuit submissioni quam Ludovicus IV. Imperator fecit Clementi VI. per Humbertum Dalphinum Viennensem. Vide lib. 2. miscellaneor. nostrorum pag. 273. Extat inter sermones Clementis VI. *collatio facta per Dominum Papam Clementem VI. quando procuratores Bavari submiserunt statum, personam, res & bona ad osculum pedum beatorum.* Ejus thema fuit: *Nolite errare, Deus non irridetur.* In fine autem sic alloquitur procuratores Ludovici: *Et ideo si istis pensatis istam submissionem vultis facere, in nomine Domini faciatis. Si non, melius est ut dimittatis quàm si postmodum contemnatis. Et ideo vobis dicimus illud. Eligite hodie quod placet.*

Anno MCCCXLVII. Clemens VI. cum dedit auditorem in causa quam familia Bertrandi de Poieto Cardinalis habebat adversùs cives Bononienses. Sed istis habentibus eum suspectum, ea jurisdictio translata est in Guillelmum de Iudicia. Refert ista Ghirardaccius

lib. 22. hist Bonon. pag. 575. hunc Nicolaum falsò vocans Capocium & Episcopum Vercellensem.

Anno MCCCLII. comitatus est funus Clementis VI. ad monasterium Casæ-Dei. *Bzov. an.* 1352. §. 25.

Anno MCCCLXII. unà cum Guidone de Bolonia & Petro de Belloforti Cardinalibus laboravit ad faciendam concordiam inter Comitem Armaniacensem & Vicecomitem Turennensem. *Cæsar Nostradamus in hist. Provinciæ pag.* 412.

Anno MCCCLXVI. factus est Protector ordinis Minorum. *Vvadding. an.* 1366. §. 10. Anno verò sequenti præfuit comitiis eorum generalibus. *Idem an.* 1367. §. 6.

Secutus est Vrbanum V. proficiscentem Romam; ubi, anno MCCCLXIX. interfuit professioni fidei quam illic emisit Ioannes Palæologus Imperator Constantinopolitanus. *Bzov. an.* 1369. §. 2. 3. *Odoricus Raynaldus anno eodem.* §. 3.

Obiit Romæ eodem anno die quinta Novembris, uti post Onuphrium plurimi tradidere. In libro obligationum dicitur obiisse die decima quinta. At in Necrologio Ecclesiæ Narbonensis ita scriptum est ad diem v. Idus Septembris: *Obiit Reverendus Pater Dominus Nicolaus de Bessa sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconus Cardinalis.* In Necrologio verò Ecclesiæ Lemovicensis ad diem v. Non. Maii: *Hic fiat anniversarium recolendæ memoriæ quondam Domini Nicolai Cardinalis Lemovicensis tituli sanctæ Mariæ in Via lata super ejus tumulum elevatum in capella B. Mariæ Magdalenæ.*

Vulgò etiam traditur illum esse sepultum Romæ. Verùm ex actis quæ edita sunt inter probationes historiæ Cardinalium Gallorum pag. 340. certò constat ejus corpus translatum esse ad Ecclesiam Lemovicensem. Vidi illic sepulcrum ejus è marmore candido, cui superimposita est ipsius statua mitrata ex marmore item candido, & duo leones ex simili marmore tenent pileum cardinalitium.

Falluntur profectò qui putant eum fuisse Archiepiscopum Rothomagensem, perperam eum confundentes cum Nicolao Rogerii patruo Clementis VI.

Ex gente istius Cardinalis fuisse videtur Ioannes de Bessa, quem fuisse Officialem Avenionensem reperi in regesto anni sexti Innocentii VI.

P. 150. IPSVM OBTINVIT] Aymericus de Peyraco Abbas Moyssiacensis in suo chronico de hac ipsa re agens ait Eduardum maximum honorem reportasse *de obsessione villæ Calesii, quia Rex prædictus Philippus ipsum Eduardum existentem in obsessione obsessit cum magna potentia, labore & sumptibus infinitis. Et finaliter dictus Rex Eduardus cepit villam prædictam in magnum damnum & detrimentum totius regni. Et prædicta captio plus fuit damnosa & vituperosa regno Franciæ quàm alia fuerit quacunque, quia abinde Rex Angliæ destruxit & consumpsit, & omnes incolas illius villæ congedіavit & propellit, & de Anglicis populavit, ut essent fideliores ipsi Regi. Demum Rex Franciæ compatiens gentibus illis captis & exulatis, dedit eis victum in regno suo, & in Carcassona & alibi eis provideri fecit, quia fidelissimi fuerant & usque ad ultimam inediam se defenderunt & tenuerunt in tantum quòd pro muribus comedendis destruebant & dissipabant muros & domus, aliis victualibus non habentibus & deficientibus remediis quibuscunque.* Vide Ioannem Villanium lib. 12. cap. 94. 95. Ioannem Hocsemium pag. 496. 511. Albertum Argentinensem pag. 137. 140. to. x. Spicilegii Dacheriani pag. 803. Annales Hiberniæ an 1347. & Odoricum Raynaldum an. 1346. §. 42.

TREVGAS AD CERTVM TEMPVS] ad triennium. Hocsemius pag. 465. loquens de gestis anno MCCCXLIII. mense Martio: *Circa principium hujus mensis inter Reges Franciæ & Angliæ treugæ publicatæ sunt à festo sancti Michaelis ad triennium duraturæ.*

DEDIT FILIO SVO] Contrà auctor M. Chronici Belgici pag. 303. scribit Ludovicum IV. Imp. comitatum Hollandiæ vacantem donasse Margaretæ Imperatrici conjugi suæ, quæ vera soror germana fuit Vvillelmi Comitis. Seniorem autem eam sororum ejus fuisse tradit Albertus Argentinensis pag. 135. & cùm illam repudiarent Hollandi, qui volebant habere seniorem filium ejus pro domino, eundem Imperatorem misisse in eam regionem Vvillelmum filium suum. Vide etiam pag. 157.

NARZEMBVRG] Codex regius, *Zanzienberh*, Albertus Argentinensis pag. 150. *Schuartzenburg.* Ita etiam Henricus Rebdorffius. Vide Spondanum an. 1347. §. 6. & Odoricum Raynaldum an. eod. §. 9. & an. 1349. §. 12. P. 151.

DICITVR PROCVRASSE] Istud falsum esse contendit Spondanus in loco paulò antè laudato.

ECCLESIAM PRAGENSEM] Factum id fuisse à Karolo Imperatore in odium Henrici Archiepiscopi Moguntini ait Albertus Argentinensis pag. 135. *De quo postea argutus*, inquit, *Iohannes Rex Bohemiæ pater ejus Principibus quòd sine scitu ejus factum esset juravit.* Et tamen Clemens VI. in collatione facta in erectione civitatis Pragensis in metropolim & Luthomuslæ & Algezitæ in civitates episcopales ita loquitur: *Tertium quod nos movet est devota & humilis supplicatio ad litteram Regum Castellæ pro Argisilla & Bohe-*

mia pro aliis duabus. Et certè non parum adjecit maxima devotio Karoli filii primogeniti dicti Regis Bohemia, cujus devotionis spiritum non debuimus extinguere, qui etiam de suo proprio valde largè dare vult pro ampliori dote illius Ecclesia. Meminit hujus historiæ Ioannes Andreæ in additione ad speculum Durandi super titulo de auctoritate & usu pallii. *Novissimè*, inquit, *per Dominum nostrum Clementem VI. Ecclesia episcopalis Pragensis suffraganea Maguntina facta est archiepiscopalis, regente illam olim fratre & socio, nunc patre & domino, Arnesto de Boemia jamdiù licentiato in jure canonico.* Idem Clemens in initio collationis paulò antè laudatæ: *Modò, carissimi, in duobus modis de fratrum nostrorum consilio aliquas civitates die isto deliberavimus exaltare, unam, scilicet Pragensem in regno Bohemia, clarioris splendoris radio & præsidentia cumulo laureare vel honorare, duas alias, scilicet Luthomuslensem etiam in regno Bohemia, hac in diocesi Pragensi, in qua erat abbatia solemnis ordinis Præmonstratensis, & etiam Argizillam in regno Yspania in diocesi majoris honoris praconio & excellentia titulo decorare. Primam enim, scilicet Pragensem, deliberavimus in metropolitanam & archiepiscopalem erigere & ipsam ab omni subjectione Archiepiscopi & Ecclesia Maguntina eximere & isti Ecclesia immediatè subjacere & duos suffraganeos sibi concedere, scilicet Olomucensem in eodem regno & Luthomulsensem, quam de novo in cathedralem & episcopalem deliberavimus erigendam & sibi certam & determinatam diocesem assignare.* Quod autem addit Albertus jus coronandi Reges Bohemiæ pertinuisse antè ad Archiepiscopum Moguntinum, istud confirmatur ex bulla Innocentii VI. edita apud Odoricum Raynaldum an. 1341. §. 16.

P. 252. VILLAM ALGEZIRÆ] Vvalsinghamus ad annum MCCCXLIII. *Sub his diebus civitas de Algazira capta est per Regem Hispania, qui eam per triennium per terram & per mare obsederat cum penè innumerabili populo Christiano. Rex verò de Garnade, qui eam occupaverat cum Saracenis, devenit vasallus Regis Hispania, & eidem constituit censum annuum duodecim millium florenorum. Dominus Papa his auditis in dicta civitate sedem statuit episcopalem, & Episcopum illius urbis subjecit tanquam suffraganeum metropolitana Ecclesia Hispalensi.* Clemens VI. post postrema verba suprà relata de creatione Ecclesiæ Pragensis in metropolim & Luthomuslensis in cathedralem ista subjungit: *Et in memoriam tanta victoria concessa Christianis per ministerium carissimi filii nostri Alfonsi Regis Castella illustris Argizillam, quam diù obsessam tenuit & Deo cooperante cepit, in civitatem erigere, ut amodo dicatur civitas sacerdotalis & regia civitas, inquit, David Regis, tam laboriosi Regis, tam bellicosi Regis, tam gloriosi Regis, tam toti christianitati fructuosi, ut illius loci qui priùs erat habitatio omnium dæmonum, & in quo adorabatur ille perfidus Mahometus, nunc eliminata ab eo omni spurcitia, sabbato ante ramos palmarum in crastinum captionis ipsius fuit per Archiepiscopum Toletanum & alios Prælatos assistentes in templum in honorem beata virginis consecrata, & hodie per nos in cathedralem Ecclesiam erigitur.* Vide Spondanum an. 1344. §. 3. & Odoricum Raynaldum an. 1343. §. 37. & an. 1344. §. 51. ubi refertur bulla Clementis VI. ex qua constat Algeziræ nomen tum mutatum esse in nomen Insulæ viridis.

LVDOVICVS R. HVNGARIÆ] Vide Ioannem Villanium lib. 12. cap. 58. 111. Matthæum Villanium lib. 1. cap. 10. 11. & Ioannem Hocsemium pag. 509. 510. Vide etiam Spondanum an. 1348. §. 1.

BERTRANDVM DE DEVCIO] Destinatum eum fuisse Legatum Italiæ anno MCCCXLVI. Kal. Februarii docent literæ Clementis VI. editæ ab Odorico Raynaldo an. 1346. §. 49. Verùm adversa ejus valetudo eum detinuit ne in regnum Neapolitanum ad suscipiendas publicæ rei habenas se conferret. *Odoricus Raynaldus anno* 1346. §. 44. Itaque ei de integro commissa est provincia Italia literis datis Idibus Martiis ejusdem anni, quæ extant apud eundem Raynaldum §. 60. Neque tamen statim discessit Avenione. Etenim cum illic fuisse die XXII. Aprilis constat ex eodem Raynaldo §. 19. 26. Postea profectus est mense Augusto, ut videtur, & Florentiam advenit die octava Octobris, ut Ioannes Villanius tradit lib. 12. cap. 70. In eadem legatione constitutus inquisitionis officium in provincia sancti Francisci vallis Spoleti commisit fratri Ioanni Iacobi de Spello ordinis fratrum Minorum, ut patet ex appendice Directorii Inquisitorum pag. 66.

SVCCESSIVE GVIDONEM] P. 253. Contrà Odoricus Raynaldus an. 1346. §. 44. ais eam legationem primò oblatam Guidoni, sed cùm is id munus non admitteret, illud in Bertrandum tituli sancti Marci Cardinalem transfusum esse.

CVM LVDOVICO] Ioannis Aventini summa est in hoc loco imperitia rerum istarum. Ait enim pag. 784. hunc novum Ioannæ maritum fuisse Clementis VI. fratrem. Hæc sunt ejus verba: *Hoc etiam anno in Apulia Andreas Rex noctu in cubili laqueo necatur. Clemens germano suo regnum tradit. Verùm Ludovicus Rex Vngrus occisi frater cum infesto exercitu in Campaniam contendit, Ioannam uxorem fratris cum marito novo fratre sexti, item alios cadis conscios auctoresque*

Italia

Italia exigit, regno Neopolitano potitur.

CONSANGUINEUM SUUM] Ipse quoque Clemens apud Bzovium an. 1352. §. 7. testatur hunc Guillelmum sanguinis sui virum fuisse. Eum porrò Cardinalem creari postulaverant à Clemente Ludovicus & Ioanna Siciliæ Reges. Quod Clemens facere destinaverat, consentientibus etiam Cardinalibus, sed morte præventus exequi non potuit. Ab Ecclesia Bracarensi transiisse ad Arelatensem observat Rodericus à Cunha.

Fuisse illum patria Tutelensem satis liquet ex eo quòd constituens dotansque quasdam capellanias in Ecclesia Arelatensi, *sanxit*, ut ait Petrus Saxius, *Petrum de Gardia Tutellensem perpetuo juris patronatus beneficio frui.* Deinde in codice 1393. bibliothecæ Colbertinæ extat vetus instrumentum confectum apud Avenionem anno MCCCCXVIII. die decima Novembris, in quo *nobilis vir Guillelmus de Gardia Domicellus Tutellensis diocesis dominus in parte Montis-Dracenis* in diœcesi Arausicana vendit P. Cardinali administratori perpetuo Ecclesiæ Arausicensis domum quam habebat in urbe Montis-Draconis. Adde quòd in veteri charta Ecclesiæ Arelatensis data anno MCCCLVII. die XX. Januarii inter Canonicos illius Ecclesiæ nominatur Ioannes de Fajardia, quem valde probabile est Tutela abductum à Stephano Archiepiscopo ut civem suum in Ecclesia sua constitueret. Nam in veteribus urbis Tutelæ monumentis reperio eos qui de Fajardia cognominantur fuisse censitos inter primarios ejusdem urbis cives. Manet etiamnum apud nos ea gens, vulgò dicta *La Fagerdie*, cujus ædes ita conjunctæ sunt ædibus Gardiorum ut illis adhærcant. Manet etiam Gardiorum gens in plures ramos distributa; quorum quidam vocantur Gardii de Gardia, vulgò *Lagarde de De Gardia*, ut à ceteris distinguantur. Isti autem ii sunt quorum ædes contiguæ sunt ædibus Fajardiorum. Ex iis hodie superest vir clarissimus Martialis de Gardia Decanus Consiliariorum regiorum in curia præsidiali Tutelensi; cujus patruus Gabriel de Gardia, me admodum puero, commigravit Massiliam, ibique sedem fixit. Moriens autem duos filios reliquit Andream & Gabrielem; quorum major hodie locum tenet Prætoris in eadem urbe Massiliensi; alter, qui anno MDCLXXXIV. die XII. Novembris excessit è vivis, erat centurio in coborte Aquitanica, *Capitaine dans le regiment deGuyenne.* De posteris veterum Gardiorum dicemus infrà.

Fuisse Guillelmum de Guardia Canonicum Aurelianensem paret ex Ruzeo in tractatu juris regaliorum privileg. 25. & 48. Deinde evasit Archiepiscopus Bracarensis in Lusitania. Qua tempestate missus est nuncius apostolicus in Siciliam, ut ait hic auctor. Vide etiam Odoricum Raynaldum an. 1352. §. 3. 5. Postea transiit ad Ecclesiam Arelatensem, cui præfectus est post mortem Stephani de Gardia anno, ut ait Saxius, MCCCLX. Neque enim alia testimonia nobis suppetunt. Anno MCCCLXV. mense Maio præfuit Concilio Aptensi trium provinciarum, quod ideo vocatum est generale. Eodem anno coronam regni Arelatensis imposuit Karolo IV. Imperatori apud Arelatem, ut dicemus in Notis ad pag. 370. Deinde factus est Patriarcha Hierosolymitanus circa annum MCCCLXXI. ut colligi potest ex actis litigii quod propter salinas habuit cum civibus Arelatensibus coram Petro Cardinale Florentino, quem Gregorius XI. eis judicem dederat. Eadem acta docent illum, olim Archiepiscopum Arelatensem, factum esse eo tempore administratorem perpetuum Ecclesiæ Arelatensis. Anno millesimo CCCLXXII. Nicolaus Spinellus Seneschallus Provinciæ eum ad subsellia sua evocavit responsurum super quibusdam castris ablatis. *Bzov. an.* 1372. §. 34. Eodem an. Ademarus de Grignan Domicellus Montis-Draconis eidem Patriarchæ & administratori præstitit homagium tanquam domino superiori Montis-Draconis, ut in historia Provinciæ pag. 431. scribit Cæsar Nostradamus. Ex quo certò patet falsum esse Saxium putantem illum obiisse anno MCCCLXXI. Faciliùs crediderim extinctum esse anno MCCLXXIV. circa mensem Maium. Nam cùm ex regesto Urbani V. constet Petrum de Crosofactum fuisse Archiepiscopum Bituricensem anno millesimo CCCLXX. VI. Idus Iunias, auctor verò patriarchii Bituricensis scribat illum tenuisse eam cathedram per annos ferè quinque & Bertrandum de Chanaco successorem ejus anno millesimo CCCLXXIV. sedisse in cathedra Bituricensi, manifestum est Petrum transiisse tum ad Arelatensem, adeoque Guillelmum extinctum fuisse anno MCCCLXXIV. uti diximus. Multùm autem errant qui scribunt illum obiisse anno MCCCXCII. & fuisse Archiepiscopum Hydruntinum & Cardinalem.

Hunc Guillelmum de Gardia Archiepiscopum Arelatensem idem Nostradamus pag. 420. & seq. describit ut hominem malis moribus imbutum, tum perfidum & proditorem, ut qui Ioannæ Reginæ Neapolitanæ & Comitissæ Provinciæ dignitatem læserit, cujus propterea jussu & auctoritate bona archiepiscopatus Arelatensis sub manu regia, ut vulgò loquuntur practici, posita fuere. Idem refert satyram quandam adversùs hunc Archiepiscopum eo tempore scriptam à quodam Bertrando Alamanone nobili Arelatensi. At Saxius pag. 323. hanc historiam revocat in dubium, eò quod chartæ Arelatenses Guillelmum optimi præsulis specimen edidisse testentur, constet autem

Reginam Ioannam ante & post fictam proditionem illum sibi beneficiis devinxisse. Quoad satyram, ego puto eam non esse accipiendam simpliciter uti legitur, sed in contrarium sensum, adeo ut in laudem potiùs quàm in vituperium ejus composita videatur. Quis enim tam perditus, tam malus Episcopus esse potest ut de eo dici vel scribi possint quæ poeta ille scribit de Guillelmo?

PROPE LOCUM DE CRESSI] Vide Ioannem Villanium lib. 12. cap. 66. Matthæum Villan. lib. 1. cap. 22. Albertum Argentin. pag. 136. Continuatorem Nangii in tomo XI. Spicilegii Dacheriani pag. 805. Ioannem Hocsemium pag. 483. 486. & Froissartum vol. 1. cap. 128. & seqq.

SANCTUM IVONEM] Cogitasse Clementem V. & Ioannem XXII. de eo referendo in catalogum sanctorum patet ex bulla Ioannis XXII. edita ab Odorico Raynaldo an. 1330. §. 58. Quæ literæ cùm postea, nescio quo casu, perditæ fuissent, decrevit Benedictus XII. anno tertio earum *sumptum de registro Domini Papæ Iohannis super informatione miraculorum Yvonis Aheleri Presbyteri quondam Trecorensis diocesis perinde valere ac si prædictæ originales litteræ apparerent.* Idipsum testatur Clemens VI. in collatione quam fecit in recitatione processus pro canonizatione ejusdem Ivonis. Hæc sunt ejus verba: *Cùm iste Dominus Yvo Heloy mortuus fuerit anno* MCCCIII. XIX. *die mensis Maii, qua fuit illo anno dominica post ascensionem, crebrescentibus ejus miraculis populus ille clamare non desiit, Canonizetur Yvo Heloy, Heloy, & temporibus prædecessorum nostrorum felicis recordationis Clementis quinti, cujus tempore fuit negotium suæ canonizationis solemniter in consistorio propositum, & etiam Iohannis XXII. cujus etiam tempore fuit frequentissimè propositum & devotissimè imploratum, nunc per Ducem Britanniæ Iohannem, nunc per Prælatos totius provinciæ Turonensis, nunc per carissimos in Christo filios Philippum Regem & Iohannam Reginam Franciæ illustres, nunc per Vniversitatem Parisiensem, tandem per Yvonem Episcopum Trecorensem & Guidonem de Britannia fratrem Ducis, qui propter hoc tempore prædecessoris supradicti ad curiam personaliter accesserunt, tandem commissa per dictum prædecessorem nostrum anno pontificatus sui quartodecimo inquisitione Episcopis Lemovicensi nunc Bituricensi Archiepiscopo & Engolismensi & Abbati de Troarno Doctori decretorum Bajocensis diocesis, & ipsis ad civitatem Trecorensem accedentibus personaliter, primò super fama inquisiverunt sollicitè, & inter cetera plusquam quingentæ personæ primò elevatis manibus versus Ecclesiam, postmodum tactis sanctis evangeliis juraverunt & testificati fuerunt ac dixerunt fuisse & esse publicam vocem & famam in Britannia, Francia, Anglia, Hispania, Vasconia, Normannia, & aliis multis partibus quòd dictus Dominus Yvo & tempore quo vivebat & tempore mortis suæ fuit & erat bonus & fidelis catholicus & sanctus homo & bonæ & sanctæ vitæ & conversationis honestæ, & quòd in vita ipsius & post mortem ad invocationem ipsius & propter ejus merita multa miracula facta fuerunt & continuè & incessanter fiunt.* Et paulò pòst adduntur ea quæ edita sunt in tomo quarto Maii Bollandiani pag. 578. ab his verbis *Inquisitionem autem factam* usque ad *nostra tempora conquievit. Sed nunc fortiter excitati* &c. usque ad *& ad veritatem addebant.* Deinde legendum est *ferratura*, & mox *deteriorata apparuerunt. Et ista etiam Barones qui cum eo erant testificati sunt.* Paulò pòst, *& tota patria firmam.* Itaque Clemens VI. cum tandem canonizavit, ut videre est in eodem tomo quarto Bollandiano pag. 579. & apud Odoricum Raynaldum an. 1347. §. 40. Deinde anno MCCCXLVIII. Episcopo Trecorensi ut corpus sancti Ivonis in locum eminentiorem transferret permisit. *Bzov. an.* 1348. §. 29. Testatur autem continuator Nangii in tomo XI. Spicilegii Dacheriani pag. 811. ejus corpus anno sequenti à Prælatis & clero Britanniæ de terra elevatum, & Ecclesiam ejus nomine Parisiis in vico sancti Iacobi inchoatam primitus & fundatam. Vide Vvaddingum an. 1347. §. 14. & an. 1351. §. 10.

MORTALITAS] Vide Albertum Argentinensem pag. 177. Henricum Rebdorffium ad an. 1348. continuatorem Nangii in tomo XI. Spicilegii Dacheriani pag. 807. historiam Cortusiorum lib. 9. cap. 14. Matthæum Villan. lib. 1. cap. 2. Guidonem de Chauliaco tractatu 2. doctr. 2. cap. 5. & Radulphum de Rivo cap. 3. de gestis Pontificum Leodiensium. De hac peste extat epistola Petrarchæ ad Geraldum germanum suum monachum Cartusiensem lib. 16. rer. familiar. epist. 2. in qua eum laudat quòd ceteris monachis ac Priore ipso discedentibus aut discedere volentibus è monasterio ad vitandam mortem, ipse in statione manens ægrotis opem suam præbuerit, mortuos sepelierit, solus in monasterio remanens superstes triginta quatuor fratribus intra paucos dies extinctis. p. 154

IVDÆI] Hanc in Iudæos seu calumniam seu contumeliam non tulit Clemens Papa. Itaque literis datis V. Kal. Octobris vetuit ne interficerentur, neve ob suspiciones illas malè à Christianis haberentur. Extant illæ apud Odoricum Raynaldum an. 1348. §. 33. Meminit autem earum Albertus Argentinensis pag. 147. his verbis: *Et infamati sunt Iudæi quòd hujusmodi pestilentiam fecerint vel au-*

xerint, fontibus & puteis injecto veneno. Et cremati sunt à mari usque ad Alemanniam, præterquam Avinione, ubi eos Papa Clemens sextus defendit. Ioannes Trithemius in chronico Hirsaugiensi to. 2. pag. 207. *Solus Papa Clemens sextus Iudæos in Avenione habitantes ab hac internecione contra multorum sententiam potenter servavit, non sine suspicione pecuniarum.* Sed ipse hanc ab eo suspicionem amoliri videtur pag. 214. ubi ait nosse se hanc persecutionem Iudæorum Romano Pontifici viro christianissimo haud mediocriter displicuisse, eam porrò fuisse multorum sententiam ut existimarent Christianos qui hanc persecutionem Iudæis moverunt avaritia motos potiùs quàm pietate religionis vel zelo justitiæ. Theodericus à Niem lib. 1. de schismate cap. 35. irridet eos qui ignorantes rerum naturalium causas credunt fontes & puteos ita contaminari posse veneno ut qui hinc bibunt inficiantur & in mortis periculum incidant.

CAMPUS FLORIDUS] Campum floritum levi mutatione vocat Bonifacius de Amanatis in Clement. *Eos qui.* de sepulturis. ubi ait illum fuisse extra antiqua mœnia civitatis Avenionensis.

P. 255. NICOLAUM LAURENTII] Sic dictum quia filius erat Laurentii cauponis, ut scribit Thomas Fortifiocca in vita ejus, seu molendinarii, ut Ioannes Hocsemius lib. 2. cap. 35. de gestis Episcoporum Leodiensium. Ipse se apud Imperatorem Karolum IV. gloriatus est prognatum esse è filio spurio Henrici VII. Imp. avi Karoli, ut testatur idem Fortifiocca. Ad eum extat liber hortatorius Petrarchæ, cujus mentionem facit ipse Petrarcha lib. 7. rer. senil. epist. 7. ad eundem Tribunum scripta.

MULTOS INTERFECIT] Ioannem videlicet Columnensem filium Stephani, Stephanum ipsum, & Petrum Agapitum, ut scribit idem Fortifiocca. Immo ipse Nicolaus Tribunus epistolam de eorum cæde scripsit ad Raynaldum Ursinum Archidiaconum Leodiensem, quæ est edita apud Ioannem Hocsemium, in qua hæc leguntur: *In qua sex de tyrannis Columniensibus perierunt, superstite infelici sene Domino Stephano de Columna semimortuo.* Ad eum propterea Petrarcha lib. 8. epist. 1. rer. familiar. scripsit consolatoriam, scriptam cùm recens erat cædes filiorum, antè quàm ipse Stephanus moreretur; quem brevi postea occubuisse gloriatur idem Nicolaus. Vide Fortifioccam in vita ejus. Vide etiam Ioannem Villanium lib. 12. cap. 103. qui sex Columnenses tum cæsos narrat.

P. 256. IN CONCHA CONSTANTINI] Ioannes Villanius lib. 12. cap. 89. *e prima per grandezza si bagnò à Laterano nella conca del paragone, che v'è oue si bagnò Gostantino Imperadore quando san Silvestro Papa il guarì della lebra.* Excitavit istud querelas quorundam adversùs ipsum, velut summæ superbiæ nimis magnum argumentum. Hanc invidiam vir eloquentissimus repulit his verbis in epistola mox laudata ad Raynaldum Ursinum Archidiaconum Leodiensem: *Ad ea quæ nobis objiciuntur in curia de lavacro militari sumpto in concha paragenica Constantini dicimus quòd in eadem intravit Constantinus paganus & inibi lotus fuit, & credimus quòd si nos Christianus devotus & cum lacrymis honestus & castus per manus vicarii Domini nostri Papæ loti fuimus in eadem, credentes quòd corpus Domini nostri sit res majoris venerationis quàm concha, & tamen ipsum frequenter sumimus & devotè, non videmur propterea deliquisse.* Illum eadem scripsisse ad Papam testatur Albertus Argentinensis pag. 142. *Nec mirum quòd in concha marmorea Constantini Imperatoris se lavari permisit, in qua paganus extitit baptizatus, cùm in ipsius Tribuni lavacro plura fuerint signa facta quàm in Constantini baptismo.* Sed ea non reperiuntur in epistola Nicolai ad Papam quæ extat apud Hocsemium. Porrò vicarius Papæ cujus isthic mentionem facit Tribunus vocabatur Raymundus Episcopus Urbevetanus, ut patet ex epistola Clementis VI. ad Annibaldum Episcopum Tusculanum, quæ edita est apud Odoricum Raynaldum an. 1348. §. 13.

KAROLUM CITARI FECIT] Extat apud Hocsemium pag. 494. edictum ejusdem Tribuni quo citari mandavit Ludovicum Ducem Bavariæ & Karolum Regem Bohemiæ, *qui se asserunt Romanos Imperatores vel ad imperium electos*, ut ad certum diem comparerent coram eo ad docendum quis eorum potius jus haberet in imperio Romano. Qua de re agens Albertus Argentinensis pag. 142. sic scribit: *Argutus etiam quòd in citatione qua coram se & Romanis citavit Ludovicum Ducem Bavariæ & Carolum Regem Bohemiæ se intromittentes de regno Romano Bavarum Ducem nominavit, cùm per Papam ducatu fuerit privatus, Bohemum verò Romanorum Regem non nominaverit, quamvis fuerit in Regem Romanorum per sedem apostolicam approbatus.* Vide Ioa. Villanium lib. 12. cap. 89. historiam Cortusiorum lib. 9. cap. 12. & epistolas Nicolai Laurentii in codice 7778. bibliothecæ regiæ.

ALIENUM HABITUM INDUENS] nimirum fugiturus. Hinc igitur *fugit in Apuliam, ubi tunc residebat Rex Ungariæ, qui eum habuit aliquanto tempore honorifice*, ut legitur in historia Cortusiorum lib. 9. cap. 12. Vide etiam Odor. Raynal. an. 1348. §. 10. 13.

DICTI R. CURIAM ADIIT] id est, Karoli IV. Regis Romanorum. M. Ant.

Coccius Sabellicus enneadis nonæ lib. 8. ait eum noctu urbe egressum magnis itineribus ad Carolum Boemiæ Regem profectum esse, fœdus & societatem ab eo petiturum, Carolum verò, ut Pontifici gratificaretur, hospitalia jura meritò posthabuisse, tribunum in vincula conjecisse, vinctumque ad Clementem misisse Avenionem. Contrà apud Fortifioccum nihil de carcere Pragensi, sed ivisse eum sponte Avenionem, etiam invito Imperatore. Sed id falsò scriptum esse certò constat ex epistola Clementis VI. ad Karolum Imp. edita apud Odoricum Raynaldum an. 1350. §. 5. & præterea idem evincunt sequentia Petrarchæ verba ex libro 13. rer. familiar. epist. 6. scripta XV. Idus Augusti ad Franciscum Priorem sanctorum Apostolorum de Florentia: *Venit ad curiam nuper, imò verò non venit, sed captivus ductus est Nicolaus Laurentius olim latè formidatus Tribunus urbis Romæ, nunc omnium hominum miserrimus &, quod extremum mali genus est, nescio an ut valde miser sit minimè miserabilis: qui cùm in capitolio tanta cum gloria mori posset, Boemicum & mox Lemovicensem carcerem subire tanto suo, Romani nominis ac reip. ludibrio sustinuit.* Et infrà: *Intravit curiam humilis, contemptus. Is qui malos orbe toto tremefecit attrivit, bonos spe latissima atque expectatione complevit, & universo quondam populo Romano Italicarumque urbium primatibus comitatus, nunc duobus hinc illinc stipatus satellitibus ibat infelix, plebe obvia videndique avida faciem ejus, cujus modò clarum nomen audierat. Erat autem à Karolo Rege ad Romanum Pontificem missus.* Et mox: *Ut ergo pervenit, illico Pontifex maximus tribus è numero principum Ecclesiæ causam ejus discernendam dedit, quibus impositum est videant quo supplicii genere dignus sit qui Romanum populum liberare voluit.* Idem Petrarcha in epistola quarta earum quæ sine titulo sunt populum Romanum hortatur ad reposcendum civem suum in carcere positum & de vita periclitantem. Denique in calce tomi secundi operum Petrarchæ extat prolixa epistola ejusdem Nicolai scripta è carcere Pragensi ad Guidonem de Bolonia S. R. E. Cardinalem, in qua opem ejus implorat ut locum purgandi se habeat, petiisse se à principio suæ carcerationis translationem suam ad curiam Romanam, ut saltem pateret in publico quod ei objiciebatur sub mantello. Demum postulat se inseri militiæ sancti Ioannis Hierosolymitani. Insignis est locus dignusque qui heic transcribatur. Sic ergo habet: *Ad portum Hierosolymitanæ militiæ, quòmodo ab initio ruina despectus habitare delegeram, respirandum in habitu & regula postulavi & postulo, oravi & supplico me remitti, nexu matrimonialis copulæ non obstante, cùm & parva consors mea idem de se velit & claustrali religione se supplicat honestari.* Vide etiam eundem Petrarcham lib. 1. de remediis utriusque fortunæ cap. 89.

DIUTIUS INCARCERATUS] per septennium, ut ex Fortifiocca refert Bzovius an. 1352. §. 2. ubi Nicolaus post reditum suum e carcere Avenionensi dixisse in capitolio refertur pro concione septem se annis, quemadmodum olim Nabuchodonosor, vitam omnium calamitosissimam duxisse. Verùm cùm in vita ejus scriptum sit illum fuisse Romæ anno MCCCL. tempore Iubilæi, huc descendere coactus est Spondanus an. 1347. §. 5. ut diceret aut Nicolaum non septem solùm menses hac priori vice in potestate fuisse, verùm etiam triennium integrum, aut tardiùs eam incepisse quàm vulgò traditur. Sanè certum est ex epistola Clementis VI. scripta ad Hannibaldum Episcopum Tusculanum anno MCCCL. IV. Idus Iunii Nicolaum fuisse ea tempestate potentem in urbe Roma & populum Romanum ei denuo adhæsisse quadam cœca nimis & præcipiti voluntate. Itaque necesse est falsam esse orationem quam tempore Innocentii VI. dictam ab eo fuisse in capitolio refert Fortifiocca. Equidem ut certum est illum anno MCCCXLVII. assumpsisse tribunatum, ita constat ex Ioanne Villanio lib. 12. cap. 104. eundem die XV. Decembris ejusdem anni semet abdidisse in castro sancti Angeli illicque occultò mansisse usque ad finem sequentis mensis Ianuarii, quo Neapolim navigio profectus est ad Ludovicum Regem Hungariæ. Historia Cortusiorum lib. 9. cap. 12. *Post hoc crescunt vires nobilium. Unde Tribunus se locavit in castro sancti Angeli. Ultimò fugit in Apuliam, ubi tunc residebat Rex Ungaria, qui eum habuit aliquo tempore honorificè.* Confirmatur istud ex testimonio Henrici Rebdorfii; qui loquens de adventu ejusdem Ludovici in regnum Apuliæ ait: *Unde prædictus Rex Ungariæ & Tribunus se insimul confœderant. quod displicuit Domino Papæ & Cardinalibus.* Testatur istud ipse Clemens VI. in literis mense Maio sequenti scriptis ad Bertrandum de Deucio Cardinalem Legatum Siciliæ editis apud Odoricum Raynaldum an. 1348. §. 10. ubi ista leguntur: *Item requiratur ipse Rex, ut devotus ipsius Ecclesiæ filius operum experimento probetur, quòd ab omni juvamine, auxilio, & favore viro illi nequam Nicolao Laurentiò civi Romano excommunicato & suspecto vehementer de hæresi, ac utinam non infecto, ejusque sequacibus atque fautoribus impendendo prorsus abstineat, quinimo Nicolaum eundem, qui per aliquod tempus fertur in civitate Neapolitana mansisse, capi faciat & captum ad nos vel ad te mittere studeat pro suis demeritis recepturum.* Non fecisse Ludovicum ea quæ Clemens petebat hinc patet quòd paulò pòst Ni-

colaus urbem Romam repetiit & resumpsit imperium. Testem produco hujus rei Ioannem Hocsemium, qui cùm de adventu Ludovici in urbem Neapolitanam scripsisset, demum pag. 510. addit: *Et est Tribunus, qui fugatus fuerat, restitutus & potentior quàm unquam fuerat ante fugam.* quod etiam ostendunt literæ Clementis VI. ad Hannibaldum editæ apud Odoricum Raynaldum an. 1348. §. 13. Sed mox, cùm Rex in Hungariam rediisset, rursum Nicolaus se in ignotam latebram conjecit, ut ait idem Hocsemius pag. 514. *Tribunus verò Romanus non comparet.* In eo statu fuere res ejus usque ad annum MCCCL. quo ille Romam redux animum populi adeò commovit ut, nisi obstitisset gratia lucri captandi occasione peregrinorum Romam ad Iubilæum convenientium, eum Romani fuerint reassumpturi, ut ait Clemens VI. in epistola ad Hannibaldum Cardinalem apud Odoricum Raynaldum an. 1350. §. 4. Tandem abiit, excessit, evasit, erupit eodem anno, & in Bohemiam contendit, uti suprà dictum est pag. 885.

BLANCHAM] pulcherrimam, ut scribit Albertus Argentinensis. quod etiam traditum est à Matthæo Villanio lib. 1. cap. 32. 76. Erat illa admodum juvenis, utpote in decimo octavo ætatis anno constituta. Et tamen viduitatem forti animo toleravit per reliquum vitæ suæ tempus usque ad annum millesimum CCCXCVIII. quo extincta est die quinta Octobris.

COMITEM AVGI] Continuator Nangii in tomo XI. Spicilegii Dacheriani pag. 815. eum vocat Comitem de Guynes. Quod utrumque verum est. Erat enim Comes Augi & Ghisnensis, ut docet etiam Froissartus vol. 1. cap. 153. qui addit corpus ejus sepultum esse apud Augustinianos, tamen extra muros monasterii, id est, extra Ecclesiam & claustrum, haud dubiè in horto.

IVBILÆVS ORDINATVS] Factum id esse ad instantiam & supplicationem Romanorum in initiis pontificatus Clementis VI. legitur suprà pag. 247. & confirmatur ex epistola Romanorum ad Bononienses edita apud Ghirardaccium lib. 22. hist. Bonon. pag. 193. Fallitur ergo Boninsegnius pag. 382. scribens hanc indulgentiam à Clemente missam esse occasione pestis quæ paulò antè afflixerat omnem Europam. Porrò Bonifacius VIII. visitationem Ecclesiarum Romanarum tempore Iubilæi restrinxerat ad basilicas sanctorum Petri & Pauli. Clemens VI. addidit Lateranensem, Gregorius XI. sanctam Mariam majorem. *Odoric. Raynald. anno* 1373. §. 15.

Certum est Hannibaldum Episcopum Tusculanum fuisse tum Legatum Romæ. Addunt alii Bertrandum de Deucio Cardinalem sancti Marci & Guidonem de Bolonia. Sed Bertrandum fuisse tum apud Avenionem constat ex consecratione Bradvvardini Archiepiscopi Cantuariensis, quem mortuum esse eo anno tradit Vvalsinghamus. Guidonem sanè tum ivisse Romam, sed non ut Legatum, ibique per aliquot tantùm menses mansisse, patet ex historia Cortusiorum lib. 10. cap. 1. & ex Matthæo Villanio lib. 1. cap. 29. Verùm eundem se gessisse ut Legatum colligi posse videtur ex iis quæ per Hannibaldum Episcopum Tusculanum & hunc Guidonem Romæ tempore Iubilæi acta esse testatur Henricus Rebdorffius, nimirum eos ad octo dies reduxisse dies quindecim *quibus peregrini forenses volentes indulgentiarum participes fieri stare debebant in urbe.* Quod tamen ita videtur explicandum ut creditum vulgò sit agi à duobus Cardinalibus quod à solo Hannibaldo gerebatur; quem Albericus à Rosate in verbo *Iubilæum* testatur ea auctoritate instructum fuisse, nulla Guidonis mentione. Vide suprà in secunda vita Clementis VI. pag. 275. At Ludovicus Cavitellius in annalibus Cremonensibus fol. 130. quatuor tum Cardinales Romam transmissos esse ait à Clemente. Quod confirmatur ex eo quòd epistolæ 16. & 17. libri XI. rer. familiar. Petrarchæ scriptæ sunt. *ad quatuor Cardinales pro reformando Romanæ reip. statu deputatos.* quas epistolas vidisse etiam Bzovium colligi posse videtur ex iis quæ scribit an. 1350. §. 3. ubi inter quatuor Cardinales Romam à Clemente missos numerat Petrum Cyriaci Lemovicensem tituli sancti Chrysogoni. Hujus verò Cardinalis notitiam habuit Bzovius ex vita Nicolai Laurentii; in qua tamen neque nomen neque patria illius nominantur, tametsi Gallus dicatur, sed tantùm titulus cardinalitius. Sed hæc mera est fabula, cùm certum sit nullum ea tempestate Cardinalem fuisse istius tituli. Nam quòd Onuphrius Panuinius in secunda epitome scribit Petrum Cyriaci Lemovicensem, Episcopum Attrebatensem, fuisse factum Cardinalem tituli sancti Chrysogoni anno millesimo CCCXLII. XII. Kal. Octobris, hallucinatio est hominis aliò traducentis Petrum Bertrandi juniorem Episcopum Attrebatensem. Quare neque Ciaconius neque Oldoinus debuerant ejus insistere vestigiis, multò minùs addere eum toto anno MCCCL. stetisse in urbe Roma, cùm id verum non sit & non dicat auctor vitæ Laurentii. Quam vitam, ut hoc semel moneam, non puto scriptam esse ab auctore coætaneo, ut plerique putant, cùm multa contineat prorsus aliena à vero, ut alibi diximus, præsertim ea quæ do hoc Cardinale sancti Chrysogoni illic dicuntur.

P. 257. OBIIT HANNIBALDUS] anno MCCCLXVI. Kal. Augusti, ut ex Menologio Casinensi refer Vghellus in catalogo Episcoporum Tusculanorum, Obiit autem apud sanctum Germanum in regno Neapolitano; unde corpus ejus relatum Romam, sepultum est in basilica sancti Petri. Ita Vghellus. At in vita Nicolai Rentii scriptum est illum obiisse in villa de sancto Ivorio prope castrum sancti Germani, & cadaver ejus involutum esse veste Franciscana.

RECURSUM HABERENT] Quippe summus Pontifex ei dederat potestatem minuendi dies quibus peregrini manere debebant in urbe Romana. Albericus de Rosate in verbo *Iubilaum* id testatur his verbis: *Licèt communiter alii peregrini starent diebus* XV. *in Roma, ego tamen cum sociis meis habui gratiam à Reverendo Patre & Domino meo D. Anibaldo Episcopo Tusculano & sanctæ Ecclesiæ Romanæ Cardinali tunc Romæ apostolicæ sedis Legato super hoc habente auctoritatem apostolicam, quam vidi sub bulla, quòd non stetimus nisi sex diebus. Poterat enim de tempore gratiam facere peregrinis ad ejus beneplacitum, & ita consequebantur indulgentiam ac si stetissent* XV. *diebus.* Idipsum testatur Matthæus Villanius lib. 1. cap. 88. qui suprà cap. 29. fidem facit eandem potestatem fuisse concessam Pontio Perroto Episcopo Vrbevetano & Vicario summi Pontificis in urbe Romana, viro, ut Matthæus ait, honesto & magnæ auctoritatis.

TOXICO INTEREMPTUS] Idem scribit ex vulgi rumore Henricus Rebdorffius. Vide etiam Matthæum Villanium lib. 2. cap. 88. & Fortifioccam in vita Nicolai Laurentii.

BARONIAM MONTISPESSULANI] seu potiùs mediam illius partem, ut Matthæus Villanius lib. 1. cap. 28. scribit. Biennio antè Philippus Rex Francorum eam ad manum regiam poni fecerat occasione novitatis cujusdam ibi factæ per Regem Majoricarum. Extant apud nos literæ Clementis VI. ad eundem Philippum datæ XI. Kal. Septembris anno sexto, quibus apud eum excusat dictum Regem Majoricarum, rogat porrò ut *omnem pœnam, si quam pro culpis prætentis meruit, ei benignè remittere ac manum regiam à villa & baronia prædictis, cùm aliunde non habeat unde se ac filios, licèt pauperes, regali tamen prosapia genitos, sustentare valeat*, amovere velit. Extant præterea tres aliæ epistolæ ejusdem argumenti & tenoris ad Ioannam Reginam Franciæ, Petrum Episcopum Claromontensem, & Hugonem Episcopum Laudunensem.

P. 258. INTEREMPTUS] Petrarcha lib. 15. rer. familiar. epist. 7. *Gallia omnis atque illa extremitas orbis nostri & extra orbem projecta Bretania bellis sese gravibus attenuant. Germania non minùs quàm Italia intestinis motibus agrotat & propriis flammis ardet. Hispania Reges in se arma verterunt. Balearis major Regem suum nuper exulem & mox miserabiliter obtruncatum triste cadaver.*

PATRIARCHA CP.] Henricus, ut patet ex Odorico Raynaldo an. 1344. §. 2. Cæsus autem fuit à Turcis anno MCCCXLV. die XVII. Ianuarii. *Hist. Cortusior. lib.* 8. *cap.* 16. *& Odor. Raynal. an.* 1344. §. 3. *& an.* 1345. §. 1. *& sequenti.* De ejus morte sic loquitur Clemens VI. in sermone facto super coronatione & missione Delphini: *Quid facient fratribus suis qui in tribulatione magna erant & expugnabantur à gentibus, cujus constitui Capitaneum & Legatum bonæ memoriæ H. Patriarcham Constantinopolitanum, cui multa prospera successerunt &c.* De hac ejus legatione & morte mentio est in secunda vita Clementis VI. pag. 269. & in libro quarto epistolarum ejus epist. 33. 34. 96. 152. 154. 163.

IDEM PAPA DELIBERAVIT] Hunc locum malè interpolavit & ad bellum Iacobi Regis Majoricarum cum Petro Rege Arragonum falsò transtulit Nicolaus Bertrandi in libro de gestis Tolosanorum fol. 41.

IMBERTUS DELPHINUS] Vide Albertum Argentinensem pag. 131. & Odoricum Raynaldum an. 1345. §. 6. & seqq. & an. 1346. §. 64. 66. In sermone Clementis VI. facto super coronatione & missione Delphini, post relatam mortem Henrici Patriarchæ CP. ista leguntur: *Sed tandem, sicut Domino placuit, ipso subtracto de medio, & ipso vivente in gloria, mortuo autem in carne, non quidem ut solent mori ignavi, sed sicut cadunt coram filiis iniquitatis sancti & justi, habui de aliquo Duce & Capitaneo exercitui agminis Domini Dei Israel providere. Et quia inter ceteros principes habui repperi instantem sapius, supplicantem humiliùs, optantem ardentiùs, offerentem liberaliùs, dilectum filium Imbertum Dalphinum Viennensem hic præsentem, ideirco ipsum de fratrum nostrorum consilio Ducem & Capitaneum exercitus contra Turcos duximus deputandum.* Solvisse eum è portu Massiliensi an. MCCCXLV. circa diem XVII. Augusti colligi potest ex literis ejus editis ab Andrea Duchesnio inter probationes historiæ Dalphinorum Viennensium pag. 65. De eodem negotio extat multa mentio lib. 4. epistolar. Clementis VI. epist. 252. 255. 353.

DE SUO DELPHINATU] Vide Albertum Argentinensem pag. 131. 153. Henricum Rebdorffium ad annum MCCCLI. & Matthæum Villanium lib. 1. cap. 26. La porrò occasione Theodericus à Niem lib. 2. de

schismate cap. 25. acriter insurgit in Karolum IV. Imperatorem propterea quòd Delphinatum transtulerit in Regem Francorum.

RELIGIOSVS EFFECTVS] suasu præsertim Ioannis Birellii Cartusiani, ut quidam scribunt. quod sanè in libro quarto cap. 22. chronici Cartusiensis innuere videtur Petrus Dorlandus.

p. 159. IOHANNE REGE FRANCIÆ] qui tum erat apud Avenionem, ut docet Henricus Rebdorffius. Vide etiam quæ nos in Notis ad Capitularia Regum Francorum pagin. 1088. retulimus ex Guillelmo Bardino.

ALEXANDRINVM] Malè Rebdorffius *Antiochenum*. Vide continuatorem Nangii in tomo XI. Spicilegii Dacheriani pag. 898. Matthæus Villanius ait eum cogitasse de cardinalatu quum induit habitum clericalem. Albertus autem Argentinensis ait illum egressum ex ordine Prædicatorum factum esse Cardinalem & postmodum Patriarcham.

VNO CONTEXTV] tribus tamen vicibus, servatis aliquo modo interstitiis, ut patet ex annalibus Henrici Rebdorffii.

DVODECIM CARDINAL.] Henricus Rebdorffius: *Anno* MCCCLI. *post festum nativitatis Domini Iohannes Rex Franciæ visitat post coronationem suam Dominum Papam intrans Avinionem cum nigro apparatu. Et tunc Papa ad instantiam ipsius creat* XII. *Cardinales novos.* Albertus Argentinensis pag. 154. *Hic Ioannes anno Domini* MCCCLI. *de mense Ianuario curiam Romanam accedens duodecim Cardinales procuravit promoveri per Papam. Anglus verò super promotione unius solius scribens Papa non est exauditus.* Vviguleus Hundius in catalogo Episcoporum Brixinensium ait ex Putschio Matthæum Episcopum Brixinensem ea tempestate Cardinalem creatum à Clemente VI. modestè tenuisse neque titulo illo unquam usum esse.

ÆGIDIVS ALVARI] cujus vitam habemus elegantissimè scriptam à Genesio Sepulveda. Fuit vir celeberrimus, cujus nomen & præclara gesta sæpe occurrunt in scriptoribus illorum temporum. Apud Clementem VI. lib. 4. epist. 145. extat epistola ad eum scripta, ex qua patet illi adjutorem fuisse in adipiscenda Ecclesia Toletana Petrum Gometii de Barroso Cardinalem. Ad eum Cardinales scripsere anno MCCCLXII. XVIII. Kal. Octobris de morte Innocentii VI. Papæ. Vrbanus verò V. Innocentio suffectus ad eundem Ægidium statim scripsit de exaltatione sua. Habemus utramque harum epistolarum. Earum verò prioris fragmentum edidit Odoricus Raynaldus an. 1362. §. 4. qui etiam §. 8. meminit posteriorum. Obiit Viterbii anno MCCCLXVII. die XXIV. Augusti. Testatur autem Bzovius an. 1371. §. 15. Gregorium XI. indulgentias impertiisse in translatione cadaveris ejus, quod tum Assisium deferebatur. Vide Vvaddingum an. 1367. §. 2. & seq.

PASTOR DE SARESCVDERIO] vel Serrescuderio, ut apud Vvaddingum an. 1337. §. 1. 1339. §. 2. 1350. §. 5. Sic etiam in rubricis anni tertii Benedicti XII. cap. 159. *Petro de Serrescuderio. Providetur sibi de parrochiali Ecclesia sancti Martini de Vallegorgia Vivariensis diocesis vacante.* Item cap. 255. *Pastori de Serrescuderio ordinis fratrum Minorum. Mandatur sibi quòd concedat licentiam viginti sororibus monasteriorum Provinciæ ordinis sanctæ Claræ transeundi ad monasterium de corpore Christi Neapolitanum.* Apud Ioannem Columbi lib. 4. de rebus gestis Episcoporum Vivariensium Petrus de Serescuderio Iurisperitus nominatur anno MCCCXXXIII. inter Canonicos Vivarienses, is ipse fortassis qui quadriennio pòst evasit rector sancti Martini de Vallegorgia.

Fuit Pastor oriundus è diœcesi Vivariensi, & instituto sancti Francisci se addixit juvenis. Inde missus ad studia eos progressus fecit ut tandem evaserit magister theologicæ facultatis in academia Parisiensi. Ait autem Vvaddingus an. 1337. §. 1. illum electum in Ministrum provinciæ Provinciæ noluisse patrum votis assentiri. quod alii deinde scriptores amplexi sunt. Verùm Nicolaus Minorita fol. 151. affert protestationem Ministrorum & aliorum fratrum congregatorum Parisiis anno millesimo CCCXXIX. in capitulo generali, in qua Pastor vocatur Minister Provinciæ, certo argumento eum consensisse. Hoc est enim initium illius protestationis: *Noverint universi præsens instrumentum inspecturi quòd anno Domini* MCCCXXIX. *Indictione* XII. *die* X. *mensis Iunii Parisius in loco fratrum Minorum, ubi tunc tenebatur generale capitulum eorundem, religiosi viri frater Iohannes Minister Romanus, frater Pastor Minister Provinciæ, & ceteri fratres ordinis fratrum Minorum &c.* Quo loco observandum est illum videri non fuisse constitutum Ministrum Provinciæ electione fratrum, sed auctoritate Bertrandi Episcopi Tusculani, quem Ioannes XXII. constituerat Vicarium generalem totius ordinis fratrum Minorum. Ait enim idem Nicolaus paulò antè: *Postea verò dicti fratres per dictum Dominum Bertrandum de facto & contra formam prædictæ regulæ ac Concilii generalis in Ministros & Custodes perperam instituti cum paucis aliis Ministris congregaverunt se Parisius in loco fratrum Minorum &c.* Præterea in literis encyclicis Geraldi Odonis Ministri generalis eorundem fratrum Minorum relatis ab eodem Nicolao fol. 271. legitur: *dilectus in Christo frater Pastor dudum Minister in*

provincia Provincia in nostra præsentia constitutus &c.

Anno MCCCXXXVII. Kal. Octobr. factus est Episcopus Assisiensis, ut docent literæ Benedicti XII. apud Vvaddiogum to. 3. io regesto pag. 252. Adnotat autem idem Vvaddingus an. 1337. §. 1. ei in Italiam ad suam Ecclesiam proficiscenti commissum à Pontifice ut ad preces Sanciæ Siciliæ Reginæ viginti sorores discretas ac provectæ ætatis transferret ex monasteriis Provinciæ ad regium corporis Christi Neapolitanum, quæ adolescentiores disciplinis & institutis regularibus informarent, nimirum juxta id quod suprà descriptum est ex codice rubricarum ejusdem Benedicti.

Anno MCCCXXXVIII. VI. Kal. Febr. idem Papa illum ab Ecclesia Assisinatensi transtulit ad metropolim Ebredunensem. *Vvadding. ibid. in regesto pag.* 257. Errant ergo Sammarthani scribentes eum ad archiepiscopatum Ebredunensem traductum esse die sexta Februarii, *ut est in registro obligationum*, inquiunt. Sanè in registro illo adnotatum est Pastorem electum Ebreduneosem fecisse promissiooem solitam die sexta Februarii. Sed hinc colligi noo potest eam esse diem translationis ejus ad Ecclesiam Ebredunensem.

Tradunt iidem Sammarthani illum ad archiepiscopatum Ebredunensem traductum legatione Gallicana cohonestatum à Benedicto XII. fuisse. quod minimè verum est. Fuit sanè Nuncius apostolicæ sedis in Gallia cum Guillelmo Episcopo Carnotensi, sed non illo tempore. Incidit ea legatio in annum millesimum CCCXLVII. ut patet ex annalibus ecclesiasticis Odorici Raynaldi & ex Vvaddiogo, tum etiam ex literis eorundem nuntiorum datis Vivarii, quarum authenticum extat in archivo Archiepiscopi Narbooensis.

Vvaddingus sanè an. 1339. §. 2. invenisse se ait io libro epistolarum secretarum anni sexti Clemeotis VI. instrumenta legatioois huic Pastori & Guillelmo Carnotensi Episcopo ad Philippum Regem Galliarum commissæ super relaxandis seu liberandis Petro Cardinale Presbytero tituli sancti Clemeotis aliisque Cardinalibus & eorum familiaribus, quos Rex sub custodia detinebat, & super revocandis iis quæ cootra Ecclesiæ auctoritatem & immunitatem constituerat. Iam verò suprà pag. 785. monuimus eam narratiooem suspectam esse falsitatis. Puto autem Vvaddingum minùs, ut aotea dixi, intentum ad ea quæ scribebat, ad Petrum & alios Cardinales transtulisse rem quæ eorum familiares tantùm tangebat. Etenim cùm Philippus Rex Franciæ mandasset occupari & ad manum suam poni bona, decimas, & proventus ecclesiasticos illorum Prælatorum ac personarum ecclesiasticarum qui die XIII. Februarii ejusdem anni in regno oon erant præsentes, etiam Cardinalium, eaque res multùm incommodaret Cardinalibus, Clemens Papa illuc misit Pastorem & Guillelmum ut ea imperia revocari curarent. Ait autem Vvaddingus eos longo tempore Parisiis immorari oportuisse, & tandem cooperante ac sollicitè interveniente Ioanna Regina obtinuisse. quod verum est. Etenim ex lib. 4. epist. 446. Clementis VI. colligitur Regem, eadem Regina instante, revocasse eam constitutionem quoad Cardinales & eorum familiares. Quare explicanda in eum modum sunt verba Odorici Raynaldi scribentis an. 1347. §. 24. Philippum Regem sacerdotum in regno non agentium, exceptis Cardinalibus, vectigalia decimasque aliorum sacerdotiorum occupasse. Certum enim est Cardinales initio non fuisse exceptos. Ceterùm auctoritas Vvaddingi tanta fuit ut Spondanus anno 1350. §. 10. non dubitaverit scribere Philippum Regem excusari vix unquam posse quòd Petrum Bertraodi aliosque nonnullos Cardinales dederit in custodiam.

Tandem Pastor factus est Presbyter Cardinalis tituli sanctorum Marcellini & Petri aono MCCCL. die XVII. Decembris. Onuphrius Paouinius errandi occasio fuit iis qui titulum sanctorum Silvestri & Martini huic Cardinali tribuerunt. Pessimè Sammarthani, qui eum primò consecutum aiunt titulum sancti Silvestri, deinde sancti Martini in montibus, ac si titulus sancti Martini diversus esset à titulo sancti Silvestri.

Obiit anno MCCCLVI. XI. Octobris, ut ait Cootelorius. Rectè. Sequenti enim mense Decembri titulus sanctorum Marcellini & Petri datus est Guillelmo Farinerii de Gordooio.

RAYMVNDVS DE CANILLACO] Certum est hunc Cardinalem ortum esse è diœcesi Mimatensi, è castro videlicet quod hodie vocant Rupem Canillaci, ut testatur Petrus Gariellus io serie Episcoporum Magalonensium par. 2. pag. 59. Constat autem ex testimonio ejusdem Garielli, qui id tanquam certum tradit, Petrum de Canillaco Episcopum Magalonensem hujus Raymundi fratrem fuisse filium Guillelmi. Ex quo necessariò colligitur eundem fuisse patrem Raymundi. Matris ejus nomen non proditur. Sed ex Matthæo Villanio lib. 11. cap. 16. liquet eam fuisse sororem Bertrandi de Deucio Cardinalis Ebreduneosis. Itaque secundùm ea quæ tradita sunt à Gariello & quæ nos alibi invenimus ita coostitui posse videtur stemma istius gentis. Tres fuere fratres, Guillelmus ille quem diximus, & Pootius & Guido Abbates Anianenses in Gallia Narbonensi. Guillelmus ex sorore Bertrandi de Deucio Cardinalis

dinalis genuit Marquesium, quem anno millesimo C C C I I. vixisse constat ex collectaneis de dissidio Bonifacii VIII. & Philippi pulcri, Raymundum Cardinalem, Petrum Episcopum Magalonensem, Pontium Abbatem Anianensem, & Dalphinam mattem Guidonis de Severiaco. Marquesius moriens unicam prolem reliquit Guarinam, quæ anno M C C C X L V. nupsit Guillelmo Rogerii Clementis VI. fratri, ex quo orta stirps Belfortiorum qui cognominati sunt de Canilhaco. Ex quo facile est æstimare verum non esse id quod ait idem Gariellus, Guillelmum patrem Petri Episcopi Magalonensis fuisse fobrinum ejusdem Clementis, & Gregorium X I. ejus nepotem fuisse ex familia Canilhacorum.

Anno M C C C X X X I X. Raymundus tum Præpositus Magalonensis judex electus unà cum Guillelmo de Aura Presbytero Cardinale tituli sancti Stephani in Cœlio monte finem posuit diutinæ concertationi quæ fuerat inter Guillelmum de Lauduno Vestiarium Magalonæ & Canonicos claustrales super augmentis quæ dictus Vestiarius eis dare tenebatur. *Gariel. par. 2. pag. 12.*

Anno M C C C X L V. cùm Guillelmus de Laudano Archiepiscopus Tolosanus renunriasset archiepiscopatui, Raymundus ei suffectus est, uti diximus suprà pag. 868.

Anno M C C C L. Clemens VI. eum creavit Presbyterum Cardinalem tituli sanctæ crucis in Hierusalem. Quo loco admonendum est rectè jam ab aliis observatum esse frustra Frizonium hunc Cardinalem divisisse in duos.

Anno M C C C L I X. Indictione X I I. die XXI. Iunii Raymundus de Canilhaco miseratione divina tituli sanctæ crucis in Hierusalem Presbyter Cardinalis & gubernator marquesiatus, terrarum, & baroniarum quondam magnifici Domini Marquesii domini de Canilhaco germani sui quasdam conventiones fecit cum Guillelmo Comite Bellifortis & Vicecomite Motæ patre & legitimo administratore Marquesii filii sui nepotisque dicti Domini Cardinalis heredisque universalis dicti quondam Domini de Canilhaco avi sui materni. In iisdem actis nominatur Guido dominus de Severiaco nepos ejusdem Cardinalis. Idem Guido, ut hoc quoque obiter dicamus, vivebat adhuc anno M C C C L X X. ut videbimus quum agemus de Stephano Cardinale Parisiensi.

Eodem anno M C C C L I X. Innocentius Papa VI. Raymundo de Canilhaco & Talayrando Episcopo Albanensi ac Audoyno Alberti Presbytero Cardinali tituli sanctorum Ioannis & Pauli commisit examen controversiarum quæ erant inter Magistrum ordinis sancti Ioannis Hierosolymitani & Castellanum Empostæ. *Bosius par. 2. hist. illius ordinis lib. 3.*

Anno M C C C L X. delegatus est ab eodem Innocentio ad recipiendum denarios biennalis decimæ Ioanni Regi Francorum concessæ in adjutorium ejus liberationis. Sic enim legitur in vetustissimis schedis quæ penes nos sunt. *Compotus Petri Statisse Thesaurarii Franciæ deputati per sanctissimum Patrem & Dominum nostrum Dominum Innocentium memoriæ recolendæ ad recipiendum denarios biennalis decimæ illustrissimo Principi Domino Iohanni quondam Franciæ Regi in adjutorium ejus liberationis concessæ, videlicet à Reverendo in Christo Patre & Domino Domino Raymundo tituli sanctæ crucis in Hierusalem Presbytero Cardinali, aliàs de Canilhaco, collectore à dicta sede apostolica delegato seu deputato ad dictam decimam levandam &c.* Et paulò pòst: *Die V I I. Augusti M C C C L X. recepit dictus P. Statisse à Reverendo in Christo Patre Domino Raymundo tituli sanctæ crucis in Hierusalem Presbytero Cardinali, aliàs de Canilhaco, de mandato sibi facto per sanctissimum Patrem Dominum Innocentium Papam, ut de dicto mandato constat per litteras in filis canapis & bulla plumbea confectis sub anno ejus pontificatus octavo I X. Kalendarum Iulii, quarum copia à tergo, M D C C C X X X I I I. regales novos.*

Anno M C C C L X I. factus est Episcopus Prænestinus.

Anno M C C C L X I I. mense Septembri, cùm post mortem Innocentii VI. Cardinales deliberarent de novo Pontifice eligendo, undecim ex eis vota sua contulerunt in Cardinalem Tolosanum, ut Matthæus Villanius scribit lib. II. cap. 26. Rectè enim Spondanus an. 1362. §. 6. Matthæi verba transfert ad Raymundum de Canilhaco Episcopum Prænestinum.

Anno M C C C L X V I. die X X I. Iulii interfuit & consensit conditionibus emancipationis Marquesii de Belloforti domini de Canilhaco nepotis sui. Vide probationes historiæ Turennensis pag. 151.

Obiit Avenioni anno M C C C L X X I I I. die X X. Iunii, ut tradit Contelorius. Corpus ejus postea die quarta Iulii Magalonam paratum ad tumulum cum pompa defertur, qui in sacello cui Canilhaci nomen est etiamnum conspicitur. Funus ejus cohonestarunt Petrus de Iudicia Archiepiscopus Narbonensis, Petrus Vernobius Episcopus Magalonensis, Hugo de Monteruco Agathensis, Ioannes Oicensis, & alter Ioannes Nemausensis. Vide Gariellum par. 2. pag. 59. 94. 101.

Hospitium habuit apud Avenionem in parrochia sanctæ Mariæ Magdalenæ, eo loco ubi sunt ædes maternæ viri doctissimi Iosephi Mariæ Suaresii Episcopi Vasionensis, ut ait in Præneste antiqua idem Suaresius, qui se illic natum esse & puerum crevisse testatur.

Nescio ubinam Nomenclator Cardinalium invenerit ad hunc Cardinalem pertinere recollectorum librum ad Septimianum Narbonensem Archiepiscopum. Nam cùm nullus istius nominis Archiepiscopus Narbonensis ea tempestate fuerit, manifestum est hoc opus, si ullum fuit, pertinere non posse ad hoc seculum.

PICTAVINUS DE MONTESQUINO] Arnaldus de Verdala in catalogo Episcoporum Magalonensium: *Pictavinus de Montesquino nobilis domus de Montesquino Auxitanæ diœcesis oriundus, clericus secularis, legum Doctor, fuit provisus per Dominum Iohannem Papam XXII. anno millesimo CCCXXXIV. de mense Octobri. Successit Domino Iohanni de Viridisco. Stetit ibi Episcopus quatuor annis, mensibus tribus, diebus decem & septem, & fuit translatus per Dominum Benedictum ad episcopatum Albiensem anno à nativitate Domini MCCCXXXIX. die XXVII. mensis Ianuarii. Anno CCCXXXV. fecit compositionem cum hominibus Aquarum mortuarum super leudas & statuta per eos solvenda in passu stagni de Carnene.* Fuisse ortum ex Auscitana diœcesi & fratres illic habuisse Gentilem de Montesquino dominum terræ Anglesii & Bertrandum Domicellum docet bulla Ioannis XXII. data x. Kal. Iunii anno XVII. quæ extat in codice 2770. bibliothecæ Colbertinæ.

Fuit primùm Episcopus Vasatensis anno millesimo CCCXXV. ut docet liber obligationum archivi Vaticani. Quare erratum est à Sammarthanis, qui isthic Petrum legerunt pro Pictavino. Fuisse porrò illum Episcopum Vasatensem anno MCCCXXVI. die sexta Iunii invenio in testamento Rosæ de Burgo Dominæ de Lebreto.

Anno MCCCXXXIV. factus est Episcopus Magalonensis, non verò Lodovensis, ut malè scriptum est in tomo secundo Galliæ Christianæ. Verdala scribit id evenisse mense Octobri illius anni. In laudato verò libro obligationum legitur illum electum Magalonensem fecisse solitas promissiones cameræ Domini Papæ & collegio Dominorum Cardinalium die vigesima Septembris. Istud verò ita componi posse puto ut dicatur declaratus Episcopus Magalonensis exeunte Septembri, provisus mense Octobri, id est, die vigesima Octobris. Tenuit enim cathedram Magalonensem per annos quatuor, menses tres, & dies septendecim, ut ait idem Verdala. Factus est autem Episcopus Albiensis die XXVII. Ianuarii.

Anno MCCCXXXVII. missus est in Germaniam ad Ludovicum IV. Imperatorem. Albertus Argentinensis pag. 127. *Misit autem Papa solennem Legatum ad Ludovicum Episcopum Magalonensem, qui mores & motum Principis erga Ecclesiam indagaret.* Cùm autem idem Albertus dicat eam legationem contigisse eo tempore quo Balduinus Archiepiscopus Trevirensis resignavit archiepiscopatum Moguntinum, ad quem postulatus erat, & ex vita ejusdem Balduini edita in libro primo miscellaneorum nostrorum pag. 149. constet id actum esse anno MCCCXXXVII. voce imperativa papali & Cardinalium, rectè eam nos revocavimus ad hunc annum. Quod etiam patet ex his quæ paulò pòst referuntur ex rubricis anni tertii pontificatus Benedicti XII.

Anno MCCCXXXIX. VI. Kal. Februar. Benedictus XII. eum transtulit ad Ecclesiam Albiensem. Extat in archivo regio Paris. bulla ejus illo die data, qua Pictavinum & Ecclesiam Albiensem commendat Philippo VI. Regi Francorum. Ipse verò die vigesima sequentis mensis Februarii vicarios suos generales in spiritualibus & temporalibus instituit B. Abbatem Candeliensem, Petrum de Laurentio Canonicum Albiensem, & Pontium de Malafossa Canonicum Carpentoratensem.

Anno MCCCXLVII. die XXI. Decembris sex capellanias perpetuas instituit in Ecclesia Albiensi, eisque certos & statos redditus assignavit. Acta fundationis extant in archivo Episcopi Albiensis.

Anno MCCCL. die XVII. Decembris factus est Presbyter Cardinalis basilicæ XII. Apostolorum. Extat apud Odoricum Raynaldum an. 1350. §. 47. fragmentum literarum quas ad eum propterea scripsit Clemens VI.

Falsò Oldoinus ait hunc Cardinalem à Frizonio vocari Petrum de la Forest ac natum Susæ in diœcesi Cenomanensi. Frizonius enim rectè distinguit Petrum de Foresta à Pictavino de Montesquino, quem vocat Petrum. Sed in hoc errat quòd Petrum de Foresta ponit inter eos quos Clemens VI. cooptavit in sacrum Cardinalium collegium.

Obiit Pictavinus anno MCCCLV. Kalendis Februarii, ut monet Contelorius, & anno sequenti titulus ejus datus est Petro de Foresta.

NICOLAUS DE CAPOCIA] ex nobilitate Romana, cujus frater fuisse videtur Gerardus Capocie clericus & familiaris Petri de Columna tituli sancti Angeli Diaconi Cardinalis in collectaneis de dissidio Bonifacii VIII. & Philippi pulcri pag. 613.

In rubricis anni tertii Benedicti XII. cap. 43. ista leguntur: *Guigoni de sancto Germano Aniciensis & Nicolao Capotie de sancto Audomaro Morinensis diœcesis Ecclesiarum Præpositis. Mittuntur ad Ecclesiam Moguntinam, cujus administratio eis committitur, pro reformatione ipsius Ecclesiæ & aliàs pro bono statu & honore ejusdem Ecclesiæ conservandis.* Item cap.

44. *Eisdem. Conceditur eis quòd ipsi & familiares sui possint participare cum Archiepiscopo Treverensi & aliis personis in illis partibus excommunicatis.* Et in rubricis literarum de curia ejusdem anni cap. 13. *Magistris Guigoni de sancto Germano Aniciensis & Nicolao Capotie de urbe sancti Audomari Morinensis diocesis Ecclesiarum Præpositis apostolicæ sedis Nunciis ad Ecclesiam & provinciam Maguntinensem destinatis. Datur eis licentia ad sedem eandem redeundi.*

Anno MCCCXL. obiit Ioannes de Diest Episcopus Trajectensis. Tum verò Benedictus XII. huic Ecclesiæ providit de Nicolao Capocio, qui die XXVI. Ianuarii anni MCCCXLI. fecit solitas promissiones cameræ Domini Papæ & collegio Dominorum Cardinalium, ut docet liber obligationum. Consensit itaque provisioni de se factæ. Postea tamen *renuntiavit episcopatui patenter in publico consistorio*, ut ait Ioannes de Beka, & Clemens VI. recenter factus Papa huic sedi præfecit Ioannem de Arkel.

Anno MCCCXLVIII. exeunte, ut videtur, factus est Episcopus Vrgellensis. Etenim extant apud Gariellum in serie Episcoporum Magalonensium par. 2. pag. 19. acta quædam confecta Avenioni anno à nativitate Domini MCCCXLIX. die XXVIII. Ianuarii, ubi inter testes nominatur Nicolaus electus Vrgellensis. Meritò autem eos reprehendit Stephanus Ferrerius qui putant eum fuisse Episcopum Vercellensem. Graviùs erravit Ghirardaccius lib. 22. histor. Bonon. pagin. 175. illi, qui Episcopus erat, tribuens titulum Diaconi Cardinalis sanctæ Mariæ in via lata, qui pertinuit tum ad Nicolaum de Bessa. Dictus est vulgò Cardinalis Vrgellensis, ut patet etiam ex Ioanne Columbi lib. 3. de gestis Episcoporum Valentinorum; ubi loquens de conventionibus propter Cristam oppidum editis anno MCCCLVII. inter Aimarum Pictaviensem & Ludovicum de Villars Episcopum Valentin. ait Innocentium VI. statuisse, præter cetera, uti Aimarus aliquid supra duo castra Bordellorum ac Besoduni daret Episcopo pro sententia Cardinalium Petragoricensis & Vrgellensis vel Magalonensis.

Anno MCCCL. factus est Presbyter Cardinalis tituli sancti Vitalis.

Anno MCCCLVI. ab Innocentio VI. missus est in Galliam cum Talayrando Episcopo Albanensi ad conciliandos Reges Franciæ & Angliæ. *Odor. Raynald. an. 1356. §. 1. & seqq. Froissartus vol. 1. cap. 159.* Tandem anno sequenti treugas inter eos constituerunt, & *die secunda Iulii dicti anni cum maximo honore recepti fuerunt apud Londonium per Regem Angliæ*, ut ex codice Vaticano ait Odoricus Raynaldus an. 1357. §. 1. Manserunt integro biennio in Anglia, ut ait Nicolaus Harpsfeldius pag. 511. ubi procurationes eorum exactæ sunt à clero Anglicano.

Eodem anno MCCCLVIII. iidem Cardinales discordias composuere quæ emerserant inter Karolum Regem Navarræ & Karolum Ducem Normanniæ. *Bzov. an.* 1358. §. 1.

Constituerunt quoque pacem inter Reges Angliæ & Scotiæ. *Bzov. an.* 1358. §. 2. *Odor. Raynald. eod. an.* §. 2 *& seqq.*

Deinde mense Octobri ejusdem anni ad sedem apostolicam sunt reversi. *Odoric. Raynald. an.* 1358. §. 3.

Anno MCCCLXI. factus est Episcopus Tusculanus.

Anno MCCCLXVII. condidit monasterium Olivetanum sanctæ Mariæ de Montmorcinio Perusiæ. *Secundus Lancellottus lib. 1. hist. Olivet. pag.* 25.

Anno MCCCLXVIII. die tertia mensis Martii, cùm capita beatorum Apostolorum Petri & Pauli ostenderentur populo Romano, *Papa portabat caput sancti Petri, & Cardinalis Vrgellensis portabat caput sancti Pauli*, ut ait Garoscus de Vlmoisca veteri.

Obiit apud Montemflasconem eodem anno, ut legitur in prima vita Vrbani V. pag. 382. ubi nos plura dicemus de hoc argumento.

Errant autem vehementer qui putant eum fuisse auditorem Bartholi de Saxoferrato & Baldi Perusini.

Albericus à Rosate in l. 5. *Præsenti.* Cod. de his qui ad Eccles. confug. §. *Cùm autem.* citat quæstionem quandam disputatam per Dominum Nicolaum Capotium, in qua agebatur de bannitis.

PETRUS DE CROSSO] Cùm constet hunc Cardinalem fuisse patria Lemovicem, & auctor primæ vitæ Gregorii XI. pag. 418. Ioannem de Crosso Cardinalem scribat fuisse consanguineum ejus in tertio gradu, puto non absurdè hinc colligi posse hunc Petrum fuisse consanguineum germanum Clementis VI. Papæ. Epitaphia Ioannis de Crosso Cardinalis Lemovicensis & fratris ejus Petri Cardinalis Arelatensis docent eam gentem ortam è Calimaforti. Qua de re agemus infrà quum pervenerimus ad tempora Petri de Crosso Cardinalis Arelatensis.

Excellentem magistrum in theologia eum vocat is qui antiquitus scripsit gesta Episcoporum Autissiodorensium. Rectè. Etenim in tomo quarto historiæ Vniversitatis Parisiensis pag. 219. nominatur anno MCCCXXXI. die Martis XXIII. Iulii inter magistros domus de Sorbona, & infrà pag. 262. in actis anni MCCCXL. vocatur magister in theologia & Provisor domus magistrorum de Sorbona. Hinc Decanus Parisiensis. Qua tempestate, id est, anno MCCCXLII. die lunæ post festum

conceptionis beatæ Mariæ, cùm literæ apostolicæ de institutione Fulconis de Chanaco Episcopi Parisiensis præsentatæ fuissent in capitulo Parisiensi, *fuit facta predicatio per magistrum Petrum de Croso Doctorem sacra pagina Decanum Parisiensem*, ut legitur in veteri catalogo Episcoporum Parisiensium in parvo pastorali ejusdem Ecclesiæ. In secundo chartulario Ecclesiæ Carnotensis fol. 303. reperio eum fuisse adhuc Decanum Parisiensem anno MCCCXLIII. die XII. Maii. Denique Clemens VI. in bulla qua eum constituit Episcopum Silvanectensem data apud Villamnovam Avenionensis diocesis II. Kal. Septembr. anno tertio illum vocat Decanum Ecclesiæ Parisiensis, in sacra theologia magistrum, & in sacerdotio constitutum. In libro solutionum archivi Vaticani adnotatum est Petrum Episcopum Silvanectensem solvisse anno MCCCXLVII. die XXIX. Maii cameræ Domini Papæ & collegio Dominorum Cardinalium eam pecuniam quam se soluturum promiserat eo tempore quo factus est Episcopus. Ex quo falsò collegerunt Sammarthani illum tum fuisse factum Episcopum Silvanectensem. Postea transiit ad Ecclesiam Autissiodorensem anno MCCCXLIX. mense Novembri, ut aiunt iidem Sammarthani, in hanc sententiam delapsi quia videbant Bernardum Bruni Episcopum Autissiodorensem tum obiisse pridie Kal. Novembris. Addunt illum fuisse etiam Archiepiscopum Bituricensem, non animadvertentes illum qui fuit Archiepiscopus Bituricensis diversum esse ab isto. Tandem anno MCCCL. factus est Presbyter Cardinalis tituli sancti Martini in montibus. Et tamen interim retinuit provisionem domus Sorbonæ. Sic enim legitur in tomo quarto historiæ Vniversitatis Parisiensis pag. 327. ex actis academiæ ad annum MCCCLII. *Die XIII. Februarii apud S. Mathurinum post auditionem litterarum destinatarum Vniversitati à nunciis de Avenione, facta ibidem congregatione nationis, supplicavit M. Albertus pro una littera sub sigillo nationis dirigenda D. Cardinali Autissiodorensi ut provideat eidem magistro quòd possit recipi tanquam socius in domo Sorbona; & concessa est unanimiter, nemine reclamante.* Delegatus fuit ab Innocentio VI. anno MCCCLVII. unà cum Guillelmo Curti Episcopo Tusculano, Helia de sancto Aredio Presbytero Cardinale tituli sancti Stephani in Cœlio monte, & Francisco de Tuderto Presbytero Cardinale tituli sancti Marci ut examinaret propositiones Richardi Archiepiscopi Armachani adversùs fratres mendicantes, ut patet ex appendice defensorii Curatorum. Obiit autem Avenioni anno MCCCLXI. die XXIII. Septembris, sepultus, ut vulgò traditur, in Ecclesia cathedrali ejusdem urbis. At in gestis Episcoporum Autissiodorensium adnotatum est illum sepultum esse in Ecclesia fratrum Prædicatorum.

PONTIVS DE VILLAMVRO] Baccalarius excellens in jure canonico, uti eum vocat Guillelmus de Montelauduno in præfatione sui sacramentalis: *Carissimo filio suo ac socio speciali Domino Poncio de Villamuro in jure canonico Baccalario excellenti Guillelmus de Montelauduno inter alios Doctores Doctorum minimus salutem.* Alii cum vocant Arnaldum pro Pontio. Sed illos qui ita sentiunt falli asseverat Spondanus an. 1351. §. 5. adversùs quem afferri potest auctoritas regesti Clementis VI. Papæ, in quo, ut ad an. 1350. §. 48. testatur Odoricus Raynaldus, vocatur Arnaldus. Præterea sic vocatur ab Onuphrio Panuinio in secunda epitome & à Felice Contelorio, & apud Bzovium an. 1353. §. 28. levi mutatione Annibaldus pro Arnaldo. Quod confirmatur ex libro obligationum archivi Vaticani, quamvis mendoso, in quo scriptum est Guillelmum factum esse Episcopum Appamiensem anno MCCLI. per obitum Arnaldi, cùm scribi debuisset per promotionem Arnaldi ad cardinalatum. Denique extant acta quædam vetera confecta anno MCCCXLVII. die VIII. Iunii, in quibus inter testes nominatur Arnaldus de Villamuro Prior prioratus de Vicodesos ordinis sancti Augustini Appamiarum diocesis. Fuit Episcopus Appamiensis anno MCCCXLVIII. ut scribunt Sammarthani. De morte ejus dicemus infrà in Notis ad vitam Innocentii VI.

Ejus frater fuisse videtur Pontius de Villamuro, quem ex Abbate Lesatensi factum fuisse Episcopum Conseranensem anno millesimo CCCLXII. tradunt & in monasterio Lesatensi sepultum anno MCCCLXVIII.

GVILLELMVS DE AGRIFOLIO] oriundus è loco de Fonte circum parrochiam sancti Exuperii, vulgò *Saint Supery*, in diœcesi Lemovicensi, ut legitur in ejus epitaphio edito inter probationes historiæ Cardinalium Gallorum. Ad eam porro gentem pertinuisse dominium locorum de Fonte & de Tudela docet testamentum Raymundi de Agrifolio Episcopi Ruthenensis.

In primævo flore juventutis factus est monachus Benedictinus in monasterio Bellilocensi ad Dordoniam in finibus Lemovicum. Et mox translatus est in familiam Petri Rogerii Archiepiscopi Rothomagensis consanguinei sui, cui ex eo tempore semper adhæsit. Hinc ejus favore factus est Camerarius monasterii Crassensis in diœcesi Narbonensi circa initia pontificatus ejusdem Clementis. Qua tempestate idem Clemens ei concessit anno MCCCXLV. ut non obstante quòd in vicesimo octavo aut circiter ætatis suæ anno con-

stitutus esset, posset ad episcopales & archiepiscopales aliasque quascunque dignitates ecclesiasticas eligi canonicè, assumi, seu promoveri, aut transferri. Bulla dispensationis extat in libro quarto epistolarum Clementis VI. epist. 416.

Anno dein MCCCXLVI. ineunte, ut arbitror, factus est Archiepiscopus Cæsaraugustanus, cùm ea Ecclesia vacaret per translationem Petri de Iudicia ad Narbonensem. Nunquam tamen fuit consecratus, ut docet etiam auctor primæ vitæ Urbani V. pag. 380. Unde auctor hujus vitæ Clementis VI. eum vocat tantùm electum Cæsaraugustanum. Putavit autem Papirius Massonus illum verè electum fuisse Archiepiscopum Cæsaraugustanum, *idque ab Hispanis in Clementis gratiam factum nulla*, inquit, *est dubitatio*; quia cùm illis temporibus omnes episcopatus essent in potestate Pontificum Romanorum, qui eorum provisionem suæ & sedis apostolicæ dispositioni reservaverant, eos quos episcopos sua auctoritate faciebant, electos, ut aliqua juris antiqui species appareret, vocabant. Quare cùm Massonus videret eum vocari electum, putavit id factum fuisse juxta juris antiqui regulas, cujus nullam in hoc rationem tum habitam fuisse observat Onuphrius Panvinius in libro de episcopatibus, titulis, & diaconiis Cardinalium. Porrò Urbanus V. in initiis sui pontificatus commendans hunc Guillelmum Petro Regi Arragonum, inter alia ait eum fuisse Prælatum in regno ejus, respiciens videlicet ad Ecclesiam Cæsaraugustanam. Propterea verò vocatus est vulgò Cardinalis Cæsaraugustanus, ut patet ex libro Raymundi Hugonis de translatione corporis sancti Thomæ Aquinatis in tomo primo Martii Bollandiani pag. 728. 731. & ex instructionibus quas Petrus Infans Arragoniæ ineunte anno millesimo CCCLII. dedit Guillelmo de Turrillis, qui jussu Regis morabatur in curia Romana. In iis enim instructionibus mandat ei Petrus ut literas suas præsentet *Dominis Cardinalibus Cæsaraugustano, Petragorensi, & Bolonia*.

Anno MCCCLII. comitatus est funus Clementis VI. ad monasterium Casæ-Dei in Arvernis. *Bzov. an.* 1352. §. 25.

Frizonius ait illum anno MCCCLV. è vivis sublato Rege Siciliæ Ludovico absque liberis missum esse ad Siculi regni tutelam; citatque in eam rem in margine Fazellum & Pandulphum, apud quos nihil habetur istiusmodi. Et tamen Oldoinus eam rem absque ullo examine descripsit ut veram, & de suo addidit Guillelmum in hac legatione sedasse discordias quæ erant inter Principem Tarentinum & Ducem Andriæ, non animadvertens hanc postremam legationem non posse conjungi cum prima, cùm inter eas sit spatium annorum saltem duodecim.

Ioannes Mariana lib. 17. rer. Hispanicar. cap. 5. loquens de bello Regum Arragoniæ & Castellæ ait venisse in Hispaniam ab Innocentio VI. missum Guillelmum Cardinalem pacem inter eas gentes revocaturum. Quæ Marianæ verba qui interpretantur de hoc Guillelmo, vehementer errant. Intelligenda enim sunt de Guillelmo Iudicis, uti dictum est suprà pag. 858.

Anno MCCCLX. ei demandata ab Innocentio VI. cura est ut inquireret de facinoribus quæ à Bernabone Mediolanensi patrata dicebantur. Testatur id Odoricus Raynaldus an. 1361. §. 13. ex bulla Urbani V. cujus exemplum nos quoque habemus. Vide etiam Bzovium an. 1360. §. 6.

Anno MCCCLXII. die XII. Septembris extinctus est Innocentius. Cardinales verò in varias partes divisi, varios Pontifices nominabant, nec convenire poterant. Aderat Guillelmus de Agrifolio, olim Guillelmo Grimoardi Abbati Massiliensi notus & amicus. Eo igitur adnitente Abbas ille substitutus est Innocentio, vocatus Urbanus quintus, ut docet auctor primæ vitæ ejus pag. 376. Quam narrationem confirmat ipse Urbanus in epistola ad Regem Arragonum quam suprà laudavi, in qua ista leguntur: *Olim in minoribus constituti tantam cum dilecto filio nostro Guillelmo tituli sanctæ Mariæ in Trans Tyberim Presbytero Cardinali familiarem conversationem habuimus quòd ipsius gesta majora nostram latere notitiam minimè poterunt.*

Anno MCCCLXVI. mense Martio idem Urbanus ei commisit judicium controversiarum quæ erant inter episcopum Urgellensem & Comitem Fuxi super pariagio vallis Andorræ. *Ex archivo regio Fuxensi.*

Eodem anno comitatus est Urbanum abeuntem in Italiam, & ab eo factus est anno sequenti Episcopus Sabinensis. *Prima vita Urbani V. pag.* 380.

Eodem anno MCCCLXVIII. missus est Legatus ad partes Neapolitanas causa sedandi discordias tunc vigentes inter Principem Tarentinum & Ducem Andriæ. *Eadem vita Urbani V. pag.* 381. Vide etiam Iulium Cæsarem Capaccium lib. 2. hist. Neapolit. cap. 4. & Odoricum Raynaldum an. 1367. §. 16.

Obiit Viterbii anno MCCCLXIX. ubi sepultum eum vulgò tradunt in Ecclesia Eremitarum sanctæ Trinitatis. Corpus ejus inde postea translatum est in urbem Lemovicensem, illicque sepultum ad sinistram majoris altaris basilicæ sancti Martialis in sepulcro sanè magnifico, quod ego olim vidi. Monuerat autem illud ante me Ioannes Bandellus in libro de devotione sancti Martialis cap. 5.

Franciscus Cascales in historia Murciæ fol.

430. inter Episcopos Carthaginenses nominat circa annum MCCCLX. Guillelmum de Gimiel natione Gallicum, postea Cardinalem & Episcopum Sabinensem. Quod intelligendum videretur de Guillelmo isto de Agrifolio. Verùm ille nunquam fuit Episcopus Carthaginensis, sed tantùm electus Cæsaraugustanus. Ceterùm, ut illud quoque obiter dicamus, hujus Guillelmi de Gimello olim anditoris Rotæ, postea verò Episcopi Carthaginensis, mentio est apud Robertum Horbort in collectaneis antiquarum decisionum Rotæ pag. 65. editionis Taurinensis. Videtur autem ortus fuisse ex antiqua nobilitate Gimellorum apud Lemovices.

Hujus Guillelmi frater fuisse videtur Ademarus de Agrifolio Domicellus, postea verò Miles, quem Clemens VI. recenter electus Pontifex Romanus misit ad Philippum VI. Regem Francorum ut eum certiorem faceret de creatione sua. Patet istud ex literis Ioannis Regis, quibus testatur patrem suum propterea huic Ademaro dedisse quingentas libras annui redditus quandiu idem Ademarus vitam duceret in humanis. Extant in regesto LXXX. archivi regii Paris. cap. 120.

Ejusdem fratres, ut opinor, fuere Raymundus de Agrifolio Episcopus Ruthenensis & Petrus de Agrifolio Claromontanus, quos fuisse fratres patet ex testamento Raymundi. Eorum sororem fuisse Floram sive Florentiam Abbatissam Nonnaticensem in diœcesi Vabrensi liquet ex eodem testamento.

ÆGIDIUS RIGAUDI] Rubricæ anni tertii Benedicti XII. cap. 143. *Ægidio Rigaudi. Providetur sibi de prioratu de Essena Parisiensis diocesis vacante.*

Eum Clemens VI. fecit Cardinalem anno MCCCL. exeunte, eique pileum rubeum misit per nobilem virum Nicolaum Iudicis Domicellum. *Odoricus Raynaldus anno* 1350. §. 48. Datus est autem ei Parisiis, Rege præsente, in Dominica palmarum prima Aprilis anno MCCCLI. ab Episcopis Parisiensi & Laudunensi. *Froissart. vol. 1. cap.* 153.

Titulum habuit Presbyteri Cardinalis sanctæ Praxedis Errant ergo qui putant eum fuisse Cardinalem tituli sancti Clementis, & qui eum in Galliam missum esse credunt anno MCCCLI. unà cum Nicolao Cardinale Capocio ad revocandam pacem inter Ioannem Francorum & Eduardum Anglorum Reges. quam observationem ex Antifrizonio nostro descripsit Oldoinus. Vide Bzovium an 1351. §. 16. & Spondanum eod. an. §. 3.

In tomo quarto historiæ Universitatis Parisiensis pag. 320. sic scriptum est ex quodam regesto publico ejusdem academiæ. *Anno Domini* MCCCL. *electus fuit M. Albertus de Bohemia clericus familiaris D. Karoli Regis, in cujus procuratoria facta sunt quæ sequuntur. Primò fuit deliberatum de liberatione cujusdam monachi de carcere D. Cardinalis sancti Dionysii.* Quærit autem in hoc loco auctor hujus historiæ quis fuerit hic Cardinalis, & concludit fuisse Petrum de Foresta Archiepiscopum Rothomagensem, quem vulgò tradunt fuisse etiam Abbatem sancti Dionysii. Verùm ille anno tantùm MCCCLVI. factus est Cardinalis. Adeoque dubium esse non potest quin hic locus intelligi debeat de Ægidio Rigaudi.

IOHANNES DE MOLENDINO] Primus omnium & solus Petrus Frizonius illum in Novempopulania ortum scripsit, quem omnes alii rectè aiunt fuisse patria Lemovicem. Quamvis autem credit illum esse ortum in Lemovicibus, nemo tamen hactenus demonstravit locum unde illi origo. Amicitia quæ illi fuit cum Geraldo de Daumario Cardinale, de quo suprà memoravi, me cogit suspicari natalium utriusque viciniam genuisse hanc animorum concordiam. Quippe contracta à teneris annis inter vicinos amicitia paulatim glìscit ac ferme durat. In parrochia Gardiensi, in qua situs est locus de Daumario, unde Geraldo nomen, locus est alius quem Molendinariam vocant, vulgò *La Molineyrie*, in quo fortassis natus est Ioannes de Molendino. Certè nomen non abhorret.

Illum Lucas Vvaddingus an. 1351. §. 13. & Spondanus an. 1352. §. 9. scribunt fuisse Clementis VI. nepotem, nullo teste. Etenim nullus veterum aut recentium scriptorum ante Vvaddingum ita memoriæ prodidit. Immo ne quidem ejus consanguineus à quoquam dicitur.

Fratrum Prædicatorum sectæ se addixit apud Brivam; & post emensum studiorum suorum curriculum factus est magister in theologia. Tum anno MCCCXLIV. factus est Inquisitor Tolosanus, triennio pòst lector sacri palatii, dein anno MCCCXLIX. generalis magister ordinis, & tandem anno sequenti Presbyter Cardinalis tituli sanctæ Sabinæ. Vetus codex MS. fratrum Prædicatorum Tolosæ: *Fratrem Iohannem de Molendinis conventus Brivensis ordinis fratrum Prædicatorum magistrum in theologia assumpsit in Presbyterum Cardinalem tituli sanctæ Sabinæ Dominus Clemens Papa VI. sabbato in jejuniis quatuor temporum post festum sanctæ Luciæ anno Domini* MCCCL. *pontificatus sui anno nono. Erat autem tunc magister ordinis electus in capitulo Barchinonensi. Et ante fuerat lector sacri palatii & Inquisitor Tolosanus hæreticæ pravitatis.*

Anno MCCCLI. exorta est Barcinone gravis controversia inter fratres Prædicatores & Minores de sanguine Christi in triduo passionis effuso, quem fratres Minores aiebant à divinitate fuisse separatum, & proinde non esse in triduo mortis adorandum cultu latriæ. Cùm

de ea re Nicolaus Rosselli tum Inquisitor hæreticæ pravitatis in regno Arragoniæ scripsisset ad Ioannem de Molendino Cardinalem, ille respondit se vivæ vocis oraculo accepisse in mandatis à Pontifice ut ad palinodiam cogerentur qui ita prædicaverant, judicatumque fuisse omnino hanc opinionem pro hæretica censendam. Vide Dermicium Thadæi in Nitela Franciscanæ religionis pag. 449. & Vvaddingum an. 1351. §. 13.

Obiit Avenione anno MCCCLIII. die XXIII. Februarii, ut ait Contelorius. Plerique omnes aiunt illum esse sepultum Tolosæ in monasterio fratrum Prædicatorum. Sed ipsi nescire se fatentur an verum sit, & nulla hujusce rei memoria apud illos extat.

RAYNALDVS DE VRSINIS] Archidiaconum Leodiensem & Papæ Notarium fuisse antè quàm fieret Cardinalis patet ex iis quæ refert Ioannes Hocsemius pag. 496. 506. de gestis Episcoporum Leodiensium. De eodem intelligendus Petrarcha lib. 8. rer. famil. epist. 7. scripta anno MCCCXLVIII. die vigesima Iunii: *Recommendo me Domino meo Domino Theanensi participi dolorum meorum. Item Domino Archidiacono Leodiensi*. Eundem fuisse Archidiaconum Perusinum testatur Pompeius Pellinus to. 1. hist. Perus. pag. 1027. Interfuit anno MCCCLXIX. solenni schismatis ejurationi factæ in urbe Roma à Ioanne Palæologo Imperatore Constantinopolitano, non tamen Legatus pontificius, qua dignitate eum ornat Oldoinus in hoc loco, sed ut delegatus ad eam excipiendam. Pontifex enim erat tum Romæ, adeoque necesse non erat mitti Legatum.

IOHANNES DE CARAMANNO] Huic viro idem evenit quod suprà pag. 662. diximus evenisse genti Fargiorum. Qui enim vocandus erat Ioannes d'Eusa ex nomine familiæ, vocatur de Caramanno, quia pater ejus Arnaldus d'Eusa erat Vicecomes de Caramanno. Hunc enim vicecomitatum, ut in libro quarto Memoriarum historiæ Occitaniæ pag. 723. tradit Guillelmus Catellus, emerat anno MCCCXXI. à Bertrando de Lautreco, in cujus gratiam Philippus IV. Rex Francorum baroniam Caramanni mutaverat in vicecomitatum.

PRONEPOS IOHANNIS PAPÆ] Arnaldus d'Eusa fuit pater Papæ & Petri d'Eusa, ex cujus matrimonio cum Catharina Grandis ortus est Arnaldus d'Eusa Vicecomes Caramanni. Arnaldus uxorem habuit Margaritam de Insula sororem Bernardi IV. Comitis Insulæ Iordani. Ex eo matrimonio orti sunt Hugo, Iordanus, & iste Ioannes Cardinalis, ac præterea tres filiæ, Margareta, Ioanna, & altera Ioanna, omnes dicti de Caramanno. *Catellus pag. 723. memoriar. histor. Occitaniæ*. Cùm ergo Arnaldus pater Ioannis Cardinalis fuerit nepos Papæ, rectè hic noster auctor scripsit Arnaldum fuisse ejusdem Papæ pronepotem.

Eum fuisse Canonicum Ecclesiæ Turonensis docet Ioannes Maanus in historia ejusdem Ecclesiæ pag. 151.

In codice sermonum Ioannis de Cardalhaco Patriarchæ Alexandrini extat sermo ab eo habitus in titulo sancti Georgii ad velum aureum in curia Romana assignato Domino Iohanni de Caramagno Cardinali.

Non absurdè conjici posset hunc Ioannem fuisse factum Cardinalem à Clemente VI. propter affinitatem quæ recenter contracta erat inter Rogerios & Caramannos. Nam Alienor filia Bernardi VI. Comitis Convenarum & Mathæ Insulanæ nupserat anno MCCCL. Guillelmo Rogerii nepoti Clementis. Matha autem erat soror Bertrandi Comitis Insulæ Iordani, adeoque Margarita Vicecomitissa de Caramanno erat magna amita Alionordis uxoris Guillelmi Rogerii.

FLAGELLATORVM] Vide Radulphum de Rivo cap. 5. de gestis Episcoporum Leodiensium, continuatorem Nangii in tomo secundo Spicilegii Dacheriani, Albertum Argentinensem pag. 149. 150. 152. 155. editionis Vrstisii, Vvalsinghamum, Chronicon Magdeburgense editum à Meibomio, Chronicon Hirsaugiense Trithemii to. 2. pag. 208. & to. IV. historiæ Vniversitatis Parisiensis pag. 314. P. 260

HVGO FABRI] In tomo quarto historiæ Vniversitatis Parisiensis pag. 229. inter socios domus Sorbonicæ nominatur anno MCCCXXXI. Hugo Fabri. Rubricæ anni tertii Benedicti XII. cap. 113. *Hugoni Fabri. Providetur sibi de prioratu Vallis Aurelianensis Ruthenensis diocesis vacante*. Evasit postea Abbas Cluniacensis anno MCCCXLVII. ut ait Franciscus de Rivo in chronico Cluniacensi. Ad eum extant in Bullario Cluniacensi pag. 177. duæ bullæ Clementis VI. datæ mense Martio illius anni. Non fuisse Episcopum Tutelensem, ut scripsit Frizonius, nos olim ostendimus in Antifrizonio.

ORIGINE TVTELLENSIS] Extat in archivo Ecclesiæ Tutelensis vetus membrana scripta Tutelæ anno MCCCXVI. die Mercurii in festo beati Michaelis, in qua Bernardus Fabri burgensis Tutelensis dedit conventui Tutelensi quindecim solidos Turonenses renduales in parrochia sancti Germani las Vergnas pro anniversario faciendo in dicto monasterio Tutelensi in crastinum B. Fidis & pro faciendo festo de beata Fide in dicto monasterio. Ex eodem instrumento liquet eum habuisse filium nomine Ioannem monachum sancti Martialis Lemovicensis. Hunc ergo Ber-

nardum existimare licet fuisse patrem Hugonis Abbatis Cluniacensis.

P. 163. SERMONES ET COLLATIONES] Extat in bibliotheca illustrissimi Archiepiscopi Remensis vetus codex cum hoc titulo : *Sequuntur diversa sermonum themata fidelium Dei, beata Maria virginis, & aliquorum sanctorum, & aliqua alia secundùm diversos eventus rerum ac temporum facta, ordinata, & prædicata diversis temporibus per Dominum Clementem Papam sextum temporibus suorum archiepiscopatus, cardinalatus, ac etiam papatus, ut qui legerit poterit invenire.* Aymericus de Peyraco Abbas Moyssiacensis in suo chronico fol. 93. eum vocat maximum sermocinatorem verbi Dei, continuator Nangii in tomo XI. Spicilegii Dacheriani pag. 739. ultra modum communem hominum eloquentem, Thomas Walsinghamus virum insignis literaturæ. Insignis est locus in vita Karoli IV. Imperatoris, ubi vocatur homo facundus & literatus omnique morum honestate circumseptus. De sermone quem ipse dicitur habuisse post electionem suam vide Albertum Argentinensem pag. 133. ex editione Christiani Vrstisii. Ex catalogo bibliothecæ Benedicti XIII. apparet eum habuisse plura volumina sermonum ejusdem Clementis. Præter hos sermones & tractatum de paupertate Christi & Apostolorum, de quo suprà pag. 836. actum est, Vvaddingus an. 1328. §. 13. mentionem facit cujusdam tractatus ab eo editi adversùs Michaelem de Cæsena, an censendus esset hæreticus.

NOMINE ET RE CLEMENS] Ioannes de Cardalhaco Patriarcha Alexandrinus in sermone quem habuit in exequiis ejusdem Clementis : *Ipse enim, ut nostis, aspectu, convictu, affatu, clementia, liberalitate toti mundo desiderabilis & gratulabundus, qui quamplurimos progenuit filios adoptivos in diversis gradibus Ecclesiæ suo tempore ordinandos.* Ipse Clemens in collatione facta quando procuratores Bavari submiserunt statum, personam, res & bona ad oscullum pedum beatorum de se sic ait : *Debetis ergo cogitare quòd in ista materia nos honorem Ecclesia volumus conservare. Et ideo, licèt ab infantia creverit mecum miseratio & de utero matris mea egressa sit mecum, & licèt clementiam desponsaverim, tamen clementia non est sine justitia nec misericordia sine veritate.* Vide suprà in tertia vita ejusdem Clementis pag. 300.

P. 166. DIE SEXTA DECEMBRIS] Albertus Argentinensis pag. 157. *Infirmatus autem Papa obiit in die sancti Nicolai anno LII. & positus in calce pro destructione carnis, in monasterio Casa-Dei, in quo olim Abbas fuerat, jussit se sepeliri.* Errat Albertus. Fuit enim illic monachus, non verò Abbas.

EX MATRE AC MATRE] Postea locus vacuus relictus est in veteri codice MS. ex quo hæc vita edita est. quod nos bona fide reddidimus. P. 165.

DE ROSERIIS] vulgò *Rosiers*, XII. M. P. à Tutela. Huic Ecclesiæ idem Clemens legavit quædam indumenta sacerdotalia, ut testatur ejus frater Guillelmus Comes Bellifortis in suo testamento edito inter probationes historiæ Turennensis pag. 97. *Volo & jubeo & mando reddi Ecclesia de Roserio Lemovicensis diocesis indumenta sacerdotalia per Dominum nostrum sancta memoria Papam Clementem VI. data & legata.*

ANICIENSIS EPS] Bernardus de Castaneto, postea Cardinalis, de quo dictum est suprà pag. 718.

MEMORIÆ MIRABILIORIS] Itaque continuator Nangii in tomo XI. Spicilegii Dacheriani pag. 739. eum vocat virum summæ memoriæ. Petrarcha lib. I. rer. memorandarum : *Clemens VI. egregius nunc Romulei gregis pastor tam potentis & invicta memoria traditur ut quicquid vel semel legerit oblivisci, etiamsi cupiat, non possit.* Et paulò pòst : *Illud additur miraculo, hanc tantam sibi memoriam magno quondam capitis ictu, cujus adhuc testis extat ingens supremo vertice cicatrix, pervenisse.*

S. BAUDILII] Alii tamen contendunt illum primò fuisse Priorem sancti Pantaleonis in diœcesi Lemovicensi. quod verum est. P. 166.

GUILLELMO AMICI] Illum in familia sua habuit Petrus Rogerii Cardinalis Rothomagensis, cujus commendatione anno MCCCXLI. factus est Episcopus Aptensis. Cùm verò paulò pòst Benedictus XII. in cælum sublatus esset, Cardinales eum anno MCCCXLII. VI. Non. Maii miserunt in Galliam ut concordiam eorum auctoritate retineret inter Reges Franciæ & Angliæ donec pax constitui posset. Et cùm statim Clemens VI. electus esset, ei prorogavit hanc legationem. Extant harum rerum testes literæ Cardinalium & Clementis in libro quarto epistolarum ejus epist. 474. & seqq. P. 169.

Idem Clemens VI. illum hoc ipso anno, Nonis Octobris, transtulit ab Ecclesia Aptensi ad Carnotensem vacantem per assumptionem Aymerici ad cardinalatum. In vetustissimo catalogo Episcoporum Carnotensium scripto circa annum MCCCLXXX. ista leguntur de hoc Episcopo : *Guillelmus Amici Lemovicensis, vir summa scientia, probitatis, & morum. Hic fuit familiaris Domini Clementis Papa VI. & ab eo Auditor camera apostolica constitutus & in Episcopum Aptensem promotus, indeque ad episcopatum Carnotensem translatus, quem rexit octo annis, manens semper in curia Romana, & inde Patriarcha Ierusalem*

salem factus anno quinquagesimo, cum quo habuit in commenda episcopatum Forolivienſem, & sanctus reputatur. Verum esse quod inhic annotatur, hunc Episcopum Carnotenſem ſemper manſiſſe in curia Romana, probant literæ Vicariorum ejus generalium de receptione literarum indictionis Concilii Parisienſis anni MCCCXLIII. quarum hoc eſt initium: *Reverendis in Christo Patribus ac Dominis Dominis Dei gratia Parisiensi, Aurelianensi, Antissiodorensi, Trecensi, Meldensi, & Nivernensi Episcopis, vel vicariis eorundem, Vicarii generales in spiritualibus & temporalibus Reverendi in Christo Patris ac Domini Domini Guillelmi eadem gratia Episcopi Carnotensis nunc apud sedem apostolicam constituti salutem & reverentiam cum honore.*

In libro Arnaldi Camerarii iſta ſcribuntur: *Littera Domini Clementis Papæ VI. declarans quòd propter commissionem factam Episcope Carnotensi super justitia exhibenda querelantibus de officialibus cameræ apostolicæ non est intentionis suæ quòd propterea Domini Camerarius & Thesaurarius apostolici cessent sua officia exequi sicut prius. Datum Avinioni XVI. Kal. Februar. pontificatus sui anno secundo.*

Anno MCCCXLIII. electus eſt arbiter inter Guillelmum Bertrandi dominum caſtri ſancti Romani in diœceſi ſancti Flori & Ioannem Epiſcopum Anicienſem ſuper proprietate villæ de Capella in diœceſi Anicienſi, ut patet ex actis editis inter probationes hiſtoriæ Comitum Valentinenſium pag. 20.

Anno MCCCXLV. miſſus eſt in Galliam cum Paſtore de Serreſcuderio Archiepiſcopo Ebredunenſi ut revocari procuraret conſtitutionem Philippi Regis latam adverſus Prælatos ac perſonas eccleſiaſticas quæ tum in regno non erant præſentes. Qua de re plaribus actum eſt ſuprà pag. 785. & 893.

Anno MCCCXLIX. factus eſt Patriarcha Hieroſolymitanus; eodemque tempore commendata ei eſt Eccleſia Forojulienſis. Teſtatur autem vir clariſſimus Ioſephus Antelmius in libro de initiis Eccleſiæ Forojulienſis pag. 164. illum Eccleſiam Forojulienſem ſanctis ordinationibus & laudabili munificentia nobilitaſſe.

Huic Guillelmo Patriarchæ Hieroſolymitano & aliis quibuſdam Epiſcopis Clemens VI. ſcripſit anno MCCCLI. in cauſa fidei Armenorum. Ejus epiſtola extat apud Vvaddingum an. 1351. §. 3.

Errant profectò qui ſcribunt illum fuiſſe Archiepiſcopum Aquenſem.

Obiit apud Montempeſſulanum anno milleſimo CCCLX. die nona menſis Iunii. Cadaver verò ejus delatum ad Lemovices, ſepultum eſt in cathedrali Eccleſia Lemovicenſi in ſacello ſancti Thomæ, quod propterea vocant ſacellum Patriarchæ. Ibi viſitur ſtatua lapidea Epiſcopi genibus flexis cum hac inſcriptione.

GVILLERMVS
AMICI
PATRIARCHA
IHEROSOLI
MITA
NV
S.

Pone ſtatuam poſita eſt tabula ærea cum hac inſcriptione.

Guillermus Amici ex urbe Lemovicensi oriundus, Patriarcha Ierosolimitanus & Forojuliensis quondam Episcopus, vir pietate insignis & miraculis clarus, apud Montempessulanum ex hac vita excedens migravit in cælum die nona mensis Iunii anno millesimo trecentesimo sexagesimo: cujus corpus sacrum cùm primùm in templo sanctæ Mariæ de Carmelo honorificis exequiis ecclesiastica sepultura mandatum esset, post aliquod tempus juxta sua piæ voluntatis ultimum elogium in Ecclesiam Lemovicensem translatum, ibidem in sacello sancti Thomæ nuncupato celeberrimè conditum est, beatam cum sanctis resurrectionem expectans.

MARTERGIIS] id eſt, capiſtro. Ioa. Villanius lib. 12. cap. 50. *e messogli un capresto in collo.* P. 270.

ROSAS IN CLYPEO] ſex nimirum. Fallitur ergo Albertus Argentinenſis pag. 133. ita de Clemente VI. ſcribens: *Hic Papa, cùm arma progenies suæ haberent quinque rosas, contra morem antecessorum totidem rosas poni fecit in bulla.* Hæc ergo fuit Alberto errandi occaſio. Nam re vera quinque tantùm roſæ impreſſæ ſunt in averſa facie bullarum ejuſdem Clementis. P. 279.

NVMERVS SENARIVS PERFECTIOR] Epiſtola Eccleſiæ Leodienſis ad eundem Clementem apud Hocſemium: *Cùmque non sine divino credendum sit præsagio contigisse quòd ab imperfecto quinario ad perfectissimum senarium tam sui natura quàm figura, qua tot dierum numero summus rerum artifex cæli terræque machinam consummavit, Clementis clementiam cernimus ascendisse &c.* Bonifacius VIII. in prologo libri ſexti Decretalium: *Quem librum, quinque libris aliis dicti voluminis Decretalium annectendum, sextum censuimus nuncupari, ut idem volumen senarium, qui numerus est perfectus, librorum, illo adjuncto, numerum comprehendens, perfectam in rebus agendis formam tribuat & in moribus disciplinam.*

SENATVM] Legendum *senatum*, *capitaneatum*, ut docet ipſe Clemens lib. 4. epiſt. 233. & in reſponſione facta legatis Romanorum ad eum miſſis in initio pontificatus, in qua ita inter cetera legitur: *Venistis ad offi-* P. 286.

rendum nobis totius Romani regiminis donationem generalem, vos, Romani, qui subjugastis vobis orbem per vestram prudentiam, gubernastis orbem per vestram sapientiam. Verùm quo officio offertis nobis quod nostrum est, quia illa civitas nostra est. Et vos offertis nobis illius civitatis senatum, capitaneatum, consolatum, & defensoratum. Et nos acceptamus isto modo, videlicet quòd per istam acceptationem non prajudicetur in aliquo juribus Ecclesia Romana, & vos Notariis camera de hoc faciatis instrumentum.

P. 288. BERTRANDVM S. CYRIACI] Legendum *Bernardum*. Vide suprà pag. 810.

P. 289. IN DOMIBVS NEAPOLEONIS] sive in palatio quod Neapoleonem ædificasse in Villanova testatur vetus scriptor apud Odoricum Raynaldum an. 1316. §. 21. In illo porrò habitare consuevisse Clementem VI. liquet ex secunda vita Vrbani V. pag. 400. Immo sequentes quoque Pontifices illic habitasse velut in propriis ædibus hinc colligi abundè potest quòd in diario Ioannis Fabri Episcopi Carnotensis adnotatum est Mariam Reginam Siciliæ, quæ apud Villamnovam applicuit anno MCCCLXXXXV. die vigesima Aprilis, illic habitasse in ædibus Papæ: *Elle fut hostellée à Villenove en l'ostel du Pape.* Et in testamento Gregorii XI. in tomo sexto Spicilegii Dacheriani pag. 689. adnotatum est illud ab eo conditum esse *in camera sua palatii Villanova, quod tunc inhabitabat.*

P. 290. IN LIBRO PONTIFICALI] id est, in Ordine Romano Iacobi Gaytani dicto, quem vir doctissimus Ioannes Mabillonius nuper edidit in tomo secundo Musei Italici. Eandem portò auctoritatem ex illo libro referunt Clemens V. apud Odoricum Raynaldum an. 1311. §. 12. & Innocentius VI. in bulla legationis Petri Bertrandi pro coronatione hujus Imperatoris edita inter probationes historiæ Cardinalium Gallorum.

LVDOVICVM DE HISPANIA] Thomas Vvalsinghamus ad annum MCCCXLIV. *Hoc anno Papa Clemens in consistorio publico Dominum Ludovicum de Hispania creavit Principem insularum fortunatarum, qui tunc fuit unus de ambassatoribus Regis Francia. Et assumpsit Papa pro themate: Fatiam principem super gentem magnam.* Extat etiamnum hic sermo in codice sermonum Clementis, & in illo ista inter cetera leguntur: *Modò videtur nobis quòd in facto nostro quod hodie proponimus facere, videlicet facere Dominum Ludovicum de Hispania principem & dominum quarundam insularum qua dicuntur fortunata & quarundam aliarum circumadjacentium & vicinarum, qua vobis hic enumerabuntur, in quibus habitant pagani & Christiana fidei inimici.* Addit Vvalsinghamus: *Illa autem insula sunt in mari mediterraneo valde fertiles, quarum incola non sunt Christiani nec de secta Mahometi.* Vide Odoricum Raynaldum an. 1344. §. 39. & an. 1369. §. 14. De eadem re agit Clemens VI. lib. 4. epist. 87. 94. 95.

A SVA IVVENTVTE] Papirium Massonum vidisse hanc vitam hinc colligitur quòd cùm enumerat Cardinales à Clemente VI. institutos, inter illos recenset *Guilielmum Benedictina familia alumnum, quem à pubertate domi semper habuerat.* P. 296.

REDITVS AD CAPELLANIAS] Extat in archivo Ecclesiæ Rothomagensis bulla Clementis VI. data Avinioni VIII. Kal. Iunii anno octavo, qua fundavit in eadem Ecclesia, *qua nos*, inquit, *divina dispositione dudum habuit in sponsum, & nunc ut patrem ac dominum recognoscit*, fundavit inquam in Ecclesia Rothomagensi sexdecim perpetuorum clericorum seu capellanorum numerum sive collegium, quos voluit appellari capellanos seu clericos Clementinos, Clementis videlicet Papæ sexti; quorum duodecim essent in sacerdotio constituti, duo in diaconatus, ac reliqui duo in subdiaconatus ordinibus. Et pro institutione ejusdem collegii dedit annuos redditus quingentarum & quadraginta librarum Turonensium. P. 297.

GVILLELMI ARCHIEPISCOPI] Cæsaraugustani, cognominati de Agrifolio, de quo pluribus actum est suprà pag. 902. P. 298.

MESTRIO] Error est typographi, pro quo reponendum est *Mostrio* vel *Monstrio*. Hinc aliqui hunc Clementem aiunt ortum esse ex familia Monstria. Ex quo fortassis conjecturam capere liceret matrem ejus vocatam fuisse Guillelmam Monstriam. Sed hæc mera divinatio est. P. 299.

SERMOCINOR.] Odoricus Raynaldus an. 1342. §. 6. edidit *sermocinationum*, & mox *commersabilis* pro *conversabilis*. P. 300.

DE CIARTIS] *de Chartres*, id est, Carnotensem. P. 301.

ANTISSIODOREN.] Istud non est verum. Etenim Petrus Bertrandi nunquam fuit Episcopus Autissiodorensis. Reponendum itaque *Æduensis*.

DEPERDITARVM] *les ylles perdudes* apud Michaelem Carbonellum lib. 4. cap. 1. chronicor. Hispaniæ. quia eas pagani tenebant, & Ludovicus aiebat se velle illas reddere religioni Christi. Odoricus Raynaldus an. 1344. §. 47. edidit *fortunatarum*.

POSSESSIONEM NVNQ. HABVIT] Vvalsinghamus ad annum millesimum CCCXLIV. loquens de dono earundem insularum quod Clemens VI. dedit huic Ludovico: *Donum utique laude dignum, si possessionem pacificam contulisset.*

P. 301. VILLAM CAMI] seu Cadomi, vulgò *Caën*.

SANCTVM CLOVM] sive Clodoaldum, vulgò *Saint Clou*.

P. 303. LANSANO] In historia Cortusiorum lib. 9. cap. 8. *Lansone*. vulgò *Alençon*.

P. 304. COMES DE ARBI] sive de Derby, Henricus de Lancastria. Vide Froissartum vol. 1. cap. 11. 25. 90. 103. & seqq. & Chronicon Raimundi Bernardi de Mota Episcopi Vasatensis.

AVXITANEN.] sive Occitanensis. Sæpe in hoc errabant librarii, & Auxitanenses scribebant cùm scribere debuissent Occitanenses. Res probari posset multis exemplis.

ALBAROCA] De hac expeditione sic legitur in chronico Aymerici de Peyraco Abbatis Moyssiacensis: *Eo tempore Gallicorum & Anglicorum fuit factum bellum campale in Albarupe diocesis Petragoricensis; ubi fuit Senescallus Tolosanus, Comes Insulæ, Petragoricensis, & multi notabiles viri. Et Anglici obtinuerunt triumphum anno Domini* MCCC. *& illius triumphi fuit principalis de parte Regis Anglorum Dux Lencastriæ, qui tum vocabatur Comes Eboracensis, avunculus Regis Eduardi, qui ceperat Bragariacum locum valde notabilem vi armorum pro tuitione illius loci pro parte Regis Francorum, inter quos fuit Comes Petragoricensis & Senescallus Tolosanus.*

TVTELAM] Veteres memoriæ Tutelenses eam cladem revocant ad annum millesimum CCCXLVIII. falsò. Nam ex literis ad Seneschallum Tolosanum scriptis à Ioanne Comite Armaniacensi, qui tum erat in castris ante Tutelam, apparet istam obsidionem certò factam esse anno MCCCXLVI.

MISIT ANIBALDVM] Vide Odoricum Raynaldum an. 1345. § 11. 12. an. 1346. §. 39. 40. an. 1347. §. 24.

P. 311. AD MEMORIAM] Hanc bullam & sequentem refert Albericus à Rosate in suo Dictionario, sic tamen ut nolit eas præstare veras. Easdem inveni etiam in codice 2835. bibliothecæ Colbertinæ.

CVM NATVRA HVMANA] Iure meritòque Protestantes adversùs hanc bullam tam temerariam & impudentem insurrexerunt, quia videbant Romanum Pontificem nullam potestatem habere in angelos aut reliquos regni cælestis incolas & habitatores. Ego verò lubenter cum illis sentio. Sed tamen diversas interim opiniones habemus. Illi enim in eam ut veram ac genuinam invehuntur, ego illam falsam ac supposititiam & ab aliquo impostore valde imperito conscriptam fuisse contendo. Quis enim sanæ mentis homo in animum inducere queat virum gravem, doctum, dicendi peritum, prudentem, ac limati judicii, qualem fuisse constat Clementem sextum, tam averso à musis animo fuisse, tam insulsum ac fatuum ut compositionem dissolutam, ridiculam, abnormem auderet aut vellet publicè proponere? At, inquies, Vvesselus Gansfortius Groningensis & Cornelius Agrippa testantur eam Viennæ, in Lemovicibus, apud Pictavos extare plumbatam, adeoque in dubium revocari non posse quin vera sit, cùm constet eam fuisse munitam bulla pontificia. Primùm respondere possum emersisse diversis temporibus falsarios qui Romanorum Pontificum bullas confingerent easque plumbi Romani testimonio confirmare niterentur. Quæ pestiferorum hominum audacia exrorsit varias eorundem Pontificum constitutiones editas in libris decretalium & alibi. Verùm omissa ea responsione, quamquam non inutili, quis non videt, quis non animadvertit Vveselo homini Batavo & exscriptori ejus Agrippæ, hominibus multùm ab ævo Clementis VI. & à Vienna, Ratiasto Lemovicum, & Augustorito Pictonum remotis nulla ratione credendum esse in rebus adeo antiquis & tanti momenti absque testimonio vetustioris scriptoris? Eadem illi fide tradunt hanc Clementis erroneam intolerabilemque temeritatem ac tantùm non hæresim reprehensam ac correctam fuisse à theologica facultate Parisiensi. Et tamen nusquam, in tot ævi illius monumentis, reperire licet ullam ea de re concertationem fuisse in academia Parisiensi. Et sanè, si ita est ut tradit Vveselus, oportuit academiam illam ceterarum principem fuisse admodum stupidam, si in re adeo clara & manifesta fidem potuit vel tenuiter adhibere mendacio. Insulsa est enim compositio, fatua, demens, aliena à stylo curiæ Romanæ, denique superflua, cùm ad constituendam stabiliendamque auctoritatem jubilæi & indulgentiæ generalis excitandamque fidelium pietatem satis superque sufficiat illa Clementis constitutio quæ edita est in collectione extravagantium communium. Ne cui verò mirum videatur quòd hanc bullam pronuntio falsam esse, ea diu ante me fuit sententia Alberici à Rosate: qui tametsi illam inveniat pulcram, ait tamen ignorare se an vera fuerit, & huc inclinat ut putet eam non fuisse bullatam nec confirmatam; ceterùm testatur eam non fuisse servatam Romæ anno MCCCL. *tempore prædictæ indulgentiæ, ad quam fui cum uxore & tribus filiis*. Sanctus quoque Antoninus Archiepiscopus Florentinus par. 3. summæ tit. 10. cap. 3. §. 6. eam falsam esse pronuntiavit his verbis: *Et ne quis sumat dubia pro certis, sciendum quòd in copia cujusdam bullæ quæ dicitur esse Clementis multa narrantur quæ non videntur esse de stylo curiæ, cùm sint levia & exorbitantia satis. Vnde licet ascribantur Clementi, non videtur verisimile illius vel alterius summi Pontificis*

fuisse, sed fictitiè inventa. Hoc loco sancti Antonini usus est Ioannes Brunelli in repetitione in decretalem primam de homicidio in antiquis pat. 4. conclus. 9. ubi falsò putavit Antoninum loqui de constitutione Clementis VI. incipiente *Vnigenitus*; in qua ait contineri multa puerilia & levia, illam portò deviare à communi stylo. Addit eam non extare in collectione extravagantium communium, & non esse de notissimis. In quo illum errare omnino manifestum est. Habetur enim inter extravagantes communes; & cùm certum sit eam editam fuisse ab eodem Clemente & ejus auctoritate promulgatam, dubium esse non potest quin sit de stylo curiæ. Ceterùm nihil in ea puerile, nihil quod levitati debeat adscribi. Ferri autem non potest insulsitas Ioannis Hoornbeex, qui primus, ut ipse putavit, hanc egregiam bullam edidit pag. 175. examinis bullæ Vrbani VIII. de festis; ubi pro sua audacia seu potiùs temeritate non veretur asserere illam Clementis bullam à nostris ita suppressam esse ut vix uspiam reperiatur. Cùm enim edita jamdiu sit apud Albericum, & ex eo illam Cyrillus Franchus ediderit Bononiæ anno MDLXXV. in commentario de anno jubilæi, reperiatur autem in duobus antiquis codicibus MSS. bibliothecæ Colbertinæ, ac fortasse alibi, manifestum est illam non fuisse suppressam ab iis qui Romana sacra colunt.

MANDAMVS ANGELIS] Hanc clausulam, quæ tot tragœdias excitavit, non habet editio quæ extat apud Albericum. Extat tamen in codice 2835. bibliothecæ Colbertinæ. Ex quo colligi debet illam in aliquot exemplaribus fuisse, defuisse in aliis.

P. 316. FECI MENTIONEM] in vita nimirum Karoli IV. Imperatoris, ubi sic scribit: *Quidam homines qui dicebantur flagellatores, qui in diversis provinciis Alamanniæ versus regnum Franciæ ex singulis civitatibus, oppidis, & villis per turmas & congregationes exeuntes anno Domini XLIX. portari fecerunt ante eos signum crucis, & processionaliter quendam cantum de passione Domini in suo idiomate dictatum cantabant, & quibusdam flagellis usque sanguinis effusionem in scapulis se percutiebant, euntes de villa in villam, credentes se per hujusmodi pœnitentiam ab omnibus suis peccatis absolutos; inter quos etiam magni Episcopi & Clerici & laici sic ibant, per quadraginta dies hujusmodi pœnitentiam agentes. Et hæc consuetudo prædicta secta duravit ferè per annum usque ad Romanæ Ecclesiæ prohibitionem.*

P. 318. PERCVSSVS APOSTEMATE] Raymundus Bernardi de Mota Episcopus Vasatensis in suo chronico & Matthæus Villanius lib. 3. cap. 43. aiunt mortuum esse ex febre continua sex aut septem dierum, Henticus de Knyghton pag. 2605. *per intoxicationem.* Porrò apostema in dorso, cùm sit morbus naturalis, accidere potest etiam homini continentissimæ vitæ. Quare admodum contumeliosa est observatio Henrici Spondani an. 1352. §. 14. ubi ex M. Chronico Belgico referens historiam apostematis, ait existimare se id magis dictum in improperium Clementis, quòd accusatus fuerit de femineis deliciis, quàm ex vero.

STVISTATVRVM] Ita prorsùs vetus codex. P. 321.

DE LOCO DE MONTE] haud procul castro Pompedorio, in parrochia de Beysaco, ubi etiamnum supersunt parietinæ ampli cujusdam ædificii quod vulgò ab incolis pagi illius vocatur domus Papæ Innocentii. Ecclesia loci de Beyssaco, sanè parva, sed firmæ & elegantis structuræ, ferè tota ex lapidibus quadris ad amussim præcisis constructa, opus est ejusdem Papæ, cujus insignia gentilitia cum tiara conspiciuntur in conclusura testudinis. Hodie locus de Monte pertinet ad gentem Pompedoriam, emptus à Ioanne Marchione Pompedorii non ita pridem mortuo.

XVIII. DECEMBR.] Ioannes Iofrevi Episcopus Aniciensis sic annotavit in suo Kalendario: *Innocentius VI. electus anno millesimo* CCCLII. XV. *Kal. Ianuar. inter tertiam & meridiem.* Continuator Ptolemæi Lucensis à nobis editus infrà pag. 357. ait eum electum esse *hora tertiarum.*

DIE XXIII. CORONATVS] Odoricus Raynaldus an. 1352. §. 27. reprehendit auctorem hujus vitæ, & innixus auctoritati ejusdem continuatoris probat Innocentium fuisse coronatum die penultima dicti mensis. quod confirmatur ex his quæ scripta sunt in secunda vita ejusdem Innocentii. Sanè literæ ejus encyclicæ, quæ statim post coronationem mitti solent in provincias, datæ reperiuntur 11. Kalend. Ianuarii. Quamquam in editione Contelorii scriptum est undecimo Kalendas Ianuarii, mendosè, ut apparet. Pessimè Albertus Argentinensis pag. 156. qui id actum esse scribit in die epiphaniæ.

STEPHANVS ALBERTI] Apud Froissartum vol. 1. cap. 153. *Estienne Aubert.* Parentum ejus nomina in obscuro sunt. Illud tantùm scimus ex testamento Cardinalis Audoyni, illos esse sepultos in Ecclesia de Arnaco. Si mihi tamen effari licet quod sentio, cùm in veteribus monumentis Carthusiæ Glanderiensis, quæ vicina est loco de Monte, reperiatur nomen Stephani Alberti de Pompedorio clerici uxorati, quem annis MCCLXV. & MCCLXXIII. vixisse constat, tum postea Ademari Alberti de Pompedorio anno MCCCV. viventis, non possum non assentiri clarissimo

viro Domno Ioanni Baptistæ Pradillonio, qui nuper merito suo obtinuit summam præfecturam inter suos Fulienses, conjicienti Ademarum fuisse patrem Papæ Innocentii, Stephanum verò avum. Nam & Stephani nomen certam propemodum conjecturam facit. Cæterùm nomen de Pompedorio illic additum nomini Albertorum innuere videtur eam gentem mansisse in eo loco antè quàm commigraret ad Montem. Liberi itaque Ademari fuere hic Stephanus Papa, Guido, quem anno MCCCXXVIII. lego vocatum fuisse Domicellum, Petrus Abbas Grandimontensis, & mater Petri de Monteruco Cardinalis. Ex his Guido sepultus est cum uxore sua apud Glanderium in monasterio Carthusianorum.

Guido ex Margarita de Livrono conjuge sua genuit Guidonem dictum juniorem ad differentiam patris maritum Contoriæ Cotheti ex nobilitate Securiensi, quem constat circa annum MCCCLVII. extinctum esse, Galterum dominum Montis, Beyssaci, & sancti Saturnini, Audoinum Cardinalem, Arnaldum Archiepiscopum Auscitanum & S. R. E. Camerarium, Stephanum Abbatem sancti Illidij Claromontensis & sancti Victoris Massiliensis, Agnetem uxorem Ademari de la Ribieyra nobilis Lemovicensis domini de sancto Bonito & Cameratij Papæ Innocentij, & Valeriam nuptam anno MCCCXXXVIII. viro primario inter Lemovices nobilitatis Berttando domino de Rofinhaco & Vergnarum; ex quorum connubio nati sunt Guido de Rosinhaco Domicellus, qui Arnaldi Archiepiscopi Auscitani nepos vocatur in epistola Gregorij XI. ad Ludovicum Ducem Andegavensem, (cujus Scancionarium fuisse hunc Guidonem reperio in regesto 100. archivi regii Paris. cap. 244.) & Raymunda de Rofinhaco, quam neptem suam vocat Audoinus in eodem testamento.

Galterus, qui sepultus est Parisiis apud sanctum Victorem, reliquit sex liberos, Petrum nimirum, Guillelmum dominum Murati & Montilii degelati, Guidonem dominum de Thoro & de Bulbone in diœcesi Avenionensi, Stephanum Cardinalem, Hugonem Episcopum Albiensem, & Galianam. Suspicor autem hunc Galterum, cùm uxorem amisisset, factum esse clericum. Etenim apud Richardum Vassèburgium fol. 411. reperio Galterum Alberti fuisse anno MCCCXLI. Canonicum & Cancellarium Ecclesiæ Metensis & Consiliarium regium in parlamento Parisiensi. Mortuus est autem v. Non. Octobr. ante annum MCCCLII quo fratres ejus Audoinus & Arnaldus emerunt an opus filiorum ejus à Ranulpho H... domino Pompadorensi omne homagium, vassaliagium, & quicquid aliud ei debebatur ab iisdem liberis occasione possessionum quas habebant apud Pompadorium, Montem, Beyssacum, & sanctum Saturninum.

Guillelmus acquisivit anno MCCCLIII. die tertia Maii castrum & castellaniam de Breno, vulgò *Bré*, in diœcesi Lemovicensi, cujus domini erant olim potentissimi in ea regione. Acquisivit etiam anno MCCCLVII. Rupem-Apis, vulgò *Roche-l'Abeille*, in eadem diœcesi Lemovicensi. Vxorem duxit Isabellam de Rupecavardi, quæ postea nupsit Ioanni Vicecomiti Villamurensi. Guillelmi & Isabellæ liberi fuere Guillelmus, Gilbertus, Stephanus, & Raymundus.

Guillelmi & Isabellæ filii, Gilbertus, quem anno MCCCCV. superstitem fuisse reperio, Guillelmus, & Raymundus videntur obiisse absque liberis. Stephanus eorum frater dominus Montilij degelati, Murati, de Breno, Rupis Dagulphi, & Poeneiaci sibi junxit ante annum MCCCCVII. Mariam de Castrolucii filiam Roberti domini d'Antragues & Dalphinæ Dalphini, ex eaque sustulit Guillelmum & Gilbertum, ut patet ex arresto Parlamenti Paris. edito inter probationes Turrianorum Arvernorum pag. 160. ex quibus etiam constat hunc Guillelmum absque prole mortuum habuisse heredem Iacobum filium fratris sui Gilberti & Catherinæ Chaleroniæ. Gilbertus ergo uxorem habuit Catherinam Chaleroniam filiam, ut vulgò traditur, Odardi de Chaleron & Margaritæ de Bellafagia filiæ Petri de Bella domini de Bellafagia. Ex Gilberto Alberti & Catherina Chaleronia ortus est Iacobus Alberti dominus Montilii degelati, Rupis Dagulphi, & Poeneiaci, qui anno MCCCCXXX. accepit uxorem Antoniam de Turre filiam Agnonis de Turre domini Olergii & Alipdis de Vendat. Mortuus est absque liberis. Itaque ei in bonis paternis & maternis successit Catherina ejus mater, quæ jam antè anno MCCCCXX. nupserat Randoni domino de Ioyosa filio Ludovici & Tiburgæ de sancto Desiderio.

Guido filius Galteri dominus de Thoro & de Bulbone propter Enemundam de Bulbone conjugem videtur primò se addixisse instituto clericorum. Etenim in archivo collegii sancti Martialis Tolosæ extant literæ Arnaldi Archiepiscopi Auscitani & Domini Papæ Camerarii datæ Avenione XVII. Decembris anno MCCCLXI. in quibus testatur venerabilem virum Guidonem Alberti fuisse receptum Capellanum commensalem Papæ anno MCCCLVII. die XXVIII. Martii per Stephanum tunc Archiepiscopum Tolosanum, & præfati Domini Papæ Camerarium. Postea itaque duxit, ut videtur, uxorem. Testamentum condidit anno MCCCLXX. die octava Septembris. Et tamen non interim ea tempestate. Quippe constat vixisse eum adhuc anno

MCCCXC. die XVII. Maii, qua Raymundus filius ejus ei legavit mille florenos. Genuit itaque hunc Raymundum, Elziarium, & Ioannem.

Raymundus anno MCCCLXX. vinculo jugali sociatus est cum Catherina de Baucio. De illo haud dubiè intelligenda sunt quæ ad annum MCCCLXXXV. die XI. Maii leguntur in diario Ioannis Fabri Episcopi Carnotensis, qui tum erat apud Avenionem cum Maria Regina Siciliæ: *Ce jour fist hommage à Madame un jeune Escuier qui se nomme Seigneur de Bourbon pour un chastel nommé.* Cetera scripta non sunt. Moriens autem anno MCCCXC. die XVII. Maii testamento jussit ut si uxor, quam prægnantem esse suspicabatur, prolem ederet, ea sibi succederet in bonis suis; sin verò aliter eveniret, Elziarius & Ioannes sui heredes essent, ita tamen ut integra hereditas perveniret ad Elziarium, Ioannes verò haberet sex millia florenorum.

Elziarius primùm Canonicus & Custos Ecclesiæ Lugdunensis anno MCCCLXX. cùm evasisset dominus de Thoro & de Bulboue post mortem Raymundi, præbendam suam & custodiam resignavit Ioanni. Ipse verò anno MCCCXCII. die septima Iunii matrimonium contraxit cum Peroneta nepte Ioannis de Broniaco Cardinalis, qui ei dedit in dotem quatuor millia florenorum cameræ, ut ipse Cardinalis testatur in suo testamento. Testamentum condidit anno MCCCCII. & cùm liberos non haberet, heredem scripsit nobilem & potentem Dominum Stephanum Alberri dominum Montilii degelati patruelem suum, quem suprà diximus fuisse maritum Mariæ de Castrolucii. Et sic extincta est illa stirps Albertorum quæ sedes fixerat in Provincia.

In historia chronologica Karoli VI. edita typis regiis pag. 443. reperio quendam Guidonem Alberti scutiferum, *un Escuyer nommé Guyon Albert*, in potestatem Delphini redegisse anno MCCCCXXII. oppidum sancti Richarii in Pontivo. Quamquam autem non dubitem illum fuisse prognatum ex genere istorum Albertorum, nescio tamen ex quo ramo.

Nunc aliqua dicenda sunt de illis qui ex gente Albertorum orti uxores non habuere, id est, Arnaldo Archiepiscopo Auscitano, Hugone Episcopo Albiensi, & Stephano Abbate sancti Illidii.

De Arnaldo sic legitur in veteri scheda Ecclesiæ Auscitanensis: *Arnaldus Alberti nepos Domini Innocentii Papæ VI. oriundus de loco de Montibus prope Pompaderium Lemovicensis diocesis fuit primò Episcopus Agathensis, deinde Carcassonensis. Postea fuit translatus ad Ecclesiam Auxitanam, videlicet die decima sexta Ianuarii millesimo CCCLV. Et fuit Camerarius Domini Papæ. Et incepit reædificare Ecclesiam metropolitanam Auxis, & fundavit in eadem decem prebendarios, qui habent deservire in choro ut alii prebendarii, & ultra hoc debent celebrare cotidie duas Missas, unam de Requiem bassam, & aliam altam de die, in capella sancti Martialis, & qualibet die dum pulsatur pro vesperis tenentur dicere officium defunctorum. Item ædificavit castrum de Bassoa cum magna turri, & fecit claudere totum locum. Qui obiit undecima die Iunii anno millesimo trecentesimo septuagesimo primo in loco de Borbouto Avinionensis diocesis, & fecit Ecclesia Auxis multa bona. Ejus anima requiescat in pace. Amen.* Vide quæ de hoc Arnaldo diximus in Notis ad Concilia Galliæ Narbonensis pag. 57. quibus nunc addo eum anno MCCCLXIV. publicasse quasdam constitutiones provinciales adversùs usurpatores bonorum Ecclesiarum & monasteriorum; quæ confirmatæ fuerunt à Concilio Basileensi anno MCCCCXXXV. X. Kal. Aprilis, & à Iulio Papa II. anno MDVIII. VIII. Kal. Octobris. Habemus porrò præ manibus fundationem præbendariorum suprà commemoratam.

In codice 1898. bibliothecæ Colbertinæ extant constitutiones synodales ab eo editæ anno MCCCLXVI. pro diœcesi Avenionensi, quam vicario nomine Vrbani V. regebat. Sic autem inscriptæ sunt. *Infrascripta statuta fuerunt lecta & publicata in Ecclesia Avinionensi in synodo anno à nativitate Domini MCCC. sexagesimo sexto immediatè post sermonem & appellationem omnium beneficiatorum & aliorum clericorum & denuntiationem festorum mobilium per modum qui sequitur ut ecce.* Et postea sequitur statim: *Ordinatur, præcipitur, & districtè mandatur per Reverendissimum in Christo Patrem & Dominum Dominum Arnaldum miseratione divina Archiepiscopum Auxitanensem, Domini nostri Papæ Camerarium, & totius episcopatus Avinionensis sub manu & regimine Domini nostri Papæ ad præsens existentis pro eodem Domino nostro Papa vicarium generalem infrascripta statuta fieri & servari per vos omnes & singulos vestrum Priores, Vicarios, & Capellanos, Curatos, ac ceteros beneficiatos Ecclesiarum civitatis & diocesis Avinionensis.* Patet autem vehementer errare Sebastianum Fantonium to. 2. histor. Avenion. pag. 323. ubi ait Arnaldum Archiepiscopum Auscitanum fuisse Vicarium Benedicti XIII. in Avenionensi diœcesi anno MCCCCXCVI. & synodum diœcesanam celebravisse. Hæc enim synodus celebrata est ab Arnaldo anno MCCCLXVI.

Illum Sammarthani non potuerunt in catalogo Episcoporum Agathensium. Et tamen ex libro obligationum archivi Vaticani ad annum MCCCLV. liquet Sicardum Episcopum Aga-

thensem successisse cuidam Arnaldo. Itaque oportet Arnaldum fuisse factum Episcopum Agathensem anno MCCCLIV. mense Aprili, & mox translatum est ad Carcassonensem, non anno MCCCLVI. die XXI. Septembris, ut falsò scriptum est in Gallia Christiana, sed anno MCCCLV. cùm certum sit Auscitanam Ecclesiam ei fuisse commissam anno MCCCLV. die XVI. Ianuarii.

Fœdus ad septennium adversùs Bernabonem & Galeacium de Mediolano nomine Vrbani V. iniit anno MCCCLXVII. cum Karolo IV. Imperatore, Ludovico Rege Hungariæ, & aliis quibusdam. *Odoric. Raynald. an.* 1367. §. 17.

Obiit apud Borbonium seu potiùs Bulhonem locum diœceseos Avenionensis pertinentem ad Guidonem Alberti fratrem suum.

Hugo Alberti Episcopus Albiensis fecit novum adventum suum in civitatem Albiensem anno MCCCLVII. die Mercurii XXII. Novembris, & promisit se consuetudines dictæ civitatis servare si & prout alii prædecessores sui eas tenere & servare promiserant. Delegatus ab Innocentio VI. literis datis XIV. Kal. Ianuar. anno IX. cum Carcassonensi & Appamiensi Episcopis pro conservatione privilegiorum collegii sancti Martialis Tolosæ, vices suas commisit Abbati sancti Saturnini, Præposito Ecclesiæ Tolosanæ, & aliis quibusdam, literis datis Avenione anno millesimo CCCLXII. die penultima mensis Decembris. *Ex archivo collegii sancti Martialis Tolosæ.*

DOCTOR LEGUM] Ioannes de Cardalhaco in sermone facto in exequiis Clementis Papæ VI. & solennitate inthronizationis Innocentii VI. *Secundò dico quòd ipse est plusquam Salomon propter nobilitatem scientiæ clarioris. Ipse enim est sapientia & scientia nobilis, quæ secundùm legem civilem homines nobilissimos facit. Ipse enim est Doctor legum excellentissimus & prudentissimus.* Ipse Innocentius in bulla fundationis collegii sancti Martialis testatur se doctoralis in jure civili eminentiæ titulo insignitum fuisse in civitate Tolosana. In veteri regesto parlamenti Tolosani, in alio domus communis ejusdem urbis, & in archivo collegii sancti Martialis vocatur legum professor. Guillelmus Bardinus in historia parlamentorum linguæ occitanæ loquens de quadam seditione scholasticorum excitata Tolosæ anno MCCCXXXV. propter quam nobilis Aymericus Berengarius ad mortem damnatus est à Consulibus Tolosanis, quos vulgò Capitulares vocant, ob quam causam privilegia eorundem Consulum fuere cassata per arrestum regium, & mox restituta, cùm illi regiis commissariis persolvissent quinquaginta millia librarum, addit: *Et facta fuerunt certa ordinationes circa formam creationis Consulum per dictos commissarios, quibus adjunctus fuerat magister Stephanus Alberti legum professor.* Vidi olim Tolosæ, dum illic vacarem studiis, literas quibus Rex Philippus arresti suprà commemorati executionem committebat huic Stephano. Earum initium istud erat: *Philippus Dei gratia Francorum Rex dilecto & fideli Consiliario nostro magistro Stephano Alberti legum professori salutem & dilectionem. Quia in executione arresti &c.* Et in calce: *Datum Parisius die vigesima secunda Septembris anno Domini millesimo* CCCXXXV. Henricus Pantaleo in sua chronographia eum vocat Iurisconsultum, Platina pontificii civilisque juris virum consultissimum, & Ioannes Chenu in chronologia summorum Pontificum utriusque juris doctissimum, Trithemius in chronico Hirsaugiensi Canonistam maximum, Petrus Dorlandus in Chronico Cartusiensi Canonistam præcipuum, excellentem in re canonica Franciscus Petrarcha in libro de vitis Pontificum Romanorum.

Virum doctum & permagnificum eum vocat Trithemius in chronico Hirsaugiensi, Bernardinus Corius in historia Mediolanensi virum integerrimum, Scipio Claramontius in historia Cæsenæ fol. 588. virum famæ integerrimæ, doctrina tamen non insigni, pontificii juris plurimùm retinentem. Contrà Pellinus to. 1. hist. Perusinæ pag. 930. ait illum fuisse hominem bonæ vitæ ac doctrinæ non vulgaris in jure canonico & civili.

IUDEX MAIOR] Si Stephanus Alberti fuit judex major senescalliæ Tolosanæ, oportet illum eo magistratu donatum esse paulò post commotionem illam Tolosanam. Etenim factus est Episcopus Noviomensis anno MCCCXXXVII. exeunte, ut colligitur ex libro obligationum archivi Vaticani, ubi Stephanus electus Noviomensis pecunias quæ debebantur pro communibus servitiis promisisse dicitur anno MCCCXXXVIII. die nona Ianuarii, id est, aliquanto post electionem, ut tum solebant. Incepit igitur esse Prælatus anno MCCCXXXVIII. & quadriennio pòst factus est Cardinalis. Quare non satis assequor quomodo Ioannes de Cardalhaco in sermone cujus paulò antè feci mentionem potuerit dicere verba sequentia: *Tertiò dico quòd ipse plusquàm Salomon propter sagacitatem experientiæ certioris. Ipse enim est Dominus magna experientia in temporalibus & ecclesiasticis: quia fuit in domo Franciæ bene per* XV. *annos, & bene fuit Prælatus* XX. *annis & ultra, & quatuor annis Pœnitentiarius Ecclesiæ Romanæ, &* XI. *annis ejusdem sanctæ Ecclesiæ Cardinalis.*

CLAROMONTENS.] Extat in archivo regio Parisiensi epistola Benedicti XII. ad Philippum Regem Francorum data anno

sexto, qua ei commendat Stephanum à se translatum ad Ecclesiam Claromontensem vacantem per obitum Raymundi, qui obiit Avenione anno MCCCXL. Kalendis Aprilis. Anno sequenti Philippus Rex Francorum eum misit ad eundem Benedictum pro quibusdam arduis negotiis, ut patet ex literis ejusdem Philippi editis ab Odorico Raynaldo an. 1341. §. 9. Fallunrur autem vehementer qui putant illum fuisse Episcopum Cameracensem.

EPS OSTIENSIS] anno MCCCLII. die XIII. Februarii. Vide lib. 4. miscellaneorum nostrorum pag. 508.

P. 321. AVDOINVM ALBERTI] baptizatum, ut ipse docet in suo restamento, in Ecclesia de Beyssaco in diœcesi Lemovicensi. Erat autem filius Guidonis Alberti & Margaritæ de Livrono. Peritus in utroque jure & consultissimus vocatur in gestis Episcoporum Autissiodorensium.

Rubricæ anni tertii Benedicti XII. cap. 283. *Audoino Alberti. Providetur sibi de canonicatu Ecclesiæ sanctæ Radegundis Pictavensis sub expectatione prabenda.*

Falsò in gestis Episcoporum Autissiodorensium scriptum est illum fuisse Episcopum Noviomensem.

Anno MCCCXLIX. Clemens VI. eum fecit Episcopum Parisiensem. Vetus Catalogus Episcoporum Parisiensium: *Audoynus electus à Domino Clemente Papa sexto. Incepit episcopatus ejus anno Domini* MCCCXLIX. Vicarios generales instituit Ioannem de Lyons Abbatem B. Mariæ majoris Pictaviensis & Iterium la Iarrossa Scholasticum Noviomensem, qui postea fuit Episcopus Autissiodorensis. *To. 1. Gall. Christ. pag. 454.*

Anno MCCCLI. circa nativitatem Domini Audoinus è cathedra Parisiensi translatus est ad Autissiodorensem *in translatione Petri prædecessoris ad cardinalatum*, ut docent gesta Episcoporum Autissiodorensium. Quare certum est erratum esse in libro obligationum, ubi adnotatum est Audoinum fuisse electum Autissiodorensem per obitum Petri.

Anno MCCCLIII. die XV. Februarii Innocentius VI. ejus patruus illum fecit Presbyterum Cardinalem tituli sanctorum Ioannis & Pauli. quod est certissimum. Error itaque admissus est in iisdem gestis Episcoporum Autissiodorensium, quæ tradunt illum in hoc gradu honoris collocatum esse in festo purificationis beatæ Mariæ. Pessimè Sammarthani in catalogo Episcoporum Autissiodorensium, istud factum esse scribentes XIV. Kal. Iunii.

Factus Cardinalis, vulgò vocatus est Cardinalis Magalonensis. Quod ea ratione factum est. Solebant tum Cardinales utplurimùm vocari ex nomine Ecclesiarum quibus antea præfuerant; ac propterea Pontifices caris suis, quos ad cardinalatus fastigium evehere destinabant, episcopatum quempiam paulò antè tradebant, ut hinc nomen accipere possent. quod multis exemplis ex illa ætate probari posset. Itaque Audoinus vocari poterat Cardinalis Autissiodorensis. Sed quia tum duo erant in sacro collegio qui antea fuerant Episcopi illius Ecclesiæ, Innocentius eum transtulit ad Magalonensem, ut ex ea nuncupationem posset accipere, uti factum est. Gesta Episcoporum Autissiodorensium in Audoino: *Translatus fuit ad cardinalatum per hunc modum. Quia illo tempore erant duo Cardinales sub nominatione Autissiodorensi, videlicet Talayrandus Petragoricensis & Petrus de Croso, translatus extitit ad sedem Magalonensem anno quinquagesimo tertio more curiæ Romanæ in nativitate Domini, more autem Gallicano anno quinquagesimo secundo, in festo purificationis beatæ Mariæ sequenti factus Cardinalis. Et sic nominatus fuit Cardinalis Magalonensis.* Et tamen Audoinus nullam episcopatus Magalonensis mentionem facit in suo testamento. Itaque nonnulli putarunt falsò illum vocari Episcopum Magalonensem.

Surita lib. 3. Indic. ad annum MCCCLVI. *Pontifex aliqua in re gratificari Regi cupiens canonicis sanctionibus Constantiam Regis filiam, quæ Frederico Siciliæ Regi consanguinitate propinquo nuptura erat, solvit; contentionemque omnem quæ Siculo Regi cum Ecclesia vertitur Bononiensi, Prænestino, & Magalonensi Cardinalibus committit.*

Anno MCCCLIX. idem Innocentius huic Cardinali Magalonensi & Talayrando ac Raymundo de Canilhaco commisit examen controversiarum quæ erant inter Magistrum ordinis sancti Ioannis Hierosolymitani & Castellanum Empostæ. *Bosius par. 2. hist. illius ordinis lib. 3.*

Ioannes Columbi lib. 3. de gestis Episcoporum Valentinorum num. 58. *Addidit datarum Episcopo Aimarum Pictaviensem aliquid supra duo castra pro sententia Cardinalium Petragoricensis & Vrgellensis vel Magalonensis.*

Factus est Episcopus Ostiensis anno millesimo CCCLXI. mense Iulio.

Onuphrius in prima epitome adnotat illum celebrasse Missam de spiritu sancto cùm Cardinales intrassent conclave post obitum Innocentii VI.

Coronavit Vrbanum V. ut legitur infrà pag. 399. & apud Odoricum Raynaldum an 1362. §. 17. *fuit in palatio apostolico coronatus per Dominum Magalonensem, qui tunc fuit Ostiensis Episcopus.*

De ejus morte sic legitur infrà: *Nocte sequenti obiit Dominus Cardinalis Magalonensis*, id est, die nona Maii anni MCCCLXIII. ut tradit

ut tradit Contelorius, seu die decima, ut legitur in libro obligationum. Sepultus est apud Carthusianos Villænovæ in medio chori.

Tolosæ post mortem ejus, ut ipse testamento caverat, conditum est collegium quod de nomine ejus vocatum est Magalonense.

AD MON. CASÆ DEI] Transiisse eam pompam per urbem Aniciensem die sexta Aprilis & corpus Clementis depositum fuisse in monasterio Carmelitarum testatur R. P. Odo Gisseyus lib. 3. cap. 23. hist. Aniciensis. Vide Bzovium an. 1352. §. 25. & Odoricum Raynaldum an. 1352. §. 24.

FRATER] Hugo Rogerii Presbyter Cardinalis tituli sancti Laurentii in Damaso, dictus Tutelensis.

TRES NEPOTES] Guillelmus de Iudicia Diaconus Cardinalis sanctæ Mariæ in Cosmedin, Nicolaus de Bessa Diaconus Cardinalis sanctæ Mariæ in via lata, & Petrus Rogerii de Belloforti Diaconus Cardinalis sanctæ Mariæ novæ.

VNUS CONSANGUINEUS] Guillelmus de Agrifolio Presbyter Cardinalis tituli S. Mariæ Trans Tyberim.

Præter hos, plures alii corpus Clementis comitati sunt, nimirum Guillelmus Comes Bellifortis frater ejus, ut legitur infrà pag. 279. in secunda vita ejusdem Clementis. Item B. Petrus Thomas Episcopus Pactensis, ut in vita ejus pag. 19. testatur Carmessonius. Vide etiam Odonem Gisseyum in loco paulò antè laudato. Addit Franciscus Duchesnius in historia Cancellariorum Franciæ pag. 311. ejus funeri prætereà interfuisse octo Archiepiscopos, sex Episcopos, & plurimos Abbates, Comites, & magnates. Sed unde illud acceperit non indicat.

MONAST. MONTIS MAIORIS] cujus tum Abbas erat Jaubertus de Livrono nobilis Lemovicensis, factus Abbas illius monasterii ab Innocentio VI. literis datis apud Villamnovam Avinionensis diocesis VIII. Idus Iulii anno primo, cùm anteà esset Abbas sancti Andreæ Avenionensis. Testamentum condidit anno MCCCLXI. die XIII. Iunii, in quo jussit corpus suum, quandocunque ipse rebus humanis excessisset, sepeliri in proximo sancti Andreæ monasterio juxta fratrem.

P. 313. COMITATUM LUCEMBURG.] Albertus Argentinensis ad annum MCCCLIV. *Post hæc venit Rex ad civitatem Metensem; ubi honorificè receptus, multis ibi diebus permansit, faciens ibi ex comitatu Lutzelburgensi ducatum.*

DUO FRATRES MINORES] Hi fuere Ioannes de Castellione & Franciscus ab Arquata, ut patet ex iis quæ refert Odoricus Raynaldus an. 1354. §. 31. Confessionem Ioannis ante vivicomburium, quæ est admodum contumeliosa in Pontifices Romanos illorum temporum. refert Henricus de Knyghton lib. 4. de eventibus Angliæ pag. 2610. Vide etiam Walsinghamum ad an. 1354. Diversi ergo sunt isti ab iis duobus quos sub Innocentio VI. crematos ait Avenione Nicolaus Eymerici in Directorio Inquisitorum quæst. 38. ubi nominantur frater Mauritius & frater Ioannes de Narbona.

DUCES BORB. ET LENCASTR.] Vide Froissartum vol. 1. cap. 154. & quæ nos suprà pag. 873. retulimus ex archivo regio Parisiensi. P. 314.

BLANCHAM] filiam Petri Ducis Borbonii & Isabellæ Valesiæ sororis Philippi VI. cognomento Valesii Regis Francorum. Vide Froissartum vol. 1. cap. 230. & Marianam lib. 16. rer. Hispan. cap. 17. 18.

PRÆLATOS FUGERE] inter quos P. 316. in primis memoratur Ægidius Carillius Albornozius Archiepiscopus Toletanus. Vide Marianam eod. lib. 16. cap. 18.

GUILLELMUM IUDICIS. De hac Guillelmi legatione in Castellam mentio clara & aperta est in literis quas tum Papa Innocentius VI. scripsit ad Petrum Regem, quas ad an. 1354. §. 38. edidit Odoricus Raynaldus. Sed Legatus (ut ex Ptolomæo Lucensi seu potiùs ex hoc nostro scriptore vitæ Innocentii ait Rodericus Santius par. 4. cap. 14. rer. Hispan.) Regem inflexibilem reperiens, parum profecit. Mansit tamen apud Regem per biennium, ut apparet ex Odorico Raynaldo an. 1356. §. 37. & an. 1357. §. 9. & sequenti. In codice sermonum Ioannis de Cardalbaco Patriarchæ Alexandrini extat *sermo in festivitate ascensionis Domini in sancto Iacobo quando ibi celebravit coram Domino G. Cardinali apostolicæ sedis Legato in Yspaniis anno Domini MCCCLVI. per eundem Dominum Patriarcham factus.*

TRES NATURALES FRATRES] Henricus Dux Trastamaræ, Tellius, & Sancius, ut docent Froissartus vol. 1. cap. 230. & Rodericus Santius par. 4. rer. Hispanic. cap. 17.

INCENDIUM TERRIBILE] Hanc cladem auctor Patriarchii Bituricensis pag. 127. revocat ad annum MCCCLIII.

IN BURGO CARCASSONÆ] Vide P. 317. Froissartum vol. 1. cap. 154.

PETRUS REX ARRAGON.] Vide Suritam lib. 3. Indic. ad an. 1356. & Odo- P. 318. doricum Raynaldum an. 1355. §. 23. & seq.

INTRAVIT ITALIAM] Extant apud Petrarcham lib. 10. rer. familiar. epist. 1. & lib. 12. epist. 1. literæ ejus quibus Karolum hortatur ut in Italiam proficiscatur. Tum lib. 19. epist. 1. ei gratulatur de adventu ejus in eam regionem. Vide Matthæum Villanium lib. 4. cap. 56. 71. historiam Cortusiorum.

lib. 11. cap. 1. & seq. Claramontium pag. 594. historiæ Cæsenatis, & chronicam Bossianam an. 1355.

De coronatione ejus vide Matthæum Villanium lib. 5. cap. 2. historiam Cortusior. lib. 11. cap. 4. Henricum Rebdorffium an. 1355. Odoricum Raynaldum an. 1355. §. 3. & seqq. & librum ceremoniarum Augustini Patricii editum à Christophoro Marcello Archiepiscopo Corcyrensi fol. 28.

De Imperatrice uxore ejus vide Matthæum Villanium lib. 4. cap. 56. histor. Cortusior. lib. 11. cap. 3. & Odoricum Raynaldum anno 1355. §. 3.

PETRVS BERTRANDI] Descriptio itineris ejus Romam proficiscentis extat apud Philippum Labbeum to. 2. novæ bibliothecæ MSS. librorum pag. 354. & inter probationes historiæ Cardinalium Gallorum pag. 345. ubi etiam habentur multa vetera monumenta ad hanc historiam pertinentia. Vide etiam Albertum Argentinensem pag. 163. qui notat hunc Cardinalem Avenione discedentem flevisse, timentem videlicet ne amplius Papam & Cardinales videret. Porrò illi Mediolanum ingredienti obviam venisse Petrarcham ipse testatur in epistola 29. variarum.

IN ALAMANNIAM REDIIT] Quod displicuit Petrarchæ, qui lib. 19. rer. familiar. epist. 12. eum discedentem de Italia increpat. Et lib. 23. epist. 15. illum hortatur ut eam repetat.

HABVIT RVMOREM] Progenies enim eorum qui vocantur de Gambacurta de occisione ipsius Imperatoris & suorum cogitavit, ut docet Henricus Rebdorffius.

LEGES EDIDIT] Extant apud Goldastum to. 1. constitutionum imperial. pag. 350. & in codice 751. bibliothecæ Colbertinæ. Vide Henricum Rebdorffium ad an. 1356.

FESTVM DE LANCEA] Bullam Innocentii VI. de ea re editam invenies apud Gretserum pag. 78. syntagmatis de insignibus imperii reliquiis. Vide etiam eundem Rebdorffium ad an. 1350. 1352. & 1361. Bzovium an. 1350. §. 14. & Odoricum Raynaldum an. 1354. §. 18. & an. 1361. §. 2.

P. 329. KAROLVS DE HISPANIA] *cujus parentela*, ut ait continuator Nangii in tomo XI. Spicilegii Dacheriani, *olim à radice sanguinis Regum Francorum processerat*. Erat enim nepos Blanchæ filiæ sancti Ludovici, quæ anno MCCLXIX. nupserat Ferdinando cognomento de Cerda filio Alfonsi X. Regis Castellæ. Obiit ille anno MCCLXXV. liberos ex Blancha relinquens Alfonsum & Ferdinandum, qui cognomen de Hispania acceperunt. Alfonsus Ferdinandi filius primò fuit Canonicus sancti Quintini & Archidiaconus Parisiensis, ut patet ex eodem continuatore Nangii pag. 722. & 724. & ex Claudio Hemeræo in Augusta Viromanduorum illustrata pag. 268. Extinctus est autem anno millesimo CCCXXVII. ut docet idem continuator his verbis: *Hoc anno Dominus Alfonsus de Hispania ex clerico & Parisius Canonico nuper factus Miles ex infirmitate quam in Vasconia acceperat apud Gentiliacum juxta Parisius in domo Comitis Sabaudiæ moritur, & apud Prædicatores Parisienses ecclesiastica traditur sepulturæ.* Ex hoc Alfonso prognati sunt hic Karolus & Ludovicus Princeps insularum fortunatarum de quo suprà pag. 913. dictum est. Nutritus fuerat Karolus cum Rege Francorum Ioanne, ut Matthæus Villanius tradit lib. 3. cap. 95. *accresciuto dalla infanzia in compagnia del re Giouanni di Francia.* Id ipsum testatur ipse Ioannes in litteris quibus Engolismensem comitatum dedit Karolo, quæ extant in regesto LXXXI. archivi regii Paris. cap. 464. in quibus ita scriptum est: *Ea propter notum facimus universis tam præsentibus quàm futuris quod nos attendentes devotionis, fidei, & fidelitatis probatæ constantiam, necnon prudentiam & provida circumspectionis industriam carissimi consanguinei nostri Karoli de Hispania, qui de stirpe regalium prædecessorum nostrorum noscitur descendisse, & nobiscum pueritiæ incrementa suscepit, grata & accepta servitia &c.* Ob illam causam valde carus erat Regi, ut ait idem Villanius in loco paulò antè laudato, *& il Rè gli mostrava singulare amore.* Item lib. 6. cap. 24. *à cui il Re, secondo il volgo, havea portato disordinato amore.* Continuator Nangii pag. 818. *Multùm dilectus à Rege Franciæ Iohanne erat, & familiaris fuerat valde.* Factus ab eo fuerat Conestabularius anno MCCCLI. mense Ianuario, ut refert Froissartus vol. 1. cap. 153. qui cap. seq. agit de cæde ejus. Liberos legitimos non reliquit. Spurium reliquit nomine Carolum, de quo ista leguntur in quæstione 298. Ioannis Galli: *Dominus Carolus d'Espaigne filius quondam bastardus immo spurius quondam Domini Caroli d'Espaigne, qui fuerat legitimatus & per Regem & per Papam, fuit gardiatus per arrestum in possessione & saisina bonorum quondam dicti patris sui contra Dominam de Narbona, quæ erat de jure communi heres legitima dicti quondam Domini.*

In tomo quarto historiæ Vniversitatis Paris. pag. 329. ista afferuntur ex veteri codice: *Facta congregatione generali apud S. Mathurinum in die Priscæ virginis super missione & sigillatione litteræ quam Vniversitas debebat mittere Regi Navarræ super responsione supplicationis quam Vniversitas debuit facere coram Rege Franciæ super interfectione Constabularii Regis Franciæ, deliberaverunt omnes facultates quòd placeret eis sigillatio & missio, dummodo*

hoc vocabulum (Rector) deponeretur.

Nescio autem an ex eadem stirpe, an verò ex alia, prodierit Arnaldus de Hispania Vicecomes Conseranensis, qui unà cum conjuge sua *Philippa sorore Comitis tunc Fuxensis* fundavit anno MCCCIX. monasterium fratrum Prædicatorum in oppido sancti Geruntii, ut testatur Bernardus Guidonis in historia ejusdem monasterii. Ex quo interim loco patet Philippam fuisse sororem Gastonis I. Comitis Fuxensis, adeoque filiam Rogerii Bernardi, non verò Rogerii IV. Comitis Fuxensis, ut existimavit Oihenartus in Notitia Vasconiæ pag. 551.

COMITE DE HARICVRIA] Ioanne, ut patet ex Froissarto vol. 1. cap. 154. 156. Quare errare videtur continuator Nangii pag. 818. scribens illum vocatum fuisse Philippum de Navarra, & vocans eum fratrem prædicti Regis Navarri. Sed error iste ortus est ex prava interpunctione. Sic ergo illic legendum & interpungendum est: *Ad hoc factum fuerunt præsentes Comes de Haricuria qui tunc erat, Philippus de Navarra frater prædicti Regis Navarræ.*

P. 330. REGE CAPTIVATO] Petrarcha lib. 15. rer. familiar. epist. 7. *Quis unquam divinasset Galliarum Regem in Britannico carcere victurum, fortè etiam moriturum. Iam certi de carcere, de fine suspensi sumus.* Vide Froissartum vol. 1. cap. 158. & seqq.

P. 331. TERRÆ MOTVS] Vide Albertum Argentinensem pag. 164. qui illum terræ motum addit advenisse circa Vesperas.

PETRVM DE FORESTA] Absens erat eo tempore quo factus est Cardinalis. Itaque Talayrandus & Nicolaus de Capocia Cardinales, qui cum legatione sedis apostolicæ fungebantur in Gallia, obtinuere ab Innocentio uti pileum rubeum ad eum mitteret. *Odoricus Raynaldus anno* 1356. §. 41. *an.* 1357. §. 2. Errat vehementer auctor historiæ Vniversitatis Parisiensis scribens to. IV. pag. 320. illum ab episcopatu Parisiensi translatum esse ad Magalonensem, eundemque esse fundatorem collegii quod sub nomine Magalonæ fundatum est per eas tempestates apud Tolosam. Confundit itaque hunc Petrum cum Audoyno Alberti Cardinale Magalonensi, qui antea fuerat Episcopus Parisiensis.

HELIAM DE S. AREDIO] vulgò *Saint Trieix* apud Lemovices. Ortus enim erat è loco qui olim Attanum, hodie oppidum sancti Aredii nuncupatur.

Fuit primò monachus ordinis sancti Benedicti. Postea Benedictus XII. ei commisit regimen monasterii sancti Florentii Salmuriensis anno MCCCXXXV. mense Iunio, & die XXII. sequentis mensis Septembris ejus possessionem adeptus est. Tum reperio eum aliqua potestate instructum in cancellaria sedis apostolicæ, id est, literarum contradictarum Domini Papæ auditorem fuisse. Etenim Ægidius Bellameta in cap. *Prudentiam.* de mutuis petition. quærens an valeat rescriptum apostolicum impetratum ab eo qui trahitur extra propriam diœcesim, ait collectarium respondisse valere. *Et sic servatum fuit*, inquit, *magno tempore in cancellaria, etiam per Dominum Vticensem tunc Abbatem sancti Florentii, & quòd Dominus Ebredunensis auditor literarum contradictarum Domini Papæ auditor sic pronuntiaverat.* Idem in cap. *Delecti.* de dilationib. refert judicium ejusdem de citatione nimis arcta his verbis: *Secus tamen si citatus ante diem citationis solùm de hoc conquereretur quòd citatio esset nimis arcta. Dicit enim quòd hoc casu vidit determinari per Dominum Vticensem & alios quòd ante diem citationis non poterat hoc proponi.*

Illum Clemens VI. anno MCCCXLV. promovit in Episcopum Vceticensem.

Anno MCCCLI. mense Novembri interfuit Concilio quod Petrus de Iudicia Archiepiscopus Narbonensis celebravit in Ecclesia cathedrali Biterrensi, quod editum est in codice Conciliorum Galliæ Narbonensis.

Anno MCCCLVI. die XXIII. Decembris factus est Presbyter Cardinalis sancti Stephani in Cœlio monte.

Anno MCCCLVII. fuit cum aliis quibusdam Cardinalibus constitutus judex in causa quam Richardus Armachanus movit adversùm religiosos mendicantes, ut patet ex appendice defensorii Curatorum.

Eodem anno Innocentius VI. ei commisit examen controversiæ quæ erat inter Ludovicum Episcopum Valentinum & Aimarum de Pictavia propter Cristam oppidum. *Ioa. Columbi in Episc. Valentin. nu.* 44.

Anno MCCCLXIII. factus est Episcopus Ostiensis post mortem Audoyni Alberti.

Illum Vrbanus V. constituit judicem litis quæ tum propter jurisdictionem erat inter capitulum Ecclesiæ Parisiensis & capitulum Ecclesiæ collegiatæ sancti Benedicti. *Bellamera in cap.* Cùm olim. *De testib.*

Mortuus est Avenione anno MCCCLXVII. die decima Maii, sepultus in Ecclesia cathedrali, ubi etiamnum conspicitur ejus sepulcrum. Falluntur enim qui eum apud Franciscanos Avenionenses sepultum tradunt. Qui error ex eo profectus est quòd hunc Heliam confundant cum Helia de Nabilanis Presbytero Cardinale tituli sancti Vitalis.

Adnotant Sammarthani in catalogo Episcoporum Vceticensium Ferdinandum Vghellum primum omnium, rejecta opinione Ciaconii, distinxisse hos duos Cardinales. Quod verum non est. Etenim diù antè Ferdinandum istud observatum fuerat à Vvaddingo an. 1342. §. 5.

FRANCISCUM DE TUDERTO] Fuit ille primò Episcopus Corsiensis, & hinc translatus anno MCCCXLVIII. XV. Kal. Octobris ad Ecclesiam Clusinam, è qua transiit ad Cassinensem anno MCCCLIII. die XV. Iunii, ut docet Ferdinandus Vghellus. Postea Innocentius VI. illum anno MCCCLV. migrare jussit ad Florentinam, cùm Angelum Acciaiolum è Florentina transtulisset ad Cassinensem. Quare certus error est Vghelli asserentis hunc Franciscum anno MCCCXLV. promotum fuisse ad Ecclesiam Florentinam. Nam cùm constet eum factum esse Cardinalem ex Episcopo Florentino, ac propterea dictum Cardinalem Florentinum, consequens est eam Ecclesiam fuisse postremam ex iis quas occupavit ante cardinalatum. Factus est autem Presbyter Cardinalis tituli sancti Marci anno MCCCLVI. die XXIII. Decembris. Ex quo colligitur falsum esse quod ait Augustinus Oldoinus in to. 2. hist. summorum Pontificum & Cardinalium pag. 533. illum sanctè administrasse Ecclesiam Florentinam annis undecim. Obiit autem anno MCCCLXI. die quarta Septembris apud Pontem Sorgiæ haud procul Avenione. Ex quo rursum intelligi datur errare Vghellum to. 2. Ital. sac. pag. 739. & to. 3. pag. 1033. ubi scribit illum obiisse anno MCCCLV.

Eo tempore quo regebat Ecclesiam Clusinam scripsit tractatum de quarta canonica piorum legatorum debita Episcopo, cujus exemplum se vidisse testatur Oldoinus. Ejusdem duo vetera exemplaria MSS. extant in codicibus 765. & 2672. bibliothecæ Colbertinæ. Secundum exemplar scriptum est antè quàm è Clusio migraret. Sic enim illic legitur: *Ego Franciscus Episcopus Clusinus indignus & decretorum Doctor minimus, prædicta omnia putans esse vera de jure, scripsi & ex Doctorum scriptis collegi, ne curiosi, de quibus in principio dixi, asserentes me quartam indebitè petere, injustè lacerent famam meam; quam si negligerem, crudelis essem &c.* Primum scriptum ac recusum esse necesse est post adeptam dignitatem cardinalatus, cùm in eo ita legatur: *Ego Franciscus Episcopus Clusiensis olim, nunc sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis indignus, & decretorum Doctorum minimus, prædicta &c.* ut suprà. Citat hoc opus Baldus de Perusio consil. 134. his verbis: *Et istud relictum, licèt sit factum ex quadam devotione, non tamen est ad pias causas. Et sic nec ratione personarum nec ratione causæ Episcopus debet habere quartam, licèt Cardinalis de Tuderto dixerit contrà, & malè.* Citat etiam, sed ex auditu tantùm, Abbas Panormitanus par. 1. consil. 57. ubi loquitur de eadem quarta. *Et idem*, inquit, *dicitur tenuisse quendam Cardinalis de Tuderto in quodam suo tractatu.*

Anno MCCCLII. Francisco tum Episcopo Clusino & Philippo Ferrariensi Clemens VI. imposuit onus revocandæ concordiæ inter Karolum Delphinum Viennensem & Amedeum Comitem Sabaudiæ. *Odericus Raynaldus anno 1352. §. 19.*

Fuisse illum majorem Pœnitentiarium Ecclesiæ Romanæ patet ex tomo VI. Spicilegii Dacheriani pag. 494. & ex Ioanne Aventino pag. 796. prioris editionis.

Anno MCCCLIX. delegatus ab Innocentio VI. tulit mense Octobri sententiam pro Archiepiscopo Rigensi adversus Theutonicos beatæ Mariæ milites, qui bona nonnulla illius Ecclesiæ occupaverant. *Bzov. anno 1359. §. 16.*

Anno MCCCLX. cùm Petrus Archiepiscopus Viennensis gradu motus fuisset ab eodem Innocentio, Ecclesiæ Viennensis administratio data est ad beneplacitum apostolicæ sedis Francisco tituli sancti Marci Presbytero Cardinali. *Bzov. an. 1360. §. 3.* Postea, cùm iste extinctus esset, ea administratio tradita est Ludovico de Villars Episcopo Valentinensi & Diensi, ut constat ex regesto Karoli V. in archivo regio Parisiensi.

Fratrem habuit Andream Episcopum Tudertinum. Quo factum est ut iste à Matthæo Villanio lib. 7. cap. 46. & lib. 10. cap. 71. vocatus sit per errorem Andreas.

PETRUM DE MONTERUCO] Primus omnium Petrus Frizonius contra veterum monumentorum fidem, ut rectè observavit Ioannes Columbi in libro quarto de rebus gestis Episcoporum Sistaricensium, hunc Cardinalem nepotemque ejus Raynulphum scripsit vocatos fuisse de Selva, quos certò constat nuncupatos fuisse de Monteruco. Ego illum in eam indiligentiam abreptum propterea puto quòd cùm videret Petrum vocari Cardinalem Pampilonensem, sciret autem iisdem temporibus floruisse in curia Romana virum doctissimum Martinum de Salva Cardinalem Pampilonensem, Martinum & Petrum in unum hominem conflavit per incogitantiam potiùs quàm per errorem. Certum est ergo Monterucos nullatenus pertinere ad gentem Salvarum.

Petrus de Monteruco ortus est in Lemovicibus è Donzenaco modico provinciæ oppido inter Brivam & Vsercam, in ea scilicet parte ejusdem oppidi quæ etiamnum vocatur castrum, quia illic situm erat castrum gentis de Monteruco, in quo hic Petrus natus est è sorore Innocentii VI. Papæ. Manent adhuc parietinæ illius castri, in primis verò elegantissimæ cellæ vinariæ subterraneæ; eæque adjacent horto qui hodieque vocatur de Seperia, quia pertinuit olim ad gentem istius nominis, quæ protulit virum insignem Petrum

de Seperia Canonicum Ebroicensem clarum honoribus, iis etiam quos recusavit, episcopatibus videlicet Albiensi & Lemovicensi, ut docet Bernardus Guidonis in catalogo Episcoporum Lemovicensium. Nescio autem, ut illud quoque obiter dicam, annon ejus sit liber de oculo morali, qui in codice 3237. bibliothecæ Colbertinæ dicitur *editus à magistro P. La Sepieyra gravissimo philosopho nec non sacra theologia magistro de prope civitatem Lemovicensem ortundo in ulteriore Gallia qua versus plagam respicit occidentalem.* Libri istius aliud exemplar extat in codice 1748. ejusdem bibliothecæ.

Petrus Cardinalis de Monterneo fratrem habuit Stephanum, sororem nuptam Domino de Gorsa XII. M. P. à Tutela; è quibus orti sunt Ioannes Gorse Decanus Ecclesiæ Arlebecensis & Catharina, uterque nominatus in testamento Petri Cardinalis. Stephanus genuit Ioannem, qui primogenitus ejus vocatur in testamento Petri Cardinalis, Stephanum, Petrum, Raynulphum Cardinalem, Hugonem Episcopum Agathensem, & Margaritam monialem in monasterio sanctæ Catharinæ Avenionensis. Stephanus istius nominis secundus uxorem habuit Margaritam dominam castri de Meansse in diœcesi Nivernensi, ex qua prognata est Catharina nupta anno MCCCCVI. viro nobilissimo Reginaldo de Rofinhaco. Petrus, quem primò fuisse clericum colligi potest ex quæstione 20. Ioannis Galli, prolem unicam habuit Mariam de Montetuco nuptam anno MCCCCXVI. nobili Lemovicensi Francisco Guillerio, vulgò *Guillon*. Ex eo matrimonio orti sunt Bertrandus, Antonius Abbas Bellilocensis in diœcesi Lemovicensi, Charlota & Maria. Bertrandus Guillerius dominus Tilii, Pougeti, & Lavalli habuit in matrimonium Charlotam de Cosagiis, ex qua suscepit Franciscum & Dionysium Martialem. Dionysius Martialis vinculo jugali sociatus est an. MDII. die XXVII. Septembris cum Maria de L'Estang filia Ioannis de L'Estang domini de L'Estang & du Vialar & Susannæ de sancto Martiale, quæ genus suum referebat ad Petrum de sancto Martiale patrem Hugonis de sancto Martiale Cardinalis. Ea porrò conditio adjecta est contractui matrimonii Dionysii Martialis & Mariæ, ut qui ex iis nascerentur, vocarentur ex nomine matris, ejusque insignia gentilitia sumerent. Itaque Stephanus eorum filius vocatus est Stephanus de L'Estang. Erat ille etiam dominus de L'Estang & du Vialar, ac præterea fuit Præses in præsidiali curia Brivensi & Prætor ejusdem urbis. Habuit autem fratres Ioannem, Petrum, & Martialem. Vxor ejus fuit Aloysia de Iuyé filia Antonii civis Tutelensis domini de Marqua, quæ proaviam habuit Margaritam sororem Ioannis de Salva primi Præsidis parlamenti Parisiensis. Genuit Stephanus Antoninm Præsidem infulatum in parlamento Tolosano, qui obiit absque liberis, Leonardum, Christophorum Episcopum Carcassonensem, Antoniam nuptam Guilelmo Polvetello matrem Stephani Episcopi Alectensis, & Ioannam nuptam Francisco de Maynard Prætori Brivensi. Francisci & Ioannæ liberi fuere Christophorus de Maynard de L'Estang Consiliarius in parlamento Tolosano, ad quem pervenit hereditas Antonii & Christophori de L'Estang, Antonius nominatus Episcopus Lodovensis, & Honorata uxor Petri de Fenis domini Tilii & Pradæ, Præsidis in præsidiali curia Tutelensi, & Prætoris ejusdem urbis. Nunc redeamus in viam.

Petrum de Monteruco sororis suæ, ut antea diximus, filium Innocentius VI. constituit Episcopum Pampilonensem anno MCCCLVI. quo extinctum fuisse Arnaldum de Barbazano tradit Sandovallius. Nunquam fuit consecratus. Et ideo nullam illius mentionem facit idem Sandovallius. Denique anno eodem Innocentius eum creavit Presbyterum Cardinalem tituli sanctæ Anastasiæ & anno millesimo CCCLXI. S. R. E. Vicecancellarium. In codice 844. S. Victoris Parisiensis, in titulo regularum cancellariæ datarum per Vrbanum V. ita legitur: *Ordinavit idem Dominus noster Vrbanus Papa V. VI. Idus Novembris, pontificatus sui anno primo, voluit, & mihi Petro Pampilonensi Vicecancellario præcepit quòd omnes petitiones signata per Dominum Innocentium prædecessorem suum de quibuscunque gratiis sive privilegiis, præterquàm expectationum & dispensationum in beneficialibus, sub nomine suo expediantur & bullentur.* Et paulò pòst: *Item idem Dominus noster Vrbanus commisit mihi P. Pampilonensi Vicecancellario III. Idus Novembris quòd committerem alicui potestatem recipiendi resignationem beneficiorum à volentibus resignare & in forma pauperum impetrandi. Quod concessi Abbati sancti Michaelis de Clusa eadem die.* Non fuit ille Episcopus Ostiensis, ut eum vocat Cherubinus Ghirardaccius lib. 23. hist. Bonon. pag. 238. eum confundens cum Petro Bertrandi juniore. Emendavit hos titulos Cellus Faleo lib. 4. hist. Bonon. pag. 377. ubi loquens de literis illic à Ghirardaccio editis, quas constat esse Petri Cardinalis Ostiensis, ait illas scriptas esse à Petro de Monteruco Cardinale S. Anastasiæ & Episcopo Pampilonense. quod falsum est.

Eundem fuisse Præpositum Ecclesiæ Tornacensis docet sequens scriptum exceptum ex inventario archivi Episcopi Tornacensis: *Instrumentum publicum quo cavetur quòd quidam Dominus Stephanus de Neboufac Thesaurarius ac Canonicus Ecclesia S. Petri Insulensis, qui*

de Domino tunc Comite Flandrensi malè & indiscretè locutus fuerat in pleno capitulo dictæ Ecclesiæ dicendo quod Decanus & capitulum dictæ Ecclesiæ non habebant curare de scripturis dicti Domini Comitis nec ipsas in aliquo timere, quia Dominus Cardinalis Pampilonensis eorum & dictæ Ecclesiæ tunc Præpositus non plus crederet literis & scripturis dicti Domini Comitis quàm minoris garcionis hospitii sui, supplicavit Domino Philippo tunc Episcopo Tornacensi quatenus pro se apud dictum Dominum Comitem intercedere vellet ut ipse Dominus Comes hujusmodi verba sibi Thesaurario indulgeret. quod instrumentum est in data anni MCCCLXVI. *dies* XII. *mensis Novembris.*

Anno MCCCLXVII. Vrbano V. Romam proficiscente, Petrus remansit Avenione cum tribus aliis Cardinalibus, seu, ut alii scribunt, cum quatuor, ut dicemus infrà.

Habebat Petrus ob oculos magnum exemplum amoris literarum & caritatis in eos qui illarum studiis dediti sunt, editum ab Innocentio VI. avunculo suo: qui, uti postea videbimus, Tolosæ condidit celeberrimum sancti Martialis collegium, in quo esse perpetuò voluit viginti scholasticos utrique juri daturos operam. Incessit itaque & istum ambitio sequendi tam illustre exemplum. Eam ob causam acquisivit Tolosæ unam domum & trecentas libras Turonenses annui & perpetui redditus in senescallia Tolosana, quas Karolus V. Rex Francorum admortizavit literis datis anno MCCCLXXV. mense Novembri. Ex extant in regesto CVIII. archivi regii Paris. cap. 116. Denique collegium illud fundavit in honorem sanctæ Catharinæ, quod ex nomine suo vocari instituit domum collegii scholarium Petri Cardinalis Pampilonensis. Sic enim ille vulgò vocabatur.

Eodem exemplo Petrus fundationi duodecim Cartusianorum conventualium cum uno Priore & reliquis necessariis, quam idem Papa Innocentius fecerat apud Villamnovam, totidem addidit, & congruas cellas ædificavit. Extant hujus rei testes literæ ejusdem Petri datæ apud Villamnovam anno millesimo CCCLXXII. die tertia mensis Ianuarii.

Anno MCCCLXXV. III. Non. Octobris Gregorius XI. stabiliens & statuens collegium Petragoricense Tolosæ juxta mentem Talayrandi Cardinalis, qui testamento caverat de eo fundando, huic tamen Petro Cardinali tituli sanctæ Anastasiæ & Ioanni de Crosso Cardinali sanctorum Nerei & Achillei facultatem dedit faciendi ordinationes & statuta pro bono regimine & felici stato ac utili domus & collegii prædictorum, dummodo non sint contraria statutis à se conditis.

In antiquis decisionibus Rotæ Romanæ adnotatum est hunc Viceccancellarium in domo sua die sequenti nativitatis Domini, scilicet die sancti Stephani, post prandium, anno Domini MCCCLXXV. mandavisse expressè Auditoribus Rotæ ut si aliqua commissio alicujus causæ esset commissa duobus Auditoribus, quòd ille cognosceret de causa cui dicta commissio primò esset præsentata, quòd notarii dictorum Auditorum facerent scripturas gratis pauperibus litigantibus, & ut Auditores qui volunt habere consilia circa causas eis commissas pro justitia ministranda, bene & perfectè & non perfunctoriè videant processus causarum eorum ex quibus eliciunt dubia in quibus volunt habere consilia.

Anno MCCCLXXVI. Gregorius XI. decrevit iter Romanum. Petrus verò prætexens gravem morbum non excessit Avenione. Quam ob rem commotus adversùs eum Gregorius statuerat illum privare dignitate Vicecancellarii illamque in alium transferre, Sed remisit ad preces Karoli V. Regis Francorum. *Ex epistola Gregorii XI. ad Regem.* Itaque Gregorius eam curam commisit Bartholomæo Archiepiscopo Barensi, ut tradit Iacobus de Seva in facto misso ad Vniversitatem Parisiensem super electione Vrbani VI. in veteri codice MS. sancti Victoris Parisiensis: *Tum quia ipse Dominus Barensis Archiepiscopus erat in scientia, in sufficientia, & valde practicus, doctus, & instructus de antiquo in causis & negotiis Romanæ curiæ, & fuit & erat ipsis Cardinalibus omnibus ab antiquo notus & familiaris, ac factus, capellanus, ac satis familiaris, & domesticus Cardinalis Pampilonensis Vicecancellarii Romanæ curiæ, qui erat & est de natione Lemovicensi. Tum quia loco & in absentia ipsius Cardinalis Vicecancellarii præfatus Gregorius Papa, dum fuit in partibus Italiæ, ipsum tunc Barensem Archiepiscopum posuit & præfecit in locum dicti Cardinalis Pampilonensis ad gubernandum offitium cancellariæ ipsius Domini Papæ & Romanæ curiæ, & idem officium, tanquam confidens de ipso & ipsius sufficientia, eidem tunc Barensi Archiepiscopo tanquam locumtenenti dicti Cardinalis Pampilonensis Vicecancellarii plenariè commisit.* Eadem tradit Theodoricus à Niem lib. I. de schismate cap. 2. Et cùm postea Gregorius obiisset, & in loco ejus positus esset Bartholomæus Archiepiscopus Barensis, qui fuerat olim in familia Petri, quamquam Petrus in schismate contrarius ei esset, ut ostendemus infrà, noluit tamen Bartholomæus, dictus Vrbanus istius nominis sextus, eam dignitatem declarare vacantem, nec eam alii dare, sed eam regi voluit per Raynulphum de Monteruco nepotem Petri. Sic enim legitur in vetustissimo registro cancellariæ apostolicæ: *Finis unius libri cancellariæ apostolicæ Domini nostri Papæ de mandato Reverendissimi*

Patris & Domini Domini Ramnulphi tituli sanctæ Potentianæ dignissimi Presbyteri Cardinalis regentis officium cancellariæ præfatæ in absentia Reverendissimi Patris Domini Domini Petri tituli sanctæ Anastasiæ Presbyteri Cardinalis Vicecancellarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ per me Theodericum de Nyem abbreviatorem & subscriptorem litterarum apostolicarum fideliter extracti de libro cancellariæ præfatæ non modica vetustate corroso. Et infrà: *Nos Ramnulphus miseratione divina tituli sanctæ Potentianæ Presbyter Cardinalis regens officium cancellariæ sanctæ Romanæ Ecclesiæ de mandato sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri Domini Vrbani divina providentia Papæ sexti &c.* Ceterùm ex his quæ à nobis dicta sunt facilè colligi potest errare Frizonium in Gallia purpurata pag. 87. ubi scribit Gregorium XI. Romam abeuntem jussisse ut Petrus de Monteruco Cardinalis tituli sanctæ Anastasiæ, quem secat in duos, remaneret Avenioni.

Petrus Frizonius in Gallia purpurata pag. 385. ait Cardinalem de Turrecremata in epistola ad omnes Christi fideles notare Gregorium XI. demandasse provinciam examinis revelationum sanctæ Brigittæ Cardinalibus de Agrifolio, Monrisimajoris, & de Luna, necnon Petro de Selve Episcopo Pampilonensi referendario suo. Ex quo colligi facilè posset istud referendum esse ad Petrum de Monteruco Cardinalem, quem idem Frizonius, ut antea diximus, falsò vocat de Selve, nisi admoneremus nullam illius mentionem factam esse à Cardinale de Turrecremata, sed Martini de Salva Doctoris utriusque juris & Episcopi Pampilonensis.

Obiit Avenione anno MCCCLXXXV. die trigesima Maii, sepultus apud Cartusianos Villænovæ. Magnum porrò dolorem ex ejus morte concepisse Papam Clementem VII. ex eo colligi potest quòd Ioannes Fabri Episcopus Carnotensis adnotat in suo diario non potuisse se & ceteros Mariæ Reginæ Siciliæ consiliarios adire ad eum propter mortem Cardinalis Pampilonensis: *Mardy XXX. jour nons ne peusmes parler au Pape pour la mort du Cardinal de Pampelune.*

Fuit Petrus vir notæ pietatis, ut etiam colligi potest ex ejus epitaphio. Afferam tamen insignem locum ex libro de vita beati Petri de Luxemburgo scripta ab auctore coætaneo & domestico; in quo ille, ut ostenderet electionem Clementis VII. canonicam ac legitimam fuisse, ait in capite XXV. *Quis enim ausu temerario asserere conabitur Reverendissimos sanctæ memoriæ Patres Petrum Pampilonensem & Anglicum Albanensem illustres quondam Gardinales schismaticos extitisse, viros utique justitiæ atque sanctitatis, qui usque ad agonem sub Domino Clemente triumpharunt, eundem verum in mortis articulo profitentes apostolicum. Absit autem quòd in fine immemores extiterint suæ salutis, qui hodie præfulgidis resplendent miraculis gloriosis.*

Sanè continuator Gallicus Nangii agens de declaratione solenni adversùs Vrbanum VI. missa à Cardinalibus qui erant Anagniæ ad eos qui remanserant Avenioni, ait istos illam in omnibus approbasse ac prohibuisse ne quis Vrbano obediret; excepto Cardinale Pampilonensi, qui adhuc sibi deliberandum censuit, postea tamen ceteris consensit; *excepté le Cardinal de Pampelonne, qui encores y volt deliberer, mais encore se consenti avec les autres.* Rectè. Habemus enim epistolam autographam ab ipso scriptam ad Comitem Flandriæ quæ id testatur. Præterea extat in codice Harlæano depositio ejusdem Cardinalis Pampilonensis, ex qua etiam colligitur verissimum esse quod memoriæ prodidit continuator Nangii. Sic enim legitur in ea depositione: *Item dixit quòd postquàm Cardinales fuerunt in Anagnia, & fuit divulgatum istud, quòd electio esset facta per impressionem, iste Cardinalis non adhibuit fidem statim, imò fuit per magnum spatium in opinione contraria & in errore. Nam dicebat ipse: Quomodo Cardinales scripserunt, quomodo fecerunt tales actus, & modo asserunt oppositum? Et diutiùs conferebat donec venit Episcopus Pampilonensis, quem reputat hominem bonæ conscientiæ & magnæ scientiæ. Et stetit cum ipso Cardinale conferendo bene per XX. dies donec amovit dubia quæ habebat circa istud, & respondebat juribus quæ iste allegabat pro parte contraria. Et post venerunt quatuor Cardinales de partibus Italiæ, à quibus fuit etiam informatus. Sed non obstante hoc ipse misit ad Cardinales Italicos rogando eos quòd scriberent sibi illud quod videbatur eis de isto facto. Et prima vice scripserunt quòd adhuc non erant plenè informati. Et iterum misit ad eos quòd placeret scribere quid sentiebant. Finaliter nihil voluerunt sibi scribere. Et quando iste vidit quòd illi differebant respondere, & vidit intentiones Dominorum Cardinalium qui fuerunt præsentes & illius Episcopi Pampilonensis, ipse tenuit id quod tenet hodie de credulitate quòd iste est verus Papa & alius est intrusus.*

Antè tamen quàm Cardinales decernerent electionem Vrbani non esse bonam, Cardinalis Pampilonensis eum tractabat ut Papam. Habemus id ex depositione fratris Alfonsi de Melide tertii ordinis sancti Francisci: qui cùm dixisset Cardinales qui elegerant Vrbanum scripsisse ad eos qui erant Avenione illum esse electum, & istos fecisse poni arma ejus in portis, demum addit se audivisse *quòd Cardinalis Pampilonensis scribebat sibi ut Papa, & scripsit sibi quòd faceret multos Prælatos &*

multas provisiones. Et credit ipse quòd iste primus electus fuerat ejus commensalis, & diligebat honorem suum, & hoc ut haberet multos Prælates qui foverent partem suam & servarent ejus honerem.

Ægidius Bellamera in cap. *Ignarus.* de libelli oblatione afferens opinionem Bartholi, qui dixerat libellum esse necessarium in caussis summariis, addit: *Et hanc opinionem defendi in consiliis coram recolenda memoria Domino Cardinale Pampilonensi, & placuit audientibus.*

Illum Cardinales Talayrandus, Petrus Bertrandi junior, Philippus Cabassola, & Guillelmus Sudre nominarunt executorem suorum testamentorum.

GVILLELMVM FARINERII] Factus est Doctor theologiæ in academia Tolosana anno MCCCXLIV. *Vvadding. anno* 1344. §. 8. Anno sequenti, cùm esset minister provincialis Aquitaniæ, in carcerem monasterii Figiacensis conjecit fratrem Ioannem de Rupescissa. *Ex codice* 4356. *bibliotheca Colbertina.* Electus fuit minister generalis ordinis fratrum Minorum anno MCCCXLVIII. in capitulo generali quod tum celebratum est Veronæ. *Vvadding. anno* 1348. §. 10. Anno MCCCLI. celebravit capitulum generale sui ordinis in civitate Lugdunensi. *Idem an.* 1351. §. 10. Item aliud in civitate Assisii anno millesimo CCCLIV. in quo decretum est ut observarentur constitutiones sancti Bonaventuræ, quæ propterea Farineriæ sunt appellatæ. *Idem an.* 1354. §. 9. Demum Innocentius VI. eum fecit Presbyterum Cardinalem tituli sanctorum Marcellini & Petri, ac nihilominus jussit ut ordinem Minorum gubernaret usque ad futura comitia generalia. *Idem an.* 1356. §. 21. Quæ cura rursum ei commissa est anno MCCCLI. post mortem Ioannis ministri generalis. *Idem an.* 1358. §. 1. Obiit Avenioni anno MCCCLXI. die XXVII. Iunii, ex Contelorio. Quamquam idem Vvaddingus anno 1356. §. 21. scribit cum Onuphrio Panuinio & aliis illum obiisse VIII. Kal. Septembris.

Falsò Frizonius pag. 365. & qui eum secutus est Oldoinus hunc Guillelmum perhibent functum legatione Hispanica anno MCCCLVII. ut pacem inter eas gentes revocaret. Hanc enim legationem pertinere ad Guillelmum Iudicis jam monuimus suprà pag. 928.

NICOLAVM ROSSELLI] Absens erat eo tempore quo factus est Cardinalis. Cùm igitur ei pileum rubeum transmitti postularet Petrus Rex Arragonum, in cujus regno tunc Nicolaus agebat Inquisitorem fidei, respondit Innocentius Papa moris non esse ut cuiquam nisi pontificia manu detur, seque ea de re Cardinales percunctatum, ut regiis votis morem gereret, neque illos ad suam sententiam allicere potuisse. Cùm verò idem Rex exemplum Petri de Foresta Rothomagensis Archiepiscopi novique Cardinalis, ad quem Innocentius miserat pileum rubeum, objiceret, respondit Pontifex disparem esse rationem, quia ille missus fuerat Burdegalam ut de pace ageret inter Reges Francorum & Anglorum. *Odor. Raynald. an.* 1356. §. 41. Errat autem Matthæus Villanius lib. 7. cap. 46. dum in hac Cardinalium creatione recenset magistrum generalem ordinis fratrum Prædicatorum, existimans haud dubiè Nicolaum ea dignitate ornatum fuisse. Illi datus est titulus sancti Sixti.

IOHANNES DE RVPESCISSA] P. 1331 *Iehan de la Rochetaillade*, ut eum vocat Froissartus vol. 1. cap. 211. ubi de eo magnificè loquitur. Vide continuatorem Nangii pag. 822. in tomo XI. Spicilegii Dacheriani, Vvaddingum an. 1357. §. 15. & Spondanum an. 1356. §. 20. Illius revelationes seu prophetiæ extant in codice 4356. bibliothecæ Colbertinæ, ex quo constat hunc librum ab eodem Ioanne scriptum esse jussu Guillelmi Curti Presbyteri Cardinalis sanctorum quatuor coronatorum. Sic enim incipit: *Reverendissime in Christo Pater & Domine Domine Guillerme sacrosancto Romana Ecclesia Cardinalis titulo quatuor coronatorum, ego frater Iohannes de Rupescissa ordinis fratrum Minorum provintia Aquitania, provintia Ruthenensis, & conventus Aurelhiaci, ad mandatum vestrum descripsi seriem notabilium eventuum futurorum mihi in carceribus apertum, prout melius & verius potero recordari. Modus revelandi fuit iste. Cum anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo quinto multis diebus flerem vinctus ferro in carcere luti in conventu Figiaci stupens & mirans quare cum tanta crudelitate missus essem per fratrem Guillermum Farinerii tunc ministrum Aquitania in carcerem &c.*

Idem scripsit librum inscriptum *Vade mecum in tribulatione*, cujus meminit continuator Nangii. Habetur in codice 4650. bibliothecæ Colbertinæ. Item librum de consideratione quintæ essentiæ, qui extat in codice 1412. ejusdem bibliothecæ. Item librum de familiatu philosophiæ, qui reperitur in codice 5977. ejusdem bibliothecæ. Præterea varia revelationum ejus fragmenta reperiuntur in codice 2835. & in codice 3786. ubi leguntur extracta ex visionibus Ioannis de Rupescissa per magistrum Lucam de Molendinis Doctorem in theologia. Nescio autem undenam Cæsar Nostradamus accepit illum anno MCCCLXII. Avenione publicè combustum fuisse judicio Papæ. Ita enim scribit in hist. Provinciæ pag. 411.

Post mortem sepultus est in conventu ordinis sui apud Villamfranceam in diœcesi Lugdunensi, in quo regulam sancti Francisci professus

fessus fuerat, ut docet Iacobus Fodera in historia provinciæ sancti Bonaventuræ pag. 318. 322.

SIMONEM DE LINGONIS] quem virum doctum fuisse ac sibi carum testatur Vrbanus V. in epistola scripta I V. Kal. Novembr. anno septimo ad Ioannem Ducem Britanniæ, cui eum commendat. Eum triennio antè, id est, anno MCCCLXVI. XVI. Kal. Aprilis, idem Vrbanus constituerat Episcopum Ecclesiæ Nannetensis; ex qua postea transiit ad Venetensem, cujus curam gessit usque ad annum MCCCLXXXIII. quo ei *ob senium, infirmitatem, & impotentiam sensus & corporis, quibus notabiliter erat & est notoriè prægravatus, adeo ut nulli omnino regimini intendere valeat nec prodesse*, renuntiavit in initio mensis Augusti in manibus Thomæ de Amanatis Archiepiscopi Neapolitani & sedis apostolicæ Nuntii in Britannia, qui eidem Ecclesiæ auctoritate apostolica ex speciali delegatione Clementis Papæ præfecit Henricum Abbatem de Precibus in diœcesi Venetensi. Ex quo facilè colligitur errare eos qui Simonem scribunt è vita decessisse anno MCCCLXXV. die septima Iunii.

Sed isthic se offert gravis difficultas. Etenim in Facto Iacobi de Seva pag. 504. & alibi legitur Vrbanum VI. recenter creatum Papam Ecclesiæ Venetensi cathedrali tunc vacanti de persona Ioannis de Montelegum providisse. Nam si tum Venetensis Ecclesia vacabat, verum esse non potest Simonem ei adhuc præfuisse. Verùm cùm acta quæ docent eum renuntiasse Ecclesiæ Venetensi anno millesimo CCCLXXXIII. certa sint & omni falsi aut suppositionis suspicione careant, existimandum est sparsum esse in initiis pontificatus Vrbani rumorem de morte Simonis, & ideo creditum Ecclesiam illam vacasse, quæ tamen Episcopum habebat. Hanc ob causam Vrbanus eam dedit tanquam vacantem.

Ceterùm ex testimonio scriptoris hujus vitæ Innocentii VI. constat errare eos qui putant fratres Prædicatores in capitulo generali Pampilonensi congregatos anno MCCCLV. ausos non esse deponere Simonem metu Papæ & Imperatoris. Ei postea Episcopo facto substitutus est Helias Raymundi, quem Vrbanus V. fecit primò vicarium generalem ordinis sui. Vide Raymundum Hugonis in libro de translatione corporis sancti Thomæ Aquinatis in urbem Tolosanam in tomo primo Martii Bollandiani pag. 726.

Idem nominatur inter testes qui anno millesimo CCCXLIX. die XVI. Iulii interfuerunt translationi dalphinatus Viennensis in Karolum filium Ioannis Ducis Normanniæ, ut patet ex actis editis inter probationes historiæ Dalphinorum Viennensium pag. 99. ubi nominatur *Maistre Symon de Laingres Mestre en Theologie.*

OCCAS. INFEVDATIONIS] Meliùs Levoldus à Northof in chronico Comitum de Marca: *Anno Domini MCCCLVI. inter Ducem Brabantiæ & Comitem Flandriæ magna orta est contentio super villam Machliniensem, utroque petente se infeudari ab illa per Episcopum Leodiensem, Duce Brabantiæ videlicet ratione successionis, & Comite ratione emtionis.* Rectè. Certum quippe est Machliniam à Ludovico cognomento Nivernensi Comite Flandriæ emptam fuisse anno millesimo CCCXXXIII. quam tenere deberet in feudum ab Episcopo & Ecclesia Leodiensi. Instrumentum venditionis extat in codice 720. bibliothecæ Colbertinæ. Et tamen certum quoque est Henricum filium Ioannis Ducis Brabantiæ infeudatum fuisse de Machlinia ab Engelberto de Marka Episcopo Leodiensi anno MCCCXLVII. ut scribit idem Levoldus, cujus verba digna sunt quæ isthic describantur: *Sed Dux, qui magnum habebat exercitum, cùm Episcopus veniret ad ipsum rogandum quòd procederet & veniret, renuit procedere dicens quòd non procederet unum pedem nisi priùs filium suum Henricum infeudaret de Machlinia. Sicque Episcopus positus in angustia, videns in proximo suo bellum imminere, necessitate coactus fecit quod jure facere non potuit, & prædictum filium Ducis infeudavit; licet illa infeudatio non teneret de jure & esset invalida tanquam de feudo quod ex sui prima fundatione hanc conditionem habebat annexam quòd à comitatu Flandriæ & à duobus aliis feudis, videlicet Geraldimont & Vortcleem, huic feudo Comitis separari non posset.* Immo in conventione tum inita inter Regem Philippum & Ioannem Ducem actum est ut Ludovicus omni jure suo in Machliniam cederet Henrico primogenito ejusdem Ducis Ioannis; ut liquet ex literis ejusdem Regis datis apud sanctum Quintinum in Viromandia anno MCCCXLVII. die quinta Iunii, quas vidimus authenticas. Interim obiit Henricus absque liberis, & Ioannes quoque pater ejus postea anno MCCCLV. extinctus est, nullo herede relicto præter Ioannam nuptam Vvenceslao Ioannis Bohemiæ Regis filio, fratri Karoli IV. Imperatoris. Is ergo post obitum soceri factus Dux Brabantiæ prætendebat Machliniam ad se pertinere debere ratione successionis, tum quia Ioannes Henrico filio, cui ea infeudata fuerat, successerat, & ipse ratione uxoris suæ erat heres Ioannis & Henrici, tum quia eam à ducatu Brabantiæ separari non posse aiebat, ut testatur Radulphus de Rivo cap. 4. de gestis Engelberti à Marka Episcopi Leodiensis. Contrà Ludovicus Maleanus, qui tum Ludovico Nivernensi patri suo successerat, eandem ur-

OOo

bem suam esse dicebat ratione emptionis à patre suo factæ, non solùm ab Episcopo Leodiensi, sed etiam à Raynaldo Gelriæ Duce marito Sophiæ filiæ Florentii Bertholdi, vulgò *Berthout*, ad quam eum hereditate transierat Machlinia olim ad Bertholdos pertinens, ut in chronico Belgico ad annum millesimum CCCXLIII. scribit Aubertus Miræus. Quod hine quoque probatur quòd Ioannes II. Dux Brabantiæ unà cum Ioanne Berthout bellum movit adversùs hanc urbem, ut legitur in eodem codice 720. bibliothecæ Colbertinæ fol. 54. his verbis: *Anno Domini* MCCCIII. *propter certos excessus perpetratos per illos de Mechlinia Iohannes Dux Brabantiæ & Iohannes Berthout domini opidi Mechliniensis manu potenti & armata idem opidum obsederunt, & tandem illi de Mechlinia dederunt portas & muros dicti opidi Mechliniensis in manu Ducis, qui portas, muros, & mœnia ad unam partem opidi destruxit; nec eas reformare potuerunt nisi licentia Ducis obtenta. Et de reliqua emenda fienda dominu per opidum Mechliniense hinc inde compromiserunt in certos Dominos, qui dictum & arbitrium ipsorum promulgarunt eodem anno Domini millesimo tricentesimo tertio, sabbato ante Lamberti.* Vide etiam Hadrianum Barlandum in chronicis Ducum Brabantiæ cap. 53. & Odoricum Raynaldum an. 1356. §. 12.

P. 333. IOH. COMES ARMANIAC.] olim maritus Reginæ de Gutto, ut suprà pag. 618. 620. dictum est, pater Ioannis II. mariti Ioannæ filiæ Rogerii Bernardi Comitis Petragoricensis.

LOCUMTENENS REGIUS] Ita se illum inscripsisse docent regesta seneschalliæ Tolosanæ. *Iohannes Comes Armaniacensis, Fesenciaci, & Ruthena, Vicecomes Leomania & Altivillaris, ac Locumtenens Domini nostri Francia Regis & ejus primogeniti Ducis Normannia & Aquitania in tota lingua occitana, vel in partibus occitanis & Vasconia.* Habuisse autem illum eam potestatem per quinquennium scribit Matthæus Villanius lib. 9. cap. 68.

CAPITAGGII] Apud Nicolaum Bertrandi, qui hunc locum edidit in opere de gestis Tolosanorum, legitur *cabagis*. Vide Dufresnium Cangium in verbo *Capitagium*.

POPULARES PARIS.] Vide Froissartum vol. 1. cap. 179. & seqq. Matthæum Villanium lib. 8. cap. 66. & seq. 80. 87. & seqq. Henricum Rebdorffium an. 1358. & continuatorem Nangii pag. 819. in tomo XI. Spicilegii Dacheriani. Vide etiam to. IV. histor. Universitat. Paris. pag. 344. & seq.

IAQUES BON-HOMME] Ita etiam Froissartus vol. 1. cap. 182. Verùm illud non fuisse proprium nomen ejus, sed factionis, colligi potest ex his quæ scribit idem continuator Nangii pag. 815. Hinc ortum vocabulum *la Iaquerie* pro collectione rebellium è populo apud Froissartum vol. 1. cap. 120. & *la Iaquerie de Beauvau* apud Louvetum to. 2. hist. Bellovac. pag. 544. Vide eundem Froissartum vol. 1. cap. 182. & seqq.

CAPUCIO] Vide Froissartum vol. 1. cap. 179. & Matthæum Villanium lib. 8. cap. 29. P. 334.

QUIDAM SOCIALES] Vide Froissartum vol. 1. cap. 250. 254. Matthæum Villanium lib. 8. cap. 72. & seqq. Albertum Argentinensem pag. 163. & seq. Continuatorem Nangii pag. 877. Chronicon Willelmi Thorn pag. 2625. & Thomam Walsinghamum pag. 172. editionis Francofurtensis. Unius earum societatum capitaneum fuisse Gassionum de Castello anno MCCCLX. reperi in vetustissima scheda.

ARNALDUS DE SERVOLA] Illum auctor tertiæ vitæ Innocentii VI. pag. 360. & Matthæus Villanius lib. 7. cap. 87. aiunt fuisse patria Petragoricensem. Fuit sanè Servolarum gens nobilis in ea regione, in qua circa annum MCCCX. memoratur Arnaldus de Servola Domicellus in veteri codice MS. cameræ computorum Parisiensis. In eodem codice nominatur Petrus de Servola civis Castilhonesii apud eosdem Petrocorios, qui eadem tempestate vixit qua Arnaldus Domicellus.

ARCHIPRESBYTER] Sic vulgò vocabatur, ut facilè probari posset multis testimoniis. Extant apud nos literæ Regis Ioannis de concordia Comitis Flandrensis cum hoc Arnaldo datæ in civitate Meldensi anno millesimo CCCLXI. die tertia Iulii, in quibus nominatur *Arnault de Cervolle dit Arcepreſtre Chevalier*. Sic etiam Froissartus vol. 1. cap. 177. 215. 222. & Matthæus Villanius lib. 7. cap. 87.

Virum fuisse peritum rei bellicæ scribit idem Froissartus vol. 1. cap. 222. bellicosum malæ famæ Villanius in loco paulò antè laudato. Meretur autem magna ejus fama ut quæ de eo legimus in scriptoribus historiarum & in veteribus monumentis hactenus ineditis isthic servato temporum ordine describamus.

Prima illius mentio occurrit apud Ioannem Froissartum vol. 1. cap. 160. ubi scriptum est illum partes Ioannis Regis Francorum secutum esse in celebri pugna quæ anno millesimo CCCLVI. pugnata est in pago Pictaviensi; in qua eum fuisse graviter vulneratum & captum idem docet cap. 162. Captum autem fuisse à Ispnrio de Monsaco docent schedæ vetustissimæ scriptæ anno MCCCLX. è quibus sequentia descripsi: *Domino Arnaldo de Servola Militi dicto L'Arceprestre pro denariis mandato Domini nostri Regis & Petri Statesse The-*

saurarii Franciæ traditis Domino D'Audenhan Mareschallo Franciæ supradicto tanquam fidejussori suo erga spurium de Mensaco, cujus spurii idem Dominus Arnaudus fuit prisonarius, convertendus in deductionem ac acquitationem summæ dicto spurio debitæ pro financia ipsius Domini Arnaudi, quinque millia florenorum val. quatuor mille francos.

Liber itaque Arnaldus anno MCCCLVII. rursum milites conscripsit, & societatum, ut tum vocabant, ducem se fecit quæ multum ubique terrorem intulerunt. *Froissart. vol. 1. cap. 177. & Matthæus Villan. lib. 7. cap. 87.* Et mense Martii illius anni oppugnavit civitatem Aquensem. *Secunda vita Innocentii VI. pag. 351.*

Constituta autem pace apud Bretiniacum anno MCCCLX. inter Francos & Anglos, vir bellicosus, ne otio torpesceret, congregavit rursum societatem bellatorum quæ blanca sive alba dicebatur., ut aiunt idem Villanius lib. 9. cap. 109. & Thomas Walsinghamus pag. 178. editionis Francofurtensis. Cum iis prædas exercuit circa Lingones & Lugdunum; maximè verò incommodus fuit Nivernensibus, ubi cepit Cosnam, Motam Iosserandi, Blenellum, Dannemariam, & alia castra in comitatu Nivernensi & baronia Donziacensi. Quæ res plurimum detrimenti attulit Ludovico Comiti Flandriæ, qui Comes quoque Nivernensis erat. Tandem anno millesimo CCCLXI. mense Februario concordia inter eos revocata fuit opera Comitis de Tancarvilla; & Rex Ioannes propterea Arnaldo promisit se soluturum sedecim millia regalium aureorum; quorum quarta pars in præsenti soluta est, reliquæ certis terminis solvendæ erant. Constat id ex literis regiis datis Parisiis anno MCCCLX. id est sequenti, mense Februario, quæ extant in regesto LXXXIX. archivi regii Parif. cap. 517. ubi etiam cap. 16. habentur literæ remissionis eidem Arnaldo & sequacibus ejus tum concessæ. Tum anno eodem, die tertia Iulii, idem Rex statuit ut quandocunque domini castrorum de Dannemaria & de Blenello, quæ tradita fuerant Comiti Flandriæ, ea vellent recuperare, solverent ante omnia duodecim millia regalium aureorum Arnaldo data.

Interim quidam prædones Rhodani oram occupantes obsessi sunt in quodam castro quod Froissartus vol. 1. cap. 215. vocat *Brignais*; & in conflictu, in quo superiores illi fuere, multùm enituit virtus Archipresbyteri, qui gravissimis vulneribus confossus, demum captus est cum pluribus viris insignibus suarum turmarum.

Anno MCCCLXII. matrimonii vinculo se junxit Ioannæ de Castrovillano, ut ostendit Andreas Duchesnius in historia familiæ de Castrovillano cap. 16. ex eoque matrimonio ortus est Philippus de Cervola pater Caroli & Margaretæ.

Anno MCCCLXIII. fuit cum exercitu suo in Lotharingia & Burgundia, prædas ubique exercens, etiam usque Pontisaram & Poissiacum. *Continuator Nangii pag. 885.*

Extat in regestis parlamenti Parisiensis arrestum latum anno MCCCLXIV. in quo Rex ait quòd *nostre amé & feal Chevalier Arnault de Cervole de nostre congié & licence a entrepris à mettre hors de nostre royaume les gens des compaignies estans en icelui & les mener & conduire ou saint voiage d'Outremer pour secourir Dieu contre les mescreans & ennemis de la foy.* Fuisse autem illum ea tempestate in exercitu Regis docet Froissartus vol. 1. cap. 221. & seq.

Anno MCCCLXIV. die XXIV. Maii pugnatum est acriter & magnis animis juxta Cocherellum in Normannia inter Francos & Navarros, & victoria cessit Francis. Officio suo rectè functum non fuisse Archipresbyterum in hac pugna legitur apud Froissartum vol. 1. cap. 222. & seq.

Anno MCCCLXV. circumcursavit Alsatiam, ut legitur in prima vita Urbani V. pag. 370. apud continuatorem Nangii pag. 906. & Albertum Argentinensem pag. 164.

Ex regestis parlamenti Parisiensis liquet illum an. MCCCLXVI. excessisse ex rebus humanis. Et ex fragmento regesti veteris cancellariæ Franciæ edito inter probationes historiæ gentis Castrivillani pag. 46. certò colligitur eum non esse mortuum ante mensem Septembrem illius anni.

PETRUS REX CASTELLÆ] In vetustissimis schedis nostris scriptis anno millesimo CCCLX. ista leguntur: *Iohannes de Aula judex Lauraguesis fuit per XXIV. dies in ostagiis apud Perpinianum pro tractatu ejectionis Yspanorum existentium in comitiva Comitis Tristameræ.* P. 336.

LOCUM DE S. SPIRITU] qui olim vocabatur monasterium sancti Saturnini super Rhodanum. Catalogus abbatiarum, prioratuum, & decanatuum monasterio Cluniacensi subjectorum editus in bibliotheca Cluniacensi pag. 1727. *Prioratus sancti Saturnini de Portu supra Rhodanum Uticensis diocesis, ubi debent esse triginta monachi.* Aymericus de Peyraco Abbas Moyssiacensis in suo chronico. fol. 144. *Tempore Domini Iohannis Regis Franciæ fuit regnum tribulatum & submissum, & magnæ societates tunc ceperunt villam sancti Spiritus, aliàs sancti Saturnini, in ripa Rhodani existentem.* Glaber Rodulphus in vita sancti Guillelmi Abbatis Divionensis cap. 5. *Interea venit quidam frater Prepositus cœnobii sancti martyris Saturnini quod est super Rho-* P. 337.

danum. Literæ Raymundi Comitis sancti Ægidii datæ anno MCLXIV. in codice 827. bibliothecæ Colbertinæ, editæ à Samuele Guichevone in bibliotheca Sebusiana pag. 336. *Omnibus præsentibus & futuris notum sit quòd ego Raimundus Comes sancti Ægidii cognosco & confiteor villam sancti Saturnini alodium & proprietatem esse beati Petri Cluniacensis.* Sammarthani in catalogo Episcoporum Podiensium num. 63. *Eodem tempore nominatur in ordinatione facta per Guillelmum de Plasiano super fabrica pontis sancti Saturnini de Portu Vticensis diœcesis.* Liber Arnaldi Camerarii: *Item alia littera Domini Benedicti Papæ* [XI.] *scribentis rectori comitatus Venaysini quòd Prior & conventus sancti Saturnini prope pontem ordinis Cluniacensis diruant duo fortalitia seu bastidas quas de novo ædificaverant in præjudicium comitatus Veneysini. Aliàs datur Episcopo Auraycensi in mandatis quatenus ipsos ad hoc per censuram ecclesiasticam compellat. Datum apud sanctum Petrum II. Idus Martii, pontificatus sui anno secundo.* Et paulò pòst: *Littera ipsius Domini Papæ mandantis Episcopo Auraycensi quòd nisi Prior & conventus sancti Saturnini de portu Cluniacensis ordinis Vticensis diocesis infra unius mensis spatium non destruxerint duas bastidas seu fortalicias quas de novo ædificaverant supra pontem sancti spiritus vel prope in præjudicium comitatus Veneysini ad Romanam Ecclesiam pertinentis, quatenus ipsos compellat per censuram ecclesiasticam. Datum ut suprà II. Idus Martii anno secundo.* Clemens VI. lib. 4. epist. 197. ad Philippum VI. Regem Francorum: *Nuper dilectorum filiorum hominum seu habitatorum villæ sancti Saturnini de Portu, aliàs de sancto spiritu, Vticensis diocesis, nobis insinuatio lamentabilis patefecit quòd non est diu quo plurima hospitia in meliori parte ipsius villæ sita & bona innumera in illis existentia ignis incendium casu fortuito destruxit penitùs & consumpsit.* Testamentum Petri Bertrandi junioris Episcopi Cardinalis Ostiensis: *Aymaro de Bordis lego ducentos florenos auri semel & quicquid emi in sancto Saturnino de sancto spiritu Vticensis diocesis.* Vide etiam vitam S. Odilonis in bibliotheca Cluniacensi pag. 1820. & Syrum monachum in vita S. Maioli lib. 3. cap. 12. & bibliothecam Sebusianam pag. 339.

OCCVPAVERVNT] Bis hunc locum occupaverunt societates prædonum, primò quidem anno MCCCLVIII. ut ad annum 1358. §. 6. observat Bzovius, deinde verò anno MCCCLXI. De hac postrema expeditione agunt Froissartus vol. 1. cap. 215. Henricus Rebdorffius ad an. 1361. Vvalsinghamus pag. 178. Continuator Nangii pag. 877. & Bzov. an. 1361. §. 9.

PROVISIONES NECESSARIÆ] Henricus Rebdorffius in loco paulò antè laudato: *Anno Domini MCCCLXI. mense Ianuario quædam societas armatorum se congregat iteratò circa Avinionem super Rhodanum, & capiunt castrum spiritus sancti & pontem Rhodani ibidem, ut prohiberent victualia deferre curiæ Romanæ.* Vinum mittebatur à Cluniacensi monasterio, non solùm ad Papam, sed etiam ad Cardinales & alios aulæ pontificiæ ministros. Quod cùm grave nimis esset huic monasterio, Vrbanus V. fieri deinceps prohibuit literis datis Avenioni Idibus Martii anno secundo, quæ editæ sunt in Bullario Cluniacensi pag. 181.

DATA CRVCIATA] Extat vetus exemplar hujus bullæ in codice MS. sancti Victoris Parisiensis. Authenticum verò nos habemus.

GASTO COMES FVXI] Vetus chronicon in codice 6476. bibliothecæ Colbertinæ: *Anno MCCCLVIII. circa festum epiphaniæ Gasto Comes Fuxi incepit guerram contra Regem Franciæ & regnum ejus, & venit usque ad locum de Altaripa & de sancta Gavella, quæ comburi fecit.*

RICHARDVS ARMACHANVS] P. 338. filius Radulphi, vulgò *fitz Ranf.* Vnde quidam eum per errorem vocant Richardum Firzrafum. Ortus est Dundalkiæ celeberrimo Hiberniæ oppido; ubi hodieque aiunt natalem ejus diem summa veneratione coli, ibique basilicam extare ejus nomine consecratam. Fuit primùm Archidiaconus Lichefeldensis, deinde Oxoniensis gymnasii summus Cancellarius, ac tandem Archiepiscopus Armachanus. *Annales Hiberniæ an.* 1337. & *Baleus centur. 5. cap. 94.* Mendicantium privilegia validè excogitavit, ob id odia eorum promeritus, ut patet ex Defensorio Curatorum non semel edito, cujus duo vetera exemplaria MSS. extant Lutetiæ in bibliotheca sancti Victoris. Scripsit præterea adversùs eos tractatum de audientia confessionum, quem habeo MS. in veteri codice. Edidit etiam tractatum de quæstionibus Armenorum, olim quidem editum, sed cujus duo vetera exemplaria MSS. vidi Lutetiæ, unum in bibliotheca S. Germani de pratis, aliud apud sanctum Victorem. Obiit Avenione anno millesimo CCCLX. die XVI. Decembris; indeque corpus ejus Dundalkiam translatum est cura Stephani Episcopi Midiæ, ut docent vetusti annales Hiberniæ editi à Camdeno. Vvaddingus tamen an. 1357. §. 8. scribit eum in montibus Hannoniæ fatis concessisse die XVI. Decembris anno MCCCLIX. vel sequenti. Henricus verò de Knyghton in libro 4. de eventibus Angliæ pag. 2625. mortem ejus in annum MCCCLXI. incidisse tradit. Sanctorum catalogo adscriptum postea fuisse scribit Ba-

leus auctorem secutus Ioannem Rossum Varvicensem in libro de academiis Britannicis. Agitaverat sanè Bonifacius IX. de referendo illo in catalogum sanctorum, ob idque bullam emiserat qua miracula quæ ad ejus tumulum patrata referebantur examinari jussit, ut post Vvaddingum referunt plurimi. Ceterùm res tota sub ea commissione quasi sensim silentio expiravit, ut ait Vvaræus.

INDECISA REMANSIT] Rectè observavit Cicero nervos belli esse pecuniam. Primò Armachanus habuit subsidium à clero Anglicano, ut docet Henricus de Knyghton pag. 2615. Sed postea *clero Anglicano sibi subtrahente promissa*, ut ait Vvalsinghamus, *& exuberante in curia fratrum satis magna pecunia*, cedere coactus est. Narrationem porrò istam Vvalsinghami refutat Odoricus Raynaldus an. 1311. §. 37. Vide continuatorem Nangii pag. 834. in tomo XI. Spicilegii Dacheriani, annales Henrici Rebdorffii, Spondanum an. 1357. §. 15. & seq. & Vvaræum in catalogo Archiepiscoporum Armachanorum. In catalogo bibliothecæ Benedicti XIII. fol. 153. ista leguntur: *Item aliqua proposita contra mendicantes ordines, & alia controversia eorum contra Primatem. Item libellus Domini Ardmachani super prædicto.*

DE GAVDEAMVS] Locus est elegantiæ non vulgaris. Alludit auctor ad duas Missas quarum frequens est usus in Ecclesia. Prima earum dicitur in festis sanctorum solemnibus, & sic incipit: *Gaudeamus omnes in Domino diem festum celebrantes.* Altera pro mortuis celebratur, & incipit: *Requiem æternam dona eis Domine.* Ait ergo fratres, id est, religiosos mendicantes, cùm pro Richardo mortuo cantare debuissent Missam de *Requiem*, quò illi requiem sempiternam precarentur, cantasse de *Gaudeamus*, quia gaudebant de morte ejus.

KAROLVS METIS EXISTENS] Vide annales Henrici Rebdorffii, Albertum Argentinensem, Levoldum à Northof, Bzovium an. 1357. §. 5. & Odoricum Raynaldum an. 1356. §. 12. & seqq.

ANDROINVS DE ROCHA] Vide Odoricum Raynaldum anno 1356. §. 10. & seq.

P. 341. FORTANERIVS VASSALLI] malè à quibusdam vocatus Sertorius. Longiùs aberrant qui Angliam ei assignant pro patria, ut Trithemius, Baleus, Godvvinus, Pitseus. Ortus enim fuit apud Cadurcos Aquitaniæ primæ populos, ut docet hic scriptor vitæ Innocentii. quam regionem Galli illorum temporum vocabant *Caors* & *Caorsin*, ut apud Froissartum & alibi. Vnde patet mendum esse librarii apud Matthæum Villanium lib. 10. cap. 71. ubi de isto Cardinale sic legitur *L'Arcivescono di Ravenna assente, che poi mori in cammino, e di Casa Vrsina.* Pro quoquo reponendum *e di Caorsa*, ut loqui amat Villanius. Quod non satis attendentes quidam existimarunt Matthæum in hoc loco deceptum fuisse, qui crediderit Fortanerium hominem Aquitanum prodiisse è gente Vrsina. Certè quid ipse de ea re sentiret satis ostendit, dum enumerans Cardinales hac tempestate creatos, ait omnes fuisse ultramontanos, nullum Italum.

Fortanerium arripuisse institutum ordinis sancti Francisci in monasterio Gordoniensi apud Cadurcos inveni apud auctorem recentiorem. Deinde missus Lutetiam ut literarum studiis daret operam, ita se in rebus theologicis exercuit, ut anno MCCCXXXIII. Ioannes XXII. ad Cancellarium Parisiensem scripserit uti eum, qui tum erat Bacalaureus in sacra theologia, admitteret ad magisterium. *Vvadding. an.* 1339. §. 9.

Anno MCCCXXXVI. Benedictus XII. cogitans de reformandis constitutionibus fratrum Minorum, cùm consilium nonnullorum Cardinalium & virorum doctissimorum habere vellet, Fortanerium Vassalli sacræ theologiæ magistrum in eo numero posuit. *Odor. Raynald. an.* 1336. §. 65.

Anno MCCCXLII. cùm Geraldus Odonis minister generalis ordinis fratrum Minorum assumptus esset ad patriarchatum Antiochenum, Clemens VI. ejusdem ordinis vicarium generalem instituit hunc Fortanerium. *Vvadding. an.* 1342. §. 6. Itaque falsò Auberyus eum ait electum vicarium generalem communi consensu fratrum sui ordinis.

Anno MCCCXLIII. factus est minister generalis in capitulo generali Massiliæ celebrato, tum ob proprias virtutes, tum ob commendationem Papæ. *Vvadding. an.* 1343. §. 4. 6.

Adnotat in hoc loco Vvaddingus eum fuisse carum Clementi Papæ hinc colligi quòd is multa ei dedit diplomata honorifica & ampla. Vidi sanè olim bullam authenticam ejusdem Clementis datam Avenione III. Kal Decembris anno secundo, qua ei Italicum iter meditanti & illis qui cum eo profecturi erant indulsit ut sibi confessores eligere possent, qui eis plenam remissionem omnium peccatorum semel tantùm in mortis articulo concedere valeant. Addit verò Clemens: *Et ne, quod absit, propter hujusmodi gratiam procliviores reddamini ad illicita in posterum committenda, volumus quòd si ex confidentia remissionis hujusmodi aliqua fortè committeretis, quòd illa prædicta remissio vobis nullatenus suffragetur.*

Anno MCCCXLVII. IX. Kal. Novembr. à Clemente VI. factus est Archiepiscopus Ravennas. *Hier. Rubeus lib. 6. hist. Ravenn. pag.*

568. & *Vvadding. an.* 1347. §. 13. Eodem verò die eum idem Clemens instituit vicarium generalem ordinis sui usque ad proximum capitulum generale. *Vvadding. ibid.* § 34.

Anno MCCCXLVIII. mense, ut videtur, Martio Fortanerius Ravennam profectus est, illicque aut circumcirca mansit reliquo anni tempore. *Hier. Rubeus lib. 6. hist. Ravenn. pag.* 568. & *seq.*

Vicarium habuit & cubicularium Guidonem è Baisio Iurisconsultum Canonicum Mutinensem. *Rub. ibid. pag.* 569. Is autem Guido videtur fuisse nepos celeberrimi illius Guidonis è Baisio Arrhidiaconi Bononiensis, qui glossavit Decretum Gratiani & librum sextum decretalium.

Anno MCCCLI. XIII. Kal. Iunii idem Clemens Fortanerium in aula pontificia tum agentem absolvit à vinculo quo Ravennensi Ecclesiæ tenebatur adstrictus, eumque ad Gradensem Ecclesiam transtulit. Et quia ad retinendum pro dignitate statum patriarchatus Gradensis bona satis esse non posse noverat, cùm eæ sint Ecclesiæ vicinæ, Ravennatem quoque illi commendavit ejusque omnem administrationem commisit. *Hier. Rubeus ibid. pag.* 570.

Eodem anno IX. Kal. Novembr. Clemens eum destinavit in Italiam ut ejus labore & industria controversias dirimeret quæ inter Venetos & Genuenses exarserant. *Bzov. an.* 1351. §. 5. *Vvadding. an. eod.* §. 5. & *an.* 1352. §. 10. *Odoric. Raynald. eod. an.* 1352. §. 13.

Anno MCCCLIV. X. Kal. Decembr. Innocentius VI. ei & Patriarchis Constantinopolitano & Aquileiensi potestatem dedit ut si Robertus Archiepiscopus Mediolanensis nollet coronam ferream imponere Karolo IV. Imp. in Ecclesia B. Ioannis de Modoetia, ipsi aut unus eorum id efficere possent. *Odor. Raynal. an.* 1354. §. 9. Non accepit autem eam Karolus apud Modoetiam, sed in Ecclesia Mediolanensi. *Idem an.* 1355. §. 1.

Anno MCCCLV. Fortanerius Patriarcha literas accepit ab eodem Innocentio datas apud Villamnovam IV. Idus Aprilis, quibus significabat Pontifex se illum destinasse nuntium ad Venetiarum Ducem de pace inter Petrum Arragonum Regem & Venetam Genuensemque Remp. acturum, itaque curaret diligenter ut eò conveniret. Neque verò inanis Innocentii & Fortanerii fuit labor, quando paulò pòst ad concordiam potentissimi ii duo populi adducti sunt. *Rubeus ibid. pag.* 571. Vide etiam Odoricum Raynaldum an. 1355. §. 25.

Anno MCCCLX. recepit literas ab Innocentio Papa datas VIII. Kal. Septembr. adversus Bernabonem omni Ravennate provincia divulgandas. *Rubeus ibid. pag.* 577.

Anno MCCCLXI. die XVII. mensis Septembris in Cardinalium collegium cooptatus, cùm Avenionem proficisceretur ut pileum rubeum acciperet de manu Pontificis, in itinere Patavii obiit exeunte Octobri, ut videtur, ibidem ad D. Antonii sepultus. *Rubeus ibid. pag.* 579. & *Vvadding. an.* 1361. §. 1.

Frustra ergo sunt qui titulum cardinalitium Fortanerii scire laborant. Cùm enim titulus non detur nisi præsentibus, datus non est Fortanerio, quia is obiit in itinere quum proficisceretur Avenionem ad eum adipiscendum.

PETRVS ITERII] Constat sanè illum fuisse patria Petragoricensem. Ex epitaphio verò Raymundi Iterii Domicelli editi inter probationes historiæ Cardinalium Gallorum pag. 500. videtur colligi posse illum fuisse ortum è loco Bellimontis in diœcesi Sarlatensi. Fuit Raymundus nepos istius nostri Cardinalis. Sed ipse certò Cardinalis non fuit, licèt novitium illud epitaphium id astruere videatur. Quare non erat quòd Franciscus Duchesnius miraretur illum fuisse prætermissum ab iis qui scripsere historiam Cardinalium. Petrus erat absens à curia Romana quum factus est Cardinalis. Postea ad eam accessit, & Avenionem intravit die quarta Novembris, ut est in libro obligationum. Tum itaque datus ei est titulus sanctorum quatuor coronatorum. In testamento Guillelmi Sudre Cardinalis Ostiensis sic legitur: *Item eligo sepeliri in conventu fratrum Prædicatorum Avenionis in capella beatæ Mariæ virginis post sepulchrum Reverendissimi Patris bonæ memoriæ Cardinalis Aquensis.* Ceterùm olim monuimus prorsùs diversum à nomine istius Cardinalis fuisse nomen Petri de sancto Asterio Episcopi Petragoricensis, qui per summam temeritatem mutatus est in sanctum Iterium à Petro Frizonio describente vitam istius Cardinalis.

AQVENSIS] in Vasconia, uti rectè scriptum est in libro obligationum.

IOHANNES DE BLANDIACO] Rectè ab hoc auctore dicitur ortus è diœcesi Vcetiensi. Castrum enim de Blandiaco fuisse in senescallia Bellicadri probant ea quæ suprà diximus pag. 812. quum de Bertrando de Deucio agebamus. Vnde patet falli eos qui Lemovicem fuisse scripserunt. Erat autem nepos ejusdem Bertrandi.

Anno MCCCXLIV. die XVI. mensis Ianuarii interfuit inter auditores sacri palatii apostolici submissioni factæ Clementi VI. per Humbertum Dalphinum Viennensem & alios Ludovici IV. Imperatoris ambassiatores. Vide lib. 2. miscellaneor. nostrorum pag. 273.

Fuit deinde Canonicus Aquensis & Capellanus Papæ. Et mox à Clemente VI. factus est Episcopus Nemausensis post Bertrandum de

Deucio, qui nuper extra Romanam curiam obierat, literis datis Avenioni XV. Kal. Octobris anno MCCCXLVIII. quas descripsimus ex archivo Archiepiscopi Narbonensis. Vnde patet errare eos qui Ioannem ad eam cathedram pervenisse volunt anno tantùm millesimo CCCL. medios que inter illum & Bertrandum collocant Paulum & Iacobum de Deucio, qui hinc removendi sunt, ut olim monuimus in Notis ad Concilia Galliæ Narbonensis pag. 55.

Interfuit Concilio provinciali quod Petrus de Iudicia Archiepiscopus Narbonensis habuit apud Biterras anno MCCCLI. mense Novembri, quod nos edidimus in codice Conciliorum Galliæ Narbonensis.

Anno MCCCLIII. mense Ianuario apud Avenionem jussu Innocentii VI. consecravit Ioannem Episcopum Adriensem in Lombardia Transpadana, ut docet ejusdem Innocentii bulla edita à Vvaddingo in regesto tomi quarti pag. 29.

Eadem tempestate idem Innocentius, ut ex epistolis ejus quæ penes nos sunt liquet, hunc Ioannem Episcopum Nemausensem misit in Gallias ut pacem constitueret inter Comites Fuxi & Armaniaci.

Anno MCCCLXI. die XVII. Septembris factus est Presbyter Cardinalis. Erat autem tum absens à curia. Postea, cùm rediisset Avenionem die quarta Novembris, ei datus est titulus sancti Marci. Dictus semper Cardinalis Nemausensis, uti vocatur etiam à Bonifacio de Amanatis in Clement. *Auditor.* De rescriptis.

Anno MCCCLXVI. delegatus fuit unà cum Ægidio Aiscelini Cardinale ut reformaret academiam Parisiensem; extantque constitutiones ab iis editæ auctoritate apostolica die quinta mensis Iunii in tomo quarto historiæ Vniversitatis Paris. pag. 388.

Anno MCCCLXVII. cogitabat de instituendo Tolosæ collegio decem scholarium qui perpetuò in jure canonico & civili studerent in civitate Tolosana, eisque certos annuos & perpetuos redditus assignare in seneschallia Tolosana usque ad summam seu valorem quingentarum librarum Turonensium, ut patet ex literis Regis Karoli V. datis Parisiis anno millesimo CCCLXVII. mense Novembri, quæ extant in regesto XCIX. archivi regii Parisi. cap. 113. Nulla tamen hodie mentio collegii Nemausensis apud Tolosam.

Anno MCCCLXXII. exeunte factus est Episcopus Sabinensis.

Anno MCCCLXXVI. XII. Kal. Augusti Gregorius XI. ingressurus iter Romanum hunc Ioannem Episcopum Sabinensem Avenione & in comitatu Venaysino pro sede apostolica vicarium generalem reliquit. *Bzov. an.* 1376. §. 27. Idem postea Romæ positus ad eum & ad Guillelmum de Chanaco Cardinalem Mimatensem scripsit die XII. mensis Novembris ut jurisdictionem pontificiam in insula Rhodani contigua civitati Avenionensi sartam tectamqne præstarent adversùm conatus eorum qui pro Rege Francorum illic tendebant. Aliis postea literis eosdem monuit ut unà cum Raymundo de Turenna Milite curam gerant fortificationis comitatus Veneyssini & aliarum terrarum Ecclesiæ.

Obiit Avenione anno MCCCLXXIX. die octava Iulii, ut est in libro obligationum, sepultus in Ecclesia S. Desiderii. Videtur autem sublatus morte subita atque improvisa. De illo enim necessariò accipienda est historia quam enarrat sanctus Antoninus; si tamen ea vera est, & non potiùs figmentum Vrbanistarum. Neque enim uspiam reperi hunc Ioannem fuisse concionatorem, & tum valde senex erat. Ait ergo S. Antoninus tit. 22. cap. 2. §. 1. quendam Cardinalem Avenione coram Clemente VII. concionantem in initiis schismatis subitò expirasse. Quod de alio nemine intelligi potest quàm de Ioanne de Blandiaco, cùm certum sit nullum alium eorum Cardinalium qui Clementis partes fovebant extinctum fuisse per ea tempora. Hæc sunt verba sancti Antonini: *Multiplicavit & Clemens vocatus Cardinales è diversis partibus novos assumens. Cùm autem unus eorum Avenione sermocinaretur publicè contra Vrbanum, nisus probare eum non esse verum Papam, subita morte extinctus est, quasi in vindictam suæ falsæ probationis. Scit tamen Deus an vera an falsa fuerit probatio.* Refert hanc historiam Bzovius an. 1378. §. 38. sed non integra fide. Prætermittit enim postremam partem, in qua sanctus Antoninus in scientia Dei ponit quænam duorum de papatu contendentium electio fuerit vera & legitima.

In statutis pro reformatione ordinis Grandimontensis editis anno MCCCXLVI. à Bertrando de Deucio Presbytero Cardinale sancti Marci nominatur inter testes Petrus de Blandiaco Domicellus diocesis Vticensis, familiaris sive domesticus ejusdem Cardinalis.

ÆGIDIVS AYSSELINI] filius Ægidii II. domini Montilacuti & Macaronæ de Turre. Non immorabor in recensendis singulis gestis istius Cardinalis, quæ ab aliis commemorata sunt. Ea tantùm attingam quæ utplurimùm ab illis omissa sunt.

Anno MCCCLXI. Innocentius VI. eum tum absentem creavit Presbyterum Cardinalem. Dein ivit Avenionem, & die XXIV. Novembris primò venit ad curiam, ut notatur in libro obligationum. Tum verò ei datus titulus S. Martini in montibus. Vulgò dictus Cardinalis Morinensis.

Anno MCCCLXVI. Urbanus V. ei & Ioanni de Blandiaco commisit curam reformandæ academiæ Parisiensis. Quod illos egregiè præstitisse ostendunt constitutiones ab iis editæ die quinta mensis Iunii, quæ extant in tomo quarto historiæ Universitatis Parisiensis pag. 388.

Anno MCCCLXVII. secutus est Urbanum V. proficiscentem in Italiam. Et cùm anno sequenti cum eo esset apud Montemflasconem, agereturque summa contentione de recuperando corpore sancti Thomæ Aquinatis, quod fratres Prædicatores ordini suo reddi postulabant, Urbanus V. die quarta Augusti idem corpus & caput generali magistro ejusdem ordinis tradi fecit per Reverendissimos Dominos Cardinales Morinensem & Marcum ordinis Minorum Viterbiensem, ut ait Raymundus Hugonis in libro de translatione ejusdem corporis edito in tomo primo Martii Bollandiani pag. 731. Vide etiam pag. 713.

Anno MCCCLXXI. die decima Aprilis Ægidius tum Episcopus Tusculanus & Guido de Bolonia Portuensis scripserunt de mandato Papæ Gregorii XI. Episcopo Ilerdensi uti Astruchum de Piera Iudæum Barcinonensem, quem idem Episcopus in custodia detinebat, redderet Episcopo Barcinonensi & fratri Nicolao Eymerici Inquisitori hæreticæ pravitatis in terris cismarinis Regis Arragoniæ; ut docet ipse Nicolaus in Directorio Inquisitorum quæst. 46. ubi etiam extant literæ Cardinalium.

Eodem anno Gregorius ei commisit causam duorum electorum in Ecclesia Trajectensi. *M. Chronicon Belgicum pag. 315.*

Anno MCCCLXXVI. XVII. Kal. Octob. idem Gregorius existens tum apud Orgonum in diœcesi Avenionensi, Romam proficiscens, hunc Ægidium misit in Hispaniam Tarraconensem ut controversiam componeret quæ erat inter Regem Arragonum & Ludovicum Ducem Andegavensem. Ita enim legitur in bulla Gregorii, quam descripsi ex authentico. Vide etiam probationes historiæ Cardinalium Gallorum pag. 613. & seqq.

Rediit deinde Avenionem, ubi eum fuisse eo tempore quo Gregorius XI. mortuus est Romæ colligitur ex literis Anglici Episcopi Albanensis & Petri de Monteruco Cardinalis S. Anastasiæ ad Petrum Gaudelini de sancto Crispino Domicellum Castellanum castri S. Angeli de urbe.

Obiit Avenione, *Domino Clemente VII. existente in Fundis*, (ut ait Ægidius Bellamera in cap. *Ex parte.* de scrutinio.) anno millesimo CCCLXXVIII die quinta Decembris ex paralysi, ut docet frater Bartholomæus de Cucurno ordinis fratrum Minorum in sua depositione; qui hinc colligit hanc pœnam illi à Deo irrogatam quia noluit transgredi in partes Urbani. Hæc sunt ejus verba: *Re vera, Reverendi Domini mei, quos Deus tradidit suis promerentibus demeritis in reprobum sensum ruere permisit in barathrum peccatorum. Quod probant prodigia subsecuta contra Cardinales, sicut docet mors inopinata atque terribilis quondam Cardinalis de Troana* (Theroana) *qui & Morinensis dicebatur, subtractus de medio dum ad Concilium Avinionense trahebat alios Cardinales contra sanctissimum Dominum nostrum Urbanum inibi commorantes; qui ore devoluto ad aures paralyticatus repentè sine debitis sacramentis intempestiva morte præventus est. Quod prodigium quàm terribile fuerit novit Avinio tota.* Si isto argumentandi genere aliis quàm simplicibus & imperitis hominibus uti liceret, numquid & nos non possemus dicere aggravatam fuisse manum Domini super Franciscum de Thebaldeschis vulgò dictum Cardinalem sancti Petri, quem constat horrendo mortis genere interiisse, quia contra justitiam & contra conscientiam solus adhærebat Urbano, quem ceteri Cardinales putabant & aiebant injuria occupare sedem apostolicam? Nonne pronum esset existimare ideo illum morientem momordisse linguam suam, quia ea quasi flabello seditionis usus erat adversus veritatem? Sed hæc inania sunt & anilium deliramentorum.

Malè enim nonnulli confundunt cum Ægidio Bellamera Episcopo Vaurensi & Aniciensi. Quare emendandus est vulgatus à Sammarthanis catalogus Episcoporum Vaurensium, ubi inter Episcopos illius Ecclesiæ recensetur Ægidius Aiscelin postea Morinensis Cardinalis. Emendandus pariter catalogus Episcoporum Morinensium, ubi scriptum est Ægidium Aiscelin fuisse Episcopum Vaurensem. In hunc autem errorem non incidissent Sammarthani, si meminissent observatum à se esse in catalogo Episcoporum Avenionensium Ægidium Bellameram diversum esse ab Ægidio Episcopo Morinensi Cardinale Tusculano.

Malè apud Froissartum vol. 1. cap. 211. vocatur Guillelmus, ubi multùm laudatur.

ANDROINUS DE ROCHA] Prætermissis iis quæ alii retulerunt de Androino, nos percurremus tantùm illustriora ejus gesta.

Anno MCCCLVII. cùm Ægidius Albornotius ex Italica legatione revocatus esset, Androinus tum Abbas Cluniacensis ei suffectus est. *Matth. Villan. lib. 7. cap. 56.* Verùm *vir magis religioni tuendæ idoneus* (ut ait M. Ant. Sabellicus ennead. 9. lib. 8.) *quàm provinciæ administrandæ*, quem etiam Genesius Sepulveda initio libri tertii de rebus gestis Ægidii Albornotii Cardinalis adnotat parum administrandis publicis rebus idoneum fuisse, Claramontius lib. 14. historiarum Cæsenæ pag. 633. describit ut hominem bonum & mitem potiùs

potiùs quàm regendis populis aptum, Matth. verò Villanius lib. 8. cap. 103. tradit fuisse hominem mollem, rerum gerendarum parum peritum, ceterùm inexpertum belli & simulationis ac fraudum, necesse fuit illum citò revocari. Reperi autem in codice 756. bibliothecæ Colbertinæ responsiones ad ea quæ sum ipsi objecta fuerunt circa administrationem Italiæ. Similem, ut arbitror, codicem habebat Iosephus Maria Suaresius, ut patet ex additionibus Andreæ Victorelli ad Ciaconium pag. 921.

Anno MCCLX. magnam famam adeptus est ex pace constituta apud Bretigniacum inter Reges Franciæ & Angliæ. *Froissartus vol. 1. cap. 211. Vualsingham. pag. 175. editionis Francofurtensis.* Quam ob rem fœderati Reges ab Innocentio VI. petierunt ut Androinum in sactum Cardinalium collegium adsciceret. Verùm ille arcanis de causis rem differendam eo tempore censuit. *Odoric. Raynald. an. 1360. §. 3.*

Anno MCCCLXI. die XVII. Septembris factus est Presbyter Cardinalis. Erat autem sum absens. Et quia Ioannes Rex Francorum ejus præsentia indigebat pro quibusdam arduis negotiis, Innocentius ei IV. Non. Novembr. indulsit ut apud eum remaneret usque ad festum ascensionis dominicæ proximè venturum. Petierat præterea idem Rex ut ei Papa mitteret pileum rubeum & procurationes concederet quæ Legatis & Nuntiis apostolicæ sedis debentur. Sed negavit Pontifex. Vide probationes historiæ Cardinalium Gallorum pag. 404.

Anno MCCCLXII. die decima Aprilis, in ramis palmarum, Androinus Cardinalis *celebravit divina ad magnum altare Ecclesiæ* sancti Augustini Cantuariensis, *& eodem die comedit in refectorio, usque in chorum conventum cum Miserere subsequendo. Interfuit etiam matutinis ferialibus per duos dies sequentes, dando super lectiones benedictionem jure suo.* Verba sunt Vvillelmi Thorni monachi Cantuar. pag. 2122.

Eodem anno *tertio die in fine Aprilis*, ut ait Vualsinghamus, *venit Londinum tractaturus cum Rege & consilio suo pro redemptione Regis Franciæ minuenda, obsidibus liberandis, & matrimonio contrahendo cum sanguine Regis Angliæ & Caroli Bleys. Sed de his pausa vel nulla expedivit.*

Anno MCCCLXIII. exeunte decreta ei est legatio Italica ut Bernabonem reduceret ad obedientiam Ecclesiæ Romanæ. *Odoricus Raynaldus anno an. 1363. §. 6.* Petitum autem eum fuisse à Bernabone docet Boninsegnius pag. 513. Discessisse porrò ex urbe Avenionensi die XV. Decembris adnotatum est in libro obligationum. Advenit igitur in provinciam ineunte anno sequenti, & die XII. Ianuarii ingressus est Bononiam, ut docet Ghirardaccius lib. 24. hist. Bonon. pag. 275. ubi tamen falsò Androinum vocat nepotem Papæ, eum videlicet confundens cum Audoino Alberti Cardinale nepote Innocentii VI. Die tertia Martii reconciliavit Bernabonem. *Bzov. an 1364. §. 10. & Odor. Raynal. eod. an. §. 3.* Conditiones autem pacis cum eo initas fuisse valde contumeliosas in Ecclesiam Romanam scribit Boninsegnius in loco paulò antè laudato. Bernardinus Corius ait eam pacem factam esse mense Februario.

Deinde Androinus venit Mediolanum, ut ait idem Corius, ubi splendidè exceptus est à Bernabone, & compater ejus factus est. Et mox soluta interdicto civitas.

Postea profectus est Romam, & ad eam pervenit die XIII. Aprilis, ut est in libro obligationum.

Anno MCCCLXVIII. legationis istius dignitate exutum fuisse tradit ex regesto Urbani V. Bzovius an. 1368. §. 6. Reductem autem intrasse curiam die XXII. Aprilis scriptum est in libro obligationum.

Falsò eum Frizonius scribit fuisse Episcopum Tutelensem.

Franciscus de Rivo in chronico Cluniacensi ait illum obiisse Viterbii VI. Kal. Novemb. & inde apud Cluniacum asportatum esse, ubi jacet in directo capellæ sancti Dionysii itinere quo conventus vadit ad chorum. Postea Ferdinandus Ughellus in additionibus ad Ciaconium pag. 923. auctoritate hujus chronici scripsit illum jacere Cluniaci juxta pilare capellæ sancti Martialis.

Auditor ejus & contubernalis fuit Petrus monachus Cluniacensis, qui anno millesimo CCCLXXV. constitutus est unus è professoribus theologiæ in academia Bononiensi, ut docet Ghirardaccius lib. 24. pag. 278.

STEPHANUS ALBERTI] filius Galteri Domicelli, nepos Audoini Cardinalis, ac propterea Innocentii VI. pronepos.

Sedis apostolicæ Notarium ac Protonotarium eum vocat idem Innocentius in bullis datis anno octavo & nono sui pontificatus. Factus est autem ab eo Episcopus Carcassonensis anno MCCCLXI. VI. Idus Martii, cùm esset in minoribus ordinibus constitutus. Sed nunquam fuit consecratus. Et mox die XVII. Septembris creatus est Diaconus Cardinalis tituli sanctæ Mariæ in Aquiro. Vulgò dictus Cardinalis Carcassonensis.

Ei in cathedra Carcassonensi substitutus est Ioannes Episcopus Dertusensis anno millesimo CCCLXII. IV. Idus Ianuarii. Ex quo facile est colligere Ioannem hunc collocandum esse post Stephanum in catalogo Episcoporum Carcassonensium, non verò post Gaufredum.

Vide Notas nostras ad Concilia Galliæ Narbonensis pag. 59.

Anno MCCCLXIII. quum Vrbanus V. procederet adversus Bernabonem Mediolanensem, Stephanus S. Mariæ in Aquiro & Hugo S. Mariæ in porticu Diaconi Cardinales ad fores palatii apostolici missi sunt à Pontifice qui Bernabonem ut se apostolicis subselliis sisteret appellarent. *Odor. Raynald. an.* 1363. §. 2.

Anno MCCCLXVII. secutus est Vrbanum V. euntem in Italiam, ubi multa passum eum esse in tumultu Viterbiensi testatur Garoscus de Vlmoisca veteri.

Anno MCCCLXVIII. die XXII. Septembris factus est ex Diacono Presbyter Cardinalis. *Prima vita Vrbani V. pag.* 384. Dedit autem illi titulum S. Laurentii in Lucina vacantem per obitum Guillelmi Bragosæ.

Obiit Viterbii an. MCCCLXIX. die XXIX. Septembris; sepultus in cathedrali.

GVILLELMVS BRAGOSE] ortus è diœcesi Mimatensi, ut ait hic auctor. Contrà Matthæus Villanius lib. 10. cap. 71. eum patria Lemovicensem fuisse scribit. *Messer Guglielmo suo referendario era di Limosi.* Fuit primò Doctor & professor juris canonici in academia Tolosana, ut infrà pag. 365. legitur. Ita etiam in excerptis è primo regesto ludorum floralium urbis Tolosanæ nuper editis inter probationes annalium ejusdem urbis pag. 79. ad annum MCCCLV.

Sos assaber Mossen Guilhem Bragoza
En decretals vertadier yshemplari.

Eodem anno MCCCLV. reperio eum fuisse vicarium in spiritualibus & temporalibus Stephani Archiepiscopi Tolosani apud Vvaddingum to. 4. in regesto pontificio pag. 50. 53. ubi vocatur Doctor decretorum.

Per eas tempestates quidam religiosus ordinis Minorum publicè in Ecclesia dixit in sermone ad populum beatam Mariam fuisse conceptam in peccato originali, & mox castigatus est. Rem ita evenisse narrat Ægidius Bellamera in cap. *Conquestus.* de feriis, ubi ita scribit ex relatione Martini de Salva: *Dicit etiam se audivisse à Domino Vabrensi quòd cùm unus frater Minor in theologia magister Tolosæ in domo fratrum Minorum pro parte ista publicè prædicasset, & facto sermone in quodam altari beata Maria in dicta Ecclesia celebraret, & beata Mariæ imaginem tunc videre non posset, rogaretque Deum quòd indicaret sibi causam hujus, dictum fuit suprà à quadam voce desuper quòd ideo erat quia prædicaverat pro parte prædicta, prout idem frater in proximo festo sancti Thomæ præsente & audiente ipso Domino Vabrensi publicè postea prædicavit recipiens pro themate: Thoma, quia vidisti, credidisti.*

Vabrensem vocavit Guillelmum Bragose quia paulò antè quàm fieret Cardinalis fuerat electus Episcopus Vabrensis, & propter hanc rationem vulgò vocabatur Cardinalis Vabrensis. Erat autem præsens in curia quum collegio Cardinalium adscriptus est, ut notatur in libro obligationum, habuitque titulum Diaconi sancti Georgii ad velum aureum.

Eo verò tempore quo erat Cardinalis sancti Georgii, commota academia Parisiensi adversùs fratrem Ioannem Soulechat, cùm is Avenionem se recepisset & cognitores peteret, Vrbanus V. ei dedit Ioannem de Blandiaco & Guillelmum Bragosam. Ita enim testatur ipse Vrbanus apud Odoricum Raynaldum an. 1368. §. 16. his verbis: *Dilectos filios nostros Ioannem tituli sancti Marci & bonæ memoriæ Guillelmum tituli sancti Laurentii in Lucina, tunc sancti Georgii ad velum aureum Diaconum, Presbyteros Cardinales ad audiendum declarationem suam super conclusionibus præfatis auditores per nos sibi obtinuit deputari.* Ex quibus Vrbani verbis colligitur illam academiæ Parisiensis concertationem cum Dionysio citiùs accidisse quàm vulgò scribitur. Præterea ex iisdem Vrbani verbis constat emendandum esse insignem errorem qui irrepsit in revocationem ejusdem Dionysii factam Parisiis anno MCCCLXVI. in qua ait se debuisse exponere dicta sua *coram Reverendissimis Patribus Dominis Cardinalibus Remansensi & Vabrensi.* Pro quo scribendum est *Nemausensi & Vabrensi.* Cardinalis enim de Blandiaco vulgò vocabatur Cardinalis Nemausensis. Vide Spondanum an. 1369. §. 9. & quæ de eodem Dionysio refert Vvaddingus an. 1361. §. 5. & in regesto pag. 76. & to. 4. histor. Vniversitatis Parif. pag. 373. 378. 382. 424.

Anno MCCCLXIII. ineunte idem Vrbanus Guillelmum ex Diacono fecit Presbyterum Cardinalem tituli sancti Laurentii in Lucina. *Infrà in vita Vrbani V. pag.* 365.

Anno MCCCLXIV. ut major Pœnitentiarius Abbati de Albispetris potestatem dedit absolvendi Guillelmum Abbatem Varenarum in diœcesi Bituricensi à censuris quas incurrerat ob sepultos in cæmeterio monasterii sui quosdam laicos. *Sammarthani in catalogo Abbatum Varenarum.*

Anno MCCCLXVI. idem major Pœnitentiarius absolvit Presbyteros, monachos, clericos & laicos Tolosanos & relaxavit interdictum ecclesiasticum quo iidem tenebantur ob missum in carcerem vicarium Tolosæ Domini Archiepiscopi. Hujus rei testes extant literæ Guillelmi Cardinalis editæ inter probationes annalium urbis Tolosæ pag. 528.

Anno MCCCLXVII. erat Viterbii cum Vrbano V. ubi fuit à populo malè tractatus.

Vide infrà in quarta vita ejusdem Urbani pag. 420.

Obiit Romæ anno MCCCLXVIII. die XI. Novembris. De eo verò intelligenda sunt hæc verba Garosci de Ulmoisca veteri: *Item in eodem mense, videlicet Novembris, in octavis sancti Martini, dedit Papa indulgentias in hospitio Cardinalis Guillelmi.* Obiit ergo die vigesima septima post adventum suum in urbem Romanam.

Sepultus est apud sanctum Laurentium in Lucina. Quo fit ut dubitari non posse existimem quin de illo intelligendum sit quod ad Brunum suum scribit Petrarcha lib. 9. rer. senil. epist. 2. fuisse nimirum in comitatu Urbani V. Romam proficiscentis quendam Cardinalem qui maledictis & blasphemiis Pontificem oneraret quòd, Gallia relicta, in Italiam migraret. *Meritò itaque Deus illi qui in hoc maledictis acerrimus omnium fuit manifestum ac terribile signum fecit, ut scilicet ex quo sanctam civitatem attigit, illico moreretur.* Addit Petrarcha adeo pœnituisse illum ut omnia bona sua legarit Ecclesiæ tituli sui, in eaque sepeliri voluerit. *Cardinalem*, inquit, *de quo sigillatim suprà dixi, sic in morte contritum ut devotius nihil atque ita prioris pœnituisse pervicacia ut nullum alium sibi vellet heredem nisi solam tituli sui Ecclesiam, cujus in refectionem omne suum patrimonium jussit expendi, atque ibi sepeliri mortuus voluit.*

Ejus lucubrationes sæpe laudat Ægidius Bellamera super decretalibus.

HUGO DE S. MARTIALI] Ortus è castro de sancto Martiale in parrochia S. Thomæ de Capella de Planis, vulgò *la Chapelle aux Plas*, in diœcesi Tutelensi, ut liquet ex testamento fratris ejus Petri de sancto Martiale Archiepiscopi Tolosani.

Hugonem Matthæus Villanius lib. 10. cap. 71. tradit filium fuisse Petri de sancto Marcello, seu de sancto Martiale, illius nimirum quem Clemens VI. lib. 4. epist. 5. vocat nobilem virum & Domicellum, testaturque magistrum ostiarium & familiarem suum fuisse. Idem fuit Nuncius apostolicus in Sicilia anno MCCCLII. ad reducendam concordiam inter Ludovicum Hungariæ & Ludovicum & Ioannam Siciliæ Reges, ut docet continuator Ptolemæi Lucensis apud Duchesnium to. v. pag. 897. Vide etiam Bzovium an. 1352. §. 7. num. 5. & Odoricum Raynaldum eod. an. §. 1. De eodem & Guillelmo Archiepiscopo Bracharensi socio ejus in legatione Sicula mentionem facit Innocentius VI. in epistolis initio sui pontificatus scriptis ad Ludovicum Regem Siciliæ & Ioannem Archiepiscopum Neapolitanum.

Ejusdem Petri fratres fuisse videntur frater Hugo de sancto Martiale religiosus ordinis Prædicatorum, quem in veteri codice MS. fratrum Prædicatorum Tolosæ reperio assignatum fuisse anno MCCCXXVII. lectorem thelogiæ in conventu Carcassonensi, & Bernardus vel Bertrandus de sancto Martiale Episcopus sancti Papuli electus anno millesimo CCCXLVIII. mortuus anno MCCCLXI. die nona Augusti.

Hugo literis dedit operam in acadamia Tolosana; ubi adhuc erat studens eo tempore quo factus est Cardinalis, ut adnotatum est in libro obligationum. Qua tempestate Petro de Banhaco postea Cardinali commodavit opera M. Tullii Ciceronis. Testatur istud idem Petrus in suo testamento: *Item voluit & mandavit restitui & tradi Domino Hugoni Cardinali sancti Martialis Tullium in duobus voluminibus, quem sibi mutuaverat dictus Dominus Cardinalis sancti Martialis Tolosæ.* Erat autem tum Præpositus Duacensis.

Creatus est ergo Diaconus Cardinalis anno MCCCLXI. die XVII. Septembris, absens. In libro autem obligationum observatum est eum primò curiam intrasse die quarta sequentis mensis Novembris. Tum ergo ei commissa est ab Innocentio Papa diaconia sanctæ Mariæ in porticu.

Anno MCCCLXIII. cùm Urbanus V. cogitaret de reducendo ad officium Bernabone Vicecomite Mediolanensi, dictaque dies eò esset, & peremptorius terminus elapsus esset, missi sunt ab eo ad fores palatii apostolici Stephanus Alberti sanctæ Mariæ in Aquiro & Hugo de sancto Martiale sanctæ Mariæ in porticu Diaconi Cardinales, qui Bernabonem ut se apostolicis subsellius sisteret appellarent. *Odoric. Raynald. an.* 1363. §. 2.

Eodem anno Hugo Rogerii Cardinalis Tutelensis eum constituit executorem sui testamenti. Qua auctoritate instructus anno millesimo CCCLXXIV. die sabbati ultima Decembris fundationem quam idem Hugo fieri decreverat apud Villamnovam Avenionensis diœcesis transtulit ad parrochialem Ecclesiam sancti Germani de Manso sereno in diœcesi Lemovicensi.

Anno MCCCLXVII. comitatus est Urbanum V. proficiscentem in Italiam.

Anno MCCCLXXIV. Gregorius XI. condens testamentum, Hugonem sanctæ Mariæ in porticu Diaconum Cardinalem nominavit inter executores suos. Vide to. VI. Spicilegii Dacheriani pag. 688.

Anno MCCCLXXVI. eodem Gregorio Romam profecto, ipse remansit Avenioni.

Anno MCCCLXXVIII. conflato celeberrimo illo schismate quod universam distraxit Ecclesiam, ipse cum omnibus Cardinalibus adhæsit Clementi VII. quem plerique credebant verum ac legitimum Papam esse,

quia liberè fuerat electus.

Anno MCCCLXXXV. dedit monasterio Cartusianorum Bonipassus prioratum sancti Symphoriani de Caumont, cujus possessio data est eidem monasterio die XXIX. Iunii, ut ex collectaneis viri clarissimi Peyreskii adnotatum est in probationibus historiæ Cardinalium Gallorum pag. 407.

Anno MCCCLXXXV. die dominica septima mensis Ianuarii Mariam Reginam Siciliæ apud Villamnovam visitauit unà cum Guterio Cardinale Hispaniæ, Florentino, Saluciarum, de Novocastro, de Ferigniaco, & cum Episcopis Æduensi & Aniciensi. Ita testatum reliquit Ioannes Fabri Episcopus Carnotensis in suo diario.

Anno MCCCLXXXIX. Hugo, ut Prior Diaconorum Cardinalium, astitit Papæ Clementi VII. in solennibus coronationis Ludovici Ducis Andegavensis & Regis Siciliæ. Vide Miscellanea historica Labbei to. I. pag. 640. & annotationes Dionysii Gothofredi ad historiam Karoli VI. pag. 566.

Anno MCCCXCII. mense Maio, cùm Raymundus de Turenna bellum gravissimum gereret adversùs eundem Clementem, *fuit deliberatum quòd Cardinalis de sancto Martiale loquutum iret ad dictum Raymundum, qui erat in castro suo Mayranitarum; ad quod castrum dilectus filius noster Cardinalis de sancto Martiale loquutus fuit cum dicto Raymundo, & fecit tantum quòd duxit secum dictam Raymundum apud Avenionem cum assecuramento & salvo conductu dicti prædecessoris nostri &c.* ut legitur in bulla Benedicti Papæ XIII. edita inter probationes historiæ Turennensis. pag. 138.

Anno MCCCXCIV. interfuit electioni ejusdem Benedicti, eumque coronavit die dominica XI. Octobris, ut legitur infrà pag. 567.

Quoniam verò Cardinales in conclavi inclusi post mortem Clementis VII. jurejurando promiserant se bona fide daturos operam ut finis imponeretur schismati, etiam per viam cessionis papatus ejus qui foret electus, si id majori parti Cardinalium pro bono Ecclesiæ & unitatis videretur expedire, eaque via approbata à Rege Franciæ & consilio ejus urgeretur, ac propterea Avenionem anno millesimo CCCXCV. missi essent Duces Bituticensis, Burgundus, & Aurelianensis, vocati ab eis Cardinales apud Villamnovam Kalendis Iuniis & rogati promere sententiam suam in hac causa, omnes præter Pampilonensem approbavere viam cessionis. Nulla autem inter eos mentio Cardinalis sancti Martialis, nimirum quia per multum temporis ægrotavit. Reperio enim illum fuisse ægrotum eodem anno die XXIV. Iunii. Præterea Cardinales de Agrifolio & de Vernhio scribentes ad Regem die octava sequentis mensis Octobris testantur eum adhuc morbo fuisse detentum: *necnon Domini sancti Martialis, qui tunc & nunc infirmitate oppressus deliberationibus super hoc habitis non interfuit.*

Anno MCCCXCVIII. cùm decretum esset in Concilio Ecclesiæ Gallicanæ uti Benedicto XIII. parum memori earum rerum quas promiserat in conclavi subtraheretur obedientia, eaque subtractio jussu Regis publicata fuisset Avenioni Kal. Septembris, postero die Cardinales Galli, & inter hos Cardinalis S. Martialis, Avenione decesserunt; sed is tamen ab ejus obedientia discedere noluit, ut docet Surita lib. 3. Indicum.

Obiit Avenione anno MCCCCIII. ut docet Contelorius, & sepultus est in monasterio Cælestinorum ad Pontem Sorgiæ.

Fratrem habuit Petrum Archiepiscopum Tolosanum & Guidonem dominum de Lercio. Sic enim eum reperio nominatum in veteri instrumento quod extat in archivo oppidi Bellilocensis in finibus Lemovicum, ex quibus patet Ioannem le Maingre dictum Bussicaudum & Antonietam de Turenna ejus uxorem constituisse anno MCCCCXII. die XII. Martii procuratorem Aymericum Belmondi scutiferum Petragoricensis diocesis ad recipiendum pro ipsis realem & corporalem possessionem castrorum & villarum de Turenna, de Monte sereno, de Serveria, de Monte Valenti, de Briva la Gaillarda, de Martello, de Belloloco, totiusque vicecomitatus Turennæ. Acta hæc in Castronovo Clarimontis Cadurcensis diocesis præsentibus Ioanne Episcopo Cadurcensi & Guidone de sancto Martiale Milite domino de Lercio. Ex quo patet irrepsisse obscuritatem & tenebras in Galliam purpuratam pag. 374. ubi iste Guido dicitur secutus castra Domini Lertii diœcesis Avenionensis. De eodem Guidone puto accipienda esse hæc verba ex diario Ioannis Fabri Episcopi Carnotensis ad annum MCCCLXXXV. *Ce jour*, (id est, die sabbati XXVII. Maii) *Messire Gui de saint Marcial fist hommage lige de ce que il tient en Provence à Madame comme aiant le bail du Roy son filx, & fist serment de feaulté.* Nimirum pro castro & ditione Lercii. De eodem hæc leguntur in eodem diario ad annum MCCCCVII. die XXVI. Ianuarii: *Item littera ad Thesaurarios pro Domino Guidone de sancto Martiali de solvendo ei quatuor mille florenos in octo terminis, quorum primus sit in festo omnium sanctorum, de erreragiis sibi debitis pro provisione annua quam recipit super pedagium Tharasconis & proventus riparia Rodani de mille florenis de camera per annum.*

Hugonis & Petri nepos ex sorore fuit Bertrandus de Malomonte Episcopus primùm

Mirapicensis, mox Vaurensis, Biterrensis, & postremò Tutelensis.

p. 342. PETRUS INFANS ARRAG.] filius Iacobi II. Regis Arragonum & Blanchæ filiæ Karoli II. Regis Siciliæ, quæ soror erat sancti Ludovici Episcopi Tolosani. Obiit illa anno MCCCX. & sepulta est in monasterio sanctarum crucum cognominato in finibus diœceseos Barcinonensis. Sequentem inscriptionem ex veteri lapide descriptam reperi inter schedas Hieronymi Pujadesii.

In Christi nomine. Obiit serenissima Domina Blancha Regina Aragonum Barchinone II. Idus Octobris anno Domini MCCCX. & elegit sepeliri in monasterio sanctarum crucum ordinis Cisterciensis. & legavit ipsi monasterio castrum Drorgato. Et ordinavit quòd VI. monachi celebrent missas cotidie in perpetuum pro anima sua & Domini .... & parentum ejusdem Domina. Et Abbas & conventus dicti monasterii de voluntate illustrissimi Regis Aragonum viri sui & de assensu & licentia venerabilis Domini Abbatis Cisterciensis & capituli generalis ordinaverunt quòd VI. monachi notentur qualibet septimana perpetuò qui celebrent Missas prædictas. Item legavit dicto monasterio M. libras Barchinonenses pro emendis redditibus pro XII. pitanciis conventui dicti monasterii perpetuò faciendis, & quòd Abbas & conventus faciant anniversarium quolibet mense, scilicet in Ianuario XV. die, in Febrnario XIX, in Martio XXVII. die, in Aprilis XXI. die, in Madi XX. die, in Iuni XXIII. die, in Iul. XXVIII. die, in Augusto XXIII. die, in Septembri XXVII, in Octobri XIIII. die, in Novembri XXVI. dis, in Decembri XIX. die. Et est qualibet pitancia LXXX. solidorum. Et sunt assignati ad hoc redditus M. solidi super castro de Pontons. Quicunque hanc scripturam legerit, dicat Pater noster pro anima sua.

Iacobus Rex Blanchæ maritus & pater istius Petri Infantis obiit anno MCCCXXVII. & in eodem monasterio sanctarum crucum sepultus est ad latus sinistrum majoris altaris, ut in iisdem Pujadesii schedis adnotatum est, in quibus extat epitaphium sequens.

Hornant hanc tumbam qui simplicitate columbam
Est imitatus Rex Iacobus hic tumulatus
Rex Aragonensis, Comes & Dux Barchinonensis,
Majoricensis Rex, necnon Ciciliensis,
Moribus & vita consors sua Blancha munita,
Illustri nata Karulo, simul hic tumulata.
Nec fuit hic segnis in subdendis sibi regnis.
Subdita sunt itaque sibi Murcia Sardiniaque.
Floruit hic quinque regnis per tempus utrisque.
Restituit gratis tria jus servans deitatis.
Hic humilis corde, peccati mundus à sorde,
Misericors, mundus animo, sermone facundus,
Iudiciis justus, armis belloque robustus,
Latus, non mœstus vultu, mitisque, modestus,
Dici pacificus meruit, quia pacis amicus.
Regna tenet celi, Domino testante fideli.
Cùm se collegit, habitum Cister. praelegit.
Cui qui cuncta regit parcat qua nescius egit.
Defecit membris secunda nocte Novembris
Anno millesimo centum ter bis quoque dno
Septenoquo. Pia sibi sistat virgo Maria.
Amen.

Illorum ergo filius Petrus, de quo nunc nobis sermo est, uxorem duxit Ioannam filiam Rogerii Bernardi Comitis Fuxensis. Ex ea suscepit Alfonsum Comitem Deniæ & Ripacurtiæ, Ioannem Comitem montanearum de Pratis, Iacobum Cardinalem, de quo dicemus infrà cùm ad Clementis VII. pontificatum pervenerimus, & Leonoram Cypri Reginam, quæ obiit anno MCCCCXVII. apud Barcinonem, ubi jacet in Ecclesia fratrum Minorum cum epitaphio quod editum est à Michaele Carbonello fol. 214. chronicorum Hispaniæ.

Anno MCCCXLIII. in ea parte campi Tarraconensis mari contigna quæ attingit montes Balagarios fundavit celeberrimum xenodochium, quòd vulgò vocatur Hospitale Principis vel Comitis, *lo Espital del Princep e del Comte.* Supra portam turris ejusdem loci in marmore candido scripta est sequens inscriptio, quam Pujadesius suprà laudatus notavit se descripsisse ex ipso lapide anno millesimo DCXIII. die XXIX. Septembris.

Anno Domini MCCCXLIII. VI. Idus Novembris inclitus Dominus Infans Petrus illustrissimi Domini Iacobi bona memoria Regis Aragonum filius, Comes Ripacurtie & montanearum de Pradis, pro animabus nobilium Comitum Impuriarum defunctorum de pecunia manumissoria prædictorum Comitum juxta ordinationem sanctissimi in Christo Patris & Domini Clementis Papa VI. hunc hospitale fundavit, dotavit, & construi fecit in honorem & laudem Domini & beata virginis Maria, sanctorum Apostolorum Petri & Pauli.

Petrus Infans ægrè ferens desiderium Ioannæ uxoris suæ, quæ circa annum MCCCLVIII. extincta est, rerum mundanarum curam abjicere decrevit & Christum pauperem sequi. Itaque divisis bonis suis inter filios, ipse instituto sodalium Franciscanorum se addixit. Hinc factus illustrior, ac miraculorum & revelationum gloria clarissimus, cùm ætatem suam produxisset usque ad tempora schismaris, Urbani VI. partes tuitus est acriùs quàm deceret virum sapientem & sanctitatis

op.oione celebrem, ut constat ex variis historiis quæ referuntur ab Odorico Raynaldo. Qua io re tamen imitatorem ooo habuit Iacobum filium suum; qui tanti non fecit revelationes patris soi editas in gratiam Vrbani quio, eo spreto, ad Clementem transfiret, gnatus videlicet quanti æstimandæ sint externæ & adveotitiæ visiones, quæ facilè irrepunt in animos hominum simplicium & propter sanctitatis opinionem sibi nimis arrogaotiom.

KAROLVS COMES ALENC.] Vide Bzovium an. 1359. §. 12. Odoricum Raynaldum an. 1358. §. 1. & epistolam Innocentii VI. editam inter probationes historiæ Cardinalium Gallorum pag. 372.

MVRIS ET TVRRIBVS] Erat enim Avenio *parva murorum ambitu*, ut ait Petrarcha lib. 1. rer. senil. epist. 18. Tum verò facta est ampla civitas. Vide Matthæum Villanium lib. 7. cap. 96. & Bzovium an. 1365. §. 9. & an. 1368. §. 5. Novorum murorum urbis Aveniooensis mentionem facit Bonifacius de Amanatis in Clement. *Eos qui.* de sepulturis.

BERNARD. RASCASII] Huoc nobili genere ortum in Lemovicibus ac Clementis & Innocentii Romaoorum Pontificum consanguineum fuisse tradunt Ioannes Nostradamus in libro de vita poetarum Provincialium & Cæsar Nostradamus in historia Provinciæ. Monachus autem insularum aurearum ait illum prodiisse ex ea ipsa urbe ex qua prodierat & Clemens. Hujus porrò hospitalis à Beroardo fundati mentio extat in testamentis Audoyni Alberti & Ioannis de Grangia Cardinalium. Immo Audoynus eundem Bernardum instituit executorem sui testamenti. Ex quo patet errare eos qui illum obiisse scribunt anno MCCCLIII.

DOMVM CARTVSIENSEM] Certum est illam ab Innocentio VI. conditam ac coostitutam fuisse in palatio quod is apud Villamnovam habebat eo tempore quo factus est Cardinalis, ut ad annum 1356. §. 42. osteodit Odoricus Raynaldus, & patet ex bulla fuodationis data apud Villamnovam II. Kal. Iuoii aono quarto. Sed iocertum est quæ causa eum moverit ad eam constituendam. Nondum enim mihi bene persuasum est veram ac seriam esse narratiooem quæ extat apud Petrum Dorlandum lib. 4. chronici Cartus. cap. 16. quam alii quoque multi post eum retulere. Et primò quidem Iooocentius illic posuit unum Priorem & duodecim monachos cooventuales, duos alios servitiis infirmorum & debilium insisteotes, duos clericos ouncupatos redditos, ac quatuor coovetsos, & oomen servitores ad servitium Prioris & monachorum prædictorum. Postea Petrus de Monteruco Cardinalis anno MCCCLXXXII. addidit alios duodecim cooventuales & alios duos ad serviendum infirmis & debilibus, duos clericos ouncupatos redditos, & quatuor conversos, ac novem famulos ad servitium eorundem Prioris & monachorum. Præterea Stephanus Alberti Cardinalis Carcassonensis quasdam cellas ædificari mandavit, deditque propterea MCCCLXXV. floreoos auri & tres grossos argenti. Hæc sumpta sunt ex veteribus mooumentis ejusdem monasterii ad nos olim missis.

VBI A PRINCIPIO STVDVERAT] Hujus rei testis est omni exceptione major ipse Innocentius in literis apostolicis de fundatioое collegii S. Martialis Tolosæ: *In civitate Tolosanensi*, inquit, *in qua viget dictorum jurium studium generale, quamque diligere præcipuis affectibus obligamur, dum grata memoratione recolimus quod civitas ipsa nos ab annis teneris sua doctrina lacte aluit, ac succedente ætate, post receptos per nos plurimos honores in eadem, doctorali in jure civili eminentia titulo insignivit &c.* Fuit nempe professor legum in academia Tolosana, uti suprà pag. 923. dictum est.

S. MARTIALIS] qood constructum fuit io ædibus oobilis viri Guillelmi Pootii de Morlanis, io quibus habitasse olim Innocentium babet antiqua traditio. Iocepit autem esse collegium anno MCCCLIX. die XI. Novembris. Sic enim legitur in veteri libro ejusdem collegii: *Anno Domini* MCCCLIX. *die* XI. *mensis Novembris, qua fuit luna, in festo beati Martini, in domo sancti Martialis Tolosæ per sanctissimum in Christo Patrem & Dominum nostrum Dominum Innocentium divina providentia Papam sextum de novo fundata fuerunt introducti & recepti scholares & sacerdotes & inchoatum regimen dictæ domus, & Dominus Guilhermus de Marnagus & magister Helias de Trolio scholares deputati Priores pro regimine præfatæ domus juxta ordinationes dicti Domini Papæ.* Hinc fluxisse arbitror vetustam consuetudinem ut qootannis in pervigilio sancti Martini unus è scholaribus orationem Latinam habeat ad socios ante cœnam. Anno MCCCLX. Priores erant idem Guillelmus de Maroagus & Guillelmus Iordani. Socios verò ejusdem collegii, quos primos fuisse institutos ab Innocentio valde verisimile est, eodem anno hos fuisse reperio, magistrum Guillelmum Galterii Baccalarium in decretis, Bernardum Cellerarii, Ioanoem de Ceno, Petrum Guidoois, Petrum Veruhini, Geraldum Lastorie, Raymundum Mimenii, Guilhalmon Teste, Duraodum Belhoga, Heliam de Valtiaco, Heliam de Ronarello, Ioannem la Manhama, Raymundum de Rapistagno, Stephanum Teulerii, Galhardum de Nova Ecclesia,

Ioannnem Columbi, Petrum Ruffi, Bernardum de Ca aca, Gera.dum Caudias, & Ioannem de Vebra. Porrò, ut illuc quoque obiter dicam, Ioannes la Manhama videtur fuisse ex eadem gente ex qua prodiit Hugo Manhama Epi.copus Segobiensis anno millesimo CCCLXXVII. ut legitur apud Gatiellum in ſerie Præſulum Magalonenſium par. 2. pag. 104.

Dedit huic collegio Innocentius varios libros juris civilis & canonici, quotum catalogus etiamnum habetur in archivo ejuſdem collegii. Illud quoque placet addere in hoc loco, collegium iſtud aſylum fuiſſe viro doctiſſimo Guillelmo Bigotio, qui vexatus ab inimicis ſuis, illic latuit per tres menſes. Teſtatum id ipſe facit in epiſtola antilogica præludii philoſophiæ Chriſtianæ, ubi pag. 10. iſta leguntur: *Initio Toloſam veni ad ſeptimum Calendas Octobres, ubi in expectatione prædictæ inquiſitionis latui menſes treis apud Divi Marcelli ſtudioſos, quàm verò ibi humaniter tractatus non verbis facilè conſequar.* Poſuit autem Bigotius *Marcelli* pro *Martialis*, certo errore, ut ſuprà pag. 963. Nullum enim apud Toloſam collegium eſt quod vocetur de nomine ſancti Marcelli. De Bigotio porrò vide vitam Petri Caſtellani Magni Franciæ Eleemoſynarii pag. 131. 163.

IN PACE QVIEVIT] *eo potiſſimùm tempore*, inquit Platina, *quo & Bartholus Saxoferratus, vir illa ætate omnium conſultiſſimus.* Vtar autem hac occaſione ut finem imponam controverſiæ de anno quo idem Bartholus exemptus eſt rebus humanis. Multa enim variant de morte ejus auctores. In calce itaque codicis 479. bibliothecæ Colbertinæ ita ſcriptum eſt antiquitus: *Explicit lectura Domini Bartoli de Saxoferrato legum excellentiſſimi Doctoris, qui obiit anno Domini* MCCCLVII. XIII. *die menſis Iulii, & ſepultus eſt in civitate Peruſii in ſancto Franciſco juxta altare magnum ad latus dextrum, tunc legens in ſtudio Peruſii, & cujus anima requieſcat in pace Dei miſericordia, regnante Imperatore Karolo Bohemiæ Rege.*

P. 344. DIE XII. SEPTEMBR.] Qua die ex ipſiuſmet Innocentii inſtitutione ſolenne ejus anniverſarium ſingulis annis celebratur in eodem collegio. Quæ inſtitutio, diù intermiſſa per incuriam eorum qui ante annos illic fuerunt, demum anno MDCL. reducta & revocata eſt, me in primis promovente & urgente. In Martyrologio Eccleſiæ Noviomenſis ita ſcriptum eſt: *Duodecima die Septembris debet fieri anniverſarium ſel. recor. Domini noſtri Innocentii Papæ ſexti, qui dedit nobis trecentos florenos regales pro viginti libris annui ſupercenſus pro dicto ſuo anniverſario quolibet anno faciendo emendis. De quibus florenis fuit domus de Furnis jumellis per capitulum Ioannis Robelin & uxori ſuæ empta ſub æſtimatione ſeu valore viginti librarum annui ſupercenſus. Pulſatores habebunt pro duabus magnis campanis pulſandis ſex ſolidos, & debent fieri commendationes in foro, non Canonici ſacerdotes duodecim denarios, vicarii octo denarios, & pueri quatuor denarios. Et debent duo Canonici chorum ad Miſſam tenere, & magni cerei in vigiliis, commendationibus, & Miſſa ardere.*

CARDINALIS APPAMIAR.] Pontius de Villamuro, quem alii Arnaldum vocant, ut ſuprà pag. 902. dictum eſt. Obiit Avenioni anno MCCCLV. die XXVIII. Octobris, ut docet Contelorius. P. 346.

FVNDAVIT ECCL. S. DESID.] Iſtud explicandum eſt. Conſtat enim Bertrandum de Deucio non cogitaſſe de Eccleſia ſancti Deſiderii, ſed de conſtruenda Eccleſia collegiata ſeu conventuali apud Villamnovam. Verùm executores ejus teſtamentarii, *conſiderata temporum qualitate, deliberatione prahabita diligenti, pro magis opportuna hujuſmodi expeditione negotii, ac pro utiliori complemento piæ intentionis teſtatoris ejuſdem, & de conſenſu & licentia ſpeciali Domini Papæ, in Eccleſia parrochiali ſancti Deſiderii de Avinione, ipſa penitùs revocata, collegium hujuſmodi erexerunt, & certas perſonas pro divino cultu in ea impendendo ibidem inſtituerunt, quæ ibidem die & nocte laudabiliter, ut dicitur, officiant & divina officia impendunt*, ut legitur in litteris Ioannis Regis Francorum datis apud ſanctum Audomatum anno MCCCLX. die tertia Novembris. Hanc novam Eccleſiam anno ſuperiore dedicaverat Raynaldus Epiſcopus Æduenſis. In eam verò tranſlatum fuit corpus Bertrandi Cardinalis de Deucio, ut legitur infrà pag. 353.

FRANC. DE ORDELAFFIS] Vide Odoricum Raynaldum an. 1355. 21. P. 347.

EPS PACTENSIS] frater Petrus Thomas, vir celeberrimus, & ſanctitatis fama commendatus. De hac ejus legatione vide Philippum Mazzerium cap. 3. Ioannem Carmeſſonium cap. 5. & Vvaddingum cap. 13. de vita & rebus geſtis ejuſdem Petri.

NVNTII IMP. CP.] Vide vitam ejuſdem Petri Thomæ & bullas Innocentii quas Vvaddingus illic edidit. Vide etiam Odoricum Raynaldum an. 1356. §. 32. P. 348.

CVM REGE MARROCHIÆ] Surita lib. 3. Indic. ad annum MCCCLVIII. *Feſtus nativitatis Domini dies à Rege Valentiæ celebratur. Belamarinio Maurusiorumque Regi adverſus Caſtella Regem nimis ferum atque capitalem amicitia adjungitur.* Sed in hoc loco quæri poteſt an Rex Aragonum id fecerit cum conſenſu Papæ. Narrat enim Hiero- P. 351.

nymus Paulus Barcinonensis in practica cancellariæ apostolicæ quòd cùm ævo suo *fuisset de facto hoc dubium & tractaretur pax per Mahometum Bocor oratorem Regis Tunizii nomine ejusdem Regis & clarissimæ memoriæ Ioannem Regem Arragonum, fuimus aliqui Doctores consulti à Rege præfato Barchinonæ, & declinavimus in partem quòd non posset facere pacem inconsulto Papa.*

ECCLES. S. PETRI AVIN.] Vide testamentum istius Petri Cardinalis inter probationes historiæ Cardinalium Gallorum pag. 618.

P. 352. BVTTA VINI] Alibi scriptum est *bota fenini* vel *vase vini*.

OBEDIENTIAM PROMISIT] Vide Bzovium an. 1358. §. 6. & Cæsarem Nostradamum in hist. Provinciæ pag. 406.

P. 353. IN ARMIS] Vnus codex habet *in larvis*.

REX NAVARRÆ] Alibi *Rex Angliæ*. Quæ est vera lectio. Agitur enim isthic de pace pacta apud Bretigniacum. Vide Froissartum vol. 1. cap. 211. & continuatorem Nangii pag. 872.

FIRMANAM CIVIT.] Alibi scriptum est *financias civitatis*.

P. 355. OCTO CARDINALES] Matthæus Villanius lib. 10. cap. 46. novem fuisse ait. At cap. 71. octo tantùm nominat, id est, Petrum de Prato Episcopum Prænestinum, Guillelmum Curti dictum Cardinalem Album, Petrum Bertrandi juniorem Episcopum Ostiensem, Ioannem de Caramanno, Franciscum de Tudeto Cardinalem Florentinum, Bernardum de Tutte, Guillelmum Farinerii, & alium quendam. Sed verior est prior ejus traditio. Nam præter hos septem, sublati sunt hac eadem tempestate Petrus de Croso & Petrus de Foresta. Et sic fuere omnino novem Cardinales mortui tempore hujus pestis. Henricus Rebdorffius ait à festo Paschæ usque ad Pentecosten & ad festum Iacobi Apostoli mortuos esse apud Avenionem centum Episcopos & quinque Cardinales. Hi fuere Petrus Bertrandi, Guillelmus Curti, Guillelmus Farinerii, Petrus de Foresta, & Petrus de Prato.

TRES ABSENTES] id est, Petrus Iterii, Ioannes de Blandiaco sive Blansaco, & Hugo de sancto Martiale, quos primò ad curiam venisse die quarta Novembris adnotatum est in libro obligationum. Dies autem quarta Novembris incidit anno MCCCLXI. in diem Iovis.

EODEM DIE] Contrà in eodem libro obligationum scriptum est Gnidonem de legatione Hispanica reducem intrasse curiam die octava Novembris, id est, quatriduo seriùs quàm tradit hic auctor.

P. 357. PROCVRATOR] Videtur Trithemius habuisse exemplum hujus vitæ. Etenim in chronico Hirsaugiensi loquens de electione Innocentii scribit eum procuratorem causarum primò fuisse. Præposteto ordine scriptum est in tomo quarto historiæ Voiversitatis Parisiensis pag. 327. eum fuisse judicem, deinde Noviomensem Episcopum, postea procuratorem, & id quidem in Romana curia. Savaro in originibus Claromontanis pag. 208. ait fuisse causarum patronum apud Lemovices.

LEMOVICENSI] Errat hic auctor. Etenim Guillelmus Farinerii erat patria Cadurcensis, ut legitur suprà pag. 331. P. 359.

GABALITANVS] Certum est varias esse veterum recentiumque scriptorum opiniones de patria Vrbani V. & eam ab omnibus ferè præferri quæ illum Lemovicibus accenset. Et tamen nihilo minùs certum est ortum illum esse in diœcesi Mimatensi, in qua comitatus Gabalitanus. Cùm verò quærerem unde orta esset in animis hominum ea discrepantia opinionum, viderem autem fuisse antiquitus apud Lemovices gentem nobilem Grimoardorum, cujus clara documenta extant apud Gaufredum Vosiensem & in chartulariis monasteriorum Vosiensis, Vicercensis, & Dalonensis, putabam existimari non immeritò posse eam gentem à Lemovicibus translatam esse ad Gabalos, ut sæpe evenit, & hinc factum ut qui proximi illorum temporum cum sciebant fuisse nobilem in Lemovicibus, crederint Vrbanum quoque, qui ex ea prodiisset, illic quoque natum. Nam Gaufredus Vosiensis pag. 301. loquens de Aldeberto Priore Vicercensi, qui postea fuit Abbas ejusdem monasterii, ita scribit: *Hic fuit ex Militibus de Segur qui Grimoardi cognominantur.* Sanè in chartulario monasterii Vosiensis fol. 63. legitur in quadam charta nomen Audeberti Grimoardi, & fol. 104. Petrus Grimoardus monachus. In chartulario verò monasterii Dalonensis fol. 81. in actis anni MCLXXXIV. ita scriptum est: *Hoc concessit Guido filius Vicecomitis apud Segur, præsente patre suo, sub testibus Petro de Chamlazac & Ademaro de Biozac fratribus Dalonensibus & Bernardo de Iaunac & Willelmo Grimoardi de Segur.* In eodem chartulario fol. 62. Ademarus Grimoardi de Chamblazac dat quædam bona monasterio Dalonensi. Et fol. 71. in literis Henrici II. Regis Angliæ pro monasterio Dalonensi testis cum Raimundo Archiepiscopo Burdegalensi & Geraldo Episcopo Lemovicensi nominatur Petrus Grimoardi Canonicus sancti Frontonis Petragoricensis. Demum in chartulario monasterii Vicercensis fol. 21. in charta Archambaldi Vicecomitis Combornensis scripta anno DCCCCXCIX. inter testes, quos omnes viros primarios fuisse animadverto, nominatur quidam Grimoardus. Ceterum opinionem eorum qui Vrbanum V. Lemovicem P. 363.

vicem fuisse contendunt non esse novitiam probatur auctoritate Radulphi de Rivo Decani Tungrensis hac ipsa tempestate viventis; qui loquens de morte ejus ait illi successisse Gregorium XI. & eum quoque Lemovicem, id est, ex eadem patria ex qua prodierat etiam Vrbanus. Hæc sunt ejus verba: *Defuncto Vrbano successit Gregorius undecimus, origine & is quoque Lemovix.* eo modo quo Symphorianus Champierius in libro de summis Pontificibus Gallis, loquens de hoc ipso Vrbano, ait, *patria & ipse Lemovicensis*, & Ioannes Baleus centur. 5. cap. 89. scribit: *Vrbanus V. patria & ipse Lemovicensis.* Adde veterem inscriptionem quæ Tolosæ sub imagine ejus extat in claustro Augustinianorum, ubi ita legitur.

VRBANVS PAPA QVINTVS
LEMOVICENSIS
SANCTÆ MEMORIÆ.

Quam inscriptionem esse vetustam, licèt novis characteribus exaratam seu potiùs renovatam ante hos centum ferme annos, ostendit ipsa pictura; eique præterea fidem adstruunt acta processus vitæ ejus oblata Papæ Clementi VII. à Petro Olmarii Canonico Aquensi ac procuratore Karoli Francorum & Ludovici Siciliæ Regum, quæ extant apud Bzovium. Illic enim legimus Vrbanum jam illis temporibus, quibus recentissima adhuc erat illius memoria, ut sanctum fuisse cultum & ut talem in Ecclesiis pingi solitum. *In diversis & plurimis Ecclesiis, etiam patriarchalibus, etiam Roma, imago ejus tanquam sancti pingitur & honoratur.* Vide etiam secundam vitam ejus infrà pag. 413. ubi ita scriptum est: *Vix est Ecclesia in mundo in locis sollemnibus quin sit imago ejus depicta & cum vigiliis & oblationibus honorata.* His postremò addetur testimonium Radulphi du Rivo, qui ita de Vrbano scribit: *Anno* 1369. 19. *Decembr. fer.* 5. *moritur Vrbanus quintus sanctissima memoria Pontifex, in Ecclesia Avinionensi primò sepultura traditus, ubi statim multis cœpit miraculis coruscare. Inde translatus Marsiliam in monasterium sancti Victoris, ubi prius Abbas fuerat. Quo loco quanta recuperatarum sanitatum miracula patrata fuerint, tum copiosa cereorum ad monumentum ejus ardentium multitudo, tum donaria & alia quæ isthic ab advenientibus offeruntur, sufficienter ostendunt.* Thomas quoque Vvalsinghamus de morte ejus agens testatur plurima ad ejus tumulum clara miracula fieri, *ex quibus*, inquit, *cujus meriti fuerit apud Deum cunctis fidelibus apertissimè declaratur.*

CONSECRATVS ET CORONATVS] Matthæus Villanius lib. 11. cap. 26. *prese il manto e la corona à di sei di Novembre.*

CORONATVS] Ciaconius & alii scribunt eum suæ coronationis insignia suscepisse per manus Arnaldi de Via Diaconi Cardinalis tituli sancti Eustachii. Sed illos errare nos olim ostendimus, cùm constet hunc Arnaldum diù antè mortuum esse quàm Vrbanus fieret Pontifex. In secunda vita ejus pag. 399. & apud Odoricum Raynaldum an. 1362. §. 5. 7. scriptum est illum fuisse coronatum à Cardinale Magalonensi, id est, ab Audoyno Alberti Episcopo Ostiensi, qui vulgò vocabatur Cardinalis Magalonensis.

GRIMOARDVS MILES] dominus Grisaci apud Gabalos. Vxorem habuit Amphelisiam de Monteferrando. Vide Bzovium an. 1370. §. 16. nu. 4. & Papirium Massonum in vita ejusdem Vrbani. In ejus gratiam Ioannes Rex Francorum multa privilegia concessit habitatoribus locorum de Grisaco, de Belagarda, de Bodoesco, de Montebello, & de Grasso.

AD STVDIA LITTER.] apud Montempessulanum, ubi in prima juventa dedit operam studio literarum, tum apud Tolosam & Lutetiam. Vide infrà pag. 417. & Bzov. an. 1370. pag. 1366. num. 5. 7.

DOCTOR DECRETOR.] magnus Canonista vocatus ab auctore M. Chronici Belgici. Petrarcha lib. 7. rer. senil. epist. 1. eum ait juris utriusque peritissimum fuisse.

IN MONTEPESSVLANO] Vir clarissimus Guillelmus Catellus in Memoriis histor. occit. pag. 293. & seq. loquitur de celebritate academiæ Montispessulani in jure docendo, in eaque jus civile publicè docuisse ait veterem illum Iurisconsultum Placentinum, tum etiam Azonem. Quod confirmari potest ex literis sancti Ludovici Regis Francorum datis Parisiis anno MCCXXX. mense Iunio, quibus Episcopo Magalonensi & successoribus ejus concedit potestatem *recipiendi juramentum à licentiandis seu doctorandis in facultate canonica seu civili in studio villæ Montispessulani.* Extant in regesto LXXXII. archivi regii Paris. cap. 583. literæ Ioannis Regis Francorum datæ apud Montempessulanum anno millesimo CCCL. mense Ianuario, quibus Vniversitatem Doctorum & scholarium utriusque juris Montispessulani declarat esse in sua gardia speciali & protectione, eorumque causas committit judici parvi sigilli Montispessulani. In collectaneis Petri Puteani de dissidio Bonifacii VIII. & Philippi pulchri Regis Francorum pag. 157. commemorantur ad annum MCCCIII. v. Kal. Augusti *Petrus Ioannis & Bartholomæus de Clusello legum Doctores in Montepessulano commorantes.* Per eadem tempora celeberrimus ille Petrus Bertrandi Cardinalis Æduensis juris utriusque doctrinam professus est in Mon-

repessulano, ut ipse docet in præfatione operis quod vocavit Scrinium juris. Ea edita est inter probationes historiæ Cardinalium Gallorum pag. 326.

Anno MCCCXVII. Franciscus Petrarcha, ille reflorescentis eloquentiæ princeps apud Italos, ut eum vocat Erasmus, missus est à patre ad academiam Montispessulani studio juris civilis operam daturus. Hujus rei testis est ipse Petrarcha lib. 20. rer. familiar. epist. 4. *Ego quidem, amice, illi studio puer destinatus à patre vix duodecimum ætatis annum supergressus, & ad Montempessulanum primò, inde Bononiam transmissus, septennium in eo integrum absumpsi.* Natus est Petrarcha an. MCCCIV. XIII. Kal. Augusti. Ex quo consequitur eum anno MCCCXVII. supergressum fuisse duodecimum annum ætatis suæ. Mansit illic per quadriennium, ut ipse ait in libro de vita sua. Idem lib. 4. rer. memorandar. cap. ult. & lib. 15. rer. senil. epist. 1. ingenuè fatetur se invitum admotum à parentibus ad studium juris civilis, sui juris effectum, illud abdicasse & ad solita studia remeasse. Cur autem ita fecerit rationem dedit in libro de vita sua. *In Montepessulano*, ut ait Iacobus Philippus Thomasinus, *audivit Ioannem Andream & Cinum Sigisbuldum Pistoriensem jurisprudentiam ibi publicè profitentes:*

Levoldus à Northof in chronicis Comitum de Marka ita scribit: *Anno Domini MCCCL. tres Domicelli de Marka fratres Comitis de Marka Engelberti, videlicet Adolfus, Theodoricus, & Everhardus, in die sanctorum Marci & Marcelliani venerunt Leodium, & mecum manserunt ibidem donec ipsos ad curiam Romanam & ad Montempessulanum ad studium procuravi transmitti.* De Theoderico testatur Erdwinus Erdmannus in chronico Episcoporum Osnaburgensium pag. 230. illum in studio universali Montispessulani literis diligenter instructum fuisse.

De Berengario de Landorra vide quæ dicta sunt suprà pag. 694.

Anno MCCCLXII. Bernardus Episcopus Brixiensis fundavit apud Montempessulanum collegium decem scholasticorum pauperum studentium in jure civili & canonico. *Gariell. in serie Præsulum Magalon. par. 2. pag. 65.*

Gregorii XI. pontificatu Petrus de Luna (dictus postea Benedictus Papa XIII.) jus canonicum publicè docebat in gymnasio Montispessulani, ubi se eum legentem in jure canonico vidisse testatur Theodoricus à Niem lib. 2. de schismate cap. 33. eo tempore quo idem Gregorius illum fecit Cardinalem. Ad hæc tempora & ad academiam Montispessulani respicicbat ille juris professor qui tractatu speciali edito adversùs eos qui Benedictum condemnabant ob recusatam viam cessionis, ostensurus illum non esse propterea hæreticum, ut illi contendebant, ait: *Et primò non videtur verisimile nec præsumendum quòd homo à pueritia in scholis nutritus, qui decretorum Doctor satis longo tempore legit ordinariè in studio generali & famoso, ubi legendo, disputando, & etiam prædicando plures actus scholasticos exercuit, & inde assumptus ad cardinalatum ante scisma, in legationibus & diversis regionibus coram Regibus, Prælatis, magnatibus, & aliis viris in omni facultate peritis conferendo, proponendo, informando, allegando, prædicando, & frequenter cum adversariis & scismaticis disputando, in tam diversis negotiis & materiis est probatus, de quo nec adversarii seu æmuli in quocunque statu suspicati sunt sensisse aliquid contra fidem, modò assumptus in Papam sit effectus hæreticus.* Tractatus ille extat in codice 817. bibliothecæ Colbertinæ.

Vrbanus V. in bulla data Romæ apud sanctum Petrum Kal. Februar. anno sexto: *in insigni villa Montispessulani Magalonensis diocesis, in qua generale studium, maximè in utriusque juris facultate, dudum floruit, prout floret.* Extat apud Gariellum par. 2. pag. 84.

IN PARTIB. NEAPOLIT.] Infrà pag. 369. *in regno Siciliæ*, pag. 413. *apud Lombardiam.* Sanè in codice 756. bibliothecæ Colbertinæ, in quo multa scripta sunt de negotiis Bernabonis Mediolanensis, ita scriptum est in ipso initio: *Sciendum est quòd orta super civitate Bononiæ discordia inter Dominum Legatum ex parte una & Dominum Bernabonem ex parte altera, Dominus noster Papa de Romana curia ad Dominum Bernabonem destinavit Dominos Abbatem sancti Germani & Benevenutum de Vtino Auditorem sacri palatii ut discordiam prædictam reducerent ad concordiam.* Contrà Bzovius an. 1362. §. 4. scribit eum post mortem Ludovici Regis Siciliæ missum esse in Siciliam provisurum ne quid Ioanna Regina in perniciem regni & sedis apostolicæ moliretur. Ipse Vrbanus, quo nullus melior testis esse potest, apud Odoricum Raynaldum an. 1362. §. 8. ait tantùm se tum certæ nuntiationis ministerium gessisse in partibus Italiæ.

P. 364.

Duas, ut hoc quoque dicamus, legationes in Italia obivit hic Guillelmus, istam sub Innocentii VI. extrema tempora, aliam extremo Clementis VI. pontificatu. De posteriore jam locuti sumus. De priore consulendus est Bernardinus Corius ad annum 1351. & 52. De rebus tum ab eo gestis multa reperiuntur in libro Arnaldi Camerarii, è quo nos sequentia descripsimus: *Est alter rotulus factus Bononiæ anno Domini millesimo CCCLII. Indictione quinta, die sexta mensis Septembris, pontificatus Domini Clementis Papæ VI. anno XI. super restitutione & reintegratione civitatis, comitatus, & districtus Bononiensis & quorundam aliorum castrorum, civitatum, & villa-*

rum in partibus Romandiola per Dominum Iohannem Archiepiscopum Mediolanensem quondam & nobiles viros Matthaeum Bernabonis & Galeacium de Vicecomitibus Milites Mediolanenses ipsius Archiepiscopi nepotes occupatores & per vim detentores Dominis Guillelmo Abbati monasterii sancti Germani Autissiodorensis & Azoni de Regio Decano Ecclesia Aquilegensis legum Doctori Nunciis apostolicis &c. Et infrà : *Item unus alius processus recognitionum, juramentorum, submissionum, obligationum factarum in civitate Ferrariensi per Marchionem Estensem Dominis Guillelmo Abbati sancti Germani Autissiodorensis & Azoni de Manziis Decano Aquilegiensi Nunciis apostolicis nomine Domini Papa & Ecclesia Romana. Actum Ferraria anno Domini* MCCCVII. *die* XIX. *mensis Octobris, pontificatus Domini Clementis Papa VI. anno* XI.

In alterutra, ut opinor, harum legationum socium Vrbani fuisse Ioannem de Novavilla Priorem Cartusianorum Avenionensium testatur Petrus Dorlandus lib. 4. chronici Cartus. cap. 24.

In ultima ei accidit quiddam memoratu dignum, quod narrat Trithemius in chronico Hirsaugiensi to. 2. pag. 257. his verbis : *Nimia enim contra Vicecomites Mediolani laborabat indignatione propter contumeliam ab eis susceptam, quam totis vindicare conatibus semper optavit. Nam adhuc in minoribus olim constitutus jubente Innocentio Pontifice Romanorum VI. litteras quasdam apostolicas Vicecomitibus orator & nuntius non placentes attulit, quas edere consciffas ab eis violenter coactus fuit. Qua litterarum comestio illi tantum displicuit quod se vindicare deinceps semper cogitavit.* Huic affinem historiam legi in veteri chronico Normanniæ MS. in codice 1424. bibliothecæ Colbertinæ, nimirum hunc Vrbanum, tum Abbatem sancti Germani Autissiodorensis, graves inimicitias exercuisse cum Archiepiscopo Senonensi, qui tum erat Guillelmus de Meleduno, ob censum quendam quem idem Archiepiscopus levare, ut tum loquebantur, volebat in sua provincia, Vrbanus verò repugnabat. Ait ergo auctor illius chronici Archiepiscopum iratum dixisse Abbati levaturum se censum eo invito, tum ejus barbam arripuisse & ex ea pilos evulsisse, cùmque ei Abbas exprobraret contumeliam sibi illatam, illum respondisse: Vindicabis te quum eris Papa. Vrbanus ergo factus Papa Archiepiscopum evocavit Avenionem; eique in memoriam reducens eam contumeliam, illum specie honoris privavit archiepiscopatu Senonensi, conlata in eum dignitate Patriarchæ Hierosolymitani, addito hoc elogio : Antea unam tantùm & simplicem crucem gerebas, nunc duplicem habebis. Verùm Rex Francorum Ioannes Papam pro eo rogavit, & sic redditus ei est archiepiscopatus Senonensis.

SVA VOTA DIREXERVNT] Præbuit istud materiam vulgi sermonibus, ut docet continuator Nangii pag. 879. in tomo XI. Spicilegii Dacheriani : *Et tunc fuit magnum murmur in clero & alio populo contra Cardinales : qui cùm haberent de suo collegio multos probos Dominos & valentes, nullos de eis eligere curaverant.*

HORA QVA MORIEBATVR] In libro obligationum scriptum est Androinum de Rocha Cardinalem primò ad curiam venisse die duodecima Septembris & eadem die hora nona Innocentium Papam VI. obiisse.

SOLA ASSVMPTIO] Id olim judicatum fuerat post obitum Benedicti XI. anno MCCCIV. quum Galterus Cardinalis Anglicus ingressus esset conclave apud Perusium. Præstat autem referre verba Bernardi Guidonis in catalogo Cardinalium assumptorum ex ordine Prædicatorum. *Fratrem Galterum Anglicum*, inquit, *confessorem Domini Regis Anglia Odoardi assumpsit & fecit Presbyterum Cardinalem idem Dominus Benedictus Papa XI. in jejuniis quatuor temporum post cineres anno Domini millesimo trecentesimo tertio. Hic post novem menses à die qua fuit in Cardinalem nominatus & post quinque ferè menses ab obitu memorati Domini Benedicti Papa pervenit ab Anglia Perusium civitatem, ubi adhuc curia morabatur sede vacante,* IV. *Kal. Decembris, sabbato scilicet ante Dominicam primam adventus, anno Domini* MCCCIV. *fuitque exhibitus sibi magnus & debitus honor à populo Perusino, & sine alio diverticulo declinavit ad conclave Cardinalium, ubi inclusi propter electionem summi Pontificis commanebant; à quibus cum magno favore & honore susceptus est, & in sequenti crastino sancti Andrea, scilicet in Kalendis Decembris, ad scrutinium electionis summi Pontificis tanquam Cardinalis admissus, quamvis nondum haberet titulum nec annulum nec capellum. Hic post creationem Domini Clementis Papa quinti, qui creatus fuerat in vigilia Pentecostes precedenti, cùm veniret ad ipsum citra montes, nondum habens titulum nec capellum, obiit Ianua* VII. *Kal. Septembris in sabbato, sepultus sequenti die dominica per fratrem Nicolaum Cardinalem Episcopum Hostiensem in Ecclesia fratrum Prædicatorum Ianuensium anno Domini* MCCCV. *Elegit autem inde transferri & sepeliri in conventu fratrum Prædicatorum in Londoniis in Anglia, unde fuerat assumptus.* Itaque certum deinceps erat Cardinalem novum habere vocem in electione Romani Pontificis, etiamsi titulum non haberet. Quod circa Androinum de Rocha observatum est & determinatum concorditer per Dominos Cardinales, ut ait

QQq ij

auctor istius vitæ. Apud Augustinum Patricium lib. I. sacrar. ceremoniar. cap. I. fol. 6. ita scriptum est de negotio Androini: *Post mortem Innocentii VI. in electione successoris, in qua fuit electus Urbanus V. extra collegium tunc Abbas sancti Germani Altisiodorensis, de Rocha Abbas Cluniacensis assumptus in Cardinalem per Innocentium primo venit ad curiam in die obitus dicti Innocentii, & quamvis installatus non esset in consistorio nec haberet titulum, fuit admissus per alios Cardinales ad conclave electionis ut alii Cardinales antiqui; & ita duo ex Cardinalibus antiquis ex commissione collegii causa cognita judicarunt esse faciendum, quia sola assumptio ad Cardinalatum habet jus eligendi & alia Cardinalibus convenientia.* Et tamen postea viro insigni Dominico Capranicæ Cardinali negata est facultas intrandi in conclave in quo Eugenius IV. electus est. Vide lib. 3. pag. 272. miscellaneorum nostrorum. Immo Eugenius adversus illum paulò commotior, ut eum faciliùs exueret dignitate cardinalitia, sanctionem edidit qua promulgavit eos tantùm cardinalatus jure potituros qui præsentes pileum rubeum, titulum, anulumque à Pontifice receperint, vel ad quos absentes Pontifex galerum rubeum miserit, neque in renuntiando novo Pontifice ceterisve rebus suffragia laturos nisi postquam in consistorio promendæ suæ sententiæ acceperint potestatem. Vide Odoricum Raynaldum an. 1431. §. 34. & an. 1484. §. 28. & Iasonem de Mayno volum. 2. consil. 145.

P. 365. CLAUDITUR OS] Ritum claudendi & aperiendi ora novorum Cardinalium edidit Odoricus Raynaldus an. 1338. §. 85. ex veteri codice Vaticano. Idem editus est à clarissimo viro Ioanne Mabillonio in tomo secundo Musei Italici pag. 431. Extat MS. in codice 359. bibliothecæ regiæ & in codice 1703. Colbertinæ.

PER DUOS PRÆDECESSORES] Clementem & Innocentium. Tempore Innocentii Stephanus Archiepiscopus Tolosanus & Reginaldus primò Palentinus, dein Ulixbonensis Episcopus erant vicarii generales episcopatus Avenionensis, quem idem Papa ad manum suam tenebat, ut legitur in regesto anni sexti. Itaque Urbanus V. Episcopum proprium dedit Ecclesiæ Avenionensi. Is tamen postea ejus administrationem ad se revocavit post translatum Anglicum ad Ecclesiam Albanensem, ut patet ex bulla ejus edita à Gariello par. 2. pag. 90. historiæ Episcoporum Magalonensium, & vicarium suum generalem instituit anno MCCCLXVI. Arnaldum Alberti Archiepiscopum Auscitanum, ut suprà pag. 922. dictum est. Anno verò MCCCLXVII. vicarium generalem in eodem episcopatu instituit Philippum Cabassolam Patriarcham Hierosolymitanum, uti dicemus infrà quum agemus de eodem Philippo.

PRIOREM DIENSEM] Veteres libri habent *Dignensem.* quam lectionem certum est esse falsissimam. Itaque nos emendavimus, usi in primis auctoritate testamenti ejusdem Anglici, in quo is legat prioratui sancti Petri Diensis ordinis sancti Augustini quinquaginta florenos ad faciendam unam campanam in dicto prioratu. Ecclesiæ S. Petri secus Diam mentio habetur in bulla Urbani II. ad Arbericum Abbatem sancti Rufi extra muros Avenionenses.

IN MONTEPESSULANO] Vide Gariellum par. 2. pag. 80. P. 366.

GASTONEM COM. FUXI] cognomento Phœbum. De hoc bello sic scribit Aymericus Abbas Moyssiacensis in suo chronico: *Qui quidem Comes habuit bellum tempore Regis Karoli patris hujus Karoli cum Iohanne Comite Armaniaci, & ipsum cepit cum suis confœderatis prope Launacum diocesis Tolosana.* Vide Catellum lib. 4. Memoriar. hist. Occit. pag. 693. & Matthæum Villanium lib. 9. cap. 68. & lib. 11. cap. 36. De ejus morte videbimus infrà pag. 527.

IOH. COM. ARMANIACI] de quo suprà pag. 620. & 945. nonnulla dicta sunt. His nunc addere lubet, eo ipso tempore quo bellum hoc gerebatur confessorem hujus Comitis fuisse fratrem Sancium de Ficola ordinis Prædicatorum oriundum de Salvaterra diœcesis Tarbiensis, ut legitur in veteri codice MS. fratrum Prædicatorum Tolosæ.

IOHANNES REX FRANCOR. Froissartus vol. 1. cap. 216. ait illum Lutetia excessisse anno MCCCLXII. exeunte Iunio, & cùm varia Burgundiæ loca peragrasset, tandem ad Villamnovam contra Avenionem pervenisse exeunte Septembri, mansisse porrò apud Villamnovam autumno. Sanè eum illic fuisse die XVI. Novembris fidem faciunt ejus literæ editæ in tomo secundo historiæ Cabilon. pag. 473. Non venit ergo primùm ad invisendum Urbanum, sed *ut copularet sibi in uxorem Dominam Iohannam viduam Reginam Apuliæ & Siciliæ*, ut ait continuator Nangii. Verùm Matthæus Villanius lib. 11. cap. 32. scribit Regem cogitasse de matrimonio filii sui cum Ioanna. Neutrum tamen factum est. Ioanna enim nupsit Iacobo Regi Majoricarum. Interim Innocentius VI. mortuus est, & Urbanus V. in loco ejus positus. Tum verò Ioannes Rex ad eum accessit gratulaturus ei summum fastigium die vigesima Novembris, ut scribit Odoricus Raynaldus an. 1362. §. 10. ex veteri codice Vaticano. Eodem tempore cum illo egit de reducendo in gratiam Bernabone Vicecomite Mediolanensi. Quod efficere

noluit Urbanus, verbis asperioribus usus, ut patet ex eodem Villanio, memor fortassis injuriæ quam à Vicecomitibus accepisse eum suprà pag. 979. diximus ex chronico Hirsaugiensi. Quam ob rem Ioannes subiratus ab eo recessit, & reliquum anni exegit in circumeunda Provincia & Occitania, expectans videlicet Petrum Regem Cypri, quem fama erat è regno digressum ut veniret Avenionem, ut testatur Froissartus in loco paulò antè laudato. Anno itaque MCCCLXIII. ineunte Februario ambo Reges erant Avenione, ut in capite sequenti testatur idem Froissartus. Quod verum non est. Etenim Petrus erat adhuc Mediolani exeunte Ianuario, ut docent hæc verba Donati Bossii ad annum MCCCLXIII. *Duodecimo Calendas Februarias Petrus Cypri Rex cum equitibus centum octoginta à Bernabone & Galeacio honorificè Mediolani hospitio receptus est, mansitque ibi dies duodecim. Inde postea digressus Papiam primùm, dehinc Genuam profectus est.* Et in veteri codice Vaticano apud Raynaldum an. 1363. §. 14. adnotatum est Regem Cypri intrasse curiam die Mercurii XXIX. Martii & in die Veneris sancta crucesignatum fuisse per Dominum Papam. Quod confirmatur ex his verbis Vualsinghami pag. 179. ubi loquens de gestis Urbani V. in initiis sui pontificatus ait: *Et sequenti proxima parasceve Iohannem Regem Franciæ cum aliis Regibus & proceribus crucesignavit.* Vide etiam epistolam Urbani Papæ ad Regem Ioannem apud Odoricum Raynaldum an. 1363. §. 15. Unde colligi debet errare Matthæum Villanium lib. 11. cap. 34. ubi scribit Regem Cypri appulisse Avenionem anno MCCCLXII. die tertia Decembris. Sic transacta æstate duo Reges in Franciam profecti sunt, ut docet continuator Nangii pag. 886. Transisse autem per Burgundiam tradit idem Villanius lib. 11. cap. 56.

DACIÆ] vocatus Vualdemarus. Vide Albertum Krantzium lib. 7. Daniæ cap. 39. Froissartum vol. 1. cap. 217. Bzovium an. 1363. §. 1. & 1366. §. 8. & Odoricum Raynaldum an. 1363. §. 14. 15. & 1364. §. 24.

P. 567. PRÆDICAVIT] die XII. Aprilis, ut est in veteri codice Vaticano apud Odoricum Raynaldum an. 1363. §. 14. Vide etiam Philippum Mazzerium in vita S. Petri Thomasii cap. 11. num. 64.

TALAYRANDUM] Vide Froissartum vol. 1. cap. 217. & Odoricum Raynaldum an. 1363. §. 16. & 1364. §. 24.

IACOBO R. MAIORIC.] Vide Summontium par. 2. pag. 444. & Odoricum Raynaldum an. 1362. §. 11. ubi referuntur conventiones matrimoniales. Mansit tantùm per tres menses cum uxore; & in Hispaniam profectus bellum cum patre gesturus adversùs Regem Arragonum, captus ab eo est, & à Ioanna Regina uxore sua redemptus pretio quadraginta millium ducatorum. Ita Summontius. Sed hæc narratio vera non est. Nam primò pater Iacobi mortuus erat ante hæc tempora. Deinde Froissartus vol. 1. cap. 235. ait Iacobum anno MCCCLXVI. venisse Burdegalam ad Principem Vualliæ illic agentem, ut ejus ope & mortem patris vindicaret & ditiones suas recuperaret, quæ à Rege Arragonum possidebantur. Tertiò certum est hunc Iacobum captum fuisse apud Vallem oleti ab Henrico Rege Castellæ, non verò à Rege Arragonum, ac redemptum pretio centum millium Francorum, quod à Ioanna & Comitissa Montisferrati persolutum est. Ita enim rem gestam narrat idem Froissartus vol. 1. cap. 245. 299. qui addit eum postea rediisse Neapolim, illicque parvo temporis intervallo moratum profectum esse Avenionem animo bellum gerendi adversùs Regem Arragonum. Obiit autem anno MCCCLXXV.

ADULPHUS DE MARCHA] Vide Trithemium in chronico Hirsaugiensi to. 2. pag. 248. & seq.

NUNTII ROMANOR.] Infrà pag. 402. in secunda vita Urbani ad annum millesimum CCCLXV. mense Maio: *Hoc mense intraverunt ambassiatores Romanorum supplicantes Papæ ut ad urbem se transferret.* Apud Bzovium an. 1364. §. 2. legimus Urbanum cogitasse tum de itinere Romano, sed ingredi illud non potuisse propter infestationem prædonum. Extat apud Petrarcham initio lib. 7. rer. senil. epistola ad Urbanum qua eum hortatur ut Romam proficiscatur. P. 370.

KAROLUS VENIT AVIN.] Constat auctoritate continuatoris Nangii & Bernardini Corii illum fuisse evocatum à Papa Urbano. Sed continuator Nangii scribit eo consilio evocatum fuisse ut cum eo deliberaret de bello contra Turcos, Corius ut fœdus cum eo iniret adversùs tyrannos Italiæ, præcipuè verò aduersùs Vicecomites Mediolanenses. Corii narrationem confirmant epistola Urbani ad Petrum Episcopum Florentinum apud Odoricum Raynaldum an. 1364. §. 1. & Trithemius in chronico Hirsaugiensi to. 2. pag. 251. Fallitur itaque Albertus Krantzius lib. 9. Saxoniæ cap. 33. ubi scribit Karolum ivisse tum Avenionem ad summum Pontificem consecrationis gratia. Porrò Albertus Argentinensis pag. 164. ait illum profectum Avenionem ad Papam, Argentina digressum esse in festo sancti Marci, & in festo Petri & Pauli reversum fuisse Argentinam per navigium.

IN HABITU IMPERIALI] quem sic describit Albertus Argentinensis pag. 141. *indutus regalibus insignibus, habens coronam*

auream in capite, & pomum & sceptrum in manibus.

DEINDE IVIT ARELATEM] Integra hæc clausula deerat in editione Bosqueti, & in hoc loco appositæ erant tres stellæ, quæ indicabant locum esse mutilum. Quod animadvertens Odoricus Raynaldus an. 1365. §. 1. monuit in margine addendum isthic esse *sinistra pomum*. Sed hæc conjectura nunc est inutilis.

CVIVS REG. AD IPS. SPECT.] Theodericus à Niem lib. 1. de schismate cap. 2. *in regno Arelatensi, quod est juris & proprietatis Romani imperii*. Ibid. cap. 25. *Carolus hujus nominis quartus Augustus, imò verius dissipator injustus, tempore Vrbani Papæ V. regnum Arelatense, quod similiter est juris & proprietatis imperii, & quod etiam dictus Otto magnus Imperator adjecit imperio, sumpto magno prandio apud Villamnovam prope Avinionem per eundem Ducem ipsi Carolo preparato transtulit in prefatum Ducem, postea in regno Sicilia vita functum*. Ex epistola Bonifacii IX. ad omnes Christi fideles adversùs Clementem VII. Papam, quem vocat virum Belial Robertum Gebennensem Antipapam, apparet eo tempore regnum Arelatense pertinuisse ad Regem Franciæ & quosdam impios perversores imposuisse Vrbano V I. voluisse eum illud auferre eidem Regi. Qui olim essent limites regni Arelatensis docet Bernardinus Cotius hanc ipsam historiam describens.

ARCHIEPISCOPVM] Guillelmum de Gardia: qui, ut ait Saxius, Karolum IV. Imperatorem velut Arelatensis regni Regem coronavit in angusto D. Trophimi templo, præsentibus Sabaudiæ & Borboniæ Ducibus ac Provinciæ Senescallo, quod in die Mercurii quatuor temporum post Pentecosten factum ait Cæsar Nostradamus in historia Provinciæ. Augustinus Pientinus in libro sacrarum ceremoniarum Ecclesiæ Romanæ edito à Christophoro Marcello Episcopo Corcyrensi fol. 30. primæ editionis: *Legimus & in aliis historiis quosdam Imperatores Arelate etiam coronam suscepisse de regno Arelatensi & alibi alias pro aliis regnis. Nam & Carolus quartus Avinionem venit ad Vrbanum quintum anno salutis millesimo tricentesimo sexagesimo quinto, multò antè jussu Innocentii sexti Romæ Imperator coronatus; qui rebus quarum gratia ad Pontificem venerat absolutis Arelate profectus est*. De hac Karoli coronatione sic scriptum reliquit Garosens de Vlmoisca veteri tum vivens: *L'An mil e tres sens* L X V. *à quatre de Iun fon Monsen Karles segon Emperador d'Alamanha en la sientat d'Arle per eser coronat, & fo coronat dereire l'autar de san Trofeme, e coronet lo Mossen Guilhem de la Garda Arsivesque d'Arle, e fo i present R. D'Agout Senesqual de Proensa, el Comte de Savoia, lo Duc de Borbon, e motos quavaliers e grans senhos. Item dessendet à l'arsivesquat. Item era granda roanada quant intret en Arle. Intret per lo portal de la quavalaria*. Iacobus Bovis in libro de regia corona Regum Arelatensium pag. 350. ait huic ceremoniæ interfuisse Archiepiscopos Ebredunensem & Aquensem, tum etiam Episcopos Arausicanum, Massiliensem, Vasionensem, Tricastinum, Diniensem, Senecensem, Niciensem, Venciensem, Aptensem, Reiensem, & Sistaricensem. Errat tamen in eo quòd ait hanc Karoli coronationem factam esse die dominica vigesima Novembr. quam constat fuisse peractam mense Iunio.

Suprà pag. 879. disseruimus de patria istius Archiepiscopi Arelatensis, simulque polliciti sumus nos isthic acturos de gente Gardiorum, ex qua ille prodiit. Id verò meliùs præstare non possumus quàm ex fide veterum monumentorum quæ nobis suppeditavit humanitas viri clarissimi Domni Ioannis Baptistæ Pradillonii monachi congregationis Fuliensis. Constat ergo nobilem virum Bernardum de Gardia Militem dominum Pelissanæ ac Oledæ & condominum Montis-Draconis, qui fuisse videtur frater Geraldi Cardinalis, quædam loca commutasse anno M C C C X L V I I I. die X I I. Octobris cum fratre Geraldo de Tournamira monacho & Priore monasterii Obazinensis haud longè ab oppido Tutelensi. Constat insuper ex actis anni M C C C L X I I. die X I I I. Iunii Stephanum de Gardia Archiepiscopum Arelatensem fuisse fratrem ejusdem Bernardi, & Ayglinam filiam Bernardi nuptam fuisse Ludovico Augerii filio nobilis & potentis Domini Guillelmi Augerii de Forcalquerio. Tum certum est ea tempestate matrem Ayglinæ fuisse mortuam. Etenim Bernardus die X X V. ejusdem mensis Iunii matrimonium contraxit cum Constancia de Rialh vidua Philippi Astraldi domini de Veilheton. Præter Ayglinam portò Bernardus ex priore uxore sustulit Guillelmum Archiepiscopum Bracarensem & Arelatensem, de quo nunc nobis sermo est, Aymericum, qui in contractu matrimonii inito anno M C C C L X I V. die octava Ianuarii cum Maria de Trenchaleone (*Trenchelion*) ex veteri nobilitate Lemovicensi ad Petrambufferiam dicitur ejus filius primogenitus, Ioannem qui duxit in matrimonium Sicelettam filiam Philippi Astraldi & Constanciæ de Rialh, & Petrum, ut opinor, suprà pag. 879. commemoratum, ex quo prognatus videtur eorum ramus qui etiamnum ex ea gente supersunt apud Tutelam.

Erat Maria Aymerici uxor filia & heres Guillelmi de Trenchaleone; qui testamento condito anno M C C C L X I I. die XI. Iulii jussit ut is qui eam haberet uxorem & posteri

ejus in nomen gentemque transirent Trenchaleonum. Unde in actis veteribus anni millesimi CCCLXIX. die Veneris post festum omnium sanctorum nominatur *nobilis vir Dominus Aymericus de Gardia, aliàs vocatus de Trenchaleone*. Aymerici & Mariæ liberi fuere Guillelmus & Petrus. Huic Guillelmo filio suo legitimo & naturali nobilis & potens Domina Maria de Trenchaleone domina castri de Trenchaleone uxor nobilis & potentis viri Domini Aymerici de Gardia Militis domini loci de Gardia dedit & donavit castrum de Trenchaleone Lemovicensis diocesis, mansum de Conholonha Tutelensis diocesis, & omnia quæ habebat in parrochiis de Petrabufferia, de Vico, de sancto Genesio, de Buxolio, & in tota diocesi Lemovicensi. Actum Avinioni in domo nobilis & potentis viri Domini Aymerici de Gardia Militis, præsentibus nobili Ioberto de Cornilhio domino loci de Cornilhio Lemovicensis diocesis ac nobili & circumspecto viro Domino Geraldo de Gardia legum Doctore, qui videtur ad eandem genealogiam pertinere. Guillelmus, quem suprà pag. 879. ostendimus fuisse dominum in parte Montis-Draconis, uti etiam vocatur in contractu matrimonii inito anno MCCCCXX. die XII. Aprilis cum Yolanda filia nobilis & potentis viri Petri Folcherii domini de sancta Fortunata in diœcesi Tutelensi, erat quoque dominus locorum de Daumario & de Gardia in diœcesi Tutelensi, tum etiam Trenchaleonis. Reliquit is filium Petrum de Gardia, de quo mox dicturi sumus, & Ioannem Presbyterum. Petrus de Gardia Domicellus dominus de Trenchaleone & de Gardia filius quondam nobilis viri Guillelmi de Gardia Domicelli defuncti olim domini dictorum locorum erat major viginti annorum, minor viginti quinque, anno MCCCCLX. die XIII. Martii. Idem testamentum condidit anno MD. die XII. Augusti. Liberos reliquit Fulcaldum, Antonium, Franciscum, & Ioannem Canonicum sancti Aredii apud Lemovices. Fulcaldus primogenitus obiit absque prole, testamentumque condidit anno MDVII. die XXVII. Aprilis. Antonius uxorem duxit Mariam de Bria ex nobilitate Lemovicensi intra limites vicecomitatus Rupiscavardi, filiam Ioannis domini Briæ & Ioannæ de Altoforti. Hujus Antonii fratrem fuisse facilè crediderim alium Antonium de Trenchaleone Abbatem sancti Genulphi & Vernuciæ apud Bituriges. Ex Antonio & Maria de Bria, quæ vidua erat anno millesimo DXXVI. die XXIV. Junii, prognatus est Antonius de Gardia dominus Trenchaleonis & Tordonetti, Eques torquatus, Regis Cubicularius, cohortis Ducis Guisii ductor, & ducatus Guisiæ gubernator. Is anno millesimo DLXIII. in matrimonium accepit Franciscam d'Ailly filiam Antonii domini de Pinguevoiaco Vicedomini Ambianensis & Margaritæ de Meleduno. Antonius testamentum edidit anno millesimo DLXX, uxor superiore. Liberi eorum isti commemorantur hoc ordine, Franciscus extinctus anno MDLXXV. ante matrimonium quod pactum erat inter eum & Ioannam de Petrabufferia, Iacobus Præpositus sanctæ crucis de Petrabufferia, Carolus mortuus absque prole, Ioanna, quæ successit in bona parentum post mortem fratrum suorum, antea nupta Francisco de Montroux uni è centum nobilibus hominibus domus regiæ, & Francisca nupta Francisco de Boulinars, qui item erat unus è centum nobilibus domus regiæ. Et sic extinctus est ramus ille Gardiorum, in quo servatum est nomen de Gardia usque ad hæc ultima tempora.

Verùm nobis necessariò redeundum est ad Stephanum de Gardia Archiepiscopum Arelatensem, ut initia ejus constituamus, quæ hactenus valde obscura fuere, simul ostensuri unde fluxerit eorum error qui scripserunt illum fuisse Camerarium Papæ. Certum est in primis Stephanum Aldebrandum fuisse Episcopum sancti Pontii Thomeriarum & Papæ Camerarium anno MCCCXLVII. idque liquet ex literis Pastoris Archiepiscopi Ebredunensis & Guillelmi Episcopi Carnotensis, quas vidimus authenticas in archivo Archiepiscopi Narbonensis. Eundem fuisse Episcopum S. Pontii & Camerarium anno millesimo CCCXLVIII. die septima Ianuarii docet liber solutionum in archivo Vaticano. Episcopus item S. Pontii & Papæ Camerarius vocatur anno eodem die nona mensis Iunii apud Bzovium an. 1348. §. 10. & inde apud Noguierium & Fantoninum scriptores historiæ Avenionensis. Idem tamen Stephanus Camerarius tum Archiepiscopus Arelatensis solvisse reperitur die septima Aprilis ejusdem anni pecuniam pro eodem archiepiscopatu debitam cameræ Domini Papæ & collegio Dominorum Cardinalium. Cùm verò acta venditionis civitatis Avenionensis edita à Bzovio nullam habeant difficultatem, existimare oportet mendum esse in libro solutionum, & solutionem illam Stephani Archiepiscopi Arelatensis factam fuisse anno sequenti tantùm. Hinc porrò factum ut qui dubitare non poterant quin is Stephanus qui extremis Clementis VI. temporibus præfuit Ecclesiæ Arelatensi fuerit etiam Papæ Camerarius, nullum autem alium ea tempestate Archiepiscopum Arelatensem istius nominis nossent præter Stephanum de Gardia, necessariò coacti sint existimare illum fuisse Camerarium Papæ. Aliter tamen se res habet. Stephanum enim Episcopum sancti Pontii ad Arelatensem cathedram translatum esse & ab ea ad Tolosanam evincit bulla Innocentii

VI. data Avenioni VII. Idus Januar. anno primo, quæ edita est apud Vvaddingum to. 4. pag. 27. regesti pontificii. Evasit ergo Archiepiscopus Arelatensis anno MCCCXLIX. atque ita vocatur ab ipso Clemente Papa X. Kal. April. & XVI. Kal. Septembr. illius anni apud Odoricum Raynaldum an. 1349. §. 5. & 7. Postea cùm anno sequenti idem Clemens Raymundum de Canilhaco Archiepiscopum Tolosanum promovisset ad dignitatem Cardinalis die XVII. Decembris, statim Stephanum loco movit & vacanti cathedræ Tolosanæ præfecit, ut patet ex libro obligationum. Itaque existimandum est Stephanum de Gardia factum esse Archiepiscopum Arelatensem eodem anno MCCCL. exeunte, cùm ea sedes vacaret per translationem alterius Stephani ad Tolosanam.

REDIIT AD PROPRIA] id est, Pragam Bohemiæ metropolim, ubi eum convenit Petrus Rex Cypri. Vide Froissartum vol. 1. cap. 217.

NATIONE VASCO] seu potiùs Petragoricensis, ut suprà pag. 946. ostensum est. Sed tum plerique eos omnes vocabant Vascones qui Vasconiæ erat vicini.

ALSACIAM.] Albertus Argentinensis pag. 164. ait Archipresbyterum habuisse secum dundecim millia equorum, ut æstimabatur, & incolas harum regionum adeo vim & terrorem ejus metuisse ut fugæ præsidium quærerent. Trithemius in chronico Hirsaugiensi to. 2. pag. 246. & seq. illum vocat Archiducem latronum & fabulosum Archipresbyterum, & vastitatem intulisse ait in universam Alsatiam. Tum periisse incendio Truttenhusium cœnobium Canonicorum regularium S. Augustini testatur Bruschius in chronologia monasteriorum Germaniæ.

P. 371. CONNIVENTIA IMP.] Albertus Argentinensis: *Eodem tempore venit Carolus de Avinione, ut dictum est, & morabatur per aliquot dies in oppido Seltze. Hic congregavit exercitum magnum ad expulsionem civitatis. Quod percipiens Archipresbyter cum suis fugit ex partibus Alsatiæ, & dixit se illuc venisse ex jussu Imperatoris, culpans Imperatorem quòd inique circa se egisset, eò quòd exercitum ad expellendum illum congregasset.* Vide etiam Trithemium in chronico Hirsaugiensi to. 2. pag. 247.

INTERFECTVS EST] in partibus Provinciæ, ut legitur in arresto parlamenti Parisiens. edito inter probationes historiæ gentis de Castrovillano pag. 47. Apparet autem ex alio arresto ibidem pag. 46. commemorato eum obiisse anno MCCCLXVI.

LEGATI OBITVS] id est, Talayrandi. Ioannes Carmessonius in vita S. Petri Thomasii cap. 8. *Existente autem dicto Archiepiscopo in curia ac negotia pertractante, D. Petragoricensis Legatus passagii est defunctus. quod multùm lamentabile fuit cunctis.* Vide etiam Philippum Mazzerium cap. 14. & bullam Vrbani V. editam à Vvaddingo in appendice vitæ ejusdem Petri tit. 22.

REGI ANGL. DENEGASSET] P. 372. Thomas Vvalsingham in Ypodigmate Neustriæ ad annum MCCCLXV. *Eodem tempore Edmundus de Langley Regis filius desponsasset filiam & heredem Comitis Flandriæ, nisi propinquitas consanguinitatis prohibuisset. Vnde pro habenda dispensatione missum est ad Papam. Sed Rex Franciæ Carolus ne matrimonium istud procederet callidè impedivit. Quæ mulier expost copulata fuit Philippo fratri Regis Franciæ Duci Burgundiæ, qui quondam patri suo in Anglia fuerat concaptivus.* Vide Froissartum vol. 1. cap. 258. & continuatorem Gallicum Nangii. Vide etiam Bzovium an. 1365. §. 9. extremo.

GVILLELMVM SVDRE] Certum P. 374. est hunc Guillelmum ortum esse ex modico Lemovicum oppido quod vocatur Aquina, vulgò *L'Aguene*, prope Tutelam, eamque gentem diù illic habitasse. Manet etiamnum in eo oppido domus antiqua vocata vulgò *de la Sudrie*, & in conclusura testudinis unius è sacellis Ecclesiæ parrochialis visuntur insignia gentilitia Sudriorum. Puto autem Sudrios è Divona Cadurcorum Aquinam cum Salvaniis commigrasse circa annum MCCXLVIII. solum mutare coactos propter graves discordias quas illi, tum Consules Cadurcenses, exercuere cum Geraldo Episcopo suo, ut in serie Episcoporum Cadurcensium pag. 103. docet Guillelmus Cruceus. Nam Salvania quoque gens, quæ ævo patrum nostrorum Tutelam commigravit, antiqua est apud Aquinam.

Guillelmus igitur natus apud Aquinam, fratrum Prædicatorum vestem induit in conventu Brivensi. Postea dedit operam studiis literarum, ac progressu temporis constitutus est sacræ theologiæ lector in conventu Carcassonensi; coque adhuc munere fungebatur anno MCCCXLVIII. quo factus est Prior provincialis in provincia Tolosana. Vetus catalogus MS. Priorum provincialium provinciæ Tolosanæ in bibliotheca fratrum Prædicatorum Tolosæ: *Tertius decimus Prior provincialis frater Guillelmus Sudre conventus Brivensis, oriundus de Laguena: qui tùm esset lector Carcassonæ, electus est in eodem capitulo sancti Gaudentii anno quo suprà, scilicet millesimo CCCXLVIII. infra octavas Apostolorum Petri & Pauli. Fuit confirmatus per fratrem Iohannem de Molendinis magistrum, rexitque provinciam duobus annis; post quos absolutus per litteram, factus magister sacri palatii, ubi legit ad honorem Dei & ordinis multis annis.*

Et-

Et tandem, cùm esset Episcopus Massiliensis, per Dominum Papam Vrbanum quintum assumptus est in Presbyterum Cardinalem tituli sanctorum Iohannis & Pauli, deinde promotus est in Episcopum Hostiensem & Velletrensem. Isthic obiter observandum est Vincentium Mariam Fontanam in Monumentis Dominicanis pag. 219. scribere eum in munere lectoris sacri palatii *singularem apostolicæ sedi atque ordini decorem* attulisse pro eo quod vetus ille dixerat ipsum in sacro palatio legisse multis annis *ad honorem Dei & ordinis.* Cùm autem factus fuerit lector sacri palatii post Ioannem de Molendino, ut ait Fontana, consequens est illum ad eam dignitatem vocatum esse anno MCCCXLIX. quo Ioannes lector sacri palatii electus est magister generalis ordinis in capitulo generali Barcinonensi.

Anno MCCCLXIV. factus est Episcopus Massiliensis, ut ex schedis Suaresii docuit Ioannes Guesnæus in annalibus Massiliæ. Interfuit autem anno sequenti Concilio trium provinciarum quod habitum est mense Maio in Ecclesia Aptensi, mense verò Iunio coronationi Karoli IV. Imperatoris apud Arelatem.

Anno MCCCLXVI. die XVIII. Septembris Vrbanus V. eum fecit Presbyterum Cardinalem. Aberat autem ille à curia, Massiliæ videlicet habitans; è qua discedens, Avenionem pervenit die XXVII. ejusdem mensis, ut docet liber obligationum. Tum verò datus ei est titulus sanctorum Ioannis & Pauli.

Anno MCCCLXVII. comitatus est eundem Vrbanum Romam proficiscentem; & cùm ab eo Cornetum appulso die quarta Iunii Ioannes Columbinus eum sociis suis postulasset confirmationem instituti Iesuatorum, Vrbanus Guillelmo Cardinali Massiliensi commisit examen viri, quem nonnulli malevoli accusarant apud Pontificem tanquam si malè de fide sentiret. *Bzov. an.* 1367. §. 16.

Eodem anno, mense Maio, obiit Helias de sancto Aredio Episcopus Ostiensis. Tum verò Vrbanus episcopatum illum contulit in Guillelmum Sudre.

Qua tempestate Helias Tolosanus in capitulo generali Avenionensi factus est magister generalis ordinis Prædicatorum, satagente in primis hoc Guillelmo. *Fontana in Monumentis Dominic. pag.* 233.

Anno MCCCLXVIII. erat Romæ tempore gravissimæ concertationis quæ tum erat de corpore sancti Thomæ Aquinatis inter fratres Prædicatores & monachos Cistercienses monasterii Fossænovæ. Vide fratrem Raymundum Hugonis in historia translationis corporis ejusdem sancti Thomæ in tomo primo Martii Bollandiani pag. 728.

Frizonius in Gallia purpurata pag. 383. scribit illum eodem anno missum esse Legatum in regnum Neapolitanum ad sedandas discordias quæ ortæ erant inter Principem Tarentinum & Ducem Atriæ. Quam fabulam ambabus ulnis amplexi sunt ceteri scriptores. Et tamen certissimum est eam esse meram fabulam, cùm legatio illa commissa non sit Guillelmo Sudrio, sed Guillelmo de Agrifolio seniori, uti nos olim ostendimus in Antifrizonio. Illic ego monueram Frizonium ansam errandi in hoc loco præbuisse R. P. Thomæ Aquinati à S. Ioseph Carmelitæ excalceato, qui in capite 13. de vita S. Calminii edita anno millesimo DCXLVI. scripsit hunc Guillelmum legatione illa honestatum fuisse. Contrà Oldoinus ait Frizonium in ea sententia ducem quem sequeretur habuisse Thomam Aquinatem Carmelitam. Itaque emendandus est hic error.

Eodem anno, Kalendis Novembris, inunxit Imperatricem, quam mox Vrbanus V. coronavit. *Prima vita Vrbani V. pag.* 385.

Anno MCCCLXIX. Romæ interfuit professioni fidei quam illic emisit Ioannes Palæologus Imperator Constantinopolitanus. Qua de re consulendi annales Bzovii & Odorici Raynaldi.

In secunda parte Directorii Inquisitorum pag. 255. scriptum est fratrem Nicolaum Eymerici Inquisitorem hæreticæ pravitatis in regno Arragoniæ detulisse ad Gregorium XI. doctrinam Raymundi Lulli tanquam hæreticam, præsentasse porrò viginti volumina operum Raymundi, & cùm causa commissa fuisset Domino Cardinali Hostiensi, id est, Guillelmo Sudrio, fuisse illam de ejus mandato per viginti & ultra magistros in theologia diligenter examinatam & tandem de Cardinalium consilio ut verè hæreticam condemnatam & generaliter interdictam. Quod adeo commovit Lullistas ut dixerint Gregorium Papam, qui doctrinam Raymundi Lulli ut hæreticam Avinione in consistorio condemnavit, sacrum collegium, quod consensit, Cardinalem Ostiensem, qui commissarius in illa causa fuit, magistros in theologia, qui ad condemnationem prædictam consilium præstiterunt, doctrinam istam non intellexisse, deceptos esse, & turpiter erravisse. Ita testatur Nicolaus Eymerici pag. 261.

Obiit Avenione anno MCCCLXXIII. die XXVIII. Septembris. Non erat tamen Episcopus Massiliensis ea tempestate, licet Fontana affirmet in Monumentis Dominicanis pag. 235. Vrbanum illi commisisse regendam Ecclesiam Massiliensem, eamque illum rexisse usque ad mortem. Sepultus est apud Prædicatores.

Ejus testamentum, cujus authenticum vetus habeo penes me, editum est à R. P. Thoma Aquinate in appendice vitæ S. Calminii, dein recusum inter probationes historiæ Cardinalium Gallorum pag. 625.

lo compoto Ioannis de Proboleno receptoris regii in senescallia Petragoricensi & Caturcensi de financiis factis per nonnullos consules, communitates, & singulares personas ejusdem senescalliæ pro contractibus usurariis illicitis, fictis simulatis, vel in fraudem usurarum conceptis, initis, seu celebratis contra ordinationes regias super hoc factas & editas, necnon & pro transgressionibus certarum ordinationum regiarum factarum super cursu monetarum, reperio illum recepisse anno MCCCXXXIX. à magistris Guillermo Vigerii, Raymundo Philippi, & Petro Sudre de Aquina nomine suo & aliorum habitatorum dicti loci suspectorum de prædictis pro toto LX. libras. Videtur ergo hic Petrus fuisse frater Guillelmi Cardinalis.

ANGLICUM GRIMOARDI] Certum est illum fuisse fratrem Vrbani. Quare falsi sunt vehementer qui scripserunt filium fuisse fratris ejusdem Papæ. Vitam Canonicorum regularium professus in monasterio sancti Rufi, postea factus est Prior sancti Petri Diensis; non tamen Abbas sancti Rufi, ut malè visum est nonnullis recentibus historiarum scriptoribus.

Cùm verò frater ejus ad summum pontificatum evectus esset, vacaretque Ecclesia Avenionensis, Anglicum ei præfecit anno millesimo CCCLXII. prid. Idus Decembris. Extant in codice 1898. bibliothecæ Colbertinæ constitutiones ab eo tum editæ, quarum hic est titulus: *Sequuntur aliqua nova statuta edita & ordinata per Reverendum in Christo Patrem & Dominum Dominum Anglicum divina Dei gratia olim Avinionensem Episcopum fratremque germanum Vrbani Papæ quinti.*

Anno MCCCLXVI. die XVIII. Septembris factus est Presbyter Cardinalis tituli sancti Petri ad vincula.

Ioannes Mariana lib. 17. rer. Hispan. cap. 11. narrat Vrbanum Papam, cùm remedium quæreret adversùs furores Petri Regis Castellæ minantis se Pontificis jugum excussurum, legato in eam rem Anglico Cardinale S. Petri flexisse ferocem animum ad certas pacis conditiones valde iniquas & parum honestas, sed tum necessarias. Ex quo quidam collegerunt Anglicum cum auctoritate Legati profectum esse in Hispaniam. Verùm cùm nusquam reperiatur eum à fratre digressum esse, contrà certum sit cum fratre fuisse quando is exeunte Aprili excessit Avenione profecturus in Italiam, & ex Odorico Raynaldo an. 1367. §. 17. constet eundem Anglicum fuisse Viterbii sequenti mense Iulio exeunte, cogor existimare delegatum quidem fuisse ab Vrbano ut huic negotio finem imponeret, ceterùm non abiisse in Hispaniam, sed rem composuisse apud Avenionem.

Anno MCCCLXVII. comitatus est Vrbanum proficiscentem in Italiam. Et cùm post digressum ejus obiisset Avenione Petrus Iterii Episcopus Albanensis, Vrbanus ei sufficit Anglicum.

Anno MCCCLXVIII. constitutus est Legatus Italiæ. *Bzov. an.* 1368. §. 6. & 1369. §. 5. Habitabat autem Bononiæ, ut paret ex historia translationis corporis sancti Thomæ Aquinatis Tolosam in tomo primo Martii Bollandiani pag. 732.

Qua tempestate apud Mantuam pallium archiepiscopale jussu Vrbani V. dedit Alberto de Sternburg Archiepiscopo Magdeburgensi, ut docet auctor chronici Magdeburgensis editi ab Henrico Meibomio pag. 346.

Anno MCCCLXX. idem Vrbanus meditans reditum in Gallias Anglicum reliquit in legatione Italiæ. *Boninsegnius pag.* 549. *& seq. & Bzov. an.* 1370. §. 5. *& seqq.*

Postea cùm anno MCCCLXXI. Gregorius XI. eam provinciam commisisset Petro de Stagno Cardinali Biruricensi, Anglicus ei dedit instructiones quasdam, quæ descriptæ habentur in codice 756. bibliothecæ Colbertinæ. Post quæ ipse rediit Avenionem, ut docet Boninsegnius pag. 552.

Anno MCCCLXXVI. Gregorio XI. Romam abeunte, Anglicus remansit Avenione cum aliis quinque Cardinalibus. Vide Factum Iacobi de Seva missum Vniversitati Parisiensi super electione Vrbani VI. editum in tomo quarto historiæ Vniversitatis Paris. pag. 485.

Interim Gregorius obiit Romæ anno millesimo CCCLXXVIII. die XXVII. Martii, & cùm Bartholomæus Archiepiscopus Barensis in loco ejus electus à Petro Gaudelini de S. Crispino Domicello repeteret castrum S. Angeli de urbe, ille verò diceret se jurejurando adactum à Gregorio ne cui illud post mortem suam traderet absque consensu Cardinalium qui remanserant Avenione, Anglicus & Petrus de Monteruco Cardinalis sanctæ Anastasiæ ad eum scripsere anno millesimo CCCLXXVIII. die tertia Iulii uti illud traderet eidem Bartholomæo, qui tunc Vrbanus VI. dicebatur. Eorum literæ extant in codice 842. sancti Victoris Parisiensis. Vide etiam Odoricum Raynaldum an. 1378. §. 24.

Post conflatum schisma, cùm intellexisset Anglicus electionem Bartholomæi vitio factam esse, Clementi VII. liberè electo adhæsit, & anno MCCCLXXXIV. publicè scripsit illum esse credendum verum Papam qui assensu unanimi Cardinalium electus fuerat, & quem iidem Cardinales in extremis dierum suorum, ubi nullius nisi solius Dei timorem habebant, in animarum suarum periculo firmiter & simpliciter absque cujuscunque hæsitationis scrupulo palam & publicè professi fuerant esse

Christi vicarium in terris ac unicum universalis militantis Ecclesiæ patrem præcipuum & pastorem. Magni autem momenti erat Anglici declaratio pro Clemente, ut qui vir esset notæ pietatis, quem miraculis in vita claruisse testatur Aymericus de Peyraco infrà pag. 457. in vita Vrbani, & qui noluisset Clementis partes sequi nisi ei certò constitisset ejus electionem fuisse canonicam, alteram contra canones extortam potiùs quam legitimo ordine peractam, ut paret ex testimonio scriptoris vitæ B. Petri de Luxemburgo à nobis suprà adducto pag. 939.

Anno MCCCLXXIX. die XXV. mensis Octobris cives Montispessulani gravem seditionem commoverunt adversùs ministros regios, quos occiderunt, & cadavera eorum in puteum projecerunt. Hinc ira jure meritòque inflammatus Ludovicus Dux Andegavensis dura in eos statuit, quæ postea mitigata sunt precibus Papæ Clementis VII. & Anglici Cardinalis Albanensis, qui propterea venerat ad Montempessulanum. Vide literas ejusdem Ludovici nuper editas inter probationes annalium Tolosanorum pag. 101.

Testamentum condidit anno MCCCLXXXVIII. die XI. Aprilis, codicillum die decima quarta. Et quatriduo pòst obiit, ut ait Contelorius. At in excerptis è libro obligationum ad me Roma missis legitur obiisse die XVI. ejusdem mensis.

Anglicum fuisse Decanum Eboracensem ac præbendatum in Ecclesia Vvallensi tradit Godvvinus in catalogo Cardinalium Anglorum.

Patruum habuit Helisiarium Grimoardi Priorem Cartusiæ, ut vulgò tradunt scriptores. Videntur autem omnes accepisse ex Petro Dorlando, qui lib. 4. chron. Cartus. cap. 23. ait Cardinalem Mimatensem fuisse ejus nepotem. Ego verò nuspiam invenio Anglicum fuisse vocatum Cardinalem Mimatensem, neque ullum alium per ea tempora quàm Guillelmum de Chanaco, quem Gregorius XI. fecit Cardinalem. Sed tum Helisiarius erat exemptus rebus humanis.

MARCVM DE VITERBIO] Erat absens eo tempore quo factus est Cardinalis. Missus enim fuerat in Italiam ut pacem constitueret inter Pisanos & Florentinos. Vide Philippum Villanium lib. 11. cap. 82. 84. 101. & Boninsegnium pag. 520. Rediit autem Avenionem die XIV. Decembris. Tunc verò datus ei est titulus Presbyteri Cardinalis tituli sanctæ Praxedis.

Anno MCCCLXVII. Vrbanus V. Romam proficiscens hunc Marcum reliquit apud Ianuam ut componeret discordiam quæ erat inter Genuenses & Bernabonem, ut legitur infrà pag. 377. 406.

Erat apud Montemflasconem cum Vrbano V. anno MCCCLXVIII. cùm Papa die quarta Augusti dedit ordini Prædicatorum corpus & caput sancti Thomæ de Aquino, quod magistro generali ejusdem ordinis tradi præcepit per Cardinales Morinensem & Marcum ordinis Minorum Viterbiensem. Vide Raymundum Hugonis in historia translationis ejusdem sancti Thomæ to. 1. Martii Bollandiani pag. 731. & literas eorundem Cardinalium pag. 733.

Obiit Viterbii anno MCCCLXIX. die tertia Septembris, ut scribit Contelorius ex libro obligationum.

AD MONTEMPESSVL.] Vide continuatorem Nangii pag. 916. & Gariellum in serie Præsulum Magalonensium par. 2. pag. 78. 83.

PETRVS R. CASTELLÆ] Vide continuatorem Nangii pag. 914. & Froissartum vol. 1. cap. 230. & seqq. & cap. 300. In codice 765. bibliothecæ Colbertinæ continetur tractatus ligæ & confœderationis initus anno MCCCLXVIII. inter Karolum V. Regem Franciæ & Henricum Regem Castellæ & Legionis. In codice verò sermonum Ioannis de Cardalhaco Patriarchæ Alexandrini Archiepiscopi Tolosani habetur *Arenga sive propositio quam idem Archiepiscopus fecit coram Domino Vrbano V. in consistorio quando venit ad ipsum ambaxator ex parte Regis Castellæ anno Domini MCCC. septuagesimo, ultima die mensis Aprilis.*

QVAS SECVM DVXERAT] Istud verum non est. Etenim Froissartus vol. 1. cap. 300. & seq. testatur eas in Vasconiam ductas esse post mortem patris tantùm, & aliquantò pòst earum primogenitam nupsisse Ioanni Duci Lancastriæ. Vide etiam Vvalsinghamum pag. 186. 528. qui matrimonium istud assignat anno MCCCLXXII. P. 375.

VACAVIT ECCL. CASSIN.] per mortem Angeli Vrsini, qui anno millesimo CCCLXIII. extinctus est; post cujus mortem Vrbanus V. eam Ecclesiam regi fecit integro triennio per apostolicos ministros, ut ait Vghellus. Vide Bzovium an. 1366. §. 6. & Bullarium Cassinense pag. 281. constitut. 27.

VLTIMA APRILIS] Bonifacius de Amanatis in cap. *Sanè.* de elect. ait: *Et sic fecit D. Vrbanus V. dum de ista civitate Avinionensi recessit pro eundo Romam, videlicet die ultima Aprilis anno Domini MCCCLXVII. quia voluit audientiam causarum & contradictorum remanere in Avinione usque ad diem X. Maii tunc sequentis. Et tunc transtulit eam ad civitatem Viterbiensem, ita quòd si lapsa die X. ipse mortuus fuisset in itinere, fienda erat electio in Viterbio. Et ad hunc finem, ut tunc dicebat, fecit.* P. 376.

RECESSIT DE AVINIONE] insuperhabitis Karoli V. Regis Francorum precibus; qui primò misit ad eum Anselmum quendam, ut legitur in invectiva cujusdam Galli adversùs Petrarcham, postea Nicolaum Oresmium, ut patet ex tomo quarto historiæ Vniversitatis Parisiensis pag. 396. Porrò invectiva illa edita jamdiu est inter opuscula Symphoriani Champierii.

Richardus Vvasseburgius fol. 436. ait omnes Cardinales, quatuor tantùm exceptis, secutos esse Papam. At in continuatore Gallico Nangii in codice 43. bibliothecæ Colbertinæ dicuntur fuisse quinque. Quæ discrepantia sic mihi videtur posse conciliari ut quinque dicantur remansisse, sed quia unus eorum, id est, Ægidius Albornotius, erat tum in Italia, dum computarentur Cardinales qui cum Vrbano non erant, quatuor tantùm numerabantur, quia certò tum erant tantùm quatuor. Hincque factum est ut in codice quo Vvasseburgius utebatur essent tantùm quatuor. Hi ergo iter non confecere cum Vrbano. Ægidius Albornotius, Raymundus de Canilhaco, Petrus de Monteruco, Petrus Iterii, Ioannes de Blandiaco.

Itet Romanum descripsit, qui præsens erat, Garoscus de Vlmoisca veteri.

FECERAT RENOVARI] Vvalsinghamus pag. 185. loquens de morte & sepultura ejusdem Vrbani ait ossa ejus ad abbatiam sancti Victoris juxta Massiliam, ubi quondam Abbas fuerat, fuisse deportata, *& in Ecclesia quam ipse pro majori parte de novo construxerat, juxta principale sepeliuntur altare.*

GVILLELMVM DE AGRIFOLIO] filium Ademari de Agrifolio Militis, ut docent excerpta ex regestis parlamenti Paris. edita inter probationes historiæ Cardinalium Gallorum pag. 415. Studiis literarum dedit operam in academia Tolosana, ubi anno MCCCLXV. factus fuit Doctor decretorum, ut infrà pag. 419. legitur in quarta vita Vrbani. Erat autem, ni fallor, Decanus Ecclesiæ Claromontensis. Extant enim in archivo collegii sancti Martialis Tolosæ literæ Hugonis Alberti Episcopi Albiensis datæ Avenioni anno MCCCLXII. die penultima mensis Decembris, in quibus commemoratur Guillelmus de Agrefolio Decanus Claromontensis tum studens Tolosæ. Deinde factus est Notarius sedis apostolicæ. Quæ erat mera dignitas, quam Romani Pontifices caris suis tribuebant. Itaque Frizonius & post eum Oldoinus hunc locum paraphrasticè exponentes hinc malè collegerunt illum fuisse Vrbano Papæ à notis & epistolis. Denique idem Vrbanus in procinctu itineris Romani eum creavit Presbyterum Cardinalem tituli sancti Stephani in Cœlio monte anno MCCCLXVII. die XII. Maii. Et mox cum eo iter ingressus est die XIX. ejusdem mensis.

Anno MCCCLXVIII. eum fuisse missum ab Vrbano in regnum Neapolitanum ad sedandas quasdam controversias scribit Frizonius. Sed id falsum esse nos olim ostendimus & legationem hanc impositam patruo ejus.

Anno MCCCLXIX. die XIX. Octobris electus est Camerarius collegii Cardinalium, ut legitur in libro obligationum. Eodem munere perfunctum etiam sub Clemente VII. docent vetera monumenta S. Andreæ Avenionensis. Thomas Petra in depositione sua testatur se in initio pontificatus Vrbani VI. vidisse plures literas *ad quamplures Prælatos & mercatores sub sigillo Camerarii & procuratoris collegii, videlicet Domini de Agrifolio.* Ioannes Remigii in depositione sua ait de Vrbano: *Et mandavit poni quandam bullam in portis sancti Petri quod repararent suos titulos, qui erant destructi. Et mandavit in dicta bulla Cardinali de Agrifolio, qui erat receptor servitiorum communium Cardinalium, quòd non responderet eis cum illis donec repararent suos titulos.*

Anno MCCCLXX. rediit Avenionem cum Vrbano V. & Gregorii XI. electioni interfuit.

Anno MCCCLXXIV. die quinta Maii idem Gregorius condens testamentum suum, illius executionem commisit etiam huic Guillelmo. Vide to. VI. Spicilegii Dacheriani pag. 688. & to. IV. historiæ Vniversitatis Parisiensis pag. 497.

Anno MCCCLXXVI. comitatus est Gregorium XI. in Italiam. Cùm verò Romam perventum esset, habitavit domum quæ erat juxta Ecclesiam sancti spiritus, ut testantur Alfonsus Azero Archidiaconus de Medina in Ecclesia Salamantina & Roderiens Fernandi portionarius Ecclesiæ Hispalensis interrogati juridicè à delegatis Regis Castellæ in causa schismatis.

Anno MCCCLXXVII. idem Gregorius illi & Geraldo de Podio ac Petro de Luna Cardinalibus commisit examen revelationum sanctæ Brigittæ, ut testatur Ioannes Cardinalis de Turrecremata in defensorio earundem revelationum.

Per eadem tempora accidisse oportet quod narrat Ægidius Bellamera in cap. *Constitutis.* 2. de testib. & attestat. his verbis: *Ego semel in consiliis cujusdam causæ tunc pendentis inter Dominam Ioannam tunc Reginam & quosdam mercatores Siciliæ coram Dominis Cardinalibus de Agrifolio & sancti Petri tunc vivente tenus quòd verbalis publicatio secuta pœnitentia ex parte illius qui publicationem petierat absque alia attestationum percunctatione novis producendis testibus viam non præcludit.*

Anno MCCCLXXVIII. die XXVII. Martii extincto Gregorio XI. Papa, ambitio Ro-

manorum & cupido dominandi excitarunt ingentem sævamque tragœdiam, quia adempta est Cardinalibus omnis libertas suffragiorum. Erat inter eos, si non primus, certè secundus hic Guillelmus de Agrifolio, vir magnarum virtutum magnique in Ecclesia Dei nominis. Varii varia de illo scripsere, prout quisque affectu aut studio partium ducebatur. Nos, qui multùm remoti sumus ab ea ætate, & qui causas odii & irarum procul habemus, veritatem unde & sincerè exponemus, quantum nobis in tanta scribentium obscuritate licebit assequi per tenuitatem ingenii nostri. Liberè inquam. Nam extincto jamdiu illo schismate ac firmata pace Ecclesiæ, licet de ea controversia scribere liberè absque ullo periculo offensionum.

Extincto itaque, ut diximus, Gregorio, certum est ademptam Cardinalibus libertatem eumque metum illis incussum à Romanis qui cadere posset in virum constantem. Istud negari non potest, neque hactenus legi apud ullum veterum rem absque tumultu, vociferatione, & minis transactam esse. Quamquam fuere qui atrocitatem facinoris mollire verbis conarentur & Romanorum voces precantium potiùs fuisse contenderent quàm imperantium aut extorquere volentium electionem Papæ Romani, vel ab ebriis & non sani capitis hominibus exortas, adeoque non fuisse violentiam, sed violentiam, uti dixisse Vrbanum VI. testatur in depositione sua Antonius Episcopus Firmanus. Sed hæc ludibrio & despectui fuere per universam Europam, neque unquam ita bene defensa pars Bartholomæi Archiepiscopi Barensis quàm ex ratihabitione quæ tum videbatur Cardinalium qui metu mortis eum elegerant.

Antequam ad enarranda ea aggrediamur quæ nobis incumbunt dicenda præmonendum est adeo Romanorum minis ac terrore commotos fuisse Cardinales ut dubitari nullo modo posset quin versarentur in magno vitæ periculo, nisi Romanum eligerent aut Italum. Itaque observatum est illos visos esse tristes eo tempore quo ingressi sunt conclave, ut constat ex universum ex depositione Garsiæ Martini electi Auriensis. De Cardinale de Agrifolio, quòd tristis esset, fidem facit Rodericus Fernandi portionarius Ecclesiæ Hispalensis, qui tradit vidisse se intrare palatium Cardinales de Agrifolio & Pictavensem. *Interrogatus si ibant læti vel tristes dixit quòd videbatur sibi quòd ibant tristes. Interrogatus quomodo scit respondit quia vidit Cardinalem de Agrifolio dominum suum, antequam recederet de hospitio pro eundo ad conclave, loquentem cum tota familia sua congregata, & flens dixit eis quòd ipse ibat ad intrandum conclave pro celebranda electione ad servitium Dei, & quòd ibant in manum illius gentis Romanorum, & si aliquid contingeret de eo, rogabat eos ut deprecarentur Deum pro anima sua. Et dixit: Vos alii, custodite domum; & si aliqui venerint ad faciendum vobis injuriam, defendatis vos meliori modo quo poteritis.* Nunc ergo tandem accedamus ad rem ipsam.

Primum omnium affirmari posse videtur ex testimonio hominum illius ætatis hanc mentem fuisse Cardinalibus Lemovicensibus ut Papam facerent Guidonem de Malesicco Presbyterum Cardinalem tituli sanctæ crucis in Hierusalem, vulgò dictum Pictaviensem, vel si id obtineri non posset, Petrum de Sortenaco Presbyterum Cardinalem tituli sancti Laurentii in Lucina, vulgò dictum Vivariensem. Sed mutationem istius consilii induxit necessitas. Cùm enim Romani furiosi palam & publicè mortem Cardinalibus intentarent nisi Romanum eligerent aut Italum, & terror implevisset conclave, in ipso statim collationis exordio, ut testatus est in judicio Cardinalis Florentinus, *custodes conclavis cum magna festinancia vocari fecerunt Dominum de Agrifolio*, eique dixerunt *quòd nisi statim sine morosa deliberatione aliquem eligerent Romanum vel Italicum, omnes Domini Cardinales erant in periculo quòd inciderentur per frusta.* Addit post ista Cardinalis Florentinus: *Et idem Dominus de Agrifolio, auditis dictis verbis, rediit ad Cardinales, qui sedebant in capella, & recitavit verba sibi dicta, addens: Vos videtis periculum in quo sumus. Quid est faciendum?* Tum inter eos deliberatum ut Florentinus iret ad fenestram conclavis & Romanis polliceretur electionem Romani aut Itali. Ivit ergo, quamvis invitus, comitantibus eum Cardinale de Agrifolio & Iacobo Cardinale de Vrsinis; & tum ea promissio facta est Romanis. Cùm verò rediissent ad collegas, *Dominus de Agrifolio, qui & Dominus Lemovicensis ante ingressum conclavis rogaverant plures Dominos Cardinales ultramontanos & Italicos quòd placeret eis dare vocem suam Vivariensi vel Pictaviensi, mentionem facit de Barensi cum pluribus Dominis, non tamen cum Domino Florentino, dixit statim: Vadamus vadamus ad sedendum, & expediamus nos.* Hæc sunt verba Cardinalis Florentini; ex quibus liquidò patet tum primùm Cardinalem de Agrifolio cogitasse de Barensi quum timor ei injectus est. Et tamen Alphonsus eremita olim Episcopus Giennensis in informationibus super creatione Vrbani non dubitavit asserere Cardinalem de Agrifolio, qui Barensem Archiepiscopum reputabat quasi suum familiarem commensalem & eum multùm amabat, procurasse cum omnibus Cardinalibus suæ partis quòd ipsi dicto Archiepiscopo darent voces suas in electione. *Apud Odoricum Raynaldum an. 1379. §. 14.* Et Franciscus de Vr-

bino Episcopus Faventinus à Barensi missus ad Ioannem Regem Castellæ ausus est dicere publicè in celebri illo conventu habito apud Medinam campestrem in diœcesi Salmanticensi anno MCCCLXXX. Cardinales Lemovicenses, cùm viderent se non posse facere Papam è sua gente, conclusisse inter se ante ingressum conclavis eligere Dominum Archiepiscopum tunc Barensem, & Dominum Pictaviensem ad hoc requisiisse Dominum S. Petri, idque ipsum patere etiam ex quadam epistola Cardinalis Glandatensis scripta per tres dies ante ingressum conclavis. Et statim addit: *Satis etiam hoc indicavit Dominus Cardinalis de Agrifolio, cùm eidem Domino nostro sede vacante dixit quòd super humeros suos in brevi unum poneretur magnum onus. Aliquid etiam sibi tetigit dictus Dominus Gebennensis prope Ecclesiam sancti Spiritus. Sed expressiùs hoc dixerunt illi Cardinales qui promotores seu protectores erant Dominæ Reginæ tunc Apuliæ in magno secreto Domino Thomæ procuratori tunc dictæ Reginæ, qui hæc eidem Reginæ ante ingressum conclavis per suas literas scripsit, ut in ejus depositione in publica forma videre poteritis. Ecce ergo inclinatio Dominorum fuit in Dominum nostrum ante ingressum conclavis.* Et paulò pòst ait: *Cùm Cardinalis de Agrifolio & Pictavensis post ingressum conclavis inquisivissent vota Domini sancti Petri & Domini Mediolanensis, & ipsa repertissent dispersa in præfatum Archiepiscopum tunc Barensem, & facta inter se ipsos computatione quòd tot vota concurrebant in dictum Dominum Barensem quòd sufficiebant ad canonicam electionem, & dixisset idem Dominus de Agrifolio aliis Dominis hæc verba, Domini, sedeamus statim, quia pro certo credo quòd in continenti eligemus & habebimus Papam, Cardinalis de Vrsinis, Deus scit ex quo fonte, tale dedit consilium: Domini, differamus istam electionem & deludamus istos Romanos, qui volunt & petunt Papam Romanum, & fingamus nos elegisse unum fratrem Minorem Romanum, quem ego nominabo, & induemus eum capa & mitra, & postmodum loco & tempore faciemus veram electionem. Ecce ergo consulta fictio, quæ spreta fuit. Nam Episcopus Penestrinus cum suis sequacibus statim responderunt dicentes hoc non esse bonum consilium, quia ex illo induceretur populus Christianus in idolatriam, saltem usque ad diem declarationis, subjungentes esse procedendum ad veram electionem non obstantibus clamoribus seu petitionibus popularium, de quibus non erat curandum. Ecce ergo quomodo fictionem spreverunt.* Quæ verba referuntur etiam ab Odorico Raynaldo an. 1378. §. 6.

Sed totam hanc narrationem Episcopi Faventini esse meram fictionem, ut ei sua verba reddamus, docet testis omni exceptione major Petrus Flandrini Diaconus Cardinalis S. Eustachii in epistola scripta ad Rodericum Bernardi legatum Regis Castellæ data Avenione die septima Octobris: *Constat mihi quòd tot quot poterant etiam aliis invitis facere Papam fuerunt in deliberatione eligendi Dominum meum Vivariensem & in ea continuè steterunt usque viderunt imminere eis periculum mortis.* Et statim: *Tertiò petitur si Dominus de Vrsinis dixit quòd bonum esset simulare quòd eligeremus aliquem, ut pòst sedato rumore possemus eligere sine impedimento, & si Dominus Lemovicensis respondit quòd nolebat facere idolatrare populum, sed eligere verum Papam. Ad quod respondeo quòd de Domino de Vrsinis constat mihi quòd nunquam in actu electionis dixit illa verba, quia ego sedebam immediatè juxta ipsum, & non potuisset dixisse, saltem modo intelligibili, quin ego audivissem. Imò dixit formaliter hæc verba: Ego video nobis notoriè fieri impressionem. Et ideo ego non dabo alicui vocem meam donec cesset impressio & ego sim in libertate mea. Et satis patet quòd nec Dominus Lemovicensis dixit illa verba.*

Constat ergo falsa esse quæ ab Episcopo Faventino dicta sunt de Cardinalibus istis. Nihilo autem veriora videntur quæ quidam Thomas Petra Canonicus Patracensis respondit epistolæ ad se scriptæ à legatis ejusdem Regis Castellæ, nimirum Cardinalem de Luna mandasse Vrbano VI. *se satis fuisse in causa cum Dominis de Agrifolio & Pictavensi electionis suæ.* Nam Bertrandus Cardinalis Glandatensis jurejurando testatus est se ante ingressum conclavis continuè habuisse in animo eligendi unum citramontanum Cardinalem, & Dominos de Agrifolio & de Vernio in eadem sententia fuisse. Tanto enim studio ea fama sparsa est in vulgus ut in Facto Iacobi de Seva pro Vrbano VI. pag. 497. disertè, tanquam id verum esset, scriptum sit Cardinales de Crosso, de Agrifolio, & de Malesicco accessisse die nona Aprilis ad Vrbanum jam inthronizatum, *& dixerunt eidem quòd ipsi tres Cardinales fuerant motivum & causa promotionis ipsius.* quod de Cardinale de Agrifolio testatur etiam Episcopus Recinetensis apud Odoricum Raynaldum an. 1378. §. 13.

Sanè negari non potest quin Cardinales de Crosso & de Agrifolio primi omnium nominaverint Bartholomæum Archiepiscopum Barensem. Istud enim testatur Cardinalis Florentinus in responsionibus ad dubia Archiepiscopi Toletani, ubi sic scribit: *Dominus Lemovicensis nominavit & elegit in Papam Dominum Archiepiscopum Barensem, & dixit istud verbum: Orbis major est urbe. Et subsequenter nominavit eum Dominus de Agrifolio dicendo: Eligo, nomino, & assumo Barensem in Papam & in Romanum Pontificem.* Quamquam frater Alfonsus de Melide testatus est sibi dictum

fuisse ab Episcopo olim Giennensi Petrum de Luna primum fuisse *qui dederat sibi vocem suam, quia sic sibi dixerat omnia Cardinalis de Luna*.

Sed redit iterum difficultas. Nam cùm constet illos ita fecisse metu mortis, proclive est existimare ex his quæ Bartholomæi electionem antecesserunt & ex iis quæ secuta sunt illam non fuisse seriam nec eo illum animo electum à duobus illis Cardinalibus ut esset verus Papa. Et tamen idem Cardinalis Florentinus testatur illos cum nominasse *animo quòd esset verus Papa*. Quod etiam de priore testatur Iacobus de Seva asserens illum hoc loquendi modo usum esse: *Ego purè & liberè eligo & assumo in Papam Dominum Bartholomæum Archiepiscopum Barensem & animo & voluntate quòd sit verus Papa*. Ad solvendam autem istam ambiguitatem nullius testimonium potest esse melius testimonio ipsius Ioannis de Crosso: qui interrogatus à legatis Regis Castellæ, *juravit in conscientia sua ponendo manus ad pectus & sub juramento deposuit quòd ante nec post ingressum conclavis nunquam cogitaverat de eligendo dictum Archiepiscopum Barensem usque ad horam qua factus fuit clamor validus populi, & tunc nominavit primò istum Archiepiscopum Barensem, qui erat de extra collegium, timore mortis, aliàs non facturus, & credit quòd ipse dixit quòd eligebat eum animo & proposito quòd esset Papa, timore tamen mortis*.

Quod adeo verum est ut statim post electionem ambo illi Cardinales, urbe relicta, secesserint in castrum sancti Angeli; ex quo egredi noluerunt pro inthronizatione Bartholomæi, quamvis multis precibus ad eam peragendam invitati fuissent, donec senator & alii officiales accesserunt ad ipsos, eisque dixerunt quòd audacter & securè poterant exire & ad electum prædictum accedere, ut videre est in Facto Iacobi de Seva & alibi. Exiisse autem Cardinales è castro sancti Angeli *pro vitatione majoris periculi* legitur in allegationibus quorundam magistrorum Parisiensium pag. 556. in tomo quarto historiæ Vniversitatis Parisiensis, & præterea colligi potest ex his quæ Bertrandus Cardinalis Glandatensis interrogatus à legatis Regis Castellæ *juravit in sua conscientia ita esse*, nimirum quod cùm post electionem & inthronizationem Bartholomæi ipse dixisset Cardinali de Agrifolio, *dum esset in urbe, quòd ille Bartholomæus non erat Papa, tunc respondit dictus Dominus de Agrifolio quòd caveret sibi dicere ista, quia verbo suo posset interficere multos Dominos & notabiles personas & omnes ultramontanos, sed diceret quando essent in loco tuto; quia tunc esset tempus, nunc non*.

Confirmant hanc narrationem verba Raynulphi de Monteruco Cardinalis Sistariensis, qui nepos erat Petri Cardinalis Pampilonensis. Sic enim inter cetera scribit in depositione sua missa ad Regem Castellæ: *Postea verò accessi ad Anagniam; & fui ibi invitatus per Dominum Cardinalem de Agrifolio in prandio & in cœna, cum quo multi Cardinales & nobiles fuerunt illa die, & fuit festum corporis Christi. In cœna verò traxit me ad capellam, & dixit mihi quòd multùm displicebat sibi quòd veneram. Ego respondi sibi: Quare Domine, quia certè vos fuistis causa adventus mei & litera vestra? Tunc astrinxit me juramento & dixit quòd non erat aliquis Papa nec ille qui erat in Roma erat Papa. Tunc dixi: Domine, quomodo potestis hoc dicere, cùm vos scripseritis Domino meo literam talis tenoris. Et dixit ipse: Et non vidisti ibi contineri: De mandato Domini nostri scribo vobis. Et certè ipse voluit & mandavit mihi quòd scriberem sibi. Tunc dixi: Certè, Domine, non recordor quòd essent ibi illa verba*. Adde testimonium fratris Ioannis Roderici Episcopi Neopatrensis, in cujus depositione sic legitur: *Et statim post ista hic testis ivit cum Episcopo Conchensi ad domum Cardinalis de Agrifolio ad recipiendum licentiam ab eo, & inter cetera dixit sibi: Domine, est verum hoc quod dicitur Romæ, quòd Papa Vrbanus non est Papa? Et ille dixit sibi: Vnde vos habetis hoc? Absit, absit, absit, quia ipse est verus Papa & veraciter electus. Et quòd Episcopus dixit sibi: Domine, caveatis vobis de schismate. Nescit tamen si dictus Cardinalis dixit fictitiè vel non*.

Debebat Episcopus Conchensis dignitatem suam Cardinali de Agrifolio, ideoque nolebat discedere eo insalutato. Ita testatur Garsias Martini electus Auriensis, qui ait in depositione sua se audivisse *à Cardinali de Agrifolio quòd fuerat magna contentio inter ipsum & suos in consistorio ab una parte & Gebennensem & suos ab alia super provisione Ecclesiæ Conchensis, & dixit Cardinalis de Agrifolio quòd ista vice ipse haberet eam, quia melius se habuerat ipse in electione istius primi electi quàm Gebennensis*. Item Alvarus Martini Doctor decretorum; qui *interrogatus super 83. & 84. articulo casus primi electi dixit se scire quòd ad petitionem Cardinalis Gebennensis primus electus providit Cantori Palentino de episcopatu Giennensi; & modus provisionis fuit iste, ut audivit. Cardinalis Gebennensis petebat episcopatum Conchensem pro dicto Cantore, & Cardinalis de Agrifolio procurabat dictum episcopatum pro isto Episcopo qui nunc tenet, qui erat tunc Episcopus Giennensis, taliter quòd divisum fuit collegium in duas partes; quia illi qui sequebantur Gebennensem fovebant unam partem, & illi qui sequebantur Cardinalem de Agrifolio fovebant aliam. Tamen fuit concordatum isto modo, quòd*

Episcopus Giennensis transferretur ad episcopatum Conchensem, & Cantor haberet episcopatum Giennensem. Et ita factum fuit.

Multa profectò interim dissimulare oportuit Cardinales, multa dicere & scribere contra fidem veri. Itaque XIX. ejusdem mensis Aprilis literas sigillo etiam Guillelmi de Agrifolio Prioris Presbyterorum signatas scripserunt ad Cardinales Avenione commorantes, in quibus aiebant se in Barrholomæum liberè & unanimiter direxisse vota sua. Extant in codice 843. sancti Victoris Parisiensis, unde editæ sunt in tomo sexto Spicilegii Dacheriani pag. 39. & in tomo quarto historiæ Universitatis Parisiensis pag. 465. Easdem edidere Contelorius in Elencho Cardinalium pag. 104. & Odoricus Raynaldus an. 1378. §. 20. ex codice mutilo, in quo deest nomen Roberti Presbyteri Cardinalis tituli XII. Apostolorum. Ex quo falsò collegit idem Contelorius illum, tametsi interfuisset electioni Bartholomæi, non subscripsisse huic epistolæ; quem tamen Bzovius to. XV. an. 1378. §. 10. nominat inter Cardinales qui huic epistolæ subscripserunt. Eadem, sed absque subscriptionibus, edita est apud Henricum de Knyghton lib. 5. de eventibus Angliæ pag. 2632.

In hac pacis simulatione Cardinalis de Agrifolio dedit Vrbano anulum, teste Francisco Fernandi Cantore Palentino: *Et audivit à pluribus, de quibus non recordatur, & etiam à Papamet, cùm esset Tiburim, quòd Cardinalis de Agrifolio dederat sibi anulum dicendo ista verba: Domine, ego dono vobis istum anulum in signum specialis amoris, quem dedit mihi mater mea. Et hoc dicit se audivisse quando incepit murmur quòd non erat Papa.* Eodem tempore petiit ab eodem Vrbano plenam absolutionem omnium peccatorum, ut fieri solebat post electionem novi Papæ, & potestatem eligendi confessorem qui eam sibi auctoritate ejusdem Vrbani impertiretur. Istud testatur in sua depositione frater Angelus Episcopus Pisaurensis, qui statim addit se dixisse *Domino de Agrifolio in Anagnia quòd mirabatur quòd ipse pro se & pro aliis petivisset dictam gratiam ab illo quem sciebat non esse Papam. Qui respondit quòd verum erat quòd ex certa causa dictam gratiam petierat, sed quòd si invenirent aliquem qui dicta gratia fuerit usus, quòd erueret sibi oculum.*

Per eadem tempora, cùm Vrbanus decretum emisisset de reparandis titulis Cardinalium, ejus executionem commisit Cardinali de Agrifolio. Testatur istud Alfonsus Azero Archidiaconus de Methina in Ecclesia Salamantina: *Et vidit quandam bullam affixam portæ sancti Petri, in qua mandabat omnibus Cardinalibus quòd quilibet repararet suum titulum. Et hujus bullæ erat executor Cardinalis de Agrifolio.*

Interim Cardinales quidam secretò scripsere ad Karolum V. Regem Francorum ne fidem adhiberet rumoribus qui circumferebantur de electione Bartholomæi & brevi se ad eum scripturos rem ut gesta erat. Ita tradit continuator Gallicus Nangii tum vivens; idque confirmatur ex iis quæ nos infrà ad paginam 456. dicturi sumus de Petto de Murlis. Præterea Henricus de Hassia in dialogo de schismate, quem vocat epistolam pacis, cap. 19. ait: *Falsò te fundas in discordia prædicta; quoniam didici ab eo qui præsens tunc in Roma erat quòd unus Cardinalis electioni jam celebratæ superveniens, statim cùm informatus fuit de modo electionis Archiepiscopi Barrensis, intimavit Regi Franciæ quòd electio non valuit & quòd non crederet cuique scribenti sibi quòd ille esset Papa. Quod fuit factum longè antè quàm inciperet discordia prædicta.* Tum verò scriptam esse oportuit epistolam quam ab eodem Rege Karolo post electionem Vrbani scriptam esse ad Cardinales testatur in depositione sua Raynulphus Cardinalis Sistaricensis: *Item literæ quas misit Rex Franciæ conquerendo de eis quòd ita fecerant; quas non vidi, sed tenorem ipsarum à fide dignis audivi.*

Non solùm autem ista Regi Franciæ significarunt Cardinales, sed etiam aliis. De Regibus Portugalliæ & Navarræ fidem facit Petrus Cardinalis de Vernhio in depositione sua: *Item dixit quòd quando Barensis misit literas & suos nuncios Regibus Yspaniæ, noluit quòd ipse scriberet Regibus Vngariæ & Navarræ & Portugaliæ, & noluit quòd sigillaret ipse literas suas, imò misit pro sigillo istius Cardinalis, & ipso remisit sibi. Et quidam Miles de lingua occitana, qui erat tunc Romæ in familia istius Cardinalis, mittebatur cum quodam Neapolitano. Et ille quæsivit ab isto Cardinale utrum esset verus Papa ille Barensis. Et respondit sibi iste Cardinalis quòd non curaret utrum esset verus Papa vel non, quia ipse poterat habere aliquas pecunias à Regibus antequam sciretur istud negotium, & non curaret de alio. Imò dixerat illi Militi quòd diceret Regi Portugaliæ & Regi Navarræ quòd non darent fidem illis literis, quia ipse non sigillaverat, nec reputabat verum Papam istum Barensem propter manifestam impressionem, & quòd tenerent secretè.*

Quamquam ergo omnia viderentur esse tranquilla, manebat tamen in mentibus Cardinalium metus ex Romanis. Itaque cogitabant quonam modo possent ex loco infesto & inimico evadere in locum tutum, ubi & sentire quæ vellent & quæ sentirent eloqui possent. Ergo *prætendentes*, ut ait Iacobus de Seva, *quòd aër Romanus in fervoribus æstatis erat nimis calidus & intemperatus*, Anagniam se contulerunt, pavidi semper formidine. Quod adeo verum erat ut cum Prælati & alii Romanæ

manæ curiæ sequaces in eundem locum se conferrent, multi ex eis, ut legitur in allegationibus ea tempestate factis Avenione, *semper adhuc durante Romanorum furore, eundo apud Anagniam in via occisi, mutilati, & bonis suis deprædati fuerunt, sicut infiniti qui transierunt ibi pericula, & inter ceteros Domini Sarlatensis & Pampilonensis Episcopi, qui multa damna & pericula & mortem servitorum ibidem pertulerunt.* Allegationes illæ extant in codice 843. sancti Victoris Parisiensis.

Constituti igitur apud Anagniam Cardinales die nona mensis Augusti literas encyclicas scripserunt adversus electionem Barensis, quam nullam & irritam esse aiunt, utpote factam contra omnem juris ordinem. Literæ illæ reperiuntur in multis codicibus antiquis. Habentur autem suprà pag. 542. in secunda vita Clementis VII. & alibi. Denique Robertum Gebennensem elegerunt in loco Gregorii XI. & Clementem VII. vocaverunt. Extant literæ Cardinalium de ea electione, in quibus secundo loco ponitur Guillelmus de Agrifolio Presbyter Cardinalis tituli sancti Stephani in Cœlio monte.

Si fides habenda esset Bartholomæo Zabricio testi jurato pro defensione Vrbani, constaret hanc Clementis electionem non esse imputandam amori veritatis & justitiæ, sed ignaviæ Cardinalium de Agrifolio & de Malesicco, qui maluerint conscientiam suam lædere quàm displicere Regi Francorum & Duci Andegavensi. Hæc sunt verba Bartholomæi Zabricii: *Scio quòd Dominus de Vernejo & Dominus de Britannia, qui mihi in Anagnia hoc dixerunt, quòd timor Regis Franciæ & Ducis Andegavensis faciebant moveri animos illius de Agrifolio & Pictaviensis & aliquorum qui plus diligebant fratres ac nepotes quàm animas eorum; & scio quòd si non timuissent Regem Franciæ, nil innovassent quoquo modo.* Apud Odoricum Raynaldum an. 1378. §. 46.

Adversùs hoc testimonium puto posse teponi non incongruè id quod Baldus in secundis allegationibus pro Vrbano dixit adversùs tres tractatus editos pro Clemente, nimirum illud esse confictum, uti fuere multa alia quæ Odoricus Raynaldus transtulit in annales ecclesiasticos ut ostenderet nullam vim neque violentiam factam esse Cardinalibus in electione quæ facta est Romæ. Nam quomodo fieri posset ut Cardinales de Vernio & de Britannia ista dicerent huic Zabricio, qui jurejurando testati sunt se reliquosque Cardinales ultramontanos in ea fuisse sententia ut existimarent Vrbanum non esse Papam & Ecclesiam Ro. vacasse usque ad electionem Clementis? An plus credemus Zabricio, viro nullius in Ecclesia Dei nominis, testi alioqui singulari, quàm duobus viris primarum in republica Christiana partium, quibus etiam injuratis plus credendum esset quàm Zabricio millies jurato? Portò si standum esset testimonio Zabricii, fatendum esset insignes nebulones fuisse Cardinales à quibus ille ista se accepisse ait; quippe qui cùm palam professi fuerint cum ceteris non valuisse ab initio electionem Vrbani, nunc summa impudentiæ vi credi vellent ab eo discessisse Cardinales de Agrifolio & de Malesicco, qui ceteros post se traxerunt, non quia verum erat illum non fuisse rite ac canonicè electum, sed quia non habuerunt verecundiam negandi quod ab iisdem Rege & Duce poscebatur adversùs Vrbanum. Quod mihi videtur esse magnopere ridiculum; præsertim cùm certum sit Cardinalem de Agrifolio, dum adhuc esset in urbe, id est, diu ante quàm nosceret posset quid de Vrbani electione Principes illi sentirent, improbasse electionem Vrbani, ut docet locus suprà pag. 1002. relatus ex depositione Cardinalis Glandatensis. Electio quippe Vrbani facta est die septima, inthronizatio die nona, coronatio die XVIII. Aprilis. Guillelmus verò de Agrifolio excessit urbe Romana ante diem quartam Maii, quemadmodum colligi necessariò debet ex depositionibus fratris Ferrarii de Vergos ordinis Minorum, Martini de Vrduña Canonici Toletani, & Ferdinandi Petri Decani Tirasonensis. Et Ferrarius quidem testatur illum Roma egressum ante quindecim dies post Pascha. Interrogatus enim super articulo 77. casus primi electi *dixit quòd aliqui Cardinales, inter quos Domini de Agrifolio & Pictavensis, recesserunt de Roma ante quindecim dies post Pascha.* Certum est diem Paschæ anno illo incidisse in diem XVIII. Aprilis. Confirmat hoc testimonium Martinus de Vrduña, qui super eodem articulo interrogatus *dixit quòd Cardinalis de Agrifolio & Pictavensis, qui recesserunt primò de Roma ad Anagniam, fuerunt tum primo electo, ut credit, tribus septimanis modicum plus,* numerando nimirum à die coronationis. Ista rectè cohærent. Sed addemus adhuc testimonium Decani Tirasonensis, cujus hæc sunt verba super eodem articulo: *Dixit quòd, in quantum de præsenti potest recordari, Cardinales de Agrifolio & Pictavensis, ut sibi videtur, & ita credit, recesserunt de Roma ad Anagniam in fine Aprilis aut in principio Maii. Itaque videtur sibi quòd isti duo recesserunt de Roma infra tres septimanas post coronationem.* Ex quibus omnibus constare certò debet fraudem & imposturam esse in illo testimonio Bartholomæi Zabricii.

Conflato itaque schismate, cùm ambo Pontifices seriò cogitarent de retinenda dignitate sua, non solùm scriptis ad Principes & Prælatos literis eam tueri conati sunt, sed etiam missis legationibus. Itaque Clemens ad diver-

fas partes orbis terrarum destinavit Ioannem de Crosso Episcopum Prænestinum, Guillelmum de Agrifolio Presbyterum Cardinalem tituli sancti Stephani in Cœlio monte, Guidonem de Malesicco Presbyterum tituli sanctæ crucis in Hierusalem, & Petrum de Luna Diaconum tituli sanctæ Mariæ in Cosmedin. Et Guillelmo quidem obtigit provincia Germania; ad quam profectus est die XVI. sequentis mensis Ianuarii, ut est in libro obligationum. In itinere porrò assecutus est Guidonem de Malesicco, qui die ultima Decembris ingressus erat viam ut in Angliam proficisceretur. Ambo ergo Lutetiam advenerunt paulò post Pascha, ubi honorificè à Rege accepti & benignè auditi sunt in castro Luparæ, ut docet continuator Gallicus Naogii: qui addit die Mercurii quarta Maii datum fuisse pileum rubeum Cardinali Augustodunensi per Ioannem de Crosso Cardinalem, præsentibus Rege Karolo & duobus Cardinalibus suprà nominatis, & omnes cum Rege pransos esse in eodem castro Luparæ. Tum sabbato sequenti, id est, die septima ejusdem mensis, habito celebri conventu apud nemus Vicennarum, Cardinales auditi fuere à Rege in causa electionis duorum contendentium de papatu, eisque data est responsio justa & rationabilis, ut ait idem continuator. De eodem conventu agens Vrbanista apud Henricum de Hassia in cap. 61. dialogi ait: *Et si modum & processum in illis consiliis scires, nihil te movere deberet. Nam in primo ejus consilio verè solemnissimo, parte Cardinalium audita, non parte altera, decretum fuit Regem debere se in suspenso tenere. In secundo consilio paucorum, qualium tacco, si ad affectionem ad partem congregatorum non discutio, supervenientibus quibusdam novis Cardinalium literis, Dominus Rex determinavit pro secundo electo. In tertio ejus consilio post adventum trium Cardinalium Parisius in castro nemoris Vincenarum celebrato Rex præsidens cum quatuor Cardinalibus, antiquis tribus, & uno novo, dixit se ad secundam determinatum, exhortans ut ei dicerent utrum bene & rationabiliter in hoc fecerit. Decreverunt omnes, multis aliter fortassis terrente præsentia tantorum dicere non audentibus, quòd sic. Super quo Rex ad excusationem sui in omnem eventum dicitur instrumenta recepisse nomina eorum clericorum qui interfuerunt consilio continentia.*

Nolo dissimulare Vrbanistam, cujus sunt verba superiora, cuncta referre ad vim & auctoritatem Regis prohibentis ne quis obstreperet electioni Clementis. Ait enim in capite 64. *Ecce Parisius, ubi licèt tres Cardinales, qui omnibus factis præsentes fuerant, personaliter prædicarent, nihilominus negotium sic dubium mansit quòd si corda hominum, non dico ora, examinarentur, paucos credere invenires secundò electum esse Papam. Quid igitur mirum si in aliis regnis nec Regi Franciæ nec Cardinalibus de hoc credatur, ex quo Parisius, in civitate sapientum, ubi ex parte Cardinalium omnia audita sunt, & in regno Franciæ lucem sapientiæ præ ceteris, ut dixisti, hereditante, & à plurimis, non corde intrinsecus, sed fictè & solùm exteriùs, timore urgente, quemadmodum & Cardinales se primo tenuisse dicunt, secundò electus tenetur & ei obeditur. Nec permissum est ibi publicis sapientum disputationibus negotium discuti, omnibus in obscurum veritate effodior, Rege & quodam processu Cardinalium de nullitate electionis primæ ampliùs super hac re disputare prohibente.*

Sed hæc dicuntur à dialogista, qui pro more eorum qui istiusmodi dissertationes scribunt omnia argumenta conquirit ad stabiliendam opinionem suam. Nullibi enim legitur sublatam esse libertatem in his consiliis regiis. Illud interim constat ex confessione Vrbanistæ, Regem juxta consilia eorum qui huic conventui interant decrevisse adhærere Clementi.

Paulò post habitum conventum Vicennarum, ut ait continuator Gallicus Nangii, Guillelmus de Agrifolio & Guido de Malesicco à Rege digressi sunt eo consilio ut legationes sibi impositas exequerentur. Et Guillelmus quidem iter facere cœpit ad vrbem Metensem, Guido ad Tornacensem; ubi diù frustra expectaruot literas Regum Romanorum & Anglorum quæ ipsis potestatem facerent ingrediendi in eorum regna. Radulphus de Rivo Decanus Tungrensis, qui sciebat hos Cardinales in Belgium penetrasse, putavit illos missos esse à Clemente ad Comitem Flandriæ. Ait enim: *Cardinales à Grevilla & Pictaviensis mittuntur à Clemente in Flandriam ad Comitem Ludovicum ut se ceteris regni Principibus conformet. Sed tantum absuit ut audirentur ut ne admissi quidem fuerint, sed rejecti ac facessere jussi, nisi sibi vincula mallent expectare.* Addit Meyerus tanta hoc agendi modo Gallicos homines, id est, Cardinales Legatos admiratione stupefactos ut censerent Ludovicum esse natura Flamingum virumque cervicosum ac duri capitis.

Guillelmus igitur advenit Metas die XXVII. Iunii, & triduo pòst congregata Ecclesia Metensi, cùm multa dixisset ut ostenderet electionem Clementis VII. esse legitimam ac canonicam, pervicit ut & clerici & laici ejus partes amplecterentur, Vrbanum vetò rejicerent. Testantur istud acta quæ edita sunt apud Meurissium in historia Episcoporum Metensium pag. 525. Andreas Victorellus in additionibus ad Ciaconium testatur Soaresium vidisse literas istius Cardinalis scriptas ad eundem Clementem datas Metis die XXVII. Iulii,

quibus eum admonebat se Catalauno discessisse ut Ravennatem Urbani VI. Legatum magnis itineribus Metas properantem anteverteret. Quo loci puto mendum irrepsisse & pro Iulio reponendum esse mensem Iunium. Mansit autem, opinor, in urbe Metensi usque ad annum M C C C L X X X V. quo eum redeuntem de legatione sua intrasse curiam die penultima Ianuarii adnotatum est in libro obligationum archivi Vaticani. Porrò quamvis ut plurimùm habitaret in ea urbe, interdum tamen ad alias pergebat. Extant enim inter privilegia Cartusianorum literæ ejus pro monasterio Montis sancti Ioannis Baptistæ prope Friburgum, datæ apud Friburgum Constantiensis diocesis Idibus Augusti pontificatus Domini Clementis Papæ VII. anno tertio. Cùm autem constet Guillelmum è legatione Germanica reducem fuisse anno M C C C L X X X V. ineunte, apparet Odoricum Raynaldum errasse an. 1386. §. 8. ubi scribit hunc Guillelmum de Agrifolio missum esse à Clemente in Germaniam anno M C C C L X X X V I. ut Germanos suis erroribus irretire conaretur.

De illo ita legitur in diario Ioannis Fabri Episcopi Carnotensis: *Sero* (diei X I. Septembris anni M C C C L X X X V I I.) *fuimus in consilio in domo Cardinalis de Agrifolio pro causa Vicecomitissa Talardi.* Maria Regina Siciliæ, cujus seu potiùs filii ejus Ludovici II. Regis Cancellarius erat idem Episcopus, erat eo tempore apud Avenionem. De quonam autem negotio heic agatur difficile est explanare, nisi si intelligamus de eo quod adversus Vicecomitem Talardi actum est anno millesimo C C C L X X X V. die X I I I. Aprilis, de quo sic legitur in eodem diario: *Item pro universitate de Mosteriis, par laquelle Madame revocat & annullat venditionem per eos factam tempore guerra de quindeno omnium fructuum & proventuum dicti loci & territorii sui Domino Ludovico de Trian Vicecomiti Talardi.*

Anno M C C C L X X X I X. in festo omnium sanctorum interfuit Avenioni coronationi ejusdem Ludovici II. Regis Siciliæ. Vide miscellanea historica Labbei pag. 641. & annotationes Dionysii Gothofredi ad historiam Caroli VI. pag. 567.

Ex regesto C X L V. archivi regii Parif. cap. 32. apparet hunc Cardinalem fuisse Priorem de Puyleue prope Avenionem anno millesimo C C C X C I I. mense Iulio.

Anno M C C C X C I V. eum fuisse Decanum sacri collegii docent gesta post mortem Clementis VII. pag. 563. 566.

Anno M C C C X C V. interrogatus cum ceteris Cardinalibus à Duce Bituricensi quæ via melior, sanctior, & facilior videretur ad pacificandum corda omnium orthodoxorum ad habendum in Ecclesia unionem respondit viam cessionis sibi videri meliorem, si posset taliter practicari quòd pax inde sequeretur. Vide tomo sexto Spicilegii Dacheriani pag. 138.

Anno M C C C X C V I I I. cùm subtracta esset obedientia Benedicto X I I I. auctoritate Karoli VI. Regis Francorum, Guillelmus de Agrifolio collegii Decanus Avenione excessit postridie Kal. Septembris, & postea ab obedientia Benedicti se subtraxit. *Surita lib.* 3. *Indic. ad an.* 1398. Tum verò Guillelmus rationem secessus sui reddidit, edito in vulgus libello adversùs Benedictum, qui extat apud Odoricum Raynaldum an. 1398. §. 18.

Obiit Avenione anno M C C C C. sepultus in collegio sancti Martialis in sacello quod est prope januam Ecclesiæ, in sepulcro sanè admodum sumptuoso atque magnifico, quod est ex marmore, & multas statuas habet.

Extat in archivo ejusdem collegii S. Martialis testamentum ab eo conditum anno millesimo C C C X C I V. die X X I. Septembris, in quo heredem suum in bonis paternis constituit Ioannem de Agrifolio fratrem suum, in ceteris idem collegium.

Raynulphus de Monteruco Cardinalis Sistaricensis in depositione sua in causa schismatis docet istius Guillelmi Cardinalis affinem fuisse Pontium Beraldi, virum magnæ famæ magnique nominis, ut videbimus infrà.

Sororium, id est, sororis maritum, habebat Bertrandum de Gallat, ut testatur Petrus Fernandi Decanus Tirasonensis in depositione sua: *Dixit quòd nescit si Cardinales vel Romani deputarunt infrascriptos pro custodia, videlicet Episcopum Tiburtinum & Dominum Laurentium de Sanguis. Et ipse testis vidit eos stare ad custodiam die Iovis electionis. Et videtur sibi quòd etiam fuit deputatus ad custodiam Episcopus Tudertinus. Et videtur sibi, ut audivit, quòd etiam erat ad custodiam Bertrandus de Gallat sororius Cardinalis de Agrifolio & Petrus de Murlis. Tamen de hoc non est bene certus.* Vide Notas ad pag. 456.

SOCIUS ET FAMILIARIS] Vide fragmentum ex epistola Urbani V. ad Regem Arragonum suprà pag. 904.

BONÆ FAMÆ] Postquam hunc locum, in quo mirificè laudatur Guillelmus de Agrifolio junior, descripsit Odoricus Raynaldus in suis annalibus, demum addit: *Si quas tum is virtutes præ se ferebat, diro postea flagitio labefactavit. Inter præcipuos enim schismatis antesignanos, Clementem pseudopontificem secutus, Dei Ecclesiam acerrime oppugnavit, uti suo loco lugebimus.* Homine imperito nunquam quidquam injustius. Odoricus Raynaldus parum attentus ad observationem sancti Antonini Archiepiscopi Florentini, quam ipse an. 1386. §. 11. descripsit integram, atrocem stylum in hoc Guillelmo defigit quia partes Urbani VI. dese-

tuit, quem putabat vitio per summam injuriam occupare sedem Petri. Eodem jure virum sapientissimum Karolum quintum Regem Francorum vocare solet tyrannum, quia post causam duarum electionum maturè & accuratè discussam Vrbani partes deseruit, hominis ebriosi, insani, furiosi, immanitate barbari, ut eum depingunt etiam ii qui eum fortunamque ejus fovebant. Condono itaque hunc præposterum affectum maleanumque judicium homini imperito. Contrà Augustinus Oldoinus in Athenæo Romano pag. 288. ait hunc Cardinalem de Agrifolio fuisse genere & virtute nobilem, famæ honestæque conversationis illustrem. Idem tamen in hoc errat quòd ei tribuit epistolam ad monachos Lezatenses editam in tomo quarto Galliæ Christianæ pag. 567. quam certum est scriptam esse à Guillelmo de Aura. Vide suprà pag. 822.

P. 177. INTRAVIT MARE] Philippus Labbeus par. 3. chronol. histor. pag. 235. ait Vrbanum navigasse in prætoria navi Hospitalariorum eorumque magistri Berengarii Pontificis amicissimi. Contrà continuator Gallicus Nangii in codice 43. bibliothecæ Colbertinæ fol. 239. scribit eum ingressum triremem Venetam, *& entra en sa personne en celle de Venise, & ala droit à Viterbe.* Quam postremam sententiam confirmat Petrarcha lib. 9. rer. senil. ep. 2. *Vnumde multis interseram, fuisse ibi nonnulles ex illo etiam venerabili ordine qui confestim ut Venetus classem terris eripuit, ceu terti acriter, muliebri ejulatu omnium in se nautarum simul vectorumque ora converterent.* Quem locum describens Odoricus Raynaldus an. 1367. §. 3. *ventus* ineptè & imperitè reposuit pro *Venetus*. Non ita Bzovius, qui an. eod. §. 1. rectè scripsit *Venetus*.

P. 179. RVMOR IN VITERBIO] Vide infrà pag. 420. in quarta vita istius Vrbani, Garoscum de Vlmoisca veteri in descriptione itineris ejus Romani, & continuatorem Nangii pag. 916. in tomo XI. Spicilegii Dacheriani. Describam autem locum ex continuatore Gallico Nangii suprà laudatum, qui sic habet: *L'An de grace* MCCCLXVII. *le derrain jour d'Avril Pape Vrbain parti d'Avignon pour aler à Romme au tres grant plaisir d'aucuns Cardinaux. Et en demeura V. qui n'alerent pas avecques ly, mais il ne leur donna ne ne leur laissa aucune puissance. Et s'en ala à Marseille pour entrer en mer. Et là trouva plusieurs galées de Venise & de Gennes & de Sezille & autres moult honorablement aornées de gent & de paremens, Et entra en sa personne en celle de Venise, & ala droit à Viterbe; là où il demeura & tint sa court environ quatre mois. Et pendant le temps qu'il estoit en ladite ville l'an dessusdit, se mut une rumeur entre les habitans d'icelle ville & aucuns familiers des Cardinaulx pour ce, si comme on disoit, que yceulx familiers lavoient leurs mains en la fontaine de ladite ville. Et fut telle ladite rumeur que ceulx de ladite ville s'armerent & coururent sus aux Cardinaux & à leurs gens. Et convint que aucuns des Cardinaux se rendissent & baillassent leur capel rouge à aucuns des habitans pour eulx sauver leur vie. Et si alerent devant le chastel de ladite ville, ouquel estoit li Pape. Mais ils n'y perent entrer. Et pour ce le Pape manda gens d'armes, & dedans trois jours en ot en ladite ville si largement que le Pape eut la seigneurie & la puissance. Si en fist prendre plusieurs, & proceda à la pugnicion dudit fait, & en furent plusieurs mis à mort.*

PATRIARCHA CP.] Paulus ex Smyrnensi archiepiscopatu ad patriarchatum Constantinopolitanum post B. Petri Thomæ mortem evectus, ut ait Odoric. Raynal. an. 1367. §. 7. Vide etiam Walsinghamum eodem anno §. 4. P. 380.

ROMAM INTRAVIT] Si fides habenda esset epistolæ Prioris artium & Vexilliferi Florentinorum ad conservatores cameræ urbis Romæ, quæ habetur in codice 822. bibliothecæ Colbertinæ, existimandum esset eam mentem non sedisse Vrbano ut Romæ maneret. Sic enim illic legitur: *Pridem Vrbanus quanta spe perpetui incolatus reduxit curiam, & subitò, seu naturali gentium vitiæ & levitate, seu satietate Italiæ, seu Galliarum desiderio, hoc tam constans propositum commutavit. Addite quòd summum Pontificem trahebat in Italiam sola civitas Perusina; quæ cùm omnibus Tusciæ urbibus videretur excellere, sedem sibi continuam preparabat.*

CVM MAGNO GAVDIO] Contrà Cotius ait Vrbanum Romam non intrasse cum hymnis, uti antea solebant excipi Pontifices, sed tyranni in morem, cum fortissimo exercitu.

NON CONSECRATVS] Erat enim electus Archiepiscopus Cæsaraugustanus, ut observatum est suprà pag. 259. 903.

AD PARTES NEAPOLIT.] De hac legatione Neapolitana Guillelmi de Agrifolio senioris agunt Abrahamus Bzovius an. 1367. §. 13. Odoricus Raynaldus an. eod. §. 16. Iulius Cæsar Capacius lib. 2. hist. Neapolit. cap. 4. & Bartholomæus Chioccarellus in historia antistitum Neapolitanorum pag. 234. Errant ergo, uti jam diximus, qui legationem illam tribuunt Guillelmo de Agrifolio juniori vel Guillelmo Sudre. P. 381.

FATVÆ MVLIERIS] Ex hoc loco patet jam tum in suspicionem falsi venisse narrationem de Ioanna Papissa, ut olim monuimus in Notis ad dialogos Antonii Augustini de emendatione Gratiani pag. 432.

VIRO NOTABILIOR.] Matthæus Villanius lib. 9. cap. 95. *gli diede la rosa, la*

quale usava dare al piu nobile huomo che all'hora si trovasse in corte di Roma.

MEMORATÆ IOHANNÆ] Factum istud displicuisse quibusdam Cardinalibus refert Garoscus de Vlmoisca veteri. Errarunt autem vehementer Sammarthani lib. 31. hist. genealog. Franc. cap. 3. ubi hanc historiam referunt ad tempora Vrbani VI.

P. 382. OBIIT NIC. DE CAPOCIA] Extat in libro quarto miscellaneorum nostrorum pag. 510. epistola Lucii Colutii Salutati de morte istius Cardinalis ad Nicolaum de Auximo, ex qua liquet eundum Lucium esse auctorem epitaphii versibus scripti quod extat apud Ciaconium & inde apud Oldoinum, qui etiam exhibet ejus testamentum conditum quatriduo antè quàm moreretur.

P. 383. IN STVDIO PERVSIENSI] Certum est *Parisiensi* scriptum esse in antiquis exemplaribus, eoque modo edidit Bosquetus. quod multorum diligentiam frustra exercuit istud collegium quærentium in urbe Parisiensi. Sed quia certum quoque est heic agi de collegio quod Nicolaus de Capocia fundavit in studio Perusiensi, nos audacter emendavimus. Vide testamentum ejus pag. 513. & Ioannem à Leidis lib. 28. cap. 6. Hodie collegium istud vocatur *la Sapienza vecchia*, ut in tomo primo historiæ Perusinæ pag. 998. 1039. testatur Pompeius Pellinus. Pari errore apud Amalricum Augerii scriptum est Vrbanum IV. Papam, quem constat obiisse Perusii, ad Christum migrasse in civitate Parisiensi.

CORPVS S. THOMÆ DE AQV.] De hac corporis sancti Thomæ de Aquino translatione luculentus extat commentarius auctoris fide dignissimi Raymundi Hugonis, nuper ex veteri codice MS. fratrum Prædicatorum Tolosæ editus ab Henschenio. Tria porrò ossa ejusdem corporis dein, anno, videlicet MCCCLXXII. die XXVII. Maii, Nicolao de sancto Saturnino Provinciali provinciæ Franciæ ordinis Prædicatorum dedit Helias Raymundi magister generalis ejusdem ordinis, *quorum unum sibi remaneat, & secundum ad conventum Claromontanum provincia Franciæ, tertium verò aliquibus conventibus sua provincia distribuat.* Extant ea de re literæ inter probationes historiæ Cardinalium Gallorum pag. 488. Aliud idem generalis magister dedit anno MCCCLXXVII. conventui fratrum Prædicatorum Montispessulani, ut patet ex actis editis à Petro Gariello par. 2. pag. 103. Præsulum Magalonensium. Item brachium ejusdem sancti datum est monasterio fratrum Prædicatorum Parisiensium, ad eos delatum à Ioanne de Dormannis Cardinale.

P. 384. SEPTEM ALIOS] Continuator Gallicus Nangii, Boninsegnius, auctor secundæ vitæ Vrbani, omnes coætanei, sed in primis Garoscus de Vlmoisca veteri, qui tum erat in curia Romana, perhibent hanc creationem fuisse octo Cardinalium; quibus consentit etiam auctor Maris historiarum. Boninsegnius ait omnes fuisse ultramontanos præter Priorem S. Petri de urbe. Continuator verò Nangii & auctor Maris historiarum secundo inter eos loco nominant Patriarcham Alexandrinum, qui primus nominatur in libro Angeli Massarelli, ex quo acceperunt Onuphrius Panuinius & Felix Contelorius. Et in libro quidem Massarelli & apud Onuphrium, tum etiam apud Bzovium an. 1368. §. 8. vocatur Arnaldus Bernardi Patriarcha Alexandrinus; pro quo malè apud Contelorium scriptum est *Arnaldus Bertrandi.* Investiganti autem mihi quis fuerit hic homo occurrit Arnaldum Patriarcham Alexandrinum fuisse perpetuum administratorem Ecclesiæ cathedralis & episcopatus Montisalbani ab anno saltem MCCCLXI. usque ad annum MCCCLXVIII. eumque vocatum fuisse Arnaldum Peyraredum reperiri in quibusdam memoriis, sed admodum incertis. Hinc vocatus ad novas curas, ex corrupto, ut arbitror, nomine Peyraredi conjeci hunc Arnaldum esse fortassis eundem qui tenuisse legitur cathedram archiepiscopalem Ecclesiæ Aquensis usque ad annum MCCCLVIII. quo extinctum eum tradunt ex conjectura potiùs quàm ex ullo veterum testimonio. Vocatur autem ille in vulgatis catalogis Archiepiscoporum Aquensium Arnaldus Bernardi de Pireto. In rubricis porrò anni tertii Benedicti XII. cap. 323. reperio Arnaldum Bernardi de Proeto Canonicum Turonensem fuisse nepotem ejusdam Cardinalis. Sic enim illic legitur: *Arnaldo Bernardi de Proeto Canonico Turonensi. Conceditur sibi quòd in Ecclesia Turonensi non teneatur reiterare primam personalem residentiam quam in ea fecit, non tamen secundùm statuta ipsius. Gratis pro nepote Cardinalis.* Ex his rursum verbis suspicabar vitio amanuensis malè illic scriptum esse *Proeto* pro *Poieto*, & istum Arnaldum fuisse nepotem Bertrandi de Poieto Cardinalis natione Cadurcensis. Ex quo postea colligebam illum qui primò fuit Canonicus Turonensis evasisse dein Archiepiscopum Aquensem, & anno millesimo CCCLVIII. incensum amore patriæ translatum esse, non ad superos, sed ad Ecclesiam Montalbanensem, quæ sita est in Cadurcis, illamque ob eam rationem prætulisse Aquensi. Hactenus conjecturæ nostræ. Nunc ad ea quæ certis testimoniis constant accedamus, si modò priùs monuerimus acta Montalbanensia quibus usi sumus nobiscum perhumanè communicata fuisse à viro clarissimo Petro le Clerc Advocato Montalbanensi.

Primùm omnium reperio instrumentum permutationis *quorundam feudorum ac obliarum*

facta inter Reverendum in Christo Patrem Dominum Arnaldum Patriarcham Alexandrinum & administratorem perpetuum Ecclesiæ Montisalbani quondam & venerabile capitulum Ecclesiæ cathedralis Montisalbani, ex quo seu potiùs ex actis illic insertis certò colligitur Arnaldum Patriarcham Alexandrinum fuisse perpetuum administratorem episcopatus Montisalbani anno M C C C L X I. die septima mensis Februarii.

In codice notato P fol. 223. ita scriptum habetur. *Arnaldus miseratione divina Patriarcha Alexandrinus perpetuusque administrator Ecclesiæ Montisalbani ad æternam rei memoriam, universis & singulis præsentes literas recepturis salutem &c.* Et infrà: *Datum & actum in dicto capitulo dictæ nostræ Ecclesiæ die quarta mensis Maii, pontificatus sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri Domini Urbani divina providentia Papæ V. anno primo & Indictione prima, anno nativitatis Domini millesimo* C C C L X I I I. *præsentibus &c.*

Alius codex sic incipit. *In nomine Domini. Amen. Liber recognitionum feudorum sive oblianum Reverendissimi in Christo Patris & Domini nostri Domini Arnaldi Dei gratia Patriarchæ Alexandrini & administratoris perpetui Ecclesiæ Montisalbani quæ ab Ecclesia Montisalbani tenentur, inceptus per venerabilem virum Dominum Petrum de Reno Rectorem Ecclesiæ de Caussio Thesaurarium & procuratorem generalem ejusdem sub anno dominica incarnationis millesimo trecentesimo sexagesimo septimo.*

In codice Conciliorum Galliæ Narbonensis pag. 126. adnotatum est vicarium generalem & procuratorem Domini A. Patriarchæ & administratoris Ecclesiæ Montisalbanensis interfuisse Concilio quod celebratum est in Ecclesia Vaurensi ab Episcopis trium provinciarum anno M C C C L X V I I I. die sexta Iunii.

Erat autem adhuc in vivis anno millesimo C C C L X V I I I. die secunda mensis Septembris, ut patet ex folio primo codicis Montalbanensis postremò laudati, ubi legitur Martinum de Texenderia civem Montalbanensem recognovisse die secunda mensis Septembris anno millesimo C C C L X V I I I. se tenere in feudum à Reverendo Patre in Christo Domino Arnaldo Patriarcha Alexandrino & administratore perpetuo Ecclesiæ Montalbanensis quandam domum sitam in oppido Montisalbani; idque confessus est coram Philippo de Aussaco Vicario Montisalbani *per lo Reverend Payre en Dieu & Senhor Mossen Arnaud per la gratia de Dio Patriarcha d'Alexandria & administrador perpetual de la gleya de Montalban.* Erat ergo tum Arnaldus absens à Montalbano.

Postea verò Urbanus V. eum absentem, ut legitur in libro obligationum, adlegit in sacrum Cardinalium collegium die X X I I. ejusdem mensis Septembris. Et tamen nulla istius novæ dignitatis mentio in actis confectis anno M C C C L X X I I I. in quibus ita scriptum est: *inter Reverendum in Christo Patrem bone. Dominum Arnaldum divina miseratione Patriarcham Alexandrinum & administratorem perpetuum Ecclesiæ cathedralis & episcopatus Montisalbani.* Hinc oriri posset aliqua dubitatio num is verè fuerit factus Cardinalis. Verùm huic difficultati facilè occurritur dicendo eum obiisse extra curiam Romanam medio tempore quod intercessit inter diem secundam & vigesimam secundam mensis Septembris, ac propterea non fuisse connumeratum inter Cardinales ab iis qui sciebant illum mortuum fuisse ante diem X X I I. Septembris. Quam ob causam auctor istius vitæ nullam illius mentionem facit, eandem nimirum ob causam propter quam auctor primæ vitæ Clementis VII. pag. 509. omisit inter Cardinales creatos anno millesimo C C C L X X X I I I. desinente Martinum Episcopum Ulixbonensem, qui vitam cum morte commutavit aliquanto antè quàm Clemens eum pronuntiaret Cardinalem. Mortuum porrò esse Arnaldum Patriarcham illo tempore hinc liquet quòd ei substitutus est Bertrandus de Cardalhaco, quem prædecessorem suum vocat Petrus de Chalesio in suo testamento. Petrus autem tum Præpositus Ecclesiæ Nemausensis, ut legitur in regesto Urbani quinti, Ecclesiæ Montisalbani vacanti per obitum Bertrandi præfectus est anno M C C C L X I X. V. Kal. Octobris. Quamquam isthic est aliqua difficultas. Nam in veteri codice MS. in quo continentur *Recognitiones feudorum Reverendi in Christo Patris & Domini Domini Petri divina miseratione Montisalbani Episcopi* adnotatum est eum fuisse Episcopum Montisalbani anno M C C C L X I X. die X V. mensis Maii. Porrò de isto Petro sic scriptum vidi in Necrologio prioratus de Longavilla in diœcesi Rothomagensi ad diem X V. Kal. Ianuarii: *Officium fiat in cappis pro Domino Petro de Chalesio condam Montisalbani Episcopo & pro fratre Helia Iacobi quondam Priore hujus loci nepote dicti Domini Episcopi Montisalbani.* Obiit autem Helias anno M C C C X C I I I. ut legitur in eodem Necrologio; ubi quoque adnotatum est eum præfuisse huic monasterio per annos X X V I. & postea factum fuisse Abbatem Montisolivi. His ita per transennam enarratis, redeamus ad Arnaldum Patriarcham.

Primus omnium Onuphrius Panuinius scripsit illum fuisse vocatum Arnaldum Bernardi de Montemajori & Archiepiscopum Auscitanum sanctæque Romanæ Ecclesiæ Camerarium fuisse. Archiepiscopum Auscitanum non fuisse rectè monuit Oldoinus, cùm ea tem-

pestate hanc Ecclesiam rexisse reperiatur Arnaldus Alberti, idem S. R. E. Camerarius. Quare emendandi sunt qui hanc dignitatem tribuunt Arnaldo Patriarchæ Alexandrino. Vocabulum porrò de Montemajori illi tributum est per errorem ab iis qui noverant Abbatem Montismajoris fuisse factum Cardinalem in hac ipsa purpuratorum promotione. Errant autem vehementer qui putant illum interfuisse solenni Græcorum schismatis ejurationi in urbe Roma factæ à Ioanne Palæologo Imperatore, cùm ista intelligenda quoque sint de eodem Arnaldo Alberti. Itidem falsum est quod aiunt eum obiisse Viterbii ex peste anno MCCCLXIX. & sepultum apud Franciscanos. Istud enim pertinet ad Petrum de Banhaco Abbatem Montismajoris, quem tum illic obiisse constat & mortuum depositum in Ecclesia fratrum Minorum donec deferretur apud Mortuummare in Lemovicibus.

PHILIPPVM CABASSOLE] Cùm constet hunc Cardinalem ortum esse è nobilitate Cabellionensi, nescio unde quidam recentes scriptores acceperint illum primò inter pueros chori Ecclesiæ Cabellionensis stetisse, deinde verò Canonicum, & postea Archidiaconum & Præpositum ejusdem Ecclesiæ evasisse. Ipse in instrumento donarionum huic Ecclesiæ factarum testatur se fuisse originarium civitatis Cavallicensis, renatum fonte baptismatis in eadem Ecclesia, & literis primis imbutum in ea inter alios præcipuos clericos suis primis temporibus fuisse conversatum, & demum in adolescentia, dum vacaret studiis civilibus, effectum fuisse in ipsa cathedrali Ecclesia Canonicum præbendatum, deinde Archidiaconum, successivè Præpositum, & posttemò Episcopum. Sed qui dicit se puerum fuisse conversatum inter præcipuos clericos ejusdem Ecclesiæ, non dicit se fuisse choristam, id est, ex eorum puerorum numero qui mercede conducti canunt in choro sub magistro. Philippus porrò fuit filius Isnardi Militis, ut legitur in ejus epitaphio.

Anno MCCCXXXIV. mense, ut videtur, Augusto Ioannes XXII. eum creavit Episcopum Cavallionensem, ut esset illius Ecclesiæ pastor in qua suam per omnes gradus transegisset ætatem, seu, ut Petrarcha ait in epistola præfixa libris de vita solitaria, ut ei inde esset dignitas unde illi origo. Erat autem tum constitutus infra annos quibus licet Episcopos fieri secundùm regulas ecclesiasticas. Testatur istud Petrarcha lib. 2. de vita solitaria sectione 10. cap. 8. *ad quem statum ante annos matura te virtus erexit.* Parvum fuisse illius episcopatum conqueritur idem Petrarcha lib. 13. rer. senil. epist. 11. *tunc Præsul exiguus, nunc maximus Cardinalis.* Et in epistola de vita sua: *Vita solitaria libros duos ad Philippum semper magnum virum, sed parvum tunc Episcopum Cavallicensem, nunc magnum Sabinensem Episcopum Cardinalem.* Eundem Petrarcha lib. 13. rer. senil. epist. 12. vocat virorum optimum & patrem suum superindulgentem. Quo nomine eum vocare solet, in primis verò lib. 5. rer. senil. epist. 1. & lib. 13. epist. 11.

Ad eum Episcopum Cabellicensem scribit idem Petrarcha lib. variar. epist. 25. 45. & lib. 2. rer. famil. epist. 1. 2. lib. 11. epist. 4. 10. 11. 15. lib. 12. epist. 6. lib. 15. epist. 11. 12. 13. lib. 22. epist. 5. & lib. 24. epist. 1.

Anno MCCCXLIII. Robertus Rex Siciliæ moriturus, prævidens Ioannæ Reginæ imbecillitatem ac viri ejus Andreæ ætatem moderandæ amplissimæ ditioni impares esse, dedit eis, quorum consiliis uterentur, Sanciam Reginam uxorem suam & aliquot viros graves, in primis verò hunc Philippum Cavallicensem Episcopum regni Siciliæ Cancellarium. *Odoric. Raynal. an.* 1343. §. 74. *& seq.*

Eodem munere Cancellarii functum esse sub Ioanna Regina paret ex eodem Raynaldo an. 1344. §. 30. donec illa, captata occasione absentiæ ejusdem Philippi, de qua postea, Guillelmum Episcopum Casinensem fecit Cancellarium regni Siciliæ. Cujus mutationis confirmationem cùm à Clemente VI. peteret eadem Regina, consensit ille ut interim Episcopus ille fungeretur eo munere quandiu Philippus esset absens. *Clemens VI. lib.* 4. *epist.* 465. *& seq.*

Anno enim MCCCXLV. Clemens VI. Philippum unà cum Hugone Archiepiscopo Bisuntinensi misit pro reformanda pace inter nobiles viros Odonem Ducem Burgundiæ ac Iohannem de Cabilone dominum de Arelato & quosdam alios magnates illarum partium invicem dissidentes. *Clemens VI. lib.* 4. *epist.* 463. *& seqq.*

Venerat Philippus ad Clementem jussu Reginæ Ioannæ ut eum certiorem faceret eam peperisse filium in nocte nativitatis Domini, & illum in die festivitatis beati Stephani subsequenti elevasse in sacris fontibus vice Papæ eumque vocasse Carolum. *Clemens VI. lib.* 4. *epist.* 252.

Antea verò interfuerat anno MCCCXLIV. die ultima Augusti homagio quod eadem Ioanna juraverat in manibus Aimerici de Castrolucii Cardinalis. Vide Summontium par. 2. hist. Neapolit. lib. 3. pag. 418.

Anno MCCCXLIX. IV. Kal. Maii idem Clemens misit eundem Philippum in Provinciam, ut inducias inter Massilienses & alias Provinciæ & comitatus Forcalquerii urbes adversùs ipsos fœderatas inducias promulgaret. *Odoricus Raynaldus anno* 1349. §. 10.

Ea tempestate scripsit libros de vita & mi-

raculis beatæ Mariæ Magdalenæ, quos dicavit Henrico de Villars Archiepiscopo Lugdunensi Galliarum Primati. Quo in opere multùm exagitat monachos Vezeliacenses quòd auderent publicè asserere corpus ejusdem sanctæ apud se extare. Extat hoc Philippi opus in bibliotheca sancti Victoris Parisiensis. Vide Petrarcham lib. 14. rer. senil. epist. 15.

Anno MCCCLIII. Innocentius VI. Philippum Cavallicensem Episcopum, qui discordias inter Delphinum Viennensem & Sabaudum componeret, nuntium destinavit. *Bzov. an.* 1353. §. 28.

Anno MCCCLVIII. & sequenti erat apostolicæ sedis nuntius in Germania, ut patet ex Bzovio an. 1358. §. 6. & Odorico Raynaldo an. 1359. §. 11. Vnde patet de illo intelligenda esse quæ Nicolaus Serarius lib. 5. rer. Moguntiacar. pag. 858. scribit de Episcopo Cavellicensi sedis apostolicæ Legato. Vide Trithemium in chronico Hirsaug. to. 2. pag. 234. & seqq.

Ex libro obligationum colligi posse videtur hunc Philippum fuisse factum Patriarcham Hierosolymitanum anno MCCCLXVI. mense Septembri. Verùm ex actis Concilii habiti apud Ecclesiam Aptensem anno MCCCLXV. mense Maio liquet illum fuisse jam tum ornatum ea dignitate. Memoria porrò lapsus est Bzovius an. 1368. §. 5. ubi eum vocat Patriarcham Constantinopolitanum.

Anno MCCCLXVI. die XXVIII. Septembris Ecclesia Massiliensis, quæ vacabat per promotionem Guillelmi Sudre ad cardinalatum, fuit commissa Philippo Patriarchæ Hierosolymitano. *Liber obligationum.* Rexit autem Ecclesiam illam annis duobus, ut docet Ioannes Guesnæus in annalibus Massiliens. pag. 422.

Anno MCCCLXVII. erat vicarius generalis episcopatus Avenionensis pro Papa. Sic enim legitur in codice 1898. bibliothecæ Colbertinæ fol. 33. *Infrascripta lecta fuerunt & publicata in Ecclesia Avinionensi in synodo anno nativitatis millesimo CCC. sexagesimo septimo.* Et paulò pòst: *Ordinatur, præcipitur, & districtè mandatur sub pœna excommunicationis & sub pœna decem solidorum per clavarium curiæ episcopalis Avinionensis levandorum & fabricæ dictæ Ecclesiæ applicandorum per Reverendissimum in Christo Patrem & Dominum Dominum Philippum miseratione divina Patriarcham Hierosolymitanum, Episcopum Massiliensem, in spiritualibus & temporalibus episcopatus Avinionensis vicarium generalem pro Domino nostro Papa eundem episcopatum ad manum suam tenente &c.* Vide etiam Gariellum in serie Præsulum Magalonens. par. 2. pag. 89.

Anno sequenti VIII. Idus Februarii Vrbanus V. ad eum è Roma scripsit uti Avenionensis urbis mœnia inchoata perficeret, & si quæ domus, etiam Cardinalium, essent quæ iisdem mœnibus construendis amplificandisque incommodarent, eas dato pretio dirueret. *Bzov. an.* 1368. §. 5.

Anno eodem die XXII. mensis Septembris Vrbanus V. eum absentem creavit Cardinalem, cùm illum superiores Pontifices, ut conqueritur Petrarcha, sibi incognitum & latitantem neglexissent. Hæc sunt verba Petrarchæ lib. 13. rer. senil. epist. 4. *Hinc te tamen extulit sors tua & summa illius sancti patris providentia, qui te prædecessoribus suis incognitum & libentissimè latitantem nosci dedit, Ecclesiæ consulem, non tibi.* Sed quid sibi velit his verbis Petrarcha non satis assequor. Neque enim prædecessoribus Vrbani incognitus fuit Philippus. Etenim Ioannes XXII. eum fecit Episcopum, & Clemens VI. & Innocentius VI. eo usi sunt in negotiis gravissimis. Porrò idem Petrarcha lib. 5. rer. senil. epist. 1. ei bene ominatus est cardinalatum. *Gaudeo hercle quòd apud ipsam Babylonem, quos mihi reliquos mors fecit, videtis illum ante alios verè patrem, ut dicit, meum Philippum Hierosolymitanum Patriarcham, virum, ut brevi eum circumlocutione describam, & titulo parem suo, nec Romano imparem, si quando fortè dignus meritis honor accesserit.* Cùm verò fando accepisset eum honore illo auctum esse, sic de eo scripsit lib. 11. cap. 3. ad Franciscum Brunum: *Ad extremum noris & fama & literis auditum hic patrem meum Patriarcham Hierosolymitanum Romuleo cardine sublimatum esse. quod ita futurum semper credidi, & dilatum stupui.* Sed insignis est locus ex epistola 4. libri 13. ubi certum se esse ait illum non insolescere ob vestem rubeam, ut plerique solent. Hæc sunt ejus verba, digna profectò quæ isthic à nobis referantur. *Quin & insolentias Cardinalium alto animo rejecturum, qui exiguo rubentis panno mortalitatis oblivione capiuntur, non mortales tantummodo illi quidem, sed quodammodo moribundi. Tu, nisi tanto tempore mecum es & non cognovi te, non solùm hoc panniculo non superbis, sed nec qualibet purpura sen corona.*

Cùm verò factus est Cardinalis, non ideo liberatus est ad administratione episcopatus Avenionensis. Contrà Vrbanus V. VIII. Kal. Octobris ei præscripsit ne urbem illam ac illius curam deleretet. *Bzov. an.* 1368. §. 8.

Anno tamen sequenti reliquit Avenionem, & in Italiam profectus, assecutus est Vrbanum apud Montemflasconem die quarta Iunii. *Ex libro obligationum.*

Cùm verò postea Guillelmus de Agrifolio Episcopus Sabinensis obiisset, Philippus ei suffectus est anno MCCCLXX. die ultima Maii, ut legitur infrà pag. 411. Ad eum verò Episcopum

copum Sabinensem scribit idem Petrarcha lib. 14. rer. senil. epist. 11. 14. & seq. lib. 15. epist. 4.

Rediit deinde in Galliam cum Urbano, & electioni Gregorii XI. interfuit. Is verò statim Legatum eum Italiæ esse jussit. *Prima vita Gregorii XI. pag. 428. Boninsegni. pag. 552. Bzov. an. 1372. §. 4.* Et quamvis Petrarcha amaret Italiam, ægrè tamen tulit Philippum divelli à latere summi Pontificis, factumque id fuisse putat eorum artibus qui nolunt habere contradictores. Sic enim ad eum scribit lib. 13. rer. senil. epist. 11. *Parcat tamen illis Deus qui humeris tuis longo & honesto labore fatigatis hoc tam grave, licet honorificum, pondus imponere voluerunt, idque Pontifici suaserunt. Nosco autem mores, dum eis bene sit, qualiter sit aliis non curant, neque alienos labores aut pericula sed suas tantùm cogitant voluptates. Sunt ex eis quidam quibus bonorum omnium sit invisa præsentia, eosque non tantùm abesse cupiant, sed non esse, ut liberiùs possint sine contradictore & sine conspicuo teste peccare.*

Anno MCCCLXXII. die XXVII. Augusti condidit testamentum, & eadem die obiit, ut testatur Contelorius. At Oldoinus ait id verum non esse, obiisse namque sexto Kal. Augusti. Verùm quanta sit hæc discrepantia facilè intelligent eruditi lectores.

In codice 754. bibliothecæ Colbertinæ extant variæ bullæ Ioannis XXII. de rebus Siculis, ex quibus constat nobilem virum Ioannem Cabassole Militem fuisse magistrum rationalem magnæ curiæ Roberti Regis Siciliæ ab anno MCCCXIX. usque ad annum millesimum CCCXXXIII. Eidem anno millesimo CCCXXIX. Opicinus de Canistris dicavit tractatum de regno Ecclesiæ. Sic enim scriptum est in calce codicis 506. bibliothecæ Colbertinæ: *Opicinus de Canistris Papiensis tractatum de regno Ecclesiæ dicat nobili & magnifico viro Domino Iohanni de Cabassole juris civilis professori magno regiæ curiæ magistro rationali.*

Ex instrumento donationum à Philippo factarum Ecclesiæ Cabellicensi constat eum habuisse fratres Isnardum & Alziarium, istum verò mortuum fuisse ante annum millesimum CCCXXXIX. & filium reliquisse nomine Ioannem. Puto autem de hoc Alziario intelligendam esse epistolam consolatoriam de morte fratris quam ad Philippum scripsit Petrarcha lib. 2. rer. familiar. epist. 1. ex qua colligitur illum adhuc adolescentem extra patriam immatura morte sublatum fuisse.

Philippi nepos fuit Rossolinus de Cabassole, ut docet Nostradamus in historia Provinciæ pag. 430.

Habeo inter libros meos veterem editionem apostillarum in Extravagantes Ioannis XXII. in cujus calce quædam scripta sunt quæ ostendunt hanc gentem fuisse adhuc superstitem temporibus Ludovici XII. Regis Francorum. Sic enim illic scriptum est: *Anno Domini millesimo CCCCCVI. die verò XXVI. mensis Septembris circa octavam horam noctis soror mea carissima peperit filiam à nobili viro Domino Nicolo Ioanni Florentino atque cognato meo honorando. Patrinus verò filiæ fuit Petrus Maneti Avenione commorans. Matrinaque fuit nobilis puella Piorra Cabasola. Baptizata fuit inter quintam & VI. horam nocturno tempore. Superosque obsecro ut filiam atque nos omnes perpetuè conservent. Scriptum per me Raynaudum Ricavum patrunum suum.*

SIMONEM DE LANGAN] Apud Vvalsinghamum ad annum 1366. rectè vocatur Simon de Langham. At pessimè ad an. 1349. vocatur Simon Banham.

Ex monacho, Priore, & Abbate Vvestmonasteriensi factus est Episcopus Eliensis anno MCCCLXI. & Archiepiscopus Cantuariensis anno MCCCLXVI. ut ait Godvvinus.

Anno MCCCLXVIII. eum tunc absentem Urbanus V. creavit Presbyterum Cardinalem. Quo audito permotus Rex Angliæ Eduardus istius nominis tertius prædia archiepiscopatus tanquam vacantis in suam potestatem recepit. At Archiepiscopus nihilo turbatus tandem à Rege impetrata Romam proficiscendi licentia è suo famulatu destituendus omnibus, archiepiscopatus insignibus exutus, omnique jurisdictione Priori & conventui Cantuariensi dimissa, ad Pontificem properavit. Ibi suscepto cardinalatu, in maxima Papæ Romanæque curiæ gratia vixit. *Matth. Parker in antiq. Britann. Ecclesiæ.* Ex qua narratione liquet falli eos qui Simonem sponte scribunt dimisisse archiepiscopatum Cantuariensem.

Anno itaque sequenti MCCCLXIX. *mense Aprilis versus curiam iter cepit*, ut ait Vvalsinghamus, & die XXIV. Maii intravit curiam apud Montemflasconem, ut legitur in libro obligationum. Ex quo rursum liquet frustra scriptum esse ab Auberyo illum ad Urbanum Papam in Italiam profectum esse statim atque accepit nuntium de dignitate Cardinalis sibi collata.

Cùm pervenisset Simon ad Urbanum Papam, is dedit illi titulum Presbyteri Cardinalis. Diversæ sunt autem auctorum sententiæ. Etenim Vvalsinghamus, Onuphrius Panuinius, auctor antiquitatis Britannicæ Ecclesiæ, Bzovius, Ferdinandus Ughellus, & Odoricus Raynaldus eum aiunt fuisse Presbyterum Cardinalem tituli sancti Sixti. Ioannes Godvvinus, Ciaconius, Iosephus Maria Suaresius, & Contelorius ei tribuunt titulum sanctæ Praxedis. Oldoinus posteriorem sententiam non probat, priorem amplectitur. Cui ego lubenter accedo. Etenim cùm Marcus de

TTt

Viterbio, qui titulum sanctæ Praxedis habebat, obierit tantùm sequenti mense Septembri, manifestum est illum dari non potuisse Simoni mense Maio, quandoquidem non vacabat. Præterea Bzovius an. 1372. §. 33. & Odoricus Raynaldus an. 1371. §. 1. ex regestis Gregorii XI. docent Simonem fuisse Presbyterum Cardinalem tituli sancti Sixti.

Anno MCCCLXX. Vrbanus V. hunc Simonem & Ioannem de Dormanno destinaverat Legatos ad Reges Franciæ & Angliæ bello decertantes. Cùm verò interim Vrbanus esset mortuus, Gregorius XI. eam illis legationem confirmavit. *Odoricus Raynaldus anno 1371. §. 1. Bzov. an. 1372. §. 33.* Sed illorum operam & studium frustra fuisse docet auctor primæ vitæ Gregorii XI. pag. 427. Quod etiam testatur Vvalsinghamus his verbis: *Per idem tempus jussu Domini Papa egressi sunt duo Cardinales ad tractandum de pace inter duo regna, Anglicus videlicet & Parisiensis, acceptis procurationibus absque effectu ad curiam sunt reversi.*

Anno MCCCLXXIII. factus est Episcopus Prænestinus post Raymundum de Canilhaco, qui obierat die XX. Iunii.

Oldoinus auctorem laudans Suaresium ait illum à Gregorio XI. renuntiatum eodem tempore Episcopum Prænestinum & Legatum in Angliam, sed morte præventum legationem illam non subiisse. Verùm Suaresius id non dicit, sed tantùm illum à Gregorio XI. Prænestinum Episcopum & Legatum in Angliam fuisse declaratum, absque ulla nota temporis, licèt obscurum scribendi genus innuere possit actum id esse eo tempore quo illum fecit Episcopum Prænestinum. Itaque quæ Suaresius ait de legatione Anglica referenda sunt ad initia pontificatus Gregorii, quæ verò scribit de episcopatu Prænestino ad annum millesimum CCCLXXIII.

Anno MCCCLXXIV. cùm vacaret archiepiscopatus Cantuariensis per obitum Guillelmi Vvirtlesey, *monachi illius Ecclesiæ*, inquit Vvalsinghamus, *ad eligendum adepti à Rege licentiam Cardinalem Angliæ in Archiepiscopum postularunt. Qua causa Rex commotus adversus eos ira maxima proposuit dictos monachos exlegisse. Idcirco plura bona expenderunt antequam potuerint super illo facto Regis gratiam obtinere. Postulationi nempe facta de Cardinale Rex consentire noluit, sed nec Papa nec Cardinales.* Hanc historiam malè Godvvinus retulit ad Eastonum Cardinalem, cùm is ab Vrbano tantùm sexto ornatus fuerit ea dignitate. Itaque dubium non est quin intelligenda sit de Simone de Langham.

Obiit Avenione anno MCCCLXXVI. die XXII. Iulii. Cetera reperiuntur apud vulgatos scriptores historiæ Cardinalium.

BERNARDVM DE BOSQVETO] Cadurcensem, eum domo fuisse nulla dubitatio est, cùm & istud testetur iste scriptor, & in regesto LXXIV. archivi regii Parif. cap. 680. repetiantur litteræ Philippi VI. Regis Francorum datæ anno MCCCXLI. mense Februario quibus Ioannem de Bosqueto de Cadurco & posteritatem ejus decorat titulo nobilitatis, qui videtur esse ille ipse Ioannes de Bosqueto qui apud Guillelmum Cruceum in serie Episcoporum Cadurcensium pag. 259. nominatur anno MCCCLI. inter præcipuos cives urbis Cadurcensis. Apud eundem pag. 330. nominatur ad annum MCCCCXCI. nobilis Petrus de Bosqueto dominus de Areambal. Ex his itaque testimoniis constat hunc Bernardum Cardinalem fuisse patria Cadurcensem. Et tamen Petrus Frizonius scribit illum fuisse patria Ruthenensem, opinor quia ad illum putavit scriptos fuisse versus Petrarchæ qui scripti sunt ad Bernardum de Albia Episcopum Ruthenensem. Nisi si seriem Præsulum Cadurcensium à Cruceo, uti diximus, scriptam legit illicque non bene distinxit Bernardum de Bosqueto Archiepiscopum Neapolitanum à Bernardo de Ruthena Archiepiscopo item Neapolitano. Cùm enim videret Bernardum Neapoleos Archiepiscopum, de quo agimus in præsentiarum, constanter nominari Bosquetum, à Cruceo tamen pag. 316. aliquem eadem ætate Archiepiscopum Neapolitanum vocari Bernardum de Ruthena, facile ei fuit existimare patriam ei Ruthenam fuisse qui proprio nomine Bosquetus appellabatur. Fuit tamen & hic postremus Bernardus Divona Cadurcorum oriundus, ut patet ex eodem Cruceo. Obiterque corrigendus est Bartholomæus Chioccarellus in historia Antistitum Neapolitanorum, ubi ait Bernardum de Ruthena fuisse patria Ruthenum, sed ex civitate Cadurcensi oriundum.

Sed ut ad Cardinalem nostrum redeamus, fuit is Doctor legum, Canonicus Cadurcensis, Canonicus & Cantor Ecclesiæ Burdegalensis, Camerarius Audoyni Alberti Cardinalis Ostiensis, Vrbani V. Capellanus, palatii apostolici causarum auditor, deinde anno millesimo CCCLXV. factus Archiepiscopus Neapolitanus, postremò Presbyter Cardinalis anno MCCCLXVIII. die XXII. Septembris. Erat autem absens. Postea Romam pervenit ad Vrbanum Papam die ultima Octobris, & ab eo accepit titulum basilicæ duodecim Apostolorum.

Anno MCCCLXIX. die XVIII. Octobris delegatus fuit ab eodem Vrbano cum aliis tribus Cardinalibus ut exciperet professionem fidei Ioannis Palæologi Imperatoris orientis. *Bzov. an. 1369. §. 1. & Odoric. Raynald. an. eod. §. 2.*

In revelationibus sanctæ Brigittæ lib. 7.

cap. 12. extat admonitio quam Bernardo Archiepiscopo Neapolitano fecit Christus per os ejusdem sanctæ. Quod tamen non puto intelligi debere de Bernardo Cardinale, sed de Bernardo de Ruthena. Istud autem colligi posse videtur ex præfatione collectionis miraculorum ejusdem sanctæ.

Obiit Bernardus Cardinalis anno millesimo CCCLXXI. die XIX. Aprilis, cùm paulò antè judex esset à Gregorio XI. constitutus in causa Ioannis Vernenborgii Episcopi Trajectensis. *M. chron. Belgicum pag.* 315. In codice 812. bibliothecæ Colbertinæ habetur sententia à Florentio Episcopo Trajectensi lata anno MCCCXCI. adversùs Andream de Vveimborch clericum diœcesis Trajectensis, qui sequebatur partes Clementis VII.

Scripsit Consilia Rotæ, opus divisum in varias quæstiones, ex quibus 81. & 132. citat Ægidius Bellamera in cap. *Propofuisti.* de foro compet. & in cap. *Ad hæc Deus.* Vt lite non contestata. Citat etiam idem opus in cap. *Olim.* de litis contestat. in cap. *Cùm olim.* de testib. in cap. *Cùm venerabilis.* de exceptionib. & in cap. *Si duobus.* & in cap. *Constitutis.* de appellat.

. Ejusdem meminit idem Ægidius in Clement. *Si una.* de reb. Eccles. non alienandis, & alibi.

IOHANNEM DE DORMANNIS]

Pauca de hoc viro, cùm multi multa de eo scripserint, nobis incumbunt dicenda. Hemeræus in Augusta Viromanduorum illustrata pag. 288. scribit illum anno MCCLIII. fuisse Canonicum S. Quintini.

Anno MCCCLIX. die XXVI. Iunii vocatur electus Lexoviensis in veteri regesto archivi regii Parisiensis. Inde anno sequenti translatus est ad Ecclesiam Bellovacensem. Istud annotatum esse in ejus epitaphio rectè observant Sammarthani in catalogo Episcoporum Lexoviensium, non quale editum ab iis est in catalogo Episcoporum Bellovacensium, sed cujusmodi habetur apud Louvetum, ubi ita legitur:

I. de Dormano primùm pro Lexoviano

Præsule susceptus, pater hinc Belvacus adeptus.

Nam illud quod debetur diligentiæ Sammarthanorum, quorum errores secutus est Oldoinus, nullum sensum habet, cùm in eo legatur *primò prole Romano præsule susceptus.*

Anno MCCCLXVIII. die XXII. Septembris Vrbanus V. eum absentem fecit Presbyterum Cardinalem; idque scitum fuisse Parisiis die sexta sequentis mensis Octobris testatur continuator Gallicus Nangii. Non accepit tamen eo tempore pileum rubeum, sed anno tantùm sequenti, uti dicemus postea. Primùm enim dicendum est Ioannam Reginam Francorum peperisse Lutetiæ filium die tertia sequentis mensis Decembris, & die sexta eum fuisse baptizatum in Ecclesia sancti Pauli à Cardinale Bellovacensi, præsente Stephano Cardinale Parisiensi. Vulgò autem traditur illum de sacro fonte susceptum à Carolo Montmorenciaco, idque ita scriptum est in continuatione Gallica Nangii. Quædam tamen vetera exemplaria habent hunc honorem habitum, non solùm Carolo Montmorenciaco, sed etiam Carolo Comiti de Domnomartino: *Et fut appellé Charles pour lesdits seigneurs de Montmorency & Comte de Dampmartin, qui mesmes nom avoient.* ex veteri videlicet more, quo pueris in baptismate dabantur duo patrini & una matrina, puellis duæ matrinæ & unus patrinus. Horum verò exemplarium traditio confirmari potest ex eo quod suprà scriptum est ab eodem continuatore: *Et apres estoit la Roye Iehanne d'Evreux, qui portoit ledit enfant entre ses bras. Et Monseigneur Charles seigneur de Montmorency & Monseigneur Charles Comte de Dampmartin estoient de costé luy,* ob hoc nimirum quòd destinati erant ejus patrini. Vocatus autem fuit Karolus, & post patrem regnavit in Gallia. Nunc redeamus ad Cardinalem Bellovacensem.

Anno MCCCLXIX. die secunda Februarii accepit pileum rubeum per manus Guillelmi de Meleduno Archiepiscopi Senonensis. Idem continuator: *Item le Vendredy jour de la Purification Nostre Dame audit an MCCCLXVIII. Monseigneur Guillaume de Melun lors Arcevesque de Sens par bulle du Pape à luy sur ce envoyée presenta & bailla audit Cardinal de Beauvais Chancelier de France le chapel rouge au chastel du Louvre emprés Paris en la presence du Roy Charles apres la Messe emprés l'autel de la Chapelle.* Quamvis porrò hic auctor scribat actum id fuisse anno MCCCLXVIII. certum est actum esse anno sequenti. Numerat enim ille annos more Gallicano, quo annus incipiebat à Paschate.

Idem continuator Nangii docet Cardinalem Bellovacensem fuisse adhuc Parisiis anno millesimo CCCLXIX. die septima Maii & die XXII. Septembris. Ex codice verò veteri cameræ computorum Paris. apparet illum abdicasse dignitatem Cancellarii Franciæ & magnum sigillum Regi reddidisse anno millesimo CCCLXXI. die XXI. Februarii. Vnde colligi debet eum assiduè apud Regem fuisse usque ad illam diem Februarii, adeoque Vrbanum Papam non vidisse postquàm is eum fecerat Cardinalem. Puto autem eum statim se contulisse Avenionem ad Gregorium XI. recenter electum Romanum Pontificem, ab eoque datum ei fuisse titulum sanctorum quatuor coronatorum. Etenim ex bulla ejusdem Gregorii edita apud Odoricum Raynaldum an. 1371. §. 1. apparet illum eo titulo ornatum fuisse VII. Idus Martii hujus anni, id

TTt ij

est, quarto decimo post abdicatam dignitatem Cancellarii.

Tum ergo regressus est in Galliam instructus auctoritate Legati ad concordiam revocandam inter Reges Francorum & Anglorum, uti suprà dictum est pag. 1025. quum ageremus de Simone de Lanhgam.

Eodem anno, cùm urbs Monspeliensis quereretur se magnitudine tributorum opprimi, mitteosque propterea legatos ad Karolum V. Regem Francorum, etiam Gregorii XI. opem apud eum implorasset, Gregorius in eorum gratiam scripsit ad eundem Regem, ad Ludovicum fratrem ejus Ducem Andegavensem, & ad Ioannem Cardinalem tituli sanctorum quatuor coronatorum. Inter legatos verò Monspeliensium nominatur in epistola Gregorii ad Regem Imbertus Roch habitator dicti loci. Quod heic adnoto ut major fides eis adhibeatur qui sanctum Rochum aiunt ex ea urbe ortum fuisse.

Anno MCCCLXXIII. cùm Karolus Rex Francorum in custodiam conjecisset Iolandam Barri Comitissam, Gregorius Papa ei injunxit uti apud Regem intercederet pro libertate ejus, ut infrà dicemus ubi agemus de Cardinale de Britannia.

STEPHANVM DE PARISIVS] Continuator Gallicus Nangii agens de hac Cardinalium creatione ait hunc Stephanum fuisse ortum è Vitriaco super Sequanam juxta Lutetiam. Continuator verò Latinus in tomo XI. Spicilegii Dacheriani pag. 883. tradit illum fuisse Doctorem decretorum & Decanum Ecclesiæ Parisiensis, Claudius Hemeræus in Augusta Viromanduorum illustrata pag. 288. Canonicum Ecclesiæ sancti Quintini.

Anno MCCCLIX. erat Magister requestarum hospitii regii, ut patet ex literis Karoli V. tum Delphini editis in historia Cancellariorum Franciæ pag. 339.

Anno MCCCLXIII. III. Idus Decembris factus est ab Vrbano V. Episcopus Parisiensis, ut docet registrum Vrbani V. de provisionibus Prælatorum, ubi adnotatum est illum fuisse tum Decanum Ecclesiæ Parisiensis, Doctorem decretorum, & in sacerdotio constitutum.

Anno MCCCLXVIII. die XXII. Septembris idem Vrbanus eum creavit Presbyterum Cardinalem. Erat autem absens, Lutetiæ nimirum, ubi mansit usque ad diem Mercurii sextam Decembris, qua interfuit ceremoniis baptismi Karoli filii Karoli V. Regis in Ecclesia S. Pauli. Eademque die post Vesperas, ut adnotat continuator Gallicus Nangii, excessit ex ea urbe & iter Romanum ingressus est, comitantibus eum extra muros Ducibus Bituricensi & Burgundiæ fratribus Regis & Cardinale Bellovacensi. Describam autem ejus verba. *Item cellui Mercredy apres Vespres ledit Cardinal de Paris party de ladite ville pour aler à Romme devers le Pape & prist congié du Roy au Louvre. Et le convoyierent jusques hors de Paris les Ducs de Berry & de Bourgengne freres du Roy. Et aussi fist le Cardinal de Beauvais & plusieurs autres Prelas qui estoient en ladite ville de Paris. Et s'en ala au giste à Charenton.* Anno sequenti perfecit iter suum, & Romam, ubi tum erat Papa Vrbanus, ingressus est die XIII. Februarii, uti scriptum est in libro obligationum. Tum verò ei datus est titulus sancti Eusebii. Vacavit ergo tum Ecclesia Parisiensis, cui ab eodem Papa provisum fuit de Aymerico de Magnaco IX. Kal. Octobris, ut legitur in eodem registro. Falsi sunt ergo Sammarthani scribentes templum Cælestinorum Parisiensium dedicatum esse anno MCCCLXX. sedente Stephano in cathedra Ecclesiæ Parisiensis.

Extant in archivo regio Ruthenensi literæ istius Stephani datæ Romæ apud sanctum Petrum XII. Kal. Februarii pontificatus ejusdem Vrbani anno octavo, ex quibus liquet illum fuisse summum Romanæ Ecclesiæ pœnitentiarium. Concedit autem Guidoni de Severiaco Militi & ejus uxori ut eis liceat idoneum & discretum Presbyterum in confessorem eligere. Erat Guido nepos Raymundi de Canilhaco Cardinalis, ut dictum est suprà pag. 895.

Mortuus est Avenione anno MCCCLXXIII. & hinc translatus Lutetiam, sepultus est in cathedrali. Quare existimandum est Hemeræum pag. 288. ex conjectura potiùs quàm ex vero scripsisse eum fuisse sepultum apud Avenionem.

PETRVM DE BANHACO] sic dictum à loco originis sito in Marchia Lemovicensi haud procul Belaco. Patrem habuit nomine Petrum, matrem sororem Petri Cardinalis de Mortuomari. Vide suprà pag. 761.

Studiis operam dedit in academia Tolosana, ut fidem facit Ægidius Bellamera in cap. *Cùm sit generale.* de foro compet. & in cap. *Cùm ecclesiastica.* de exceptionibus. Qua tempestate mutuò accepit opera Tullii ab Hugone Cardinale de sancto Martiale, quæ illi testamento restitui jussit: *Item voluit & mandavit restitui & tradi Domino Hugoni Cardinali sancti Martialis Tullium in duobus voluminibus, quem sibi mutuaverat dictus Dominus Cardinalis sancti Martialis Tolosæ.* Eodem tempore juvenili petulantia furatus est quasdam arbores; quarum pretium restitui voluit pauperibus Tolosæ: *Item pro quibusdam arboribus domesticis de quodam horto seu viridario dudum Tolosæ ablatis voluit fieri restitutionem, & mandavit per executores suos infra-*

scriptot, ut ejus anima non remaneat onerata, & quòd dicta restitutio pauperibus Tolosæ commorantibus fiat, quia nomen & cognomen cujus erant arbores ignorat.

Abbatem Montismajoris prope Arelatem fuisse ab anno MCCCXLV. usque ad annum MCCCLXVIII. scribit Ioannes Guesnæus in Cassiano illustrato. Sed istud falsum est. Constat quippe ex monumentis ejusdem abbatiæ Iaubertum de Livrono nobilem Lemovicensem fuisse Abbatem ejusdem monasterii ab anno MCCCLIII. usque ad annum millesimum CCCLXI. ut suprà pag. 917. dictum est. Meliùs igitur Sammarthani, qui licèt illum falsò vocent Petrum de Canillaco & Episcopum Magalonensem, tradunt evasisse Abbatem Montismajoris anno MCCCLXVII. Erat autem referendarius Vrbani V. ut docet idem Bellamera in cap. *Ignarus.* de libelli oblatione.

Anno MCCCLXVIII. die XXII. Septembris Vrbanus V. fecit unam creationem octo Cardinalium, omnium absentium præter hunc Petrum, quem fecit Presbyterum Cardinalem tituli sancti Laurentii in Damaso. Sed heic insurgit gravis difficultas. Etenim in libro obligationum & apud continuatorem Gallicum Nangii tum viventem vocatur Episcopus Castrensis. Præterea Ioannes de Lignano (ut legimus apud Ægidium Bellameram in cap. *Quod sicut.* de elect.) *fuit tempore Domini Vrbani V. in Monteflascone interrogatus à Domino tunc Abbate Montismajoris, qui tunc consecrabatur ad Ecclesiam Castrensem, & statim fuit creatus Cardinalis.* Itaque certum est illum fuisse Episcopum Castrensem. Et tamen ille vocatus non est Cardinalis Castrensis, ut tum solebant, sed Cardinalis Montismajoris. Præterea ipse nullam Castrensis episcopatus mentionem facit in suo testamento. Adde quòd Raymundus de sancta Gemma Decanus Ecclesiæ de Burlacio, quem ex registro Vrbani V. factum fuisse Episcopum Castrensem constat anno MCCCLXIV. XVII. Kal. Iunii, eam cathedram usque ad annum MCCCLXXIV. sedisse reperitur in Necrologio Carthusiæ Castrensis relato in tomo secundo Galliæ Christianæ. Planè difficilem esse rem video.

Obiit Viterbii anno MCCCLXIX. die VII. Octobris, ibidemque sepultus in Ecclesia fratrum Minorum. Sed postea corpus ejus, uti ipse vivens testamento jusserat, translatum est apud Mortuummare in eadem Marchia Lemovicensi, ubi jacet in Ecclesia fratrum Augustiniensium cum epitaphio quod editum est à Sammarthanis in catalogo Episcoporum Autissiodorensium & inter probationes historiæ Cardinalium Gallorum pag. 435.

Ejus testamentum editum quoque est inter easdem probationes pag. 435.

FRANCISC. DE THEBALDESCHIS] Romanum ex familia plebeia, ut testatur frater Petrus Cordubensis frater monasterii sancti Bartholomæi de Lupiana ordinis sancti Hieronymi Toletanensis diœcesis. Interrogatus enim super his quæ gesta sunt Romæ post mortem Gregorii XI. postquàm dixisset famam surrexisse de electione Cardinalis sancti Petri, respondit quòd cùm frater Velascus ad conclave missus fuisset à Petro de Luna, invenit magnam multitudinem populi ante portam conclavis qui clamabant & vociferabantur, Romanum volumus, *inter quos dixit se vidisse plures populares de parentela Cardinalis sancti Petri, qui erat de populo.* Confirmatur istud auctoritate Theodorici de Niem; qui in initio librorum quos scripsit de schismate, enumerans Cardinales Italicos tum viventes quum schisma cœpit, postremo inter eos loco nominat Cardinalem sancti Petri, quem ait fuisse *de mediocri statu.* Nescio autem an ad conditionem ejus id quoque referri possit quod legitur in depositione Petri Alfonsi Canonici Hispalensis, nimirum Romanos, cùm viderent illum recusare summum pontificatum, ad quem seriò electum putabant dixisse *quòd Cardinalis sancti Petri erat captivus & filius captivi, qui noluit acceptare electionem.* Nepotem habuit Anibaldum. Nam Didacus Martini de Vrduña Canonicus Toletanus interrogatus super electione Vrbani *dixit quòd cùm ipse esset in sancta Maria de Trans Tyberim audivit quòd Cardinalis sancti Petri erat Papa, & vidit Romanos choreantes ad portam Anibaldi nepotis istius Cardinalis præ lætitia.*

Videtur ille initia & incrementa fortunæ suæ debuisse Petro de Monteruco Cardinali Pampilonensi ejusque creaturam, ut illi etiamnum loquuntur, fuisse. Nam Raynulphus de Monteruco Cardinalis Sistaricensis, qui Petri Pampilonensis nepos erat, testatur in depositione sua se, cùm ad Vrbanum VI. accessisset, eaque occasione Cardinalem sancti Petri adiisset ac dixisset, *Reverendissime Pater, scio & expertus sum quòd afficimini ad Dominum meum avunculum Cadinalem Pampilonensem & ipse ad vos sinceri amoris & dilectionis affectu,* illum respondisse: *Ego sum creatura Domini mei, & pro tali me repnto.*

Factus est igitur Presbyter Cardinalis ab Vrbano V. MCCCLXVIII. die XXII. Septembris, quamvis absens. Sed postea intravit curiam die XX. Octobris. Tum verò ei datus est titulus sanctæ Sabinæ. Hunc plerique omnes scribunt fuisse Archipresbyterum S. Petri & ob hoc vulgò vocatum Cardinalem sancti Petri. Quod mihi non videtur esse verum. Quippe in depositione Ægidii Sancii Munio-

nis Præpositi Valentinensis reperio archipresbyteratum sancti Petri, ut solebant tum Romani Pontifices plures titulos urbis Romæ commendare uni Cardinali, pertinuisse ad Hugonem Cardinalem sancti Martialis. Sic enim legitur in depositione illa: *Ad* XX. *respondens dixit quòd Camerarius se reduxit ad castrum sancti Angeli cum pluribus bonis Romanæ Ecclesiæ & suis & aliquibus hominibus secularibus & ecclesiasticis armatis & inermibus, & quòd stetit ibi dictus Camerarius donec fuit electio facta. De munitione verò castri, quòd tunc aliquam fecerit ignorat. Sed ante mortem Domini Gregorii, eo in infirmitate constituto, vendidit deponens de bladis Domini Cardinalis sancti Martialis, quæ habebat Romæ de archipresbyteratu suo sancti Petri, sexaginta rubras Domino Iohanni Rosseti nomine dicti Domini Camerarii ementi ac prætendenti quòd in castro sancti Angeli erat modicum bladum.*

In veteri instrumento confecto anno millesimo CCCLXXIV. die lunæ XXIII. mensis Octobris reperio illum fuisse Canonicum & Thesaurarium Ecclesiæ Lingonensis.

Anno MCCCLXXVI. constitutus est à Gregorio XI. Legatus in quibusdam partibus Italiæ. *Bzov. an.* 1376. §. 25. *& Oder. Raynal. an. eod.* §. 8.

Mortuo tandem Gregorio XI. anno millesimo CCCLXXVIII. die XXVII. Martii, post peractas, ut moris est, exequias ejus per novem dies, Cardinales ingressi sunt conclave pro electione futuri Pontificis; & cum eis intravit etiam Cardinalis sancti Petri, qui tum podagræ doloribus fatigabatur. Adnotatum id in depositione fratris Petri de Guadalfajara. *Die qua Cardinales intraverunt conclave erat dies Mercurii, quasi inter Nonam & Vesperos vel hora Vesperorum. Et ego intravi dictum conclave ad videndum ordinationem ipsius. Et quando volui exire, vidi quòd introducebatur Cardinalis sancti Petri in brachiis, quia erat gutosus.* Item suprà laudatus frater Michael monasterii sancti Bartholomæi de Lupiana: *Quadam die, quasi hora inter Nonam & Vesperos, vel hora Vesperorum, ivi ad videndum conclave. Et cùm essem intus, quando volui exire, vidi intromitti in conclave Cadinalem sancti Petri, qui erat gutosus.*

Norunt omnes illum, quamvis seriò electum à Cardinale Florentino, tum factum esse Papam per fictionem, ut finis imponeretur tumultuosissimis & imperiosissimis vocibus Romanorum petentium Papam Romanum. Cùm ergo historia illa pleni sint omnes libri, non immorabor in ea describenda. Illud tantùm dicam, eum solum inter Cardinales adhæsisse Vrbano, & propterea idiotam vocatum fuisse à Roberto Gebennensi nondum Papa. Istud inveni in depositione Alvari Martini, qui hæc verba Roberti refert: *Cardinalis S. Petri est idiota. Nam omnes alii Cardinales sumus in uno proposito, & solus Cardinalis S. Petri est in alio.*

Fato suo functus est, non die vigesima Augusti, ut est in libro obligationum, ex quo Contelorius, sed initio sequentis mensis Septembris, ut legitur in ejus epitaphio. Testatum id quoque reliquit Iacobus Camerarius ejusdem Cardinalis in depositione sua, quæ sic incipit in codice 811. bibliothecæ Colbertinæ & in Harlæano: *Dominus Iacobus Camerarius quondam Domini Cardinalis de sancto Petro natione ultramontanus diocesis Narbonensis juratus deposuit quæ sequuntur* XII. *die Iulii. Et dixit quòd ipse fuit familiaris & Camerarius dicti Domini Cardinalis de sancto Petro per multos annos, & confidebat de isto in factis suis. Et fuit cum eo præsens tempore sui obitus & antè continuè. Et scit quòd decessit dictus Dominus Cardinalis die lunæ sexta die Septembris anno quo facta fuit electio hic in urbe. Et per tres vel quatuor dies ante ejus obitum videbat signa quòd non poterat evadere. Et dicebat iste aliquibus consanguineis dicti Cardinalis quòd instarent apud illum & disponeret de anima sua. Et illi recusabant sibi dicere, quia Romani habent pro malo quando talia dicuntur infirmo. Itaque iste testis, cùm esset solus cum eo, dixit: Domine, quando consideratis disponere de anima vestra & ordinare aliquid de servitoribus vestris, qui multùm servierunt vobis? Vultis nos dimittere in manibus fratris vestri, qui non curabit de nobis? Et hoc fuit die sabbati. Et respondit sibi quòd faceret deferri testamentum quod condiderat in Avinione. Et iste eadem die portavit testamentum. Et incepit aliquid disponere. Et cùm attediaretur, dixit quòd commendabat fratri suo & aliis certis de quibus confidebat. Et alia die, dominica, illi de mane fuerunt remissi circa ordinationem testamenti. Et licèt iste sollicitabat eos, ipsi tamen parum fecerunt. Et sequenti die lunæ circa horam nonam vexabatur dictus Cardinalis ab infirmitate caduca quam patiebatur, & incepit spumare & vertere oculos sursum, & faciebat horribilem aspectum, & credebatur quòd esset jam mortuus. Nam remansit frigidus tanquam marmor, & non spirabat. Et cùm iste vidisset eum sic, fecit portari prunas, & cum pannis calidis calefaciebat eum in corpore. Et fecit portari de vernaccha, & ponebat intus panem, & frustra panis cum illo vino ponebat sibi inter aures & supercilia; & cum hoc incepit respirare, & clamabat. Et postea aperuit oculos. Et iste dixit sibi si volebat confiteri, & respondit quòd sic, & stetit parum cum confessore, & requisivit eum de eucharistia. Et cùm dixisset quòd non erat expediens, quia sumpserat cibum, iste dixit quòd imò expediebat, quia viaticum non occupat locum. Et tunc recepit parum, & vix potuit de-*

gluttre. Et statim fuit sibi portatum testamentum. Et cùm inciperet disponere de iis quæ volebat ordinare in testamento suo, antequam perfecisset incepit clamare: Succurrite mihi, succurrite mihi. Et faciebat aspectum terribilem & spumabat, & sic emisit spiritum.

Extat apud Odoricum Raynaldum an. 1378. §. 41. declaratio quam idem Cardinalis die XXII. Augusti, id est, aliquanto ante mortem, fecit in gratiam Vrbani VI. ut testatum faceret eum verè ac liberè electum & verum ac legitimum Papam esse. Super qua declaratione interrogatus idem Iacobus Camerarius ingenuè fassus est illam sibi, quamvis intimo familiari ejusdem Cardinalis, ignotam fuisse. Sequitur enim statim: *Interrogatus si vidit quòd tempore mortis vel antè confessus fuisset aliquid de Papa Vrbano quòd esset verus Papa, respondit quòd non vidit nec scit, licet audivit ab aliquibus quòd in mense Augusti confessus fuerit coram testibus & Notario quòd esset verus Papa Dominus Vrbanus. Sed iste non vidit hoc, licèt continuus commensalis & assisteret sibi assiduè & confidebat de iste inter ceteros familiares suos. Interrogatus si vidit instrumentum publicum in quo constitebatur dictus Dominus Cardinalis quòd esset verus Papa Dominus Vrbanus, respondit quòd bene vidit illud instrumentum, sed non erat ibi subscriptio de manu Notarii. Et quando dictus Notarius infirmabatur, iste ivit ad eum de mandato Domini nostri Papæ, & dixit sibi quòd se subscriberet. Similiter & Dominus Corsiensis requisivit illum Notarium. Sed ille Notarius nunquam voluit, & excusabat se. Nescit causam. Sed scit iste quòd non fecit aliquam subscriptionem. Et sunt in illo instrumento nominati quatuor testes, Dominus Corsiensis Cardinalis, & Dominus Iacobus de Cremona auditor contradictarum, & Dominus Tibaldus frater dicti Cardinalis de sancto Petro, & nobilis Fredericus de Canali.* Horum nomina suppressit Odoricus Raynaldus brevitatis gratia, ut ipse ait. Ex his verò liquidò patet hanc Cardinalis sancti Petri declarationem non fuisse authenticam, adeoque illam in judicio nullius esse posse momenti. Et tamen Franciscus de Vrbino Episcopus Faventinus missus ab Vrbano ad Regem Castellæ non dubitavit ista ad eum proloqui in celeberrimo illo conventu Medinensi de quo jam locuti sumus: *Item habetis confessionem & recognitionem illius sancti viri Domini Cardinalis sancti Petri in articulo mortis.* Quod iterum verum non est. Nam cùm dicatur facta die XXII. Augusti, apparet factam fuisse, si tamen vera est, quindecim diebus ante eam qua mors ei evenit. Eidem narrationi auctoritatem suo testimonio addit Pileus de Prata in epistola ad Ludovicum Comitem Flandriæ in tomo sexto Spicilegii Dacheriani pag. 309. *Hanc autem veritatem, inclyte Domine, recolendæ memoriæ Dominus sancti Petri, dum adhuc in humanis ad finem positus in extremis ageret, toti mundo notam & clarissimam fecit per publica instrumenta; de quo non est verisimile quòd tam sanctæ famæ tamque catholicus vir & dominus ævo plenissimus immemor fuerit salutis æternæ.* Sed præter ea quæ suprà descripta sunt ex depositione Iacobi Camerarii, adversùs hæc Pilei verba & adversùs orationem Episcopi Faventini proferri potest testimonium Francisci de la Fara Doctoris in medicina: quod iis suspectum esse non debet qui Vrbani causam defendunt, cùm ipse Vrbanum vocet Dominum Papam. Hæc sunt verba ex depositione ejus: *Item dixit quòd iste visitabat Dominum Cardinalem sancti Petri quando infirmabatur infirmitate de qua obiit, & fuit passus morbum caducum seu epilenticum, & spumabat & vertebat oculos terribiliter. Et die qua obiit arripuit eum bene ter paroxismus; & mortuus fuit valde cruciatus, quia linguam collidebat cum dentibus propter malitiam infirmitatis, & ipse faciebat quòd sibi poneretur lignum inter dentes. Et faciebat vultum horribilem. Et sic mortuus est, nulla facta mentione de Papa. Verum est tamen quòd antè confessus fuit, & recepit viaticum sicut potuit. Tunc videbatur asserere quòd Dominus Vrbanus esset verus Papa.* Ex his testimoniis, quæ suspecta esse non possunt iis qui partes Vrbani tueri vellent, apertè conficitur nihil in gratiam Vrbani scriptum aut subscriptum fuisse à Cardinali sancti Petri, adeoque si quid istiusmodi prolatum est, id totum debere censeri falsum. Sed cur agimus conjecturis ubi testimonium manifestum habemus viri religiosi fratris Angeli ministri generalis ordinis Minorum in epistola scripta ad Regem Castellæ anno MCCCLXXX. die XXIX. Maii, in qua sic legitur: *Item audivi à Domino Stephano Doctore quondam secretario dicti Bartholomæi quondam Barensis, qui nunc est Neapoli, & ex conscientia ab eo recessit, quòd dictus Bartholomæus habebat sigilla materialia Regum Boemiæ, Vngariæ & aliorum Principum multorum & Dominorum & Domini Cardinalis Cusentini, cum quibus dicto Domino Stephano præsente falsas litteras componebat, & ostendebat recipere novos cursores, & sic Romanum populum festivabat. Et addit quòd per manus ejus fuit falsificatum testamentum Cardinalis de sancto Petro.* Denique Vrbanum VI. fuisse audacem insignemque mendacem testatur vir partibus ejus addictissimus Thomas Vvalsinghamus. Cùm enim ageret de Cardinalibus adversùs quos crudelitatem suam idem Vrbanus exercuit, referretque sermonem ab eo publicè habitum apud Luceriam, in quo dixit inter alia Cardinalium illorum

conspirationem sibi fuisse demonstratam revelatione divina, addit: *Longum est autem & tadiosum fabulas inserere quas narravit.*

LEONELLVS] Continuator Gallicus Nangii scribit eum advenisse Lutetiam die XVI. mensis Aprilis eique obviam usque ad sanctum Dionysium ivisse Ioannem Ducem Bituricensem & Philippum Ducem Burgundiæ fratres Karoli V. Regis Francorum, à quibus adductus est in Luparam, ubi à Rege peramanter & magnificè exceptus fuit, cùmque illic magno in honore habitus mansisset per aliquot dies, demum die XIX. ejusdem mensis excessisse urbe. Addit eum jussu Regis comitatum esse usque Senonas Comitem Tancarvillæ, & alios quosdam magnates ejus itineris assiduos comites fuisse quousque fuit extra limites regni Francorum, nimirum usque in Sabaudiam, ubi honorificè exceptus est apud Chamberiacum à Comite Sabaudiæ, ut narrat Froissartus vol. I. cap. 244. Vvalsinghamus ad annum MCCCLXVIII. *Mense Aprilis Leonellus Dux Clarencia Regis Edvvardi tertii filius cum electa multitudine nobilium Anglicorum transivit versus Mediolanum ad accipiendum in uxorem filiam Domini Galias domini Mediolani, cum qua medietatem ejusdem dominii fuerat habiturus. Sed tamen modico tempore super conjuge vel dominio gaudere permissus est, morte, qua cuncta disjungit & separat, mox praventus. Celebrato nempe inter eos cum maxima gloria matrimonio, Leonellus circa festum nativitatis beata Maria proximò sequentem diem clausit extremum.* Henricus de Knyghton pag. 2629. ait illum interiisse intoxicatum veneno. Annales Hiberniæ editi à Camdeno: *Item in vigilia sancti Luca Evangelista Dominus Leonellus Dux Clarentia obiit apud Albe in Pyement, primò sepultus in civitate Papia juxta sanctum Augustinum Doctorem, deinde sepelitur apud Clare in conventu Augustinensium. in Anglia.*

KAROLVS VENIT VITERB.] Vide Garoscum in descriptione itineris Vrbani V. & Boninsegnium pag. 531.

P. 385. EPM OSTIENSEM] Guillelmum Sudre. Garoscus de Vlmoisca veteri: *Et Dominus Cardinalis Ostiensis unxit eam oleo sancto ex dextera & sinistra parte & retro dorsum.* Oratio quando Imperatrix ungitur oleo sacro extat in tomo secundo Musei Italici pag. 405. & apud Odoricum Raynaldum an. 1355. §. 10.

PROVT MORIS EST] Quippe ad Episcopum Ostiensem pertinet inungere Imperatorem, & per consequens Imperatricem. Vide Odoricum Raynaldum an. 1311. §. 9. & an. 1355. §. 7.

SVVM VICARIVM] Extant in tomo secundo Bullarii Casinensis pag. 281. literæ Karoli datæ apud Lucam XII. Kal. Aprilis, in quibus ita legitur: *Testes hujus rei sunt Reverendissimus in Christo Pater Dominus Guido Portuensis Episcopus sancta Romana Ecclesia Cardinalis, pro majestate nostra Casarea in partibus Italia Locumtenens & generalis vicarius.* Item aliæ in historia familiæ Fliscæ pag. 104. datæ ibidem VI. Kal. Iunii, in quibus eadem verba leguntur.

NOMEN SVVM] Verum quidem istud. Sed tamen nomen illud ei impositum non est propterea quòd pater ejus ita vocabatur, sed quia cùm pater eum de suo nomine vocari vellet, patrinos ei dedit qui eodem nomine appellabantur, id est, Karolum dominum Montismorenciaci & Karolum Comitem de Domnomartino, uti jam dictum est suprà pagin. 1028.

S. ALZIARIVM] Multa de illo dixit Vvaddingus in annalibus Minorum, quæ isthic repeti non est opus. Illud tantùm dicam, quod ad genealogiam ejus pertinet, reperisse me in in antiquis excerptis è regesto anni primi Clementis V. bullam datam Lugduni XVI. Kal. Ianuarii, qua dispensat cum nobili viro Bermundo Vceciæ & Atmasanicarum domino & Dulcelina nata nobilis viri Elisarii de Sabrano domini castri Ansorsii Aquensis diocesis ut non obstante quarto consanguinitatis gradu, quo se contingebant, matrimonium invicem contrahere valerent; idque se facere ait *consideratione dilecti filii nostri Neapoleonis sancti Adriani Diaconi Cardinalis, qui super hoc eum instantia nos rogavit.* Elziarius ille erat avus sancti Elziarii, adeoque Dulcedina ejusdem sancti amita erat. In diario Ioannis Fabri Episcopi Carnotensis adnotatum est Dominum de Saltu in solemni conventu habito in monasterio Aptensi fratrum Minorum anno MCCCLXXXII. die Veneris XVIII. Aprilis publicè proposuisse ut à Papa posceretur canonizatio Dalphinæ uxoris Comitis Artiani sepultæ in eodem monasterio. Mortuam autem illam fuisse anno MCCCLX. docet Vvaddingus. Vide Odoricum Raynaldum an. 1363. §. 26.

PAVLO MINVS] Augustinus Patricius in libro ceremoniarum edito à Christophoro Marcello Archiepiscopo Corcyrensi fol. 20. *Quod autem de Imperatore dicimus, intelligimus de Imperatore Romanorum, non autem Graecorum. Nam ille ut Rex tractatur.* P. 388.

BVLLAM] Ea extat apud Abrahamum Bzovium & Odoricum Raynaldum, sed Latinè tantùm. Græca edidit Allatius in libro secundo de Ecclesiæ occidentalis & orientalis perpetua consensione cap. 17.

FECIT REPARARI] Vide bullam Vrbani V. editam in tomo secundo Bullarii Casinensis pag. 283. P. 389.

PRÆFECIT

p. 590. PRÆFECIT IN ABBATEM] Andream cognomento Faventinum, quem M. Antonius Scipio scribit fuisse monachum montis Oliveti. Et tamen hic auctor vitæ Urbani ait illum acceptum esse ex eremo Camaldulensi. Sed hæc repugnantia tolli posse videtur ex iis quæ libr. 2. histor. Olivetanæ pag. 32. enarrat Secundus Lancellottus. De eodem Andrea Abbate & monachis ab eo deductis Casinum vide eundem Lancellottum pag. 27. & seq.

IMAGINES SEU STATUAS] Earum ectypa habentur apud Henschenium in Propylæo ad acta sanctorum mensis Maii par. 2. pag. 92.

p. 591. PETRUM DE STAGNO] vulgò *D'Estaing*; non verò *De L'Estang*, ut quidam malè vertunt. Vir fuit magnæ nobilitatis in diœcesi Ruthenensi, è qua prodierunt multi viri illustres. Unde rectè Gregorius XI. in epistola scripta ad Florentinos testatur illum esse nobilitate perspicuum. Ipsius gesta multis claris scriptoribus memorata sunt. Idcirco pauca de illo nos dicturi sumus, illud in primis admonentes faltò eum S. R. E. Camerarium esse vocatum ab iis qui illum distinguere nescierunt à Petro de Crosso Cardinale Arelatensi. Creatus fuit Presbyter Cardinalis ab Urbano V. anno millesimo CCCLXX mense Iunio. Erat autem absens quum factus est Cardinalis, & postea intravit curiam die XXVIII. Iunii, ut est in libro obligationum. Certum est autem cathedram Biturigensem vacasse per assumptionem ejus ad cardinalatum eique statim suffectum fuisse Petrum de Crosso, ut infrà suo loco dicemus. Quare affirmare licet absque ullo periculo falsum esse quod ait Ioannes Baptista Bellus in libro de vita Francisci de Stagno Episcopi Ruthenensis pag. 7. hunc Petrum adhuc fuisse Archiepiscopum Biturigum anno MCCCLXXIII. quo Gregorius XI. in illum contulis episcopatum Ostiensem, recusasse porrò eum uti dispensatione retinendi simul Biturigensem, quam ei Gregorius offerebat, & nihilo minùs sponte renuntiasse cathedræ Biturigensi. In quo non solùm temeritas est, sed etiam inscitia. Temeritas quidem, quia ille primus & solus absque ullo veterum testimonio eam rem prodidit quam certò constat esse falsissimam. Inscitia verò, quia impetitus morum illius ævi & disciplinæ publicæ nescivit cathedras eorum Episcoporum ipso jure vacare qui promoventur ad cardinalatum, & non consuevisse tum Romanos Pontifices eis tradere in commendam episcopatus quibus antea præfuerant.

Petro de Stagno statim post adeptam novam hanc dignitatem imposita est legatio Italica. Extat in codice 756. bibliothecæ Colbertinæ instructio quam ei dedit Anglicus Episcopus Albanensis, qui ex ea provincia decedebat.

Ad eum de negotiis Italiæ varias epistolas scripsit Gregorius XI. quæ habentur in veteri codice MS. epistolarum ejus. Ex ea verò quæ data est ad Florentinos colligitur illi commissam esse ditionem Bononiensem, Romandiolam, Marchiam Anconitanam, Massam Trabatiam, terram sanctæ Agathæ, necnon civitatem & comitatum Urbini. Ægrotasse porrò illum satis vehementer eo tempore quo idem Gregorius erat in Italia docent aliquot ejus epistolæ in eodem codice.

Ex ea porrò Stagnorum gente in Ruthenis fuit alter Petrus de Stagno Cancellarius, ut videtur, academiæ Montispessulani, cujus extant variæ orationes in codice 753. bibliothecæ Colbertinæ. Factus est ille Doctor decretorum anno MCCCLV. tempore Durandi Episcopi Magalonensis.

PETRUM DE CORSINIS] filium Thomasii Doctoris ac sacri palatii auditoris, ut patet ex Boninsegnio pag. 375. 414. & 549. & ex tomo tertio Italiæ sacræ pag. 199.

Fuisse eum primò Abbatem commendatarium abbatiæ Florentinæ & mox urbis illius Episcopum tradit Placidus Puccinellus in apparatu de illustribus ejusdem abbatiæ viris pag. 8.

Anno MCCCLXVI. Urbanus V. eo usus est ad componendam discordiam quæ erat in populo Florentino. *Bzov. an.* 1366. §. 6.

Anno MCCCLXX. die VII. Iunii idem Urbanus illum tum in curia præsentem fecit Presbyterum Cardinalem tituli sancti Laurentii in Damaso. Postea Gregorius XI. anno MCCCLXXIV. in eum contulit episcopatum Portuensem vacantem per mortem Guidonis de Bolonia, non autem Ostiensem, uti vitiosè scriptum est apud Contelorium.

Anno eodem quo factus est Cardinalis secutus est Urbanum V. redeuntem in Galliam. Anno verò MCCCLXXVI. Romam rediit cum Gregorio XI. *ubi in sancto Grisogono dictus Dominus Florentinus hospitabatur*, ut continetur in interrogationibus factis per ambaxiatores Regis Arragonum. Extincto autem paulò pòst eodem Gregorio, vidit Petrus cum magno dolore suo Ecclesiam turbatam ob furores Romanorum summum pontificatum retinere volentium per fas & nefas. Agebatur de eligendo summo Pontifice secundùm priscos canones & decreta Pontificum Romanorum, id est, liberè & citra vim atque violentiam. Certum est autem Romanos etiam ante mortem Gregorii varia consilia celebravisse, in quibus decretum est uti summus pontificatus retineretur in Italia, & Cardinalibus significasse non evasuros eos mortem si alium Papam eligerent quàm Romanum

aur Italum. Iſtud negari non poteſt niſi ab eo qui frontem habet inverecundam. Itaque cùm una earum novem dierum quibus celebratæ ſunt exequiæ Gregorii Cardinales congregati in Eccleſia ſancti Spiritus accerſiviſſent Bandarenſes, Florentinus eos monuit compeſcere temeritatem Romanorum, & ut abſtinerent à minis quas intentabant Cardinalibus ut haberent Papam Romanum vel Italum. Sic quippe ſcriptum eſt in depoſitione Petri Alfonſi Canonici Hiſpalenſis: *Item vidi pendente tempore exequiarum quòd Cardinales fuerunt congregati in Eccleſia ſancti Spiritus & fecerunt vocari Bandarenſes & aliquos regentes civitatem. Et, ut publicè dicebatur, Cardinalis Florentinus propoſuerat illa die, & dicebatur quòd dixerat Romanis quòd caſtigarent populum de aliquibus quæ dicebantur publicè per civitatem, ſpecialiter quia dicebatur quòd ſi hac vice Cardinales non facerent Papam Romanum vel ſaltem Italicum, quòd triſtes eſſent, & caverent ſibi. Nam ſi Cardinales paterentur metum vel impreſſionem, talis electio nulla eſſet.*

Erat Petrus Prior ſeu Decanus ſacri collegii Cardinalium, adeoque ad eum potior cura rerum agendarum ſpectare videbatur. Ingreſſis ergo Cardinalibus conclave die octava Aprilis anni MCCCLXXVIII. cùm iſte poſt Miſſam de ſpiritu ſancto ſermonem pro more habere ad eos vellet, tumultus ſeditioſorum, qui tantus erat ut etiam qui intra conclave erant audire alter alterum non poſſet, impedivit ne faceret. Iſtud ego ſcriptum legi in depoſitione Fernandi Petri Decani Tiraſonenſis: *Audivit tamen à Cardinali de Vrſinis quòd antequam inciperent tractare de electione Cardinalis Florentinus, qui debebat facere ſuum ſermonem vel exhortationem Cardinalibus ſuper facto dictæ electionis, fuerat turbatus & non potuerat facere ſuam propoſitionem propter rumorem populi.* Item in depoſitione Bertrandi Cardinalis Glandatenſis his verbis: *Item quòd ſequenti die, quando fuerunt pulſata campana ad martellum & fuit clamor validus populi dicentis & clamantis Romanum volumus vel Italicum, & tantus fuit metus quòd Dominus Florentinus Cardinalis, qui illa vice debebat proponere verbum Dei in præſentia Cardinalium, ut eſt de more, licèt Italicus, non potuit dicere nec proferre ſermonem, ſed dixit: Verbum receſſit de ore meo.*

Idipſum legitur in Caſu gloſato per Dominum Florentinum, qui extat in codice 815. bibliothecæ Colbertinæ & in reſponſionibus ad dubia Archiepiſcopi Toletani ſcriptis per manum Domini Florentini, ut legitur in codice Harlæano. Hæc ſunt illius verba: Advertendum quòd ultra illa quæ in Caſu continentur, quòd veritas facti ſic ſe habet, quòd dictis Miſſis & Cardinalibus poſitis ad ſtandum in ordine ſuo, dum ego Portuenſis more ſolito vellem facere unam collationem, quia eram ibi Prior collegii Epiſcoporum, incepit pulſari ad ſturnum ad congregationem populi campana ſancti Petri, & rumores ab extra inceperunt magis invaleſcere ut vix alter noſtrum bono modo alterum poſſet audire, ita quòd collationem facere non potui. Et dum adhuc conarer eam facere, cuſtodes conclavis, quorum unus erat Epiſcopus Maſſilienſis Locumtenens Camerarii Domini noſtri Papæ, & alter Epiſcopus Tudertinus civis Romanus nomine Dominus Stephanus Paloſi, cum magna feſtinantia fecerunt vocari unum Cardinalem, & ad feneſtram conclavis perſonaliter ivit Dominus Cardinalis de Agrifolio; cui dixerunt, audientibus his qui ab extra erant & etiam pluribus de noſtris familiaribus qui erant intus conclave, qui cum dicto Domino de Agrifolio ad feneſtram conclavis acceſſerant, verba quæ continentur in caſu, quòd niſi ſtatim ſine aliqua mora eligerent Romanum vel Italicum, omnes Domini Cardinales erant in periculo, & pejora dicendo quòd pro quanto deſiderabant ſalvare vitam ſuam, non eſſent auſi eligere vel nominare aliquem ultramontanum, ſed juxta petitionem populi eligerent Romanum vel Italicum & ſe in continenti expedirent. Et idem Dominus Cardinalis de Agrifolio, auditis dictis verbis, redivit ad Cardinales, qui ſedebant in capella, & recitavit verba ſibi dicta, addens: Vos videtis periculum in quo ſumus. Quid fiendum? Et tunc inter nos habita aliquali collatione, volentes noſtrarum perſonarum imminens evidenter evitare periculum, dictum fuit per Dominos Cardinales quòd promitteretur Romanis quòd juxta eorum requiſitionem & petitionem eligeremus ut petebant, ſcilicet Romanum vel Italicum. Et tunc Dominus de Agrifolio dixit: Domine Florentine, Vos eſtis Prior noſter. Vadatis ad faciendum hanc promiſſionem Romanis. Qui Dominus Florentinus reſpondit: Certè promiſſionem iſtam non faciam. Primò, quia eſt maniſeſtè contra libertatem noſtram. Secundò, quia ego bene poſſem promittere rem, quæ ſi non obſervaretur Romanis, inciderem in periculum vitæ meæ. Quo reſponſo audito, iterum dictum fuit quòd iretur ad faciendam dictam promiſſionem. Et tunc Dominus de Agrifolio recepit per manum ſiniſtram me Florentinum, & Dominus Jacobus de Vrſinis recepit per manum dextram; & fecerunt me ſurgere à ſedendo, trahentes me ſecum & ducentes ad feneſtram conclavis; apud quam ſtantibus eiſdem Dominis de Agrifolio & de Vrſinis, & populo qui erat in aula armato & clamanti tumultuoſè & cum furore petenti Romanum vel Italicum ſicut ſuprà dictam

» promissionem fecerunt pro parte collegii. Ego » verò Florentinus aliqualiter me retraxi, nolens dicere verba prædicta Romanis. Verbis autem dictis & promissione facta per dictos Dominos Cardinales de Agrifolio & de Ursinis, me Florentino audiente, nos tres redivimus ad alios Cardinales, & invenimus quòd surrexerant à sedendo & ibant per capellam. Et sic in motu, eundo versùs altare, Dominus de Agrifolio, qui & Dominus Lemovicensis ante ingressum conclavis rogaverant plures Dominos Cardinales ultramontanos & Italicos rogaverant quòd placeret eis dare vocem suam Vivariensi vel Pictavensi, mentionem fecit de Barensi, non tamen mihi Florentino, & dixit statim: Vadamus vadamus ad sedendum, & expediamus nos. Et Dominis Cardinalibus repositis ad sedendum, in continenti dixit: Domine Florentine, nominetis aliquem citò, quia non est opus dilationibus. Tunc ego Florentinus nominavi Dominum sancti Petri, habens considerationem quòd erat antiquus de collegio & Romanus, addens: Ego etiam nominarem unum ultramontanum de collegio, si non esset promissio facta jam Romanis & modus & timor eorum. Qua nominatione facta, Dominus Lemovicensis nominavit & elegit in Papam Dominum B. Archiepiscopum Barensem, & subsequens nominavit eum Dominus de Agrifolio.

Ista quidem certa videntur, utpote scripta ab eo quo nullus testis potest esse lucukentior. Et tamen ita de electione Bartholomæi scribitur in depositione Thomæ de Acervo Episcopi Lucerini. Mane autem facto Dominus Barensis electus in Papam misit dictum Thomam ad videndum quid erat de Dominis Cardinalibus & quid diceretur in urbe. Qui ivit, & invenit quod nullus erat rumor ulteriùs. Nam Romani credentes habere Papam Dominum sancti Petri, quem in sero adoraverunt, non curarunt ulteriùs, imò quilibet procuravit facere sua facta & artem suam. Unde ipse Thomas ivit ad Dominum Florentinum, qui cum maximo gaudio amplexatus & osculatus est eundem Thomam dicens ei: Habemus Papam Dominum Barensem. Et statim subjunxit: Scitis ubi esset? Dictus Thomas dixit: Est in palatio cum Domino sancti Petri. Tunc Dominus Florentinus dixit: Ego volo ire ad eum, & volo mori & vivere cum eo; quia Dominus noster est, ipse est Papa. Quo dicto, habuit consilium cum ipso Thoma quid boni posset fieri; & habito consilio misit unum suum secretum familiarem ad officiales seu dominos de capitolio, qui erant sibi satis noti & amici, & fecit eos rogari quòd duo eorum venirent ad eum. Quod illi reverenter fecerunt, scilicet miserunt duos ex eis; quibus Dominus Florentinus dixit: Ego volo vobis dicere quòd quasi omnes Domini mei Cardinales fugierunt pro eo quòd non non elegerunt Romanum, imò elegerunt Dominum Archiepiscopum Barensem. Et laudavit eis immensè ipsum Dominum Barensem, & consuluit eis quòd erat honestum, sanctum, & justum, imò debitum quòd ipsi Romani reciperent & acceptarent illum in Dominum & in Papam, quem Domini Cardinales inspirati à Deo elegerant concorditer. Qui duo officiales, auditis verbis Domini Florentini, iverunt ad alios officiales, & retulerunt eis verba Domini Florentini. Super quibus habuerunt consilium. Quo habito, responderunt Domino Florentino quòd ipsi volebant obedire cuicunque qui esset factus Papa ex quo factus erat, quamvis factus contra desiderium Romanorum. Qua bona responsione habita, Dominus Florentinus fuit summè lætus, & statim equitavit ad palatium, ubi invenit Dominum Barensem; quem amplexus & osculatus fuit cum maximo gaudio, & dixit sibi in secreto quomodo eum elegerant in Papam &c. Eadem ferme habentur in depositione Episcopi Cassanensis apud Odoricum Raynaldum an. 1378. §. 11.

Quis non crederet Episcopis juratis ista testantibus vera esse? Et tamen ipse Cardinalis Florentinus interrogatus à legatis Regis Arragonum super ea ipsa narratione Thomæ de Acervo Episcopi Lucerini, an vera esset, respondit merum esse figmentum. Hæc sunt ejus verba in codice 811. bibliothecæ Colbertinæ: *Ad secundum, quod incipit, Item cùm asseratur per Dominum Thomam de Acervo decretorum Doctorem &c. respondeo & dico omnia in eo contenta esse falsa totaliter & mendosa & conficta, imò aliqua ex eis esse impossibilia, maximè attenta locorum magna distantia, ac etiam attento quòd officiales prædicti nunquam à me discesserunt donec me ad palatium sine intervallo duxerunt; imò nec permiserant me complere horas & officium, quod & quas in palatio postmodum complevi. Dico tamen quòd ad me venit dictus Thomas, & quòd recepi eum placidè dicendo sibi: Bene estis lætus, quia sciebam ipsum Thomam totaliter partialem pro Barensi, & sciebam ipsum satis sollicitasse impressionem fieri, ut publice se jactabat.* Adde auctoritatem Bertrandi Cardinalis Glandatensis, qui jurejurando testatus est Cardinalem Florentinum sibi dixisse in Anagnia vel Fundis *quòd ille B. non erat Papa.*

Rursum tamen fautores Urbani, freti videlicet mendaciis, ausi sunt scribere tanquam rem certam & quæ esset extra omnem controversiam, hunc Cardinalem Florentinum publicè agnovisse eundem Urbanum fuisse verum Papam & sanctè & canonicè electum. Ita

enim affirmasse constat Episcopum Recanatensem, cujus verba referuntur ab Odorico Raynaldo ad an. 1378. §. 13. Sed antè quam ad refutationem istius argumenti accedamus, omittendum non est hunc Cardinalem Florentinum Missam coram Vrbano celebrasse in Dominica palmarum; idque observatum à Petro Amelii in tomo secundo Musei Italici pag. 479. & & in facto Iacobi de Seva pag. 498. tum etiam in Facto misso ad Regem Castellæ ex parte Bartholomæi apud Odoricum Raynaldum an. 1378. §. 95. Nunc redeamus in viam. Cùm idem Cardinalis Florentinus ab iisdem legatis Regis Arragonum interrogatus esset super hoc articulo respondit ea esse falsissima. Hæc sunt ejus verba: *Item ad septimum interrogatorium, quod incipit, Item cùm asseratur per Episcopum Rachanatensem quòd prædicta die Veneris &c. respondeo quòd contenta in isto interrogatorio omnino sunt falsissima & non continere veritatem nisi in hoc quòd in illo mane ad palatium, ubi erat Barensis, requisitus & ductus per officiales urbis, ut suprà dixi respondendo ad primum interrogatorium. Et patet falsitas prædictorum ex eo quòd dictus Dominus sancti Petri erat in palatio nec inde illa nocte exiverat.*

Addit Ioannes de Lignano in tractatu quem inscripsit de fletu Ecclesiæ Cardinalem Florentinum accessisse cum aliis quinque Cardinalibus ad Vrbanum, & facto quodam sermone eum coegisse ad suscipiendum onus summi pontificatus. Quæ verba Ioannis de Lignano habentur apud Odoricum Raynaldum an. 1378. §. 92 & in codice 815. bibliothecæ Colbertinæ. Quod verum esse potest in illa necessitate dissimulandi & obtegendi secretum adversùs immane periculum quod imminebat ex parte Romanorum; præterrim cùm Bertrandus Cardinalis Glandatensis post verba suprà relata pag. 1041. addat Cardinalem Florentinum timore mortis nominasse Barensem, *& timore mortis nominavit illum Barensem Archiepiscopum in Papam.*

Sed contra tamen hæc ultima verba adferri potest auctoritas Ioannis de Lignano & aliorum, in primis verò ipsius Cardinalis Florentini, ex quibus constat Florentinum nominasse Cardinalem sancti Petri. Verùm ista discrepantia tollitur ope verborum quæ sequuntur in tractatu Ioannis de Lignano apud Odoricum Raynaldum an. 1378. §. 83. nimirum Cardinalem Florentinum conatum esse persuadere ceteris Cardinalibus ut eligerent Cardinalem sancti Petri, *quem ad hoc expressè nominavit*, sed cùm contradictionem passus esset, ceteris, qui Barensem elegerant, accessisse. *Cardinalis verò Florentinus videns quod duæ partes & plures dictum Archiepiscopum elegerant, illi adhæsit & eundem Archiepiscopum purè & liberè similiter elegit in continenti.* Id ipsum testatur Pileus Cardinalis Ravennas in epistola ad Karolum V. Regem Francorum apud Odoricum Raynaldum an. 1379. §. 51. *nihilominus ipsi dictum sanctissimum nostrum concorditer & canonicè elegerunt, nemine excepto nisi Florentino, qui elegit Dominum sancti Petri, & demum Domino nostro per accessionem accessit.*

Testatur Bindo Prior sanctorum & familiaris, ut tum dicebant, seu contubernalis ejusdem Cardinalis Florentini noluisse illum primò ire ad Vrbanum pro inthronizatione & non ivisse nisi coactum. Hæc sunt quæ de ea re traduntur in depositione Bidonis sive Bindonis: *Interrogatus de his quæ post egressum conclavis contigerunt dixit quòd alia die quòd dictus Bartholomæus misit ad Bandarenses ut vocarent Cardinales, qui inthronizarent eum, dicendo eis ista verba, & nisi faciatis eos venire, nihil est factum, & quòd tunc iverant duo Bandarenses ad Dominum suum Florentinum, & quòd dixerunt ei quòd irent ad palatium Domini ad inthronizandum eum, & quòd idem dominus suus renuebat ire, & quòd dixerant sibi Bandarenses: Vadatis. Nisi, sciatis pro certo quòd erit pejus quàm heri. Et tunc vidit quòd dominus suus ivit ad electum.*

His tamen non obstantibus Cardinalis Florentinus, tametsi Italus, discessit ab Vrbano, quem vitio sciebat electum, & assecutus Clementem VII. in Galliam Narbonensem, Avenione consenuit, Benedictum XIII. elegit, illicque mortuus est. Quo autem modo ista evenerint, quis fuerit ordo rerum, aperiam in sequentibus; si priùs monuero objectum ei fuisse ipsum paulò post electionem Vrbani de ea scribentem ad Ioannem Pistoris præceptorem domus Apuliæ sancti Antonii agnovisse electionem Vrbani fuisse concordem, eamque se peregisse spiritus sancti gratia inspirante. Mirabiles heic triumphos agit Odoricus Raynaldus an. 1378. §. 17. ubi ea epistola edita reperitur. Sed accipe quid adversùs eam excipiat ipse Cardinalis Florentinus, vir cui credi debet circa omnem controversiam. Sic ergo respondet ad interrogationes legatorum Regis Arragonum. *Quoad primam literam*, inquit, *quæ dicitur scripta per me Florentinum, respondeo quòd illam nunquam feci, nec illa litera erat dictata ad modum meum. Imò quia habebam notum illum præceptorem, cui dicta litera directa dicitur, audiveram dici quòd volebat venire ad curiam, dixi cuidam familiari suo quòd scriberet dicto præceptori ne ad curiam veniret, quia si veniret, pœniteret eum.*

Sed rursum extant in codice 815. bibliothecæ Colbertinæ, præter epistolam illam Cardinalis Florentini, aliæ quinque à tribus Car-

dinalibus ſcripræ ad Vrbanum, in quibus eum agnoſcunt pro vero Pontifice, etiam poſt electionem Clementis. Cùm ergo iidem legati Regis Arragonum ejus reſponſionem exegiſſent quoad eaſdem literas, reſpondit Florentinus: *Quoad alias literas quæ aſſeruntur per nos ſimul ſcriptas reſpondeo quòd, ſicut notorium eſt, aliquo tempore nos tres Cardinales Italici pro tollendo Eccleſiæ ſcandalo & diviſione laboravimus tractando inter partes, & utrique parti aliquando ſcripſimus, tamen ad effectum pacis & unionis Eccleſiæ intendentes. Propter quod etiam noſtros nuncios utrique parti miſimus. Sed quot literæ fuerint ſcriptæ vel cujus tenoris; exhibeantur, & veritas non negabitur.*

Cardinali præterea Florentino objectum eſt quòd in re admodum ſeria, id eſt, in confeſſione peccatorum ſuorum, agnoviſſet Vrbanum eſſe verum Papam, & ſe ejus auctoritate abſolvi petiiſſet. Sic enim legitur in ſæpe laudatis interrogationibus legatorum Regis Arragonum: *Item cùm aſſeratur per Dominum fratrem Franciſcum Vrbeveteris ordinis Heremitarum ſancti Auguſtini electum Bamocienſem quòd dictus Dominus Florentinus, cujus dictus frater Franciſcus, ut aſſerit, confeſſor erat, vocavit ſemel ipſum fratrem Franciſcum, & dixit ſibi quòd volebat ſeriò & articulatè confiteri ac dicere omnia peccata de quibus recordaretur à die nativitatis citra, & quòd dixit ſibi hæc verba: Magiſter, ego, ſicut & ceteri Domini Cardinales, habeo à Domino noſtro Papa plenam indulgentiam & remiſſionem omnium peccatorum ſemel tantùm pro nunc, & ut proficiat mihi, volo de omnibus particulariter confiteri. Et quòd cùm ſibi confeſſus fuit, dixit: Peto à vobis ut ex parte Domini noſtri Vrbani abſolvatis me & detis mihi hujuſmodi indulgentiam & remiſſionem omnium peccatorum. Quod ſic factum fuit in interiori camera hoſpitii ubi in ſancto Griſogono dictus Dominus Florentinus hoſpitabatur.* Ad quam interrogationem ſic reſpodit Cardinalis Florentinus: *Reſpondeo verum eſſe quòd ipſo fratri Franciſco de Vrbeveteri tunc familiari & capellano meo ſicut etiam & aliis confitebar, prout opportunitas occurrebat. Et dico quòd dictis ipſius fratris Franciſci fides adhibenda non eſt, tum quia videtur velle revelare ea quæ ſibi aſſerit dicta fuiſſe in confeſſione ſacramentali, quæ fit homini vice Dei, ex quo graviter puniri deberet, tum quia ipſe magiſter Franciſcus erat mihi valde ſuſpectus. Nam à certo ſciebam quòd per Barenſem erat deputatus explorator in domo & familia mea, & ſic eſſe verum jam à pluribus fide dignis fuerat mihi relatum, & ſpecialiter à magiſtro Bonaventura de Padua tunc temporis Priore generali dicti ordinis fratrum Heremitarum ſancti Auguſtini, qui pluries me adviſavit quòd caverem mihi à dicto fratre Franciſco. Nam ſciebat quòd erat in domo mea explorator & reportator erga Barenſem. Et de eo quod dicit de indulgentia & verbis, ut aſſerit, dictis per me, eſt falſum ut ponitur. Verum eſt tamen quòd dum mihi ſermonem faceret de indulgentia prædicta reſpondi, ut mihi videtur, ex ſuſpicione concepta, Valeat ut valere poteſt, nolens me ſibi aliter detegere. Et dum una vice vellem confiteri & celebrare, antequam inciperem confeſſionem dixi ſibi: Volo primò dicere tibi peccata tua. Ego ſcio quòd tu es explorator in domo iſta. Male facis, & cogita quomodo iſtud in viro religioſo & familiari conveniat. Et addidit Nolo quod de hoc mihi reſpondeas, quia veritatem ſcio. Et iis dictis, feci confeſſionem meam ut ſolitus eram.*

Hactenus Cardinalis Florentinus & Mediolanenſis, qui ſoli ſupererant ex quatuor Italis, indifferentes, ut ipſi loquebantur, ſe habuere, neque Vrbano adhærentes, neque Clementem abjicientes, ut eo pacto poſſent res ad concordiam inclinare. Verùm cùm nihil unquam obtinere potuiſſent ab Vrbano propter ſummam ejus pertinaciam, ſatis autem ſcirent meliorem eſſe conditionem Clementis, ne tamen aliquid inconſultè egiſſe viderentur, legatos Avenionem miſere Iulianum Epiſcopum Marſicanum & Thomam de Puppe decretorum Doctorem exploraturos mentem Cardinalium qui fecerant electionem Vrbani, an eam verè & non fictè feciſſent. Cùmque Cardinales de Croſſo dictus Lemovicenſis, Glandarenſis, Hugo de Britannia, Vivarienſis, Geraldus de Podio, & Petrus de Vernio reſpondiſſent ſe illam feciſſe metu mortis, aliàs non facturi, adeoque illam eſſe nullam, Cardinales Florentinus & Mediolanenſis in partes tranſgreſſi ſunt anno MCCCLXXX. non quòd Vrbani acerbitatem iraſque formidarent, ut ad an. 1380. §. 20. fingit Odoricus Raynaldus, ſed quia ipſis certò conſtabat illius electionem neque liberam neque canonicam fuiſſe. Profecti autem primò ſunt Niciam in Provincia; quò ad eos à Rege Caſtellæ miſſum eſſe Epiſcopum Oxomenſem, qui eos in Hiſpaniam adduceret, teſtantur literæ ejuſdem Regis datæ anno MCCCLXXXI. XIV. Kal. Iunii. Addit autem illos ſe excuſaſſe ab eo itinere, & informationes ſuas eidem Epiſcopo dediſſe, quas ille detulit ad Regem apud Medinam del campo. Hæ informationes non videntur fuiſſe diverſæ à facto intruſionis Bartholomæi, quod habet hanc inſcriptionem in codice 814. bibliothecæ Colbertinæ: *Factum intruſionis Bartholomæi in papatu traditum per Reverendiſſimos Patres & Dominos Dominos Florentinum & Mediolanum Cardinales Italicos Reverendiſſimis Patribus & Dominis Dominis Albanenſi, Vivarienſi, ſancti Euſtachii, & ſancti Angeli Cardinalibus in Nicia cum*

eis constitutis de anno Domini millesimo tricentesimo LXXX. *& de mense Novembris.* Venisse autem postea Florentinum Avenionem ad Clementem notum est, idque præterea testatum reliquit in sua depositione R. Episcopus Giennensis. Imò in codice 811. ejusdem bibliothecæ Colbertinæ habetur historia rerum Romæ gestarum post mortem Gregorii XI. ab eodem Cardinale conscripta, cujus hic est titulus: *In civitate Avinionis die Iovis* XVII. *Madii anno à nativitate Domini millesimo* CCCLXXXVI. *Dominus Cardinalis Florentinus interrogatus per dictos Dominos ambaxiatores, me præsente Notario, juratus more Presbyterorum posita manu ad pectus narravit totam seriem electionis celebratæ in urbe post mortem Domini Gregorii bonæ memoriæ Papæ XI. per hunc modum. Dixit enim quòd mortis est Romana curia &c.*

Superest ut nonnulla etiam dicamus de iis quæ gesta sunt post recessum Cardinalium ab Vrbano, cùm illi essent apud Anagniam, ubi actitatum est de celebranda electione libera. Testatur autem Cardinalis Glandatensis se & Cardinalem de Vernio cogitasse de eligendo Florentino. Hæc sunt ejus verba: *Item quòd audivit à Domino Cardinale Florentino, quando fuit in villa Anagniæ vel Fundorum, quòd ille Barensis non erat Papa. Imò ille Florentinus innuebat, loquendo tamen honestè, quòd iste daret sibi vocem suam, etiam Dominus Cardinalis de Vernio, qui erat ibidem, ut prædictus Dominus Florentinus eligeretur ad papatum. Cùmque ipse Ostiensis responderet Florentino quòd ipse & Dominus de Vernhio, qui erat ibi, libenter eligerent eum, dixit Dominus Florentinus Cardinali Ostiensi quòd si volebat favere sibi, quòd caveret ab aliis Dominis Cardinalibus Italicis, scilicet de Vrsinis & Mediolanensi cum eo ibi præsentibus; licèt omnes illi tres Cardinales Italici asserebant firmiter quòd ille Barensis non erat verus Papa nec electus canonicè.* Item in depositione Petri Cardinalis de Vernhio: *Item dixit quòd quando Cardinales Italici venerunt ad villam Fundorum, quòd Cardinalis Glandatensis dixerat isti Cardinali quòd daret vocem suam Domino Cardinali Florentino, & iste dixit quòd placebat sibi. Tunc accessit Dominus ille de Florentia ad istum Cardinalem dicens quòd regratiabatur sibi usque ad oscula pedum & quòd caveret sibi de aliis duobus Cardinalibus Italicis, quia quilibet illorum volebat pro se. Et adjecit quòd ipse iret ad hospitium suum ad dandum sibi gratias quas posset. Et pòst venit frater illius Cardinalis ad domum istius Cardinalis de Vernhio, & dixit sibi quòd peteret quicquid vellet, & ipse sibi offerebat unum Cardinalem & unum Archiepiscopum & plura quæcunque vellet.* Vide etiam quæ infrà de Cardinale de Vrsinis referuntur ex depositione Cardinalis Cusentini.

Fueritne simulatio quòd illi duo Cardinales dicebant se velle eligere Cardinalem Florentinum, an seriò dictum, difficile dictu est. Etenim Theodericus à Niem lib. 1. de schismate cap. 9. scribit illum & alios duos Italicos in retia tractos ostentato cuilibet eorum secretò summo pontificatu. Theoderico porrò consentanea, etsi non omnino similia, traduntur in depositione Nicolai de Brancaciis Cardinalis Cusentini, qui erat apud Neapolim cum Regina Ioanna quando Cardinalis de Vrsinis ad eam accessit. Sic itaque illic legitur: *Item scit quòd Dominus Nicolaus de Neapoli ivit ad Dominos Cardinales qui erant Fundis, & tractavit quòd venirent ad eos alii Domini Cardinales Italici, & tractabat ad partem cum quolibet, taliter quòd quilibet illorum trium habebat spem quòd eligeretur in Papam; & scribebat ad partem Domino Florentino & Domino Mediolanensi Dominus Pictavensis, & Domino Iacobo Dominus sancti Eustachii similiter quòd venirent omnes tres ad villam Fundorum; & tractabant ibi de electione futuri Papæ per quem modum fieret. Italici volebant quòd procederent per viam compromissi isto modo quòd compromitterent omnes in sex Cardinales, quorum tres essent illi Italici, & alii tres assumerentur de Gallicis. Et iste vidit notam scriptam de isto modo ad procedendum ad electionem. Sed postea omnes alii Cardinales, timentes cavillationem aliquam, noluerunt quòd procederetur per illam viam, sed per scrutinium vel per viam spiritus sancti. Et ita factum est quòd omnes concorditer elegerunt istum Dominum Clementem, exceptis illis Cardinalibus Italicis.* His addendum est testimonium Petri de Crosso Archiepiscopi Arelatensis: *Item quòd tres Cardinales Italici accesserunt ad villam Fundorum super tractatu electionis, & quilibet ipsorum præsumebat quòd eligeretur in Papam.* Item testimonium Alvari Martini legati Regis Castellæ ad inquirendam veritatem rerum gestarum in duabus electionibus; qui, inter cetera, loquens de Agapito Columna, quem Vrbanus recenter creaverat Cardinalem, ait: *Tunc dixit nobis idem Agapitus sibi fuit dictum & assertivè dicebat quod tres Cardinales Italici interfuerunt electioni Clementis, credens eorum quilibet quòd eligeretur in Papam, & facta electione statim recesserunt ab eis, & tamen non iverunt ad Vrbanum.* Item testimonium Nicolai Mesquini Cardinalis sancti Cyriaci, cujus hæc sunt verba: *Causa autem quare tres Cardinales Italici non adhærent Domino nostro credo quòd sit eorum confusio, quia confunduntur ex eo quòd interfuerunt electioni Antipapæ, licèt non consenserint, & protestati fuerunt se nolle consentire. Ipsi enim ambitione moti, sed*

decepti, iverunt Fundos habita promissione à Cardinalibus ultramontanis quòd unus eorum eligeretur in Antipapam. Postea ipsi Italici videntes se deceptos, confusi, non sunt ausi respicere faciem Domini, sed invenerunt tertiam viam, scilicet de Concilio. Cùm hæc ita sint, mirum est Thomam de Acervo Episcopum Lucerinum, acerrimum defensorem partium Vrbani, adeoque inimicum capitalem Cardinalium Italicorum, nullam adversùs eos promissionis istius mentionem fecisse. Ait enim tantùm Cardinales ultramontanos, qui in oppido Fundorum erant, *per subtilissimas astutias & versutias verborum, literarum, & ambaxiatorum traxisse ipsos tres Italicos post se de mense Augusti usque ad civitatem Suesse* ac postremò ad idem oppidum Fundorum, *& cùm decrevissent ad novam Papæ electionem procedere, tenentes hoc secretè simulaverunt unum consilium, ad quod vocarunt dictos tres Cardinales Italicos, qui jam erant Fundis ad resistendum eis ut non procederent ad faciendum Antipapam, & cùm essent omnes simul, nullo facto vel communicato consilio absolutè inceperunt induere Dominum Gebennensem vestibus papalibus & dixerunt: Dominus Gebennensis est Papa.* Addit autem postea: *Ipsi autem Italici hoc videntes statim turbati verterunt eorum vultus, & dixerunt: Nos non venimus ad hoc, nec consentimus in hoc, quoniam habemus Romæ unum Papam. Vnde nec possumus habere alium Papam. Et statim insalutato hospite recesserunt & reversi fuerunt Suessam.* Inde eos ivisse ait ad castrum Talliacossi, quod erat Cardinalis de Vrsinis, ibique mansisse usque ad mortem ejusdem Cardinalis, quæ paulò pòst contigit. *Post hæc autem Cardinales Florentinus & Mediolanensis*, inquit, *quia ex tanta mora & ex aliis sentiebant se offendisse Dominum nostrum, tum ex timore aliquali, tum ex verecundia non venerunt ad ipsum Dominum nostrum, sed quærebant ab eo certa pacta, volentes tolerare defectum eorum &c. sed steterunt ibi Tallacozi per magnum tempus, & tandem ad subtilem attractionem Reginæ & suggestione benefactritis eorum & suorum iverunt ad civitatem Aversæ, ubi ad præsens morantur.* Ex quibus ultimis verbis patet ista scripta esse post mensem Ianuarium anni MCCCLXXIX. cùm ex ultima epistola Cardinalium Italicorum ad Vrbanum constet eos fuisse adhuc apud Talliacozium die XVII. Ianuarii, & ante diem XV. sequentis mensis Augusti, qua obiit Cardinalis de Vrsinis.

Anno MCCCXCV. cùm Ioannes Dux Bituricensis, Philippus Burgundiæ, & Ludovicus Aurelianensis quærerent rationem extinguendi schismatis, & propterea Avenionem profecti essent, ac die prima Iunii Cardinales evocassent in ædes Ducis Bituricensis, eorumque sententias explorassent, *suscipiens primum verbum Cardinalis antiquior, scilicet de Florentia*, ut ait continuator Nangii pag. 137. in tomo sexto Spicilegii Dacheriani, *dixit quòd Ecclesia erat in miseriori statu, quàm unquam fuerat à tempore sancti Petri Apostolorum principis. Ad quod adducens multas rationes, addidit quòd ad habendum unionem affectabat modis omnibus laborare, asserens in conscientia quòd ad acquirendum ipsam sibi via cessionis sanctior & expeditior apparebat.*

Ejus frater aut certè nepos fuisse videtur Philippus de Corsinis, quem Ludovicus I. Rex Siciliæ in numerum consiliariorum suorum adscivit anno MCCCLXXXII. die quinta Iunii, assignata ei pensione mille & ducentorum florenorum, ut legitur in diario Episcopi Carnotensis.

BEDEOSCO] vel *Bedoesco*, prout placet librariis. Sic enim legitur in literis Ioannis Regis Francorum de immunitatibus ditionum in diœcesi Mimatensi pertinentium ad Guillelmum Grimoardi patrem Vrbani V. & in testamento Anglici Episcopi Albanensis. Longiùs aberravit Bzovius an. 1370. §. 4. Beduam vocans. P. 352.

CONCVBINARIOS] quibus plenam tum fuisse curiam Romanam conqueritur Petrarcha epistola 18. earum quæ sunt sine titulo, ubi describit intempestivam & nimis ridiculariam libidinem cujusdam Cardinalis senioculi, ut ille vocat. P. 394.

BENEFICIOR. MVLTIPLICAT.] Vide omnino quæ de hoc argumento scribit Ægidius Bellamera in cap. *Cùm super.* de causa possess. & proprietatis. Porrò in codice 2672. bibliothecæ Colbertinæ habetur tractatus Ioannis de Liniano de pluralitate beneficiorum, qui etiam editus est olim in hac urbe Parisiensi, ut dicemus paulò pòst.

SCIENTIA MEDICINÆ] Cæsarius Heisterbachcensis lib. 7. cap. 25. *in Montepessulano, ubi fons est artis physicæ.* Ægidius Carboliensis in libro de virtutibus medicaminum: P. 395.

Quo Pessulanus nisi Mons auctore niteret,
Iamdudum physica laus ecclipsata fuisset.

Matthæus Paris ad annum MCCLIV. loquens de reditu Regis Francorum è partibus transmarinis: *in partibus Marsiliæ, quæ non multùm distant à Montepessulano, ubi floret physica.* Idem ad annum MCCLVII. loquens de Episcopo Herefordensi: *Dicebatur tamen ab aliquibus ut apud Montempessulanum curreret ab infirmitate qua laboravit sanandus.* De medicis Montispessulani locus est singularis apud sanctum Bernardum epist. 307. occasione Archiepiscopi Lugdunensis, qui Romam proficiscebatur: *Cùmque infirmaretur, pertransiit*

usque ad Montempessulanum. Ibi aliquandiu commoratus tum medicis expendit & quod habebat & quod non habebat. Karolus IV. Imp. in libro de vita sua : *Illis diebus cùm pater meus unum oculum perdidisset, in altero incipiens infirmari, transivit in Montempessulanum secretò ad medicos, si posset curari.* Nicolaus Ellenbogins monachus Ottempuranus lib. 3. epist. 49. scribens anno MDXVIII. ad Sebastianum Biderb utriusque juris Doctorem, qui scire cupiebat historiam vitæ ejus, ait : *Dehinc ad Sueviam reversus, amicorum consilio Galliam petii, & in nobili illo mediterranali studio Montispessulani medicos audivi, cupiens paternæ artis fieri heres.* Erat enim filius Vdalrici Ellenbogii medici Sigismundi Archidncis Austriæ. Inter epistolas Ioannis Calvini p.172. postremæ editionis Amstelodamensis extat una ab eo scripta ad Medicos Montispessulani. In codice 3088. bibliothecæ Colbertinæ ita habetur : *Incipit inventarium seu collectorium in parte cyrurgicali seu medicina compilatum & completum anno Domini millesimo CCC. sexagesimo tertio per Guidonem de Caulhiaco Cyrurgicum & magistrum in medicina in præclaro studio Montispessulani.* Itaque cùm magna semper fuerit hujus academiæ fama ob peritiam artis medicæ, mirum non est eam variis privilegiis ornatam fuisse à Pontificibus Romanis & à Regibus Francorum. Extat enim in regesto XXVII. archivi regii Paris. cap. 574. bulla Clementis V. data Avenioni VI. Idus Septembris anno quarto, qua sancivit ne quis artem illam exercere possit, etiamsi eam potestatem acceperit ab Episcopo Magalonensi, *nisi duæ partes universitatis magistrorum facultatis ejusdem commorantium in studio sæpedicto cum Episcopo memorato in ejusdem licentiæ concessione consenserint.* quam constitutionem confirmavit Rex Karolus IV. literis datis Parisiis anno MCCCXXIV. mense Augusto. Postea Philippus VI. sequenti mense Novembri sub sua protectione suscepit magistros, bacallarios, & scholares in facultate medicinæ apud Montempessulanum studentes. Ioannes deinde filius ejus prohibuit anno millesimo CCCL. mense Ianuarii *ne quis in villa Montispessulani & suburbiis audeat in facultate medicinæ exercere aliquod officium practicandi nisi magister fuerit.*

INSTITVIT COLLEGIVM] Bulla fundationis extat apud Gariellum in serie Præsulum Magalonensium par. 2. pag. 86. data Viterbii VII. Kal. Octobr. anno septimo. Papirius Massonus in vita ejusdem Vrbani testatur in eadem urbe adhuc extare collegium ingens jussu ejus conditum in gratiam eorum qui medicinæ operam daturi essent, si modò Gabalos, id est, Mimatensis diœcesos esse eos constaret.

NEPOTEM] Bernardum de Castronovo, qui anno MCCCLXXV. vita excessit apud Montempessulanum. Vide Gariellum par. 2. pag. 101. Nescio autem an existimare debeamus illum fuisse ortum ex eadem gente ex qua prodiit Dalphina de Castronovo prima uxor Nicolai Indieis. Hæc enim erat oriunda ex diœcesi Mimatensi. Vide suprà pag. 855. P. 397.

RECVSARI ORDINAVIT] Idem tamen non repugnaverat Karolo IV. Imperatori simile aliquid facienti. Cùm enim is Guillelmo domino de Grisaco concessisset castrum Burgi sancti sepulcri civitatis Castelli dioecesis, hinc liquet Vrbanum consensisse quòd Gregorius XI. in initiis sui pontificatus scribens ad Anglicum Episcopum Albanensem Legatum Italiæ illi & eidem domino de Grisaco potestatem fecit illud vendendi alicui servitori & confœderato Romanæ Ecclesiæ de quo statui & terris prædictæ Romanæ Ecclesiæ & partibus circumstantibus non possit venire scandalum neque damnum.

IN DOMINO REQVIEVIT] In codice sermonum Ioannis de Cardalhaco Patriarchæ Alexandrini extat *sermo per eundem factus in obsequiis Domini Vrbani Papæ V. in civitate Spoletana coram Legato Cardinali Bituricensi.* P. 398.

MIRACVLIS CORVSCANDO] Ita etiam reliqui scriptores vitæ ejusdem Vrbani pag. 413. 416. 417. & Petrarcha lib. 13. rer. senil. epist. 13. Radulphus de Rivo cap. 7. de gestis Episcoporum Leodensium, Vualsinghamus pag. 185. edit. Francofurtensis, & in primis Clemens VII. apud Odoricum Raynaldum an. 1381. §. 48. Robertus Gervasii Episcopus Senecensis in tractatu de scebismate adversus Bartholomæum Barensem Antipapam in codice 2761. bibliothecæ Colbertinæ fol. 24. loquens de Vrbano V. ita scribit : *Porrò iste Vrbanus sanctè rexit Ecclesiam sanctam Dei & multos excessus & peccata varia ab Ecclesia Dei & à viris ecclesiasticis extirpavit, & se in omnibus præbuit exemplarem. Et ideo modernis temporibus divina providentia per eum multa miracula operatur.* Observat autem Petrus de Herentals eum nondum esse canonizatum. quod verum est. Fuit tamen olim qui crederet illum fuisse canonizatum. Sic enim legitur in codice 2672. bibliothecæ Colbertinæ fol. 108. *Explicit tractatus de pluritate beneficiorum editus per Dominum Iohannem de Lyniano utriusque juris Doctorem in urbe tunc excellentissimum jussu sanctissimi in Christo Domini Vrbani Papæ V. postea canonizati.* Sic etiam in editione ejusdem operis quæ anno MDXI. prodiit in hac urbe Parisiensi.

Vtar autem hac occasione ut planum faciam quis cujasve fuerit hic Robertus Episcopus Senecensis & quo demum tempore ad episcopalem

episcopalem dignitatem evectus sit. Hactenus enim ea omnia in obscuro fuere. Ipse se in regno Franciæ ortum & nutritum fuisse docet in præfatione operis de speculo morali regio, quod extat in codice 5420. bibliothecæ Colbertinæ, & regulam ordinis fratrum Prædicatorum amplexum in conventu Marologii Minatensis diocesis in calce tractatus de schismate. Sacræ autem paginæ professorem se utrobique vocat. Nescio autem annon existimare debeamus illum fuisse ortum ex oppido Andusia, quod est in diœcesi Nemansensi finitima Gabalis. Etenim in literis Arnulphi d'Audenehan Mareschalli Franciæ & Locumtenentis Domini Regis in partibus Occitanis, quæ datæ sunt apud Villamnovam prope Avenionem anno MCCCLXIII. die XIII. Octobris, reperio Ioannem & Bernardum Gervasii fratres fuisse habitatores ejusdem oppidi. Anno denum MCCCLXIX. cùm Ecclesia Senecensis vacaret per mortem Petri, Vrbanus V. ei substituit hunc Robertum Gervasii literis datis apud Vrbemveterem V. Idus Octobris anno septimo. Hujus, ut diximus, extant duæ lucubrationes in bibliotheca Colbertina. Prima est tractatus de schismate adversùs Ioannem de Lignano & Baldum Perusinum defensores Bartholomæi Barensis Antipapæ scriptus post annum millesimum CCCLXXXVII. cùm in eo mentio fiat miraculorum beati Petri Cardinalis de Luxemburgo. Titulus autem ejus hic est: *Incipit liber seu tractatus vocatus Mirra electa putredinem scismatica pravitatis destruens & annullans, & sublimitatem Ecclesia & potestatem manifestans.* Altera lucubratio ejus edita est sub initia regni Karoli VI. & vocatur Speculum morale regium. Ei Nicolaus de sancto Saturnino legavit anno MCCCLXXXI. novum mantellum suum foliatum de agniellis nigris, ut videre est in ejus testamento edito inter probationes historiæ Cardinalium Gallorum pag. 490.

P. 399. DOMINVM MAGALON.] Audoynum Alberti. Vide infrà pag. 926.

P. 400. IN DOMO QVAM CLEMENS] quæ fuerat olim Neapoleonis Cardinalis Vrsini, uti dictum est suprà pag. 913.

QVOD ESSET HÆRETICVS] Non agebatur de causa fidei adversùs Bernabonem, sed de pervasione rerum ecclesiasticarum. Et tamen Vrbanus eum damnat ut hæreticum, quia ex veteri instituto curiæ Romanæ is censetur hæreticus qui Pontifici Romano & ejus curiæ qualicunque modo adversatur. Adnotatum id pridem à Ioanne Saresberiensi lib. 6. Polierat. cap. 24. *Nam qui à doctrina vestra dissentit, aut hereticus aut scismaticus est.* Illos enim malè sentire de fide putant qui Romanæ potestati repugnare audent. Sic Benedictus XIII. anno millesimo CCCCVIII. III. Idus Februarii Raymundum de Turenna, qui bellum gerebat adversùs Papam & quasdam terras Ecclesiæ invaserat, per publicæ citationis edictum citari fecit ut certa die coram ipso personaliter compareret super fide responsurus. Sic Sixtus IV. anno MCCCCLXXV. die tertia Ianuarii Ioannem Iougleti consiliarium regium in parlamento Parisiensi, qui Ioannem de Montemirabili Episcopum Vasionensem turbabat in possessione canonicatus & præbendæ Ecclesiæ Cameracensis, ait in fide esse malè sapientem, quia ab ipso Sixto, qui præbendam illam contulerat Episcopo Vasionensi, appellaverat ad conservatorem privilegiorum Vniversitatis Parisiensis, quem Papa ait esse suum inferiorem. Et mox addit eundem Ioannem Iougleti nonnulla alia enormia delicta contra ipsum Papam & sedem apostolicam perpetrasse *quæ in totalem nostra & ejusdem sedis jurisdictionis enervationem cedunt ac heresim sapiunt.* Denique his ultimis temporibus Alexander VII. damnans censuras quorundam librorum Amadæi Guimenii & Iacobi Vernant à Theologis Parisiensibus editas ait *fieri non posse sine publico catholica religionis detrimento ut prædicta censura remaneant indemnata.*

VABRENSEM] Guillelmum Bragose; qui vulgò dicebatur Cardinalis Vabrensis, quia electus erat Episcopus Vabrensis eo tempore quo factus est Cardinalis. Vide suprà pag. 962. P. 401.

CLVNIACENSIS] Androinus de Rocha. Vide suprà pag. 958.

MAGALONENSIS] Audoynus Alberti. Vide suprà pag. 926.

PETRAGORICENSIS] Talayrandus. Vide suprà pag. 770. P. 402.

DIE XI. IVLII] Sequentia sumpta sunt ex codice 2770. bibliothecæ Colbertinæ. Non extant enim in aliis codicibus.

MENSE IVLII] Tota hæc pericope deest in eodem codice Cobertino & in Sorbonico. P. 405.

GVILLELMVS DE GRISACO] Vide suprà pag. 417. P. 406.

QVINQVE VEL SEX] nimirum Guillelmus de Agrifolio Episcopus Sabinensis, Androinus de Rocha, Stephanus Alberti, Marcus de Viterbio, & Petrus de Banhaco. P. 410.

CVM SANGVINE CONCHYLII] id est, rubeis literis, per cinnabatim. Vide Glossarium Latino-barbarum Cangii in verbo *Cinnabar*, & Græco-barbarum in verbo *Κιννάβαρις*.

CARDINALIS HIEROSOLYMIT.] Philippus Cabassole. Vide suprà pag. 1021. P. 411.

BRIGIDA DE SVECIA] Thomas Petra Canonicus Patracensis in depositione sua P. 414.

pro parte Vrbani VI. antea Bartholomæi Barensis: *Item audivi tunc offeri per Dominum nostrum prædictum quòd discordia illorum tunc Cardinalium fuit quia requirebant eum quòd iret ultra montes, & ipse penitùs recusavit asserens quòd Vrbanus V. & Gregorius venerant ex voluntate Dei ad fructificandum Ecclesiæ Christi & pacificandam Italiam & ad recuperandum terras Ecclesiæ, & modico fructu secuto ipse Vrbanus recesserat contra velle Dei prædicto sibi per beatam Brigidam de Suecia, propter quod vita punitus fuit.* Vide quæ de hoc argumento scripsit Alfonsus eremita olim Episcopus Giennensis apud Odoricum Raynaldum an. 1379. § 9.

P. 417. FRATREM SVVM] Anglicum Grimoardi. Vide suprà pag. 993.

NVNCIVM APOSTOLICVM] Vide an hæc lacuna suppleri possit ex his quæ suprà pag. 979. retulimus ex chronico Hirsaugiensi Ioannis Trithemii.

P. 419. GVIDO LESTERIA] quem Nostradamus in historia Provin. pag. 440. malè vocat Guidonem de Schery. Fuisse eum unum ex intimis consiliariis Ludovici Ducis Andegavensis liquet ex epistola scripta à Gregorio XI. anno MCCCLXXVIII. die prima Martii ad Episcopum Magalonens. Thesaurarium suum. Eundem fuisse Senescallum Ruthenensem & occisum in tumultu Montispessulani anno millesimo CCCLXXIX. die XXV. Octobris docent literæ ejusdem Ducis nuper editæ inter probationes annalium Tolosanorum pag. 102.

P. 420. IN FACVLTATE THEOLOGIÆ] Inter varias rationes ob quas Vrbanus V. corpus sancti Thomæ Aquinatis voluit deferri Tolosam, quas in tomo primo Martii Bollandiani pag. 730. reperies, ista quoque legitur: *Tertiò etiam quia ibi est universitas nova in theologia, quam volo fundari in doctrina solida & firma illius sancti.* Meminit hujus rei Cæsar Egassius Bulæus in tomo quarto historiæ Vniversitatis Parif. pag. 364. ex antiquo libro Rectoris, in quo ita legitur: *Anno Domini* MCCCLXI. *die Iovis post festum B. Luciæ virginis Gobertus de Monte Beraudi electus fuit in Rectorem Vniversitatis. Et habuit multa agere pro impositionibus & super eo quòd in sua rectoria Papa concessit villæ Tolosanæ unam facultatem theologiæ cum tot & consimilibus privilegiis quod & quæ habet Vniversitas Parisiensis. quod nec Tolosæ nec alibi nisi Parisius aliquis Papa voluit concedere pro quocunque mundi.* Et tamen ea tempestate theologia publicè docebatur in academia Monspeliensi, ut docent literæ Ioannis Regis Francorum datæ apud Montempessulanum anno MCCCL. die XV. Ianuarii, quæ extant in regesto LXXX. archivi regii Parif. cap. 759. *Notum facimus universis quòd ad supplicationem dilectorum nostrorum magistrorum, bacalariorum, & scholarium facultatis theologiæ universitatis Montispessulani nos in favorem dictæ scientiæ ac dictorum magistrorum, bacalariorum, & scholarium, qui pro dicta scientia acquirenda & ad erudiendum & fovendum populum in sancta fide catholica ad salutem animarum fidelium & ad laudem & gloriam beatissimæ trinitatis plures die noctéque sustinuerunt & sustinent vigilias, abstinentias, & labores &c.* De Tolosana academia mirum est eam tum caruisse facultate theologiæ, cùm certum sit quatuor illic theologiæ magistros fuisse constitutos à Raymundo VII. Comite Tolosano anno MCCXXVIII. ex pactis initis cum Romano Diacono Cardinale sancti Angeli, in quibus ita continetur: *Item quatuor milia marcharum deputabuntur ab ipso Raimundo quatuor magistris theologiæ, duobus Decretistis, sex magistris artium liberalium, & duobus grammaticis regentibus Tolosæ, quæ dividentur hoc modo. Singuli magistrorum theologiæ habebunt singulis annis quinquaginta marchas usque ad decennium, uterque magistrorum decretorum habebunt triginta marchas usque ad decennium singulis annis, singuli magistri artium habebunt viginti marchas usque ad decennium similiter annuatim. Vterque magistrorum artis grammaticæ habebit similiter annuatim decem marchas usque ad decennium.* Hunc locum ego descripsi ex codice authentico. Est enim valde mendosus ac mutilus in exemplari quo vir clarissimus Guillelmus Catellus utebatur quum scriberet historiam Comitum Tolosanorum. Et sanè necessaria est lectio quam nos proferimus. Etenim quatuor millia marcharum per decennium constituuntur pro salariis magistrorum, ita ut unusquisque theologorum habeat annuatim quinquaginta marchas, id est, duo millia marcharum intra decennium, quilibet Decretista trigiota marchas, id est, sexcentas marchas intra decennium, quilibet Artista viginti marchas, id est, mille & ducentas marchas intra decennium, quilibet grammaticus decem marchas, id est, ducentas marchas intra decennium. Ex quibus consurgit numerus quatuor millium marcharum. Quod esse non posset, si duo tantùm theologi dicerentur constituti, ut legitur in editione Catelli. Etenim deducendæ essent ex eo numero mille marchæ. Porrò existimandum est illam magistrorum institutionem, saltem quoad theologiam, defiisse post decennium ac fortasse citiùs. Vide eundem Catellum in Memoriis historiæ occitanicæ pag. 230. & Nicolaum Bertrandi in opere de Tolosanorum gestis fol. 34. apud quem legitur decreta esse stipendia quatuor magistris theologiæ.

His ita enarratis, quæ veterem historiam emendant & illustrant, redeamus ad institutionem studii theologici in academia Tolo-

sana. Si ergo primus omnium Vrbanus V. theologiam in ea doceri instituit, quonam modo intelligemus id quod Clemens VI. apud Vvaddingum to. 3. pag. 299. regesti pontificii scripsit anno MCCCXLIV. ad Archiepiscopum Tolosanum de Guillelmo Farinetti promovendo ad honorem magisterii in theologica facultate? Rursum ex epistola ejusdem Clementis scripta anno MCCCLI. ad fratrem Radulphum de Cotnaco ministrum provincialem Aquitaniæ, quam idem Vvaddingus edidit in regesto pontificio tomi quarti, legitur fratrem Ioannem de Bnco sic studendo & legendo in sacra theologica facultate profecisse in studio Tolosano & alibi quòd dignum se reddidit ad obtinendum honorem magisterii. Quam ob causam jubet Pontifex illum promoveri ad idem magisterium, *servatis debitis solemnitatibus Tolosæ servari in talibus consuetis, non obstantibus quibuscunque constitutionibus apostolicis, privilegiis, indulgentiis, necnon statutis & consuetudinibus ac observantiis ejusdem studii & ordinis.* Constat itaque theologiam publicè doceri solitam in academia Tolosana ante pontificatum Vrbani, statasque ac solemnes fuisse leges secundùm quas professores illius scientiæ promovendi erant ad magisterium. Sed tamen, ut videtur, ea facultas illis amplis privilegiis nondum ornata erat quibus eam decoravit Vrbanus. Alioqui enim ista repugnantia non posset conciliari.

P. 425. PRESBYTER ORDINATVS] contra veterem morem. Olim enim is qui nondum Presbyter eligebatur Pontifex Romanus non accipiebat ordinem Presbyteri, sed ex Diacono fiebat Episcopus. Vide præfationem viri doctissimi Ioannis Mabillonii ad tomum secundum Musei Italici pag. 119.

GVILLELMVS COM. BELLIFORTIS] Tres ille, ut suprà pag. 831. dictum est, habuit uxores, Mariam de Chambonio, Guetinam de Canilhaco, & Catharinam de Garda. Ex priore constat ortum esse Gregorium XI. Papam. Vidit pater filium suum in summo pontificatu constitutum. Afferam autem insignem locum ex chronico Aymerici de Peyraco Abbatis Moyssiacensis, qui de Gregorio XI. loquens ait: *Capsum beati Martialis pretiosissimè decoravit, & in monasterio Casa-Dei post mortem disposuit se de Roma transferri & sepeliri cum avunculo suo Domino Clemente fratre Comitis Bellifortis. Qui quidem Comes vidit fratrem suum Papam, fratrem suum alium Cardinalem, demum filium suum Papam, filium suum alium Vicecomitem de Turenna, alium dominum de Limolio diœcesis Petragoricensis, alium Marquesium de Canilhaco, alios filios & filias, nepotes & neptas, consanguineos & consanguineas in spiritualibus & temporalibus sublimates. quod in futurum suspicor admirari. Fertur tamen Clementem Papam prædixisse reliquias Lemovicensium sive rupas in plerisque orbis partibus dispergendas & multiplicandas fore.* In veteri chronico Normanniæ MS. in codice 1424. bibliothecæ Colbertinæ scriptum est Clementem VI. Papam, qui sex rotas gerebat in sua tessera gentilitia, dixisse in initiis sui pontificatus se in Ecclesia Dei tale rosarium Lemovicensium plantaturum quod & radices adhuc & alabastros habiturum esset post centum annos: *je y planteray un tel rosier des gens de nostre nation ou puis de Limosin qu'il ne sera de chi à chent ans qu'il n'en n'y ait des rachines & des boutons. Et sy fist il qu'il esparti tous de son pais en toute chrestianté, où il avoit gros benefices, tant en Cardinals en l'auge de XV. ans & XX, Archevesques, Evesques, Abbés, Prieurs, Denetés, Chanoinries en Eglises cathedrals & ailleurs, où il avoit gros benefices tant de Cures que d'autres benefices, ainssi que toute chrestienté fu gouvernée, quant à l'Eglise, de Limosins.* Obiisse autem videtur Guillelmus post filium, anno nimirum MCCCLXXXIII. ut colligi potest ex actis editis inter probationes historiæ Turennensis pag. 99.

STVDIO LITER. INTENTVS] usus præceptore ac magistro Petro Masoerio Doctore legum, qui postea fuit Archidiaconus Cameracensis & Episcopus Attrebatensis. *Buzelinus lib. 8. annal. Gallo-Flandr. pag. 353.*

AD THEOLOGIAM] Codex 537. bibliothecæ Colbertinæ, in quo continentur libri quatuor sententiarum Petri Lombardi, fuit olim Petri Cardinalis sanctæ Mariæ novæ, postea Gregorii XI. Papæ, ut illic adnotatum est à manu antiqua. Illo itaque usus est Gregorius eo tempore quo dabat operam studio theologico.

MVLTIS VIRTVTIB. DOTATVS] Lucius Colucius Salutatus de Stignano in epistola ad Franciscum Bruni libro 4. miscellaneorum nostrorum pagin. 514. P. 426. *De moribus enim ejus ne parum dicam, consilium puto silentio pertransire, dummodo pauca verba subnectam. Quòd totus vir iste, nunc patrum pater, prudentia, circumspectio, modestia, fides, caritas, amor, benignitas, & quod in principe tali splendidissimum approbatur, veritas & constantia dictorum factorumque; quæ cùm in eodem adhuc Cardinali celebriter elucerent, ita ut ex iis divino miraculo de tam juvenili ætate videatur ad apicem apostolatus assumptus, quid debemus nunc de illo ad Christi vices erecto cum tanta virtutum supellectile judicare?* Illum Vvalsinghamus pag. 210. vocat bonum virum & justum, Trithemius in chronico Hirsaugiensi to. 2. pag. 259. virum bonum, doctum, & mansuetum, Claramontius in historia Cæsenæ pag. 664. summæ pietatis ac sanctitatis pastorem, quicquid Pogius bla-

reret. Contrà in eum acerbissimè invehitur auctor epistolæ Vniversitatis Oxoniensis ad Pragensem editæ ab Hulderico Hutteno: *Gregorio igitur XI. ab ineunte ætate usque ad adolescentiam suavissimè nutrito, nihil penuriæ, nihil paupertatis, nihil sollicitudinis, nihil anxietatis scholasticæ experto, ipso in cathedra S. Petri sublimato, ex siti pecuniæ sponsam suam matrem nostram tribulationibus & pressuris, fluctuationibus & periclitationibus exposuit, ab oppressionibus, ab injuriis, & ab exactionibus non cessans subditorum filiorum ut Barones, Duces, & Comites faceret cognatos suos & nepotes, parentum Petri Rogerii non attendens abjectionem.* & cetera hujusmodi inimicissimo stylo conscripta ab Anglo Gallici nominis inimico.

Varia eum sacerdotia seu beneficia habuisse antè quàm fieret summus Pontifex certum est, ex more nimirum illorum temporum, quibus multa conferebantur Cardinalibus ut supportare possent onera suarum dignitatum. Ex epistolis ejus & ex M. chronico Belgico liquet illum fuisse Canonicum Narbonensem, Archidiaconum Rothomagensem, & Præpositum sancti Salvatoris Trajectensis. Archidiaconum quoque Cantuariensem fuisse docet chronica Vvillelmi Thorn pag. 2084. & Bituricensem Ioannes Chenu in chronologia Archiepiscoporum Bituricensium. Carolus SaussEius lib. 13. annal. Eccles. Aurelian. cap. 16. eundem ait fuisse Archidiaconum Solliacensem & Canonicum in Ecclesia Aurelianensi.

MVLTVM RENVENS] Testatur istud ipsum continuator Gallicus Nangii tum vivens his verbis: *Et le Lundy* XXX. *jour dudit mois esturent ainsi comme par la voie du saint Esprit Messire Pierre Rogier, nommé le Cardinal de Beaufort. Car il estoit fils du Conte de Beaufort en Vallée, & estoit nepveu du Pape Clement VI. qui l'avoit fait Cardinal. Et estoit Cardinal Diacre, de l'aage de quarante ans ou environ. Lequel contredit une piece, & ne vouloit accepter ladite election. Finablement l'accepta, & fu nommé Gregoire XI. & fu couronné aux Iacobins d'Avignon le Dimanche veille de l'apparition ensuivant.*

P. 427. PETRVS GOMECII] de Barroso, nepos, ut videtur, alterius Cardinalis ejusdem nominis à Ioanne XXII. creati, in cujus gratiam probabile est Benedictum XII. isti contulisse anno MCCCXXXVII. canonicatum & præbendam Ecclesiæ Toletanæ. Sic enim legitur in rubricis anni tertii ejusdem Benedicti cap. 400. *Petro Gometii. Providetur sibi de canonicatu & prabenda Ecclesia Toletana vacantibus.* Evasit deinde Archiepiscopus Hispalensis.

Anno MCCCLXXI. die octava Iunii Gregorius XI. eum absentem evexit ad dignitatem Cardinalis. Postea verò ille ingressus iter, Avenionem pervenit die trigesima mensis Octobris. Datus ei tum est titulus Presbyteri Cardinalis sanctæ Praxedis, quo insignitus erat ille Cardinalis quem suprà monuimus videri fuisse ejus patruum. Attulit autem secum quædam munera quæ Henricus Rex Castellæ misit ad Papam; ut patet ex literis ejus ad eundem Henricum, in quibus ita legitur: *Iocale admodum pretiosum, nobile, & insigne, duosque pulcherrimos equos regia munificentia ac liberalis excellentia tua per manus dilecti filii nostri Petri tituli sancta Praxedis Presbyteri Cardinalis animo grato recepimus, illudque in memoriam & honorem regii nominis intendimus perenniter custodire.* Hæ literæ extant apud Odoricum Raynaldum an. 1371. §. 4.

Anno MCCCLXXV. die quinta Maii Gregorius XI. condens suum testamentum, Petrum Cardinalem Hispanum tituli sanctæ Praxedis illius executorem esse constituit. Sed hic honos ei frustra fuit habitus. Decessit enim paulò pòst Avenione, nimirum die secunda sequentis mensis Iunii, ut ait Contelorius. Quamquam excerpta ex libris obligationum ad me missa ex urbe Roma mensem Iulium præferunt pro Iunio. Quod verius arbitror. Etenim uno tenore recensentur per ordinem Cardinales tum mortui, videlicet Ioannes de Turre die XV. Aprilis, Guillelmus Iudicis die quarta Maii, Raynaldus de Vrsinis die sexta Iunii, Bertrandus de Cosnaco die XVII. Iunii, & postremò Petrus Gomesii die secunda Iulii.

Corpus ejus sepultum est in Ecclesia monasterii Montisfaventii, ut docet Anglicus Cardinalis Albanensis in suo testamento: *Item lego executoribus testamenti bona memoria Domini Petri Cardinalis Ispani ultimò defuncti, cujus corpus sepultum est in Ecclesia monasterii Montisfaventii ordinis sancti Augustini Avinionensis diocesis, centum florenos auri.*

In depositione Domini Ferdinandi Episcopi Legionensis testis jurati in causa schismatis ita legitur: *Item dixit quod quando dictus Dominus electus* [Bartholomæus Barensis] *recessit de Roma ad dictam civitatem Tiburtinam, ipse etiam recessit de Roma ad Anagniam, & ivit illuc cum principali intentione habendi à dictis Cardinalibus aliquas literas pro dicto Domino pro expeditione negotiorum suorum, secundariò ut sciret aliqua qua secretè dicebantur per familiares eorum tam Roma quàm Anagnia. Et cùm accessit Anagniam, dixit quòd primò visitavit Cardinalem Gebennensem, & invenit eum in quadam camera obscura, & dicebatur quòd patiebatur. Et accessit ad eum, & fecit sibi reverentiam, & exposuit sibi sua negotia pro quibus veniebat, specialiter quòd concederet sibi literas supplicatorias pro dicto Domino Papa. Et quòd Cardinalis respondit sibi quòd faceret quicquid posset pro statu suo &*

honore, quia tenebatur propter memoriam Cardinalis Domini Petri domini sui consanguinei, cujus anima Deus parcat.

P. 418. IOHANNES DE CROSSO] Suprà pag. 900. dictum est de loco unde sumpsit originem gens de Crosso; ubi etiam adnotatum est ipsum fuisse consanguineum Gregorii XI. in tertio gradu. Ipse in depositione sua de initio schismatis data legatis Regis Castellæ testatus est de consanguinitate. Etenim ita illic legitur: *Item semel dixerat ille Barensis isti Cardinali quare esset tristis & cogitativus? Iste respondit quia habebat causam, quia amiserat dominum suum Papam Gregorium consanguineum suum.* Quare certum est errasse Petrum Roderici Canonicum Ecclesiæ Cordubensis in depositione sua, ubi ait hunc Cardinalem fuisse avunculum Papæ. Hæc sunt ejus verba: *Dixit quòd audivit dici, nescit à quibus, quòd antequam Cardinales intrarent conclave, existentibus Cardinalibus Romæ, nescit tamen in quo loco, vel an omnes, aut pars eorum, dixerat Cardinalis Gebennensis: Domini, si volueritis eligere Lemovicensem, ecce hic Cardinalis Lemovicensis, qui est homo antiquus & avunculus Papæ Gregorii.*

Hunc Ioannem Clemens VI. fecit Episcopum Lemovicensem anno MCCCXLVIII. tenuitque eam cathedram usque ad annum MCCCLXXI. quo Gregorius XI. eum promovit ad dignitatem Presbyteri Cardinalis. Habuit autem titulum sanctorum Nerei & Achillei. Vulgò tamen nominabatur Cardinalis Lemovicensis, quia ex Episcopo Lemovicensi creatus fuerat Cardinalis.

Anno MCCCLXXVI. secutus est Gregorium XI. euntem in Italiam, & episcopatum Prænestinum ab eo accepit die Mercurii XXIV. Septembris ejusdem anni, teste Petro Amelii de Brenaco in itinerario ejusdem Gregorii. Quo loco mihi castigandus venit Augustinus Patricius auctor ceremonialis Romanæ Ecclesiæ editi à Christophoro Marcello Episcopo Corcyrensi. Hic enim lib. 1. sect. 8. cap. 12. ait hunc Ioannem factum fuisse Episcopum Prænestinum ex Diacono. *Legimus apud antiquos*, inquit, *nonnullos ex diaconatu ad episcopatum promotos fuisse, ut Gregorius undecimus, qui Cardinalem Lemovicensem promovit ad episcopatum Prænestinum Diaconum existentem.* Quod certissimè falsum est. Erat enim Episcopus consecratus multò antè quàm fieret Cardinalis. Et præterea certissimum est eum fuisse Presbyterum Cardinalem, non verò Diaconum, ut ait Augustinus.

Postea Gregorius XI. obiit Romæ anno millesimo CCCLXXVIII. die XXVII. Martii Qua occasione exortum est in Ecclesia Dei magnum scandalum; quia Romani malis suis edocti Romanum Pontificem non posse esse alibi quàm Romæ absque maximo eorum incommodo, decreverunt inter se uti Cardinales cogerent ad eligendum Papam Romanum aut saltem Italum. Insigne est, inter cetera, testimonium Bonifacii de Amanatis legum Doctoris; qui interrogatus super articulis casus primi electi, loquens de metu incusso Cardinalibus & de certo consilio Romanorum pro Papa faciendo ex Romanis aut Italis, dixit quòd *erat fama publica per urbem quòd si Domini Cardinales eligerent in Papam aliquem qui non esset Romanus vel Italicus, omnes occiderentur, & eorum bona ac omnium cortesanorum ponerentur in prædam, & quòd tunc propter furorem populi multi cortesani interficerentur. Dixit insuper qualiter postquam dicti officiales urbis promiserant & juraverant in Ecclesia sancti spiritus Dominis Cardinalibus illa quæ ab eis requisiverant dicti Cardinales, venerunt eadem die in domo sua antedicta duo ex dictis Romanis amicis suis, inter quos erat dictus compater suus, quibus dixit in effectu: Vos, Domini Romani, multa verba facitis, & nihil adimpletis. Continuè dixistis quòd per Romanos taliter erat ordinatum quòd haberetis omnino Papam aliquem Romanum vel saltem Italicum. Et nunc verba sunt quia tales promissiones & juramenta fecerunt hodie officiales urbis nomine totius populi in Ecclesia sancti spiritus Dominis Cardinalibus. Ipsi verò quasi subridendo dixerunt ei in effectu: Videte, pro certo nihil aut modicum dicetur ante ingressum Dominorum in conclave, quia ad finem ut Cardinales non terreantur ante ingressum conclavis illa fuerunt promissa & jurata; sed postquam Domini Cardinales fuerint in gabia, hoc est, in conclavi, tunc videbitis quòd totum palatium erit repletum hominibus armatis & in crastinum pulsabuntur campana sancti Petri & Capitolii illo sono quo solet convocari populus ad arma, & tunc totus populus veniet armatus ad plateam & palatium sancti Petri, & cum clamoribus & terroribus & minis oportebit quòd Cardinales eligant in Papam aliquem Romanum vel saltem Italicum; & etiam postquam fuerint inclusi in conclavi, requirentur hic Cardinales per officiales urbis & per capita regionum quòd pro salvandis eorum personis eligerent Papam aliquem Romanum vel saltem Italicum, & quòd eis expressè dicerent quòd nisi sic eligerent, non possent evitare mortis periculum. Dixit etiam quòd tunc in continenti fecit eis unam interrogationem & talem in effectu, quid esset si Cardinales eligerent aliquem Gallicum in Papam vel alium qui non esset Romanus vel Italicus. Responderunt: Ordinatum est in consilio Romanorum quòd omnes Cardinales interficiantur & deprædentur, sed quòd electus non occidatur, & ipse sic electus tam*

propter timorem Cardinalium interfectorum quam etiam propter metum qui inferretur ei necessariò habebit faecre Romanis tot Cadinales Romanos & Italicos quot volent. Et credit quòd subjunxerunt, sed de hoc non bene recordatur, quòd postmodum reperiretur modus quo iste sic eligendus in Papam decederet, & tunc Cardinales Italici per ipsum facti eligerent unum Papam Romanum vel Italicum. His bonis artibus Romani pervicere quod in consiliis eorum decretum erat. Nam licèt Cardinales non cogitarent de eligendo aliquo ex ea regione, immo Lemovices cuperent in hoc summo dignitatis gradu collocare Guidonem de Malesicco Cardinalem Pictaviensem aut Petrum de Sortenaco Vivariensem, uti suprà pag. 1010. dictum est, metus tamen mortis eos impulit ut nominarent Bartholomæum Archiepiscopum Barensem, quem aliàs nominaturi non erant. Tantus autem erat furor adeoque truculenta rabies eorundem Romanorum ut cùm sparsum esset in vulgus Cardinalem sancti Petri fuisse electum Papam, postea verò constitisset id falsò jactatum esse, seditionem de integro & tumultum popularem cum maxima vehementia concitaverint; tumque aliquorum Cardinalium, inter quos fuit Ioannes de Crosso, vita in magnum discrimen adducta est. Hujusce rei testem profero Stephanum Episcopum Tudertinum, qui fuit unus ex custodibus conclavis. In depositione itaque illius sic legitur: *Stantibus istis sic, & videntibus Romanis quòd Dominus sancti Petri non erat Papa, & jam dicebatur de Domino Barensi in populo & communiter, & clamabant, Non lo volemo, iverunt aliqui Romani, & fregerunt ostia campanilis sancti Petri, & pulsaverunt campanas ad sturnium ut omnes traherent & viderent quòd non habebant Romanum. Et tunc quatuor Cardinales, videlicet Lemovicensis, Pictavinsis, Vivariensis, & de Alvernio, projecerunt se per unam cameram de palatio in aliam cameram inferiorem, & fuerunt inventi per aliquos Romanos, & per aliquos officiales cum verbis & fortè verberibus fuerunt in palatium reducti.*

Primus omnium Ioannes iste nominavit Bartholomæum Archiepiscopum Barensem, & id quidem seriò & eo animo ut esset verus Papa, quemadmodum nonnulli tum tradidere. Sed id nos suprà pag. 1003. certis testimoniis ostendimus falsò jactatum fuisse. Dissimulavit tamen dolorem suum in ea rerum perturbatione donec aliqua spes ostenderetur fore meliùs. Itaque quum se occasio tulisset ut post electionem Bartholomæi, cùm sex Cardinales confugissent in castrum sancti Angeli, ageretur que de ea re inter eos qui tum erant in eodem castro, interrogatusque Petrus Cardinalis de Vernio qua ratione factum esset ut illum elegissent in Papam, iste verò respondisset illum non esse Papam, increpaverit eum Cardinalis Lemovicensis, monueritque ne ita liberè loqueretur. Istud ego legi in depositione Ioannis de Baro Subdiaconi Papæ his verbis: *Item quòd pòst de sero iverunt Cardinales sex ad castrum sub diversis habitibus. Et tunc, cùm quæreretur à Domino de Vernio qualiter elegissent illum in Papam, & dixit Dominus de Vernio quòd nihil fecerant nec erat ille Papa. Et tunc dixit Cardinalis Lemovicensis quòd Papa erat verus. Et tunc iterum dixit Dominus de Vernio quòd verè non erat Papa. Et tunc dixit Dominus Lemovicensis iterum quòd non dicebat bene, quia ponebat eos in periculo mortis, si ista diceret.* Eodem in loco objurgavit etiam fratrem suum Petrum Camerarium temerè & inconsultè loquentem. Etenim Alvarus Martini testatus est in depositione sua Agapitum de Columna, quem postea Vrbanus fecit Cardinalem, *de mandato Vrbani* ivisse *ad Cardinales qui erant in castro sancti Angeli ad sibi dicendum quòd venirent ad eum. Et cùm accessisset ad castrum sancti Angeli, quòd venit ad eum Camerarius Papæ frater Domini Lemovicensis quandam faeulam tenens in manu, & dixit sibi: Quid facit ille fatuus? Credit quòd sit Papa? Ita modicum est Papa sicut ego. Et tunc dixit Dominus Lemovicensis: Taeo, quia verus est Papa.*

Vrbanus verò qui electionem suam in tuto positam esse credebat, parum prudens, vir alioqui præcipitis animi & motæ interdum mentis, Cardinalem Lemovicensem à se abalienavit ob cruda quædam verba dicta adversùs Camerarium fratrem ejus. Petrus Roderici Canonicus Cordubensis interrogatus in causa schismatis refert hanc historiam his verbis: *Interrogatus super XC.* [articulo] *dixit quòd audivit quòd Archiepiscopus Arlatensis Camerarius illo tempore infirmitatis Papæ Gregorii, quasi in articulo mortis, quòd portaverat aliqua bona cameræ Papæ ad castrum sancti Angeli. Et post hæc vidit ad portam dicti Vrbani literas sigillatas, in quibus monebat dictum Archiepiscopum & Camerarium quòd usque ad certum terminum restitueret jocalia & bona papalis cameræ quæ apportaverat. Interrogatus super XCI. dixit se audivisse dici quòd dixerat Vrbanus Cardinali Lemovicensi quòd pro eo quòd Camerarius frater suus existens Anagniæ apportaverat prædicta, jam non poterat sustinere, & quòd intendebat procedere contra eum. Et audivit quòd propter hoc recesserat dictus Cardinalis de Roma discors à dicto electo.*

Frater Angelus generalis minister ordinis Minorum interrogatus super additione 32. casus primi electi dixit se audivisse *quòd semel dictus Barensis in consistorio privato surrexit*

de sede cum furia ad percutiendum Dominum Cardinalem Lemovicensem, nescit propter quam responsionem sibi factam, & quòd Dominus Gebennensis, qui nunc est Clemens, surrexit sicut mediator inter eos & dulcibus verbis dixit: O Pater sancte, ô Pater sancte, quid facitis? Et sic reposuit eum in sede. Item dicit audivisse à magistro Bartholomeo procuratore sui ordinis quòd dum semel in consistorio publico Dominus Lemovicensis ostenderet malum vultum obliqua facie propter aliqua quæ dictus Barensis loquebatur minùs prudenter, ut ipse credit, dictus Barensis facie turbata & verbis comminatoriis allocutus est Lemovicensem in hac verba vel similia: Lemovicensis, Lemovicensis, vertas faciem ad me, quia bene faciam quòd aliter stabis & diriges vultum tuum. Et Cardinalis qui stabat prope dictum Cardinalem Lemovicensem percussit eum cum brachio dicendo: Vertas te, vertas te ad Dominum nostrum.

Secessit ergo Ioannes Cardinalis Lemovicensis Anagniam mense Maio cum ceteris Cardinalibus. Qua occasione gravis adversùs eum objectio facta est. Etenim cùm is esset summus pœnitentiarius, certum est in literis ejus quæ in pœnitentiaria expediebantur expressum fuisse annum primum pontificatus Vrbani. Ex quo adversarii Cardinalium inferebant illum agnovisse electionem Vrbani esse bonam etiam eo tempore quo fuit in loco tuto. Hanc historiam reperi in multis testium depositionibus & in casu primi electi diviso per articulos. Non referam autem testimonia singulorum. Sufficiet unicum, sumptum videlicet ex eodem casu artic. 101. *Præfatus olim Cardinalis Lemovicensis existens summus Pœnitentiarius in Anagnia cum aliis tunc Cardinalibus nonnullas literas ad officium pœnitentiariæ spectantes suo sigillo authentico sigillatas ad diversas mundi partes directas scripsisset ponendo sub data Anagniæ pontificatus sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri Domini Vrbani divina providentia Papæ VI. anno primo.*

Hanc objectionem, quæ valida est, sic repulit Cardinalis Lemovicensis ut diceret noluisse se quicquam mutare in forma expeditionis literarum pœnitentiariæ donec sacrum collegium declarasset Vrbanum non esse Papam. Hanc verò responsionem sibi dictam fuisse à Petro de Luna testatur Fernandus Petri Decanus Tirasonensis: *Et dictus Cardinalis respondit sibi quòd ista quæstio jam fuerat mota inter Cardinales & quòd Cardinalis Lemovicensis responderat quod si ipse mandaret quòd dicta data non apponeretur in dictis literis pœnitentiariæ, jam videretur quòd ipse solus declarabat illum non esse Papam. Quæ declaratio non pertinebat ad eum, sed ad collegium. Et propter hoc non cessabat dictam datam ponere donec fieret dicta declaratio.* Eadem responsio reperitur in responsionibus ad rationes Anglicorum, in quibus sic scriptum est: *Hic agitur solùm de excusatione personæ, quia re vera hoc ad factum B. nihil infert. Excusatur autem, quia tunc Dominorum animi patefacti non erant, nec sibi tutum erat aliter facere, nec expediebat quòd solus statum B. hoc modo in dubium revocaret.*

Tandem ea declaratio Cardinalium emissa est die nona Augusti, & mox electio Clementis VII. subsecuta die XX. mensis Septembris. Hine manifestum schisma, Vrbano volente mordicus retinere dignitatem suam, Clemente suam, quæ canonico titulo in eum collata videbatur. Clemens ergo, ut Regem Francorum Karolum V. certiorem faceret de iis quæ malè ac perperam gesta erant Romæ, simul ut suam ei ordinationem probaret, ad eum misit hunc Ioannem de Crosso Cardinalem Lemovicensem. Extant in codice Harlæano literæ Cardinalium qui Avenione remanserant de istius & aliorum quorundam Cardinalium legatione, datæ die octava mensis Martii sequentis. In quo videtur mendum irrepsisse. Constat enim Cardinales Legatos diu ante diem illam profectos esse ad legationes suas, & Lemovicensem à Clemente digressum die ultima Decembris. Nisi si illi primò iverunt Avenionem, unde discesserint die octava Martii. Quod multùm probabile videtur. Etenim constat Cardinalem Lemovicensem advenisse Lutetiam in quadragesima anni millesimi CCCLXXIX. uti mox dicturi sumus.

Narrat enim continuator Gallicus Nangii Cardinalem Lemovicensem Legatum à latere venisse eo anno Lutetiam tempore quadragesimæ, missum à Papa Clemente, ut apud Regem edissereret quæ acciderant in electione Bartholomæi, deinde verò in electione Papæ Clementis. Addit illum honorificè exceptum esse à Rege, tum propter reverentiam ejus à quo mittebatur, tum etiam quia Rex eum diligebat. Cùmque legationis suæ causas Regi exposuisset, Rex ei diem condixit apud castrum Luparæ, ut ibi palam & publicè eloqueretur quæ habebat dicenda. Convocato itaque conventu plurimorum Principum, Prælatorum, Baronum, & magistrorum in theologia & decretis ac aliis scientiis Vniversitatis Parisiensis & aliarum, Rege sedente in magna aula Luparæ, Cardinale verò juxta eum, cùm iste cuncta per ordinem uti gesta erant enarrasset, narrationemque suam in periculum animæ suæ & secundùm conscientiam suam affirmasset esse veram, quippe qui testis erat locupletissimus in hac causa, cùm eorum pars magna fuisset, factum est ut auctoritate viri permoti qui aderant, scrupulum omnem dubitationemque, si qua erat, abje-

cerint, sedatis omnium conscientiis. Neque enim verisimile videbatur, addit idem continuator, virum tantum, ita doctum, de quo magna apud omnes erat opinio qui eum noverant, voluisse jacturam æternæ suæ salutis facere propter amorem aut odium hominis viventis. Afferam autem ipsa ejus verba. *Car il n'est pas veu vraysemblable que ung homme de telle autorité & de telle science, témoigné d'estre preud'homme de tous ceux qui le connoissent, si fut veulu damner pour ameur ne pour hayne d'homme vivant.* Quæ dein acta sint inter eosdem Regem & Cardinalem dictum est suprà pag. 1009. quum ageremus de Guillelmo de Agrifolio, neque ea isthic repeti nunc est opus.

Sanè adeo vera est ista observatio continuatoris Nangii ut etiam ii qui partes Bartholomæi fovebant, inimici propterea istius Cardinalis, coacti sint vi veritatis agnoscere illum fuisse virum rectæ conscientiæ. Extat enim in codice 811. bibliothecæ Colbertinæ scriptum Vualtheri de Argentina scriptoris pœnitentiariæ Domini Papæ, in quo exponit rationes quæ eum moverunt ad credendum Dominum Vrbanum Papam VI. esse verum Papam. Inter eas verò rationes istam ponit. *Item vidi quòd dicti Domini Cardinales ipsum Dominum Vrbanum Papam reputaverunt. Nam vidi quòd Dominus tunc Cardinalis Lemovicensis, qui reputatus fuit conscientia sua homo, non compulsus per aliquem, sed compatiendo eis, ut videbatur, in camera sua recepit supplicationes pauperum clericorum & plebeiorum, & eis absolutiones & dispensationes super casibus de quibus ipse potestatem seu auctoritatem sine speciali mandato Papa non habebat à dicto Domino Vrbano impetravit.*

Obiit Avenione anno MCCCLXXXIII. die XXI. Novembris, cùm plenariam omnium peccatorum suorum remissionem & indulgentiam accepisset auctoritate Clementis VII. ut legitur in relatione legatorum Regis Arragonum in causa schismatis in codice 812. bibliothecæ Colbertinæ: *Et axi mateix per testimonis se mostre que lo Cardenal de Limoges en sa mort confessa Papa Clement esser ver Papa, & per auctoritat & en se d'aquell pres absolucio.*

BERTRANDVS DE COSNACO] Facilè in hoc loco peccant scriptores historiarum nescientes discrimen quod intercedit inter gentem de Cosnaco & inter gentem de Chanaco. Vtraque pertinet ad inferiorem tractum provinciæ Lemovicensis. Verùm ea quæ à Cosnaco nomen habet sedem habuit IV.M.P. à Briva. Ea quæ de Chanaco dicebatur, paulò illustrior, in vico Alassaco degebat, uti postea dicemus. Puto autem gentem de Cosnaco prorsùs interiisse. Nam cùm diù multùm- que rogaverim illos qui se ex ea prognatos putant ut mihi documenta suæ opinionis subministrarent, cùm id non fecerint, manifestum est eos defecisse in probatione.

Iste Bertrandus videtur fuisse filius Guillelmi de Cosnaco, qui vocatur Domicellus & Locumtenens Vicecomitis Turenensis in literis Mathæ Comitissæ Convenarum & Vicecomitissæ Turenensis anno MCCCXXXVI. editis inter probationes historiæ Turenensis pag. 83. & in compoto Ioannis de Boboleno, cujus suprà pag. 993. facta est mentio, de pecuniis receptis anno MCCCXXXIX. in seneschallia Petragoricensi & Caturcensi pro contractibus usurariis & pro transgressionibus ordinationum regiarum super cursu monetarum.

Institutum Canonicorum regularium ordinis sancti Augustini arripuit in Ecclesia Brivensi; & mox Tolosam, ut arbitror, missus daturus operam studiis literarum, illic factus est Doctor decretorum. Fuit autem etiam Prior ejusdem Ecclesiæ Brivensis anno millesimo CCCXXVII. ut fidem facit vetus instrumentum editum inter easdem probationes pag. 83. Ex quo facile est emendare errorem qui irrepsit in bullam quandam Ioannis XXII. editam à Vvaddingo to. 3. in regesto pag. 225. ubi malè vocatur Bertrandus de Caimaco. Eo porrò in munere successorem habuit Petrum de Cosnaco, nepotem fortè suum, postea Episcopum Tutelensem, ut patet ex quarta vita Vrbani V. pag. 419.

Postea factus est Episcopus Convenarum. De anno non constat. Arnaldus Oihenartus, qui tres ex isto Episcopos facit, exordia pontificatus illius refert ad annum MCCCLIII. & sedisse ait in ea cathedra annis aliquot sequentibus. Sammarthani scribunt gessisse illum Ecclesiam Convenarum ineunte anno millesimo CCCLII. liquero ex transactione inita eo anno die XXVII. Ianuarii inter Petrum de Mirepoix & Arnaldum d'Anton. Ego verò reperio in literis Mathæ Comitissæ datis anno MCCCLII. die XII. mensis Decembris Bernardum, pro quo fortassis reponendum est nomen Bertrandi, fuisse tum Episcopum Convenarum. Extant illæ inter probationes historiæ Turenensis pag. 91.

Anno MCCCLVI. die prima mensis Iulii erat Avenioni, ut patet ex transactione tum inita inter Capitulum Ecclesiæ cathedralis Avenionensis & cives Tarasconenses, quam vidi in regesto anni sexti pontificatus Innocentii VI.

Eodem anno exeunte missus est Nuncius apostolicæ sedis in Hispaniam. *Bzovius anno 1356. §. 13. Odericus Raynaldus anno eodem §. 37.*

Ex

Ex ea legatione redux Avenione erat anno MCCCLXIV. die XXVI. mensis Maii cùm ageretur de executione testamenti Hugonis Rogerii Cardinalis Tutelensis, qui istum Bertrandum nominaverat inter ceteros executores ejusdem testamenti, & anno MCCCLXVIII. interfuit Concilio Vaurensi trium provinciarum, quod à nobis editum est in codice Conciliorum Galliæ Narbonensis.

Anno MCCCLXX. Vrbanus V. eum rursum misit in Hispaniam. *Surita lib. 3. Indicum, Bzov. an.* 1370. §. 10. 1371. §. 13. *Raynaldus an.* 1370. §. 18. 1371. §. 4.

Anno MCCCLXXI. die sexta Iunii, cùm adhuc esset in legatione Hispanica, Gregorius XI. illum adlegit in sacrum Cardinalium collegium; ac tametsi moris non esset ut pileus rubeus cuiquam nisi pontificia manu daretur, illum tamen Gregorius ad Bertrandum misit per Arnaldum Andreæ Subdiaconum Burdegalensem. Vide Notas nostras ad Concilia Galliæ Narbonensis pag. 60.

Quamvis autem factus fuisset Cardinalis, quamvis pileum rubeum accepisset, nondum tamen titulum habebat, quia tituli non dantur nisi præsentibus. Itaque erat tantùm Presbyter Cardinalis, & vulgò vocabatur Cardinalis Convenarum. Sic enim nominatur in concordia de qua mox dicturi sumus & apud Suritam & Marianam, qui scribunt Cardinalem Convenarum prid. Non. Ianuarii anni millesimi CCCLXXII. effecisse uti Reges Castellæ & Arragonum, inter quos magnæ erant controversiæ, earum arbitrium Romano Pontifici permitterent. Quo loco vir illustrissimus Ludovicus Donius D'Attichy Episcopus Æduensis in to. I. hist. Cardinalium pag. 375. Marianam arguit oscitantiæ manifestæ quòd dixerit Cardinalem Convenarum, quem anno MCCCXLVIII. vel sequenti extinctum esse air, appulisse anno MCCCLXXI. in Arragoniam, illuc à Gregorio XI. missum pro pace stabilienda inter Arragoniæ & Castellæ Reges & Iacobum Balearium è custodia emissum. In hunc errorem prolapsus est illustrissimus Episcopus quia nesciebat alium ea tempestate fuisse Cardinalem Convenarum præter Ioannem de Convenis.

Eadem tempestate Cardinalis Convenarum sedavit graves controversias quæ erant inter Petrum Regem Arragonum & clerum Cataloniæ occasione immunitatum ecclesiasticarum, quas à Rege violari contendebant Archiepiscopus Tarraconensis & ceteri prælati illius provinciæ. Extat adhuc illa concordia inita Barcinone anno MCCCLXXII. inter Cardinalem Convenarum & Eleonoram Reginam, penes quam potiùs quàm penes maritum inerat vis imperii. Tanta est autem etiamnum illius concordiæ auctoritas ut hodieque observetur in Catalonia & in volumine constitutionum sive juris municipalis illius provinciæ ferè tota descripta sit è Latina lingua in Catalanicam versa. Nos illam Latinè, uti conscripta primò fuit, edidimus in appendice Conciliorum Galliæ Narbonensis pag. 185. Vide Odoricum Raynaldum an. 1372. §. 27.

Eo insigni opere patrato Cardinalis Convenarum se in viam dedit profecturus Avenionem, quò pervenisse eum die septima Iulii sequentis scriptum est in libro obligationum. Tum verò datus ei est titulus sancti Marcelli, ut patet ex testamento Gregorii XI. edito in tomo sexto Spicilegii Dacheriani. Vacaverat autem paulò antè titulus ille per obitum Ioannis Fabri, qui extinctus erat die sexta Martii.

Ipse obiit Avenioni anno MCCCLXXIV. die XVIII. Iunii, & apud Prædicatores sepultus est, ut scribit Claudius Robertì.

BERTRANDUS LATGERII] Hoc est verum ejus nomen. Et tamen Clemens VI. in bulla qua eum præfecit Ecclesiæ Adiacensi, quæ edita est à Vvaddingo, illum vocat Bertrandum Eschatpiti. Quæ discrepantia nominum sic turbavit Auberyum ut existimaverit Vvaddingum confudisse per errorem Bertrandum Lagerii Episcopum Glandatensem cum Bertrando Eschatpiti Episcopo Adiacensi & Assisinate.

ALVERNIGENA] Onnphrius Panuinius in secunda epitome nullam mentionem facit regionis è qua Bertrandus fuit oriundus, sed illum vocat simpliciter Bertrandum Lagerium de Figiaco. Ex quo orta est vulgatium quorundam scriptorum sententia, qui Onnphrium fati coegerunt ea de quibus opinor nunquam cogitaverat. Ex ejus enim verbis collegerunt hunc Cardinalem natum esse in oppido Figiaco, quod est in Cadurcis. Sanè Cadurci sunt finitimi Arvernis, & Figiacum est in limite utrorumque populorum. Fieri autem facilè potest ut is vitam discipulorum sancti Francisci professus sit in conventu Figiacensi, in quo etiam Bertrandus de Turre Cardinalis emiserat similem professionem. Proclive igitur fuit illi ex quo Panninius sua accepit eum cognominare de Figiaco, non à loco originis, sed à conventu in quo vestem fratrum Minorum induerat.

Doctorem theologiæ fuisse constat. Quare non absurda conjectura erit, si quis dixerit eum theologiæ lectorem fuisse in conventu Montispessulani. Vvaddingus enim anno 1344. §. 9. ex Matiano refert per ea tempora Bertrandum quendam fuisse lectorem Montispessulani.

Anno MCCCXLV. XII. Kal. Iulii Clemens VI. eum præfecit Ecclesiæ Adiacensi vacanti per mortem Manfredi. *Vvadding. anno* 1345. §. 8. Rexit autem Ecclesiam illam us-

que ad annum MCCCXLVIII. quo idem Clemens illum transtulit ad Ecclesiam Assisiensem. *Idem an.* 1348. §. 9. Demum evasit Glandatensis anno MCCCLXVIII. *Idem an.* 1368. §. 7.

Qua tempestate præerat Ecclesiæ Glandatensi, principalem cathedram suæ parrochiæ utplurimùm negligebat, majoremque anni partem extra eam transigebat. Testem hujus rei habemus ipsummet Bertrandum; de quo refert in depositione sua Didacus Martini de Vrduña Canonicus Toletanus *quòd die dominica sequenti post mortem Gregorii, cùm esset iste testis in sancta Cæcilia in Missa Cardinalis Glandatensis, finita Missa accesserunt ad dictum Cardinalem extra Ecclesiam in curtali, ut sibi videtur, quasi trecenti Romani vel plures Transtyberini, ut dicebatur, de parrochia sanctæ Cæciliæ, & unus nomine omnium dixit: Pater noster, salvet te Deus. Nobis dictum est quòd sanctissimus Papa Gregorius obiit. Rogamus te sicut tui filioli quòd tu & alii Cadinales velitis eligere Papam Romanum vel Italicum. Et non nominamus tibi istum vel illum, sed sit Romanus vel Italicus: quia civitas ista viduata fuit Papa à LXVIII. annis, & à quot annis citra non recordatur. Et respondit Cardinalis Glandatensis quod non bene faciebant rogare quòd eligerent Romanum vel Italicum, sed debebant rogare Deum quòd Cardinales eligerent talem personam qui esset ad servitium Dei & sanctæ Ecclesiæ, sive esset Gallicus, vel Hispanus, aut undecunque. Et sibi replicavit ille qui loquebatur pro eis, & dixit quòd si nolebant eligere Romanum vel Italicum, non debebat vocari curia Romana, sed Avinionensis, vel unde sibi placeret. Respondit Cardinalis quòd Papa Romanus erat totius mundi & mundus cedebat sibi pro diocesi, & poterat morari ubi vellet, & propter hoc non desinebat esse Papa Romanus. Nam ipse fuit Episcopus Glandatensis, & morabatur extra civitatem in sua diocesi pro majori parte anni, & propter hoc non desinebat se vocari Episcopum Glandatensem. Et fuerunt multa alia inter eos. Et ille qui loquebatur pro aliis dixit: Dicam tibi veritatem. Francia suxit Romam & Italiam à tempore mortis Bonifacii Papæ. Et nos volumus modò fugere Franciam. Et in hoc Cardinalis ascendit cameram suam, & alii recesserunt.*

Anno MCCCLXXI. adlectus est à Gregorio XI. in sacrum Cardinalium collegium, dictus vulgò Cardinalis Glandatensis. Habuit autem titulum Presbyteri Cardinalis sanctæ Cæciliæ. Idque certissimum est, totque testimoniis confirmari potest ut inutile videatur in hoc tempus insumere. Adferam tamen unum locum, qui rem ponet extra omnem controversiam. Extat ille apud Odoricum Raynaldum an. 1378. §. 73. ubi cùm in Facto Vrbani VI. misso ad Regem Castellæ enumerentur Cardinales qui post Gregorii XI. mortem purpuratorum cœtum componebant, inter eos sic recensetur iste: *Bernardus tituli S. Cæciliæ vulgariter dictus Glandacensis.* Vbi pro *Bernardus*, quod est mendosum, legendum esse *Bertrandus* certum est, & præterea confirmatur ex codice Harlaano, in quo idem Factum habetur descriptum.

Onuphrius Panuinius eundem titulum illi tribuerat in prima epitome. quod mutavit in secunda. Postremam ejus sententiam, ac si certa esset, ita amplexi sunt qui postea de rebus istis scripsere ut Augustinus Oldoinus non sit veritus scribere amanuensium errore factum videri ut is vocetur Cardinalis sanctæ Cæciliæ loco sanctæ Priscæ in literis quas Cardinales qui Vrbanum VI. elegerant scripserunt ad Cardinales absentes. Hanc tamen Oldoini conjecturam esse vanam & inutilem certò certius est.

Sed adversùs ista non inutiliter opponi potest bulla Gregorii XI. descripta apud Vvaddingum an. 1373. §. 16. cui insertæ sunt literæ ejusdem Cardinalis Bertrandi, utrobique autem ei tribuitur titulus sanctæ Priscæ. Præterea extant inter probationes historiæ Cardinalium Gallorum pag. 452. literæ istius Cardinalis, in quibus ipse se vocat Cardinalem sanctæ Priscæ. Ex quo certò colligi debere videtur hunc fuisse verum titulum ejus. Quoad postremas istas Bertrandi literas, ambigi non potest quin sint falsæ; idque multis argumentis probari potest. Nam primò datæ dicuntur Avenioni anno MCCCLXXVIII. Idibus Maii. Quo tempore certum est illum fuisse in Italia. Præterea subscribit ut Presbyter Cardinalis. Quod non fecisset tum, cùm certò constet illum ab Vrbano VI. factum fuisse Episcopum Ostiensem mense Aprili ejusdem anni. At inquies errorem aliquem esse in nota anni, & illum sic emendandum esse ut referatur ad annum sequentem. Sed ne id quidem verum esse potest. Tum enim Bertrandus, qui Clementem VII. elegerat eumque secutus fuerat in Galliam Narbonensem, non nominasset Vrbanum Pontificem maximum, sed Bartholomæum Barensem intrusum in papatu, ac præterea subscripsisset tanquam Episcopus Ostiensis. Major profectò est difficultas in literis editis à Vvaddingo. Etenim cùm eas constet accusari non posse falsitatis, cùm extent in regesto Gregorii, editæ à Vvaddingo, certum videri debet Bertrandum istum verè fuisse Cardinalem sanctæ Priscæ. Quæ repugnantia sic mihi tolli posse videtur ut dicamus illum habuisse primò hunc titulum, sed postea commutasse cum titulo sanctæ Cæciliæ. Constat enim, ut dixi,

illum vocatum fuisse Cardinalem sanctæ Cæciliæ eo tempore quo Gregorius XI. fuit in Italia.

Anno MCCCLXXII. cùm Gregorius Papa Thomam ministrum generalem ordinis fratrum Minorum constituisset Patriarcham Gradensem, Bertrandum Cardinalem instituit vicarium ejusdem ordinis. *Vvaddingus anno* 1372. §. 16. 1373. §. 16.

Tradit Ciaconius illum à Gregorio XI. in Hispaniam fuisse ablegatum. Postea Frizonius pag. 395. addidit missum ab eo fuisse ad Regem Castellæ Ioannem hujus nominis primum post aliquot annos mortuum casu equi. Quod ferri nullo modo potest, cùm Ioannes non fuerit Rex vivo Gregorio, sed post conflatum schisma. Error est Ciaconii, qui historiam quæ pertinet ad Bertrandum de Cosnaco transtulit ad Bertrandum Lagerii. Quod cùm alii pridem observaverint, miror Oldoinum ita parum diligentem ac cautum fuisse ut etiam post illorum admonitionem scriberet hunc Bertrandum Lagerii legationis munere in Hispania functum esse ad Regem Castellæ Ioannem hujus nominis primum.

Anno MCCCLXXVI. comitatus est Gregorium XI. proficiscentem in Italiam. Adnotat autem Boninsegnius pag. 583. orta tum tempestate fractam fuisse ad Talamonem triremem Ioannæ Reginæ Neapolitanæ qua vehebatur Cradinalis ordinis fratrum Minorum, id est, Glandatensis, quem Petrus Amelii de Brenaco testatur post diem XVI. Novembris multùm fuisse jactatum pelago. Hæc sunt ejus verba:

O pelagus infidele, neminem revereris, nec ulli parcis.
Fluctus tuos nimis acerbè elevas, inflavit te ventus aquilonaris.
Domnus Glandacensis in Thalamo patitur tuis lymphis.

Pervenere tandem Romam, conjuratis adversùs ipsos ventis, tanquam si portenderent Romanos, qui promissis ingentibus pellexerant Gregorium ad suscipiendum illud iter, fidem mutaturos postquam eum in sua potestate haberent. Cùm enim postea vir sanctissimus ad mortem tenderet, Romani varia consilia agitare, quærere inter se quonam modo, quibus artibus retinere possent summum pontificatum, quo se privatos querebantur per septuaginta & ampliùs annos. Tum eo mortuo, palam fremere, petere pro imperio Papam Romanum aut Italicum; sin minùs, intentare mortem Cardinalibus, quos minabantur se in frusta concisuros. Si quis ista neget, si quis novus Odoricus Raynaldus exoriatur, ego cum Melicerta ericiamabo perstrictè frontem de rebus. Sed veniamus ad rem ipsam.

Extincto, uti diximus, Gregorio, cùm tumultuanrium strepitus & ululatus omnia terrore complevisset, jamque certum esset vim illatum iri Cardinalibus, Bertrandus Cardinalis Glandatensis, quò se muniret adversùs ingruentem tempestatem, protestationem ededit die Martis quæ antecessit electionem Vrbani, qua contestatus est se, si necessitas ingrueret eligendi Italici, id facturum metu mortis, aliàs non facturum. Hujusce rei testes habemus locupletissimos. Primò enim Fernandus Petri Decanus Tirasonensis istud jurejurando testatus est in depositione sua his verbis: *Item dixit quòd audiverat Anagniæ à dicto Domino suo Cardinali de Luna quòd dictus Cardinalis Glandatensis antè quàm intrasset conclave protestatus fuerat quòd si fortè repertum esset quod ipse consentiret in Italicum, hoc faceret solùm propter timorem mortis, cùm non esset intentio sua eligere Italicum. Tamen non recordatur se audivisse quòd in hac protestatione exciperet Cardinales Italicos. Et dictus testis existens Barchenona cum Domino suo Cardinali prædicto vidit instrumentum publicum istius protestationis.* Idem testatut quidam contubernalis Petri Cardinalis de Luna in codice 812. bibliothecæ Colbertinæ: *Et el Cardenal de Glandeves, qui secretament avia protestado que no entendia consentir en Italiano sinon por miedo de los Romanos.* Item Marchus Fernandi Abbas de la Vanza in Ecclesia Palentina sic de facto isto deposuit juratus: *Item dixit quòd audivit post festum sancti Iohannis de mense Iulii, Anagniæ in domo Cardinalis Glandatensis ab aliquibus suis familiaribus, de quibus non recordatur, dicentibus se credere quòd dictus Cardinalis eorum dominus fieri fecerat unum publicum instrumentum die Mercurii antequam intrarent conclave quòd si aliquem eligeret in illo rumore, quòd non habebat eum pro electo.* Denique ipse Bertandus, cùm in tumultu Romano amisisset illam protestationem, eam postea in fine ejusdem anni iisdem testimoniis confirmavit coram quibus primò facta fuerat. Extat enim in codice Harlæano publicum ea de re instrumentum, quod nos infrà suo loco daturi sumus.

Et tamen inventi sunt postea viri audaces qui publicè dicerent ac scriberent Cardinalem Glandatensem, quia Bartholomæi Barensis amicus erat, cogitasse de illo eligendo etiam antè quàm in conclave ingrederetur, idque ipsum eidem Bartholomæo dixisse ante ingressum conclavis. Testatur istud beatus Vincentius Ferrarius in tractatu de moderno Ecclesiæ schismate par. 1. cap. 2. ubi interim observat illud esse confictum & mendacium manifestum. Hæc sunt ejus verba: *Primò enim dicunt aliqui quòd ante prædictam impressionem Romanorum duo vel tres de Dominis Cardinalibus prædixerunt aliquibus quòd dictum Bar-*

tholomæum eligerent ad papatum, imò, ut dicunt, quòd semel ante illam impressionem Dominus Glandatensis dixit dicto Bartholomæo: Etsi modò estis minor me, tamen citò eritis meus dominus & magister. Et sic viderent quòd jam Domini Cardinales deliberassent ipsum eligere ad papatum, & per consequens non fuerunt ad hoc inducti per metum. Sed hæc omnia sunt ficta & mendacia manifesta. Extat hoc beati Vincentii opus in codice 815. bibliothecæ Colbertinæ. Ad quam historiam referenda sunt hæc verba ex oratione Francisci de Vrbino Episcopi Faventini ad Regem Castellæ Ioannem in celeberrimo illo conventu Medinensi: ubi loquens de discidio Cardinalium inter se ante ingressum conclavis, dum alii vellent eligere Lemovicem, alii contradicerent, cùm dixisset Lemovices decrevisse vota sua conferre in Bartholomæum Archiepiscopum Barensem, idque liquere *ex publica fama nunc & tunc in Romana curia vigente*, addit: *Item patet per literam Domini Glandatensis scriptam per tres dies ante ingressum conclavis, cujus copiam habere debet pater meus reverendus Dominus Infans Petrus de Aragonia.* Ad hanc literam respicere videtur Alvarus Gundissalvi Canonicus Cordubensis in depositione sua, ubi sic legitur: *Dixit quòd audivit die Veneris post factam electionem ab aliquibus Gallicis, de quibus non recordatur, quòd antequam Cardinales intrassent conclave, Cardinalis Glandatensis miserat unam cedulam Archiepiscopo Barensi, in qua continebatur quòd ante multos dies eum haberet in dominum & magistrum & quòd haberet eum recommendatum.* Præterea Thomas de Acervo Episcopus Lucerinus in depositione sua sic loquitur de Cardinale Glandatensi: *Item cùm ipsi Domini Cardinales diversa consilia tempore vacationis papatus in sancta Maria nova, ubi omni mane celebrabant exequias seu novenam Domini Gregorii, super eligendo Romano Pontifice Romano vel Italico, nominarunt in illis consiliis multos & diversos Prælatos Romanos & Italicos, inter quos principaliùs nominaverunt Dominum Bartholomæum Archiepiscopum Barensem, qui tunc regebat cancellariam, & in tantum processerunt ad ipsius nominationem quod unus ipsorum Cardinalium, scilicet Glandatensis, dixit secretè ipsi Thomæ in sancta Maria: Domine Thoma, dicas secretissimè Domino Archiepiscopo Barensi quòd ista nocte veniat ad me, quia habeo sibi aliqua bona loqui. Qui Thomas dixit hoc Domino Barensi, & de sero sociavit eum ad dictum Dominum Cardinalem. Qui Cardinalis fuit cum ipso secretè locutus. Et præsumpsit ipse Thomas quòd aliquid revelaverit Cardinalis ipsi Domino Barensi de his qua agebant in consiliis super assumendo Romano Pontifice.* Et infrà: *Item Cardinalis Glandatensis conquerebatur fortiter etiam ipsi Thomæ sibi multùm domestico dicendo: Domine Thoma, dixi vobis sæpe quia ego fui unus de illis qui tractavimus ut eligeremus eum in Papam, & ipse non vult dare unum beneficium nepoti meo.* Sed hæc omnia esse ficta & mendacia manifesta patet non solùm ex assertione beati Vincentii Ferrarii, sed etiam ex multis aliis testimoniis, præcipuè verò ex protestatione de qua dictum est suprà, & ex eo quòd idem Glandatensis sæpe testatus est se Bartholomæum elegisse metu mortis. Adde testimonium ipsius Cardinalis Glandatensis, qui in sua conscientia juravit quòd ipse *afficiebatur ad illum B. & adhæsisset sibi, si fuisset verus Papa, quia diligebat ille B. istum, & promittebat sibi multa, & dicebat quòd dimitteret sibi unum consobrinum suum & eum promoveret; sed iste Cardinalis noluit, quia novit & scit pro certo quod est intrusus & non verus Papa.* Adde præterea testimonium Ioannis Episcopi Castrensis, in cujus depositione ista leguntur: *Item dixit prædictus testis quòd in vigilia coronationis istius Vrbani venerunt ad dormiendum in domo sua Dominus Glandatensis & Dominus de Vernio, & tota nocte deridebant de isto negotio. Et cùm ibi starent, venit Dominus Florentinus ut ibi dormiret, & scivit quomodo isti alii Domini erant intus, & noluit intrare. Et ivit ad domum Domini Iohannis de Baro. Et iste*, id est, Episcopus Castrensis, ne quis ea per errorem referat ad Ioannem de Baro, *ivit ad prædictum Florentinum ut veniret ad domum suam, quia habebat bonam cameram pro eo. Et ipse dixit quòd non, quia bene stabat pro illa nocte, & cras faciemus istas fatuitates quas debemus facere. Et ipse respondit: Quomodo Domine? Certè quia nihil est totum quod fecimus.* Ceterum antè quàm iret in eam domum, post egressum è conclavi, confugit ad ædes fratrum Minorum Trans Tyberim, ubi eum latitasse docet frater Angelus minister generalis ordinis fratrum Minorum in epistola ad Regem Castellæ: *Et Dominus Hostiensis latitavit me vidente & præsente in loco fratrum Minorum Trans Tyberim propter incredibilem seditionem, furorem populi, & tumultum.*

Multum laborem sustinuisse eum ceterosque Cardinales in die coronationis Vrbani fidem facit Garsias electus Auriensis interrogatus circa casum secundi electi. Ait enim *quòd dixerat sibi Cardinalis Glandatensis sequenti die post coronationem, cùm quæreret ipse ab eo, Quomodo accidit vobis, Domine, magnum laborem sustinuistis heri, & ipse respondit sibi: Si non fuissent gallina & refectio & bonum vinum quod dederat nobis Dominus noster Papa in sancto Iohanne Lateranensi, malè successisset nobis.*

Elegit ergo eum aliis Bartholomæum Archiepiscopum Barensem, ejus inthronizationi & coronationi interfuit, ei reverentiam exhibuit, & cetera peregit quæ à Cardinalibus peragi consueverunt erga Pontificem Romanum canonicè electum & vice Christi præsidentem. Immo episcopatum Ostiensem, ut ei toties objectum est ab Vrbanistis, accepit ab Vrbano, & in curia ejus se gessit ut Episcopus Ostiensis. Scriptum istud est in Facto misso ad Regem Castellæ per Bartholomæum apud Odoricum Raynaldum an. 1378. §. 99. & in Facto Iacobi de Seva misso ad Vniversitatem Parisiensem to. 4. histor. Vniversitatis Parif. pag. 504.

Istud ipsum legitur in depositione seu informatione data per Episcopum Reatinum his verbis: *Item unus ex eis, videlicet Cardinalis Glandatensis, post multam ipsius importunamque instantiam, vacante episcopatu Hostiensi, de consilio & assensu Dominorum Cardinalium provisus & prenuntiatus extitit Episcopus Hostiensis, ipsiusque possessionem per se ipsum accedens ad Ecclesiam Hostiensem & ad Veletrensem sibi unitam pacificè assecutus est, & ut Episcopus Hostiensis ordinationes tam in curia quàm in Ecclesiis predictis celebravit, seque Hostiensem Episcopum, etiam dum fuit in Anagnia, scripsit & nominavit.*

Sed sciendum est Gregorium X I. verbo dedisse episcopatum Ostiensem huic Bertrando, sed rem imperfectam remansisse propter ejus mortem, peractam verò fuisse ab Vrbano. Testatur istud ipse Bertrandus in depositione sua: *Item dixit quòd Papa Gregorius felicis recordationis dedit isti episcopatum Ostiensem, quem habet, verbo, & parabat se ad arengam, sed obiit, licèt ille B. fecerit solemnitatem.*

De accessu ejus ad civitates Ostiensem & Veletrensem sic scriptum est in depositione Ioannis Episcopi Castrensis: *Item dixit quòd Dominus Hostiensis, scilicet Dominus Glandatensis, debebat celebrare sacros ordines, & absentavit se ab urbe, & ivit Hostiam, & celebravit ordines quidam frater Minor, qui erat Episcopus Literensis.* [Is erat Robertus de Castello-Moro, haud dubiè è loco vocato *Castel-Maurou* prope Tolosam, factus Episcopus Literensis ab Vrbano V.] *Et iste testis fuit cum predicto Domino Cardinale in Hostia. Et dicit quod in via petivit ab eo quis erat Papa, & ipse respondit: Certè si Barensis fuerit prudens & sciverit facere, poterit esse Papa. Et tunc non dixit et plus. Et postea venerunt Romam. Et per aliquos dies preteritos oportuit quod predictus Cardinalis faceret sacram de Prelatis in urbe; & libenter se voluerat excusare, set non potuit, & fecit. Et postea dicit quòd iverunt Veletrum, que est civitas cum Hostia. Et predictus testis quæsivit diligenter affectuosè à predicto Domino Cardinali si iste Vrbanus erat Papa vel non. Et ipse dolendo satis & excusando se quòd non faciebat mala intentione, nisi in veritate, respondit ei quòd non erat Papa. Verum est quòd dixit ei predictus Dominus Cardinalis quòd omnes Cardinales intendebant ad evitandum scandalum, si fuisset aptus, quando fuissent in Anagnia, ipsum eligere; sed habebant ipsum tanquam fatuum, quia jam cognoscebant eum qualis erat, & nullo modo erat aptus ad gubernandam Ecclesiam: & sic dixit quòd non erat Papa.*

Ea tempestate consecravit Episcopum Giennensem. Qua de re cùm multi testificati sint, adferam ego tantùm testimonium Alvari Martini. Sic ergo loquitur: *Post hec vidi quòd Dominus Giennensis volebat suam consecrationem differre ex aliquibus causis. Cui dixit Dominus Gebennensis quòd statim consecraretur, & ipse eta velebat & mandabat. Nam si tunc non fieret consecratio predicta, talia sciebat succedere in futurum quòd ejus consecratio impediretur. Cui acquievit Dominus Giennensis. Et consecratus est à Domino Glandatensi, qui factus fuit Hostiensis per Vrbanum, & de ejus mandato generalem fecit consecrationem, ibi presente Domino Gebennensi, qui sibi fecit prandium & festum.*

Quamvis autem in superioribus observatum sit aliqua esse testimonia quæ ostendunt Vrbanum multa fecisse in gratiam istius Bertrandi ergaque eum se amicè ac benevolè habuisse, alia tamen sunt multùm diversa. Etenim constat eum primò difficilem se præbuisse in causa episcopatus Ostiensis, ut testatur in depositione sua frater Nicolaus Cardinalis: *Item dicebatur quòd Dominus Glaudatensis erat infestus Domino pro episcopatu Ostiensi, quem postea obtinuit.* Ex depositione verò Nicolai Martini Archidiaconi Salamantini liquet eundem Vrbanum se contumeliosè habuisse erga Bertrandum eo ipso tempore quo episcopatum Ostiensem in eum contulit. Hæc sunt verba Nicolai: *Item scit quòd dedit episcopatum Hostiensem Cardinali Glandatensi. Et audivit quòd ipsa die Papa fecit unum sermonem, in quo laudavit multùm dictum Cardinalem. Et pòst ipsa die omnes Cardinales fuerunt pransi cum eo, ut audivit iste testis. Et post prandium in collatione vituperavit dictum Cardinalem Glandatensem. De quo fuerunt malè contenti Cardinales.* Quare cum ratione observatum est à Vvaddingo in libro de scriptoribus ordinis Minorum pag. 60. Vrbanum VI. in pontificatus auspiciis hunc Cardinalem semper habuisse invisum.

Tandem, cùm ceteri Cardinales ultramontani Vrbanum reliquissent solum in urbe Roma, seque contulissent Anagniam, Bertrandus quoque illuc eos secutus est. Adnotatum est au-

tem à veteribus illum postremum omnium discessisse. Alvarus Martini in depositione sua: *Medio autem tempore Cardinales ibant Anagniam singulariter vel conjunctim, ut meliùs poterant, sub prætextu comedendi ibi provisiones suas, in tantum quòd de non Italicis non remanserunt Romæ circa festum sancti Iohannis nisi Dominus Gebennensis, qui fuit antepenultimus, & Dominus de Aragonia, qui fuit penultimus, & Dominus Glandatensis, qui fuit ultimus, pro eo quòd iverat suum titulum visitatum.* Item Fernandus Petri Decanus Tirasonensis: *Vltimus Cardinalis qui recessit de Roma fuit Glandatensis.* Garsias electus Auriensis *dixit quòd ipse ivit cum Cardinali Glandatensi, qui fuit ultimus ultramontanorum qui iverunt Anagniam.*

Sed audaciæ plenum est quod legitur in depositione Bonaventuræ Cardinalis de Padua, hunc Bertrandum meditatum ea tempestate secessionem à reliquis Cardinalibus & rediturum fuisse ad Vrbanum, nisi impeditus ab iis fuisset. Hæc enim nullo modo cohærere possunt cum iis quæ suprà dicta sunt de Bertrando, ex quibus certò colligitur illum fuisse animo valde abalienato à partibus Vrbani. Integrum Bonaventuræ testimonium referemus infrà cùm agemus de Petro de Luna.

Constituti igitur apud Anagniam Cardinales, cogitantes de modo quo res ad concordiam adduci possent simulque ordo reduceretur in Ecclesiam, Cardinales Italos ad se evocarunt, uti cum eis consultarent quid è republica esset, quid facto opus esset. Cùm autem illi ad eos venissent, testatus est Cardinalis Glandatensis se & Cardinalem de Vernio faciles suffragia sua collaturos in Cardinalem Florentinum ut esset Papa. Extat ejus ea de re testimonium suprà pag. 1049. nec illud istic repeti opus est. Electus est tamen Robertus Cardinalis Gebennensis, Clemens VII. vocatus. Hunc ergo secutus est Bertrandus Cardinalis sanctæ Cæciliæ, ab eo postea donatus episcopatu Ostiensi, cujus appellationem abjecerat eo tempore quo Cardinales declararunt Vrbanum intrusum in papatu, ut rectè observatum est in secunda epitome Onuphrii Panuinii. Adde auctoritatem Petri de Barreria Cardinalis Æduensis, qui in tractatu tum edito adversùs Ioannem de Lignano pag. 546. ait eos qui dignitates acceperant ab Vrbano, eis renuntiasse cùm fuerunt in plena libertate, & eas sibi de novo conferri procurasse, nimirum à Clemente.

Anno MCCCLXXXIX. Kal. Novembris inunxit Ludovicum I. Regem Siciliæ & Ducem Andegavensem. Extant acta in miscellaneis curiosis Philippi Labbei pag. 640. & in probationibus historiæ Karoli VI. Regis Francorum pag. 567.

Ei à sede apostolica assignata fuit pensio annua centum quinquaginta florenorum auri super redditibus capituli Ecclesiæ Vaurensis, ut patet ex quodam instrumento confecto apud Avenionem anno MCCCXC. die XVII. Maii, quòd extat in archivo ejusdem Ecclesiæ Vaurensis.

Obiit Avenione anno MCCCXCII. VI. Idus Novembris, sepultus apud fratres Minores. Vvadding. an. 1371. §. 11. Rectè. Etenim in excerptis ad nos missis ex libro obligationum archivi Vaticani notatur obiisse die octava Novembris. Et tamen Contelorius, ex libro itidem obligationum, scribit eum obiisse die XV. Novembris.

IACOBVS DE SEVA.

Res postulare videtur ut quoniam inter cetera quæ de Cardinale Glandatensi diximus, in testimonium etiam adduximus Factum quod in codice 842. sancti Victoris Parisiensis tribui videtur Iacobo de Seva, cujus multam mentionem facturi sumus in sequentibus, tantisper digrediamur à via recta ut investigemus an is re vera sit illius operis auctor, & quis cujasve fuerit hic Iacobus. Ipse enim jurejurando asseruit anno MCCCLXXXII. se nihil unquam scripsisse pro Vrbano VI. in materia schismatis. Sed ante omnia statuendum est illum non fuisse vocatum Iacobum de Sena, uti scriptum est apud Raymundum Hugonis in historia translationis corporis sancti Thomæ Aquinatis pag. 738. in tomo primo Martii Bollandiani, in oratione Francisci de Vrbino Episcopi Faventini in codice Harlæano & in Colbertino, apud Ægidium Bellameram decis. 688. & in cap. *Ex parte.* de arbitris, apud Henricum Spondanum an. 1378. §. 9. & in tomo quarto historiæ Vniversitatis Parisiensis pag. 485. ubi Factum illud editum est, sed Iacobum de Seva, uti disertè scriptum est in codice Victorino & in diario Ioannis Fabri Episcopi Carnotensis, quod instar omnium esse debet. Nam præterea in folio 115. ejusdem diarii mentio est loci de Seva siti in ea parte Galliæ Narbonensis quæ nunc Provincia dicitur, è qua ortum fuisse hunc Iacobum testatur idem Episcopus Faventinus.

His ita constitutis, quæ certa sunt, videamus quis fuerit homo ille. Ex militari progenie seu antiqua nobilitate prognatum fuisse colligitur ex verbis ejusdem Episcopi, qui eum vocat valentissimum Doctorem & Militem & Advocatum antiquum Romanæ curiæ. Doctorem quoque antiquum eum vocat Alfonsus eremita olim Episcopus Giennensis apud Odoricum Raynaldum an. 1379. §. 19. Advocatum fiscalem Raymundus Hugonis in loco suprà laudato.

Constat eum in initio schismatis transisse

in partes Vrbani VI. & ab eo missum ad Karolum V. Regem Francorum. Istud enim docet idem Episcopus Faventinus his verbis: *Nunquam enim in Francia pro Vrbano fuerunt informationes receptæ. Imò cùm ad istum finem illuc destinaretur quidam valentissimus Doctor & Miles Advocatus antiquus Romanæ curiæ nomine Dominus Iacobus de Sena natione Provincialis, fuit per partem adversam captus & detentus, necdum sua libertati plenè restitutus, quamquam de directo mitteretur ad præsentiam Domini Regis Franciæ.* Tum ergo misit ad Vniversitatem Parisiensem Factum de quo suprà diximus. Creditum autem est propterea illud ab eo compositum fuisse, ut patet ex verbis Alfonsi eremitæ relatis ab Odorico Raynaldo in loco paulò antè laudato. Et tamen constat illud, cujusmodi habetur in codice Victorino, non esse opus istius Iacobi, sed Ioannis de Lignano, & partem esse operis quod idem Ioannes inscripsit de fletu Ecclesiæ, quod extat in codice 815. bibliothecæ Colbertinæ; adversus quem Ioannes Fabri Abbas sancti Vedasti Attrebatensis, qui postea fuit Episcopus Carnotensis, alium tractatum edidit inscriptum de planctu bonorum; qui habetur in codicibus 812. 814. ejusdem bibliothecæ, scriptus in modum dialogi inter Doctorem Bononiensem & Parisiensem. Hic porrò Ioannes Episcopus Carnotensis, ut hoc quoque obiter dicamus, non erat patria Duacensis, uti vulgò scribitur, sed Parisiensis. Huic rei ipse testimonium perhibet in præfatione hujus tractatus, ubi ita loquitur: *Verùm ne ejus possint dicta cognosci, in fine clausulæ verba sua continentis submittam nomen civitatis in qua cathedram doctoralem rexit & regit, scilicet Bononiensis. Meis autem dictis subiciam nomen civitatis in qua natus sum & nutritus & in jure canonico, licèt insufficiens, doctoratus, scilicet Parisiensis.* Item liquet ex ejus epitaphio, quod editum est à R. P. Chiffletio inter probationes historiæ Treuorchianæ pag. 483.

Cùm ergo Iacobus emissus fuisset è carcere, in Provinciam se contulit. Tum anno millesimo CCCLXXXII. die XVII. Aprilis adivit apud Aptam Iuliam eundem Episcopum Carnotensem, qui tum erat Cancellarius Ludovici I. Regis Siciliæ, eumque rogavit uti suffragari sibi vellet apud Papam Clementem, jurejurando testatus se nihil unquam scripsisse pro Bartholomæo in materia schismatis, & se publicè deseruisse partes ejus. Artaldus Episcopus Grassensis juvabat preces ejusdem Iacobi. Sic enim legitur in diario ejusdem Episcopi Carnotensis: *Messire Iaques de Seva me pria que je voulsisse estre son intercessent devers Nostre saint Pere que il le vonsist oir. Me jura par sa foy que oncques n'avoit fait escripture pour Bertelemi in materia scismatis. Dit que par instrument il avoit renoncié à la part de Berthelemi. L'Evesque de Grasse intercedoit fort pour li.* Tum die XXIII. ejusdem mensis apud Avenionem idem Episcopus tanquam Cancellarius accepit sacramentum fidelitatis ejusdem Iacobi, præsentibus Carolo de Pictavia, (ex quo prognati sunt Domini sancti Valerii Viennensis diœcesis) Domino de Volta, & magistro Ioanne de Santis. *le jour je receus serment de feaulté de Messire Iaques de Seve, presents Messire Charle de Poitiers, le sire de la Volte, & Maistre I. de Sains, à qui je en demandai instrument.* Postea tamen in partes ejusdem Bartholomæi transgressus rursum est, & propterea bona ejus fuere publicata. Etenim idem Episcopus Carnotensis adnotavit in suo diario se anno millesimo CCCLXXXV. die tertia Octobris sigillasse literas confirmationis doni quod Maria Regina Siciliæ fecerat Domino d'Oroison *de tribus partibus castri de Cadenete, quæ fuerunt quondam Iacobi Ceve rebellis.* Videtur autem excessisse rebus humanis ante annum millesimum CCCLXXXVIII. cùm in eodem diario adnotatum sit die octava Ianuarii illius anni apud Avenionem sigillatam fuisse literam *ad Senescallum Provinciæ pro filiis Iacobi de Seva super restitutione eis fienda de Lanreis & Cadennete & cæteris quibus fuerunt spoliati.*

ROBERTUS DE GEBENNIS] Vir eloquentissimus & veritatis amantissimus, uti scripta ejus docent, Odoricus Raynaldus an. 1378. §. 20. referens hanc creationem Cardinalium ex hoc nostro auctore, cùm ad Robertum ventum est, exclamat: *Hic postea plurimo Christiano cruore, quem in bellis fuderat, delibutus cathedram pestilentiæ ascendit & schisma in Dei Ecclesia Clementis VII. accepto nomine conflavit.* Idem an. 1376. §. 20. ait eundem Robertum à Gregorio XI. missum in Italiam carnificis potiùs quàm Legati apostolici munere digniorem fuisse. Iudicio tamen & prudentia isthic potiùs opus erat quàm verborum contumeliis aut eloquentia. Quid si ego argumentum istud retorqueam adversus divinum illum virum Vrbanum sextum tantopere laudatum à Raynaldo, quem tamen ex consensu historicorum illius ævi, etiam eorum qui partes ejus sequebantur, constat fuisse hominem furiosum, crudelem, immanitate barbarum? Iam si sanguis humanus in bello fusus inquinat vitam Pontificum Romanorum, vide quantum vulnus infligas eidem Vrbano, quem Radulphus de Rivo Decanus Tungrensis taxat ut auctorem nefarii belli quod excitatum est inter Anglos & Belgas, & gravissimas pœnas suo scelere dignas suscepisse ait, & à quo Ciaconius pag. 975. ait recessisse

Pileum de Prata commotum severitate ejus & rigido ingenio, qui aliquot Cardinales necarat, aliquot honore privaverat, & bella ex bellis serendo Italiam omnem conturbaverat? Quid rursum facies Iulio II. quem negare non potes bella continuè gessisse per plures annos; de quo hæc legere potes in libello Erasmi quem inscripsit *Bellum dulce inexpertis*. Ait enim: *Sit penes Iulium belli gloria, habeat ille sibi suas victorias, habeat sibi magnificos triumphos, quæ quàm deceant Christianum Pontificem haud est mei similium pronuntiare. Dicam hoc modò, gloriam illius, qualiscunque fuit, cum plurimorum exitio doloreque conjunctam fuisse. Longè plus vera gloria pariet Leoni nostro pax orbi reddita quàm Iulio pepererunt tot bella per universum orbem vel excitata fortiter vel gesta feliciter.* Scio Odoricum Raynaldum, ut ipse an. 1378. §. 56. profitetur, sua accepisse ex rationibus communibus propter quas Anglici tenebant pro Papa suo Bartholomæum. Ipse enim illas edidit. In sexta decima verò ita legitur: *Praterea dicitur communiter à quampluribus quòd Clemens Antipapa est homo sanguinis, eò quòd plures mandavit interfici, & fuit dux exercitus bellatorum.* Adversùs hanc seu criminationem seu calumniam nihil ex meo dicam. Vtar tantùm verbis eorum qui tum illum contumeliæ aculeum retuderunt his verbis, prout leguntur in codicibus 811. 814. & 815. bibliothecæ Colbertinæ: *Ad XVI. rationem quæ incit Praterea dicitur communiter &c. respondetur quòd istud falsissimum est, quia imò experiuntur continuò omnes qui cum eo conversantur quòd natura dulcissima est. Nec est verisimile quòd sanctæ memoriæ Dominus Gregorius eum Legatum sedis apostolicæ in terris Ecclesiæ fecerit ad rem illicitam committendam, prout nec commisit. Sic etenim pro defendendis & recuperandis terris Romanæ Ecclesiæ per Romanos Pontifices successivis temporibus plures Domini Cardinales Legati & principes exercituum hactenus ordinati fuerunt, qui tamen manum ad sanguinem non ponebant, prout nec revera unquam fecit Dominus noster Clemens.* Et alius quidam respondens iisdem rationibus Anglicorum in codice 811. ait hanc accusationem esse falsam & Clementem esse mansuetum, pium, & benignum. Deinde addit: *Adversarii inimici veritatis carentes fundamento justo recurrunt ad injurias ut pallient errorem suum, ponentes os suum in cælum.* Et hæc quoque interim usui esse possunt ad retundendam malignitatem Odorici Raynaldi scribentis Gregorium præmisisse in Italiam virum carnificis quam Legati apostolici munere digniorem. Homine imperito nunquam quicquam injustius.

GVILLELMVS DE CHANACO] Nobilissimæ illius gentis sedes erant apud Alassacum vicum inferioris provinciæ Lemovicensis. Postea ea divisa est in duos ramos circa annum MCCLXXX. cùm Raymundus de Chanaco acquisivisset castrum de Seillaco VIII. M. P. à Tutela. Sic ergo ex fide veterum monumentorum constitui posse videtur stemma istius gentis. In instrumento anni MCCLVI. nominantur Petrus & Guido de Chanac Domicelli fratres & mater eorum Dulcia. Guidonis filios fuisse puto Raymundum Militem dominum de Seillaco, Petrum, Guillelmum Patriarcham Alexandrinum, & Guidonem defunctum anno MCCCXLIII. quo, uti notatum est in veteri codice parlamenti Parisiensis, Guido de Chenaco Miles dicitur habere ballum liberorum defuncti Guidonis de Chenaco Domicelli filii sui. Ex Petro crediderim ortum Guidonem patrem Guillelmi Cardinalis & Fulconem Episcopum Parisiensem, quem idem Cardinalis in testamento suo vocat patruum suum. Nam si Guido ille ortus fuisset ex Raymundo, cum Raymundus nominasset filium suum in instrumento cujusdam venditionis scripto anno MCCCXX. in quo eum vocat simpliciter Guidonem de Chanaco nobilem de Alassaco. Guido, qui cum uxore sua sepultus est in capella sancti Georgii de Alassaco, vinculo matrimonii junctus est cum Isabella de Monte-Radulpho; ex iisque certum est prodiisse Heliam, Guillelmum Cardinalem, Bertrandum Cardinalem, Fulconem Episcopum Aurelianensem, & quandam filiam, cujus nomen ignoratur, nuptam Ludovico Foidelle. Ejusdem Guidonis filius fuisse videtur Bertrandus de Chanaco Miles matrimonii vinculo sociatus cum Margareta de Rupecavardi filia Aymerici & Ioannæ de Archiaco, ut tradit Adamus in genealogia gentis Rupiscavardi. Item Robertus de Chenaco Decanus Ecclesiæ Belvacensis anno MCCCLI. ut patet ex codice parlamenti Parisiensis suprà laudato. Helias de Chanaco fuit pater alterius Heliæ, Guidonis, Geraldi Abbatis sancti Martialis Lemovicensis, Andreæ Abbatis Casæ-Dei apud Arvernos, & Giletæ, quæ nupsit Petro Channeti. Guido genuit Isabellam. Neque ultra, quod quidem ego sciam, progressa est ea genealogia. Nam per ea tempora omnis hereditas Chanacorum ad gentem Pompadoriam translata est cum Blancha sive Galiena de Chanaco, quæ anno MCCCCLV. nupsisse dicitur Ranulpho sive Raynaldo istius nominis tertio domino Pompadorii. Quod errandi occasionem præbuit iis qui hunc Guillelmum Cardinalem scripserunt ortum esse è Pompadoriis.

Insignia gentis de Chanaco, qualia etiamnum visuntur in pluribus locis, describuntur in veteri instrumento dato Tutelæ anno millesimo CCCVII. die Iovis post festum Paschæ,

chæ, in quo mentio est quarundam literarum heic descriptarum: *quæ literæ erant non rasæ & non cancellatæ nec vitiatæ, & erant sigillo integro sigillatæ, & tum literis legibilibus, videlicet sigillo Petri de Chanac Domicelli, ut prima facie apparebat; in quo quidem sigillo erat & apparebat figuratum quoddam scutum, in quo scuto erant & apparebant figuratæ quadam fascia de cranriis cum quadam imagine seu figura leonis rampant.* Et cetera quidem paria sunt in sigillo Petri de Chanaco Domicelli, quod adhæret veteri instrumento anni millesimi CCLVI. de quo suprà diximus. Hoc tantùm discrimen intercedit quòd pro uno leone tres conspiciuntur in illo sigillo, duo quidem in superiore parte, unus in ima. At Fulco de Chanaco Episcopus Parisiensis scuto in quo sunt fasciæ & leo addebat limbum in circuitu scuti, & in eo limbo erant undecim stellæ octo radios habentes; quarum quatuor erant in vertice, tres in utroque latere, una in imo. Ejus enim sigillum sic expressum vidimus in originali apocha ejusdem Fulconis, qua profitetur se recepisse à magistro Ioanne Marret clerico Consiliario Domini Regis & collega suo summam XXVIII. librarum Parisiensium: *Debentur mihi Fulconi de Chanaco Canonico Parisiensi Consiliario Domini Regis pro stipendiis seu vadiis meis deservitis in camera parlamenti summa quæ sequuntur.* Et infrà: *Datum sub sigillo meo penultima die mensis Maii prædicti anno* MCCCXLI.





Guillelmus ergo ortus est ex ramo Chanacorum qui perstiterunt apud Alassacum. Neque tamen illic natus est, sed Lutetiæ, ut docent vetera monumenta sancti Florentii Salmuriensis mecum olim communicata à viro clarissimo Domino Claudio Chantelouio monacho Benedictino. Parentes habuit Guidonem de Chanaco & Isabellam de Monte-Radulpho. Septennis induit monachum in monasterio sancti Martialis Lemovicensis, non autem apud sanctum Florentium, ut visum est fratribus Sammarthanis. Studiis literarum dedit operam in academia Parisiensi, factus Doctor decretorum. Fuit autem Capicerius sancti Martialis Lemovicensis, Prior Longipontis in diœcesi Parisiensi, & Vezeliacensis in Æduensi, & tandem Abbas sancti Florentii Salmuriensis evasit anno MCCCLIV. mense Iulio. Sunt etiam qui velint eum fuisse Abbatem Besuensem in Burgundia. Sed id parum constat. Immo Oldoinus addit eum fuisse Abbatem S. Martialis, nullo teste. Ferdinandus Vghellus in additionibus ad Ciaconium ait illum XIV. annos peregisse in regimine cœnobii sancti Florentii. Quod verum est. Hinc Oldoinus collegit illum monasteria Bezuæ, S. Martialis, & S. Florentii per annos quatuordecim rexisse. Sic errores inducuntur in historiam ecclesiasticam. Sed ista finamus.

Cùm ergo Guillelmus de Chanaco monasterium S. Florentii rexisset spatio annorum quatuordecim, Vrbanus V. eum præfecit Ecclesiæ Carnotensi anno MCCCLXVIII. IX. Kal. Octobris, ut constat ex ejus regesto. Possessionem autem illius Ecclesiæ, ut adnotatum est in veteribus monumentis S. Florentii, adeptus est per procuratorem die Iovis septima Decembris, & personaliter die dominica post Purificationem anno sequenti. In veteri catalogo Episcoporum Carnotensium ea tempestate scripto, quem vidi olim in archivo Episcopi Carnotensis, ita scriptum est de isto Guillelmo: *Guillelmus de Chenaco Lemovicensis diœcesis, vir nobilis, religiosus, & magnæ scientiæ, pronepos Guillelmi & nepos Fulconis de Chenaco quondam Episcoporum Parisiensium. Hic fuit monachus Cluniacensis ordinis, & inde promotus in Abbatem sancti Florentii de Saumuro, indeque factus Episcopus Carnotensis. Et episcopatum bene rexit duobus annis, licèt ibi non manserit. Et inde translatus fuit per Dominum Gregorium Papam XI. anno MCCCLXX. in Episcopum Mimatensem.* Rectè quidem, si annum incipias à Paschate, ut tum solebant Franci. At si incipias à Kalendis Ianuariis, annus fuit MCCCLXXI.

Factus est itaque Episcopus Mimatensis anno MCCCLXXI. & mox Cardinalis, dictus propterea Cardinalis Mimatensis. Falluntur ergo vehementer, qui eum putant primò fuisse Episcopum Mimatensem, postea verò Carnotensem. Eosdem in alium gravem errorem præcipitavit Ferdinandus Vghellus scribens illum fuisse Cancellarium Ducis Andium Siciliæ Regis. Id enim omnino falsum est, & referendum ad Ioannem Fabri Episcopum Carnotensem.

Guillelmum Gregorius XI. fecit Presbyterum Cardinalem anno MCCCLXXI. die sexta Iunii. Erat autem absens, & primò intravit curiam die sexta Octobris, ut adnotatum est in libro obligationum. Tum verò datus ei est titulus sancti Vitalis.

Anno MCCCLXXVI. idem Gregorius re-

lictuius Avenionem ut Romam proficisceretur, Aveoiooe reliquit hunc Guilielmum, cique curam & administrarionem Aveuionis & comitatus Veneyssini commisit unà cum Ioanne de Blandiaco Episcopo Sabinensi, ut docent variæ Gregorii epistolæ ad illos datæ.

Anno MCCCLXXXII. cùm Ludovicus Dux Andegavensis à Papa Clemente VII. & à Regina Siciliæ Ioanna sollicitatus fuisset ad suscipiendum bellum Neapolitanum, profecturus propterea Avenionem, illuc præmisit Cancellarium suum Ioannem Fabri Episcopum Carnotensem. Iste autem illuc perveoit die sabbati prima Februarii, ibi hospitio exceptus à Cardinale Mimateosi; & post prandium ab eo ductus ad Papam, exposuit causas adventus sui. Postridie pransus est cum Papa. Die Martis quarta Februarii, horis matutinis, existente eo cum Cardinale Mimatensi, Episcopo Agennensi, G. le Roy, & Arnaldo la Caille secretario Ducis Andegavensis, qui ab eo missi fuerunt Aveniooem pro eadem causa, accessit ad eos Mareschallus Papæ; & tum decretum inter eos fuit uti Cardinales Florentinus, Albanensis, & Cusentinus, Comesque Casertæ, & Angelucius de Furno, tum etiam Episcopus Caroorensis & alii nuntii ejusdem Ducis, Papam omnes adirent ejus seotentiam exploraturi. Quod cùm factum esset, Raymundus Bernardi exposuit coram Papa quomodo Georgius de Matlio magister hospitii Domini Papæ Ducem hortatus erat ex parte Papæ ad iter Italicum, responsionem Ducis, & quæcunque Lutetiæ acta erant in hac materia coram Karolo VI. Rege Franciæ & Principibus. Reposuit Papa cupere se ut Cardinales sibi seoteotiam suam scripto dareot. quod factum est in ædibus Anglici Cardinalis Albanensis. Tum advenit magister Petrus Gerardi. Eo autem die illi, quia tardiùs advenerant, cum Papa loqui noo potuere. Episcopus Agennensis cœnavit apud Papam & jacuit in palatio. Tum die Mercurii quinta ejusdem mensis allatæ sunt ad Papam opinioocs Cardinalium Albanensis, Florentini, & Cusentini. Tum excitatum grave jurgium inter Episcopum Agennensem & Carnotensem, quod usque ad contumelias verbotum exarsit. Quamobrem uterque fuit valde cooturbatus. Tamen postea convenit inter eos ut postridie adireot ad Papam. Die igitur Iovis primùm apud Cardinalem Mimateosem coovenerunt, deinde ad Papam accesserunt; ubi cùm multa à Legatis Ducis dicta fuissent, multa per Papam, demum illi nihil aliud ab eo extorquere potuerunt prater consilium quod is dabat in causa præsenti, scriptum per Episcopum Castellanum. Et sic re infecta discessum est. Ea die Episcopus Carnotensis pransus est cum Cardinale Pampiloneosi. Post prandium Mareschallus Papæ & magister Petrus Gerardi eundem Episcopum & ceteros legatos Ducis Andegavensis evocaruoc in ædes Cardinalis Mimatensis, ubi actum est de conciliandis & in partes Ducis trahendis Provincialibus. Die Veneris sequenti septima Februarii, cùm Ludovicus Coostanciensis è Neapoli veoisset, jussit Papa uti iidem legati cum amicis suis congregarentur apud Cardinalem Mimatensem. Fuere in eo cooventu cum legatis Cardinalis Cusentinus, Camerarius Papæ, Comes Casertæ, Seneschallus Provinciæ, Mareschallus Papæ, magister Petrus Gerardi, Ludovicus Constantiensis, & Raymundus Bernardi. Statutum est Raymuodum Bernardi statim ut legatum Regis & Ducis proficisci debere Ianuam impediturum coosilia Genuensium, qui legatos Neapolim miserant Fratrem Ducis eorum & Doctorem Damianum ad constituendam pacem ioter Reginam Ioannam & Karolum de Duracio, ne videlicet aliquid ageretur in detrimentum Ducis Andegaveosis. quam opioionem licèt non approbaverit idem Raymundus, amplexus est tamen ut communem, & se mandata executurum testatus est. Post praodium Papa accersiri jussit Cardinalem Mimatensem & Episcopum Carootensem, Camerarium, Seneschallum Provinciæ, Dominum de Saltu, Raymundum Betoardi, Petrum Gerardi; & visis literis Ludovici Ducis, coovenit ut Camerarius expectaret adventum ejus, ioterim scriberetur de toto isto negotio ad Episcopum Gebennensem, qui tum Lutetiæ erat. Sequentibus diebus examinatæ sunt conditiones secundùm quas Dux Ludovicus adoptatus erat à Regina Inanna, approbatus à Papa, mox corooandus Rex Adriæ. Die Mercurii XII. Februarii Episcopus Carnotensis pransus est cum Papa. Papa verò post praudium, secretum orans, ei & Comiti Gebeooensi fratri suo & magistro Petro Gerardi aperuit mentem suam de concordia & fœdere ineundis per Ducem cum Rege Artagonum, se de ea re sermonem habuisse cum Comite Rodensi, qui tum erat apud Avenionem, & ibat ad eundem Regem. Postera die Papa ad se venire jussit Cardinalem Mimatensem, Episcopum Carnotensem, Camerarium, Mareschallum, Petrum Gerardi, & Raymundum Bernardi; coram quibus dixit se cum Comite Rodensi collocutum esse de matrimonio Regis Francorum Karoli cum filia primogenita Ducis Gerundeosis & de matrimonio filii secundò geniti Ducis Andegavensis cum filia secundò genita ejusdem Ducis Geruodensis, quia id putabat multas magnas commoditates afferre posse negotio regni Siciliæ. Censebant plerique Comitem statim debere ingredi iter, alii expectandum esse Lu-

dovicum Andegavensem, qui propediem adventurus erat. Tum die sabbati XV. acceptæ sunt literæ ejusdem Ducis, scriptæ è Bonniaco suprà Ligerim. Itaque decretum est uti Episcopus Carnotensis & Raymundus Bernardi ei obviam irent usque ad pontem sancti spiritus. Tandem advenit Avenionem die sabbati XXII. Februarii, cui obviam progressi sunt duodecim Cardinales. Anno millesimo CCCLXXXIII. die XXVI. Februarii idem Episcopus Nuncius apostolicus pro causa schismatis unà cum Episcopo Ambianensi in Flandriam destinatus à Clemente Papa reliquit sigillum ducatus Andegavensis huic Cardinali Mimatensi, uti voluerat Ludovicus Dux Andegavensis, tum vocatus Dux Calabriæ, eo tempore quo profecturus erat in Italiam. Hæc sumpta sunt ex diario ejusdem Episcopi Carnotensis MS. in bibliotheca Colbertina.

Obiit Avenione anno MCCCLXXXIII. die XXX. Decembris, sepultus apud Prædicatores. Inde verò cadaver ejus translatum est in Ecclesiam sancti Martialis Lemovicensis, ubi jacet ad latus dextrum majoris altaris in sepulcro marmoreo, cui superimposita est illius effigies ex marmore.

Condiderat autem testamentum paucis antè diebus. Extat illud in monasterio sancti Florentii, sed valde mutilum, carens nota temporis quo factum est. Attamen cùm in eo executorem nominet Petrum de Crosso Cardinalem Arelatensem, qui anno tantùm millesimo CCCLXXXIII. factus est Cardinalis die XXIII. Decembris, manifestum est testamentum istud fuisse conditum post diem XXIII. Decembris & ante diem ultimam, qua Guillelmus excessit è vivis.

In eo testamento legavit præter cetera multos libros monasterio sancti Martialis, in primis verò speculum sanctorale Bernardi Guidonis in tribus voluminibus. Eorum primum extat hodie in bibliotheca Ecclesiæ Turonensis, in cujus titulo sic habetur: *Incipit speculum sanctorale, quod fecit fieri Reverendissimus in Christo Pater Dominus Guillermus de Chanaco tituli sancti Vitalis Presbyter Cardinalis vulgariter Mimatensis anno Domini millesimo c c c. septuagesimo octavo.*

Præterea collegio sancti Michaelis, quod in academia Parisiensi fundavit Guillelmus de Chanaco Patriarcha Alexandrinus, legavit quandam domum & quosdam libros. Non extant hodie acta fundationis illius, sed tantùm fragmentum testamenti ejusdem Patriarchæ Alexandrini, quod sic habet: *Item volumus, statuimus, & ordinamus quòd in domo nostra quam habemus Parisius in vico de Bievria decem vel duodecim scholares habeant mansionem; quorum unus sit Presbyter, qui in capella ejusdem domus per se vel alium ter aut minus in septimana habeat celebrare pro nostra salute, parentum & benefactorum nostrorum. Et alius de dicto numero procurator domus scholarium eorundem existat ad agenda negotia atque jura defendenda. Ceteri verò unà cum prædictis duobus ad audiendas scientias licitas & studendum in eis perpetuò vacare habeant quandiu in eadem domo manebunt. Sintque ipsi scholares de Lemovicinio oriundi. Et si aliqui de meo genere fuerint indigentes, qui voluerint causa studii in eadem domo manere, ceteris præferantur. Et pro sustentatione vitæ & necessariorum centum libras Turonenses annui & perpetui redditus eis & dictæ domui de bonis nostris volumus & jubemus assideri & eisdem assignari, necnon de ornamentis necessariis dictæ capellæ, & de lectis pro ipsis scholaribus, tertiisque libris diversarum facultatum ad esgardium executorum nostrorum, nisi nos ordinaverimus in vita nostra, volumus decenter provideri una vice duntaxat. Quod ad rerum alienationem omnimodam eisdem scholaribus, cùm eas in eadem domo pro usu ipsorum remanere velimus perpetuè, prohibemus. Nihilominus prædictis nostris executoribus, nisi per nos ordinatum extiterit, præmissa ordinandi, declarandi, & pacificandi ad suum arbitrium, voluntatem, & esgardium concedimus plenariam potestatem.*

IOHANNES FABRI] Antequam ultra progrediamur, admonendus est lector ne somnia Frizonii sequatur scribentis hunc Cardinalem ortum esse ex nobili familia Fabriorum Yerensium apud Provinciales, neve illum exemplo Gasparis Iongelini confundat cum Ioanne Fabrio Episcopo Carnotensi. Iste enim certò natus est apud Lemovices. Sanè non ita pridem, ut fando audivi, supererat Fabriorum familia apud Malummontem, unde orti erant Gregorius XI. & Clemens VI. ejus patruus, humilis sanè & infima, sed quæ tamen originem suam facilè referre poterat ad illam ætatem. Si fortuna volet, fies de Consule rhetor, ut ait ille.

Ioannes ergo fuit consanguineus germanus Gregorii XI. ac Doctor legum, dein Decanus Aurelianensis anno MCCCLXIV. post Hugonem Faidici, ut opinor. Illud certò constat, fuisse Decanum Aurelianensem anno millesimo CCCLXX. VI. Idus Augusti; qua die Vrbanus V. in eum contulit episcopatum Tutelensem vacantem per obitum Laurentii dal Biars, qui occiderat paulò antè, nimirum XIV. Kal. Martias. Deinde anno sequenti Gregorius eum fecit Presbyterum Cardinalem tituli sancti Marcelli. Obiit Avenione anno MCCCLXXII. die sexta Martii.

IOHANNES DE TVRRE] filius Bertrandi II. de Turre & Isabellæ de Levis. Mortuus est Avenione anno MCCCLXXIV. die XV. Aprilis. Erravit Ciaconius scribens

illum fuisse patria Lemovicem, quem constat Arvernum fuisse. Error tamen Ciaconii placuit Oldoino.

IACOBVS DE VRSINIS] Pauca seu potiùs nulla nobis incumbunt dicenda de hoc Cardinale ante fatalem illum diem quo ingenti reip. Christianæ malo Gregorius XI. extinctus est in urbe dominationis avidissima. Sed postea quàm Gregorius abiit in cælum, tum verò multi de Cardinale illo sermones, iique maledicentissimi, ob eam, ut arbitror, causam quòd vir Italus & civis Romanus, insuperhabita Vrbani VI. electione tanquam violenter exacta, ultramontanis Cardinalibus adhæsisset, qui Clementem VII. rite atque ordine videbantur elegisse. Qua de re ut ordine dicamus, observandum est ante omnia Italos publicè summa animi contentione disseminasse Cardinalem Vrsinum magna adipiscendi summi fastigii cupiditate incensum & inflammatum multa viro principe indigna patrasse quæ nos postea referemus, ut eo pacto ostenderent illum non amore veritatis transgressum esse in partes, sed falsæ & inanis gloriæ stimulis incitatum.

Principio statuendum est objectam Vrbano fuisse maximam dominandi cupidinem, quæ, ut ait Tacitus, omnibus affectibus est flagrantior, variisque eum consiliis Romanorum interfuisse in quibus actum est de cogendis Cardinalibus ad eligendum Papam Romanum vel Italicum. Illud enim ferè pro comperto habetur. Invenio præterea illum, ut sibi viam complanaret ad summum pontificatum, dolis atque fraudibus usum esse, & ob eam causam odia & inimicitias serere conatum inter Cardinales, præcipuè verò adversùs Cardinalem Vrsinum; ex quo major metus quàm ex aliis Italis, quia ortus erat ex gente nobilissima & inter Romanos potentissima. Testem hujus rei profero, non aliquem è trivio aut ex fæce populi, sed Cardinalem de Vernio, in cujus depositione ista habentur: *Item quòd pendentibus illis decem diebus ante ingressum conclavis venit ille Barensis ad istum Cardinalem, & dixit sibi quòd tempus fuerat quòd ipse dilexerat Dominum Cardinalem de Vrsinis, sed modò plus diligebat pedem istius Cardinalis quàm faciem alterius. Et ista dicebat credens quòd Cardinalis de Vrsinis esset in mala voluntate contra istum. Set iste respendit sibi quòd Dominus suus Cardinalis de Vrsinis erat amicus istius, & si ille B. non diligebat alium, quòd non regraciabatur sibi. Ad ultimum dixit & supplicavit dictus B. isti Cardinali quod haberet eum recommendatum pro illo facto. Et tunc iste Cardinalis dedit sibi bona verba. Set verè nunquam habuit in animo eligendi eum in Papam; licèt eum diligeret, non tamen pro illo statu.*

Observandum deinde est adeo accensa adversùs cum fuisse odia Vrbanistarum ut Theodericus à Niem lib. I. de schismate cap. 2. referetur illos in vulgus sparsisse tumultum Romanorum postulantium Papam Romanum vel Italum per Cardinalem de Vrsinis fuisse *sophisticè vel ex industria ordinatum ut per hoc ipse tanquam de potentiori domo Romana, scilicet Vrsinensi, ortus eligeretur in Papam.* Sed eam historiam esse fictam hinc certò liquet quòd illud ei nunquam objectum est ab ejus inimicis, & quòd ipse testatus est publicè se nulli vocem suam daturum quandiu violentia duraret, tum excanduisse adversùs illos qui aiebant violentiam non fuisse, uti postea videbimus.

Et ne quid deesset ad violandam ejus existimationem, in ipsis statim miserrimi istius schismatis initiis constanti fama atque omnium ferme sermone celebratum est illum, ut impediret electionem Vrbani, proposuisse ceteris Cardinalibus insignem imposturam, nimirum ut aliquis frater ordinis Minorum ab iis vocaretur & Papa fieret simulatione, sed Cardinalem Prænestinum & ceteros qui ei adhærebant rejecisse hanc fictionem, dicentes se nolle populum provocare ad idololatriam. Sed verissimè observatum est à Plauto plus valere unum testem oculatum quàm auritos decem; quia *qui audiunt, audita sciunt; qui vident, planè sciunt.* Et ii quidem qui hanc narrationem referunt, eam acceperunt ex sermonibus vulgi. At Petrus Flandrini Cardinalis, qui erat in conclavi cum Cardinale de Vrsinis, & ei proximus assidebat, negat illam esse veram, uti suprà pag. 1002. dictum est. Itaque ei testi oculato plus credendum est quàm decem auritis.

Displicuisse sanè huic Cardinali Vrsino modum agendi Romanorum colligi potest ex contumeliosa allocutione ejus ad Romanos, quam refert Guillelmus Episcopus Valentinus in informatione quam dedit ambaxiatoribus Regis Castellæ de iis quæ vidit & audivit in urbe post obitum Gregorii XI. Papæ. Nam cùm retulisset illos arroganter & imperiosè petiisse Papam Romanum, addit: *Credo tamen quòd ante hujusmodi requisitionem jam B. nominatus fuerat & electus, si electio dici meretur. Dominus verè de Vrsinis increpando dictos Romanos dixit: Vadatis, Romani porci. Importunè petitis. Faciatis recedere populum. Alioquin, si egrediar cum uno baculo, eiciam vos extra.*

Cùm ergo necessitati parendum esse omnes judicarent ac vitæ periculum & capitis insidias vitandas, placuit iri in suffragia. Cùmque Cardinalis Florentinus elegisset Cardinalem sancti Petri, ceteri Bartholomæum Archiepiscopum Barensem, Vrsinus, qua erat constantia ac firmitudine animi, contestatus

est decrevisse se abstinere à ferendo suffragio quandiu violentia duraret, semperque in proposito susceptoque consilio permansit. Legitur istud in depositione fratris Angeli Episcopi Pisaurensis: *Item dixit quòd Dominus Iacobus de Vrsinis dixit sibi quòd nunquam voluit eligere in illo tumultu stante impressione, nec vocem suam alicui voluit dare, nec dedit.* Item Bonifacius de Amanatis in allegationibus pro Clemente VII. in codice 814. bibliothecæ Colbertinæ: *Item & dicta littera fuerunt facta ad dictamen dicti Barensis, & minutas videre voluit antequam fierent dicta littera. Et ibi positum fuit qualiter omnes Domini Cardinales, nemine discrepante, ipsum elegerant. Et tamen falsum erat, quia Dominus Cardinalis de Vrsinis nunquam voluit sibi dare vocem suam.* Idem testatur Robertus Gervasii Episcopus Senecensis in tractatu de schismate fol. 21. *Dominus etiam Iacobus de Vrsinis, licèt Italicus vel Romanus, nunquam illum Barensem voluit nominare.* Istud ipsum ex relatione Cardinalis de Luna testatur quidam ejus contubernalis in codice 812. ejusdem bibliothecæ Colbertinæ: *E los dichos Cardenal do Limogenes & este Cardenal veyendo que los otros Cardenales acordavan de contentar al pueble dixeron que pues que querian esleir Romano o Italiano, que era bien que esleyessen este Arçebispe de Bar. Et à este se acordaron todos los otros, salvo el Cardenal de Vrsinis, que dixo que por la impression que veya non queria esleir fasta que fuesse en su libertad.* In depositione Ioannis de Crosso Cardinalis legitur: *Dominus Cardinalis de Vrsinis non voluit eligere, quia dixit quòd nihil valebat quod agebatur; & adjecit quòd etiam si ipsum eligerent, quòd non acceptaret propter impressionem manifestam quæ fiebat eis.*

Ipse Cardinalis Vrsinus Bartholomæum sic electum coronavit in die Paschæ, ut legitur in Facto misso per Bartholomæum Regi Castellæ apud Odoricum Raynaldum an. 1378. §. 96. & in depositione Episcopi Reatini: *Item nocte ejusdem sabbati præcedente Dominicam resurrectionis convenerunt omnes Cardinales in præfata Ecclesia sancti Petri pro expediendo officio coronationis ejusdem Domini nostri, & servatis omnibus in coronatione Romani Pontificis observandis, celebrata per eundem ut verum Papam Missa solemni, sumentibusque de manu ipsius omnibus Diaconis Cardinalibus sanctum eucharistiæ sacramentum, impensaque omni populo solemniter solemni benedictione, eundem summo mane deduxerunt ante fores præfatæ Ecclesiæ supra gradus. Et ibidem ascendentes unà cum eo quoddam pignaculum eminens ad hoc ordinatum, coram numerosa populi multitudine eum coronari fecerunt per Cardinalem de Vrsinis, ad quem velut Priorem Diaconorum Cardinalium, cum deest Episcopus Hostiensis Cardinalis, pertinet ex consuetudine & secundùm cerimonias curiæ actus ipse coronationis, imponendo ei tiaram in capite, aliàs dictam regnum, qua solent ceteri Romani Pontifices coronari.* Item in depositione Ioannes Columbi clerici Avenionensis diœcesis: *Et vidit quòd die Pascha, hora prima, modicum plus vel minus, omnibus Cardinalibus, etiam qui exiverant urbem, ibi præsentialiter existentibus, videtur sibi quòd Cardinalis de Vrsinis posuit ibi in capite thyaram & coronam qua consueverunt coronari Romani Pontifices. Et hoc fuit factum in quodam paramento quod erat ante portam Ecclesiæ sancti Petri.* Illud ipsum in veteribus monumentis ab Augustino Trivulcio Cardinale collectis invenerat Onuphrius Panuinius, qui ita de Vrbano scribit in secunda epitome: *VI. Idus Aprilis anni millesimi CCCLXXVIII. Pontifex maximus renunciatus, die sequenti omnium suffragiis in apostolica sede locatus est, & XIV. Calendas Maii in die Pascha per Iacobum Cardinalem Vrsinum S. R. E. Archidiaconi locum tenentem sua coronationis, omnibus Cardinalibus consentientibus, insignia suscepit.* Auberyus verò reprehendit Onuphrium ista scribentem, eam ob causam, quòd ex Theoderico à Niem liqueat hunc Cardinalem Roma excessisse post electionem Vrbani, adeoque non fuisse Romæ eo tempore quo solennia coronationis peracta sunt. Sed observare debuerat vir optimus eundem Theodericum statim docere tres Cardinales Italicos, è quorum numero constat fuisse hunc Iacobum, rediisse postridie ad Vrbanum, illumque ab omnibus Cardinalibus inthronizatum fuisse, & ab iisdem postea in die Paschæ suæ coronationis insignia recepisse.

Verùm ista omnia facta esse per simulationem & ad evitandum mortis periculum hinc certò constat quòd postea Cardinalis de Vrsinis existens apud Talliacotium cum aliis duobus Cardinalibus Italis exclamavit cum indignatione adversùs eos qui negabant violentiam fuisse factam Cardinalibus eo tempore quo Bartholomæus electus est Papa. Legimus istud in depositione Gilaberti secretarii Papæ natione Alemanni, in qua sic scriptum est: *Item quòd dum venerandus vir Dominus Poncius Beraldi litterarum apostolicarum corrector & dictus deponens irent de Roma versùs Fundis, transiverunt per castrum Taillacossia, ubi Domini Florentinus, Mediolanensis, & de Vrsinis Cardinales residebant, & fuerunt per eosdem Dominos Cardinales valde gratanter recepti. Et accidit quòd semel, dum dicti tres Domini Cardinales & corrector ac deponens essent in una camera soli, & legeretur ibi una littera in papyro scripta, quæ videbatur innuere quòd nulla in electione dicti Bartholomæi violentia vel im-*

Professio intervenerat, præfatus Dominus Cardinalis de Vrsinis hoc quasi moleste ferens, & elevans manus simul junctis digitis invicem colligatis instar doleutis, dixit: O sancta Maria, quis posset dicere quod ibi non intervenit violentia & impressio?

Itaque cùm certò crederet Vrbani electionem, quæ facta fuerat per vim, non esse canonicam & carere viribus, ab eo recessit cum reliquis duobus Cardinalibus Italis. Adversùs Iacobum in primis efferbuit ira Vrbani, tanquam is ceteris auctor fuisset ejus deserendi. Vnde cùm ea fama sparsa fuisset, Petrus Rex Arragonum legatos mittens ad Cardinalem Florentinum ut cum interrogarent de diversis articulis, inter cetera hanc interrogationem ei fieri præcepit: *Item cùm asseratur per magistrum Franciscum de Senis medicum quòd ipse Dominus Cardinalis Florentinus mortuo Domino Iacobo de Vrsinis & nondum sepulto dixit sibi hæc verba, Magister Francisce, modò veniemus ad Dominum nostrum, sicut semper desideravi, quia didici veram esse regulam patris mei, qui dicebat, Qui habet socium, habet dominum; quasi quòd vellet innuere dictus Dominus Cardinalis quòd Dominus Iacobus de Vrsinis fuerat in culpa absentationis trium Dominorum Cardinalium Italicorum. Respondeat Dominus Florentinus si prædicta dixit; & si dixit, quare dixit.* Ad quam interrogationem sic respondit Cardinalis Florentinus: *Ad quartum quod incipit Item cùm asseratur per magistrum Franciscum de Senis &c. dico falsa esse contenta in ipso interrogatorio, nec sibi dixisse verba prædicta, nec aliquo modo de eo tantam confidentiam recepissem, sua conditione considerata & suis moribus, & quòd ex toto affectatus erat ad Barensem, qui erat compater suus. Nam filium ipsius magistri Francisci de sacro fonte levaverat.*

Idem vitæ tenor in sequentibus. Nam cùm accessisset Neapolim ad Ioannam Reginam, quæ statim post electionem Vrbani se illius amicam ostenderat, eam retraxit ab obedientia ejusdem Vrbani, quem asseruit non esse Papam. Istud ego reperi in depositione Petri Cardinalis de Vernhio: *Item dixit quòd Cardinalis de Vrsinis ivit ad Dominam Reginam Iohannam, & exposuit sibi quòd ille B. non erat Papa & quòd Ecclesia vacabat, & rogabat eam quòd haberet recommendatum eundem Cardinalem. Ista retulerunt pòst nuncii Dominæ Reginæ. Tunc Regina respondit sibi quòd multùm placebant sibi illa quæ audiebat, eò quòd erat certioratu per illum Cardinalem quòd non erat ille Papa & Ecclesia vacabat.* Item in depositione Thomæ Gundisalvi Thesaurarii Ecclesiæ Compostellanæ: *Item dixit quòd statim post creationem dicti electi Regina Neapolitana erat multùm sua amica; & ipse testis vidit gentes ibi Romæ dictæ Reginæ, quæ venerant ad servitium dicti electi contra castrum sancti Angeli. Et post tres menses post creationem suam audivit quòd dicta Regina erat inimica dicti electi, pro eo quòd informaverunt eam Cardinalis de Vrsinis quòd dictus electus non erat Papa.* Ejus itineris Neapolitani ad Reginam mentionem facit etiam in sua depositione Thomas Episcopus Lucerinus. At ceteris omnibus luculentius istud negotium expressit in sua depositione Nicolaus de Brancaciis Cardinalis Cusentinus his verbis: *Item Dominus Cardinalis de Vrsinis cùm esset in castro cum aliis Cardinalibus, Domina Regina confidebat valde de eo, & ad informandum se de illis quæ dicebantur de illo Barensi quòd non esset verus Papa. Et misit pro illo Domino de Vrsinis, & ipse ivit ad eam; & ipsa recepit eum honorificè, quia erat de fidelitate sua, & sui consanguinei in servicio suo. Tunc ipsa Domina Regina in præsentia istius Cusentini & Domini Nicolai de Neapoli dixit prædicto Cardinali, faciendo præfationes suas, sicut ipsa scit facere, quòd dicebatur sibi quòd ille Barensis non erat Papa, & quòd rogabat eum quòd ipse diceret sibi veritatem. Et ipse Cardinalis firmavit sub juramento, ponendo manum ad pectus, quòd verè non erat Papa. Et Regina ultra illud recepit manum Cardinalis, & in sua manu firmavit sibi Cardinalis & asseruit istud quod dicebat esse verum. Tunc aliqui volebant quòd Regina supplicasset Cardinalibus ut eligerent illum Dominum Iacobum in Papam pro evitatione istius scismatis. Nam credebant quòd ita bene accederet papatus Italicis sicut Gallicis. Et ipse refutavit, sed dixit quòd eligeretur potiùs Dominus Florentinus. Et frater Domini Florentini, qui erat ibi, rogabat valde istum Dominum Cusentinum, quia assistebat in consilio Reginæ, quòd faceret diligentiam quòd frater suus esset Papa, & promittebat multa isti & aliis.*

Postea Cardinales qui erant in civitate Fundorum evocarunt Italicos & in eorum præsentia elegerunt Robertum Cardinalem Gebennensem, qui Clemens VII. vocari voluit. Verum sanè est Cardinales Italicos non dedisse voces suas Clementi, sed tamen certum est eos non contradixisse. Testatur istud Petrus Flandrini Diaconus Cardinalis sancti Eustachii in tractatu de facto schismatis & impressionis his verbis: *Propter quòd Domini Cardinales convenerunt in civitate Fundana; ubi, Dominis Italicis Cardinalibus multùm sollicitatis de conveniendo ibidem & per multos dies expectatis, & demum venientibus, & multis priùs inter se habitis contractibus, sed non valentibus concordare, præsentibus ipsis Dominis Cardinalibus Italicis, omnes ultramontani Cardinales facientes etiam ultra duas partes, cùm essent* XIII. *& alii non erant nisi tres, illis*

tribus etiam non contradicentibus, elegerunt Dominum nostrum medernum. Immo Cardinalis de Britannia in sua depositione asseruit illos fecisse reverentiam Clementi post ejus electionem & protestatos esse quòd si contingeret eos accedere ad illum qui est Romæ, non intendebant eum habere pro Papa.

Cardinalem de Vrsinis se declarasse pro parte Clementis & sacri collegii in castro sancti Ioannis de Tarcho docet idem Petrus Flandrini in epistola responsiva ad dubia Archiepiscopi Toletani in codice 815. bibliothecæ Colbertinæ. *Et sic etiam dixit mihi Dominus meus quondam de Vrsinis in castro sancti Iohannis de Tarcho, ubi convenimus, dum de hoc invitem conferremus.* Addit Cardinalis de Vernhio in sua depositione *quòd sciebat assertivè quòd Dominus de Vrsinis juravit venire ad Dominum Papam Clementem, & pro certo venisset, nisi quia mors impedivit eum.* Obiit autem in obedientia Clementis VII. ut bona fide agnoscit Augustinus Oldoinus. Et tamen inventi sunt qui dicerent illum in articulo mortis recognovisse Vrbanum. Nam Franciscus de Vrbino Episcopus Faventinus agens pro Vrbano coram Rege Castellæ non dubitavit asserere Cardinalem de Vrsinis recognovisse partem ejus esse meliorem: *qui non solùm expressè,* inquit, *sed etiam tacitè est confessus, tacitè quando de suo testamento ab olim facto revocavit Dominum sancti Eustachii & Dominum N. de Neapoli, quos primò deputaverat executores, dicens nunc quòd nolebat executores involutos in scismate.* Idem testatus est Thomas de Acervo Episcopus Lucerinus, qui cùm dixisset Cardinales Italicos ivisse ad castrum Talacozi, *quod erat ipsius Cardinalis de Vrsinis,* addit: *ubi tandem mortuus est iste Cardinalis de Vrsinis ex nimio dolore. Nam medici nescientes plenè qua ægritudine mortuus fuisset, fecerunt eum eviscerari, ut corpus ejus cum aromatibus conservaretur meliùs usque ad diem funeris. Quod funus non potuit cito fieri, quia Raynaldus ejus frater misit Romam ad Dominum nostrum pro Camerario suo, ut interesset exequiis, sicut est de more in funere Cardinalium. Et misit etiam Romam pro pannis de nigro & cera & aliis necessariis ad funus tanti viri. Et invenerunt ipsi medici prope splenem & prope fel unam vesicam ad modum quasi felis totam plenam petris croceis & arenosis. Et ipse Cardinalis de Vrsinis mortuus fuit in fide Domini nostri, prout ipse Raynaldus dixit & scripsit Domino nostro propria manu, & prout dixit Episcopus Calvensis & alii Capellani dicti Cardinalis, qui interfuerunt morti ejus. Item ipse Cardinalis dimisit Domino nostro annulum tanquam suo vero Romano Pontifici, prout est de more, & recommendavit sibi famam suam & animam suam,* Vide Odoricum Raynaldum an. 1379. §. 1. ubi extat declaratio Cardinalis Vrsini morituri, ex qua patet illum esse mortuum indifferentem, id est, nulli parti addictum. Quod confirmatur ex relatione quadam Hispanica quæ extat in codice 812. bibliothecæ Colbertinæ, in qua sic scribitur ad Regem Arragonum, ut opinor. *Et aximateix segons dit de un sol testimoni & segons una escriptura privada que s'allega esser escrita de ma del frare del Cardenal d'Vrsins, jassia que nos' prou que sia escrita de ma deldit frare, lodit Cardenal d'Vrsins, qui mori apres la electio de Papa Clement, estant absent de la cort de cascun d'els elets, & publicament mostrant se indiferent, confessa en la sua fi lodit Arquebisbe esser ver Papa. Pero un altre testimoni deposa que lodit Cardenal dix en sos derrers dies que volia morir en indisferencia.* Confirmat hanc narrationem unus medicorum, vir alioqui Vrbano addictus, Franciscus de la Fara; ex cujus præterea testimonio apertè ostenditur falsam esse narrationem de Raynaldo frarre istius Cardinalis. Hæc sunt verba istius Doctoris in medicina: *Item dixit quòd fuerat cum Cardinale Domino Iacobo de Vrsinis tempore quo obiit & quandiu infirmus fuit in Tallagocio. Et iste præscivit mortem suam per aliquot dies antè. Et per unam diem ante ejus obitum fecit publicari testamentum suum, & locutus est quòd illum tenebat pro vero Papa quem declararet Concilium. Et fecit se absolvi auctoritate quarundam litterarum Domini Gregorii Papæ. Et dicebat quòd antequam cognosceret mentes Cardinalium, quandiu fuit cum isto Vrbano, ipse cogitabat quòd esset verus Papa. Sed postquam fuit in villa Fundorum & cognovit mentes Cardinalium, quòd dubitabat de ejus electione utrum fuerit canonica, & si ipse sciret indubitabiliter quòd esset verus Papa, quòd in omnem eventum ipse Cardinalis fuisset cum eo. Item iste testis audivit à Simone cubiculario dicti Cardinalis quòd Dominus Reginaldus frater ejus instabat nimie apud dictum Cardinalem quòd se declararet pro Papa Vrbano ante ejus obitum, & cùm sollicitaret eum dixit sibi: Reginalde, non facias me irasci. Aliàs ego dicam verba quæ nolles audire. Et ista audivit à dicto Simone. Item dixit quòd dictus Cardinalis semper locutus fuit usque ad punctum mortis, & nunquam vidit hominem mori cum tanta devotione & contritione. Et cùm diceretur Missa coram eo, tempore elevationis eucharistiæ emisit spiritum cum tanta suavitate quòd mirabile fuit & cum perfecta cognitione & rationis vigore,*

Sed magni profectò momenti est in hac causa testimonium fratris Angeli ministri generalis ordinis Minorum, qui in epistola ad Regem Castellæ scripta Avenione anno millesimo CCCLXXX. die XXIX. Maii (cui

similem omnino ad Ioanoam Reginam Neapolitanam se reperisse in codice Vaticano testatur Vvaddingus an. 1379. §. 3.) rem enarrat quæ maximè deoigrat famam Vrbani, & osteodit eum falsarium fuisse & crudelem. Ait enim: *Item Raynaldus de Vrsinis germanus Domini Iacobi olim Cardinalis dixit mihi isto anno de mense Aprilis in castro Ovi prope Neapolim, ubi Regina Iohanna moratur, quòd sepedictus Bartholomæus quondam Barensis requisivit eum & rogavit instanter ut transmitteret ad ipsum tabellionem qui scripsit testamentum Domini Iacobi prælibati. Quod nullo modo facere voluit, quia credebat se certum quòd hoc faciebat ad finem falsificandi testamentum Domini fratris sui, & consequenter ut daret mortem dicto tabellioni.* Sed ut rem extra controversiam ponamus, auctor est Bzovius anno 1378. §. 28. Poncellum Vrsinum Cardinalem ab Vrbano creatum multa contra Iacobum Vrsioum Cardinalem egisse & Romanis auctorem fuisse oe illius exemplo ad Robertum Gebenensem, id est, Clementem VII. Papam, aspirarent.

His omnibus addere lubet testimoniom Garsiæ Martiui electi Auriensis, ex quo liquet huoc Cardioalem habuisse inimicos qui multùm velleot detractum bonæ famæ ejus. Aiebant enim illum esse superbum & plusquàm superbum, fortassis quia domos habebat in Campania, cujus urbem Capuam domicilium superbiæ vocat Tullius. Ait ergo Garsias in depositiooe sua se post electiooem Vrbani audivisse *à Decano Xantonensi & à quodam capellano Domino Iohanne familiari Cardinalis Majoris monasterii, cum astante ibi Cardinali Gebennensi: Iste proditor Cardinalis Gebennensis fecit nobis perdere papatum, quia nos habuissemus unum valde probum Cardinalem quòd à magno tempore citra non fuisset ita bonus Papa, scilicet Cardinalis Pictavensis vel saltem Vivariensis; sed nunquam voluit iste Cardinalis Gebennensis, nec Cardinalis sancti Eustachii, qui juvabat eum. Tunc dixit sibi iste testis quare non elegerant Cardinalem de Vrsinis, qui erat Romanus & Cardinalis, & de quo placuisset Romanis. Et tunc dixit dictus Dominus Iohannes quòd Cardinalis de Vrsinis erat superbus & plusquàm superbus.*

Occasio postulat ut hunc locum, qui obscurus est, explicemus. Lemovices sueti habere Papas ex gente sua volebant, si libera comitia fuissent, ad hunc honoris gradum evehere Cardinalem Pictaviensem patria Lemovicem, vel si id consequi non possent, vicinum suum Petrum de Sortenaco natum in Cadurcis, vulgò dictum Cardinalem Vivariensem. Contrà Galli alium quempiam malebant quàm Lemovicem, putantes se satis diù paruisse ac servisse huic nationi. Vnius partis dux erat Ioannes de Crosso Cardinalis Lemovicensis, alterius Robertus Cardinalis Gebennensis. Interea orta seditione in populo Romano, sævienteque vulgo ignobili, necessitas tuendæ propriæ salutis utramque partem coegit deserere institutum sum. Neque Lemovices habuere Papam è suo sanguine, neque Robertus pervicit ut quispiam è reliquis Cardinalibus Gallis eligeretur. In Bartholomæum Archiepiscopum Barensem utraque pars consensit; verène, an fictè, non est istius loci pronunciare. Nuoc probandum est testimoniis veterum id quod à oobis dictum est.

In Facto misso per Bartholomæum sub bulla Regi Castellæ legitur apud Odoricum Raynaldum an. 1378. §. 79. Lemovices summopere cupiisse in cathedra apostolica collocare alterutrum è duobus Cardinalibus quos suprà oominavimus, sed ceteros repugnasse & Lemoviceosibus per unum istorum dictum fuisse quòd *ista vice nullo modo consentirent eligere in Papam aliquem de natione Lemovicensi; subjungendo quòd totus mundus videbatur attædiatus de dominio Lemovicensium quod hactenus habuerunt in Papam.* ubi legendum esse *in papatu*, ut apud Iacobum de Seva seu potiùs apud Ioannem de Lignano, vel *ex papatu*; ut in codice Harlæano, nemini paulò versato io his studiis potest esse obscurum. Cardinalem porrò qui ista dixit Lemovicensibus fuisse Cardinalem sancti Eustachii docet Factum ejusdem Iacobi pag. 489. in tomo quarto historiæ Vniversitatis Parisiensis. Ex quo certò constat illum non fovisse partes Lemovicensium, quod ex aliis quoque testimoniis colligitur, adeoque erratum esse vehementer ab Episcopo Cassanensi scribente apud Odoricum Rayoaldum eod. an. §. 2. illum gratia & favore Cardinalium Lemovicensium aspirasse ad summom pontificatum.

In depositione Ioannis Garsiæ Decani Calagurritani legitur quòd interrogatus super quibusdam articulis circa materiam primæ electionis nihil dixit, *excepto quòd ipse & alii curiales loquendo de ista materia dicebant quòd Cardinales Lemovicenses volebant facere Papam de se ipsis, & quòd Gallici non consentiebant, quia dicebatur quòd in regimine quod hactenus tenuerant in Dei Ecclesia demonstrarunt magnam affectionem illis de parentela sua & ad eorum voluntatem, & quòd non rexerant bene, & propter hoc volebant quòd esset Gallicus.*

Ioannes Remigii de Guzman Archidiaconos del Aleor in Ecclesia Palentinensi & Canonicus Legionensis testis juratus deposuit se audivisse *quòd Cardinales fuerunt congregati aliquibus vicibus in sancta Maria nova, & ipse vidit eos intrare ibi ad consilium, & audivit dici quòd tractabant de electione Papæ, & quòd fuerant*

fuerant multùm discordes, quia Lemovicenses volebant quòd esset Papa Pictavensis, & Gallici, qui erant Gebennensis & Glandatensis, cum quibus erat Cardinalis sancti Eustachii & de Luna, volebant alium, & Italici alium, & erat fama quòd Gallici volebant se jungere Italicis ad habendum majorem partem, sed nescit quòd deliberassent ob istam discordiam eligere Archiepiscopum Barensem, nec scit quòd de tali deliberatione esset aliqua fama Romæ antequam Cardinales intrassent conclave, sed audivit dici quòd dixerat Cardinalis Gebennensis quòd potiùs consentiret quod eligeretur unus Italicus quàm Lemovicensis.

Garsias Martini electus Auriensis *dixit quòd audivit dici à quodam de quo non recordatur quòd Cardinalis Gebennensis dixerat in tractatu electionis aliis Cardinalibus quòd ex quo populus Romanus sibi supplicabat quòd darent eis Papam Romanum vel Italicum, bonum erat eis complacere, & si eis placeret & vellent habere Papam Romanum, placebat sibi quòd esset Cardinalis de Vrsinis, & si volebant Italicum, quòd esset Cardinalis Florentinus, & si vellent de alia natione & placeret eis quòd esset Hispanus, placebat sibi quòd esset Cardinalis de Luna, & in casu quòd vellent quòd esset de regno Franciæ, placebat sibi cum Cardinali de Britannia, & in casu quòd vellent quòd esset factura & helemosina Papæ Gregorii, quod esset Cardinalis sancti Eustachii, quoniam manutneret illius alumnos sicut ipse Papa Gregorius, & in casu quòd vellent de extra collegium, placebat sibi quòd eligerent Archiepiscopum Hispalensem, & tunc dixerat Cardinalis de Agrifolio cum sequela sua quòd nolebant consentire in aliquo istorum, & Cardinalis Gebennensis cum sua sequela dixerat quòd nec ipse volebat consentire in aliquo suorum. Et, prout audivit, erat alia sequela, de qua non recordatur, tamen credit quòd esset de Romanis & Italicis. Interrogatus qui sequebantur Cardinalem de Agrifolio dixit quòd credebat & audivit dici quòd erant de sua sequela Pictavensis & Lemovicensis, Vivariensis, Majoris monasterii, & alii de quibus non recordatur. Et cum Gebennensi erant de Britannia & sancti Eustachii & de Luna & alii de quibus non recordatur.* Et statim sequitur in eadem depositione eundem testem interrogatum super articulo 33. casus primi electi, in quo agitur de tractatu quem Vrbanistæ dicebant habitum in conclavi pro electione Bartholomæi, dixisse audivisse se *quòd Cardinalis de Luna dixerat Cardinali Lemovicensi quòd antè sciret mori quàm eligere Romanum, & Lemovicensis dixerat sibi, & ego idem, tunc dixerat Cardinalis de Luna quòd videbatur sibi bonum quòd eligerent unum Italicum, & Lemovicensis dixerat, Videtur vobis quòd esset bonum quòd eligeremus Archiepiscopum Barensem, & ille de Luna respondit quòd placebat sibi, & tunc ista notificarunt Cardinalibus de Agrifolio & Pictavensi, & illi responderunt quòd placebat eis.*

Alvarus Gundisalvi Canonicus Cordubensis interrogatus super eodem articulo *dixit quòd audivit quòd cùm Cardinales non concordarent eligere de se ipsis, Cardinalis Lemovicensis surrexit & dixit: Domini, ex quo Deus non vult quòd concordemus in personam collegii, teneo quòd propter hoc habebimus eligere de extra collegium, & quòd dixerat: Non video aliam personam ita dignam sicut Archiepiscopum Barensem, qui erat persona sancta & digna & amicus & notus omnibus illis & maturæ ætatis & sufficientis litteraturæ. & quòd dixerat statim: In nomine patris & filii & spiritus sancti. Ego eligo liberè & sponte in Papam Archiepiscopum Barensem. Statim omnes alii Cardinales elegerunt eum eodem modo, excepto Cardinale de Vrsinis, qui ultimò dixit: Ego eligo illum in quem major pars consentit.*

In depositionibus illis quædam sunt vera, multa falsa. Nam certum est Lemovices fuisse passos contradictionem à ceteris Cardinalibus, at non in conclavi. Tum enim actum non est de eligendo Papa, sed de vitando periculo. Cupido autem vitæ effecit ut Cardinales in hunc Archiepiscopum Barensem conjicerent oculos, aliàs non facturi, ut manifestum est. Constat quippe illos antea non cogitasse de Bartholomæo. Sed ista conficta sunt ab Vrbanistis ut aliquis bonus color dari posset electioni ejus.

PETRVS FLANDRINI] Illum constat fuisse patria Vivariensem, ortum è Bourea modico apud Vivarienses pago, ut docet Ioannes Columbi, Doctorem decretorum, & Decanum Ecclesiæ Bajocensis, tum etiam auditorem sacri palatii, & Gregorii XI. referendarium. De patria ejus sic legitur in depositione Guillelmi de Vouta Episcopi Massiliensis & Valentini: *Item etiam consuluit Dominum Cardinalem sancti Eustachii, qui est de illis partibus quibus iste, & aliqui consanguinei dicti Cardinalis habent possessiones in districtu consanguineorum dicti Episcopi.*

Anno MCCCLXXI. die sexta Iunii idem Gregorius eum fecit Diaconum Cardinalem tituli sancti Eustachii.

Eodem anno Gregorius XI. ei & Guillelmo Noelleti Diacono Cardinali tituli sancti Angeli mandavit ut vice sua inhiberent ne quis in provinciis Tarraconensi & Cæsaraugustana doceret quasdam propositiones circa sacramentum eucharistiæ quæ paulò antè prædicatæ fuerant in iisdem provinciis per quosdam religiosos. Quod illi præstiterunt die octava Augusti ejusdem anni. Vide Nicolaum Eymerici in Directorio Inquisitorum pag. 44.

& Vvaddingum an. 1371. §. 14. & seqq.

Anno MCCCLXXIV. die lunæ XVI. Ianuarii, ut adnotatum est in antiquis decisionibus Rotæ Romanæ, pronuntiatio facta fuit per Dominum Petrum Flandrini Cardinalem tituli sancti Eustachii ex commissione sibi facta per Papam Gregorium XI. Avenioni executores quoslibet gratiarum per sedem apostolicam deputatos non posse de jure procedere ad executionem eorum quæ in commissione suarum literarum continentur donec suas receperint literas.

Die quinta Maii ejusdem anni idem Gregorius hunc Petrum Cardinalem sancti Eustachii nominavit inter executores sui testamenti. Vide to. VI. Spicilegii Dacheriani pag. 688.

Eodem anno idem Papa eum fecit vicarium generalem in Hetruria. *Bzov. an.* 1374. §. 9. Videtur autem rediisse ad eum fine anni MCCCLXXVII. quo data est ejusdem Gregorii epistola ad Petrum Episcopum Magalonensem thesaurarium suum, in qua mentionem facit adventus Cardinalis sancti Eustachii ad curiam. Falsus est ergo vehementer auctor secundæ vitæ Gregorii XI. pag. 455. scribens hunc Cardinalem remansisse Avenioni eo tempore quo Gregorius profectus est Romam, sed tamen postea eum secutum fuisse in Italiam. Raduiphus quoque de Rivo cap. 12. de gestis Episcoporum Leodiensium videretur errasse recensens Cardinales qui cum Gregorio fuerunt Romæ & eos qui remanserunt Avenione, nisi interpretatione adjuvaretur. Petrum quippe Cardinalem tituli sancti Eustachii nominat in primo ordine. Certum est sanè illum Romæ fuisse cum Papa. Sed æquè certum est illum non fuisse apud Avenionem ea tempestate qua Gregorius ingressus est iter Romanum, adeoque comitem ejus non fuisse. Illum itaque assecutus est apud Romam anno MCCCLXXVII. exeunte, ut suprà diximus.

Anno sequenti obiit Romæ idem Gregorius die XXVII. Martii. Hinc origo magnorum tumultuum & pestilentissimi schismatis. Romani enim ægrè ferentes Romanum Pontificem, Episcopum universalis Ecclesiæ, ut ipsimet vocant, alibi quàm Romæ habitare, tum avaritiæ,ex qua erumpere audaciam scripsit Tullius, stimulis incitari, precibus quidem petierunt à Cardinalibus Papam Romanum aut Italicum; sed preces erant quibus contradici non posset, ut ait Tacitus. Minas enim jactabant, pericula intendebant, formidines opponebant, & vagabantur passim toto foro cum barbaro atque immani terrore. Inter hæc Cardinales ingressi sunt conclave. Adnotat autem Thomas Petra Canonicus Patracensis in sua depositione Cardinalem Gebennensem & Cardinalem sancti Eustachii primos omnium in illud ingressos esse. Postea electus est Bartholomæus Archiepiscopus Barensis, Vrbanus VI. vulgò dictus; quem Cardinales omnes postea deseruerunt, uno excepto, videlicet Cardinale S. Petri, uti suprà pag. 958. 1033. dictum est.

Iactabatur interea in vulgus & per provincias Vrbanum rite atque legitimè electum fuisse. Neque sibi deerat ipse. Scribebat enim ad Principes & academias de sua electione. Cardinales quoque coegit ut scriberent contra veritatem gestorum. Itaque illi metu pejorum ei præstiterunt obsequium. Extat in sermone quem Guido de Malesiceo habuit in synodo Cameracensi insignis locus de literis illis. Cùm enim retulisset objectionem quæ tum fiebat Cardinalibus quòd ipsi per suas literas scriptas quibusdam Principibus Vrbanum agnoverant esse verum Papam, addit: *Ad primam oppositionem seu objectionem de litteris respondeo &c. quòd B. illas litteras petiit ab omnibus nobis. Responsum fuit ei quòd nunquam de more sacrum collegium notificat per suas litteras electionem Romani Pontificis Principibus vel aliis, & sic se habet veritas.* Et paulò pòst: *Ipse tamen hoc non obstante cum omni instantia eas habere voluit; ad quem finem, bene potes cogitare.* Et infrà: *Imò etiam cùm secundùm stilum curiæ, quando collegium scribit, littera sigillantur solùm sigillis trium Priorum trium ordinum, cùm tunc actu duo Priores essent Italici, videlicet Dominus Florentinus & de Vrsinis, suspicans quòd propter nationem de qua etiam erant ipsorum testimonia reputarentur suspecta, petiit quòd alii duo loco illorum sigillarent. Sed resistentibus Dominis Italicis non potuit hoc obtinere, licèt contristatus fuerit contra unum de Dominis. Satis propter ad evitandum omnem suspicionem & scandalum quod posset inde suscitari litteras Domini concesserunt.* Vide etiam Ægidium Bellameram in cap. *Præterea.* de testibus cogendis. Aliquos etiam Cardinales singillatim coegit scribere de sua electione in provincias, ut alibi dicimus. Cardinalis tamen sancti Eustachii non scripsit. Testatum id habetur in responsione fratris Angeli generalis ministri ordinis fratrum Minorum ad articulos primi electi. *Ad* LXXXV. *&* VI. *dicit quòd audivit dici à pluribus & est communis fama quòd Domini Cardinales qui fuerunt in urbe pro illo tempore scripserunt multis Principibus mundi & aliis Dominis quòd elegerunt Dominum Barensem in verum Papam; & audivit consequenter quòd hoc fecerunt timore potiùs quàm amore, requisiti per dictum Vrbanum & officiales populi Romani. Et specialiter recordatur de Domino Gebennensi, qui nunc est Papa Clemens, quòd scripserit, ut audivit, Domino Galeaco; & aa-*

dixit id de Domino de Luna, tamen nescit cui. Et addit quòd Dominus de sancto Eustachio dixit isti qui loquitur: Bene scio de me ipso quòd nunquam scripsi Domino nec homini ipsum esse Papam. Et hoc audivit anno elapso proximo in Avinione de mense Augusti vel Septembris.

Vrbano itaque omnia palam Romæ parebant. Vna arx quam vocant sancti Angeli ejus imperia spernebat. Quæ res animum ejus maximè commovit. Vtque erat impatiens iræ, tum natura vehemens, nihil intentatum reliquit ut arcem illam obtineret. Cùmque eam vi sibi subjicere non posset, quamquam multùm vellet, pecuniam dedit huic Cardinali sancti Eustachii, si fides adhibenda est Facto ejusdem Vrbani misso ad Regem Castellæ; in quo scriptum est quòd iste Cardinalis *certas pecunias receperat ad effectum quòd castrum sancti Angeli præfato Domino nostro restitui faceret. quod minimè fecit. Et videns præfatus Dominus noster prædicta, ipsum arguit dicens quod talia sustinere non intendebat.* Ita legitur apud Odoricum Raynaldum an. 1378. §. 102. & in codice Harlæano.

Et hæc quidem fiebant nondum evulgato Cardinalium arcano cogitantium de electione canonica Romani Pontificis. Prudentibus tamen & rerum humanarum peritis, præcipuè verò Cardinalibus Italis, satis apparebat omnia tendere ad schisma ac divisionem. Itaque illi in medium adduxere viam Concilii generalis, in quo ea controversia definiretur. quod etiam propositum fuerat in Concilio Ecclesiæ Gallicanæ. Sed circa indictionem Concilii ingens versabatur difficultas. Aliqui enim aiebant congregandum esse ab Vrbano, qui erat in possessione papatus, alii à Cardinalibus, penes quos resider omnis auctoritas sede vacante, alii denique ab Imperatore & ceteris Principibus. Fuere etiam qui dicerent posse convocari per Patriarchas & Archiepiscopos.

Rursum magna controversia fuit de loco ubi celebraretur Concilium. Sic enim testatur Cardinalis sancti Eustachii in sua depositione. *Et primus tractatus fuit de Concilio*, inquit, *quòd congregarentur Prælati de omnibus provinciis, qui essent viri literati & bonæ conscientiæ, tertia pars de Italia, alia tertia pars de regno & districtu Franciæ, alia tertia pars de Hispania & de Alamannia & de Vngaria & de Anglia, quia non habent tot nec tantos literatos ista provincia. Et Cardinales Italici volebant quòd fieret congregatio illius Concilii in Venetiis, vel Pisis, vel Neapoli. Sed alii Cardinales dixerunt quòd non se ponerent iterum in loco suspecto, ubi civitas vel locus regebatur per populum, & licet Neapolis haberet Reginam, attamen ipse Barensis erat oriundus de illa civitate, & populares faverent sibi. Quare deventum fuit ut fieret apud districtum Comitis Sabaudiæ in loco Pedimontis, & quòd ille Comes Sabaudiæ promitteret tenere securos & dare obsides.*

Cùm ergo Cardinales Itali eum conscientia Vrbani obtulissent Concilium Cardinalibus Gebennensi, Pictaviensi, & sancti Eustachii, isti prudenter responderunt rem ejus momenti esse ut ipsi non possent quicquam statuere inconsultis collegis Anagniæ consistentibus; ut patet ex epistola eorundem Italorum scripta die sexta Augusti, quam anno 1378. §. 42. edidit Odoricus Raynaldus. Cùm verò Cardinales Galli rediissent ad collegas, ad eos retulerunt propositionem Italorum de celebrando Concilio generali: *quæ cùm esset per istos tres Dominos missos altis Dominis reportata*, ut ait in suo tractatu Cardinalis sancti Eustachii, *fuit communi omnium consilio tanquam damnosa & præjudicialis repulsa.* Non solùm autem Cardinales ultramontani hanc viam sedandi schismatis repudiarunt, sed etiam Itali, à quibus proponebatur. Ita enim ad dubia Archiepiscopi Toletani rescripsit idem Cardinalis sancti Eustachii: *Est igitur verum quòd postquàm Domini mei cum multis repetitis maturis consiliis remansissent concordes quod iste B. non erat Papa, aperta fuit inter Dominos via Concilii generalis, & post multa consilia inter se omnes tam citramontanos quàm Italicos fuit conclusum quod illa via veluti perniciosa Ecclesiæ non erat recipienda.* Sanctus quoque Vincentius Ferrarius in tractatu de moderno Ecclesiæ schismate par. 2. cap. 4. improbabat hanc viam ita dicens: *Secundò dico quòd non decet propter hoc universale Concilium convocari, tum quia Dominus noster Dominus Clemens summus Pontifex & Domini Cardinales viderentur veritatem Ecclesiæ notoriam in dubium revocare, quod non decet, maximè considerando multa gravia & adversa quæ possent contra Ecclesiam pro convocatione hujusmodi evenire.* Item Robertus Gervasii Episcopus Senecensis in tractatu de schismate fol. 123. *Vltimò probatur quod ad hoc declarandum non oportet Concilium generale convocare. Et hoc sic. Quia vel vocaretur per intrusum, & certum est quòd ille non potest dare auctoritatem Concilium celebrandi, vel per canonicè electum, & tunc obedientes intruso non venirent vocati, vel per Principes temporales, & tunc sequerentur magna pericula & divisiones inter eos.* In tractatu autem mox laudato idem Cardinalis sancti Eustachii affert rationes quibus probat Concilium non posse nec debere vocari neque fieri in isto casu; quas ejus verbis refert Odoricus Raynaldus an. 1378. §. 43.

Agit in hoc loco miros triumphos idem Raynaldus, multùm commendans Vrbani modestiam & æquitatem, qui ad motam à per-

ducibus de pontificatu suo controversiam dirimendam & schisma imminens propulsandum se submittere voluerit œcumenicæ synodo. Quod est manifestè falsum; & mirarer istud scribi potuisse ab Odorico Raynaldo, nisi scirem eum fuisse hominem audacissimum & perfrictissimæ frontis. Nam quamvis Vrbanus consensisset ut Itali Cardinales viam Concilii proponerent ultramontanis, non erat illi ea mens ut se causamque suam submitteret judicio Concilii, ut per summam audaciam scribit hic auctor. Contrà frater Nicolaus Presbyter Cardinalis tituli sancti Cyriaci testatur se, cùm adhibitus fuisset super ea re in consilium ab Vrbano, consensisse *quòd Dominus noster promitteret eis tenere Concilium in quo Dominus non subiceret se, sed sicut verus Papa teneretur*, neque ait repugnatum huic sententiæ fuisse ab Vrbano neque à Cardinalibus Italis. Ex quo consequitur ita oblatum fuisse Concilium Cardinalibus ultramontanis ut tamen ab Vrbano convocaretur & ipse ei per se vel per Legatos suos præsideret, causam porrò integram servaret Dei judicio. id quod satis sciebat accipi non posse à Cardinalibus ultramontanis. Sed quid opus conjecturis in re aperta & manifesta. Habemus quippe testimonium ipsius Vrbani, qui apertè professus est se nolle causam suam committere judicio Concilii generalis, ut Rodericus Bernardi docet in relatione quam de itinere suo Romano fecit coram Ioanne Rege Castellæ die quarta mensis Decembris anno millesimo CCCLXXX. apud Medinam de Campo: *In principio mensis Septembris ego ascendi palatium pro licentia recedendi optinenda, & exposui primo electo secretè solus tum solo quid dicerem vestra regie serenitati de tenendo Concilio super ista materia scismatis. Ipse respondit quòd nolebat quòd teneretur Concilium, quia alius qui est in Avinione Concilium nolebat; & addidit quòd licet vos haberetis bonam intentionem in hac parte, attamen non erat utilitas aliqua tenere Concilium, quia tempore quo incepit scisma Grecorum, & fuit congregatum Concilium, & ibi magna fuit diversitas inter Latinos & Grecos, tandem cum majori pertinacia Greci tenuerunt partem quam primò tenebant. & allegabat historiam tripertitam.* Et mox: *Similiter dixit quod factum Imperatoris & Cardinalium quos creaverat ipse primus electus & statu eorum poneretur in dubio, & quòd istud Dominus de Alenconio nullatenus consentiret, imò clamaret usque ad tertium celum. Et licèt ego dixi sibi quòd utilitas christianitatis totius & sancte matris Ecclesie deberet attendi potiùs quàm privatum commodum & affectio personarum singularium, ipse tamen remansit in sua opinione quòd nolebat Concilium aliquo modo.* Quoad Alenconium ista leguntur in eadem relatione Roderici Bernardi: *Preterea Dominus de Alantonio dixit una die socio meo & mihi quòd instabamus apud primum electum quòd teneretur Concilium super materia scismatis & mirabatur de nobis quare eramus solliciti de hoc. Ad istud respondimus quòd Dominus noster Rex preceperat nobis quòd diceremus primo electo, credens quòd per istum modum posset tolli scisma. Item dixit nobis quòd non erat possibile quòd poneret statum suum & Imperatoris in dubium, & quòd primus electus juraverat sibi quòd unquam faceret nec consentiret quod teneretur Concilium super isto negotio.* Confirmatur istud ex epistola quam Ioannes Rex Castellæ scripsit ad Karolum V. Regem Francorum anno MCCCLXXVIII. die XX. Decembris; in qua ait unicum mali istius remedium sibi videri totius catholicæ plebis generale Concilium. Extat epistola illa in codice 842. bibliothecæ S. Victoris Parisiensis.

Illud quoque accedat incommodum, quòd illi Cardinales qui auctores erant Concilii celebrandi, id est, Itali, volebant esse præsides Concilii & in eo Papam eligere pro suo arbitrio. Istud dictum fuisse publicè ab Vrbano in celebri conventu Episcoporum & magnatum anno MCCCLXXX. in vigilia beati Ioannis Baptistæ legitur in eadem relatione Roderici Bernardi his verbis: *Et in fine propositionis reduxit se ad Cardinales Italicos, qui erant tunc in loco qui dicitur Adversa, qui erant Dominus Petrus de Florentia & Dominus Simon Cardinalis Mediolanensis, & dixit quòd isti novam speciem scismatis satagebant inducere. Nam volebant & nitebantur suadere quòd teneretur Concilium ubi ipsi essent presidentes & assumerent in Papam quem vellent. Et locus ubi erant designabat quòd adversam & malam partem fovebant.* Certum est autem istud non potuisse approbari ab Vrbano. Adde testimonium Petri Cardinalis sancti Eustachii: qui respondens objectionibus Archiepiscopi Toletani ait Vrbanum nunquam voluisse assentiri celebrationi Concilii generalis. Hæc sunt ejus verba: *Sed adversarius nunquam in aliquo Concilio concordare voluit. Imò, prout scripsit manu sua Domino nostro unus de notabilioribus Prelatis Italie, cùm pridie concordasset viam Concilii & tradidisset litteras bullatas Dominis meis Italicis, postea fuit pœnitens repetiit litteras; & ipsi Domini mei, litteris suis sibi restitutis, in totali discordia recesserunt de loco ubi erant, & se sub dominio serenissime Domine Regine Sicilie retraxerunt.* Et paulò pòst: *Et hec est, Pater mi, veritas pura & simplex, licèt ille perditionis filius in patriis quas videt paratas ad veritatis agnitionem dici faciat fraudulosè quòd vult Concilium, ut sic plures teneat in errore suspensos, & in illis qua*

sibi obediunt absolutè negat se velle Concilium acceptare. Itaque illa Concilii via ex parte Vrbani erat mera illusio, & manifestè ostendit falsò & immeritò laudatam in hoc fuisse modestiam & æquitatem ejus ab Odorico Raynaldo; qui rursum ad annum 1409. §. 47. de Concilio toties ab Vrbano oblato loquitur in loco non suo, id est, absque judicio, ut solet.

Interea dum Cardinales exquirerent ea consilia quæ ad pacem pertinerent, tempusque in his deliberationibus consumeretur, quibus se apertè ludificari ab Vrbano videbant, decrevere dandum esse tandem Episcopum Romanæ Ecclesiæ. Is fuit Clemens istius nominis septimus. Tum verò Cardinalis sancti Eustachii scripsit tractatum pro defensione juris istius Clementis adversùs Vrbanum. Extat ille in bibliotheca Vaticana, ex qua citatur ab Odorico Raynaldo. Extat etiam in codicibus 812. & 814. bibliothecæ Colbertinæ. Adversùs illum dubia quædam proposuit Petrus Archiepiscopus Toletanus, quorum magnam partem edidit Odoricus Raynaldus ad annum 1381. Integrum illius opus extat in codice 815. bibliothecæ Colbertinæ & in codice 842. sancti Victoris Parisiensis. Responsio autem Petri Flandrini ad objectiones Archiepiscopi Toletani extat in eodem codice 815. bibliothecæ Colbertinæ. In eodem rursum codice 815. habetur litera missa contra Cardinales per magistrum M. Neapolitanum Bareosem de ordine Prædicatorum super impressiva electione facta in urbe de Bartholomæo, cui subjungitur responsiva ad præmissam epistolam facta per Petrum Flandrini Cardinalem sancti Eustachii.

Scripta ejus moverunt bilem Vrbani adversùs eum. Itaque ipse nominatim excommunicatus & anathematizatus est ab Vrbano & depositus à cardinalatu. Neque solùm hoc; sed in formula sponsionis fidei quam eidem Vrbano facere debebant novi Episcopi & Abbates ab eo instituti, inter cetera continebatur ita: *Item Roberto olim basilicæ XII. Apostolorum dicto Gebennensi nunc Antipapæ, qui se Clementem septimum nominat, Iohanni olim tituli sancti Marcelli dicto Ambianensi, & Geraldo olim tituli sancti Clementis dicto Majoris monasterii Presbyteris, & Petro olim tituli S. Eustachii Diacono dictæ Ecclesiæ Cardinalibus, perditionis filiis, justo Dei judicio auctoritate apostolica condemnatis &c. quandiu extra gratiam & communionem sedis prædictæ permanebunt, non dabo quovis modo per me vel alium directè vel indirectè, publicè vel occultè, auxilium, consilium, vel favorem, sed eos secundùm posse meum, donec convertantur, juxta processum prout justum fuerit persequar.*

Anno MCCCLXXXI. ineunte Cardinalis sancti Eustachii incidit in gravem & exitialem morbum. Cùm verò animadverteret sibi discedendum esse ex hac vita, viatico se instruere decrevit & sacri corporis Domini nostri communione juvari. Data itaque fuit ei communio à fratre Raymundo de Bona Episcopo Vasionensi die XVII. ejusdem mensis. Tum verò ille, antè quàm communionem acciperet, coram ipso corpore Domini nostri Iesu Christi publicè dixit se credere indubiè ac firmiter asserere Clementem VII. fuisse canonicè electum, receptum, inthronizatum, & debitè coronatum, eundemque esse verum Papam & Romanum Pontificem. Extat de his publicum instrumentum ea die confectum in codice Harlæano & in codice 814. bibliothecæ Colbertinæ. Et in codice quidem Harlæano habet hanc inscriptionem: *Sequitur instrumentum confessionis Domini Cardinalis sancti Eustachii cum signo & subscriptione Notarii & undecim testium.* In Colbertino verò vocatur verum testamentum ejusdem Cardinalis, ut hinc colligeret lector aliud ab Vrbanistis circumferri solitum, quod erat falsatum. Vnde in titulo istius falsati ita scriptum est in eodem codice: *Sequitur tenor falsati testamenti dicti Domini sancti Eustachii. quam falsitatem commisit Notarius per plures annos post mortem prædicti Domini, & postquam ad Bartholomæum idem Notarius se transduxit.* Obiit autem Avenioni die XXIII. Ianuarii; ibidemque sepultus est, uti vulgò scribitur. Non indicatur tamen locus ubi positus est.

Fratrem habuit nomine Ioannem, quem in initiis pontificatus Vrbani volebat evehere ad episcopatum Massiliensem, ut patet ex depositione Thomæ Episcopi Lucerini. Fuit autem ille postea Archiepiscopus Auscitanus & Cardinalis, ut suo loco dicetur.

Petri cum laude meminit Ægidius Bellamera, in primis verò in cap. *Cùm Ecclesia.* de causa possess. & propriet. ubi ait Dominum Petrum Flandrini quondam Cardinalem sancti Eustachii dixisse quòd Canonici jus eligendi possunt aliis communicare. Idem in cap. *Placuit.* de præscription. ait eundem Cardinalem ex ista decretali collegisse argumentum quòd præscriptio currere non potest inter Principes superiorem non recognoscentes, pro eo quòd unus contra alium ex defectu superioris non potest agere, & quia tales præscriptiones à jure positivo procedunt, à quo tales ligari non possunt.

Ex gente haud dubiè istius Cardinalis fuit etiam Guigo Flandrini *lator & in parte compositor damnati libelli sub nomine epistolæ Tolosanæ præsentati Parisius*, ut legitur in decreto Concilii Parisiensis anni MCCCCVIII. lato adversùs fautores Petri de Luna in codice 841. S. Victoris Parisiensis. Vide Sponda-

nium an. 1408. §. 17. Ea epistola, ut illud quoque admoneamus, habetur in codice 4463. bibliothecæ Colbertinæ & in codice 843. sancti Victoris Paris. fol. 189. cum hac epigraphe: *Sequitur epistola præsentata Regi Franciæ anno Domini MCCCCII. ex parte studii Tholosani in facto Ecclesiæ.* In calce verò ita adnotatum est antiquitus: *Ista epistola præcedens est condampnata per consilium regium tanquam Regis, regalium, cleri regni, Dalphinatus, & Parisiensis Universitatis injuriosa, diffamatoria, & detestanda, & ut talis publicè cum sono tubæ Avinioni supra pontem & Tholosæ lacerandæ & lacerata, publiceque Parisius etiam lacerata, prout per arrestum latum XVII. die Iulii anno Domini millesimo quadringentesimo sexto apparet intuenti.* Arrestum heic laudatum extat in eodem codice Victorino fol. 178. & inter probationes libertatum Ecclesiæ Gallicanæ cap. 20. pag. 722. secundæ editionis Parisiensis. Adversus epistolam istam Guillelmus Ronacensis Præpositus scripsit tractatum in modum epistolæ ad Philippum Ducem Burgundiæ, qui habetur in eodem codice Victorino fol. 212. ubi etiam fol. 202. reperitur anonymi cujusdam tractatus adversus eandem epistolam studii Tolosani. At in codice 813. bibliothecæ Colbertinæ fol. 118. extat cujusdam Doctoris Tolosani epistola ad Regem pro defensione ejusdem epistolæ.

GVILLELMVS NOELLETI] Initia illius in obscuro sunt. Illud tantùm scimus, ortum eum fuisse in diœcesi Engolismensi. Studio juris dedit operam in academia Tolosana, & anno MCCCLXV. factus fuit Doctor à Guillelmo de Agrifolio juniore postea Cardinale, ut legitur suprà pag. 419. in quarta vita Vrbani quinti. Postea, ut arbitror, evasit Canonicus Bajocensis & auditor sacri palatii. Ægidius Bellamera in cap. *Consulti.* de procurat. scribit illum fuisse domesticum & familiarem Petri Rogerii Diaconi Cardinalis sanctæ Mariæ novæ & palatii apostolici causarum auditorem.

Anno MCCCLXVI. Kal. Augusti missus est Constantinopolim ab eodem Vrbano pro unione Ecclesiæ orientalis cum occidentali. Vide Bzovium an. 1366. §. 10.

Postea obtinuit archidiaconatum Carnotensem, uti scriptum est in ista Gregorii XI. vita. Quare immeritò Franciscus Duchesnius reprehendit Frizonium, tanquam is solus absque alicujus vetustioris auctoritate scripsisset hunc Cardinalem fuisse Archidiaconum Carnotensem.

Fuit etiam auditor sacri palatii & referendarius Papæ Gregorii XI. à quo factus est Diaconus Cardinalis tituli sancti Angeli anno MCCCLXXI. die sexta Iunii.

Eodem anno, uti suprà pag. 1104. dictum est, idem Gregorius huic Guillelmo & Petro Cardinali sancti Eustachii commisit causam Hispaniæ Tarraconensis adversùs quosdam malè sentientes de sacramento eucharistiæ.

Anno MCCCLXXIII. idem Gregorius illum constituit Vicarium generalem in quibusdam civitatibus & locis Romanæ Ecclesiæ. *Boninsegni pag. 558. Ghirardacci lib. 25. hist. Bonon. pag. 331. 339. 341. & seq. Bzov. an. 1374. §. 5. 6. Odoric. Raynald. an. 1375. §. 12. & Vghel. to. 2. Ital. sac. pag. 727.*

Anno MCCCLXXIV. Gregorius XI. eum posuit inter executores testamenti sui. Vide to. VI. Spicilegii Dacheriani pag. 688.

Anno MCCCLXXV. conjectus est in carcerem à Bononiensibus. *Prima vita Gregorii XI. pag. 435.* At Hieronymus Rubeus lib. 6. hist. Ravenn. pag. 586. ait tantùm urbe egredi coactum.

Anno MCCCLXXVI. ex commissione apostolica gradum magisterii in theologia contulit fratri Ludovico Francisci Assisiati, qui multis annis Perusii & Assisii legit. *Vvadding. an. 1376. §. 7.*

Puto eum postea decessisse de Italia & Avenionem rediisse circa mensem Aprilem ejusdem anni. Etenim in libro obligationum adnotatum est Robertum de Gebennis Cardinalem, qui ei successit in legatione Lombardiæ, discessisse Avenione die XXVII. Maii ut in Lombardiam proficisceretur.

Anno eodem secutus est Gregorium XI. euntem in Italiam; & post biennium vidit obsessam curiam & clausum armis senatum, quemadmodum sub imperio Domitiani evenisse observat Tacitus in vita Agricolæ. Adeo autem publicus & manifestus fuit metus ex Romanis Papam Romanum vel Italicum petentibus pro imperio ut Cardinalis sancti Angeli dixerit se consentire electioni Bartholomæi tantùm propter illum metum. Istud Ioannes Columbi clericus diœceseos Avenionensis Domicellus Bonifacii de Amanatis testatur sibi dictum fuisse à Cardinale de Luna: *Item audivit quòd Cardinalis sancti Angeli dixerat in capella, quando fiebat electio, quòd ipse non habebat liberum arbitrium propter notoriam impressionem quam videbat, & quòd consentiebat taliter qualiter, & credebat electionem nullam esse.* Post celebraram electionem, cùm adhuc teneret omnes consternatio, Cardinales egressi conclave, in varias partes abierunt. Sed Guillelmus Noelleti Cardinalis sancti Angeli abiit in ædes Cardinalis de Agrifolio. Sic enim legitur in depositione Roderici Fernandi portionarii Ecclesiæ Hispalensis, qui fuerat Romæ tempore mortis Gregorii XI. & electionis Vrbani: *Item Cardinales de Agrifolio, & Pictavensis, sancti Angeli, & Vvarinensis, recesserunt de dicto conclavi, &*

venerunt cum Cardinale de Agrifolio ad Ecclesiam sancti spiritus ad suum hospitium, quia erat hora tarda quando venerunt, & veniebant multùm tristes & multùm fessi de dicto conclavi. Et fuerunt ibi usque ad noctem. Et quando fuit nox, quia non erant securi, timentes induerunt se mantellis brevibus usque ad medium tibiæ, ne cognoscerentur à Romanis, & iverunt ad castrum sancti Angeli. Et ceteri quidem remanserunt in castro sancti Angeli. At Guillelmus noster ultra progressus est, ad castrum Ardeæ profectus, ut legitur in Facto Bartholomæi apud Odoricum Raynaldum an. 1378. §. 88. *Cardinalis sancti Angeli ad castrum Ardea, quod est monasterii sancti Pauli, cujus Abbas erat & est ultramontanus.* Idem testatur Iacobus de Seva in suo Facto pag. 495. *Cardinalis sancti Angeli recessit ad quoddam castrum Ardea, quod est monasterii sancti Pauli de urbe.* Rediit in urbem die XVII. mensis Aprilis cum ceteris Cardinalibus qui ex ea discesserant, & die dominica sequenti XVIII. ejusdem mensis interfuit coronationi Urbani. Hæc sunt verba Facti missi ad Regem Castellæ per eundem Urbanum. *Qua die, scilicet sabbati sancti, Cardinales qui exiverant urbem simul cum aliis qui remanserant in urbe, sicut fuerat deliberatum & determinatum, omnes simul de nocte & ante diem Pascha in dicta basilica, traditis ipsi Domino nostro annulo, pallio, & servatis omnibus cerimoniis consuetis, ipso Dominus noster, servientibus & assistentibus sibi omnibus Cardinalibus, Missam solemniter celebravit, in qua omnes Diaconi Cardinales sacramentum eucharistiæ palam & publicè receperunt. Quibus omnibus perfectis &c.* ut apud Odoricum Raynaldum an. 1378. §. 95. & seq.

Videtur fuisse Præses Rotæ. Etenim Ægidius Bellamera in cap. *At si clerici.* de judiciis, & in cap. *Praterea.* de dilationib. ejus mentionem facit tanquam si litium in Romana curia pendentium esset supremus judex.

Anno MCCCXC. Clemens VII. ei commisit examen operis quod Nicolaus Eymerici Inquisitor Arragonensis recenter composuerat adversùs errores & hæreses Raymundi Lulli. Sic enim adnotatum reliquit idem Nicolaus in calce ejusdem operis in codice 1846. bibliothecæ Colbertinæ: *Iste tractatus fuit per prædictum Inquisitorem Domino Papæ Clementi septimo antedicto in consistorio publico præsentatus, & ibidem per dictum Dominum Papam Domino Cardinali sancti Angeli est commissum quòd illum diligenter examinaret & eidem referret. Qui, dicto tractatu diligenter examinato, tandem retulit dicto Domino Papæ, præsentibus Dominis Cardinalibus Pictavensi, de Agrifolio, Valentino, Cusentino, de Tureio, Florentino, & multis aliis, etiam me Inquisitore prædicto præsente & audiente & relationem requirente, quòd dictus tractatus continebat illius R. Lulli quamplurimos hæreses & errores. Qua relatio facta est in capella nova in camera Domini Papæ Avinione Romana intitulata, & hoc anno Domini millesimo trecentesimo nonagesimo, vicesima die mensis Ianuarii, pontificatus prædicti Domini nostri Papæ Clementis anno duodecimo.*

Obiit Avenione anno MCCCXCIV. die quarta Iulii, ut refertur in libro obligationum. Miror autem Oldoinum prætulisse eorum opinionem qui scribunt illum obiisse anno MCCCXC.

PETRUS DE VERNHIO] Hoc est verum ejus, quamvis alii in diversum trahant. Ortum eum è diœcesi Tutelensi tradit hic scriptor vitæ Gregorii. Superest sanè apud Tutelenses gens Vernoiorum, vulgò *Vergne*, uti etiam sæpe scribitur hoc nomen in veteribus libris, mercimonio nota; in qua tamen nulla memoria superest istius Cardinalis.

Studiis literarum dedit operam in academia Monspeliensi, sociumque illic studiorum habuit Raynulphum de Monteruco postea Cardinalem. Fidem hujus rei facit idem Raynulphus in depositione sua his verbis: *Cùm verò applicui Romam, & vidi quòd multi & major pars Cardinalium recesserat ad Anagniam, statim cognovi conspirationes. Et visitavi Cardinalem de Alvernio, & propter antiquam notitiam quam habueram cum eo in studio Montispessulani, interrogavi eum utrum Dominus noster esset verus Papa. Qui respondit: Certè ego vellem quòd te fecisset Cardinalem.* Illic ergo factus est Doctor decretorum, uti vocatur in calce actorum Concilii Vaurensis trium provinciarum.

Anno MCCCLXVIII. interfuit Concilio Vaurensi. Et erat tum Canonicus Narbonensis. Vide Concilia Galliæ Narbonensis pag. 292.

In testamento Aymerici de Montibus Episcopi Pictaviensis, quod anno MCCCLXX. conditum est die undecima Martii, ita scriptum est: *Item volumus quòd si Domino Petro de Vergnia Canonico Pictavensi satisfactum non fuerit integraliter per Dominum Petrum Dameloti de certa summa auri in qua sibi tenemur, de qua per literam apparere possit, super bonis nostris residuum suppleatur.* Editum est ab Andrea Duchesnio inter probationes historiæ Castaneorum pag. 89.

Anno MCCCLXXI. die sexta Iunii Gregorius XI. eum adlegit in sacrum Cardinalium collegium, eique dedit diaconiam sanctæ Mariæ in via lata.

Anno MCCCLXXIV. idem Gregorius illum constituit esse executorem testamenti sui. Vide to. VI. Spicilegii Dacheriani pag. 688.

Anno MCCCLXXVI. secutus est eundem

Gregorium in Italiam. Multùm autem pelago jactatam esse triremem qua ille vehebatur docet Boninsegnius pag. 583. inquiens illam solvisse è portu Herculis, appulisse Gaietam, & tandem ceteris conjunctam apud Cornetum. Tandem pervenere Romam, ubi Petrus Cardinalis de Vernio habitavit in ædibus aut juxta ædes Camerarii. Petrus de Crosso Archiepiscopus Arelatensis & S. R. E. Camerarius in depositione sua: *Item quia domus ubi habitabat iste Camerarius accedebat palatio apostolico, suspicans quæ contigerunt postea, fecit fieri unum foramen in loco ubi erat alogia Domini Cardinalis de Vernio & claudi taliter & poni quandam scalam per quam poterat descendi in domum dicti Camerarii & exinde intrare in Ecclesiam sancti Petri & transire securè ad castrum sancti Angeli, & avisavit aliquos Dominos de Cardinalibus dicens quòd si viderent aliquid, in loco ubi erat alogiatus Dominus de Vernio invenirent refugium.*

Anno MCCCLXXVIII. obiit Romæ idem Gregorius. Tum ortum schisma gravissimum in Ecclesia Dei. Nam Bartholomæus Archiepiscopus Barensis electus per vim non putabatur esse verus Papa. Ipse verò se rite electum esse contendebat. Credunt plerique illum ambitione adipiscendi papatus laborasse ante ingressum Cardinalium in conclave & consiliis Romanorum propterea interfuisse. Initium prensandi fecisse videtur à Petro de Vernio, non quidem sine fuco & fallaciis, ut solebant majores, sed cum fraudibus & mendaciis, ut suprà pag. 1093. dictum est. Cùm ergo intra conclave essent, & initio facto à Missæ celebratione, jam deliberaturi essent de creando Pontifice, testatur Ioannes Garsiæ Decanus Calagurritanus & Calciatensis audivisse se à Cardinale de Vernio *quòd unus Romanorum* (videlicet Cardinalium) *dixit, Domini, bonum esset quòd faceretis Papam Romanum, & quòd per aliquos Cardinalium fuerat sibi responsum quòd ibi non debebant loqui affectuosè, sed quilibet secundùm conscientiam suam nominaret quem vellet. Et inceperunt secundùm ordinem suum exprimere vota sua. Et cùm essent in hoc, audiverunt pulsari campanam capitolii, & interrogarunt ad quid pulsabatur. Et Cardinalis de Ursinis dixit quòd nunquam pulsabatur nisi ad rumorem. Et alii dixerunt quòd non debebant timere ita citò, nec debebant conqueri, quia adhuc illa erat prima dies.* Et statim additur in eadem depositione: *Interrogatus quare dixit sibi Cardinalis de Alvernio illud, dixit quòd pro eo quòd murmurabatur Romæ quòd omnes Cardinales recedebant, & aliqui dicebant quòd volebant ire Avinionem, aliqui quòd volebant facere aliam electionem. Et quia ipse habebat in Dominum suum specialem Cardinalem de Alvernio, interrogavit eum supplicando quòd consuleret sibi quid faceret. Et ille dixit sibi: Prosequere tua negotia, & tempus dicet tibi quid te oporteat facere. Et ille dixit sibi: Domine, fortè aliquid mali vultis facere? Saltem, ut non patiatur sedes, esset bonum quòd dissimularetis aliqua & toleraretis statum Ecclesiæ in statu in quo est. Et Cardinalis dixit sibi: Non te oportet modò plus scire; sed scias quòd grave est hominem sustinere quæ sunt contra voluntatem suam & contra suam conscientiam.*

Cùm ergo, uti dictum est, Cardinales intra conclave essent, & Romani cuncta tumultu ac terrore complevissent, tanta ab illis excitata est tempestas ut necesse fuerit Cardinales cogitare de vitando periculo mortis. Tum verò Cardinalis de Vernio cum tribus aliis projecit se *per unam cameram de palatio in aliam inferiorem*, nimirùm ut effugerent manus Romanorum. Sed istud parum eis profuit. Etenim *fuerunt inventi per aliquos Romanos, & per aliquos officiales cum verbis & fertè cum verberibus fuerunt in palatium reducti.* Hæc sunt verba Stephani Episcopi Tudertini apud Odor. Raynaldum an. 1378. §. 10. vera quidem, sed mixta cum nòn veris. Postea evaserunt; & sex, inter quos Petrus de Vernhio, vestium mutatione tecti confugerunt in castrum sancti Angeli. Dubium est autem quanam veste indutus fuerit iste Cardinalis. Etenim habeo auctorem qui tradit eum sub habitu scutiferi vel domicelli evasisse in illud castrum, & habeo auctorem qui scribat illum in hac necessitate usum pallio agasonis. Et de priore quidem mutatione vestis sic legitur in depositione Sancii Archidiaconi de Guiart in Ecclesia Pampilonensi: *Item dixit se audivisse quòd aliqui Cardinales iverunt ad castrum sancti Angeli, & alii extra urbem dissimulatis habitibus, specialiter Cardinalis de Alvernio. Et videtur isti testi quòd audivit quòd exivit de suo hospitio sub habitu scutiferi seu domicelli.* quam narrationem confirmat depositio Petri de Crosso Camerarii, qui testatur illum militari modo indutum fuisse: *Item quòd sex Cardinales iverunt ad castrum jam de sero, sicut quilibet habebat opportunitatem. Et primus fuit Dominus Cardinalis de Vernio, qui ivit equitando ut homo armorum.* Item frater Angelus generalis minister ordinis Minorum: *Et audivit, tamen nescit si est verum, quòd Dominus Cardinalis de Alvernio recessit de urbe, & ex tunc non fuit reversus, armatus cum galea in capite sicut unus stipendiarius.* Contrà Ioannes Columbi clericus Avenionensis diœceseos loquens de Cardinalibus qui se contulerunt in castrum S. Angeli ait quòd *audivit quòd Cardinalis de Alvernio intravit vestitus mantello cujusdam palafrenarii sui, & dictus palafrenarius equitando in quodam rochino in sella, & dictus* Cardinalis

Cardinalis retro post eum. Postea redierunt ad Bartholomæum, uti suprà dictum est, & cum inthronizaverunt & coronaverunt. Accessit ad hæc quòd Cardinalis de Vernio adstitit Vrbano sacrificium celebranti in sequenti festo Pentecostes & in festo corporis Christi; tuncque legit evangelium, & eucharistiæ communionem de manu ejus accepit, ut legitur in Facto per Bartholomæum misso ad Regem Castellæ apud Odoricum Raynaldum an. 1378. §. 98.

Ex his igitur quæ palam & publicè agebantur à Cardinalibus erga Bartholomæum collegere plerique illum verè electum fuisse à Cardinalibus ea mente ut esset verus Papa, non verò simulatione. Hinc seorsim nonnulla de quolibet Cardinale sparsa in vulgus, ut ostenderetur unam omnium conspirationem fuisse pro eo substituendo in locum Papæ defuncti. In primis verò plurima de Cardinale isto dicta sunt, quia constabat illum esse amicum Bartholomæi, ut ipse Cardinalis de Vernio testatur in depositione sua: *Item dixit quòd ille Barensis specialiter afficiebatur ad istum Cardinalem, & vocabat istum & alios Cardinales Domini mei, & Domino mi de Vernhio vocabat istum, & dicebat ipsi quòd ipse provideret sibi largissimè, imò promiserat sibi facere unum Cardinalem &c.* Primò itaque dictum est eum maximo gaudio exultasse cùm vidit Bartholomæum esse Papam. Episcopus enim Recinetensis apud Odoricum Raynaldum an. 1378. §. 55. ait Cardinalem de Vernio ista *præsenti quasi tota sua familia* sibi dixisse: *Frater carissime, nunquam toto tempore vita mea habui tantum gaudium, quia negotium istud hodie sic pacificè complevimus.* Sed istud testimonium pessumdatur ex verbis depositionis istius Cardinalis, quam dabimus ex codice 815. bibliothecæ Colbertinæ. Deinde idem Episcopus Recanatensis testatus est Cardinalem de Vernhio sibi dixisse *in Anagnia quod nomine suo & Dominorum de Luna, de Britannia, sancti Angeli, Glandatensis, & Vivariensis promitteret Dominus Cardinalibus Italicis quòd ipsi Domini Italicis firmis stantibus erga dictum Dominum Barensem, ipsi Dominus de Vernhio & alii superiùs nominati essent cum eis firmi usque ad mortem.* Super ea re consultus Cardinalis Florentinus à legatis Regis Arragonum respondit ea omnia esse totaliter falsa. *Ex codice* 811. *bibliotheca Colbertina.*

Certè dubitari non immeritò posse de hoc testimonio evincit depositio Raynulphi Cardinalis Sistaricensis; qui ait se, cùm esset apud Anagniam, interrogasse *iterum Cardinalem de Alvernio utrum Dominus noster esset verus Papa vel non. Et recepit idem Cardinalis manus meas dicens: Per istas manus, si ipse Dominus noster vellet credere mihi de hoc quod ego dicerem sibi, ipse esset verus Papa. Et tunc dixi: Domine, non posset fieri quòd iretis ad eum, & credo quod crederet vobis de eo quod diceretis. Tunc respondit: Non bono modo, quia alii Domini mei haberent me suspectum.* Profectò hæc verba non sunt hominis gaudio exultantis propter electionem Bartholomæi.

In diversum autem abeunt aliorum quorundam testimonia, qui aiunt Cardinalem de Vernhio risisse de ea electione & eum non credidisse esse verum Papam. Ioannes Episcopus Castrensis testis juratus ita testatus est: *Item dixit prædictus testis quòd in vigilia coronationis istius Vrbani venerunt ad dormiendum in domo sua Dominus Glandatensis & Dominus de Vernio, & tota nocte deridebant de isto negotio.* Ipse Petrus de Vernhio, ut in depositione ejus legitur in codice Harlæano, dixit Vrbano electionem ejus non valere. Hæc sunt verba scripta in ea depositione: *Item dixit quòd iste quadam die dixit illi Barensi quòd non erat Papa propter illa quæ intervenerant quando fuit electus, & quòd bonum esset quòd reeligerent eum apud aliquem locum tutum, & quòd iste Cardinalis daret sibi vocem. Ille respondit: De isto non curetis. Si Cardinales reeligant me, bene quidem. Sin autem, sufficit mihi quod habeo.* In depositione Ioannis de Baro Subdiaconi Papæ ita scriptum est: *Item dixit quòd post de sero iverunt Cardinales sex ad castrum sub diversis habitibus. Et tunc, cùm quæreretur à Domino de Vernio qualiter elegissent illum in Papam, & dixit Dominus de Vernio quòd nihil fecerant nec erat ille Papa, & tunc dixit Cardinalis Lemovicensis quod Papa erat verus. Et tunc iterum dixit Dominus de Vernio quòd verè non erat Papa. Et tunc dixit Dominus Lemovicensis iterum quòd non dicebat bene, quia ponebat eos in periculo mortis, si ista diceret.* In depositione ejusdem Cardinalis de Vernio, quæ extat in codice 815. bibliothecæ Colbertinæ, facta autem est juxta interrogationem Cardinalium Italorum, ipse de se ait se nunquam cogitasse de Vrbano eligendo, neque unquam voluisse ipsum reeligere, sed propter metum ea fecisse quæ fecerat.

De eo ista leguntur in depositione fratris Henrici de Buda de regno Hungariæ de ordine Heremitarum & pœnitentiarii Papæ Vrbani: *Item dixit quòd unus de Cardinalibus confessus fuit isti fratri statim post electionem elapsis paucis diebus, & petiit se absolvi ab eo ex plenaria remissione. Et cùm dixisset iste frater quòd absolvebat eum auctoritate Vrbani Papa, ille Cardinalis dixit quòd non diceret sic, sed quòd absolvebat eum auctoritate Ecclesia. Et cùm ipse replicaret quòd sequenti die deberet communicare de manibus ejus, respondit quòd reciperet ab eo eucharistiam tanquam ab Archiepiscopo de Baro. Interrogatus quis esset ille Cardinalis, dixit post multa verba quòd erat*

Cardinalis de Vernio.

Postea quàm Cardinales recesserunt ab Vrbano, cùm inter se conferrent quis in loco Gregorii XI. poneretur, Cardinalis de Vernio & Glandatensis mentionem fecerunt Cardinalis Florentini,uti dictum supra pag. 1049.

Interfuit electioni Clementis VII. cumque secutus est redeuntem ad urbem Avenionensem.

Fuisse illum Canonicum & Archipresbyterum Segobricensem anno MCCCLXXXI. docet Martinus Carillius in historia Cæsaraugustana pag. 367.

Anno MCCCXCIV. interfuit electioni Benedicti XIII.

Anno sequenti, cùm Duces Bituricensis, Burgundus,& Aurelianensis interrogarent Cardinales quænam via videretur melior, sanctior, & facilior ad extinguendum schisma, Cardinalem de Vergnio ita respondisse tradit continuator Nangii pag. 141. in tomo sexto Spicilegii Dacheriani : *Cardinalis de Vergn dixit quòd via reductionis sibi impossibilis videbatur, quia partes erant in facto contrario, & varias intentiones habebant super facto principali, & ideo non laudabat istam neque consulebat, sed via cessionis sibi melior videbatur, & per hanc conscientia poterant sedari, scandala ambarum partium vitari poterant.* Emendavi autem hunc locum, qui gravi mendo laborat in editione, ubi Cardinalis iste vocatur *de Vergy*. Nam in codice Thuano, ex quo ea prodiit, disertè vocatur *Cardinalis de Vergn*, & in veteri codice archivi regii Parisiensis, ubi hæc eadem verba referuntur, scriptum est *Cardinalis du Vergne.*

Anno MCCCXCVIII. deseruit partes ejusdem Benedicti ut nimiùm pertinacis, & ab ejus obedientia se subtraxit. *Surita lib. 3. Indicum.*

Obiit Avenione anno MCCCCIII. die sexta Octobris. Tum verò archidiaconatus Rothomagensis, vacans per ejus mortem, datus est Amedeo de Saluciis. Vide probationes historiæ Cardinalium Gallorum pag. 501.

Ex istius haud dubiè Cardinalis gente ortus erat Aymericus de Vernhio, quem inveni fuisse Vicarium generalem Raymundi de Agrifolio Episcopi Ruthenensis anno millesimo CCCLX.

KAROLVS REX NAVARRÆ] vir mentis turbidæ, perfidiosus, & subdolus, tum crudelitate infamis. Angebat Karolum V. Regem Francorum perfidia Navarri. Itaque decrevit eum deturbare possessione oppidorum Meduntæ & de Mellento in Normannia, quibus ille abutebatur in perniciem regni Francici. Hinc nova rebellionis materia. Tandem pax inter eos coiit anno MCCLXV. die sexta Martii his conditionibus ut dicta oppida semper remanerent penes Regem Francorum, eorum verò loco daretur Navarro baronia Montispessulani. Tum die quarta Maii ejusdem anni idem Navarrus Ioanni de Greilly Capitali Boiorum delegavit curam accipiendæ possessionis ejusdem baroniæ. Neque tamen conquievit inquietus animus. Tandem verò anno MCCCLXXI. plena executio ejus tractatus pacis consecuta est, ut docet continuator Gallicus Nangii. Vide etiam Carellum in Memoriis historiæ occit. pag. 677.

CORPVS VRBANI V.] Vide Guesnæum in Cassiano illustrato pag. 633. ubi extant literæ de traditione ejusdem corporis facta Stephano Abbati sancti Victoris. Sed mirum est in illis ne verbo quidem nominari sex Cardinales quos hic auctor ait comitatos esse idem corpus. P. 450.

PAX REFORMATA] Conditiones ejus referuntur apud Bzovium an. 1373. §. 18. & seqq. & in literis Bonifacii IX. scriptis ad Nicolaum de Summaripa Militem Laudensem, quæ editæ sunt apud Odoricum Raynaldum an. 1391. §. 7. P. 452.

IOHANNES DE REVELLONE] Perperam in historia Sicula Fazelli & apud Bzovium, qui ex Fazello accepit, an. 1373. §. 29. vocatur Episcopus Salernitanus. Certum quippe est illum fuisse Episcopum Sarlatensem in Aquitania secunda. Revellones autem sive Revelhones,ut ex veteribus hujus ævi monumentis colligitur, fuere Pictones in eadem Aquitania. Istum fuisse Decanum Ecclesiæ Pictaviensis reperi in codice epistolarum quæ ab Innocentio VI. scriptæ sunt anno sexto pontificatus ipsius. Factus autem est Episcopus Sarlatensis circa annum MCCCLXX. ut docent vulgatæ tabulæ Episcoporum Sarlatensium. Paulò pòst Gregorius XI. eum misit in Vasconiam ut concordiam revocaret inter Gastonem Comitem Fuxensem & Ioannem Armaniacensem, ut docent ejusdem Gregorii epistolæ ad eundem Gastonem & ad Vignerium Episcopum Lectorensem scriptæ. Deinde missus ab eodem Gregorio in Siciliam anno millesimo CCCLXXII. pacem firmavit inter Ioannam Reginam Siciliæ & Fridericum Trinacriæ Regem. Vide Baronium an. 1096. Bzovium an. 1372. §. 18. & Odoricum Raynaldum an. 1372. §. 25. 1374. §. 19. 1375. §. 19. ubi commendatur de scientia & innata prudentia. Romam deinde se contulit, ubi eum fuisse reperio eo tempore quo post Gregorii mortem commota est à Romanis gravissima tempestas adversùs Ecclesiam Dei. Orta autem tempestate, Ioannes secessit in castrum sancti Angeli, ubi eum fuisse die nona Aprilis patet ex Odorico Raynaldo an. 1378. §. 91. Postea profectus est Anagniam, quò se contulerant Cardinales, uti diximus suprà

pag. 1007. Falsus est autem vehementer Spondanus an. 1372. §. 6. scribens hunc Episcopum Sarlatensem fuisse Franciscanum.

P. 433. REX MAIORICAR.] Vide Froissartum vol. 1. cap. 299. Vvaddingum an. 1375. §. 40. & Spondanum an. 1374. §. 4.

OTHONEM DE BRVNSVICH] quem Gregorius XI. scribens ad Philippum Imperatorem CP. ait virum fuisse multùm providum & magnificum & aliàs virtuosum fama celebri reputatum. Extat ea epistola apud Vvaddingum an. 1372. §. 26. & apud Odoricum Raynaldum eod. an. §. 30. Eundem Theodericus à Niem lib. 1. de schismate cap. 6. vocat patrem principum & normam nobilium, cap. 7. virum totum catholicum, cap. 24. prudentissimum ac strenuum nimis in factis armorum, à pueritia in talibus enutritum, & cap. 65. pium & mansuetum nec vindictæ cupidum.

Anno MCCCLXXV. extincto Iacobo Rege Majoricarum marito Ioannæ Reginæ Neapolitanæ, ipsa cogitavit de nuptiis cum isto Ottone, & demum mense Septembri matrimonium inter eos contractum est, ut docet Summontius, ea tamen adjecta conditione ut ipse titulum Regis non haberet, quò integra spes succedendi in regno relinqueretur Karolo Duracio, & vocaretur tantùm Princeps Tarentinus. Otto autem pervenit Neapolim die XXV. Martii sequentis anni.

Haud ita multò pòst, orta jam discordia inter Gregorium XI. & Florentinos, cùm Florentini Ottonem rogassent uti se in pacificationem eorum interponeret, ipseque de ea re ad Gregorium scripsisset, iste rescripsit ad eum literis datis Romæ anno MCCCLXXVII. die octava Novembris sibi, qui nedum cum Florentinis, sed cum universis christicolis pacem summis desideriis semper appetivit, gratum esse & acceptum quòd eo sequestro pax inter ipsum & Florentinos conciliaretur, eumque hortatus est ut id quamprimùm efficeret. quod ab Ottone feliciter actum esse docet Theodericus à Niem lib. 1. cap. 6. de schismate. Eodem usum esse Gregorium pro redintegranda concordia cum Bernabone Mediolanensi liquet ex epistola quam die quarta sequentis mensis Martii idem Gregorius scripsit ad Ioannem de Grangia Cardinalem & ad Ioannem Rogerium Archiepiscopum Narbonensem.

Anno MCCCLXXVIII. Otto, *omnibus per ipsum fideliter & prudenter pro ipsa pace reformanda inter easdem partes disceptantes*, id est, Florentinos & Mediolanenses, *compositis ad eandem urbem rediit circa ipsa festa paschalia cum bonis novis pacis hujusmodi conclusæ, reperiendo ipsum Gregorium interim vita functum*, ut ait idem Theodericus.

Interim Vrbanus VI. positus est in loco ejusdem Gregorii. Testatur autem idem Theodericus Ottonem exhilaratum vehementer de promotione ejus ei obtulisse se & sua. Testatur præterea Stephanus Episcopus Tiburtinus in depositione sua se vidisse maritum Reginæ Neapolitanæ *adorare istum & exhibere sibi reverentiam tanquam Papæ & remanere in prandio*. Quo loco insignem Vrbani rusticitatem notat idem Theodericus, quam malo verbis ejus referre quàm meis: *Et cùm infra eadem festa dictus Otto sumpto prandio cum Vrbano, ut moris est, ei quadam die potum preberet in collatione in præsentia quorundam Cardinalium & aliorum magna auctoritatis virorum, dictus Vrbanus ex fastu scyphum de manibus tanti principis stantis coram eo diù flexis genibus recipere tardavit donec ad eum quidam ex eisdem Cardinalibus diceret hæc verba: Pater sancte, tempus est ut bibatis.*

Odoricus Raynaldus an. 1378. §. 46. refert ex diario Hectoris Pignatelli Ottonem ea tempestate exambivisse ut regia corona pontificia indulgentia redimiretur, sed licèt honorificè ab Vrbano exceptus fuisset, id tamen eblandiri non potuisse. Istud ipsum ego reperi in depositione Petri Roderici Canonici Ecclesiæ Cordubensis, in qua hæc leguntur: *Interrogatus super XXV. dixit se scire quòd in principio creationis dicti Papæ Regina Iohanna miserat Romam maritum suum cum pluribus galeis ut coronaret eum dictus Papa in Regem, & quòd vidit eum venire, & fuit receptus honorificè Romæ, & audivit quòd pro eo quòd dictus Papa noluerat eum coronare in Regem, dicta Regina constituerat se publicè sua inimica.* Respondet autem Petrus ille additioni XXV. casus Bartholomæi, in quo sic scriptum est: *Item quòd Domina Iohanna olim Regina Apuliæ inimicatur eidem Domino primo electo & ipsius inimica fuit effecta pro eo tantùm quia sibi suggestum fuit, contra veritatem tamen, quòd dictus primus electus intendebat eam privare dicto regno, quod ab Ecclesia Romana in feudum tenebat.* Hæc verba nos descripsimus ex codice Harlæano, quæ etiam habentur apud Odoric. Raynald. an. 1380. §. 19. descripta, ut ipse ait, ex monumentis Avenionensibus.

Insignis est locus & qui multam lucem affert huic historiæ in depositione Didaci Martini de Vrduña Canonici Toletani, ubi sic scriptum est: *Interrogatus super XXV. additione dixit se audivisse quòd in principio electionis istius primi electi Regina Neapolis misit suos ambaxiatores solennes, scilicet Dominum Hugonem de sancto Severino & Dominum Nicolaum suum Cancellarium Senescallum Provinciæ & Comitem Nolanum & alios isti primo electo ad faciendum sibi reverentiam. Et quando fecerunt sibi reverentiam ex parte Reginæ, audivit ab aliquibus qui interfuerunt quòd dixe-*

rat eis electus quòd volebat corrigere & emendare Reginam, & quòd regnum fuerat malè rectum & gubernatum à magno tempore per feminam, & quòd volebat dare illud viro qui regeret & gubernaret illud, & , ut audivit, quòd iste cui volebat dare erat Carolus de Pace, & volebat quòd Regina intraret ordinem quem vellet, & quòd responderunt sibi ambaxiatores Regina quòd Regina rexerat bene regnum & regebat, & erat conjugata, & propter hoc non tenebatur intrare ordinem, & omnes de regno contentabantur de ea, & qui plus institit in hoc responso fuerat Dominus Nicolaus, & quòd alia die comederant cum eo, & Dominus Nicolaus posuerat se secundum in mensa secundùm ordinationem magistri sala, & quod electus viderat illud & viderat sedere aliquos Pralatos post dictum Nicolaum in mensa, & quòd fuit turbatus propter hoc, & mandavit sibi dici quòd surgeret de illo loco, quia nolebat quòd esset super Pralatos, & ipse surrexit & dixit electo quòd ipse posuerat se ad mensam in loco assignato per magistrum sala, & quòd Papa Vrbanus quintus & Gregorius suus pradecessor semper posuerat eum in illo loco tanquam Cancellarium Regina & Senescallum Provincia, & quòd iret ad hospitium suum, & sederet ubi vellet, & exivit palatium, & alii ambaxiatores & ipse recesserunt Neapolim, & credit quòd malè contenti de electo. Et audivit quòd hoc fuit principium inimicitia & malevolentia inter electum & Reginam. Eandem historiam, sed multùm diversam, narrat Pandulphus Collenutius, & ex eo Bzovius an. 1378. §. 14. & Odoricus Raynaldus an. eod. §. 46.

Addit in sua depositione Alvarus Martini Doctor decretorum Reginam habuisse exosum Vrbanum *pro eo quod noluerat consentire quòd Dominus Otto post ipsius mortem esset Rex.* Gobelinus verò Persona ætate 6. cap. 79. solus ait hanc Vrbani repulsam ortam esse ex repugnantia Principum regni. *Principibus etiam*, inquit, *regni renitentibus hujusmodi desideriis effectum à Papa minimè potuit obtinere.*

Intelligebant Vrbanistæ quantam invidiam creabat Vrbano VI. intempestiva illa temeritas qua usus erat in causa Reginæ Ioannæ, quam dejicere de throno cogitabat & in monasterium detrudere. Itaque confinxerunt fabulam illam de coronatione Ottonis, ut ea ratione aliò transferrent argumentum, sicut eodem tempore vulgarunt (ut patet ex eodem Gobelino Persona ætate 6. cap. 81.) Comitem Virtutum, qui tum Mediolanum cum summa potestate tenebat, aversum fuisse ab Vrbano quia is paulò antè *recusaverat eum efficere Regem Longobardia.* Et cùm viderent reponi posse istam Vrbano mentem fuisse erga Reginam satis constare ex scriptis ab eo literis, eas falsitatis accusarunt, & confictas dixerunt à consiliariis ejusdem Reginæ. Frater Menendus ordinis fratrum Minorum Episcopus Cordubensis factus per primum electum interrogatus super eadem additione XXV. ita respondit: *Interrogatus super XXV. additione dixit quòd scit de certo quòd dicta Regina Neapolitana fuit specialis filia & devota dicti Papa Vrbani post separationem & reprobationem ipsius factam per Cardinales usque in finem mensis Augusti, ut sibi videtur, & dicto Domino Papa quando erat in Tiburim & timebat dictos Cardinales pro eo quòd tenebant plures gentes contra eum, misit Comitem de Loreto cum ducentis lanceis & quadringentis peditibus balistariis & panesatis, & scripsit tunc ei offerendo se ipsam & suum regnum usque ad volamina capitis, & confortando eum quòd defenderet ipsum à dictis Cardinalibus. Post qua dicta Regina fuit facta inimica dicti Papa Vrbani & amica Cardinalium, pro eo quòd fuit sibi reportatum quòd dictus Papa Vrbanus volebat eam privare regno & ponere eam in monasterio. Et audivit iste testis quòd de hoc fuerant missa Regina aliqua bulla falsa, & erant nominati illi qui ordinaruut dictam reportationem & dictas bullas falsas isti qui sequuntur, Leonardus, qui erat generalis ordinis S. Francisci, & Archiepiscopus Cusentinus, & Comes de Caserta, Dominus Nicolaus de Neapolim, & Dominus Lodovicus de Constanciis. Et hoc audivit diei iste testis Fundis, cùm esset captus, & cùm esset cum eo in captione unus frater Pradicator Inquisitor haretica pravitatis, qui fuerat ambaxiator dicta Regina ad dictum Papam Vrbanum quando erat Tiburim, & fecit eum capi Regina pro eo quod revelabat aliqua de ea super quibus fuerat missus ad dictum Papam Vrbanum.* Egregius enimverò testis, si id verum est, Reginæ suæ proditor! At Episcopus Reatinus istud idem testatur? Verùm id quidem, sed ex vulgi sermonibus tantùm. Ait enim: *Nam ipsi Regina suggestum fuit quòd prafatus Dominus noster ipsam regno privare intendebat & minabatur ipsam in monasterio retrudere. Quod ut meliùs sibi daretur intelligi & firmiùs crederet, conficta fuit quadam falsa littera per dictum Nicolaum de Neapoli, ut creditur, sub nomine prafati Domini nostri ad Regem Vngaria, per quam id innuebatur expressè; & multa alia mala & opprobriosa verba de ea dicta ab eodem Domino nostro, ut fingebatur, referebantur eidem.*

At si Regina repulsam passa est sub initia pontificatus Vrbani, & si propterea facta est ei inimica, cur non statim adversùs eum incaunduit? Cur scripsit se ei suppetias laturam adversùs Cardinales ab eo decisentes? Ista non cohærent. Itaque oportet alias fuisse causas irarum. Scilicet, inquies animus, tum ferox, & dominandi cupidus, & qui crederet

se super pennas ventorum jam volare, ut lib. 1. de schismate cap. 7. ait Theodericus à Niem, Regis Hungarici potentia abuti volebat ad dejiciendam Reginam ut postea facilius regnum Siciliæ aut partem ejus transferret in homuncionem ignavia & lascivia perditum, ut ad an. 1382. §. 1. ait Vvaddingus, in scelestissimum & impudentissimum nebulonem Franciscum Pregnanum nepotem suum, ut colligitur ex eodem Theoderico cap. 8. 21. & 28. ejusdem libri, in Soldanum etiam Babyloniæ illum libenter erecturus, si potuisset, ut in tractatu sexto Nemoris unionis cap. 39. ait idem auctor. Ergo Urbanus ad Ludovicum *diversis literis propria manu scriptis*, ut eod. libro 1. de schismate cap. 15. ait Theodericus, ei significavit decrevisse se Ioannam privare regno eamque projicere in monasterium, & misso ad eum legato Martino Tarentinensi Camerario suo postulavit uti Carolum Ducem Duracii *sibi cum decenti armigerorum comitatu destinaret ad urbem, quia eum dicto regno Siciliæ in Regem præficere & juvare vellet adeo quòd possessionem regni adipisceretur.* Hæc sunt enim ipsissima verba Theoderici de Niem ex capite 21. ejusdem primi libri. Ex quibus facilè colligitur vanas non fuisse querelas Ioannæ adversùs Urbanum, cùm ex iis quæ dicta sunt certò constet eum re vera destinasse privare illam regno Siculo, uti postea de facto fecit post adventum Caroli. Ex quo rursum colligitur imperitè & absurdè confictam esse fabulam de rejecta ab Urbano coronatione Ottonis Brunsvicensis, cujus nullam mentionem facit idem Theodericus diligens alioqui scriptor rerum quæ tum circa Urbanum acta sunt. Nunc redeamus ad ipsum Ottonem.

Erumpente jam schismate in Ecclesia sancta Dei, Otto cupiens illud exscindere in ipso sui ortu, Tiburim accessit ad Urbanum *cum decenti comitiva Iurisconsultorum & Militum de Neapoli*, ut ait idem Theodericus, sed non potuit obtinere ab Urbano. Itaque *ab eo recessit, ad quem postea non revenit.* Tum verò Cardinales Clementem VII. elegerunt. Is ergo cùm postea venisset Neapolim, & malè exceptus esset à populo, coactus est hinc discedere, ut docet Stephanus Episcopus Tudertinus in sua depositione. His ita constitutis, Regina Ioanna, ut ad an. 1379. §. 32. ait Odoricus Raynaldus, Neapolitano populo pollicita est se, deserto Clemente, Urbano obsequentem futuram. Verùm in depositione Episcopi Tudertini, ex qua ille sua accepit, nihil istiusmodi legitur, sed tantùm eam dixisse populo Neapolitano *quòd volebat sequi consilium eorum*, & misisse legatos ad Urbanum *pro concordia fienda.* Quæ verba ut certum est posse accipi eo sensu quo ea Raynaldus accepit, ita negari non potest quin ita simpliciter intelligi possint ut dicere voluerit Episcopus Tudertinus Neapolitanos, qui naturali affectu inclinabant in Urbanum popularem suum, & videbant Reginam in Clementis partes transisse, ei suasisse ut concordiam sua auctoritate inter eos revocaret, illam verò dixisse se velle sequi eorum consilium, ac legatos statim misisse ad Urbanum propter eam causam. Cùm verò *habuit nova de viro suo*, id est, cùm ex Ottonis mariti sui literis intellexit animum Urbani non posse flecti ad concordiam, quòd suprà testatum vidimus à Theoderico de Niem, tum mandavit legatis suis ut ad se redirent *sine conclusione aliqua*, inquit Episcopus Tudertinus, nimirum quia pertinacia Romana vinci non poterat. Ita ego interpretor obscuritatem verborum Episcopi Tudertini, quem constat fuisse inimicum Clementis.

Cùm igitur Otto post hæc rediisset Neapolim, ut testatur etiam Episcopus Tudertinus, & bellum ab Urbano excitatum esset adversùs Ioannam Reginam, quam lata audacissima sententia privavit regno & ceteris possessionibus suis, & subditos ejus absolvit à juramento fidelitatis seu homagii, Karolus Dux Duracii immissus ab eo est in regnum Siculum seu Neapolitanum anno MCCCLXXX. & additæ ab optimo patre universali flagrantissimæ preces ad proceres regni Neapolitani ut à Ioanna & Ottone ejus viro deficerent ad Karolum & Margaretam ejus uxorem. *Odor. Raynald. an.* 1380. §. 4.

Karolus Urbani monita secutus & artes imitatus, fraude potiùs quàm vi, ut Theodericus à Niem observat, potitus est civitate Neapolitana, quam Otto Dux continuè interim cum valido exercitu obsedit. *Cùm autem Karolus suum & suorum omnium interitum præ oculis conspiceret imminere, ad aliam cautelam se convertit*, id est, insidias tetendit Ottoni, quem ea arte captum ferè per triennium habuit in custodia. *Theoder. à Niem lib.* 1. *de schism. cap.* 24. Acta hæc anno MCCCLXXXI.

Ioannes Trithemius in tomo secundo chronici Hirsaugiensis pag. 275. 285. hunc Ottonis carcerem longè aliò transtulit, nimirum ad bella Karoli V. Francorum Regis adversùs Ioannem Ducem Britanniæ, ac postea ait eundem Ottonem plus quàm triennio in Britannia fuisse captivum, & demum Avenionem ductum esse, & inde liberum emissum venisse in Apuliam. Quæ omnia sunt errorum plena. Intelligenda quippe sunt de carcere Minervino & ceteris quæ describuntur à Theoderico à Niem lib. 1. de schismate cap. 60.

Evasit tandem è carcere illo anno millesimo CCCLXXXIV. ut illic tradit Theodericus. Vide etiam Odoricum Raynaldum an. 1384. §. 2. & historiam Karoli VI. Regis

Francorum pag. 553. editionis regiæ. Quo loco admonendus est lector eundem Raynaldum an. 1386. §. 12. observare Ottonem, postquam custodia emissus fuit, ad Robertum Gebennensem Antipapam profectum, pro quo in indice tomi XVII posuit illum lapsum carcere ad Antipapam se contulisse, cùm tamen Theodericus à Niem, ex cujus fide Raynaldus ista scribit, dicat simpliciter eum per quosdam Britones captum ad Avenionem ductum esse. In quo præterea Raynaldus nimiùm infeliciter adversatur eidem Theoderico, qui cap. 8. & 17. testatur Ottonem, *licèt multùm de ipsius Vrbani duritia doleret*, semper tenuisse & publicè dixisse quòd ipse verus esset Papa, & Reginam Ioannam adhæsisse Clementi *contra voluntatem dicti Domini Ottonis ejus mariti*. Ingratus ergo Vrbanus; qui, ut suprà monuimus, proceres regni Neapolitani hortatus est ut à Ioanna & Ottone ejus viro deficerent ad Karolum Ducem Duracii & Margaretam ejus uxorem, & crucem contra eum prædicari mandavit anno MCCCLXXXVII. ut in eodem chronico Hirsaugiensi pag. 285. tradit Trithemius.

Eodem anno Otto recuperavit civitatem Neapolitanam. *Theoder. à Niem lib. 1. cap. 62. & 65. & Odor. Raynald. an.* 1387. §. 1.

Direptis per eam occasionem Neapolitanorum civium fortunis, *postea Antipapa* (inquit Odoricus Raynaldus an. eod. §. 2.) *Ecclesiarum sacraria, cruces que & calices, ut præmia furoris militi numerarentur, conflari jussit*; citatque in eam rem sanctum Antoninum. quod etiam tradit Trithemius in eodem chronico Hirsaugiensi. Verùm si Raynaldus judicio potiùs quàm impetu suos annales scripsisset, ab hac historia referenda procul dubio abstinuisset; quippe qui scisset Theodericum à Niem, cujus ipse testimonio lubenter utitur adversùs partes Clementis, eadem & multò graviora de moribus Vrbani scripsisse, quem tradit lib. 1. de schismate cap. 22. proprietates & jura Ecclesiarum & monasteriorum urbis vendidisse & distraxisse *ultra summam octuaginta millium florenorum, etiam aureos & argenteos calices, cruces, & alia pretiosa jocalia earundem Ecclesiarum & monasteriorum in magno numero & valore, necnon multas imagines sanctorum etiam argenteas tunc conflando in monetam reduci fecit, & pecunias quæ exinde pervenerunt ipsi Regi Carolo pro solvendis stipendiis suo exercitui assignando.*

Obiit Otto apud Tarentum anno millesimo CCCLXXXVIII.

STRENVVS IN ARMIS] Præter ea quæ suprà pag. 1123. de hoc argumento diximus, nunc addere visum est insignem locum ex compendio chronicorum Petri de Herentals Prioris Floreffiensis. Sic ergo habet; *Tempore dicti Iohannis Regis Franciæ, cùm Otto filius magni Ducis de Brunsvvich pro quibusdam verbis à Duce Lencastræ filio Regis Angliæ sibi improperatis cum eodem Parisius ad se purgandum voluisset duellasse, & cùm jam ambo armati in dextrariis pervenissent ad locum duelli, tam viriliter ad debellandum se disposuerunt quòd Rex Franciæ prædictus compatiens utrique eos compescuit & duellum intercepit.*

PETRVS IVDICIS] ortus ex gente de qua suprà pag. 854. dictum est.

Fuit primò monachus ordinis sancti Benedicti, inde Prior sanctæ Liberatæ in diœcesi Agennensi, tum à Clemente VI. avunculo suo factus Abbas Angeliacensis anno MCCCXLII. XV. Kal. Augusti, & Crassensis in Gallia Narbonensi pridie Non. Februarii anni sequentis. Post quæ Aureliam profectus permissu avunculi, illic dedit operam juri canonico perdiscendo usque ad annum MCCCXLV. quo jam donatus gradu doctoratus in jure canonico, Avenionem evocatus à Clemente VI. Non. Martii factus est Archiepiscopus Cæsaraugustanus ad magnam Cardinalium instantiam, ut testatus idem Clemens in epistola qua eundem Archiepiscopum commendavit Regi Arragonum.

Anno MCCCXLVI. consecravit apud Avenionem Petrum Episcopum Constantiensem in patriarchatu Antiocheno, itemque Franciscum Episcopum Canticensem. *To. 3. Vvadingi pag. 346. 348. regesti pontificii.*

Ex cathedra Cæsaraugustana transiit ad Narbonensem anno MCCCXLVII. IV. Idus Ianuarii. Adnotat autem Massonus eum fecisse ac restitui episcopium illius coloniæ sumptibus suis atque impensis mandasse. quod verum est, extantque etiamnum multa testimonia istius rei.

Anno MCCCXLVII. erat Avenione qua tempestate apud Clementem VI. tractabatur de canonizatione sancti Ivonis Presbyteri. Ægrotavit autem tum gravissimè. Itud testatum fecit Laurentius Surius in fine vitæ ejusdem Iuonis. *Gravi tum morbo*, inquit, *affectus erat nepos ejus Pontificis idemque Archiepiscopus Narbonensis, spemque vitæ ejus medici & periti homines abjecerant. Sed cùm illius amici Dei & beati Ivonis opem implorassent, certumque votum beato Ivoni nuncupassent, statim illi instaurata salus est.* Eam ob causam non habuit collationem quam habere debebat in causa ejusdem canonizationis, ut testantur socii Bollandiani to. 4. Maii pag. 579. his verbis: *Quarta collatio est Archiepiscopi Narbonensis, qua supplicatur super canonizatione B. Yvonis, quam propter infirmitatem qua idem Archiepiscopus tunc temporis vexabatur non potuit publicè prædicare.* Hæc enim scripta sunt in titulo ejusdem collationis in veteri codice

quo viri clarissimi utebantur. At in codice collegii Choletæi apud Lutetiam Parisiorum nihil istiusmodi habetur in titulo, sed hæc tantùm : *Alia collatio pro canonizatione ejusdem Domini Yvonis, Domini Petri Archiepiscopi Narbonensis.* Verùm ex prologo collationis Amanevi Archiepiscopi Burdegalensis, quæ statim post collationem Archiepiscopi Narbonensis sequitur in veteri libro, satis constat Narbonensem non potuisse munere sibi imposito fungi propter morbum quo laborabat. Ait enim Amanevus : *Sanctissime Pater & Domine, si Dominus meus Archiepiscopus Narbonensis, qui me præcedere debuerat in dicendo, hic præsens fuisset, multa ex ore ejus pulcherrima & omni laude dignissima vestra sanctitas audivisset. Sed quia ipse ad præsens aliqua districtia, licèt levis, ut spero, per Dei gratiam jam curata detentus est, idcirco oportet ut ego loco ipsius secundum in dicendis locum habeam, qui non eram dignus ultimum obtinere.* Ob sanitatem impetratam ex voto concepto ad sanctum Ivonem idem Petrus in suo testamento festum sancti Ivonis posuit inter quatuor festa duplicia quæ, cùm antea non fierent in Ecclesia Narbonensi, deinceps servari instituit.

Anno MCCCXLVIII. die XV. Septembris Aymericus Vicecomes Narbonensis huic Petro Archiepiscopo liberè & absolutè fecit homagium, professus se & antecessores suos semper habuisse & tenuisse ab eo & antecessoribus suis & se adhuc ab eo tenere in feudum & ad feudum totum quiequid possidebat in toto burgo Narbonensi & totam etiam medietatem civitatis Narbonensis. Acta hæc apud Narbonam in palatio majori dicti Domini Archiepiscopi. Inter testes numeratur Ioannes Episcopus Gardiensis.

Eodem anno, die XXI. Novembris, ad petitionem Petri Abbatis & conventus Floriacensis, magno populi adstante concursu, transtulit corpus sancti Mauri martyris, tibiam sancti Sebastiani, & nonnullas alias reliquias ex capsa antiqua & lignea in aliam capsam argenteam superdeauratam. *Bibliothec. Floriac. pag.* 252.

Anno MCCCXLIX. litem in curia Romana intendit Episcopis suffraganeis Ecclesiæ Narbonensis, qui juramentum fidelitatis ei exhibere detrectabant eo prætextu, ut ait ipse Petrus Archiepiscopus in historia istius controversiæ, quam manu ejus scriptam vidi, *quòd ipsi Episcopi non fuerant per eorum capitula electi, nec per Archiepiscopum suum metropolitanum confirmati seu etiam consecrati, sed solùm per sanctam sedem apostolicam promoti, ac de ejus mandato in curia Romana vel extra munus consecrationis receperant, tui sanctæ sedi apostolicæ juramentum præstiterunt.* Pervicit autem Petrus ut Episcopi ad officium redirent, & constitutionem obtinuit à Clemente VI. avunculo suo, qua declaravit illos *ad omnia illa suis Metropolitanis seu Prælatis aliis immediatè superioribus omnino teneri ad quæ tenerentur si non per dictam sedem vel de mandato ipsius sedis ad hujusmodi regimina promoti nec juramentum hujusmodi per eos eidem sedi præstitum fuisset.* Addit Petrus Archiepiscopus : *Qua declaratione facta & bullata, ut est moris, Episcopi qui priùs contradixerant statim venerunt ad prædictam nostram sanctam Narbonensem Ecclesiam pro dicto juramento præstando; à quibus ipsum juramentum recepi secundùm solemnitatem præcedentem, nihil de contingentibus omittendo.* Hanc constitutionem Vrbanus V. confirmavit anno MCCCLXX. XII. Kal. Novembris ad preces Gaffredi de Vayrolis Archiepiscopi Tolosani. *Oderic. Raynald. anno* 1370. §. 20. Vide additionem ad caput tertium libri sexti de concordia sacerdotii & imperii.

Anno MCCCLI. mense Novembri celebravit Concilium Episcoporum suæ provinciæ in cathedrali Ecclesia Biterrensi, quod à nobis editum est in codice Conciliorum Galliæ Narbonensis pag. 102. ex veteri codice MS. Ecclesiæ Helenensis. quod admonere pro sua reverentia omisere nuperi Conciliorum editores.

Anno MCCCLXV. mense Februario, ut scribunt Sammarthani, à Karolo V. Rege Francorum missus est cum aliis quibusdam Episcopis pro dirimenda controversia inter eundem Regem & Karolum Regem Navarræ. Iidem inter Episcopos illos numerant Guillelmum Stephani Episcopum Vapincensem, sed tanquam missum à Navarro, falsò, ut opinor. Quippe certis testimoniis compertum habeo Navarrum pro se misisse Ioannem de Greilli Capitalem Boiorum. Quoad Petrum Archiepiscopum Narbonensem, apud Franciscum Nouguierium in historia Ecclesiæ Avenion. pag. 160. & apud Sebastianum Fantonium to. 2. hist. Avenion. pag. 322. reperio illum fuisse Avenioni anno eodem millesimo CCCLXV. VII. Idus Iunii.

Anno MCCCLXVIII. mense Iunio præfuit Concilio Vaurensi trium provinciarum, quod ideo generale vocatur in literis indulgentiæ ab eo concessæ Christi fidelibus qui manus adjutrices porrigerent ad restaurationem cathedralis Ecclesiæ Vaurensis. Editum primò fuit in codice Conciliorum Galliæ Narbonensis.

Anno MCCCLXIX. mense Ianuario corpus sancti Thomæ Aquinatis delatum est Tolosam. Inter Episcopos qui huic ceremoniæ affuere nominatur Archiepiscopus Narbonensis, id est, Petrus de Iudicia. Testatur autem frater Raymundus Hugonis in historia

ejusdem translationis in tomo primo Martii Bollandiani pag. 732. illum ea occasione sermonem habuisse ad populum. *Verùm etiam Dominus Archiepiscopus Narbonensis prædicavit in illa die*, id est, die XXVIII. Ianuarii.

Anno MCCCLXXIV. mense Aprili tertium provinciale Concilium celebravit in Ecclesia Narbonensi, quod editum est in eodem codice Conciliorum Galliæ Narbonensis. Nuperi Conciliorum editores illud accepisse se profitentur ex apographo illustrissimi Episcopi Monspeliensis, quod ex nostro ei communicato expressum erat.

Anno MCCCLXXV. VI. Kal. Septembris Gregorius XI. eum transtulit ad Ecclesiam Rothomagensem: In quo illud magnopere notandum est, quòd cùm Petrus abesset à comitatu Regis Francorum, Karolus V. ex peculiari gratia ei concessit ut juramentum fidelitatis præstaret per procuratorem, ut in prima parte præfationis de jure regaliæ adnotat Ruzeus ex bulla Gregorii XI. quæ edita nunc est inter probationes libertatum Ecclesiæ Gallicanæ cap. 16. §. 41.

Eodem anno exeunte idem Papa Gregorius eum fecit Presbyterum Cardinalem tituli sancti Clementis. Semper tamen dictus est Cardinalis Narbonensis, ob hoc nimirum quia perdiu fuerat Ecclesiæ Narbonensis antistes. Alioqui, si mores illorum temporum inspiciamus, vocandus fuerat Cardinalis Rothomagensis ex nomine Ecclesiæ è qua assumptus erat ad cardinalatum.


Anno MCCCLXXVI. comitatus est eundem Gregorium proficiscentem in Italiam. In quo itinere adeo exagitatus est in mari ut in gravem morbum inciderit in loco de Liborna Pisanæ diœceseos, ubi testamentum condidit die XV. Novembris; unde translatus Pisas in palatium archiepiscopale, illic codicillos confecit die XVIII. ejusdem mensis, ibidemque mortuus est die XXI. ut docet Petrus Amelii in itinerario Gregorii XI. his verbis:

Veneris feriata XXI. Novembris multis extitit amara.
Virginis Cæciliæ vigilia in Christo obdormivit clara gemma
Cardinalis Narbonensis senex antistes, humatur in Pisana Ecclesia,
Maris fractus laboribus. Spiritum ejus suscepit cœli gloria.

Dicitur autem illic *senex antistes*, non ob ætatem, quippe qui anno ætatis LVII. extinctus est, sed habita ratione annorum per quos fuit antistes. Etenim factus est Archiepiscopus Cæsaraugustanus anno MCCCXLV. ineunte, & obiit anno MCCCLXXVI. exeunte. Itaque fuit antistes spatio annorum triginta trium.

Variant autem scriptores in die qua Cardinalis iste excessit è vivis. Etenim Petrus Amelii eum tradit mortuum die Veneris XXI. Novembris, Boninsegnius die vigesima secunda, auctor vitæ secundæ Gregorii XI. pag. 455. die vigesima, Bertrandus Boysletus civis Areiateosis tum vivens die Mercurii XIX. ejusdem mensis. Hæc sunt ejus verba: *Item Mercurii die XIX. mensis Novembris, circa tertiam & quartam horam noctis, Dominus Cardinalis Narbonensis migravit ad Dominum.*

Corpus ejus in cathedrali Ecclesia Pisana depositum est, secundùm quod ipse testamentum condens mandaverat, ac deinde ad Narbonensem translatum, ubi sepultum est in magnifico sepulcro quod ipse vivens sibi fecerat ex marmore candido. Huic autem sepulcro superimposita est marmorea illius effigies, & in lateribus efficta gentilitia ejus insignia multùm diversa ab iis quæ vulgò circumferuntur.



Boninsegnius pag. 583. loquens de morte ejus ait ex vulgi rumore illum testamento legasse quingenta millia florenorum. *Morì in Pisa il Cardinale di Narbona suo engine; il quale, secondo si disse, testò 500. migliaia di fiorini à similitudine di S. Piero.* Eadem post Boninsegnium tradit Scipio Ammiratus lib. 13. hist. Florent. pag. 702.

Fundasse eum decem anniversaria in Ecclesia Narbonensi legimus in Necrologio ejusdem Ecclesiæ, videlicet XI. Kal. Martii, XVII. & prid. Kal. Aprilis, XIII. Kal. Maii, XIV. & X. Kal. Iunii, prid. Kal. Iulii, VI. Nonas Iulii, IV. Kal Augusti, & IV. Kal. Septembris. Præterea in eodem Necrologio ita legitur ad diem Nonarum Iulii: *Festum sancti Martialis fundavit Dominus Petrus de Iudicia quondam Cardinalis Narbonæ, & ordinavit quòd dicta die fiat processio generalis & solemnis cum capis solemnibus.* Qua de re videndum est testamentum ejusdem Petri Cardinalis. Habuisse eum bibliothecam constat ex testamento ejus. Librorum ejus nonnulli censentur hodie in Colbertina, in quibus ipse manu propria scripsit: *Ex libris mei Petri Iudicis Archiepiscopi Narbonensis.*

SIMON DE BROUSSANO} Ipse se vocat civem Mediolanensem in declaratione quam fecit moriturus. Utriusque juris solemnissimum professorem eum vocat Ægidius Bellamera dist. 38. cap. 4. *Si in laicis.* magnum clericum Petrus Rodcrici Canonicus Ecclesiæ

Ecclesiæ Cordubensis in depositione sua; ubi inducit Cardinalem Gebennensem ita alloquentem Cardinales ante ingressum conclavis in quo Vrbanus electus est: *Domini, si volueritis eligere Lemovitensem, ecce hic Cardinalis Lemovicensis, qui est homo antiquus & avunculus Papa Gregorii. Et si volueritis eligere Gallicum, ecce hic Cardinalis sancti Eustachii. Et si Italicum, ecce hic Cardinalis Mediolanensis, qui est magnus clericus.* Receperat autem gradum doctoratus in legibus à Nicolao Spinello, qui postea fuit Cancellarius Ioannæ Reginæ Siciliæ, uti postea visuri sumus. Eum citat Ægidius Bellamera in cap. *Examinata.* de judiciis; ab eoque se accepisse insignia doctoratus in utroque jure profitetur in commentario ad cap. *Si in laicis.* Illum scripsisse commentarios in Digestum & in Clementinas facilè colligitur ex commentariis Bonifacii de Amanatis in Clementinas, ubi frequenter refert opiniones Simonis de Brossano Cardinalis Mediolanensis.

Anno MCCCLXX. factus est Archiepiscopus Mediolanensis, postea verò referendarius Papæ.

Anno MCCCLXXV. additus est collegio Cardinalium, promovente in primis Bartholomæo Archiepiscopo Barensi. Testem hujus rei laudabo Petrum Cardinalem de Vernhio, cujus hæc sunt verba transcripta ex depositione ejus: *Item dixit quòd sæpe audivit à Domino Mediolanensi quòd ille Barensis non erat Papa & quòd volebat dicere sibi publicè. Sed iste Cardinalis,* id est, de Vernhio, *qui erat amicus suus, imò tenebat quòd alius per istum promotus fuerat, quia quando fuit iste Cardinalis, dimisit officium referendarii, & supplicavit Papa pro illo, quia tenebat quòd ipse fuerat causa mediata ut esset Cardinalis.* Vulgò dictus Cardinalis Mediolanensis; ut notant etiam Ægidius Bellamera in dicto cap. *Si in laicis.* & Bonifacius de Amanatis.

Erat Romæ anno MCCCLXXVIII. quando populus Romanus post mortem Gregorii XI. cælum, ut ita dicam, terræ miscuit ut cogeret Cardinales ad eligendum Papam Romanum vel Italicum. Ipse fuit unus ex iis qui Bartholomæum Archiepiscopum Barensem elegerunt, sed tamen timore mortis. Maluit vitam suam salvam habere quàm palam resistere furoribus insanientis populi. Testatur enim in depositione sua Antonius Episcopus Firmanus Italicus de civitate Viterbiensi oriundus ideo Mediolanensem dedisse vocem suam Barensi quia volebat esse confessor & non martyr: *Item audivit à Domino Mediolanensi Cardinale quòd ille Barensis sic erat Papa sicut iste testis qui deponit, sed quia ipse volebat esse confessor & non martyr, ideo dissimulabat.* Ex hoc apophthegmate Froissartus vol. 2. cap. 12. accepisse videtur quod ait de minis Romanorum & timore Cardinalium: *Et disoient aux Cardinaux, en escriant par dehors le conclave: Advisez-vous, advisez, seigneurs Cardinaux, & si nous baillez un Pape Romain qui nous demeure, ou autrement nous vous ferons les testes plus rouges que voz chapeaux ne sont. Telles parolles & menaces esbahissoient les Cardinaux. Car ils aimoient plus cher à mourir confesseurs que martyrs.*

Non putabat ergo Simon Vrbani electionem celebratam fuisse rite atque canonicè. Quod testatum fecit non semel. Hæc sunt quæ leguntur in depositione unius è legatis ab Henrico Rege Castellæ missis Romam, Alvari videlicet Martini, de gestis post electionem & inthronizationem Vrbani: *Post paucos verò dies venit unus Neapolitanus, quem Vrbanus vocabat suum magistrum in grammatica, & publicè arengavit coram eo, ut est moris. Qui pro themate assumpsit: Gaudete, gaudete, iterum dico gaudete. Et illud prosecutus est usque ad finem fecit. Et Vrbanus respondendo dixit: Domine magister, fama vestra nota est toti mundo, & ego faciam quòd sit nota toti mundo. Et ita ibat prosequendo ut sibi placebat. Et tunc non expectavi finem. Et exivimus Dominus Giennensis & ego. Et cùm essemus in curiali, exivit Dominus Mediolanensis, qui omnibus istis interfuerat, & ridendo dixit nobis: Veniatis, Domini Hispani. Et cùm accessimus, dixit: Quid vobis videtur? Et tunc ego credens quòd loquebatur de arenga & ad eam responsione dixi: Longum sermonem habuimus super capita nostra. Qui respondit: Quid vultis? Ita vadunt negotia. Et tunc reassumpsit thema prædictum, & ait: Gaudete, gaudete, sed non de alieno. Quare dicebat, sed non de alieno, non intellexi.* His ita enarratis, idem Alvarus sic prosequitur: *Post hac, cùm loquerer cum Domino Decano Tirasonensi auditore sacri palatii & dicerem sibi illa verba Domini Mediolanensis, dixit mihi quòd Dominus Mediolanensis non reputabat eum Papam. Et dixit quòd paulò post electionem Vrbani omnes auditores sacri palatii ascendebant ad palatium Papa ad exhibendum sibi reverentiam, ut est moris, & quòd obviarunt Domino Mediolanensi, qui stetit & ait: Quò vaditis? Qui dixerunt sibi: Ad exhibendum reverentiam Papa. Qui dixit eis: Vos vaditis ad idolatrandum. Modò dicit quòd dixit: O Deus, subvenias Ecclesia tua. Et tunc videtur mihi quòd intellexi illa verba quæ Mediolanensis dixerat, Gaudete, gaudete, sed non de alieno.*

Eam historiam sic describit ipse Decanus Tirasonensis Fernandus Petri in sua depositione: *Interrogatus super* LXXX. *capitulo dixit quòd die Martis prima sequenti post electionem post Vesperos, cùm ascenderent omnes auditores sacri palatii, qui erant decem, ut credit, &*

iste testis cum illis tanquam auditor per scalam sancti Petri qua ducit ad currale primum palatii, Cardinalis Mediolanensis descendenc per dictam scalam dixit Dominis auditoribus: Quò itis voc alis? Et Dominus Robertus de Straton Prior auditorum respondit sibi: Imus ad exhibendum reverentiam Papæ. Et dictus Cardinalis facie turbata, elevando manus turbato modo, admirativè dixit: Et cui? Et elevatis oculis in cælum dixit: O Deus, adjuva Ecclesiam tuam. Et illatis verbis turbatus descendit.

Neque solùm hoc, sed etiam diabolum eum vocavit. Ita legi in depositione fratris Ferrarii de Vergos ordinis Minorum magistri in theologia & lectoris Vniversitatis Ilerdensis: *Item dixit quòd die sabbati sequenti prima post electionem Vrbani, ut credit, tamen est certus quòd ante Vrbani coronationem, erant plures Cathalani & alii Castellani notabiles personæ & litteratæ ad gradus sancti Petri, & ascendebant aliqui auditores sacri palatii, inter quos erat Decanus Tirasonensis, & alii ad faciendum reverentiam Papæ, & Cardinalis Mediolanensis descendebat de palatio, & cùm obviavit eis quæsivit ab eis quò ibant, & ipsi responderunt quòd ad faciendum reverentiam Papæ, & Cardinalis dixit: Cui Papæ? Itis ad diabolum, qui sedem sancti Petri occupat injustè. Tamen dicit iste testis quòd non audivit hoc ipse à Cardinale, sed à Domino Berengario de Anglesola & à Petro de Nuce Doctore decretorum, & statim exivit rumor inter illos qui ibi erant quòd ita dixerat Cardinalis, existente adhuc cum eis dicto Cardinale, & ipsi videbant qualiter Cardinalis loquebatur cum eis.* Adde depositionem Hugonis Cardinalis de Britannia, in qua hæc habentur: *Item dixit [quòd] quando Cardinalis Mediolanensis, qui erat prope eum in ordine Cardinalium, debebat ire ad faciendum reverentiam, semper dicebat quòd occupabat cathedram sancti Petri & quòd ibat ad adorandum idolum.*

Rursum alio quoque responso ostendit idem Simon Cardinalis Mediolanensis quid sentiret de electione Vrbani. Rem ita narrat Angelus Episcopus Pisaurensis in sua depositione: *Item dum testis qui loquitur esset excommunicatus per primum electum eò quòd non solverat quandam collectam factam per electum sibi & aliis Episcopis, dum iret ad palatium ad impetrandum absolutionem, obviavit Cardinali Mediolanensi in via. Qui petens quò ibat, respondit quòd ad impetrandam absolutionem &c. Qui respondit: Quis excommunicavit te? Respondit quod Dominus Papa. Tunc Cardinalis dixit, Non credo quòd potuerit te excommunicare nec quòd sis excommunicatus, ducendo caput hinc inde.*

Denique istud ipsum confirmatur testimonio Ioannis Remigii de Guzman Archidiaconi del Alcor in Ecclesia Palentina, in cujus responsione ad 94. articulum primi electi sic legitur: *Item audivit à capellanis Cardinalis Mediolanensis & ab aliis personis quas dicit fuisse præsentes, & ipse cognoscit eos, sed non recordatur de nominibus eorum, quòd quando modernus Episcopus Legionensis ivit Tiburim ad regratiandum Cardinali Mediolanensi, ille Cardinalis dixerat sibi: Vos non estis Episcopus, nec habetis jus ad episcopatum, nec qui dedit vobis potuit dare, & forte factam quæ fecerunt alii Cardinales. Et dixit se credere quòd illud dixit propter iram, eò quòd iste Cardinalis Mediolanensis supplicabat & erat promotor istius testis,* (id est, Ioannis Remigii) *qui tunc erat postulatus ad dictam Ecclesiam Legionensem, & iste primus electus providerat dicto Episcopo de Ecclesia Legionensi, & iste Cardinalis Mediolanensis non interfuerat illa die in consistorio, & ille primus electus promiserat non providere de dicta Ecclesia Legionensi alicui donec audiret relationem postulationis istius testis. Et dixit quòd illorum qui ibant cum dicto Episcopo & & audierunt Cardinalem Mediolanensem hoc dicere unus erat Franciscus Fernandi Cantor Palentinensis. Et dixit quòd post ista vidit unam supplicationem signatam per illum primum electum per quam providerat Cardinali Mediolanensi de archidiaconatu de Majorito vacanti per promotionem istius Episcopi Legionensis.*

Itaque Cardinalis Mediolanensis putabat Vrbanum VI. non esse verum Papam. Et tamen cùm secunda electió celebrata fuisset, visus est aliquandiu dubitasse quò se verteret. Idem Fernandus Petri Decanus Tirasonensis ita rem istam tradit: « Audivit iste testis à Cardinali Mediolanensi quòd ipse dixerat verba Romæ Archiepiscopo Barensi per quæ ipse potuit intelligere quòd suus status non erat securus. Et hoc audivit à dicto Cardinali in civitate de Sora in regno Neapolitano, cùm esset ibi præsens Dominus Nicolaus Cancellarius Reginæ Neapolitanæ. Et modus dicendi venit sic quòd cùm idem Cancellarius & iste testis fuissent missi per Cardinales sancti Eustachii & de Luna ad dictum Cardinalem Mediolanensem & alios Dominos Italicos, & quadam die dominica de mense Octobris post dictam electionem fuissent in dicta civitate congregati cum eo in sua camera post prandium, dictus Cancellarius exposuit ambaxiatam suam, & inter cetera verba dixit dicto Cardinali: Domine, ego repuro me teneri vobis plusquàm personæ ecclesiasticæ viventi propter multos honores quos à vobis recepi, specialiter pro eo quòd voluistis recipere à me gradum doctoratus in legibus, & propter hoc debeo condolere de sinistris quæ audio de vobis occasione istius separationis quam facitis à Papa Clemente & Cardinalibus fratribus

» vestris, quia totus mundus intelligit quòd
» propter hanc separationem vos multiplicatis
» scisma in Ecclesia Dei, & vos scitis quia di-
» versis vicibus, dum loquerer vobiscum Ro-
» mæ de Archiepiscopo Barensi & de electione
» sua, vos nunquam nominastis eum nisi dicen-
» do: Iste qui tenet sedem apostolicam occu-
» patam. Item scitis quòd quando ivi ad vos &
» ad alios duos Dominos Cardinales Italicos,
» qui eratis in civitate de Sessa, ex parte Car-
» dinalium ultramontanorum ad rogandum &
» requirendum vos quòd veniretis Fundis ad
» eligendum verum Papam, vos respondistis mi-
» hi quòd placebat vobis, dum tamen vellent
» eligere aliquem Italicum. Et si vos intellexis-
» setis quòd dictus Archiepiscopus erat verus
» Papa, videbatur quòd ibatis ad eligendum
» Antipapam. Sed ego non credo quòd vestra
» conscientia sit talis quòd hoc faceretis, nec
» habetis talem famam. Itaque concludendo
» post multa verba rogavit eum quòd vellet ve-
» nire ad castrum sancti Iohannis, quod erat
» dicti Domini Nicolai, ad videndum se simul
» cum aliis duobus Cardinalibus Italicis & cum
» Cardinalibus sancti Eustachii & de Luna. Et
» dictus Cardinalis respondendo supradictis,
» postquam dixit quantum se reputabat teneri
» dicto Domino Nicolao, dixit esse verum quòd
» ipse semper dubitaverat de statu dicti Archi-
» episcopi & quòd aliquotiens sibi dixerat ver-
» ba quæ hoc sapiebant, & ad aliud quod di-
» cebat de accessu suo Fundis ad eligendum Pa-
» pam, quòd erat verum, & quòd si alii Car-
» dinales domini sui voluissent eligere Italicum,
» quòd non durasset istud scisma, imò statim
» cessasset.

Quoad illud quod ait Cardinalis Mediolanensis se aliquotiens Urbano dixisse verba quæ sapiebant ipsium dubitare de statu ejus, afferri posse videtur exemplum ex depositione fratris Menendi Episcopi Cordubensis facti per eundem Urbanum, in qua sic habetur: *Item dixit quòd audivit à pluribus, specialiter à pœnitentiariis & magistris in theologia & aliis personis qui fuerant præsentes vel audiverunt ab aliis qui fuerunt ibi præsentes quòd dum prædicaret unus magister in theologia Anglicus ordinis fratrum Prædicatorum & lector sacri palatii, & erat Episcopus Agathensis, & modò est Millensis, coram Papa Urbano sexto & omnibus Cardinalibus Romæ quodam die festo, & dictus prædicator increparet & reprehenderet vitium simoniæ declarando pœnas ipsius, quòd Papa subito inflammatus in spiritu dixit dicto prædicatori: Addo ad pœnas simoniæ quod ego excommunico ex tunc omnes simoniacos, cujuscunque status & conditionis exstiant, etiam Cardinales. Et dicebant dictæ personæ, à quibus iste testis audiebat, quòd Cardinalis Mediolanensis dixerat sibi statim: Pater sancte, non potest ferri excommunicatio de jure nisi trina monitione præmissa. Et dictus Papa sibi respondit: Omnia possum, & ita volo.*

Propter eam causam, nimirum quia semper dubitavit de electione Urbani VI. & quia eum deseruit, Urbanistæ dixerunt eum esse hominem simplicem. Ita notatum reperitur in depositione Thomæ Episcopi Lucerini: *Et quoniam inolevit una fama quòd Cardinalis de Ursinis libenter voluisset esse Antipapa & destruere Dominum nostrum, & hoc secretè sibi promiserant ultramontani, & hæc fama venit ad Dominum nostrum, ipse Cardinalis de Ursinis semper conatus est facere morulas per civitatem & castra, & cum versutiis & dolis detinuit dictos duos, scilicet Florentinum & Mediolanensem, faciendo eis magnas expensas & honores per terras consanguineorum suorum & pòst in suis. Et cùm Dominus Mediolanensis absolutè voluisset venire ad Dominum nostrum & venissent de Suessa usque ad abbatiam Cassinensem, ipse Dominus Iacobus scripsit sibi quòd ipse etiam volebat venire rogans eum quod expectaret eum ibidem. Quod fecit Dominus Mediolanensis, quia est purus homo, & deciperet eum unus puer.*

Scilicet vir bonus inter utrumque Pontificem velut dubius hærebat, quia volebat concordiam inter eos revocare. Sed postea quàm illam desperavit posse redintegrari, tum verò palam & publicè mentem suam aperuit, & rejecto Urbano, se convertit ad Clementem. Extat in codice 815. bibliothecæ Colbertinæ fol. 200. & in tomo sexto Spicilegii Dacheriani pag. 45. denique in tomo quarto historiæ Universitatis Paris. pag. 586. declaratio propterea ab illo facta, in qua testatur se cum Cardinalibus Florentino & de Ursinis *distando de medio & velut indifferenter, nec ad unam partem nec ad aliam acclinando, usque ad hæc tempora* fideliter laborasse ut populus Christianus ad unitatem sanctæ matris Ecclesiæ reduceretur. Abjecta ergo omni spe revocandæ concordiæ, Italiam reliquit, & Niciam Provinciæ civitatem se contulit, quò ad eum missus est à Ioanne Rege Castellæ Episcopus Zamorensis, uti suprà pag. 1048. dictum est. Inde cogitabat ire Avenionem, si per malam valetudinem ei licuisset. Tandem morti proximus apertè declaravit electionem Bartholomæi esse nullam ipso jure, electionem verò Clementis esse validam & canonicam. De hac Cardinalium Italorum indifferentia, ut tum loquebantur, vide quæ suprà pag. 1048. 1100. dicta sunt.

*Obiit Niciæ in Provincia anno millesimo CCCLXXXI. die XXVII. Augusti, ibidemque sepultus est.

Ejus nepos fuisse videtur Bertrandus de Brosano, quem Urbanus VI. in ipsis sui pontifi-

catus initiis præfecit Ecclesiæ Parmensi tunc vacanti, ut patet ex Facto ejus misso sub bulla ad Regem Castellæ. Idem reperitur in tomo quarto historiæ Vniversitatis Parif. pag. 505. ubi Episcopus iste mendosè vocatur Bertrandus de Brosuno. Nam etiam in codice S. Victoris Parisiensis, quo usus est auctor hujus historiæ, disertè scriptum est *Brosand*, ut in Harlæano. Ex quo interim loco supplebitur hiatus qui extat apud Vghellum in catalogo Episcoporum Parmensium, ubi is ait se reperisse eam sedem vacasse ab anno MCCCLXXVII. usque ad annum MCCCLXXIX.

HVGO DE MONTELEGVM] Hoc est verum ejus nomen. Sic enim vocatur in libris nostris, in libro obligationum archivi Vaticani, & in codice Harlæano. Immo Ioannes frater ejus factus Episcopus Venetensis ab Vrbano VI. vocatur Ioannes de Montelegum in eodem codice Harlæano & in codicibus 811. 815. bibliothecæ Colbertinæ; pro quo in codice 842. sancti Victoris Parisiensis scriptum est *Montelongis* per abbreviationem, confusis tamen literis. Ex quo liquet librarium dubitasse quonam modo scribendum esset. Hanc certam scriptionem confirmat etiam vulgare nomen istius gentis, quam fuisse dictam *de Montelais* vel *Montalais* certum est. *Montelais* quippe scriptum est in veteri chronico Briocensi MS. in codice 1823. bibliothecæ Colbertinæ & in actis veteribus editis inter probationes historiæ Bertrandi Guesclini pag. 308. *Montalais* verò pag. 440. 443. 445. & levi mutatione *Montalain* apud Maanum in historia Ecclesiæ Turonensis pag. 257.

Rursum controversia est de patria ejus. Auctor quippe chronici Briocensis, qui coævus huic Cardinali fuit, illum scribit ortum fuisse è diœcesi Nannetensi. Sed ipse, quo nullus testis melior esse potest in hac causa, tradit in veteribus actis suprà laudatis pag. 308. se natum esse in ditione Ludovici Ducis Andegavensis: *nous sommes de nostre nativité & de nostre enfance naturellement & de long-temps son sujét & nez en son pais.* Auctor ergo chronici Briocensis, qui sciebat Hugonem fuisse successivè Cantorem, Decanum, & Archidiaconum Ecclesiæ Nannetensis, ex conjectura potiùs quàm ex scientia scripsisse videtur illum fuisse oriundum è diœcesi Nannetensi. Constat itaque illum esse natum in ea parte Galliæ quæ sub imperio erat Ludovici Ducis Andegavensis, ex pago videlicet Andegavensi, in quo etiam anno MDCVIII. inter primæ nobilitatis viros censitum fuisse Ioannem de Montalays dominum Chambellayi constat ex publicatione consuetudinis Andegavensis. Ex quo colligi non absurdè potest ambigi deinceps non posse de patria istius Cardinalis. Et tamen ita prævaluit nova eorum opinio qui illum Britannis accensent ut eùm etiam patrem matremque ejus invenisse se dicant in nobilitate Britannica, ob eamque rationem omnium qui postea Cardinalium historiam scripsere consensum extorserint, nostra de novitate periclitari videatur, quamvis illi nullis veterum testimoniis eam genealogiam confirmaverint.

Fuit ille primò Cantor, Decanus, & Archidiaconus Ecclesiæ Nannetensis. Cùmque Ecclesia illa vacasset anno MCCCLIV. Hugo ad dignitatem Episcopi vocatus est suffragiis Canonicorum. Verùm illud frustra fuit. Nam tum electiones non erant in usu, prævalentibus reservationibus Pontificum Romanorum. Itaque Robertus Episcopus Trecorensis evasit Nannetensis. Ne tamen Hugo pateretur integram repulsam, ei datus est episcopatus Trecorensis. Denique anno MCCCLIX. translatus est ad Ecclesiam Briocensem. Ista sic describit auctor chronici Briocensis: *Anno Domini MCCCLXXV. in vigilia beati Thomæ Apostoli Reverendissimus Pater Dominus Hugo de Montelais, diocesis Nannetensis oriundus, Episcopus Briocensis fuit sublimatus ad cardinalatus dignitatem, & fuit vocatus, quandiu vitam duxit, Cardinalis Brithaniæ. Isteque Cardinalis fuerat quondam Cantor, Decanus, & Archidiaconus Media Ecclesiæ Nannetensis successivè, & Ecclesia Nannetensi per obitum bonæ memoriæ Oliverii Saladini Episcopi præsulumque totius orbis tempore quo vivebat floris vacante, in Episcopum electus. Et quia de episcopatu Nannetensi fuit provisum Domino Roberto tunc Episcopo Trecorensi, fuit dicto Domino Hugoni provisum de episcopatu Trecorensi, & deinde de episcopatu Briocensi.*

Interim tamen Ioannes Dux Britanniæ Hugonem ornavit dignitate Cancellarii Britanniæ, quam illum habuisse per annos millesimo CCCLXVI. & LXIX. probant vetera monumenta edita inter probationes historiæ Bertrandi Guesclini pag. 440. 442. 443. 445.

Denique anno MCCCLXXV. factus est Presbyter Cardinalis tituli sanctorum quatuor coronatorum, dictus vulgò Cardinalis Britanniæ, ut rectè notat auctor chronici Briocensis, ob eam, ut arbitror, causam quia ad cardinalatum assumptus erat ex episcopatu Briocensi in Britannia. Vnde & in codice 815. bibliothecæ Colbertinæ fol. 281. vocatur Cardinalis Briocensis in tractatu quem Bernardus de Acromonte tum scripsit ut ostenderet electionem Vrbani VI. non valere, Clementis verò VII. electionem esse legitimam.

Anno MCCCLXXVI. secutus est Gregorium XI. in Italiam, & vidit exoriri schisma quod tum Ecclesiam Christi divisit in duas partes. Manebat autem Romæ prope palatium Papæ, ut ipse testatur in sua depositione.

Idem testatur se non dedisse vocem suam

Vrbano. Sic enim legitur in eadem depositione: *Dominus de Florentia nominavit Cardinalem sancti Petri, & Dominus Lemovicensis nominavit illum Barensem, & alii post eum. Et quando venit vox ad istum, noluit eum nominare iste Cardinalis, imò dixit quòd non cognoscebant eum sicut ipse.* Et infrà: *Item dixit in vera conscientia sua quòd ante ingressum conclavis nec pòst unnquam habuit in mente consentiendi in eum nec eligendi eum, nec etiam cùm esset in conclave nominavit eum, quia cognoscebat eum quòd esset melancholicus & furiosus homo.* Scilicet illum fortasse noverat olim Romæ. Nam ex eadem depositione liquet hunc Cardinalem diù habitasse Romæ & mores Romanorum illi fuisse notos.

Cùm verò in initio tumultus Romani quidam dixissent Cardinalem sancti Petri electum esse Papam, certum est capam pontificalem impositam illi fuisse ab isto Cardinale, ut dicemus ad paginam 462.

His ita gestis, *cùm Romani venirent ad faciendum illi reverentiam*, & per eam occasionem eorum furor paulùm conquievisset, Hugo ad ædes suas confugit, ubi se tutum fore arbitrabatur, sed frustra. Nam *cùm esset intus, venerunt Romani in magna multitudine armatorum, & familiares sui dixerunt isti Domine Cardinali, & submiserunt eum per quandam strictam fenestram, & fugit cum uno clerico super tecta domorum, & abscondit se usque ad tenebras, & de nocte transtulit se in castro sancti Angeli. Et ipse nolebat venire altera die nisi propter alios Cardinales, & quia non poterat aliud facere.* Tum verò Romani domum ejus deprædati sunt, ut legitur in secunda vita Gregorii XI. pag. 463. & in depositione Ioannis Columbi clerici diœceseos Avenionensis. *Et tunc Romani reversi fuerunt ad plateam sancti Petri dicentes quòd Britones exibant castrum, & iverunt ad domum Cardinalis de Britannia, & ruperunt portas, & deraubarunt domum, & tunc dictus Cardinalis ascendit super tegulatum & quidam Camerarius suus vocatus Chaminnit cum ipso. Et vidit iste testis de fenestris sua domus, qua erat eminentior quàm domus Cardinalis, dictum Cardinalem jacentem prope unum caminum super tectum, & dictus suus Camerarius erat prope eum, & credit quòd confitebatur ei. Et dictus Camerarius fecerat signum dicto testi & aliis qui erant cum eo, ponendo digitum in ore, ut non respicerent illuc.* Et paulò pòst: *Et postquam dictus Cardinalis de Britannia descendit de tegulato, venit ibi senator, & duxit eum ad hospitium Cardinalis sancti Eustachii.* Er mox addit eum cum aliis quibusdam Cardinalibus intrasse illa nocte in castrum S. Angeli. Postea cum iisdem rediit ad Vrbanum, & interfuit inthronizationi & coronationi ejus.

Anno MCCCLXXXIV. die XXV. Februarii moriturus, post receptionem eucharistiæ, declaravit & asseruit se credere ac tenere firmiter Clementem VII. fuisse canonicè electum & assumptum ad papatum & esse verum Papam ac vicarium Iesu Christi, & Bartholomæum Archiepiscopum Barensem esse intrusum in sede apostolica, Antipapam, excommunicatum, ac damnatum, & quòd, *si foret sibi possibile, in alio seculo coram Deo hanc veritatem esset ausus sustinere ac prosequi.* Declaratio illa edita est in tomo quarto historiæ Vniversitatis Paris. pag. 603.

Post quæ, die ultima ejusdem mensis, ut notatur in libro obligationum, obiit Avenione *senio confractus*, ut legitur in eadem declaratione. In eodem porrò libro obligationum, ubi de ejus morte agitur, vocatur tantùm Presbyter Cardinalis sanctorum quatuor coronatorum. Ex quo collegit Vghellus to. 1. Ital. sac. pag. 247. illum non fuisse Episcopum Prænestinum. Eundem tamen pag. 204. collocat inter Episcopos Sabinenses. Quod verum est. Quippe ita vocatur in declaratione de qua mox dicebamus. R. P. Maurus Audren Benedictinus me nuper monuit ista legi in Necrologio Ecclesiæ Nannetensis ad diem XXVI. Februarii: *Anniversarium Domini Hugonis de Mon. legum Cardinalis Britannia titulo quatuor coronatorum Episcopi Sabinensis.*

Frizonius pag. 413. agens de isto Hugone Cardinale scribit Carolum Regem Galliæ custodiæ addixisse Iolandam Flandrensem Barri Comitissam, eaque de re Pontificem scripsisse ad Cardinalem sanctorum quatuor coronatorum, qui jussus est intercedere. Oldoinus ultra progressus est; & cùm dixisset Hugonem istum fuisse cooptatum à Gregorio XI. inter Presbyteros Cardinales titulo sanctorum quatuor coronatorum, addit illum mandante eodem Pontifice intercessisse apud Carolum Regem Galliarum pro Iolanda Flandrensi Barri Comitissa custodiæ addicta. Sed Frizonium ejusque exscriptorem Oldoinum in hoc errasse certum est. Nam cùm ex his quæ ab Abrahamo Bzovio, ex quo Frizonius accepit, an. 1372. §. 34. & ab Andrea Duchesnio in historia gentis Barri Ducum scripta sunt constet Iolandam in carcerem fuisse conjectam anno MCCCLXXII. cùm nondum Hugo promotus esset ad cardinalatum, manifestum est eam historiam ad illum pertinere non posse, sed ad Ioannem de Dormano, qui ea tempestate erat Nuncius apostolicus in Gallia.

GVIDO DE MALESICCO] Duplex in hoc loco commissus est error à quibusdam scriptoribus historiarum. Quippe Cardinalem istum aiunt natum esse in Marchia Lemovicensi, quem constat oriundum fuisse

è diœcesi Tutelensi, eundemque Grogorii XI. nepotem, cùm fuerit tantùm ejus consanguineus.

Vir fuit doctrina, pietate, & virtute clarissimus, ut ad annum 1409. §. 3. ait Spondanus. Harum omnium virtutum semina jacta fuerant in academia Tolosana, ubi studio juris canonici eum dedisse operam illudque publicè ibidem docuisse liquet ex vita Vrbani V. scripta ab Aymerico de Peytaco Abbate Moyssiacensi pag. 419.

Anno MCCCLXX. obiit Aymericus Hugonis Episcopus Lodovensis. Vacanti verò huic Ecclesiæ præfectus est ab Vrbano V. Guido de Malesicco Archidiaconus de Corbaria in Ecclesia Narbonensi, Doctor decretorum, Capellanus & Acolythus Papæ, in sacerdotio constitutus, literis datis apud Montemflasconem VI. Kal. Iunii anno octavo. Ab ea deinde Ecclesia translatus est ad Pictaviensem anno sequenti, ut tradunt Sammarthani. Ea tempestate Ioannes Dux Lancastriæ, qui tum Aquitaniam vice Eduardi III. Regis Anglorum patris sui & vice Eduardi Principis Vualliæ & Aquitaniæ fratris sui regebat, conquestus est verbis generalibus de modis qui tenebantur in provisione beneficiorum ecclesiasticorum. Ad quæ respondens Gregorius XI. Papa ad eundem Ioannem ita rescripsit: *Rursus, fili predilectissime, admiramur non modicum de aliis quæ aliquibus ex prædictis nostris fratribus S. R. E. Cardinalibus scripsisti, videlicet de modo quo beneficia hodie conferuntur, & per quales titulos, videlicet per traditionem, ut astruere nitebaris. Libenter enim scire vellemus quam in tuis partibus prelationem dedimus de qua reprehendi valeamus. Si de episcopatu Pictavensi loquaris, credimus ipsum contulisse viro probissimo, frequenter in arduis & præsertim in Romana Ecclesia negotiis comprobato, claro scientia, multisque virtutibus pradotato, qui de dicto principatu ac etiam de terra qua eisdem genitori & germano tuis ac tibi obedit oriundus existit.*

Anno MCCCLXXIV. idem Papa Gregorius faciens suum testamentum, inter ejus executores nominavit hunc Guidonem Episcopum Pictaviensem. Vide to. VI. Spicilegii Dacheriani pag. 688.

Anno MCCCLXXV. idem Gregorius eum creavit Presbyterum Cardinalem tituli sanctæ crucis in Hierusalem. Vulgò autem vocatus fuit Cardinalis Pictaviensis. Iosephus Maria Suaresius in Præneste antiqua pag. 244. testatur eum inhabitasse palatium intra fines parochiæ sancti Agricoli, quod Pictavensis Cardinalis libtata vulgò nuncupabatur.

Anno MCCCLXXVI. XVII. Kal. Iulii Gregorius ei confirmavit canonicam & custodiæ titulum in Cracoviensi basilica vacantem per mortem Nicolai Grothi. *Bzov. an.* 1376. §. 27.

Eodem anno Romam profectus est cum Gregorio. Illic habitasse eum versùs campum Neronianum legi in depositione Ioannis Sancii Canonici Hispalensis.

Anno MCCCLXXVII. habuit prioratum de Verasено, uti scriptum est in codice 4030. bibliothecæ Colbertinæ his verbis: *Anno LXXVII. die Iovis VIII. Ianuar. in Cornetto Dominus meus Cardinalis Pictavensis in ejus camera paramenti vigore gratia sibi facta acceptavit prioratum de Veraseno Viennensis diœcesis à monasterio Casa Dei ord. sancti Benedicti Claromontensis diœcesis immediatè dependentem vacantem per mortem ultimi Prioris ipsius, & petiit ac obtinuit sibi provideri de dicto prioratu per Dominum Petrum Præpositi ejus Camerarium & executorem, salvis protestat. & sub conditionibus, ut est moris, præsentibus Dominis Bertrando de sancto Christophoro & Iacobo de Iongneyo Capellanis Cubiculariis dicti Domini Cardinalis testibus.*

Anno MCCCLXXVIII. Gregorio Papa ægrotante Romæ, Guido Cardinalis preces ad Deum pro ejus valetudine fieri procuravit. Ejus rei testem produco fratrem Michaelem monasterii sancti Bartholomæi de Lupiana ordinis sancti Hieronymi Toletanæ diœceseos, qui ita loquitur in depositione sua: *Quadam die, cùm essem in hospitio Domini Alfonsi olim Giennensis Episcopi, cum quo hospitabar, ipseque infirmaretur & esset in lecto, venit quidam ad eum, quem misit Cardinalis Pictavensis, cum quadam scedula in qua rogabat eum quod rogaret Deum pro Papa vel similia verba & quòd recommendaret eum illis servis Dei de quibus videret expedire. Et dictus Episcopus recommendavit mihi eum & aliis cum facie tristi dicens quòd credebat quòd si Papa G. moreretur, quòd esset multa tribulatio Romæ.*

Extincto tandem Gregorio, cùm Cardinales inter se tractarent quinam adipisci principem locum possent, certum est Lemovices primùm cogitasse de Cardinale Pictaviensi; idque testatum faciunt vetera monumenta. Et sanè Ioannes Sancii portionarius Toletanus in depositione sua *dixit quòd Cardinales aliquotiens fuerunt congregati in suis hospitiis tam postquam desperabatur de vita Papa quàm postquàm mortuus est. Et audivit quòd Cardinalis Pictavensis habebat duodecim voces, & ipse dicebat quòd nolebat esse Papa.*

Inter hæc, populus Romanus tumultuabatur & Papam Romanum vel Italicum eligi postulabat. In depositione porrò Iacobi Camerarii Cardinalis sancti Petri sic scriptum est: *Item vidit quòd quando Cardinales intraverunt conclave, clamabant Romani quòd Romanum volebant vel ad minus Italicum. Et*

vidit quòd quidam nobilis Romanus post ingressum conclavis cepit de raubis Domini Cardinalis Pictavensis prope humerum, & traxit eum aliquantulum, & dixit sibi: Videte, Romanum volumus vel Italicum ad minus. Nam vos alii multùm tenuistis papatum. Et respiciens eum dictus Cardinalis fuit mutatus in facie propter verba illius Romani.

Cùm Cardinales essent in conclave, & ad compescendos furores insanientis populi visum è re publica fuisset ut ei illuderetur per speciem electionis, dictum est Cardinalem sancti Petri, qui erat Romanus, electum esse Papam; idque maximè gratum fuit Romanis. At postquam cognitum est quam ob causam istud fuisset jactatum in vulgus, tum verò Romani magis furere, concitare plebem, & omnia agere per quæ Cardinales cogerent ad eligendum Papam sibi gratum. *Et tunc quatuor Cardinales*, inquit Stephanus Episcopus Tudertinus, *videlicet Lemovicensis, Pictavensis, Vivariensis, & de Alvernio projecerunt se per unam cameram de palatio in aliam cameram inferiorem; & fuerunt inventi per aliquos Romanos, & per aliquos officiales cum verbis & fortè cum verberibus fuerunt in palatium reducti.*

Timore itaque mortis elegerunt Bartholomæum Archiepiscopum Barensem. Facta verò potestate discedendi è conclavi, *Cardinales de Agrifolio*, inquit in sua depositione Rodericus Fernandi portionarius Ecclesiæ Hispalensis, *& Pictavensis, sancti Angeli, & Vivariensis recesserunt de dicto conclavi, & venerunt cum Cardinale de Agrifolio ad Ecclesiam sancti spiritus ad suum hospitium, quia erat hora tarda quando venerunt. Et veniebant multùm tristes & multùm fessi de dicto conclavi. Et fuerunt ibi usque ad noctem. Et quando fuit nox, quia non erant securi, timentes induerunt se mantellis brevibus usque ad medium tibia, ne cognoscerentur à Romanis, & iverunt ad castrum sancti Angeli. Et ipsa die, antequam exirent de conclavi, ibat Camerarius Cardinalis Pictavensis ad videndum dominum suum ad conclave, & Romani dederunt sibi unam regladiatam in corona.* Idipsum testatur Garsias Perri de Tassara: *Item dixit quòd vidit percussum in capite Dominum Iohannem Ravia capellanum commensalem Cardinalis Pictavensis, quem dicebatur fuisse percussum intus in conclavi per Romanos.* Item Fernandus Petri Decanus Tirasonensis: *Et audivit quòd percusserant tunc quendam capellanum Cardinalis Pictavensis in capite, & quòd percussissent eum in corpore nisi tenuisset duos platellos in sinu ante se.* Illum Joannem Romam vocat Odoricus Raynaldus an. 1378. §. 56.

Tradunt Frater Menendus Episcopus Cordubensis & Thomas Petra Canonicus Patracensis Cardinales Lemovicensem, de Agrifolio, Pictavensem, & de Luna fuisse præcipuos auctores electionis ejusdem Vrbani. Et sancta Catharina Suecica apud Odoricum Raynaldum an. 1379. §. 20. testatur sibi dictum fuisse à Cardinale Pictaviensi & ab aliis Cardinalibus *quòd dictum summum Pontificem elegerant concorditer & cum bona voluntate atque perfecta, & ipsum fore verum & legitimum Papam & electum canonicè & nutu spiritus sancti.* Sed sanctæ istius & istorum duorum testium testimonium valde infringit quod ipsa statim addit, nimirum nullam tempore electionis vim fuisse, nullum metum ex Romanis. Istud enim esse falsissimum probatur auctoritate ipsiusmet Cardinalis Pictaviensis; qui in sermone de quo postea dicturi sumus ait cum indignatione adversarios Dei & Ecclesiæ (sic enim appellat Vrbanistas) in principio illam adeo notoriam violentiam Cardinalibus in electione illatam, *& quam per Dei gratiam*, inquit, *penè omnes nunc consitentur*, negare voluisse. Deinde addit falsissimum esse quod vulgatum erat, Cardinales ante ingressum conclavis deliberasse, propter divisionem quæ erat inter eos, dictum Bartholomæum eligere, cùm tamen de ejus contrario testificati sint omnes Domini Cardinales medio juramento. Et ut etiam argumentis ostendat istud esse falsissimum, ait facile fuisse Cardinalibus compescere impetum, ut ille loquitur, & furorem Romanorum, si re vera cogitassent de eligendo Bartholomæo. Nam Romanis petentibus Papam Romanum vel Italum poterant statim respondere se decrevisse eligere Italicum idque statim facturos. *Nam per hoc*, inquit, *omnis congregatio & commotio populi cessassent, sic quòd, prout speratur, unus solus non fuisset armatus.*

Vrbanus tamen coronatus est ab omnibus Cardinalibus die Paschæ XVIII. Aprilis. Postridie cum illis in magna capella palatii apostolici celebrari fecit coram se solemniter & cantando Missam pro defunctis propter reverentiam & memoriam sanctæ memoriæ Gregorii immediati prædecessoris sui *& eam celebravit in vestibus & ornamentis pontificalibus Cardinalis Pictavensis*, inquit Iacobus de Seva pag. 501.

Ioannes Remigii de Guzman Archidiaconus del Aleot in Ecclesia Palentina agens in sua depositione de iis quæ ab Vrbano acta sunt in ipsis sui pontificatus initiis, in die dominica quæ de ramis palmarum vocatur, ait: *Et ista die vidi quòd Cardinalis Pictavensis petivit ab eo decanatum Compostellanum, & noluit sibi concedere.*

Dum ista agebantur, durante nimirum metu ex Romanis, Cardinales ea parabant, meditabantur, cogitabant quæ fieri necesse erat

ut se eorum furori subducerent. Ergo prætexto vitandi calores urbanos, & quia jam Anagniæ jussu Gregorii XI. earum rerum comparationem fecerant quæ necessariæ essent ad transigendam illic æstatem, paulatim ab Vrbano discedentes, in eam urbem se contulere. Adnotatum autem est suprà pag. 1008. Cardinales de Agrifolio & Pictavensem primos fuisse qui illuc profecti sunt. Menendus autem Episcopus Cordubensis ait illos urbe egressos esse in initio mensis Maii. *Et dicebatur Romæ*, inquit, *quòd recedebant infirmi, quoniam ipsi erant delicatæ complexionis, & calores incipiebant Romæ.* Fernandus Petri Decanus Tirasonensis confirmans hos duos Cardinales primos urbe egressos esse, ait illos recessisse de Roma ad Anagniam in fine Aprilis aut in principio Maii. Thomas Gundisalvi Thesaurarius Compostellanus istud ipsum tradit, nisi quòd ait illos recessisse in mense Maio, sed *non recordatur si in fine, vel in principio.*

Anagniæ constitutum Guidonem adivit Raynulphus de Monteruco Episcopus Sistaricensis; ex cujus ore audivit Cardinales multùm commotos fuisse adversùs Vrbanum propterea quòd *injurias & damna illata per Romanos ipsis Cardinalibus non vocatis remisit & absolvit; de quo Cardinalis Pictavensis mihi, quando fui in Anagnia, fuit querelatus & admiratus.*

Sequenti mense Septembri idem Guido cum aliis Cardinalibus elegit Papam Clementem VII. à quo brevi postea missus est Legatus in Flandriam, Brabantiam, Angliam. A Clemente igitur digressus die ultima Decembris, Lutetiam, ut suprà pag. 1009. dictum est, advenit paulò post Pascha, ubi bene exceptus fuit à Karolo V. Rege. Hanc illius legationem memorat Froissartus vol. 2. cap. 35. eum tradens virum fuisse multùm sapientem ac prudentem, tum doctum & facundum. Addit illum è Francia digressum ivisse in Hannoniam & in Brabantiam, cogitasse etiam de Leodio, sed omisisse, rediisse itaque Tornacum, hinc Valencenas, postremò Cameracum, ubi longo tempore resedit. Sanè in codice 814. bibliothecæ Colbertinæ extat *sermo factus super & pro sedatione moderni scismatis per Reverendissimum in Christo Patrem & Dominum meum Dominum G. Cardinalem Pictavensem in synodo Cameracensi anno Domini millesimo* CCCLXXXIII. *die prima Octobris, pontificatus Domini nostri Clementis Papæ VII. anno secundo.* In quo error est. Etenim annus millesimus CCCLXXXIII. desinens non convenit cum anno secundo pontificatus ejusdem Clementis, sed cum sexto.

Postea Ioannes de Crosso Episcopus Prænestinus obiit anno eodem MCCCLXXXIII. die XXI. Novembris. Tum verò Clemens Papa episcopatum Prænestinum contulit in hunc Guidonem.

Anno MCCCXCIV. interfuit electioni Benedicti XIII. antea dicti Petri de Luna. Et cùm is refugeret amplecti viam cessionis, quam se amplexurum cum ceteris Cardinalibus juraverat ante electionem, & Rex Francorum Karolus VI. eodem anno viros principes Avenionem misisset exquisituros sententiam Cardinalium, *secundum ordinem tenens Dominus Cardinalis Pictavensis*, ut ait continuator Nangii pag. 137. in tomo sexto Spicilegii Dacheriani, *Viam, inquit, acceptabilem Deo reputo meliorem, & si talis sit via cessionis quòd per ipsam pax & unio universalis Ecclesiæ & salus animarum sequi possit citiùs quàm per aliam, hanc reputo approbandam.* Postea verò persuasum est Regi hunc Guidonem & ceteros resiliisse ab ea sententia. Qua de re cùm ille ad eos singillatim scripsisset, Guido ad eum rescripsit die octava Octobris se opinionem hujusmodi, quæ sibi æqua semper & rationabilis visa fuit, firmiter tenuisse semper & tenere. Extat hæc illius epistola in veteri codice archivi regii Parisiensis.

Anno dein MCCCXCVIII. in celebri conventu Ecclesiæ Gallicanæ decretum est ut obedientia prorsùs subtraheretur eidem Benedicto propter nimiam ejus pertinaciam. Cui decreto adhæsisse Cardinales XVIII. Avenione constitutos docet eorum epistola ad Regem Karolum VI. scripta in codice 841. sancti Victoris Parisiensis. Eorum nomina exhibet Surita in libro tertio Indicum, qui mox ait quinque alios Benedicto parentes atque obedientes permansisse. Sed mihi mirum visum est quod idem addit paulò pòst, tres ex iis Cardinalibus qui subtractionis opinioni adhæserant, quique propterea Avenione excesserant post eam auctoritate regia publicatam, nimirum Prænestinum, sancti Martialis, & Auxitanum, minimè consensisse iis qui se ab obedientia Benedicti subtraxerant. Narrat enim Froissartus vol. 4. cap. 98. Cardinalem Pictaviensem postea in consilium vocatum à civibus Avenionensibus in eorum sententiam transiisse adversùs Benedictum. Et illi ipsi Cardinales qui Regi scripserant se amplecti quod ab Ecclesia Gallicana decretum erat circa subtractionem obedientiæ profitentur in fine epistolæ brevi ad eum ituros aliquos ex ipsorum collegio: *Ad vestram ergo regiam majestatem infra biduum hominem nobis fidum super nonnullis plenariè informatum transmittemus; & expòst satis citò aliqui ex nobismet super prosecutione negotii principalis nostri parte accedent ad magnitudinem eandem.* Inter eos verò qui missi sunt primus fuit Guido Cardinalis Pictaviensis, ut fidem facit continuator Nangii

Nangii in codice 606. bibliothecæ Colbertinæ: *Ex sacro Dominorum Cardinalium collegio Dominos Pictavensem, de Tureyo, & de Salussiis contra Dominum Benedictum missos Parisius circa mensis Iannarii finem Regis avunculi & cognati honorificè exceperunt & in villam magnificè perduxerunt.* Tum addit eos benignè auditos esse à Rege. Vbi interim cogor observare nomen Cardinalis Pictaviensis omissum esse in nupera versione Gallica ejusdem continuatoris. Extat in codice 813. bibliothecæ Colbertinæ epistola Petri Episcopi sancti Pontii scripta ad Benedictum die septima Martii, quæ sic incipit: *Sanctissime Pater, Die secunda hujus mensis Dominus Penestrinus in sancto Paulo coram Rege & Dominis Ducibus proposuit ex parte collegii viam Concilii.* Quod ait *in sancto Paulo*, istud intelligendum est de domo regia Parisiensi quæ sancti Pauli dicebatur, non verò de Ecclesia sancti Pauli.

Cardinales ergo pervenere Lutetiam initio anni MCCCXCIX. illicque mansere usque ad mensem Iunium exeuntem, id est, usque ad festum nativitatis sancti Ioannis Baptistæ. Qua tempestate ex ea urbe excesserunt & Regem secuti sunt in variis itineribus quæ confecit ea tempestate. Quippe cùm pestilentia ubique in his regionibus grassaretur, cessassentque studia doctrinæ in academia Parisiensi, ac propter eam pestilentiam Rex Karolus VI. unà cum amplissimo totius aulæ comitatu Pontisaram primùm, deinde Meduntam, Vernonem, & ad alia Normanniæ loca accessisset vitandæ pestilentiæ causa, tandem Rothomagum advenit die sabbati XI. mensis Octobris, illicque mansit usque ad initium Decembris. Tum enim finitam esse eam mortalitatem circa Lutetiam testatur continuator Nangii bibliothecæ Colbertinæ, quamvis duraverit per triennium in aliis regionibus. Præstat heic referre Principum & magnatum nomina, tum etiam ex ordine ecclesiastico, qui cum Rege hoc iter confecerunt, eo ordine quo illa invenimus expressa in codice 1424. bibliothecæ Colbertinæ. Primò igitur ponitur Rex Karolus, deinde Rex Siciliæ, Princeps Tarentinus frater ejus, Dux Aurelianensis, Dux Bituricensis, Dux Burgundiæ, Dux Borbonensis, Petrus de Navarra, Comes Nivernensis, Antonius frater ejus, Comes sancti Pauli, Comes Augiensis, Comes d'Eustrebergue, Comes Marchiæ & frater ejus, Comes Clarimontis, Comes Tancarvillæ, Comes Longavillæ, Dominus de Labreto, Karolus ejus filius, Dominus de Chastillione, Iacobus de Haricuria, Karolus de Barro, Guido Dalphinus, Cancellarius Franciæ cum toto magno consilio, Admiralis, Generales financiarum, Thesaurarius Franciæ. Ex ordine ecclesiastico, CARDINALIS PICTAVIENSIS, Cardinalis de Tureyo, Cardinalis de Saluc.., Patriarcha Alexandrinus, Archiepiscopi Rothomagensis, Senonensis, Auxitanus, & Vien..nensis, Episcopi Parisiensis, Carnotensis, Noviomensis, Attrebatensis, Lexoviensis, Meldensis, Silvanectensis, Pictaviensis, Autissiodorensis, Andegavensis, Aquensis, Aptensis.

Anno MCCCCI. circa mensem Iulium Cardinales Pictaviensis & de Saluciis redierunt Avenionem. Sed Cardinalis de Thureyo, uti suo loco dicemus, Lutetiæ remansit, nullisque precibus vinci potuit ut cum eis proficisceretur in eam regionem.

Anno MCCCCIII. cùm è palatio Avenionensi evasisset Papa Benedictus, & concordia redintegrata esset inter ipsum & Cardinales civesque Avenionenses, *quæ in Avinione gesta erant*, inquit continuator Nangii, *Regi per Dominos Cardinales Pictavensem & de Saluciis Papa statuit intimare. Et ij. Maii XXV. die in domo regia sancti Pauli cum Bituriæ, Burgundiæ, Aurelianensi, & Borbonii Ducibus, Conestabulario, Comite de Tancarvilla, ac magistro hospitii regii Iohanne de Monteacuto præsentibus audientiam fuerunt assequuti. Tunc facta dicendi gratia quæ placeret, nomine & auctoritate sacri collegii Cardinalium Dominus Pictavensis multùm disertissimè & luculento sermone peroravit: quæ quamvis coram perpaucis & secretò, promulgatum est tamen postea ab his qui secretis consiliis ex officio assistunt tetigisse tunc in substantia quæ sequuntur. Statum namque universalis Ecclesiæ dolorosum & Papam primitus recommendans, & reprobans inde nefandissimum scisma, dixit Dominos Cardinales substractionem aliquandiu approbasse sperantes ut sic citiùs sopiretur, at videntes nil utilitatis vel honoris inde processisse & quòd dicta substractio in confusionem & scandalum Ecclesiæ ac totius ecclesiastici ordinis vertebatur, dignum duxerant capiti suo per veram obedientiam se unire, impossibilitatem etiam habendi unionem multis mediis ostendens durante substractione: quæ, inquit, etsi per indurationem cordis Domini Papæ processerit, hanc tamen sentio actualiter mitigandam, si minùs bene consulta substractio annulletur, id multipliciter suadens; & Papam de summa patientia & misericordia notabiliter recommendans, ipsum promptum asseruit ad complendum quicquid illis deserentes consulti dicerent exequendum, quibus disposuerat credere in hoc actu & cunctis agibilibus complacere; quæ & asseruit Domino Duci Aurelianensi pluries innotuisse scriptis suis. Cùmque astantes rogasset & monuisset ut ad restitutionem obedientiæ laborarent & finem verbis fecisset, Rex intulit propter hoc Episcopos regni sui congregasse, qui concluderent in brevi quid inde agendum esset. Et sic parlamentum illud solutum est. Quotquot studia generalia, Aure-*

liauense scilicet, Andegavia, Montispessulani, & Tolosa, uuntios destinaverant, tu Cardinalis sententiam ibant, etiam coram majoribus Franciæ pluries affirmads se nunquam substractionem approbasse. Tum die XXVIII. Maii publicè & solenniter obedientia restituta est Benedicto. Die verò sequenti congregatis in Ecclesia cathedrali Parisiensi Ducibus, Cardinalibus, & Episcopis, Cardinale Pictaviensi Missam celebrante, Petrus de Alliaco Episcopus Cameracensis sermonem de restitutione obedientiæ habuit, cujus thema fuit: *Benedictus Deus, qui dedit in cor Regis &c.* Hujus rei narrationem veterem reperi in codice 843. sancti Victoris Paris. fol. 201. quæ edita est inter probationes libertatum Ecclesiæ Gallicanæ cap. 20. pag. 714. secundæ editionis Parisiensis. Vide etiam literas Karoli VI. Regis ibidem editas pag. 716. Fuisse autem tum Lutetiæ cum Cardinale Pictaviensi Heliam de Lestrangiis Episcopum Aniciensem facilè colligitur ex epistola ejus scripta, ut reor, ad Martinum de Salva Cardinalem Pampilonensem, quæ extat in eodem codice S. Victoris fol. 305. Illic enim, dum tractat de his quæ eum Duce Aurelianensi gesta sunt in causa subtractionis, ait: *Adivi Dominum Penestrinum, & fui bene solus per quatuor horas; & credo quòd unquam homo mei status ita fuerit locutus Cardinali imò pari suo.* Ejusdem Heliæ extant in codice 818. bibliothecæ Colbertinæ fol. 57. *allegationes reprobantes viam cessionis solius Domini Papæ Benedicti per quosdam apertam.*

Anno MCCCCIX. accessit in Italiam, ex consensu etiam Papæ Benedicti, ut Concilio interesset quod celebrandum erat pro unione Ecclesiæ, ut patet ex his quæ apud Raynaldum an. 1409. §. 67. leguntur. Igitur interfuit Concilio Pisano, in quo depositi sunt idem Benedictus & Gregorius XII. & in loco eorum positus est Alexander quintus. In prima autem sessione, quæ fuit habita die XXV. Martii, Missam de spiritu sancto celebravit, ut docet idem continuator Nangii pag. 243. in tomo sexto Spicilegii Dacheriani. In secunda sessione, cunctis rite dispositis ad agendum, *Cardinalis Penestrinus, Pictavensis aliàs nominatus*, ut ait idem scriptor, *cunctis antiquior, & qui aute schisma ad cardinalatum assumptus fuerat, ceteris quæsivit quid agendum. Qui omnes negotium dignum duxerunt differri usque ad diem sequentem.* Vide rursum pag. 250. 255. 260. ejusdem tomi sexti. Vide etiam Monstreletum vol. 1. cap. 52. ubi agit de sermone habito per Cardinalem Prænestinum die XV. Maii, cujus hoc fuit thema: *Libera, Deus, Israel ex omnibus tribulationibus suis.*

Guillelmus Catellus in Memoriis historiæ occitanæ pag. 9-6. scribit eum anno millesimo CCCCIX. reperiri fuisse administratorem Ecclesiæ & episcopatus Agathensis. Quod verum est. Extat enim in archivo Archiepiscopi Narbonensis bulla Ioannis XXIII. data Romæ apud sanctum Petrum VI. Idus Iunii anno secundo, ex qua liquet Alexandrum V. eandem Ecclesiam vacantem per obitum Hugonis Episcopi commendasse Guidoni Episcopo Penestrinensi per eum usque ad triennium ex tunc computandum tenendam, regendam, & etiam gubernandam.

Obiit Parisiis anno MCCCCXI. ut legitur in epitaphio, vel anno MCCCCXII. ut ex libro obligationum docet Contelorius, qui addit ejus obitum Ioanni XXIII. nuntiatum fuisse die quarta Aprilis ejusdem anni. Sepultus est in Ecclesia fratrum Prædicatorum. In epitaphio ejus dicitur fuisse tum *Legatus apud Regem Gallorum nomine Pontificis maximi avunculi sui.* Ex quo recentiorum quorundam scriptorum opinio emersit censentium illum fuisse Ioannis XXIII. Legatum in Gallia eo tempore quo mortuus est. quod nullius veteris scriptoris, nullorum veterum monumentorum auctoritate confirmatum vidi. Ceterùm epitaphium illud vetus non est, sed ab imperito quodam homine ante ducentos ferme annos in membrana scriptum characteribus ævo Guidonis minimè usitatis.

Hujus Guidonis patruus fuisse videtur Guillelmus de Malesicco Clericus cameræ apostolicæ, qui Romanæ Ecclesiæ nomine emit civitatem Avenionensem à Ioanna Regina Neapolitana. Vide Nouguierium in historia Avenionensi pag. 132. 141. & Fantonium in historia item Avenionensi pag. 221. & 226. In libro Arnaldi Camerarii scriptum est ita: *Item procuratorium Domini Guillelmi de Malesicco Clerici cameræ apostolicæ cum potestate emendi & acquirendi civitatem Avinionensem Ecclesiæ Romanæ. Datum Avinioni VIII. Idus Iunii, pontificatus Domini Clementis Papæ VI. anno VII.*

IOHANNES DE GRANGIA] P. 434.
Post testimonium istius scriptoris ambigi non potest quin hic Cardinalis fuerit ortus in diœcesi Lugdunensi. Et tamen Franciscus Duchesnius, ea auctoritate insuperhabita, contendit illum non fuisse domo Lugdunensem, sed Burgundum, natum verò in villa Germollensi prope urbem Cabillonensem, originem ejus referens ad gentem de Bouchamachiis, quia in veteri Calendario Ambianensi ad diem tertiam Idus Augusti commemoratur obitus Domini Ioannis de Bouchamachiis Episcopi & Cardinalis. Etenim unicum hoc testimonium affertur. Sed is Ioannes multùm diversus est à nostro. Factus est autem Cardinalis ab Honorio IV. & obiit Avenione anno millesi-

mo c c c l x. die decima Augusti, ut est in libro obligationum, id est, quarto Idus Augusti, uti suprà pag. 633. dictum est. Ex quibus facilè colligitur ruere & retro collapsa referri ea quæ isthic idem Duchesnius commentatur de mutatione nominis de Bucchamagiis cum nomine de Grangia tanquam nobiliore.

Meliùs igitur Ioannes Maria Murensis lib. 11 histor. Foresiensis cap. 16. originem Cardinalis de Grangia referens ad villam de Petrafictà in Roanesio, filium verò fuisse scribens Godofredi, qui fuit Notarius Comitum Foresiensium, & Falquetæ de Petraficta, idque constare ex veteribus monumentis prioratus Ambertæ, in quo sepulti sunt iidem Godefredus & Falqueta. Testatur idipsum, non solùm de parentibus suis, sed etiam de fratribus & sororibus, idem Cardinalis in suo testamento, in quo statuit ut ad capellam sancti Ægidii à se intra septa prioratus Ambertæ ædificatam *apportentur ossa patris, matris, fratrum, & sororum meorum, quæ sunt in capella beatæ Mariæ in dicto loco, & vocetur capella de Grangia.* Hodie tamen vulgò vocari capellam de Petraficta auctor est idem Ioannes Maria Murensis, illicque conspici adhuc eorum sepulchra.

Certum est illum fuisse monachum ordinis sancti Benedicti. Verùm adhuc in obscuro est in quonam monasterio se addixerit huic vitæ instituto. Ego huc valde inclino ut existimem primordia monachatus ejus referenda esse ad Ambertense. Deinde evasit Doctor decretorum, & anno M C C C L V I I. Abbas Fiscanensis, rexitque eam abbatiam per annos X V.

Anno M C C C L I X. cùm Innocentius VI. in Hispaniam mitteret Guidonem de Bolonia Cardinalem Portuensem causa finiendi discordiam quæ erat inter Reges Castellæ & Arragoniæ, ivere illuc cum eo iste Ioannes Abbas Fiscanensis & Petrus Abbas sancti Benigni Divionensis, ut narrat Surita lib. 9. annal. Arragon. cap. 21. & 33.

Anno M C C C L X X I I. factus est Episcopus Ambianensis.

Anno M C C C L X X I V. Gregorius X I. in Galliam misit Archiepiscopum Ravennatem & Episcopum Carpentoratensem daturos operam ut pax constitueretur inter Francos & Anglos. *Froissart. vol. 1. cap. 317. 320.* Effecere illi ut utrorumque principes Brugis convenirent anno sequenti. Vide Odoricum Raynaldum an. 1373. §. 22. Inter eos verò qui cum Ludovico Duce Andegavensi & Philippo Duce Burgundiæ aderant ex parte Francorum nominatur Episcopus Ambianensis, id est, hic noster, apud eundem Froissartum cap. 321. 324.

Anno M C C C L X X V. die X X. Decembris Gregorius X I. eum fecit Presbyterum Cardinalem, vulgò dictum Ambianensem. Erat autem absens. Postea anno sequente profectus Avenionem, intravit curiam die X X V I. Iulii, uti notatum est in libro obligationum. Tum verò ei datus est titulus sancti Marcelli. Extat in codice 822. bibliothecæ Colbertinæ epistola cujusdam scripta ex urbe Parisiensi *ad Cardinalem Ambianensem quando fuit promotus ad cardinalatum.*

Anno M C C C L X X V I. profectus est in Italiam cum Gregorio XI. & in mari multa passus est, ut docet Petrus Amelii in itinerario ejusdem Gregorii: *Nobilem Ambianensem Cardinalem sine causa cur sic infestas?*

Anno M C C C L X X V I I I. missus est Lucam ab eodem Gregorio pro revocanda pace inter eum & Florentinos, ut docet auctor hujus vitæ Gregorii pag. 441. Non solùm autem ille missus fuit, sed etiam Ioannes Rogerii Archiepiscopus Narbonensis & Martinus de Salva recenter factus Episcopus Pampilonensis, ut docent variæ ipsius Gregorii epistolæ & Bzovius an. 1377. §. 25. Deinde profectus est Pisas, ubi certum est eum fuisse eo tempore quo Bartholomæus Archiepiscopus Barensis electus est Papa, uti postea dicemus.

Interim dum Cardinalis Ambianensis dabat operam sarciendæ concordiæ inter Gregorium Papam & Florentinos, contigit ex hac vita migrare eundem Gregorium; cujus mortem quanta scandala subsecuta fuerint, quot mala in Ecclesiam sanctam Dei invecta, satis liquet ex monumentis illorum temporum. Non vidit neque expertus est Ambianensis minas & violentiam populi Romani, quia erat absens. Istud, quamvis certum sit, confirmabo tamen testimonio fratris Ioannis de Montelono; qui lib. 2. de schismate cap. 7. enumerans X V I. Cardinales qui in Italia erant tempore mortis Gregorii, addit: *Omnes isti intraverunt conclave, excepto Domino Ambianensi, qui fuerat missus ad tractandum pacem Florentinorum per dictum Gregorium.* Idem in Correptorio contra epistolam fundamenti cap. 6. *Notorium est in tota Italia quòd tempore mortis dicti Domini Gregorii, & tempore quo electio Domini Vrbani prædicti fuit facta, Dominus Ambianensis, qui suprà Iohannes titulo sancti Marcelli dicitur, non erat in Roma, imò iverat ad tractandum pacem inter Ecclesiam & Florentinos apud Tusciam, nec venit Romam usque post coronationem dicti Domini Vrbani per multos dies.* In depositione Stephani Episcopi Tudertini nominantur etiam Cardinales qui tum ingressi sunt in conclave, & postea additur: *Dominus verò Ambianensis erat in Pisis pro pace Florentinorum tractanda de mandato Domini G. supradicti.* Non interfuisse illum

coronationi Vrbani observat quoque Alvarus Martini; in qua ait fuisse Cardinales, *exceptis Dominis Cardinalibus qui erant Avinioni & Domino Ambianensi, qui, ut credo, nondum venerat de sua legatia.*

Ex verbis Thomæ Vvalsinghami pag. 216. edit. Francofurt. colligi potest jam tum Cardinali Ambianensi suspectam visam esse electionem Vrbani. Ait enim illum statuisse moram facere in civitate Pisana *donec nova reciperet à fratribus aut à Papa.* Sed Vrbanus, qui satis intelligebat quantum è re publica peteretur, illum evocavit Romam. *Sed expost*, inquit idem auctor, *in brevi apicibus acceptus apostolicis properavit ad curiam.* In tractatu primo Ioannis de Lignano adnotatum est illum advenisse Romam die XXIV. mensis Aprilis: *Item quòd præfatus Cardinalis Ambianensis habita notitia seu indubitata credulitate de ipsis prædictis, ut est dictum, voluit & properavit venire seu redire ad urbem & Romanam curiam prædictas, & tandem venit ad urbem die XXIV. dicti mensis, & in monasterio sancti Pauli prope urbem applicuit, ac ibidem illa die quievit & pernoctavit.* Hæc ipsa iisdem ferme verbis habentur in Facto Iacobi de Seva pag 502. & in Facto misso ad Regem Castellæ per Bartholomæum apud Odoricum Raynaldum an. 1378. §. 98.

Sed ista ex adverso pugnant cum narratione Vvalsinghami. Quippe iste ait Ambianensem non antè Pisis digressum esse quàm epistolam accepit qua Vrbanus eum venire jubebat in urbem. Ioannes verò de Lignano & auctor illius Facti (si tamen non idem auctor est) dicunt illum, cùm certus factus fuisset de electione, inthronizatione, & coronatione Vrbani, properasse ad urbem, tanquam optabiliter iter illud iniret, sicut ii qui nimia voluptate gestiunt. At si verum est illum maturasse viam, cur tam serò advenit ad Vrbanum? Etenim à Luca Romam numerantur tantùm CCXXVIII. M. P. in itinerario Antonini. Pisarum porrò civitas proximior est Romanæ. Certum est autem iter illud multò breviore temporis spatio confici potuisse etiam ab homine non festinante. Itaque verior omnino videtur scriptio Vvalsinghami, aliorum falsa.

Ingressus est ergo Romam die XXIV. mensis Aprilis. Obviam autem ei progressos esse alios Cardinales testatur Petrus Abbas sancti Facundi: *Et audivit quòd quando Cardinalis Ambianensis venit Romam de ambaxiata sua, alii Cardinales exiverunt sibi obviam usque ad monasterium sancti Pauli, & iverunt omnes ad palatium, & audivit quòd dictus Cardinalis fecerat reverentiam dicto electo ut Papa.* Rem ita describit idem Ioannes de Lignano in eodem primo tractatu: *Itemque die tunc immediatè sequenti, qua fuit dies XXV. dicti mensis Aprilis, præfatus Dominus noster Vrbanus Papa VI. causa honorificè recipiendi Cardinalem Ambianensem præfatum redeuntem tunc de legatione prædicta, ut est dictum, hora matutina, ac more Romani Pontificis indutus vestibus & mitra pontificalibus consistorium publicum tenuit, congregatis & sedentibus ibidem collegialiter omnibus aliis Cardinalibus prædictis, quòdque Dominus Cardinalis Ambianensis ad ipsum Dominum nostrum Papam in dicto consistorio, ut præmittitur, tunc sedentem venit, & eidem tanquam vero ac canonicè assumpto Romano Pontifici genuflectens reverentiam exhibuit, & pedem ac manum ipsius Domini nostri Papæ deosculatus fuit, demum ad osculum oris per ipsum Dominum nostrum Papam, ut moris est, receptus fuit, præsentibus, astantibus, & videntibus tunc in dicto consistorio omnibus aliis Cardinalibus prædictis & quampluribus aliis tam Prælatis quàm nobilibus ac magnis & honestis personis in multitudine copiosa in ipso consistorio etiam tunc existentibus.* Vide etiam Odoricum Raynaldum an. 1378 §. 20.

Verùm paulò pòst ista in diversum mutata sunt. Ferox enim animus & inquietus, tum novo principatu versus in superbiam, Cardinalem Ambianensem verbis contumeliosis insecutus est. Testis Alfonsus eremita olim Episcopus Giennensis apud Odoricum Raynaldum an. 1379. §. 16. *Et semel audivi ab eo quòd Dominus Papa habuerat multa verba asperrima & irosa* CUM FURORE *contra Cardinalem Ambianensem.* Idem testatur Cardinalis Glandatensis in depositione sua: *Item isto præsente increpavit semel Cardinalem Ambianensem ille B. super tractatu quem fecerat cum Dominis de Milana, & alius respondit sibi reverenter.* Item Bonaventura Cardinalis de Padua de ordine Eremitarum: *Item Domino Ambianensi dixit quòd deceperat Ecclesiam in pace quam fecerat cum Barnabone & cum Florentinis.* Eam historiam verbis atrocioribus tradit frater Menendus Episcopus Cordubensis in sua depositione: *Et dixit ultrà quòd audivit quòd Papa reprehenderat multùm graviter & usus fuerat verbis multùm duris contra Cardinalem Ambianensem, vocando eum proditorem, & quòd non sufficiebat sibi quòd fecerat proditionem regno Franciæ, imò adhuc volebat facere proditionem Ecclesiæ, & quòd dictus Cardinalis responderat sibi ista verba: Vobis, qui estis nunc Papa, non possum respondere. Sed si essetis Archiepiscopellus Barensis, sicut fuistis pauci dies sunt, ego dicerem Archiepiscopello quòd ipse mentitur per gulam.* In depositione Nicolai Martini Archidiaconi Salamantini scriptum est quòd cùm Vrbanus vituperasset Cardinalem Gebennensem *dicendo sibi verba inhonesta, quòd statim Cardinalis Ambianensis*

replicaverat, & quòd statim Papa dixerat isti Cardinali quòd ipse erat malus homo, quia seminaverat discordiam inter Regem Castellæ & Regem Aragoniæ & Regem Navarræ, & fuerat occasio mortis multorum hominum, & quòd iste Cardinalis responderat sibi quòd mentiebatur, & quòd statim Papa molestus fuerat ei & dixerat, Ecce quid dicit vicario Christi? & statim iste Cardinalis dixit sibi: Non est verum, quoniam tu non es Papa, quia non intrasti per ostium, nec fuit servata forma juris. Et statim exiverunt de camera & recesserunt, Cardinales nimirum Gebennensis & Ambianensis. Additur in eadem depositione: *Interrogatus à quo audivit ista dixit quòd à quodam grossario vocato Raymundo de Vallo & ab aliis Gallicis, & dixerunt sibi hoc Romæ antè quàm Cardinales inciperent ire Anagniam.*

Didacus Martini de Vrduña Canonicus Toletanus interrogatus super articulo 81. primi electi, in quo agitur de accessu Cardinalis Ambianensis ad urbem Romam post electionem & coronationem Vrbani, cùm testatus esset de adventu ejus, demum addit: *Item dixit quòd audivit dici à pluribus & multociens Romæ, non tamen recordatur à quibus, quòd quadam die postquam venit iste Cardinalis Ambianensis quòd venerat ad loquendum cum isto primo electo cùm esset in sede sua, & dum loqueretur sibi posuit manum Cardinali in capa, & dixit sibi: Iste habitus niger perpetravit omnia mala mundi. Et tunc Cardinalis accedens propiùs ad eum dixit: Mentiris sicut Barensis. Et tunc dixit electus Cardinalibus qui erant ibi propè: Venite, venite. Et quando accesserunt, dixit dictus electus ipsi Cardinali Ambianensi: Quid tenetis vos? Et ille dixit: Teneo quod tenet sancta mater Ecclesia.*

Thomas Vualsinghamus in loco suprà laudato refert grave jurgium excitatum inter Vrbanum & eundem Cardinalem Ambianensem. *Et mox*, inquit, *relicto consistorio cum contumelia recessit à conspectu papali. Quem illico secuti sunt plures è Cardinalibus qui parti sua favebant vel consimilia scelera obligabant. Quos omnes Dominus Papa confestim suis privavit titulis, & alios ordinavit numero viginti novem.* Sed hæc falsa sunt. Cùm enim Nicolaus Martini Archidiaconus Salamantinus testetur istud jurgium accidisse ea die qua Bertrandus Latgerii factus est Episcopus Ostiensis ab Vrbano, istud autem ab eo factum sit in ipsis initiis sui pontificatus, & creatio XXIX. Cardinalium peracta sit tantùm die XVIII. Septembris, bulla verò privationis Cardinalis Ambianensis & aliorum data sit VIII. Idus Novembris, manifestum est illos non fuisse privatos suis titulis confestim post jurgium illud, & Cardinales XXIX. fuisse creatos diù antè quàm Vrbanus Ambianensem & ceteros iisdem titulis privaret, non autem postea. Sed Vualsinghamus erat Anglus, adeoque inimicus Cardinalis Ambianensis, quia is regiatum Karoli V. Francorum Regis curarum erat particeps. Itaque Angli illum impendio oderant. Vnde in epistola Vniversitatis Oxoniensis ad Pragensem scripta tempore schismatis, quæ in lucem emissa est ab Hulderico de Hutten, postquam multa adversùs Gregorium XI. sanctæ memoriæ virum dicta sunt, additur: *Hic fecit ordinationes Cardinalium multas, similis Bacchidi, qui elegit viros impios, & constituit eos dominos regionis; & inter eos elegit vulpem dolosam Ambianensem vulpem infernalem secum in annulo portantem, in quorum collegio ad literam dici posset illud evangelii: Vnus ex vobis diabolus est.*

In relatione Roderici Bernardi coram Ioanne Rege Castellæ legitur quòd cùm ipse Romæ colloqueretur cum Vrbano de his quæ à Rege Francorum facta erant in causa duarum electionum, Vrbanus respondit *quòd Cardinales à principio quando fuerunt Romæ asserebant eum esse verum Papam & exhibebant sibi reverentiam & obedientiam liberaliter, sed pòst ad instantiam & suggestionem Ambianensis mutati sunt in arcum pravum.* Facit ergo illum Vrbanus auctorem secessionis. Istud ipsum publicè professus est in vigilia beati Ioannis Baptistæ in frequenti Prælatorum & nobilium virorum conventu; ubi *sedens pro tribunali proposuit qualiter ipse fuerat electus canonicè & concorditer in Papam per omnes Cardinales unanimiter, & ipsi Cardinales scripserant Regibus & Principibus christianis quomodo ipse esset verus Papa & canonicè electus, & quandiu fuerunt Cardinales Romæ habuerunt ipsum pro Papa & impenderunt sibi obedientiam & reverentiam ut vero Papæ, sed postquam venit Cardinalis Ambianensis, qui non fuit in illa electione, doluit quia non fuerat electus aliquis de natione Gallica, & tractavit cum Cardinalibus & induxit eos ad celebrandum aliam electionem, & scripserat multa sinistra de ipso Regi Franciæ, & ostendit & fecit legi litteras responsivas Regis Franciæ, ut dicebat, directas quibusdam Cardinalibus.*

Hanc ob causam Vrbanus illum, ut iniquitatis & perditionis alumnum, inter præcipuos schismatis auctores connumeratum publicè exauctoravit & cardinalatu privavit. Vide Odoricum Raynaldum an. 1378. §. 45. 105. Ex quo deinde factum ut in forma fidelitatis quam Papæ facere debebant Episcopi & Abbates noviter provisi cautum reperiatur ne ullum auxilium, consilium, vel favorem præstent eidem Cardinali Ambianensi & ceteris ab Vrbano damnatis.

Odoricus Raynaldus an. 1379. §. 12. refert insigne, ut ille vocat, vaticinium viri

religiosi Ioannis è Rupescissa inventum inter monumenta Avenionensia, ex quo multùm adjuvari putat causam Urbani. Verùm vaticinium illud de tempore isto non posse intelligi patet apertè ex verbis ejus vaticinii, non cujusmodi editum est à Raynaldo, sed qualia extant in codice 4356. bibliothecæ Colbertinæ; ubi post illa verba ab Odorico relata *mortuo uno summo Pontifice* statim sequitur, *per annum cum dimidio sedes vacet Ecclesiæ generalis. Et in diebus illis, cùm erunt conclusi Domini Cardinales ut eligant summum Pontificem, tantus erit conflictus tyrannorum & populorum in Italia & tanta effusio sanguinis christiani ut videatur perditio seculi advenisse.* Postea sequitur in eodem vaticinio: *Fiet autem justo Dei judicio permittente ut ad suggestionem unius bilinguis falsarii alius quidam filius ambitionis & superbiæ in contumeliam Christi & veri Pontificis &c. ad pseudopontificium assumatur.* Falsarium illum bilinguem Raynaldus ait esse Ioannem Cardinalem Ambianensem, nescio quam ob causam. Ceterùm jam constat divinationem ejus esse falsam, cùm ostensum sit vaticinium illud, etiamsi seria res esset, non pertinere ad electionem Urbani.

Quamvis Cardinalis Ambianensis cardinalatu privatus esset ab Urbano, ipse tamen nihilo minùs se Cardinalem ferebat, uti par erat. Non putabat enim illum canonicè electum. Secutus est autem Clementem VII. in Gallias, & cum eo fuisse Avenioni anno millesimo CCCLXXIX. fidem facit Froissartus vol. 2. cap. 36.

Brevi tamen postea profectus est Lutetiam. Quippe anno sequenti adstitit Regi Karolo V. morienti. Quod tametsi non sit disertè traditum à scriptoribus historiarum, hinc tamen certum esse liquet quòd ex epistola Clementis VII. scripta ad Petrum Gitardi Clericum cameræ apostolicæ edita inter probationes historiæ Cardinalium Gallorum pag. 571. certò constat illum fuisse Lutetiæ eo tempore quo idem Petrus Gitardi illic quoque erat, id est, in initiis pontificatus ejusdem Clementis. Præterea in codice 842. bibliothecæ sancti Victoris Parisiensis extat epistola P. Archiepiscopi Toletani ad Cardinalem Ambianensem, ex qua manifestè colligitur illum fuisse anno MCCCLXXIX. apud Regem Karolum. Denique Ioannes Iuvenalis de Ursinis in initio vitæ Karoli VI. testatur hunc Cardinalem, cùm ad eum pervenissent verba quædam dura & aspera istius Karoli de ipso ad Savoisium, statim ascendisse in equum & celeriter abiisse ad quendam locum Ioannis de Maresiis Advocati regii vocatum *Doué*, quem in annotationibus ad vitam Karoli VI. pag. 661. reperio pertinuisse postea ad Dionysium Maresium, & hinc Avenionem. Robertus Gaguinus in annalibus suis hanc fugam ejus Latinè describens ait illum per Duacum Avenionem se recepisse, confundens videlicet hunc locum, quem ego suspicor situm fuisse haud procul urbe Tricassium, cum celeberrimo oppido Duacensi in Belgio, per quod longa via est pergentibus à Lutetia Avenionem.

Erat Cardinalis Ambianensis arctissima junctus amicitia cum viro insigni Ingerranno Eudino Seneschallo Belliquadri, quem Ioannes Iuvenalis de Ursinis in vita Karoli VI. pag. 30. vocans Hutinum connumerat inter intimos ejusdem Regis. Illi Clemens Papa VII. in initiis principatus Ludovici I. Regis Siciliæ & Comitis Provinciæ commiserat custodiam quatuor arcium sive castrorum in ea provincia; quas cùm Maria Regina ejusdem Ludovici olim conjux recuperare vellet, mentemque suam aperuisset eidem Papæ apud Avenionem anno MCCCLXXXV. die sexta Maii, placuit ad Cardinalem Ambianensem, cujus præcipuè consiliis Ingerrannus innitebatur, mitti nonnullos viros principes ex aula Reginæ qui earum arcium restitutionem postularent. Ad Cardinalem itaque postera die ivere Ioannes Fabri Episcopus Carnotensis, Guillelmus Comes Bellifortis, & Georgius de Marlio magister hospitii Domini Papæ. Et Cardinalis quidem prolixo sermone usus, multùm conquerens de acerbitate eorum quæ adversùm se gesta erant, facturum tamen respondit quæ posset. Eadem die post prandium Ingerrannus accessit ad Reginam salutandam. Qua occasione usus Episcopus Carnotensis ab eo jussu Reginæ repetiit ea castra. Ad hæc ille multas contumelias sibi illatas, pactiones non servatas commemorans, demum dixit non restituturum se castra, sed iturum ad Regem, Francorum videlicet, & facturum quæ ille imperaret. Perculsus ea responsione Episcopus illam postridie retulit Papæ Clementi. Ille verò ægrè id ferens, ad eundem Ingerrannum ire jussit Camerarium suum, qui vice ejus eam restitutionem urgeret. Placuit tamen ut antè Comes Gebennensis cum eo loqueretur. Nihil tum actum est, quod quidem ego sciam. Deinde XIII. sequentis mensis Martii Ioannes de Sanctis cum amplissima potestate missus est ad Ingerrannum tractaturus cum eo de conditionibus restituendarum arcium. Sed interim Ingerrannus profectus est Lutetiam. Itaque Ioannes eandem viam, ut eum assequeretur, ingressus est die XIV. ejusdem mensis. Mansit autem Lutetiæ Ingerrannus usque ad mensem Maium. Tum verò hinc discedens, rediturus in Provinciam, Lugdunum advenit die Veneris XVIII. Maii, ibique hospitatus est ad insigne pilei rubei. Quantæ autem dignationis fuerit idem Ingerrannus hinc quoque

liquet. Nam cùm Episcopus Carnotensis Avenione digressus Lugdunum eo die advenisset, & Georgius coquus ejus in diversorio illo locum accepisset, supervenientes domestici Ingerranni eum hinc excedere compulerunt. Referam autem verba Episcopi ista de se scribentis : *Vendredi* XVIII. *jour je arrivé à Lyon. Et comme George mon queux eust prins hostel au chapel rouge pour moy, vindrent les gens de Messire Enguerran D'Eudin, & me deslogerent, & je fus à la pomme au devant.* Cum Ingerranno erant Vicecomes d'Acy, magister Robertus Cordeletii, & magister Ioannes de Monteacuto, qui Medinlanum proficiscebantur propter matrimonium Ludovici Comitis Valesiæ cum Valentina filia Ioannis Galeacii Vicecomitis Papiensis & Mediolanensis. Post prandium Ingerrannus & magister Robertus Cordelerii iverunt in ædes ubi habitabat Episcopus. Primùm apud eum graviter conquestus est Ingerrannus de Episcopo Sistaricensi, quem aiebat dixisse coram Rege Ingerrannum fovisse partes rebellium Reginæ & hostilem in modum insecutum esse amicos ejus. Deinde retulit eundem Episcopum Sistaricensem sibi objecisse vulgarum illud, pullum gallinæ semper scalpere, *que toujours grate le fils de la geline* ; & addidit se usque ad sanguinem sese scabisse, & neminem præterea, *que il se estoit graté jusques au sanc, & non aultrui,* significans se suis iisque magnis sumptibus custodisse arces de quibus agebatur. Denique molestè se tulisse referebat quod Duci Bituricensi relatum fuerat, illum pro restitutione earum arcium petere annuum redditum duorum millium librarum & præterea in pecunia numerata octoginta millia francorum. Putabat autem ista Duci dicta fuisse à magistro Ioanne de Sanctis. Addidit se graviter à Duce increpitum ob eam causam, & negasse id verum esse. Denique testatus est se velle finire hanc disceptationem, ita tamen ut id fieret absque magno suo detrimento, dedisse se capita suarum petitionum Conestabulario, & staturum arbitrio eius. Vltimò contestatus est jurejurando se addictissimum esse Reginæ Mariæ & liberis ejus præ omnibus aliis, Rege excepto & Ludovico Comite Valesiæ. Verbis autem subobscuris innuere videbatur se, quæcunque in hoc negotio fecisset in Provincia, ea fecisse impulsu Ducum Francorum qui tum rei Gallicæ præerant sub Rege puero. Die Martis XI. Septembris ejusdem anni millesimi CCCLXXXVI. Cardinalis Ambianensis & quidam nobilis ex contubernio Ingerranni vocatus Icius coram Papa sermonem instituere de finienda ejus causa & mittendis extra Provinciam militibus ejus. Quod ut Reginæ significaret Episcopus Carnotensis, ad eam, quæ tum erat in civitate Sistaricensi, postridie misit quendam nuntium nominatum Vvermundum. Rediit ille Avenionem die XVI. & attulit literas Reginæ quibus supremum arbitrium causæ Ingerranni & restitutionis castrorum committebat Papæ Clementi, quæ illi postero die redditæ fuere à Georgio de Marlio. Interim dum negotium istud deduceretur ad effectum, visum est summo Pontifici inducias indici debere usque ad diem nonam mensis Novembris ; idque Reginæ placuit, quæ literis datis die XXVIII. ejusdem mensis Septembris eas inducias servari præcepit à subditis suis, & ne quis Foyssetanno duci exercitus Ingerranni & militibus ejus noceret. Probabile est postea finitam eam controversiam & milites Ingerranni ipsumque Ingerrannum excessisse è Provincia anno eodem exeunte. Etenim in veteri regesto seneschalliæ Nemausensis reperio Hugonem de Frigidavilla fuisse Seneschallum Bellicadri & Nemausi anno MCCCLXXXVII. die XXVII. Februarii. Nunc redeamus ad Cardinalem Ambianensem.

Anno MCCCLXXXV. mense Novembri Cardinalis Ambianensis destinaverat animo ire Lutetiam ad Regem Karolum. Non placuit iter illud Episcopo Carnotensi. Itaque die dominica XIX. ejusdem mensis adivit Cardinalem Ebredunensem in suis ædibus, cum quo consultavit de modis impediendi iter illud. Placuit mitti ad Reginam consistentem in Ponte Sorgiæ ut de ea re ipsa scriberet ad Papam. Allatæ sunt literæ eadem die, statim redditæ summo Pontifici ab Episcopo Carnotensi, qui juxta consilium Cardinalis Ebredunensis mentem Reginæ aperuit verbis multùm asperis, innuens Reginam tales amicos habere in aula à quibus molestias & contumelias metuere posset idem Cardinalis, si perstaret in sententia eundi ad Regem. Hinc factum ut Papa responderit illum non iturum. Sed tamen interim Episcopus Carnotensis sibi non defuit. Etenim ut pervinceret ne iret, invisit die sequenti Cardinales Albanensem, Florentinum, Majorismonasterii, Ostiensem, sancti Angeli, Menrenayum, Cusentinum, & Arelatensem, *ad impediendum viagium Ambianensis.* Regina quoque die Veneris XXIV. scripsit rursum ob eam ipsam causam ad quosdam Cardinales. Suspectus itaque gravitet atque invisus ei erat. Causas autem itarum nondum potui invenire.

Anno MCCCLXXXVI. die dominica XXI. Octobris idem Cardinalis Ambianensis apud Avenionem Missam celebravit pro felici & prospero successu itineris Anglicani quod Karolus VI. Rex Francorum meditabatur. Tum verò sermonem habuit ad populum magister ordinis Prædicatorum. Ita testatur, qui præsens erat, Ioannes Fabri Episcopus Carno-

tensis in suo diario : *Dimenche je fus avec les aultres à une Messe que dit le Cardinal d'Amiens, à laquelle prescha le Maistre de l'ordre des Prescheurs, & fu pour le passage du Roy de France en Angleterre & pour la nativité du fils du Roy.* Sed hoc consilium evanuisse docent Thomas Vvalsinghamus in Richardo II. & Ioannes Iuvenalis de Vrsinis in historia ejusdem Karoli.

Anno MCCCLXXXVII. die XVIII. Iunii Ludovicus II. Dux Borbonii Avenione, quò venerat ad salutandum Papam Clementem, discessit in Hispaniam profecturus in subsidium Ioannis Regis Castellæ adversùs Ducem Lancastriæ, pollicitus se post reditum ex Hispania iturum in Siciliam. Nam Rex Castellæ apud eum conquestus erat quòd tamdiu cum Clemente summo Pontifice, ut ait continuator Nangii, moram sibi damnosam traheret. Interim idem Rex pacem fecit cum Duce Lancastriæ. Quod Duci nuntiatum ex parte Regis, adeoque illum copiis ejus non indigere ; *sicque infecto negotio*, inquit idem continuator, *redire in Franciam maturavit.* Ex quo interim colligitur falsò traditum à Ioanne Iuvenale de Vrsinis in historia Karoli VI. pag. 41. Ludovicum profectum fuisse in Africam adversùs Sarracenos. Rediit ergo Avenionem die octava sequentis mensis Octobris ; & cùm priùs Reginam Mariam invisisset apud Villamnovam, trajecto ponte ivit Avenionem, comitantibus eum Cardinalibus Ambianensi & Ravennate. Sequentibus diebus actum est de itinere Siculo. Et tandem die XI. ejusdem mensis, quia constabat illud non posse fieri absque sumptibus immensis, dictum est Ducem non iturum in Siciliam. Ea deliberatio Papæ significata est postridie, cùm apud eum essent Cardinales Ambianensis, Ebredunensis, Cusentinus, de Thureyo, & Vivariensis.

In diario Episcopi Carnotensis, ex quo sumpta sunt quæ hactenus diximus de Ingerranno & de itinere Hispanico Ducis Borbonii, hæc ad diem XIV. Decembris MCCCLXXXVII. leguntur de tractatu Reginæ Mariæ cum Comite Sabaudiæ. *Die XIV. ante prandium & post fuit Domina in palatio penes Papam pro facto Comitis Sabaudia. Et tunc venit Dominus Georgius* (de Marlio) *dimisso Domino Nicolao de Spinollis in castro de Barbantane. Die XV. post prandium facta fuit responsio ambaxiatoribus Comitis Sabaudia in præsentia Papa & Domina per Cardinalem Ambianensem. Stabat responsio in effectu quòd Domina vadit ad Franciam, ordinationi Regis Francia & Bituria & Burgundia stabit, si placet Comiti pro sua parte stare, si non, rediens ad Romanam curiam volet quod Comes aliquos pro se recipiat, & Domina pro se recipiet alios, & illi videbunt, & Domina mittet ad Comitem unum vel duos ex parte sui ad eam exensandam super dilationibus in hac materia receptis & ad offerendum quòd si Comes meliorem viam videat, illam promoveat, Domina parata est ei intendere,* Et paulò infrà : *Die XVII. post prandium Domina fuit penes Papam. Fuit ordinatum quòd consilium super factis Domina teneatur à Cardinalibus Ambianensi & Cusentino, & conclusiones Papa & Domina referrentur.*

Erat tum magna concertatio inter eandem Reginam & Comitem Gebennensem propter sexaginta millia florenorum de camera, quos ille sibi solvi postulabat uti sibi debitos propter operam à se Regi marito ejus præstitam in Italia, & prætereà quatuor millia francorum sibi debita ratione mutui. Huic concertationi finis impositus est anno MCCCLXXXVIII. die XIV. Ianuarii apud Avenionem in palatio apostolico ; ubi in manibus Papæ juratum fuit super Missali ab iis qui huic conventui interant rem fore occultam, addita excommunicatione in revelantes, cujus absolutionem Papa penes se retinuit. Præsentes fuerunt, ut scribit Episcopus Carnotensis in eodem diario, Cardinales Ambianensis, de Tureio, de Murolio, Camerarius Papæ, Episcopi Aniciensis, Carnotensis, & Sistaricensis, Comes Camerarius, Seneschallus Provinciæ, id est, Georgius de Marlio, Dominus Robertus de Drocis, Dominus Raymundus Bernardi. *Tractatus*, inquit idem Episcopus, *continebat quòd Comes Gebennensis traderet Domina decem millia francorum realiter ; quibus mediantibus esset quittus erga Dominam de omni actione præsentem diem præcedente quam ex quacunque causa Domina contra eum posset intentare. Item Domina se obligaret Comiti in XXXV. millibus francorum ; quibus solutis, Domina esset quitta penes eum de quacunque petitione per Comitem fieri possibili usque ad præsentem diem. Pro ista solutione per Dominam fienda dabit Domina securitates, scilicet insulam Martici, castrum de Alensono, villam de Berra, & villam de Ystre ; quas villas Domina vendet Domino Comiti pro pretio illorum XXXV. millium francorum, ea tamen conditione quòd Domina solvendo dictam summam, usque ad decem annos dicta loca poterit recuperare ; quod si fecerit, venditio erit nulla ; & quia Domina non potest realiter tradere villas pranominatas titulo pignoris, Comes habebit gabellam Berra, cujus faciet fructus suos incohando à die nativitatis dominica proximè ventura, quousque Domina fecerit ei tradi possessionem insula & Alausons vel Berra & Ystra. Habita verò possessiona duorum de illis locis, gabellam tenebitur Domina liberè dimittere. Et solam gabellam Domina impignorat.*

Die XXVIII. ejusdem mensis Ianuarii, ut in

ut in eodem diario habetur, Cardinales Ambianensis, Ebredunensis, & de Thureyo Reginæ ex parte Papæ significarunt ipsum, si Regina vellet circa mensem Septembrem mittere Regem filium suum in regnum Siciliæ, suppeditaturum tertiam partem sumptuum, quos existimabat fore ducentorum millium francorum. Addidere quòd si Rex Franciæ non fineret exigi in regno suo decimas, Papa stare non posset promissis. *Et faisoit le Pape savoir à Madame que se le Roy de France ne souffreit que le Pape eust les disiemes ou royaume, encore ne pourreit-il ceste promesse parfournir.*

Eodem anno, Kalendis Martiis, in urbe Cenomanensi sigillatæ sunt ab Episcopo Carnotensi duæ literæ quibus Regina Cardinalibus Ambianensi, Ebredunensi, Cusentino, & de Thureyo, Archiepiscopo Arelatensi, Georgio de Marlio, & Raymundo Bernardi potestatem dabat tractandi & concludendi coram Papa cum legatis Regis Arragonum matrimonium Regis Ludovici filii sui & Yolantæ filiæ ejusdem Regis Arragonum. Harum literarum unæ erant absolutæ, absque ulla reservatione; aliæ præscribebant uti pacta ita constituerentur ut semper intelligeretur rem ea conditione firmam fore, si consensus accesserit Regis Franciæ & Ducum Bituriæ & Burgundiæ. Eam postea Ludovicus duxit in urbe Arelatensi anno MCCCC. die secunda Decembris.

Cardinalis Ambianensis interfuit electioni Benedicti XIII. anno MCCCXCIV. die XXVIII. Septembris. Cùm verò postea Karolus VI. Rex Francorum quæreret modum quo revocari posset unitas in Ecclesiam Dei, & Cardinales ante eam electionem promisissent se, si eos eligi contingeret, omnes vias extinguendi schismatis amplexuros usque ad cessionem, Benedictus tamen hujus promissionis parum memor cedere nollet, Duces Bituricensis, Burgundus, & Aurelianensis propterea Avenionem profecti, cùm nihil ab illo obtinere possent, in suas ædes convocarunt Cardinales anno MCCCXCV. die prima Iunii, & sententias eorum exquisivere in tanto negotio. *Cardinalis Ambianensis*, ut refert continuator Nangii pag. 137. in tomo sexto Spicilegii Dacheriani, *per salutem animæ suæ, fidelitatem Regi Franciæ promissam & Ecclesiæ juravit quòd via cessionis erat brevior, sanctior, expeditior, honorabilior, magis placens Deo, magis corda & conscientias creaturarum pacificans, schismatis sedativa, & pacis Ecclesiæ universalis causativa quàm aliqua alia; & ideo ipsam solam, omnes alias parvi pendens, approbavit.* Tum die sabbati tertia Iulii congregatis Cardinalibus in conventu fratrum Minorum, ubi aderant etiam tres Duces suprà nominati, Cardinalis Ambianensis loquens pro omnibus Cardinalibus laudavit primò affectum & diligentiam eorundem Principum in hac causa, deinde dixit unam omnium Cardinalium sententiam esse ut iidem Duces cum Cardinalibus & missis à Rege & academia Parisiensi accederent ad Papam Benedictum, eique exponerent quæcunque per Regem facta erant pro extinguendo schismate, præcipuè verò ut ei suaderent debere eum accipere & exequi viam cessionis, quam tot viri sapientes & literati approbaverant tanquam meliorem & breviorem; præcipuè cùm ipse cum ceteris in conclavi ita jurejurando promiserit, & postea electus confirmaverit. Orationem Cardinalis Ambianensis excepit Dux Bituricensis, & Cardinales debitis laudibus & gratiis prosecutus est. Tum decretum ut die lunæ sequenti iidem Duces & Cardinales adirent ad Benedictum eique ab initio res quemadmodum gesta erat exponerent. Sed id quidem tum Benedictus elusit. Postea tamen die Iovis octava Iulii omnes in camera paramenti fuere cum Papa, & causas accessus sui ad eum retulere, sed frustra. Is enim noluit amplecti eam viam, multùm tamen contestatus se omnibus modis rationabilibus & honestis daturum operam ut unio fieret in sancta Ecclesia Dei. In hoc porrò conventu, præter tres Duces & Cardinales, aderant Episcopi Silvanectensis, Pictaviensis, & Attrebatensis, & plures magnates. Ita ego scriptum vidi in veteri codice MS. archivi regii Parisiensis.

Haud ita multò pòst perlatum est ad Regem quòd Cardinalis Ambianensis non occultis consiliis cum Martino de Salva Cardinale Pampilonensi addicto partibus Benedicti agitabat ut Cardinales retraheret à sententia quam circa viam cessionis prompserant coram Ducibus. Qua de re ad eundem Cardinalem gravissimas literas dedit idem Rex. Quas cùm Cardinalis accepisset, videretque se & existimationem suam lædi, obtinuit à Cardinalibus ut ipsi omnes simul & singillatim scriberent ad Regem falsam fuisse eam famam, & Cardinalem illum ab eo tempore quo Duces Avenione decesserant semper mansisse constantem in tenenda via cessionis absque ulla mutatione aut variatione. Eorum literæ extant in eodem codice MS. archivi regii Parisiensis.

Anno MCCCXCVIII. quum Petrus de Alliaco missus esset Avenionem à Rege & ab Ecclesia Gallicana ut Benedictum rursum hortaretur ad amplectendam viam cessionis, & idem Benedictus in congregatione Cardinalium cum audivisset, eoque egresso consistorium, Cardinales deliberarent quid agendum esset, quibusdam existimantibus grave admodum durumque esse eum Pontificem deprimere quem ipsi erexissent, Ambianensis dixit videri sibi impositam singulis ipsorum esse neces-

sitatem obsequendi Regibus Franciæ & Germaniæ in hac materia concordibus, cùm eorum vita ab illis penderet. sanè transigi rem posse meliùs, si solus Rex Germaniæ urgeret viam cessionis, Francus ab ea abstineret. verùm tantum abesse ut ille viam cessionis reprobet ut etiam eam imperet, mineturque se prohibiturum ne Cardinales fruantur reditibus suorum beneficiorum, absque quibus, inquit, non possumus vivere. Tum ad Benedictum conversus, Verum est, inquit, beatissime pater, sanctitatem vestram à nobis electam & constitutam fuisse in sede apostolica, sed ea tamen conditione adjecta ut eadem sanctitas vestra seriò laboret pro reformatione & unione Ecclesiæ, sicuti pollicita est. Vestrum est sic moderari actus vestros ut ad reddendas vobis gratias teneamur. Meliùs enim animum vestrum nostis quàm nobis notus esse possit. Cùm Cardinalis Ambianensis finem dicendi fecisset, ceteri dixerunt eum bene locutum esse, & Benedictum rogarunt uti sensa sua promeret. Ille verò respondit se multùm sudasse pro consequenda unione Ecclesiæ, sed quandoquidem divino munere & Cardinalium electione collocatus fuerat in sede beati Petri, semper mansurum Papam quandiu viveret, neque unquam dignitati suæ renunciaturum. Surgentibus itaque Cardinalibus & egressis è consistorio, ingressus est Petrus de Alliaco, & responsum petiit à Papa. Ille verò in ea sententia perstitit quam prompserat coram Cardinalibus. Petrus statim post prandium rediit ad Regem. Hæc fusiùs narrat Froissartus vol. 4. cap. 97.

Postea cùm Kal. Septembris, ut Surita ait in libro tertio Indicum, subtractio obedientiæ jussu Karoli Regis publicata esset apud Villamnovam Avenionensis diœcesis, Cardinales numero XIX. postridie Avenione decedunt, & inter hos Ambianensis. Deinde verò iidem qui Avenione secesserant, ferè omnes ab obedientia Benedicti se subtrahunt.

Fuisse eum amicum Francisci de Vico Præfecti urbis paret ex testimoniis quorundam ex illis testibus qui jussu Ioannis Regis Castellæ interrogati sunt super origine schismatis. Addit Fernandus Petri Decanus Tiraionensis eum fuisse compatrem ejusdem Francisci. *Interrogatus super* XCIV. *dixit se audivisse quòd Cardinalis Ambianensis erat amicus & compater Francisci de Vico Præfecti urbis, & super factis Præfecti primo electus habuerat cum dicto Cardinali mala verba, & comminatus fuerat ei.*

Ex epitaphio ejus constat illum obiisse Avenione. Et tamen Augustinus Oldoinus Ciaconium reprehendit ita scribentem. Sed habet Oldoinus sententiæ suæ auctorem Petrum Frizonium, qui putavit eum rediisse in Gallias post electionem Ioannis XXIII. non animadvertens Cardinalem Ambianensem multis antè annis decessisse quàm Ioannes ille eveheretur ad summum fastigium. Quod rectè adnotavit idem Oldoinus.

Demum admoneri debere visum est ex imperitia vulgarium quorundam scriptorum è Gallia nostra, qui Clementem VII. vocare solent Antipapam, fluxisse ut Ioannes Laborator in prolegomenis ad historiam Karoli VI. hunc Cardinalem Ambianens. iniquissimo odio prosecutus sit & injustissimis verborum contumeliis laceravit.

PETRVS DE SORTENACO] Hoc esse verum ejus nomen certò probatur ex actis Concilii Vaurensis habiti anno MCCCLXVIII. cui ille interfuit ut testis. Quare falluntur vehementer ii qui ex quadam similitudine nominum collegerunt illum ortum esse ex prosapia de Vigono dominorum Cercenaschi oppidi inter Alpes & Taurinum. Fuit iste patria Cadurcensis in Aquitania. Quod non solùm scribit auctor iste, sed testatum etiam reliquit Iacobus de Seva seu potiùs Ioannes de Lignano in Facto misso ad academiam Parisiensem pro asserenda Vrbani VI. electione in tomo quarto historiæ Vniversitatis Paris. pag. 489. *Secundò nominabant & nominaverunt Cardinalem Vivariensem, qui est & erat nationis Cantuariensis.* Vbi tamen reponendum est *Caturcensis*, cùm in codice 842. S. Victoris Parisiensis, ex quo Factum illud emissum est in lucem, scriptum sit *Cartucensis* per transpositionem literarum, & in codice 815. bibliothecæ Colbertinæ disertè scriptum sit *Caturcensis*.

Ex actis Concilii Vaurensis apparet illum anno MCCCLXVIII. fuisse Decanum sancti Felicis de Caramanno Tolosanæ diœcesis. Postea factum esse audientiæ literarum contradictarum Domini Papæ auditorem liquet ex iis quæ referuntur ab Ægidio Bellameia in cap. *Ex literis.* de mutuis petionibus.

Anno MCCCLXXIII. factum fuisse Episcopum Vivariensem post Bertrandum de Castronovo docet liber obligationum archivi Vaticani, in quo scriptum est Petrum Episcopum Vivariensem die XIX. Octobris hujus anni promisisse cameræ Domini Papæ & Dominorum Cardinalium solutionem communium servitiorum, ut tum mos erat. Quo loco mihi redeundum esse video ad Bertrandum de Castronovo Archiepiscopum Ebredunensem, de quo jam suprà pag. 856. actum est, ut emendem catalogum Episcoporum Vivariensium, qui valde mendosus est in hoc loco. Bertrandus ergo è cathedra Ebredunensi transiit ad Vivariensem vacantem per obitum Aymari de Vouta anno MCCCLXV. uti diximus, & successorem habuit hunc Petrum. Huic Petro statim successit Bernardus de Agrifolio, quem Gregorius XI. vocat consanguineum suum in epistola qua eum commendat Karolo

V. Regi Francorum. Ex quo colligitur Bertrandum, qui in vulgato catalogo Episcoporum Vivariensium postponitur Petro de Sortenaco, ei anteponendum esse, & Beraldum hinc tollendum, itemque Petrum V. qui idem est cum superiore. Ex quo rursum colligitur falsò eum dici Archiepiscopum Ebredunensem in tomo primo Galliæ Christianæ pag. 281. & Cardinalem tituli sancti Marci. Successit sanè Bertrando Archiepiscopo Ebredunensi, non quidem in cathedra Ebredunensi; sed in Vivariensi. Quoad titulum verò sancti Marci, pertinet ille ad Petrum Amelii, quem ex Archiepiscopo Ebredunensi Clemens VII. creavit Cardinalem anno MCCCLXXVIII. uti postea videbimus. Idem dicendum de titulo sanctæ Mariæ Trans Tyberim, quem Augustinus ab Ecclesia ei tribuit.

Anno MCCCLXXV. die XX. Decembris Petrus de Sortenaco factus est Presbyter Cardinalis tituli sancti Laurentii in Lucina, vulgò dictus Vivariensis. Et cùm eo tempore Florentini vexillum libertatis erexissent adversùs Pontificem Romanum, Gregorius huic Cardinali delegavit curam inquirendi an vera essent quæ de eorum rebellione vulgò ferebantur; ut constat ex epistola ejus data XII. Kal. Maii anno sexto, quam recitat Bzovius an. 1376. §. 15.

Anno MCCCLXXVI. secutus est Gregorium XI. properantem ad mortem, & Romæ erat quando sedes apostolica per mortem ejus vacavit. Tum verò Cardinales Lemovicenses, cùm cogitarent quemnam Gregorio successorem darent, primò conjecerunt oculos in Guidonem de Malesicco Cardinalem Pictaviensem, deinde in istum Vivariensem. Non utar omnibus testimoniis quæ mihi suppetunt. Afferam tantùm auctoritatem Petri Flandrini Cardinalis sancti Eustachii ex epistola responsiva ad dubia Archiepiscopi Toletani, in qua testatur Cardinales fuisse dispositos eligere Cardinalem Vivariensem, *cujus probitatem*, inquit, *scientiam, & bonos mores vos, ut arbitror, satis nostis*. Afferam etiam nihilo minùs testimonium Iacobi de Seva seu potiùs Ioannis de Lignano, cujus hæc sunt verba pag. 489. tomi quarti historiæ Vniversitatis Parisiensis, emendata auctoritate codicis 815. bibliothecæ Colbertinæ: *Cardinalis Lemovicensis, de Agrifolio, Pictavensis, Majorismonasterii, & de Vernhio, qui sua nativitatis Lemovicensis volebant & aspirabant tunc fieri & habere Papam aliquem patriotam suum vel saltem vicinum & de sequela eorum, & primò principaliter Cardinalem Pictavensem, sed quia erat eis dictum quòd de Pictavensi non poterat fieri ex causa qua infrà dicetur, secundo nominabant & nominaverunt Cardinalem Vivariensem, qui est & erat nationis Caturcensis ac vicinus patriæ & de sequela eorum*. Et hæc quidem ante ingressum conclavis. Postea verò, facta electione Bartholomæi Archiepiscopi Barensis, cùm Cardinales egressi essent e conclavi, Vivariensis cum quibusdam aliis se contulit ad domum Cardinalis de Agrifolio, & hinc in castrum sancti Angeli, uti dictum est suprà pag. 1147.

In depositione fratris Petri Cordubensis conventus S. Bartholomæi de Lupiana ita scriptum est: *Et audivit à dicto Episcopo* (Giennensi) *quadam die qua ivit cum eo ad videndum Cardinalem Vivariensem per duos vel tres dies post electionem vel paucos plures quòd dictus Cardinalis dixerat ei quòd homini viventi de iis quos cognoscebat non potuerat dare vocem suam ut isti Archiepiscopo Barensi, qui erat jam Papa, vel Domino Martino Episcopo Pampilonensi, si ibi stetisset*. Contrà in depositione Poncii Beraldi: *Item quòd isti dixerat semel quidam Cardinalis, scilicet Vivariensis, quòd verè ille non erat Papa & avisaret illum Barensem de hoc ut, si esset possibile, reeligeretur, & quòd ipse laboraret, & quòd tunc dixit iste testis quòd placeret illi Domino Vivariensi dicere sibi, quia magis crederet sibi quàm alii, & tunc dixit ille Cardinalis quod jam dixerat sibi, sed apertiùs diceret quando esset extra urbem. Et hæc contigerunt quando recedebat ille Dominus Vivariensis à Roma*. Item in depositione fratris Ioannis Episcopi Castrensis: *Postea dicit iste testis quòd ipse ivit Anagniam & petivit à Domino Vivariensi & Pictavensi, Gebennensi, Ambianensi, & ab aliquibus aliis, & omnes dixerunt ei quòd non erat Papa. Specialiter Dominus Vivariensis dixit ei: Non est magis Papa quàm cauda vestra mula*.

In relatione Roderici Bernardi coràm Ioanne Rege Castellæ ista inter cetera leguntur de colloquio ejus cum Vrbano & de variis interrogationibus eidem factis ab eodem Roderico: *Item si recordabatur qua verba dixisset sibi Dominus Cardinalis Vivariensis quando ultimò recessit ab eo*, id est, ab Vrbano. *Respondit quòd non recordabatur tunc. Ego dixi sibi quod dictus Dominus Vivariensis in recessu suo avisavit ipsum secretè quòd non tractaret malè Cardinales, quia adhuc indigebat eis, & si ipse vellet tenere bonos mores, ipse Cardinalis laboraret pro servitio suo juxta posse quando esset cum aliis Dominis suis Cardinalibus, sed caveret quòd non scriberet litteras apostolicas nec faceret aliquos actus apud urbem quousque ipse videret mentes Dominorum suorum Cardinalium. Nam hæc dixerat mihi prodictus Dominus Vivariensis. Ad istud respondit idem primus electus quòd bene verum erat quòd dictus Vivariensis dixerat sibi aliqua verba quæ sapiebant mentem aliquorum qua ego dicebam, sicut poterat recordari, sed tunc non præsumebat*

ad quem finem diceret, quia magis obscurè loquebatur ista, sed quia diligebat illum Vivariensem, credebat quòd in bona parte loquebatur sibi, sed postea ipse & alii fuerant conversi in arcum pravum. Tunc ego dixi quòd ipse Dominus Vivariensis dixerat mihi quod protulerat illa verba, quia considerabat facere possibilitatem cum Dominis suis quòd iterum reeligeretur. Nam sciebat quòd omnes dubitabant de electione sua &c. Ipse dixit quòd omnes se habuerunt malè, & istud processerat ad suggestionem Cardinalis Vivariensis.

Extat in codice 815. bibliothecæ Colbertinæ responsio ejus ad interrogationes Cardinalis Florentini & Mediolanensis in causa electionis, inthronizationis, & coronationis Vrbani; quæ omnia facta esse profitetur propter metum mortis, quæ aliàs facta non fuissent.

Anno MCCCLXXXIV. die ultima Februarii obiit Hugo de Montelegum Episcopus Sabinensis. Tum verò Clemens Papa episcopatum illum contulit Petro Cardinali Vivariensi, non verò Vrbanus, ut falsò existimavit Augustinus ab Ecclesia. Is enim Cardinalem Vivariensem jam anathematizaverat & cardinalatu privaverat, utpote transgressum in partes Clementis adversarii sui.

Anno MCCCLXXXVIII. ex delegatione Clementis VII. composuit contentiones quæ erant inter Episcopum & Canonicos Ecclesiæ Valentinæ. *Columbi lib. 3. de gestis Episcoporum Valentin. nu. 50.*

Anno MCCCXC. die XVI. Augusti moriturus declarationem edidit Avenione qua testatus est se cupientem fideles Christianos Facto Vrbani, quod in publicum emissum erat, deceptos ad viam reducere veritatis declarare Clementem VII. canonicè & rite electum fuisse in Papam, Bartholomæum verò, qui se nominabat Vrbanum, per vim & violentiam ac notoriam impressionem Romanorum in sede apostolica fuisse intrusum ac ipsum & successorem suum fuisse & esse Antipapas, apostaticos, schismaticos, & totius Ecclesiæ Dei destructores. Extat hæc declaratio in tomo quarto historiæ Vniversitatis Parisiensis pag. 671.

Mortuum esse illum eadem die tradit Felix Contelorius. At in libro obligationum adnotatum est eum obiisse postridie. Sanè si verum est eum decessisse die Martis, ut ait Contelorius, certum est eum jamjam moriturum fecisse hanc declarationem. Dies enim XVI. Augusti anno illo incidit in diem Martis.

GERALDUS DE PODIO] Cùm Cardinalem istum constet fuisse patria Lemovicem & Gregorii XI. ac multorum Cardinalium, ut ait Petrus Rostagni in epistola ad Regem Castellæ, consanguineum, vehementer suspicor illum ortum esse è vico de Podio prope vicum Rosariorum, vulgò *Rosiers*, in cujus parrochia in lucem editus est Gregorius. Vanum est autem quod adnotat Frizonius pag. 412. ex eodem loco ex quo prodiit hic Cardinalis prodiisse etiam Guillelmum de Podio olim Episcopum Lemovicensem. Certum est hunc Geraldum fuisse monachum ordinis sancti Benedicti. Sed incertum seu potiùs ignotum est in quonam monasterio professionem monachalem emiserit. Nam quod Arnoldus Vvion pag. 296. ait illum fuisse monachum monasterii Cluniacensis sive, ut aliis placet, sancti Flori, ostendit rem esse incertam & ambiguam. Monasterium tamen sancti Flori, quod non est admodum remotum à Rosariis, erat congregationis Cluniacensis.

In catalogo Abbatum monasterii sancti Petri de Monte in diœcesi Catalaunensi reperio illum ejusdem monasterii Abbatem fuisse per annos XIV. & hinc translatum ad regimen Majoris monasterii Turonensis. Ex quo consequitur illum anno MCCCL. evasisse Abbatem sancti Petri de Monte, quia constat illum Petro fratri suo successisse in Majori monasterio anno MCCCLXIII. ut docet auctor anonymus de gestis Episcoporum Turonensium & Abbatum Majorismonasterii.

Anno MCCCLXIX. XVI. Kal. Septembris Vrbanus V. ei & Ludovico Episcopo Bajocensi ac Ioanni Abbati sancti Albini Andegavensis commisit examen miraculorum quæ patrata dicebantur per intercessionem Caroli Blesensis Ducis Britanniæ. Quam delegationem postea confirmavit Gregorius XI. anno MCCCLXXI. XVII. Kal. Februarii. Eorum bullæ editæ sunt ab Andrea Duchesnio inter probationes historiæ Castillioneæ pag. 127. & sequenti. Porrò Geraldum ei negotio non incubuisse constat ex relatione ab Episcopo Bajocensi & Abbate sancti Albini missa ad Papam Gregorium die XVIII. Decembris. Scilicet jam tum, ut videtur, in Italiam missus erat à Papa Gregorio ut illic fungeretur munere Thesaurarii sedis apostolicæ, quo illum ea tempestate ornatum fuisse constat. Adnotat enim Bzovius an. 1216. pag. 249. & ex eo Ferdinandus Vghellus in additionibus ad Ciaconium pag. 966. Gregorium XI. literis datis Avenione anno millesimo CCCLXX. jussisse ut ei Romæ ostenderetur vultus sanctus quem vocamus Veronicam. Quod Oldoinus ita interpretatur to. 2. pag. 610. ut extare dicat ejusdem Gregorii literas ad hunc Abbatem Majorismonasterii in Italia degentem; quibus Pontifex ei vultum sanctum vulgò Veronicam ostendi jubet. Auberyi divinatio ultra processit. Ait enim illum in Italiam profectum ut inviseret loca sancta, tumque Papam Gregorium literis commendatitiis illum instruxisse ut citra ullam dif-

ficultatem videre posset reliquias sanctorum pretiosiores. Quod paraphrastice sumptum ex Vghello, multùm recessit à veritate rei gestæ.

Ad officium Thesaurarii quod attinet, testatur Gobelinus Persona Cosmodromii ætate 6. cap. 73. hunc Geraldum Abbatem Majorismonasterii Turonensis, qui postea factus fuit Cardinalis, missum fuisse in Italiam per Papam in Thesaurarium & Collectorem universalem terrarum Ecclesiæ. Vide etiam Bzovium an. 1372. §. 4.

Anno MCCCLXXII. Gregorius XI. ei commisit gubernationem civitatis Perusinæ, patrimonii beati Petri, & certarum aliarum provinciarum. *Prima vita Gregorii XI. pag. 431. & Pompeius Pellinus to. 1. hist. Perus. pag. 1117.* Ejus rei mentio est in epistola Gregorii ad nobiles de Balcolis, in qua scribit se in Italiam destinate Geraldum Abbatem Majoris monasterii Turonensis, Gomecium de Albornocio Militem, & Ioannem de Senis Licentiatum in legibus, eosque commendat iisdem nobilibus, quos fuisse cives Esculanos colligi videtur ex eadem epistola. Hunc porrò Gomecium, Ægidii Cardinalis nepotem, fuisse tum factum Ducem Spoleti & gubernatorem civitatis Perusinæ in rebus bellicis, *nelle cose dell'armi*, testatur Pellinus in loco suprà laudato.

Hac tempestate accidisse oportet jurgium quod inter hunc Geraldum & Thomaluccium Minoritam refert Vvaddingus an. 1377. §. 8.

Anno MCCCLXXIV. multos in patrimonio beati Petri expertus est sibi rebelles. *Bzov. anno* 1374. §. 9. & 1375. §. 5. quod postea in apertum bellum erupit anno sequenti. Boninsegnius lib. 4. pagin. 561. & 563. de his motibus agens hunc Geraldum depingit ut hominem magis mundanum quàm spiritualem & qui tyrannum potiùs quàm gubernatorem agebat in civitate Perusina, ubi duas arces munitissimas excitaverat. Intra earum unam Perusini eum obsederunt, ut ait Boninsegnius. Et interim, addit ille, dum erat obsessus, ad eum nuncius allatus est quòd Papa ipsum fecerat Cardinalem. Hujus facinoris atrocitatem sic describit ipse Gregorius XI. in bulla anathematis adversùs Florentinos apud Bzovium an. 1376. §. 15. ubi illud imputat Florentinis: *Rursus Priores, Vexillifer, Confallonerii, & alii officiales dictæ civitatis &c. dilectum filium nostrum Geraldum S. R. E. Presbyterum Cardinalem in nonnullis terris nostris Italiæ pro nobis & sadem Ecclesia in temporalibus vicarium generalem, magnum & honorabile membrum Ecclesiæ, & in grandium agendorum executione probatum, hostiliter insequentes, procurarunt & de facto fecerunt, gentes armigeras ad civitatem nostram Perusinam dessignando, quòd dictus Cardinalis ac etiam venerabilis frater noster Bernardus Episcopus Bononiensis cum nonnullis aliis personis ecclesiasticis ejusdem Romanæ Ecclesiæ ac nostris officialibus obsessi fuerunt.* In hoc loco pro *dessignando* legendum esse *destinando* & sensus evincit & probatur auctoritate codicis 822. bibliothecæ Colbertinæ.

Absens igitur factus est Cardinalis anno millesimo CCCLXXV. die XX. Decembris. Quam ob causam vocatur à Gregorio tantùm Presbyter Cardinalis, absque ulla mentione tituli; quem tandem habuit post adventum suum in urbem Romam, id est, anno MCCCLXXVII. die tertia Februarii, qua eum intravisse curiam notatum est in libro obligationum. Datus autem ei est titulus sancti Clementis vacans per mortem Petri de Iudicia, qui obierat Pisis anno MCCCLXXVI. die XXII. Novembris.

Anno MCCCLXXVII. delegatus est ab eodem Gregorio ut examinaret revelationes sanctæ Brigittæ Sueciæ; quemadmodum testatur Ioannes Cardinalis de Turrecremata, si modò verba ejus rectè expendantur. Indiget enim curatione locus Ioannis unde hæc narratio petita est. Vt res planè intelligatur, describenda sunt ipsamet verba ejus ex epistola ad universos Christi fideles: *Qui summus Pontifex sine dilatione eas assignavit & commisit examinandas circumspectissimis & peritissimis viris & Dominis Cardinalibus & magistris in sacra theologia hic subsequenter insertis, videlicet Cardinali Montismajoris, Cardinali de Agrifolio, & Cardinali de Luna.* Hic locus est obscurus ob nomen Cardinalis Montismajoris, qui nullus fuit pontificatu Gregorii. Lucem verò ei afferet locus alter æquè corruptus Theoderici de Niem ex libro 2. de schismate cap. 2. ubi enumerans Cardinales qui ad adorandum Vrbanum VI. noviter electum venere ait: *Altera die immediatè ad dictum Vrbanum in palatio apostolico existentem satis tempestivè accessit Petrus de Luna tunc, & paulò post alter qui Majoris montis vulgariter nominatur.* Intelligit Geraldum de Podio, qui vulgò vocabatur Cardinalis Majorismonasterii. Testis Iacobus de Seva in suo Facto pag. 495. *Item quòd prædicto eodem mane diei proximè dictæ præfati quinque Cardinales qui, ut prædictum est, in hospitiis eorum permanserunt, videlicet Florentinus, Majorismonasterii, Mediolanensis, Glandacensis, & de Luna Cardinalis, venerunt ad dictum palatium & ad dictum electum &c.* Corrigendus etiam Boninsegnius eum vocans Abbatem Montismajoris. Ceterùm ex prava Niemi lectione quam suprà retulimus ortus est error egregii viri Petri Puteani, qui in suo de schismate libro pag. 198. recensens aliquot Cardinales Gregorio XI. superstites, inter

illos nominat Grandimontanum, *le Cardinal de Grammont*, conflatum videlicet ex Cardinale Montismajoris Theoderici de Niem.

Postea Gregorius XI. ingressos est viam universæ carnis. Geraldus verò ei superstes incidit in pessima tempora & infesta virtutibus. Romani euncta terrore compleverunt, & à Cardinalibus extorserunt electionem hominis Itali. Hinc magna odia, certamina, etiam cruenta bella. Post electionem enim Bartholomæi Archiepiscopi Barensis, qui se Vrbanum VI. vocavit, Cardinales statim ut potuere egressi sunt è conclavi, ut se subtraherent immanitati tumultuantium. Frater Petrus Cordubensis monasterii sancti Bartholomæi de Lupiana testis juratus deposuit *quòd quando Cardinalis Majorismonasterii exiverat conclave, Romani strinxerunt eum ad unum parietem, vel ipse se posuerat quando vidit eos venire ad se, & audivit quòd ipso sic existente juncto cum pariete, Romani iverunt ad eum tali modo quòd videbatur sibi quod volebant immittere manus in eum, & quòd unus capellanus dicti Cardinalis tot bona verba eis dixit quòd eripuit eum de manibus eorum.* In depositione Garsiæ Petri de Tassara Navarri ita scriptum est: *Et vidit quòd Romani reduxerunt inhonestè Cardinalem Majorismonasterii ad intrandum capellam cum aliis, asserentes eum velle recedere ad libratam suam.* Ex quibus verbis patet vanam falsamque esse narrationem Iacobi de Seva in Facto suo scribentis pag. 493. & 495. Cardinales omnes, cùm de conclavi & palatio recessserunt, ad eorum hospitia pacificè & tutè reversos fuisse, & quemlibet eorum, dum recedebant ad domos suas, per nonnullos cives Romanos eorum amicos fuisse honorificè usque ad domos ipsas associatos, illicque cum eorum familiis tutè & pacificè & sine aliqua molestia permansisse.

Tandem ergo post tot pericula Geraldus pervenit ad domum suam. Postera die, id est, nona Aprilis, evocatus ab Vrbano, needum enim ablatus erat timor, ad illum accessit, ut docent iidem Iacobus de Seva pag. 495. & Episcopus Cassanensis apud Odoricum Raynaldum an. 1378. §. 12. In depositione verò fratris Angeli Episcopi Pinnensis ita scriptum est: *Item super LXV. respondit quòd illi Cardinales venerunt illo mane & quòd nullam reverentiam exhibuerunt illi ut Papa, sed bene loquebantur cum eo de diversis, ut videbatur. Verùm testis qui loquitur audivit Cardinalem Majorismonasterii multùm blandientem sibi & dicentem quomodo multùm contentabatur de ejus felici statu & electione.* Sed hæc simulatione & inani ostentatione fictoque sermone ab eo acta esse propter metum ex Romanis facilè ostendunt sequentia. Etenim cùm Vrbanus ad illum & ad ceteros Cardinales qui erant in castro sancti Angeli misisset Abbatem Sitriensem qui eos moneret ut ad se inthronizandum venirent, Geraldus, onus pro omnibus, dixit eundum esse ad vitandum mortis periculum. Huic rei testimonium perhibet epistola Petri Rostagni ad Regem Castellæ: *Die autem sequenti vel secunda, ut verè fatear, venit ad castrum ipsum quidam religiosus de ordine sancti Benedicti, natus de quodam bastardo de Malatestis, & pro tunc Abbas Sitriensis, missus per Bartholomæum intrusum ad Cardinales prædictos ut vellent ire ad palatium ad ratificandum nominationem de ipso factam & ad insignia papalia sibi dandum. Et interrogato præfato Abbate in mei præsentia per Dominos Cardinales si præfatus Bartholomæus se pro Papa tenebat & gerebat, & responso per ipsum quòd sic, quidam cum indignatione, quidam cum derisione dixerunt: Estne tam præsumptuosus & fatuus quòd se pro Papa iis stantibus terminis gerat? Illo autem Abbate replicante pro parte Domini, Cardinalis Majorismonasterii, qui plurimorum Dominorum Cardinalium consanguineus erat, ne ipsum vellent mortuum & alios sequentes curiam, de accessu dederunt assensum, præsupposito quòd haberent securitatem Romanorum. Nec demum ivissent si in dicto castro habuissent victualia pro tempore magno, vel viam securam pro se ipsis & eorum gentibus pro tunc aliò eundi habuissent, prout quidam ex eis mecum conferendo dixerunt. Et præsertim fuerunt supradicti Domini Cardinales qui erant in castro stricti ad assentiendum ambaxiata suprà eis facta per ipsum Abbatem Sitriensem pro eo quòd Bandarensos prædictæ urbis, videlicet Nardus apothecarius, Iohannes Sincii Cancellarius, & officiales alii dictæ urbis venerunt ad castrum & requisierunt Dominos Cardinales quòd deberent ire ad perficiendum inchoata de ipso Bartholomæo. Aliàs, addiderunt, vos confiditis in castro, & populus iste in nullo dubitat ipsum habere; & ideo nisi feceritis quod eorum satisfactionis est, periculum quod evasisse putatis incurretis, & omnes vestri qui extra sunt trucidabuntur.* Itaque inthronizationi & coronationi ejusdem Vrbani interfuisse eum satis constat & fidem facit idem Iacobus de Seva pag. 497. & sequenti. Denique die dominica sequenti in ramis palmarum, id est, die XI. ejusdem mensis Aprilis, cùm Vrbanus & Cardinales profecti essent ad basilicam sancti Petri, Geraldus ultimus Presbyterorum Cardinalium juxta morem benedixit palmas & ramos, quos postea Vrbanus Cardinalibus, Prælatis, & aliis illic adstantibus dedit. *Iacobus de Seva pag. 498.*


Idem Iacobus pag. 507. & alii tradunt Vrbanum in ipsis initiis sui pontificatus repetiisse castrum sancti Angeli à Petro de sancto Crispino, quem castri illius gubernatorem con-

stituerat Cardinalis Majorismonasterii eo tempore quo sedis apostolicæ vicarius erat in quibusdam civitatibus Italiæ, sed illum negasse se facturum propterea quòd à Gregorio XI. moriente mandatum acceperat ne cui illud traderet nisi de consensu omnium Cardinalium ultramontanorum. Iratus ob repulsam Vrbanus causas inobedientiæ rejecit in Cardinalem Majorismonasterii : *quem & propterea reprehendit*, inquit Iacobus de Seva, *ac eidem dixit quòd propterea procederet contra ipsum Cardinalem & justitiam de eo faceret.* Testatur istud ipsum frater Menendus Episcopus Cordubensis. Post relationem enim ab eo factam de inobedientia, quam ejus verbis referemus infrà suo loco ubi agemus de eodem Petro de sancto Crispino, hæc statim subjiciuntur in depositione istius Episcopi : *Interrogatus quomodo scit quòd dictum castrum fuisset extra obedientiam dixit quòd pro eo quòd ita audivit & ita credit certè & erat publicum & notorium Romæ. Propter quam conclusionem, & quia dictus Castellanus erat factura Cardinalis Majorismonasterii & consequenter Cardinalis Lemovicensis & Camerarii, multùm dictus Papa fuit turbatus cum dictis Cardinalibus & Camerario, habendo aliquam suspicionem quòd ipsi hoc ordinassent & consuluissent.*

Præterea Vrbanus, ut testatur Garsias Martini electus Auriensis, *dixit mala verba Cardinali Majorismonasterii pro eo quòd malè se habuerat in vicariatu & regimine Perusii.*

Interim appropinquante æstate, quia Gregorius XI. decreverat eo tempore Roma excedere & ire Anagniam, jamque omnia illic parata erant ad excipiendam curiam, eo prætextu usi Cardinales ultramontani, quia non audebant publicè fateri metus suos, ab Vrbano discedentes Anagniam profecti sunt, & hinc ad oppidum Fundorum, ubi die secunda mensis Augusti emiserunt in publicum narrationem seriam earum rerum quæ circa electionem Romani Pontificis contigerant post obitum Gregorii; cui subscripserunt duodecim Cardinales, & inter hos iste Geraldus, ac præterea Petrus de Crosso S. R. E. Camerarius. Extat ea narratio seu declaratio in multis antiquis codicibus MSS. edita verò est in tomo quarto historiæ Vniversitatis Paris. pag. 468. Hinc sequenti mense Septembri orta est electio Clementis VII. uti pluribus suo loco dicemus.

Adversùs illum ut unum ex præcipuis auctoribus illius electionis efferbuit ira Vrbani. Itaque illum dignitate cardinalitia & beneficiis ecclesiasticis privavit; eum vocavit virum sceleratum, schismaticum, apostatam, blasphemum, hæreticum, reum criminis læsæ majestatis, & cetera quæ dolor & iracundia solent exprimere. Vide Odoricum Raynaldum an. 1378. §. 105. & seqq. Immo illum quoque posuit inter eos quorum memoria nefanda erat in formula juramenti fidelitatis quod sibi facere debebant Episcopi & Abbates noviter provisi, ut patet ex formulario cancellariæ apostolicæ edito per Theodericum à Niem, quod extat in codice 3317. bibliothecæ Colbertinæ.



Obiit Avenione anno MCCCLXXXIX. mense Februario, ut ait Contelorius. In libro obligationum adnotatum est eum obiisse die XIV. ejusdem mensis. Onuphrius Panuinius XIV. Kal. Februarias, id est, die XIX. Ianuarii. Ciaconius XVI. Kal. Martii. Sepultum eum esse apud Avenionem tradit auctor anonymus de gestis Episcoporum Turonensium & Abbatum Majorismonasterii.

Fratres habuit Petrum Abbatem Majorismonasterii, cui successit, & Ebbonem Episcopum Carnotensem, de quo hæc leguntur in veteri catalogo Episcoporum Carnotensium ea omnino tempestate scripto : *Ebbo de Podio, qui ante erat Subdecanus Carnotensis. Reædificavit pro parte manerium de Ponte Goerni. Obiit anno Domini millesimo CCCLXXXIX. die XXVI. mensis Februarii. Iacet in Ecclesia sancti Iohannis in Valleya prope majus altare.* De ejus electione hæc habentur in quodam libro homagiorum episcopatus Carnotensis : *Sequuntur homagia facta Reverendo in Christo Patri ac Domino Domino Ebloni Dei & apostolicæ sedis gratia Episcopo Carnotensi, antea Subdecano Ecclesiæ Carnotensis, qui per capitulum Carnotense fuerat electus in Episcopum, & per sanctissimum in Christo Patrem ac Dominum Dominum Gregorium Papam XI. confirmatus.*

Plerique omnes scribunt Geraldum fuisse Episcopum sancti Flori, Vasatensem, Carcassonensem, Santonensem, & summum Romanæ Ecclesiæ Pœnitentiarium. Quorum nullum verum est. Nunquam enim fuit Episcopus. Et quod de Pœnitentiario dicitur, istud referendum est ad Petrum Girardi, qui à nonnullis vocatur Petrus Girardi de Podio.

Auctor suprà laudatus de gestis Episcoporum Turonensium scribit illum fuisse decorum aspectu & satis literatum. Quæ dotes non videntur posse convenire tyranno. Et tamen Bonincegnius pag. 561. 564. eum scribit Perusium rexisse more tyrannorum, & beatus Thomasuccius apud Vvaddingum an. 1377. §. 8. cum coram vocavit hominem fetum a

& incorrigibilem; si tamen habenda est fides auctori ex quo Vvaddingus ista accepit, qui tradit eum vitam duxisse non omnino laudabilem. Interdum enim qui vitas sanctorum scribunt, cùm illis omnia propter opinionem sanctitatis licere putent, illos effari cogunt ea quæ nunquam cogitarunt. Ego sanè non puto Thomasuccium sic impudenter & immodestè allocutum fuisse hominem in dignitate constitutum ac tum, ut puto, Cardinalem, cùm iste agendi modus neque viro sancto conveniat neque Franciscano.

IOHANNES DE BUXERIA] Illum fuisse natione Burgundum tradit hic scriptor. Omnes tamen recentiores scribunt fuisse Arvernum & vulgò vocatum Cardinalem de Arvernia. quòd ego apud ullum veterum non memini me vidisse. Is tum Abbas Cisterciensis ad Gregorium XI. recenter factum Papam misit triginta botas vini tam de Belna quàm de Generiaco. Gregorius spopondit se memorem futurum hujus beneficii literis ad eum datis VI. Nonas Maii anno primo, in quibus hæc inter cetera leguntur: *Et dum perspicaciter attendimus quod semper erga personam tuam exuberavit nostra dilectio, quòdque ad dilectionem nostram ipsius tua promptitudinis studia sunt intenta, & dum pensamus quòd ad nostra & sedis apostolica beneplacita promptum te semper exhibes & etiam liberalem, ex præcordiis nostris fomenta prodeunt quibus ipsa dilectio suscipit jugiter incrementum. Speres igitur & plenam habeas de nostro favore fiduciam quòd nos, qui te sincerè diligimus, tibi favorabiliores inveniet quo hujusmodi nostris & dicta sedis beneplacitis te novimus ferventius inhærere.*

Anno MCCCLXXV. die XX. Decembris idem Gregorius eum fecit Presbyterum Cardinalem. Erat autem absens, & Avenionem advenit anno tantùm sequenti. Quippe in libro obligationum adnotatum est eum intrasse curiam anno MCCCLXXVI. die ultima Februarii. Tum ergo datum ei fuisse oportet titulum. Et tamen nusquam reperimus eum habuisse titulum, sed tantùm eum fuisse Presbyterum Cardinalem. Nam quòd aliqui eum vocant Cardinalem tituli sancti Laurentii in Lucina vanum est, cùm ex bulla Gregorii XI. adversùs Florentinos data anno millesimo CCCLXXVI. XII. Kal. Maii, quam Bzovius edidit, constet Petrum de Sortenaco habuisse hunc titulum, & Ioannes de Buxeria è vivis excesserit pridie Nonas Septembris ejusdem anni apud Avenionem, ut ait Onuphrius. Adeo autem mihi absonum videtur eum tandiu mansisse in curia Romana absque titulo ut suspicari cogar eum Avenionem advenisse ægrotum & toto illo tempore quo illic fuit ægrotasse, adeoque nunquam ita bene habuisse ut posset ire ad palatium apostolicum. Decessit ergo insalutato Papa. Deinde corpus ejus translatum est apud Claramvallem.

PETRUS DE LUNA] *homo ingeniosus*, ut lib. 2. de schismate cap. 33. narrat Theodericus à Niem, *qui tunc satis diligebatur à multis, eò quòd peritus & virtuosus exsisteret, à pluribus laudabatur.* Ioannes Nyder lib. 3. formicarii cap. 1. testatur illum fuisse virum apprime eruditum in omni ferè scientia, Froissartus vol. 4. cap. 58. virum valde sanctum & vitæ contemplativæ multùm addictum. Petrus Abbas sancti Facundi in depositione sua testatus est audivisse se Cardinalem Gebennensem dixisse Cardinalibus ante electionem Vrbani multos in sacro collegio esse capaces summæ dignitatis, & inter hos Cardinalem de Arragonia, *qui est bonus homo & bona vita, licet satis juvenis.* Ac sanè testatur frater Menendus Episcopus Cordubensis in initio responsionum suarum ad articulos primi electi, cùm Cardinales ante ingressum conclavis tractarent quinam adipisci principem locum possent, & concordes esse non possent, primam postea opinionem & communem vocem fuisse *quòd concordarent in Cardinalem de Luna.* Alvarus Martini ait eundem Cardinalem Gebennensem sibi dixisse in Anagnia circa festum beati Ioannis Baptistæ *quod omnes Cardinales Anagniæ residentes concordabant quòd iste* (id est, Vrbanus) *non erat Papa, excepto Domino de Aragonia, qui dicebat quòd volebat studere, quia erat nimis conscientiosus. Istud ultimum ego retuli Domino de Aragonia, qui dixit mihi: Domino Alvare, Dominus meus Gebennensis infamat me & dicit quòd sum nimis conscientiosus. Et certè ego volo videre & bene videro quid juris; quia verò dico vobis quod si modo concordarem cum eis & essem in Avinione, & postea invenirem de jure quòd iste esset verus Papa, ego venirem ad eum etiam nudis pedibus, si aliàs non possem.* De laudibus ejus vide rursum suprà pag. 977. ubi actum est de academia Montispessulani. Constat ergo Petrum de Luna usque ad ea tempora existimatum fuisse virum eruditum & bonæ famæ. Contrà in commentario Alfonsi eremitæ olim Episcopi Giennensis pro defensione partium Vrbani VI. apud Odoricum Raynaldum an. 1379. §. 19. ita legitur: *Istudmet consilium ego habui à Domino de Luna, qui est doctor magnus in scientia; & utinam esset tantus in profunda, humili, & non ambitiosa conscientia.* Sed ultra progressa est audacia. In veteri quippe codice MS. Ecclesiæ Burdegalensis, cujus exemplar repertum est inter schedas viri celeberrimi Andreæ Duchesnii, in vita Gregorii XI. ista de eo leguntur: *Hic conferendo ordines Petro de Luna, eum*

eum assumendo in Diaconum Cardinalem Ecclesiæ sanctæ Mariæ in Cosmedin, ait, Caveas ne tua luna patiatur eclipsim, cunctis astantibus & audientibus & notantibus hæc, quæ postmodum impleta fuerunt. Audiverat enim multiplicia esse diverforia & semitas animi dicti Petri sophismatibus verbisque fallacibus imbuti. Cur ergo, si ista vera sunt, Gregorius illum ornavit eo dignitatis splendore? Assentior itaque Henrico Spondano scribenti an. 1375. §. 8. putare se auctorem istius historiæ motum potiùs fuisse ad ea de illo comminiscenda ex iis quæ postea contigerunt quàm ut talis tunc appareret quando creatus fuit Cardinalis, præsertim cùm Theodericus à Niem, qui eum noverat apud Montempessulanum, testetur illum à Gregorio factum esse Cardinalem consideratione insignium ejus virtutum & meritorum, uti suprà vidimus. Facessant ergo deliria hominum falsi studiosorum & non bonæ mentis.

Anno igitur MCCCLXXV. exeunte Gregorius hunc Petrum fecit Diaconum Cardinalem tituli sanctæ Mariæ in Cosmedin.

Anno sequenti cum Gregorio Papa profectus est Romam; ubi mansisse eum in domo contigua Ecclesiæ sancti Apollinaris prope turrim sanguineam testantur Alfonsus olim Episcopus Giennensis apud Odoricum Raynaldum an. 1379. §. 15. & Theodericus à Niem lib. 2. de schism. cap. 33. qui addit illum in brevi tempore sumptibus propriis notabiliter reformasse hanc domum sive palatium. Ex quo colligere licet hunc quoque titulum ei datum fuisse in commendam, ut solebant tum Romani Pontifices. Eidem narrationi testimonium perhibet frater Ferrarius de Vergos ordinis fratrum Minorum theologiæ professor apud Ilerdam: *Dixit quòd audivit ab aliquibus probis personis quòd officiales & Baudarenses requisiverunt Cardinales quòd placeret eis eligere Romanum ut Ecclesiæ & tituli Cardinalium repararentur, quia adventus Cardinalis Aragoniæ fuit occasio ut suus titulus repararetur, & reparavit bene domum sui tituli.* Item Fernandus Petri Decanus Tirasonensis loquens de Cardinalibus qui recesserant ab Urbano: *De aliis qua intentione recesserant nescit, excepto quòd credit quòd Dominus suus Cardinalis*, id est, de Luna, *ibat animo redeundi Romam, si bono modo potuisset redire. Et hoc credit ideo quia sciebat de magna affectione quam habebat quòd curia remaneret Romæ vel in Italia, & constabat ex opere quod fecit in domo sua Romæ & per electionem sepulturæ quam fecit in sancto Laurentio extra muros.*

Post mortem Gregorii, cùm agitarent inter se Cardinales de eligendo Papa, jamque populus Romanus minas intentaret, testatur frater Raymundus de Capua magister generalis ordinis Prædicatorum Cardinalem de Luna in ea fuisse sententia ut mortem potiùs oppeteret quàm cuiquam suffragaretur contra conscientiam suam. *Item audivi*, inquit, *à Domino tunc Cardinali de Luna, cui eram valde domesticus & familiaris, antequam intrarent conclavim, quòd ipse erat dispositus potiùs mori quàm facere nisi illum de quo conscientia sua dictaret. Hoc dicebat quia Romani supplicando dicebant quòd dubitabant de scandalo populi nisi exaudirentur.*

Deinde Cardinales ingressi sunt conclave die octava Aprilis. Tum verò *intravit fulgur inflammatum in conclavi cum magno tonitruo*, ut ait auctor secundæ vitæ Gregorii pag. 456. Hujus eventus mentio extat in depositione Hugonis Cardinalis de Britannia: *Item quia quidam fulgur percussit in illo conclave ubi erat camera Domini de Luna.* Et in depositione Roderici Fernandi portionarii Ecclesiæ Hispalensis: *& paratis cameris & lectis Dominorum Cardinalium, descendit fulgur magnum de cælo, & cecidit in directum cameræ Cardinalis de Luna.* Item in depositione Thomæ Petræ Canonici Patracensis: *Mane sequenti post ingressum ipsius conclavis, aëre existente tunc sereno, subitò super conclave facta est mutatio aëris cum modica nube & coruscatione emittens fulgur & percutiens conclave ac ipsum, ut dicebatur, illuminans, & demum unde conclave ipsum ruperat modicum urens, intusque remanens, neminem læsit; cujus vestigia adhuc apparent. quod ad inauditum miraculum in chronicis notandum habitum est. Et cella quam percussit fuit Domini de Luna. Et hoc etiam plerique diversimodè notaverunt secundùm gratiam eis datam.* Rectè. Quidam enim hinc collegerunt eum futurum Papam, ut testatur Ioannes Remigii de Guzman Archidiaconus del Alcor in Ecclesia Palentina: *Undecima die post mortem Papæ Gregorii ego ivi ad videndum conclave quasi hora vesperorum modicum plus vel minus, & vidi unam tabulam fractam in dicto conclavi super lectum Cardinalis de Aragonia; & dixerunt existentes ibi quòd modicum spatium erat quòd intraverat unum fulgur per illud foramen, cujus lumen resplenduit per totum conclave, & in nullo nocuerat nec in cortinis nec in aliis. Et dicebant multi tam Romani quàm de aliis nationibus quòd esset Papa Cardinalis de Aragonia pro eo quia ille radius cecidit super suum lectum & in nullo nocuit.* Item Garsias Petri de Tassara: *Et aliqui eorum qui erant ab extra præsumpserunt quòd Cardinalis de Luna esset Papa eo quia cecidit in conclave quoddam fulgur coram cella sua.*

Huc usque sola cellula Petri de Luna fulmine icta fuit. Postea dictum est duas de cælo

tactas fuisse. Sic enim testatur continuator Gallicus Nangii: *Item le Mardy VI. jour du mois d'Avril avant Pasques ou conclave qui estoit ordonné pour les Cardinaulx pour faire l'élection de l'autre Pape, & ouquel ils devoient estre le lendemain, chey la fouldre & rompy & despesa deux des logis ordounez pour deux des Cardinaulx.* Hæc tantùm. Postea Vrbanistarum industria detexit duas illas cellulas eas fuisse quæ destinatæ erant Cardinali Gebennensi & Cardinali de Luna, certo præsagio illos futuros Antipapas. Sic enim legitur in vita Vrbani VI. ex codice MS. Ecclesiæ Burdegalensis suprà laudato: *Hora autem electionis dicti Vrbani summum miraculum cunctis mirantibus notum est. Apparuit enim quadam nigra nubecula in sereno aëre super conclave, & subitò spargi cœpit, & tonitruum inde prodiens, cantantibus Dominis electoribus hymnum angelicum, aperuit conclave, percussitque lectica dicti Antipapæ & Petri de Luna tantùm & arma seu claves armorum Ecclesia in junctura figuratarum ipsarum clavium & arma Papæ Gregorii defuncti, prout vestigia patent, quasi elementa & cæli narrarent gloriam Dei, & quòd his duobus malè jacentibus schisma futurum esset.* At Spondanus, cui fabula ista nota erat, eam deridet an. 1378. §. 11. non obscurè innuens existimare se horum duorum Cardinalium nomina fictè expressa esse in illo codice Burdegalensi, qui scriptus est diù post mortem Clementis VII. & Benedicti XIII. Alii ex casu fulminis, quod solum comitiorum vitium esse ait Cicero, collegerunt electionem Vrbani arte diabolica factam esse. Sic enim legitur in epistola responsiva Cardinalis Flandrini ad dubia Archiepiscopi Toletani: *Vtinam vidissetis etiam quomodo subitò quòd consentiit miraculosè indubiè quicquid bonorum morum in ipso fuerat perantea perdidit. Mutatio subitò facta est in ipso. Sed non dexterà excelsi mutatio hæc, sed illius qui ad palatium apostolicum occupandum sibi viam non in heremo præparavit, diaboli scilicet, qui non absque præsagio futurorum cum fulgure terribili in palatio cecidit die suam intrusionem precedente.*

Cùm fureret ergo plebs Romana petens Papam sui sanguinis, quibusdam autem Cardinalibus è re publica visum esset ut Cardinalis sancti Petri propterea constitueretur Papa simulatione, & post ingressum Romanorum, qui eum posuerunt in cathedra, quidam Cardinalis ceteris proposuisset *quòd in illo ingressu impetuoso Romanorum Cardinales facerent sibi reverentiam ut vero Papæ*, affirmat Petrus Fernandi Cantor Palentinus Cardinalem de Luna detestatum esse hanc opinionem tanquam impiam & prophanam, *Cardinalis de Luna dixerat verba sequentia: Non conflabo vitulum, nec flectam genua coram Baal. Vnus est & debet esse verus Papa, & non duo.* Et statim addit: *& quòd hoc dixerat dictus Cardinalis aliis Cardinalibus præsentibus in dicta capella.* Veniamus nunc ad electionem Vrbani.

In depositione Thomæ Petræ Canonici Patracensis invenio Petrum de Luna jactantem se quòd fuisset unus è promotoribus electionis ejus, uti postea videbimus. Primum autem eum fuisse qui Vrbano daret vocem suam ait frater Alfonsus de Melide tertii ordinis sancti Francisci ex relatione Alfonsi eremitæ olim Episcopi Giennensis, qui à Cardinale ita acceperat. Istud ipsum reperitur apud Odoricum Raynaldum an. 1379. §. 15. in commentario quem idem eremita conscripsit ut probaret electionem Vrbani fuisse canonicam. Dedisse autem illum vocem suam Vrbano liberè & devotè testatur apud eundem Raynaldum an. 1378. §. 29. quidam frater ordinis Prædicatorum qui Cardinali de Luna erat à confessionibus; quem fuisse vocatum Gonsalvum de Hispania colligi potest ex depositione Thomæ Petræ.

Iam si istis testimoniis fides habetur, constat Petrum de Luna seriò & ex animo nominasse Bartholomæum Barensem ut esset verus Papa. Referenda autem sunt eorum verba. In depositione ergo fratris Alfonsi de Melide ita legitur: *Vocavit me Episcopus olim Giennensis, cum quo eram, & dixit mihi quòd irem ad Archiepiscopum Barensem & dicerem sibi quòd erat Papa & fuerat factus per spiritum sanctum, quia omnes Cardinales concordarunt unanimiter quòd esset Papa, & quòd primus qui dederat sibi vocem suam fuerat Cardinalis de Luna, quia sic sibi dixerat omnia dictus Cardinalis de Luna.* Idem interrogatus super LXV. usque LXXI. articulis casus primi electi *dixit se audivisse quòd Cardinales venerunt die Veneris ad electum, & ipse vidit venire Cardinalem Aragoniæ videtur sibi hora tertia. Etiam videtur sibi quòd audivit ab Episcopo olim Giennensi asserente se audivisse à Cardinali de Luna quòd ista die Veneris fuerant congregati omnes Cardinales in conclavi, & ipsis congregatis accesserat ibi Archiepiscopus Barensis & dixerat eis: Domini, quid est hoc quòd mihi dicitur? Et illi responderunt ei: Vos eratis servus in ista curia & fuistis usque nunc. Nos attendentes quòd eratis sufficiens ad hoc fecimus vos dominum. Et ipse respondit dicendo: Timor & tremor venerunt super me. & consensit electioni. Et tunc electus osculabatur manus & ora Cardinalibus. Et postea illi sibi osculabantur pedes & manus & os, & receperunt eum & posuerunt alacriter & bonis animis in cathedra.* Thomas Petra narrans quomodo ipse hortatu ejusdem fratris Alfonsi iverat ad Vrbanum relaturus ei ex

parte Cardinalis de Luna quæ circa ipsum gesta erant in conclavi, & quomodo postea iverat ad Cardinalem eique narraverat colloquium quod habuerat cum Urbano, demum addit: *Et tunc respondente me hac Domino Cardinali præfato, remansit valde contentus, & asseruit se me misisse & Dominum nostrum verum esse Christi vicarium concorditer & canonicè electum sicut fuerat alius à tempore sancti Petri, narrando omnes ejus virtutum dotes, quòd erat Doctor & vir sanctæ vitæ, maturæ ætatis, sanus, hilaris, expertus in stilo curiæ, sine multitudine parentum, & per quem credebat meliùs regi & reformari Ecclesiam Christi quàm per alium, & se satis fuisse in causa unà cum Dominis de Agrifolio & Pictavensi electionis suæ.* Ioannes Remigii de Guzman Archidiaconus del Alcor in Ecclesia Palentinensi interrogatus super articulo 94. casus primi electi respondit quòd *audivit à Cardinale de Luna in una collatione sua in domo sua quòd dixit publicè quòd ista electio primi electi erat justa & bona & quòd erat verus Papa & sanctus & expediens Ecclesiæ Dei.* Vide etiam Odoricum Raynaldum an. 1378. §. 13. 1379. §. 15. 16. 17.

Sic itaque electo Urbano, id est, circumstrepentibus & tumultuantibus turbis, egressi Cardinales è conclavi se contulerunt in castrum sancti Angeli aut in alia loca extra urbem, quidam ad domos suas redierunt. Horum unus fuit Petrus de Luna. Qua de re sic legitur in Facto Urbani: *Cùm Cardinalis tunc de Luna super equitaturam propriam ad hospitium suum rediret, fuit cum honorificè & à tam multis civibus Romanis circumdatus & associatus quòd cùm transitum faceret juxta castrum sancti Angeli, in quo erat tunc Camerarius, idem Camerarius & alii in dicto castro existentes putaverunt ipsum de Luna duci captivum, & tunc quandam portam ferream supra pontem prope ipsum castrum, per quam transire debebat, claudi fecerunt, ita ut ipsum tunc Cardinalem de manibus Romanorum eriperent, projicientes etiam lapides & jacula & sagittas contra Romanos ante ipsum castrum transeuntes. Et ex hoc rumor invaluit in urbe & populo Romano quòd illi de castro prædicto faciebant novitatem contra Romanos. Propterea tunc pulsata campana fuerunt sancti Petri ad storme ad reddendum cautes ipsos Romanos ab illis de castro prædicto. Sed postmodum perpendentes quòd dictus tunc Cardinalis de Luna non ducebatur captivus, sed honestè & honorificè associabatur, dicta commotio & rixa sedata fuit.* Contrà testatur Rodericus Fernandi portionatius Ecclesiæ Hispalensis. *Et cùm exiret*, inquit, *Cardinalis de Luna de conclavi, ibant aliqui Romani cum eo cum ensibus nudis in circuitu ipsius & associabant eum, & dicebat unus eorum, Moriatur Cardinalis. Et tunc illi qui erant in castro sancti Angeli credentes quòd ducebant eum captum, quando fuit Dominus Cardinalis inter duas portas contiguas castro, cùm viderunt eum depresserunt portas appendicias, & sic ivit dictus Cardinalis ad domum suam. Et tunc Romani inceperunt impugnare castrum & illi de castro eos.* Ejusdem rei mentionem ita facit Garsias Petri de Tassara Navarrus in sua depositione: *Dixit quòd Cardinalis de Luna ibat in suo roqueto & in mantello cum suo capello equitans, & quasi triginta Romani cum eo equitantes associando eum, inter quos ibat unus Miles qui moratur ad turrim sanguineam. Et quando accesserunt ad portam dicti castri, exivit Dominus Petrus de la Sagra, & recepit Cardinalem, credens quòd Romani ducebant eum captum. Et Romani recesserunt omnes, excepto illo Milite de turre sanguinea, qui ivit cum Cardinali ad hospitium suum.*

Mansit illic Petrus de Luna usque ad diem inthronizationis Urbani. Tum verò ille ad se vocans Cardinales, etiam istum venire nolentem coegit huic ceremoniæ interesse. Ex quo colligere fas est falsum esse quod Thomas Petra & Alfonsus eremita aiunt de bona voluntate Petri de Luna erga Urbanum, aut fatendum est simulatione tantùm id totum ab eo factum esse, nimirum propter timorem mortis, uti publicè postea professi sunt Cardinales. Certum enim est illum venisse invitum ad Urbanum. Hæc historia sic enarratur in depositione Fernandi Petri Decani Tirasonensis in responsione ad articulum 65. casus primi electi: Interrogatus super LXV. dixit « quòd hoc scit de contentis in articulo, scilicet quòd dicta die Veneris hora prima vel modicum plus, cum dictus Cardinalis (*de Luna*) dominus suus esset in lecto & nondum surrexerat, venerunt ad eum duo Milites, unus Neapolitanus, de cujus nomine non recordatur, & alius Romanus vocatus Dominus Laurentius de Sangrinis, qui fuerat ad custodiam conclavis; &, ut ipsi dicebant, veniebant ex parte Archiepiscopi Barensis ad loquendum cum dicto Cardinali. Et ipse Cardinalis misit pro isto teste, & dixit sibi quòd exiret ad eos ad excusandum eum, dicens quòd sentiebat se malè & erat in lecto, & quòd non poterant loqui cum eo. Tamen tanta fuit importunitas eorum quòd oportuit eum surgere & audire eos. Et post modicum spatium, cùm surrexisset dictus Cardinalis, locuti sunt cum eo, & dixerunt sibi, ut dixit iste testis quòd Cardinalis retulerat sibi statim ut recesserunt dicti nuncii, ista vel similia verba in effectu, quòd rogabat eum dictus Archiepiscopus quòd vellet ire ad palatium Papæ, quod est ad sanctum Petrum, ubi dictus Archiepiscopus erat, ad «

inthronizandum eum & prosequendum ea quæ dictus Cardinalis & alii Cardinales inceperant facere de dicto Archiepiscopo, dicendo circa hoc multa verba, quomodo ipse confidebat de eo & reputabat eum suum specialem amicum inter ceteros Cardinales. Et dictus Cardinalis respondit excusando se quòd non poterat ire, quia non erat bene dispositus, ponendo alias excusationes, de quibus iste testis non recordatur de præsenti. Et videtur etiam sibi quòd Dominus Alfonsus olim Episcopus Giennensis venerit illo mane ad dictum dominum suum ex parte dicti Archiepiscopi ad faciendum sibi similes preces super suo accessu ad dictum palatium, & dictus Cardinalis excusavit accessum suum. Et post hoc ad finem mediæ horæ modicum plus vel minus vidit iste testis quòd venerunt ad dictum Cardinalem domiuum suum ex parte officialium urbis duo Romani, nescit si erant bandarenses vel alii officiales, & rogarunt & requisierunt dictum Cardinalem ex parte dictorum officialium & populi Romani quòd ipse iret ad dictum palatium ad inthrouizandum dictum Archiepiscopum simul cum aliis Cardinalibus, qui debebant venire. Et dictus dominus suus respondit quòd non poterat facere, replicando rationes supradictas. Et ad hoc fuit præsens iste testis. Et postquàm recesserunt isti, post modicum spatium venerunt alii duo vel tres Romani, de quibus credit iste testis quòd unus eorum esset bandarensis, ex parte dictorum officialium & populi Romani. Et isti ducebant secum duodecim vel quindecim homines paucos plures vel pauciores, ut sibi videtur; & replicando preces supradictas requisiverunt dictumCardinalem dominum suum quòd vellet statim ire ad dictum palatium ad faciendum quod suprà dictum est. Et dictus Cardinalis replicando excusationes suas dixit quòd non poterat ire. Et tunc dicti Romani dixerunt sibi ista vel similia verba: Domine, expedit quòd vadatis, & nos habemus in mandatis ab officialibus Romanorum quòd non recedamus à vobis donec vos sitis in dicto palatio. Et ut Cardinalis audivit ista verba cœpit turbari, & dixit inter cetera verba, quid erat illud, si debebant eum ducere per vim, quòd ad hoc non habebant ipsi potestatem nec etiam omnes Romani. Et iste testis, cùm audiret dicta verba, videnſque turbationem domini sui Cardinalis, segregavit eum modicùm, & dixit sibi: Quid est hoc, Domine? Quare vultis ponere vos & nos omnes alios servitores vestros in periculo? Melius est ut vadatis ad pejus finiendum quod malè incepistis quàm quòd ponatis vos & nos alios in periculo mortis. Tamen, Domine, si vobis videtur, retineatis istos Romanos hic & faciatis pulsari campanam ad insellandum animalia, & ego ibo isto medio ad castrum sancti Angeli ad sciendum intentionem Cardinalium qui ibi sunt. Et placuerunt ista verba domino, & mandavit sibi quòd ita faceret. Et cùm intraret castrum, obviavit Abbati de Sitria, qui descendebar de loquendo cum dictis Cardinalibus; &, ut intellexit ipse per dictos Cardinales qui erant in castro, venerat dictus Abbas ad requirendum eos ex parte dicti Archiepiscopi quòd irent ad palatium ad inthronizandum eum. Et exposita ambaxiata per ipsum testem ex parte domini sui, iidem Cardinales responderunt quòd si dictus Cardinalis credebat se posse ire securè ad dictum palatium sine periculo quòd Romani sibi non nocerent, consulebant ei quòd iret, quia ipsi jam fecerant procuratorium sibi & aliis Cardinalibus qui erant Romæ in suis hospitiis ad inthronizandum dictum Archiepiscopum, & super hoc mittebant ad palatium Episcopum Sarlatensem. Item dixerunt dicti Cardinales isti testi, ut sibi videtur, quòd jam ipsi etiam fuerant requisiti per bandarenses & officiales Romanos, & quòd exirent libenter de castro ad palatium, nisi quòd dubitabant de populo. Et dixit quòd hic dicta fuerant sibi verba quæ suprà dixit de munitione castri. Et cum dicto responso reversus est ad dominum suum Cardinalem de Luna. Qui statim equitavit & ivit ad palatium, ubi invenit dictum Archiepiscopum gerentem se jam pro electo, pro eo quòd vidit ille testis quòd portabatur sibi fimbria. quòd non consueverat.

Testis iste non est singularis. Habemus enim alium, videlicet Buchium, qui fuit Comestabularius tempore conclavis. Is ergo de ea re sic deposuit juratus: *Item dixit quòd alia die Veneris post factam electionem iste testis ivit ad Dominum Cardinalem de Luna ex parte Papa quòd veniret ad palatium. Et ille Cardinalis excusabat se de veniendo. Tunc Papa dixit isti testi quòd diceret dicto Cardinali quòd veniret statim & crederet sibi. Et cùm ista audivit, tunc paravit se ad veniendum dictus Cardinalis.* Idem testatur etiam Thomas de Amanatis Archiepiscopus Neapolitanus: *Et valde tardè venit Dominus de Luna, & erat jam meridies.*

Ista rectè cohærent cum iis quæ refert Alvarus Martini missus Romam à Ioanne Rege Castellæ ad inquirendam veritatem eorum quæ contigerant in electione Vrbani. Nam cùm dixisset se cum socio ivisse ad Cardinalem S. Petri commendaturum ei causam Guterii Gometii Episcopi Palentini, quem idem Rex postulabat aggregari sacro Cardinalium collegio, istum verò sibi dixisse istos legatos regios, quorum ipse unus erat, missos non esse ad Papam Vrbanum, sed ad Gregorium, adeoque alios quamprimùm mittendos, tum que Papam facilè Regi concessurum promo-

tionem Episcopi Palentini ad cardinalatum, demum addit: *Quod quia nobis videbatur frustrare totam nostram intentionem pro eo quòd Cardinalium creatio, ut dicebatur, fieret in brevi, ita quòd cùm novi ambaxiatores venirent, creatio Cardinalium fuisset facta, voluimus consulere Dominum de Aragonia: qui, hoc audito, multùm cœpit admirari eò quòd iste Dominus sancti Petri ita patenter procurabat quòd isti Domino ut Papa obediretur, dicens quòd non deberet motum animi sui ita patenter detegere.* Ista videlicet ostendunt Petrum de Luna putasse electionem Urbani vitio factam esse, adeoque non valere. In qua eum sententia fuisse hinc certò colligitur quòd cùm initio testatus esset, ut suprà vidimus, se velle studere an electio ejus esset firma, cùm postea adversùs illam scripsit, manifestè probavit se post negotium istud accuratè discussum agnovisse eam non posse subsistere secundùm regulas juris. Extant enim in codicibus 811. & 814. bibliothecæ Colbertinæ allegationes ejusdem Petri, in quibus ostendit electionem Papæ factam per metum esse nullam.

Ex his quæ dicta huc usque sunt satis liquet etiam dubitare volentibus falsum esse quod legitur in depositione Bonaventuræ Cardinalis de Padua, nimirum hunc Cardinalem, cùm ceteri apud Anagniam meditarentur defectionem ab Urbano, tentasse reditum ad Urbanum, sed impeditum ab iis fuisse. *Item dixit prædictus Cardinalis quòd dum Cardinales antiqui essent in Anagnia, ipsi scripserunt sanctissimo Domino Urbano tanquam vero & legitimo Papa pro beneficiis impetrandis & aliis gratiis obtinendis. Et addit prædictus Cardinalis quòd quidam venerabilis frater Bernardus de Florentia Biblicus Parisiensis de familia Domini Ambianensis dixit prædicto Cardinali quòd dum ipse frater Bernardus suprascriptus esset in Anagnia, ubi erant Cardinales & ordinarunt procedere contra sanctissimum Dominum nostrum Urbanum, Cardinalis de Luna, Cardinalis Glandatensis, qui jam acceptaverat titulum Hostiensem à sanctissimo Domino Urbano, & quidam alii Cardinales paraverunt se ut venirent Romam ad pedes sanctissimi Domini Urbani, sed impediti fuerunt ab aliis Cardinalibus hoc scientibus, nec inde recedere potuerunt.*

Certum est ex depositionibus testium Cardinalem de Luna omnium ultimum aut penultimum ivisse Anagniam. Sic enim legitur in depositione Alvari Martini: *Medio autem tempore Cardinales ibant Anagniam singulariter vel conjunctim, ut meliùs poterant, sub prætextu comedendi ibi provisiones suas, in tantùm quòd de non Italicis non remanserunt Romæ citra festum sancti Johannis nisi Dominus Gebennensis, qui fuit antepenultimus, & Dominus de Aragonia, qui fuit penultimus, & Dominus Glandatensis, qui fuit ultimus.* In depositione verò Thomæ Gundisalvi Thesaurarii Compostellani ita: *Cardinalis de Luna fuit ultimus qui recessit de Roma, ut sibi videtur, modicum ante vel post festum sancti Iohannis.* Apud Odoricum Raynaldum an. 1379. §. 17. frater Alfonsus eremita olim Episcopus Giennensis testatur eundem Cardinalem excessisse Roma aliqualiter motum & conquerentem de Urbano propter aliquas supplicationes quas ei præsentaverat, & propterea recessisse Anagniam. Addit autem illum in illa commotione animi dixisse: *Quare ego stabo hic cum Domino nostro, quia ipse nihil facit de iis quæ peto? Certè, inquit, non servirem Deo, si non faceret mihi bonum.* Has impias voces comparati ad apostasiam animi indices esse ait idem Raynaldus an. 1378. §. 30.

Deinde Robertus Cardinalis Gebennensis electus est Papa die vigesima Septembris. Ille verò satis citò post assumptionem suam, ut ait auctor vitæ ejus, legatos misit ad Reges & Principes qui rationem eis redderent electionis suæ. Tum ergo ab eo missus est in Hispaniam Petrus de Luna die ultima sequentis mensis Decembris, ut legitur in libro obligationum. Fuisse autem eum anno sequenti apud Barcinonem testatur Fernandus Petri Decanus Tirasonensis, qui illic cum eo fuerat hoc tempore. Sed statim admissus non est à Regibus Hispaniæ scire volentibus quis duorum contendentium de papatu esset verus Papa. Itaque aliquandiu inter eos mansit tanquam regnicola potiùs quàm ut Cardinalis vel Legatus, ut ait idem scriptor vitæ Clementis. Denique Clemens susceptus est in celeberrimo conventu Medinensi, cui interfuit idem Petrus nomine Clementis, ut infrà dicetur suo loco.

Cæsar Nostradamus in historia Provinciæ pag. 440. ait illum fuisse in comitatu Ludovici Ducis Andegavensis quum is Montempessulanum profectus est ad castigandos cives illius urbis, qui gravem seditionem adversùs ministros regios excitaverant. Verùm literæ ejusdem Ducis, quæ editæ sunt inter probationes annalium Tolosanorum, nullam Petri mentionem faciunt, sed tantùm Anglici Episcopi Albanensis. Præterea Petrus erat eo tempore in Hispania.

Extat in codice Hebraico 5452. bibliothecæ Colbertinæ disputatio Rabbi Chem Tob Iudæi Hispani de Messia &c. cum Petro de Luna Cardinale Arragonensi. Oportet autem eam disputationem evenisse per eos annos quibus ille degebat in Hispania tanquam regnicola.

Anno MCCCXCIV. missus est à Clemente Lutetiam, non ut schisma propagaret, quemadmodum an. 1394. §. 3. ait Odoricus Raynaldus, sed ut ejus partes tueretur inter

varias opiniones quærentium modum quo unitas revocari posset in Ecclesiam. Et Petrus quidem tum viam cessionis publicè asserebat sibi videri omnium meliorem, ut legitur in tractatu edito post electionem ejus in Papam in codice 813. bibliothecæ Colbertinæ & apud Theodoricum de Niem lib. 2. de schismate cap. 33.

Habebat Paniscolæ insignem & locupletem bibliothecam, cujus permulti codices extant nunc in Colbertina. In codice porrò 2743. ejusdem bibliothecæ habetur primus tomus catalogi librorum ejus, cui hæc epigraphe apposita est: *Initium inventarii librariæ majoris castri Paniscolæ.*

Illud quoque addemus, patrem ei fuisse virum ea tempestate clarissimum Ioannem Martinez de Luna Baronem de Ilveca, matrem Mariam Perez de Gotor, teste Surita lib. 10. annal. Arragon. cap. 9. Quantæ autem dignationis fuerit pater ejus docet idem auctor lib. 9. cap. 11. 13.

PRÆPOSITVS VALENTIN.] Videtur Petrus de Luna hanc præposituram resignasse in favorem domestici & contubernalis sui Ægidii Sancii Munionis Doctoris legum. Nam iste anno MCCCLXXXI. die sabbati XXIII. Februarii se vocabat Præpositum Valentinensem, ut patet ex depositione ejus in codice Harlæano fol. 187. Quod tamen non est extra difficultatem. Etenim apud Odoricum Raynaldum an. 1374. §. 21. extat bulla Gregorii XI. data XII. Kal. Ianuarii anno tertio, in qua idem Ægidius Doctor legum vocatur Præpositus Ecclesiæ Valentinæ. Idem postea electus in loco Benedicti XIII. & vocatus Clemens VIII. cessit, & factus est Episcopus Majoricensis.

NON FVIT TEN. CONSIST.] Ordo Romanus Ioannis Gaietani pag. 383. in tomo secundo Musei Italici: *Item in festis omnium Apostolorum & etiam in festis Evangelistarum tam principalibus quàm non principalibus, & precipuè Apostolorum Petri & Pauli, non fit consistorium.*

P. 436. CVM EXERCITV ARMATOR.] In codice 56. bibliothecæ Colbertinæ extat tabula gentium armorum existentium in servitio Domini Papæ & D. Roberti Cardinalis Gebennensis apostolicæ sedis legati in Italia anno MCCCLXXVI. & solutionum factarum per Dominum Franciscum de Incisa Episcopum Aquensem in ditione Monferratensi locum tenentem B. Episcopi Bononiensis pro Domino nostro Papa Italiæ Thesaurarii generalis. Inter has gentes armorum principe loco nominatur Dominus Ioannes Agund Capitaneus Anglicorum. Deinde Dominus Ioannes dominus de Malatroit Capitaneus generalis Britonum. Postea Dominus Hugo de Rupe, & Dominus Geraldus de Rupe, fortassis pater & filius. Nam Hugo de Rupe, cui Dalphina soror Gregorii XI. nupta erat, filium habuit nomine Geraldum. Vide suprà pag. 834.

MAIORA AC PEIORA] Sub hoc obscurissimo verborum involucro tegitur magnum arcanum hactenus prætermissum ab omnibus scriptoribus historiarum, nimirum Romanos pertæsos diutinæ absentiæ Pontificum Romanorum decrevisse ut si Gregorius XI. nollet Romam redire, ipsi alium Papam seu potiùs Antipapam crearent adversùs eum, uti antea adversùs Ioannem XXII. factum fuerat. Hinc ergo facilè intelligitur quanti periculi sit edere mala exempla posteris nocitura Ludovicus IV. Imperator ira & odio inflammatus adversùs Ioannem, uti suprà pag. 703. adnotatum est, legem ediderat adversùs absentiam Romanorum Pontificum, simul arbitrium electionis tribuens Imperatori & populo Romano, & mox cum populi auxilio æmulum levaverat adversùs Ioannem. Hoc pessimo exemplo instructi Romani, tùm viderent Gregorium XI. prædecessorum suorum vestigiis inhærentem negligere urbem Romam, eorum seditiosorum ejusdem urbis qui Antipapam erexerant adversùs Papam Ioannem exemplum sequi statuerunt, id est, Antipapam adversùs Gregorium constituere in urbe Roma, ac propterea Abbatem Cassinensem traxerunt in partes. Arcanum hoc nobis conservarunt testes horum temporum, testes fide digni. Nicolaus Eymerici ordinis Prædicatorum, qui tum erat Inquisitor Arragoniæ, testatur in depositione quam emisit in initio schismatis quòd *anno Domini millesimo trecentesimo septuagesimo sexto circa finem mensis Augusti vel principium mensis Septembris, quo tempore bo. me. Dominus Gregorius Papa XI. curiam transferre in Italiam disponebat, venerunt Avinione Lucas de Sabellis Princeps Romanus & alius quidam ex parte & nomine urbis Romæ seu civium Romanorum nuncii seu ambaxiatores destinati ad antedictum Dominum nostrum Papam, & hoc ad supplicandum, rogandum, ac instandum nomine quo suprà apud eundem quatenus idem Dominus noster curiam transferat Romam & in Roma deinceps cum suo Dominorum Cardinalium collegio faceret residentiam personalem, prætendentes quòd Romani volebant Papam in urbe habere præsentem, cùm Papa esset Romanus Pontifex & talis ab omnibus Christicolis appellaretur, diceretur, & generaliter haberetur. Et hæc hic deponens pluries & à pluribus tunc audivit, eosque vidit, & de iis illis diebus in Avinione erat publica vox & fama. Antedicti autem ambaxiatores Romanorum de facto rogarunt, supplicarunt, ac instarunt, & demum protestati sunt eidem Domino Gregorio quatenus cum suo* P. 437.

collegio proficisceretur Romam, illuc suam curiam transferendo, aliàs certificabant eundem nomine quo suprà quòd ipsi Romani providerent sibi de Papa qui Romæ moram deinceps contraheret cum eisdem. Et hac tunc audivit dictus deponens in Avinione, & de iis erat inter curiales illis diebus publica vox & fama. Petrus Rostagni dominus loci de sancto Crispino in epistola scripta ad Ioannem Regem Castellæ anno MCCCLXXX. die decima Septembris testatur quòd cùm ipse esset Romæ in castro sancti Angeli, cujus gubernator erat nepos ejusdem Petri, *tractatum fuit per nonnullos Romanos, etiam inductione illorum de Italia qui temporalis dominii ipsius Ecclesiæ subversionem procuraverant, quòd fieret per Romanum populum ex eis unus Antipapa Gregorio vivente & in Avinione existente. Et istud adeo processit in antea quòd Reverendissimus Dominus & Pater Dominus Cardinalis sancti Petri, qui tunc Legatus existebat in urbe, fuit coactus scribere præfato sanctæ memoriæ Gregorio quòd nisi citò per adventum succurreret, spirituale scandalum Ecclesiæ indubiè sentiebat paratum. Et ego & alii multi servitores Ecclesiæ idem sentientes à certo præfato sanctæ memoriæ Gregorio transmisimus exponendo quòd omnino ad urbem veniret, si volebat præfato scandalo indubiè obviare. Hac autem concepta malitia non latuit, quoniam & per eorum ambaxiatores Abbati Cassinensi eorum conceivi fuit intimatum si papatum in casu quòd per clerum & populum Romanum sibi daretur vellet acceptare. Qui ultro se offerens respondit se civem Romanum esse & illud velle quod ipsi vellent.* Denique Marcus Fernandi Canonicus Palentinus interrogatus super articulo XCII. casus secundi electi dixit quòd *alio tempore, cùm esset Papa verus Avinione, Romani fecerunt Antipapam Romæ tempore Iohannis Papæ, & nominabatur Iohannes de Corberio, & erat Romanus, & fuit fama quòd isto timore accesserat illuc Papa Gregorius, & fama erat Romæ quòd Abbas Montiscassini debebat esse Antipapa.* Habebant nimirum Romani exemplum illud semper in mente. Quo factum est ut cùm anno MCCCLXXXIII. Vrbanus VI. aufugisset in regnum Neapolitanum, Romani, qui se ab eo delusos videbant, comminati sunt se alium Papam in loco eius posituros, nisi quamprimùm Romam reverteretur. *Audientes autem Romani,* inquit Vvalsinghamus, *Papam repentè fugisse, cum magno supercilio miserunt ad eum mandantes ut revertatur, alioquin affirmabant eum velle deponere & aliquem de Cardinalibus qui in urbe remanserunt in Papam eligere.* Itaque mirum non est illos has minas jactasse adversùs Gregorium, cùm illas jactaverint etiam adversùs Vrbanum, quem ipsi fecerant Papam.

DELIBERAVIT SE TRANSFERRE] Vide Froissartum vol. 1. cap. 326. vol. 2. cap. 12. & Odoricum Raynaldum an. 1374. §. 23. 1375. §. 22.

MAGNALIA PROMITTERENT] Eorum promissa extant apud eundem Raynaldum an. 1376. §. 11. P. 438.

AMICORUM SUORUM] Vide Factum Iacobi de Seva pag. 488. & Theodericum de Niem in tractatu sexto nemoris unionis cap. 39. Sed de hac re rursum postea pluribus agemus.

XIII. SEPTEMBRIS] Iter ejus Italicum descripsit, qui præsens erat, Petrus Amelii de Brenaco Electensis diocesis Episcopus Senogalliensis. Edidit illud Papirius Massonus ex veteri codice qui nunc extat in bibliotheca Colbertina. Aliud eodem tempore conscripsit Bertrandus Boyssetus civis Arelatensis, quod habetur in veteri codice MS. bibliothecæ regiæ.

SEX EXCEPTIS] Froissartus vol. 2. cap. 12. quatuor tantùm fuisse ait. Sed certum est illum errasse. Hi sex fuerunt, Anglicus Grimoardi Episcopus Albanensis, Ægidius Ayssellini Episcopus Tusculanus, Ioannes de Blandiaco Episcopus Sabinensis, Petrus de Monteruco Presbyter Cardinalis tituli sanctæ Anastasiæ, Guillelmus de Chanaco Presbyter Cardinalis tituli sancti Vitalis, & Hugo de sancto Martiale Diaconus Cardinalis tituli sanctæ Mariæ in Porticu.

BANDARENSES] Sabellicus ennead. 9. lib. 9. pag. 822. *Sic enim Germanico verbo dictos reperio qui nunc regionum capita dicuntur à vexillis quibus in bello utebantur, inter se diversis, ut decuria signo internoscerentur aliquo. Vox ipsa adeo inoluit ut banderam militare signum nunc quoque tota vocet Italia.*

FRANCISCO DE VICO] filio haud dubiè Ioannis, qui præfecturam urbis gessit temporibus Clementis VI. & Innocentii VI. & tum Viterbium in potestatem suam redegit. Franciscus ergo, qui & ipse Viterbium habebat, bellum movit adversùs Romanos Gregorii XI. pontificatu. Inter cetera verò quæ Romani adversùs eum patraverunt illud quoque fuisse testatur in sua depositione Franciscus Fernandi Cantor Palentinus quòd *depinxerunt Præfectum ad portam capitolii capite verso.* Videtur autem Franciscus de Vico de ea re querelam suam detulisse ad Gregorium. Extat enim epistola ejusdem Papæ ad eum data Anagniæ die XXIX. Septembris, in qua ait recepisse se ejus scriptiones super nonnullis adversùs statum suum noviter per dilectos filios Romanum populum attentatis. Rediit ergo in gratiam cum Gregorio mense Novembri, ut infrà pag. 440. scriptum est. Verùm ex laudata epistola apparet illum non fuisse P. 439.

inimicum Papæ mense Septembri. Ad rollendam ergo istam ambiguitatem dici posset convenisse eos de iciendo fœdere ante mensem Novembrem, sed tum tantùm fuisse ictum. Etenim Papa in eadem epistola illum hortatur ne propter attenta illa populi Romani turbetur aut à veritatis tramite retrahat pedem suum, sed rejectis potiùs cunctis fluctuationibus, spretisque quoruncunque dolosis suggestionibus impiorum, in laudabili pacis, quietis, & salutis suæ proposito constanti animo perseveret. Facta ergo pace, idem Papa baptizavit filiam Francisci natam Viterbii, quæ propterea Romam delata fuit, ut legitur infrà. Vocata est autem Gregoria ex nomine Papæ, ut docet depositio Didaci Martini de Vrduña Canonici Toletani: qui interrogatus à delegatis Regis Castellæ de inimicitia Vrbani VI. & Francisci de Vico Præfecti urbi respondit se audivisse quòd Vrbanus *ceperat uxorem suam, quæ tunc erat Romæ, & Gregoriam filiam suam, & ex hoc insurrexit discordia*. Erravit ergo Petrus Alfonsi Canonicus Hispalensis dicens in depositione sua hanc prolem Præfecti fuisse masculam, nisi fortè intelligit de secundo partu. *Interrogatus super tertia additione respondit quòd civitas Viterbiensis distat per duodecim leucas à Roma, & quòd regebatur illo tempore per Præfectum de Vico. Interrogatus si erat amicus vel inimicus primi electi dixit quòd nescit, sed scit quòd antequam moreretur Gregorius erat pax reformata inter eum & Papam G. & quòd fuit baptizatus unus filius suus in palatio Papæ*. Postea Gregorius obiit die XXVII. Martii, & in loco ejus electus est Vrbanus istius nominis sextus. Tum verò rursum inimicitiæ, & mox bellum, cujus causa fuit idem Vrbanus. Nam cùm uxor Præfecti rursum peperisset Romæ, & postea urbem relinquere cogitaret, prohibita est ab Vrbano. Hinc iræ Præfecti. In depositione fratris Ferrarii de Vergos ordinis Minorum magistri in theologia & lectoris Vniversitatis Ilerdensis legitur ipsum interrogatum juridicè utrum sciret Franciscum de Vico esse amicum aut inimicum Vrbani respondisse scire se quòd Gregorius XI. *quando ibat Romam de Corneto, voluerat ire per terram ad urbem, & non fuerat ausus propter guerram quam faciebat Præfectus, sed nescit si erat amicus vel inimicus primi electi. Dicit tamen quòd vidit mulierem Præfecti Romæ quarta vel quinta septimana post suam electionem, & dicebatur quòd pepererat ibi, & quòd aliqui Cardinales fuerant sui compatres, & etiam iste primus electus, ut audivit*. Frater Angelus generalis minister ordinis Minorum interrogatur super additione undecima casus primi electi, in qua scriptum est inimicitiam dicti Præfecti fuisse notam & notoriam statim in primordiis creationis Vrbani, respondit *quòd audivit ut in additione continetur, & addit aliam causam, quia uxorem Præfecti tenebat arestatam in urbe. De tempore quo fuit mota inimicitia notoriè inter dictum electum & Præfectum dixit quòd fuit usque ad duos menses vel circa à tempore coronationis dicti electi. Item addit quòd credit unam causam odii fuisse inter Bartholomæum & Præfectum urbis quia dictus Vrbanus tenebat dictam uxorem Præfecti arestatam, ut superiùs jam dixit. Et qui loquitur fuit mediator dimissus per prædecessorem suum* (Leonardum de Giffono) *de voluntate Vrbani inter eundem & Dominam Præfectissam. Sed de liberatione dictæ Præfectissæ nullam potuit gratiam obtinere*. Aliam discordiæ eorum causam affert Bonifacius de Amanatis in responsionibus suis super articulis primi electi. Interrogatus enim super additione decima, in qua scriptum est civitatem Viterbiensem fuisse tempore mortis Gregorii & postea in potestate Francisci de Vico Præfecti urbis inimici primi electi, *respondens dixit quòd civitas Viterbiensis regebatur per dictum Præfectum, & quòd dictus Bartholomæus, stantibus adhuc Cardinalibus in urbe, conatus fuit infringere pacem factam cum dicto Præfecto per Dominum Gregorium, & jam, ut dicebatur, habuerat certos tractatus in Viterbio pro reductione dictæ civitatis ad obedientiam Romanæ Ecclesiæ*. His consentanea sunt quæ de eorum inimicitia respondit frater Menendus ordinis Minorum Episcopus Cordubensis. Cùm enim dixisset varios fuisse Romæ rumores sub tempus mortis Papæ Gregorii, *videlicet propter Præfectum, qui non erat firmus in pace quam tractaverat cum Papa Gregorio propter Vrsinos & Columnenses*, postea interrogatus super eadem decima additione respondit inimicitiam inter Vrbanum & Præfectum hinc ortam esse *quia Viterbienses tractabant secretè quomodo expellerent Præfectum extra Viterbium & converterentur ad Vrbanum, & scripserunt dicto Papæ quòd mitteret sibi aliquas gentes armorum. Qui misit eas sibi. Tamen tractatus non fuit finitus. Et ex hoc remanserunt clarè inimici*. Missum ab Vrbano fuisse Bernardum de la Sala testatur in suis responsionibus Fernandus Petri Decanus Tirasonensis. *Interrogatus super X. XI. additionibus dixit se credere quòd regeretur dicta civitas Viterbiensis per Præfectum; sed si erat inimicus primi electi dixit quòd videtur sibi quòd antequam omnes Cardinales recederent de Roma jam erat publicus inimicus dicti Archiepiscopi Barensis. Et credit quòd incepit ista inimicitia in fine Aprilis vel de mense Maii. Et audivit quòd dictus Archiepiscopus miserat dicto tempore Dominum Bernardum de la Sala in capitaneum Gasconum cum sua societate contra dictum Præfectum. Et cùm esset dictus Capitaneus*

tamen in præsentia dicti Barensis, exhortabatur eum quòd faceret bonam & fortem guerram, dicendo sibi ista vel similia verba in effectu, quòd faceret ut valens Miles, & non dubitaret quòd si necessarium esset, ipse juvaret eum cum propria persona, & extrahendo sibi dagam dicebat quòd adhuc super unum equum ipse esset homo ad impugnandum suos inimicos. Et credit quòd ista inimicitia esset notoria post tempus de quo suprà dixit. Ex hoc autem ultimo testimonio patet Vrbanum, ut erat vehementioris animi, valde commotum fuisse adversùs Præfectum. Quare mirum videri non debet si, cùm fulmina jaceret adversùs inimicos suos, etiam adversùs Franciscum de Vico olim Præfectum urbis ut adversùs capitalem inimicum incanduit. Vide Odoricum Raynaldum an. 1378. §. 107. 108. 111. De amicitia ejus cum Cardinale Ambianensi vide pag. 1169. & 1201. Obiisse eum anno MCCCLXXXVII. circa mensem Iunium patet ex diario Ioannis Fabri Episcopi Carnotensis.

VENCESLAUM REGEM] Hunc puerum, qui in ipso statim ortu signa dederat infausta, Karolus Imperator pater ejus volebat relinquere successorem imperii. Incurrit autem propterea in magnas difficultates ob teneram ejus ætatem. Ergo ut id consequeretur, primùm anno MCCCLXXVI. prid. Non. Mart. scripsit ad Gregorium Papam se, qui jam senex erat & infirmus, indigere auxilio fidelis & strenui adjutoris, consuluisse se Electores imperii super ea re, omnes optare ut Vvenceslaus Rex Bohemiæ filius ejus, licèt ætate juvenis, ipso vivente eligeretur in Regem Romanorum in Imperatorem postea promovendus, petere se à Papa uti dignetur præstare beneplacitum & assensum suum ut electio ipsa valeat celebrari. Extant hæ literæ apud Odoricum Raynaldum an. 1376. §. 13. Rursum aliis literis datis prid. Non. Aprilis ejusdem anni, quæ extant in codice 753. bibliothecæ Colbertinæ, id ipsum postulavit. Gregorius verò concessit literis datis v. Non. Maii, quæ editæ sunt ab eodem Raynaldo an. 1376. §. 13.

Die igitur decima Iunii, pro qua Cuspinianus duodecimam falsò ponit, Vvenceslaus electus est Rex Romanorum. Decretum electionis extat in eodem codice Colbertino.

Eadem die Karolus Imp. variis literis hanc electionem significavit. Earum unæ extant apud Bzovium an. 1376. §. 4. & apud Odoricum Raynaldum an. eod. §. 14. Aliæ habentur in eodem codice Colbertino. Eodem obsequio erga Gregorium eadem die functus est Vvenceslaus ipse, & procuratorium confecit ad postulandam ab eodem Gregorio confirmationem electionis suæ. *Die sacramenti,* ut ipsi loquuntur, quæ incidit hoc anno in diem duodecimam Iunii, Ludovicus Archiepiscopus Moguntinus, Cuno Trevirensis, Fridericus Coloniensis, Rupertus senior Comes Palatinus Rheni & Dux Bavariæ, & Vvenceslaus Dux Saxoniæ de eadem re scripserunt ad eundem Gregorium. At Sigismundus Marchio Brandeburgensis scripsit ipsa die electionis, id est, die decima Iunii. Hæc omnia reperiuntur in laudato codice Colbertino.

Ad literas Imperatoris rescripsit Pontifex die quarta mensis Decembris paratum se esse procedere in approbatione ipsius electionis postquàm Vvenceslaus præstiterit juramenta à Regibus Romanorum præstari solita. Et mense Februario sequenti scribens ad eundem Principem perstitit in sententia, processurum se aiens ad factum approbationis hujusmodi cum solemnitatibus opportunis, ea tamen cautione adhibita, ut Vvenceslaus primùm mittat literas continentes juramenta quæ promissa erant & de jure debebantur. Has Gregorii literas habemus in codice epistolarum ejus. Tum verò Papa ad Karolum in Germaniam misit Thomam de Amanatis Episcopum ea tempestate Nimocienseṁ, postea verò Archiepiscopum Neapolitanum. Testatur istud ipse Thomas in sua depositione his verbis: *Item interrogatus quare Imperator afficitur ad Bartholomeum dixit quòd Imperator pater istius volebat quòd iste filius ejus esset Imperator tempore Domini Gregorii, & erat concordatum de certo modo, & super istis iste Archiepiscopus iverat ad Imperatorem de mandato Domini Gregorii. Postea ille B. à principio quando electus fuit ipse nolebat indulgere illud & dicebat quòd mitteret ad eum solemnes nuncios. Sed postquam successerunt ista, ipse concessit Imperatori illud quod petebat.* Rediit autem inde Thomas anno MCCCLXXVII. die nona Novembris, ut ipse rursum testatur his verbis: *Item dixit quòd fuerat iste destinatus per Dominum G. ad partes Alamaniæ & ad Imperatorem, & iverat Romam vivente Papa G. redeundo ab ambaxiata sua, & intraverat Romam nona die Novembris anno Domini millesimo trecentesimo LXXVII. & resedit continuè Roma usque ad mensem Iunii.* De confirmatione porrò electionis Vvenceslai per Vrbanum VI. agemus infrà ad paginam 491.

Anno MCCCLXXIX. Vvenceslaus vicarium suum generalem in Italia & ultramontanis partibus constituit Iodocum Marchionem Moraviæ, eique injunxit ut cùm in terras potestati suæ commissas advenisset inquireret diligenter quis duorum de papatu contendentium esset verus Papa, Bartholomæusne, an Robertus, & illum quem verum & legitimum sponsum sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ & beati Petri successorem esse sibi con-

GGgg

ftaret, in vetum Papam reciperet & protegeret, alium verò perditum & intrusum expelleret & ultore gladio tanquam totius christianitatis invatorem & humani generis inimicum persequeretur. Extant hæ literæ in codice 814. bibliothecæ Colbertinæ. Eidem aliis literis, quæ descriptæ sunt in eodem codice, mandavit ut fœdera renovaret quæ antea inita fuerant inter Imperatores & Reges Francorum.

De ejus depositione quiddam valde notandum refert Ægidius Bellamera dist. 40. cap. 7. *Si Papa.* Hæc sunt ejus verba.: *Sed numquid Electores hujusmodi Imperatorem vel Regem Romanorum ab eis legitimè in Imperatorem electum possunt deponere, si prætendant eum negligentem vel inutilem aut forsan criminosum? Et ideo de hoc quæro quia his diebus Electores imperii Regem Romanorum & Boemiæ ab eis pridem in Imperatorem electum peremptoriè ad certum locum citari fecerunt ut certa die coram eis compareret visurus & auditurus à regno & imperio Romanorum per eos se deponi. Et requisiverunt Regem Franciæ quòd in hoc eis adhæreret. Quod Rex Franciæ ductus prudenti consilio facere denegavit.* Vide Odoricum Raynaldum an. 1400. §. 11. & seqq. qui sententiam quoque depositionis Vvenceslai descripsit ex tomo secundo historicorum Germaniæ collectorum à Christiano Vrstisio pag. 180.

TRES ANNI] Istud non est verum. Quippe electus fuit anno MCCCLXXVI. die decima Iunii. Ab eo porrò tempore usque ad finem anni MCCCLXXVII. sunt tantùm menses XVIII.

P. 440. VENIT ANAGNIAM] Ejus iter Anagninum descripsit Petrus Amelii Episcopus Senogalliensis. Recessit autem Gregorius de Roma die sabbati trigesima Maii, & Anagniam pervenit die Martis secunda Iunii, ut ait Bertrandus Boyssetus.

P. 441. VBI FVIT RECEPTVS] In depositione Marchi Fernandi Abbatis de la Vanza in Ecclesia Palentinensi ista leguntur: *Ad duodecimam dixit se credere quòd dictus Præfectus erat amicus aliquorum Cardinalium, specialiter Cardinalis Ambianensis, pro eo quòd audivit quod quando Cardinalis Ambianensis transivit per Viterbium, fecit sibi magnum festum Præfectus.*

GRAVI INFIRMITATE] Thomas de Amanatis Archiepiscopus Neapolitanus in depositione sua: *Item certum & verum est quòd Præfatus Dominus G. Papa XI. de anno Domini prædicto millesimo. trecentesimo septuagesimo octavo die quinta mensis Februarii vel circa cœpit infirmari infirmitate qua postea mortuus est.*

IN PACE QVIEVIT] *non sine Italorum omnium lacrymis,* ut in Athenæo Romano pag. 559. ait Augustinus Oldoinus. Sed illud falsum est. Itali enim magnis gaudiis exultarunt in morte ejus, ut patet ex iis quæ infrà referentur ubi tractabimus de initiis schismatis.

MVLTVM DILEXIT SVOS] In depositione Episcopi Reatini ista habentur: *Item demum assumpto Gregorio, qui supra ceteros hominum de tenera dilectione præsertim ad suos notabatur &c.* P. 442.

MVLTVM VIRTVOSVS] Rectè ergo Platina Gregorii obitum describens eum vocat virum sanctum. Ipse Vrbanus VI. ita etiam de eo loquebatur. Nam cùm legati Regis Castellæ apud eum recenter electum exponerent legationem suam, & unus eorum Alvarus Martini, facta mentione Gregorii, dixisset *felicis recordationis Dominus Gregorius, tunc Vrbanus dixit: Eruditatis linguas vestras & dicatis sanctæ memoriæ Dominus Gregorius, quia verè ego reputo eum sanctum.* Ita testatur idem Alvarus in depositione sua.

GRAVELA] Vox Gallica. Latini, ut plerique putant, vocant calculum. Sed morbus calculi videtur diversus ab alio, quamvis ei sit multùm affinis. Morbi porrò istius sui mentionem facit idem Gregorius in epistola scripta Romæ anno MCCCLXXVII. die prima Martii ad Ludovicum Ducem Andegavensem: *Tres-cher fils, Se l'estat de nous te plait savoir, nous estions en assez bonne santé de corps quant cestes furent escriptes, combien que nous eussions souffert moult greve doleur & passion de gravelle.*

DONARIA M. PROMITTEBANT] Petrus Rostagni dominus loci de sancto Crispino in epistola scripta ad Regem Castellæ anno MCCCLXXX. die decima Septembris: *Vnum vestre majestati non obmittam scribere, quòd in prærdinatione negotiorum hujusmodi Bartholomæus de Perignano olim Archiepiscopus Barensis, & nunc in apostolica sede intrusus, ut ex visis & auditis firmiter teneo, fuit in consiliis prærdinationum Romanorum, & se recommendabat eisdem, & in speciali Iohanni Sincis Cancellario urbis, eidem in casu assecuturo magna promittendo. Quæ omnia retulit mihi præfatus Iohannes tanquam singulari amico post intrusionem præfatam, cùm videbat præfatum Bartholomæum de eo non curare & caput suum reclinasse in pectore Comitis Nolani & Domini Thomæ de S. Severino, ipso oblivioni tradito.* Petrus de Crosso Archiepiscopus Arelatensis & S. R. E. Camerarius in depositione sua: *Iste Bartholomeus in uno ex consiliis quæ Romani tenuerunt super facto electionis interfuit, ut audivi à nobili viro Domino Guidone de Prohinis Milite tunc senatore urbis, ipsis Romanis se recommendavit.* P. 443.

SED INTRVSVS] Ipse quoque Bartholomæus, postea dictus Vrbanus sextus, P. 444.

dixit eum qui electus esset in tumultu Romanorum non futurum Papam & se illi non obediturum. Habemus istius rei plurima bona testimonia. Artaudus Episcopus Grassensis testatur se cum eodem Bartholomæo locutum esse de consiliis Romanorum ut haberent Papam Romanum ad idque cogerent Cardinales, & inter cetera quæ idem Bartholomæus sibi dixit illud fuisse, non obediturum se Papæ qui sic esset electus. *Tandem subjunxit: Si Papa fiat per impressionem & vim, obedietis vos sibi? Et antequam ego responderem, idem Archiepiscopus præcipitavit se in respondendo & dixit: Vere ego non obediam.* Item Poncius Beraldi corrector literarum apostolicarum: Primò dixit quòd ille Barensis & iste fuerunt socii per magnum tempus in domo Domini Pampilonensis, & quando alius ivit Romam in officio cancellariæ, iste fuit socius ejus circa officium cancellariæ & quasi unius consortii usque in die illa. Et dixit quòd die dominica ante ingressum conclavis celebravit ille Barensis,& iste & quidam alius Archiepiscopus Neterrensis fuerunt omnes in una societate illa die. Et tunc dixit ille Barensis quòd secundùm illa quæ faciebant Romani, quicquid ageretur nullum esset, quia si per impressionem eligeretur Papa, non esset Papa, sed apostaticus. Et dixit: Ego non reputarem talem verum Papam. Idem testatur Simon Cramaudus Patriarcha Alexandrinus in tractatu de schismate: Unde bene recordor de uno bene notabili, qui fuerat socius & valde amicus Urbani dum erat Archiepiscopus Acherontinus & pòst Barensis, & regebat cancellariam in Avinione, & ille habebat ibidem officium bene notabile, & erat magnæ reputationis, & vocabatur Ponrius Beraldi. Qui quidem narravit mihi fortiter jurans hoc esse verum quòd ille qui pòst fuit nominatus Urbanus & ipse erant simul in Ecclesia beati Petri quando Domini Cardinales intraverunt conclave Romæ pro electione futuri Pontificis post mortem Gregorii; & erat ibi tumultus popularium armatorum vociferantium & percutientium ad ostia. Et tunc Archiepiscopus Barensis, qui satis citò pòst nominatus fuit Urbanus, dixit prædicto Pontio: Vides, Ponti, quales modi servantur. Verè quicunque erit electus in isto tumultu non erit Papa, nec ego vellem sibi obedire, nec deberet hoc facere quicunque bonus catholicus. Si essent multi tales testes, congregato Concilio bene facerent ad propositum. Sed scio quòd ille mortuus est; & testis est mihi Deus quòd non mentior, imò prædicta audivi ab eo.] Utar autem hac occasione ut nonnulla dicam de Pontio Beraldi. Erat ille consanguineus, ut ipse refert in sua depositione, Guidonis de Pruinis Senatoris urbis, quem alibi reperi natione Gallum fuisse & de militari progenie natum. Eundem fuisse affinem Cardinalis de Agrifolio junioris testatur Raynulphus Cardinalis Sistaricensis. Ex quo colligi non absurdè posset eum fuisse natum in Lemovicibus aut in quadam regione vicina, nimirum, ut puto, in Caduris. In catalogo quippe Episcoporum Agathensium invenitur Petrus Beraldi ex domo de Cessac in Cadurcis, qui anno MCCCLXIII. extinctus est. Ex eadem fortassis gente Petrus Beraldus qui in catalogo Abbatum sancti Vincentii Vesontionensis scribitur illic Abbas fuisse anno MCCCLXXI. Poncium illum fuisse Archidiaconum Urgellensem anno MCCCLX. reperio in testamento Petri de Prato Episcopi Prænestini. Deinde evasit corrector literarum apostolicarum sub Gregorii XI. pontificatu, ut opinor. Eodem adhuc magistratu ornatum fuisse anno MCCLXXXV. liquet ex testamento Petri de Monteruco Cardinalis Pampilonensis, itemque anno sequenti ex bulla Clementis VII. data Avinioni Idibus Februarii anno octavo; ex qua etiam constat illum fuisse præterea Capellanum Papæ & Canonicum Narbonensem. In propositione seu arenga facta coram Ioanne Rege Castellæ per Dominum Franciscum de Urbino Episcopum Faventinum primi electi ambaxiatorem ista leguntur de Cardinalibus qui ad Urbanum venerunt ut ei significarent electionem ejus: Subsequenter tamen, cùm ad dictum palatium convenissent, & essent XII. congregati, ut dictum est suprà, vocato ad se Domino nostro in secreto omnibus exclusis, remanente tamen ibi juxta altare quodam Reverendo Patre Episcopo ordinis Heremitarum sancti Augustini confessore & domestico commensali piæ memoriæ Domini Gregorii Papæ [*Erat is Raymundus Episcopus Forojuliensis, postea verè Appamiensis*] & quodam alio clerico vocato Poncio, ambobus Gallicæ nationis, qui ibidem quasi semilatitando remanserunt, videte quid asseritur factum fuisse. Nam, ut in ejus attestatione videbitis, cùm Dominus meus Florentinus narrasset electionem de ipso factam & peteret suum consensum, Dominus noster vertit se ad illos Cardinales dicens: Videte, Domini. Ista fuerunt mihi narrata antequam veniretis. Tamen nolui consentire dictæ electioni nec aliquam novitatem facere nec volo nisi sim certificatus qualis fuit & est vestra intentio. Et tunc quilibet ex eis per sacramentum voluntarium, ponendo manum ad pectus, dixit quòd intentio eorum fuit & erat purè & liberè quòd esset verus Papa.] Idem scriptum est in depositione fratris Michaelis monachi sancti Bartholomæi de Lupiana. *Interrogatus super LXV. & LXVI. dixit se audivisse quòd aliqui Cardinales, nescit qui nec quot nec qua die, venerunt ad is-*

tum primum electum & dixerunt sibi quòd consentiret electioni, & ipse dixit quòd volebat scire ab eis si elegerant eum per metum vel non, quia si metu esset electus, non consentiret. Et illi responderunt sibi quòd non fuerat electus per metum, sed liberè. Et ipse consensit electioni. Poncius postea recessit ab Vrbano, & Fundos se contulit. Ita restatur Gilabertus secretarius Papæ natione Alemannus in depositione sua, ubi sic scriptum est: *Item quòd dum venerandus vir Dominus Poncius Beraldi literarum apostolicarum corrector & dictus deponens irent de Roma versùs Fundis, transiverunt per castrum Taillacossie, ubi Domini Florentinus, Mediolanensis, & de Vrsinis Cardinales residebant, & fuerunt per eosdem Dominos valde gratanter recepti.* Vide sequentia suprà pag. 1096. Obiisse constat Poncium ante annum MCCCXCVIII. quo Simon de Cramaudo scripsit tractatum suprà laudatum.

CVSTODIAS PORTAR. ET PONT.] Thomas de Amanatis Archiepiscopus Neapolitanus in sua depositione: *Item post mortem Domini Gregorii interfui aliqnando quando Domini Cardinales, antequam ingrederentur conclave, conveniebant in unum ad tractandum de negotiis eorum. Et hoc fuit semel apud sanctum Petrum, & aliquibus vicibus apud sanctam Mariam novam, & semel apud sanctum spiritum. Et vidi aliquotiens Bandarenses & capita regionum & aliquos alios officiales populi urbis Romæ ingredi ad dictos Dominos Cardinales congregatos in unum. Et licèt nunquam interfuerim tractatibus dictorum Dominorum Cardinalium nec requisitionibus eis factis per Romanos, tamen publicè dictum fuit & dicebatur, & sic etiam audivi ab uno ex ipsismet Romanis officialibus qui ingressi fuerant ad ipsos Dominos Cardinales, quòd Romani petierant custodiam conclavis & burgi sancti Petri & portarum ejus, specialiter pontis sancti Angeli, & quòd promiserant & juraverant in manibus Dominorum Cardinalium quòd eos liberos & securos tenerent à quacunque molestia, sic quòd purè & liberè possint eligere prout vellent, & quòd ob hoc obtinuerunt à dictis Dominis Cardinalibus dictas custodias conclavis, burgi sancti Petri, & pontis sancti Angeli.*

NOBILES EXPVLERVNT] Idem Thomas Archiepiscopus: *Item certum & verum est quòd ante ingressum Dominorum Cardinalium in conclavi per tres dies vel circa pro parte populi Romani fuerunt licentiati etiam per edictum publicum omnes Barones Romani qui tunc Romæ erant quatenus sub magna pœna recederent ab urbe Roma. Et licèt dictis licentiis non interfuerim, tamen hoc fuit publicum & notorium Romæ, & sic etiam audivi à quamplurimis Romanis. Propterea certum est quòd omnes Barones qui tunc Romæ erant recesserunt.* Causam autem hujus edicti aperit Bonifacius de Amanatis interrogatus super casu primi electi. Ait enim se audivisse à quibusdam Romanis amicis suis *quod prædicta preconizatio facta fuit ad finem quòd præsentia dictorum nobilium & principum urbis non impediret dictum populum in eorum proposito & in conctione ac metu quos volebant inferre Cardinalibus pro habendo Papam aliquem Romanum vel saltem Italicum. Nam quilibet de dictis nobilibus principibus urbis habebat in populo suas particulares notitias, per quas de facili potuissent manendo in urbe impedire voluntatem & deliberationem antedictas dicti populi.*

MONTANARIOS] aliàs comitatinos. In depositione Antonii Episcopi Firmani: *Item fuit deliberatum quòd Romani facerent custodiri portas & pontes intus & extra, ne Cardinales possent recedere ad alias partes, & facerent venire comitatinos in civitatem pro custodia & pro tumultu. Et sic fecerunt sicut deliberaverunt in suis consiliis.*

REGENS OFF. CAMERARII] Guillelmus de Vouta Episcopus Massiliensis tunc, postea verò Valentinus in Gallia, demum verò Albiensis. Ipse conterraneum Petri Flandrini Cardinalis sancti Eustachii, qui patria Vivariensis erat, se fuisse ait in sua depositione, consanguineum verò Comitis Nolani, id est, ut ego interpretor, Nicolai Vrsini Comitis Nolani, quem ex testimonio Theoderici de Niem lib. 1. de schismate cap. 44. liquet ortum esse ex illustrissima gente Bauciorum in Provincia. Ait enim Vrbanum sextum, cùm externa auxilia conquireret, misisse *suos nuncios ad quendam strenuum virum Dominum Raymundum de Baucio filium Domini Comitis Nolensis de Vrsinis.* Contelorius pag. 121. refert fragmentum ex veteri instrumento anni MCCCLXXXIV. in quo nominatur *Raymundus de Baucio de Vrsinis filius Comitis Nolani, miles strenuissimus sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & athleta Christi maximus.* Guillelmus de Vouta ortus erat ex illustrissima item gente Andusiorum in Cebennis, filius, ut conjicere licet, Bermundi de Vouta mariti Helionordis, quæ filia erat Ademari de Pictavia Comitis Valentinensis & Diensis & Sibyllæ de Baucio. Istius enim matrimonii mentio extat in testamento ejusdem Ademari edito inter probationes historiæ Comitum Valentinensium pag. 37. Hinc ergo ostenditur consanguinitas istius Episcopi & Comitis Nolani. P. 447.

Anno MCCCLXIV. cùm Raymundus Episcopus Tolonensis translatus fuisset ad Ecclesiam Forojuliensem, Vrbanus V. Tolonensem Episcopum fecit Guillelmum Abbatem sancti Vincentii ordinis sancti Benedicti literis datis Avenione Idibus Novembris anno tertio.

Anno MCCCLXVI. die XVIII. Septem-

bris Guillelmus Sudre Episcopus Massiliensis factus est Cardinalis, ac propterea vacavit Ecclesia Massiliensis. Ei verò, ut suprà pag. 991. dictum est, præfectus est Philippus Cabassola. Et tamen in regesto anni septimi Vrbani V. adnotatum est eam vacantem per assumptionem Guillelmi ad cardinalatum datam esse v. Kal. Octobris Guillelmo Episcopo Tolonensi. At ego puto erratum illic esse, eamque censendam esse vacasse per assumptionem Philippi ad cardinalatum. Philippus enim paulò antè factus fuerat Cardinalis ab Vrbano V.

Anno MCCCLXXI. Gregorius XI. Vvillelmum Episcopum Massiliensem nuntium pro gravissimis Ecclesiæ & regni negotiis in Siciliam amandavit. *Bzov. an.* 1371. §. 10.

Postquam Gregorius XI. vitam cum morte commutavit, cùm ageretur de electione novi Pontificis, & Petrus de Crosso S.R.E. Camerarius, ad quem omnis cura conclavis pertinebat, statuisset secedere in castrum sancti Angeli propter tumultum Romanorum, quem oriri videbat, hunc Episcopum Massiliensem rogavit ut vice sua in se susciperet custodiam conclavis. Iste verò, qui satis intelligeret rem esse plenam periculi, onus illud detrectabat; suscepit tamen cùm id ei persuasissent Comes Nolanus & Petrus Flandrini Cardinalis sancti Eustachii. Non utar testimoniis externis & peregrinis, sed describam ipsa verba depositionis istius Episcopi. Sic ergo illic legitur. Episcopus Valentinus, olim Marsiliensis, interrogatus ac examinatus per dictos ambaxiatores regios dixit & asseruit in conscientia sua esse vera ista quæ sequuntur die Martis octava Madii. Primò dixit quòd Camerarius Papæ rogaverat istum, qui tunc erat Episcopus de Marsilia, quòd esset loco dicti Camerarii & ejus vice ad observandum conclave quando Cardinales essent intus reclusi. Iste verò timens de iis quæ facerent Romani, deliberare voluit, & habuit consilium cum Comite Nolano, de cujus genere iste Episcopus est, & in cujus domo erat tunc collocatus. Nam ille Comes Nolanus volebat ducere istum ad quoddam castrum suum, ubi esset securus, donec transiret electio Papæ. Item etiam consuluit Dominum Cardinalem sancti Eustachii, qui est de illis partibus quibus iste, & aliqui consanguinei dicti Cardinalis habent possessiones in districtu consanguineorum dicti Episcopi. Tunc isti duo Comes & Cardinalis dixerunt isti Episcopo quòd assumeret illum locum nec poterat se ponere in loco ubi tantum honorem reciperet sicut in illo loco, ubi se ponebant Cardinales omnes sub custodia sua. Finaliter ipse habuit acceptare officium illud. Et Comes Nolanus vocavit aliquos Romanos de melioribus, qui erant bene XIII. numero, cum quibus habebat magnam notitiam dictus Comes, & recommendavit sibi specialiter Dominum Iacobum de Vrsinis tunc Cardinalem & Dominum Cardinalem Gebennensem, qui est Papa nunc, & istum Episcopum, ut prædicitur; & addidit dictus Comes quòd licèt priùs recommendaret illis dictum Cardinalem Gebennensem quàm istum ex eo quia erat Cardinalis, attamen quòd specialiùs sibi recommendabat istum Episcopum, quia erat consanguineus & de genere suo.] Cum ipso autem ad eandem custodiam deputati sunt Stephanus Episcopus Tudertinus & Philippus Tiburtinus, uti scriptum est in depositione ejusdem Stephani, qui testatur præterea claves conclavis remansisse penes Episcopum Massiliensem. Vide etiam Factum Bartholomæi missum Regi Castellæ apud Odor. Raynaldum an. 1378. §. 78.

Post electum Bartholomæum Archiepiscopum Barensem, cùm Cardinales è conclavi exiissent ut meliùs potuerunt, dubitans ego (inquit idem Episcopus Massiliensis in informatione data iisdem ambaxiatoribus) ne si in palatio remanerem, Romani me interficerent, quem proditorem priùs vocaverant, & suspectam eorum voluntatem habebam, volui ad castrum sancti Angeli confugere; & captus in via per Romanos, turpiter ductum & & vinctum, non tamen ligatum, sed ad manus trahentes violenter ad Ecclesiam seu capellam sancti Laurentii adduxerunt, inientes inter se consilium ut aut me in Tibris fluvio submergerent, aut capite plecterent, aut populo me vinctum traderent morti dandum. Quia tamen me supposui judicio Bandarensium, si in aliquo offendissem, deliberarunt me tradendum firmæ custodiæ custodiendum quaternis hominum armatorum. Veniens autem unus ex Bandarensibus, qui de genere erat Columnorum, me ab insurgentibus in me liberavit unà cum Archiepiscopo Cracoviensi, & petens me reducí ad domum Domini Cardinalis sancti Petri, quem ego tunc Papam propter metum Romanorum vocabam; vidensque domum ejus à Romanis spoliatam & denudatam, accessi ad domum Domini de Vrsinis, ubi ipsum cum Domino sancti Eustachii reperi; & unà cum eis media nocte ab urbe aufugi ad castrum dicti Domini quod vocatur Vicovar.

Tandem sedato tumultu, cùm omnes Cardinales publicè Barthol omæum colerent ut Papam, Episcopus Massiliensis verè credens illum eum esse qui à Cardinalibus vulgò dicebatur, episcopatum Valentiuum accepit ab eo quem credebat esse verum Papam, ut ipse ait. Qua de re vide etiam Odoricum Raynaldum an. 1378. §. 98. & Factum Iacobi de Seva pag. 504. in tomo quarto historiæ Vniversitatis Parisiensis. Sed Camerarius Papæ

qui hanc provisionem putabat carere viribus, reditus ejusdem episcopatus ad cameram revocavit. Quare cùm postea Clemens VII. electus fuisset, Episcopus Massiliensis renuntiavit provisioni Ecclesiæ Valentinæ, quam de integro suscepit à Clemente. Ita legitur in ejus depositione: *Item quòd postquam venit ad istas partes & recepit Ecclesiam suam, quòd Camerarius posuit manum, quasi non valeret provisio sibi facta. Sed ipse Episcopus & clerus & populus illius loci appellaverunt ad Papam verum seu ad illum qui de proximo canonicè eligeretur in Papam, quia tunc non erat facta adhuc electio Domini Papæ Clementis. Et post super isto negotio debuit venire hic. Et licèt aliqui jurisperiti asserebant quòd valerent illa quæ acta fuerant per illum quandiu Romæ Cardinales fuerant cum eo, attamen debuit renuntiare illi Ecclesiæ, & de novo provisum fuit sibi.* Idem testatur frater Angelus minister generalis ordinis fratrum Minorum in depositione sua; ubi postquam dictum est de Episcopo Massiliensi, *qui per Vrbanum factus fuit Episcopus Valentinus*, additur: *Andivit tamen quòd postea prædictam Ecclesiam Valentinam de novo voluit recipere à Clemente.*

Frater ejus fuit Ademarus de Vouta Episcopus Grassensis, quem Vrbanus VI. ad Ecclesiam Massiliensem transtulit eo tempore quo Guillelmum donavit episcopatu Valentino. Vide Factum Iacobi de Seva pag. 504. Et istum quoque Ecclesiam Massiliensem recepisse à Clemente patet ex iis quæ leguntur in tomo secundo Galliæ Christianæ. De illo ita scribit in suo diario Ioannes Episcopus Carnotensis ad diem XVIII. Aprilis anni MCCCLXXXII. *Cele journée je demouré à Apt apres ce que le Chamberlan du Pape & les aultres furent partis, & pris le serment de Messire Aymard de la Volte Evesque de Marseille Conseiller retenu de par Mons. & en eus letre seellée de son seel & souscripte de sa main. Et li baillé letre de Mons. seellée de retenuë de conseil à gages de mil francs de pension par an.*

IN CASTRO S. ANGELI] cujus castellanus sive gubernator erat Petrus Gaudelini sive Guntelini de sancto Crispino, vulgò dictus Petrus Rostagni, eam administrationem adeptus sub Gregorio XI. favore Geraldi de Podio Cardinalis Majorismonasterii, qui tum Romani Pontificis vicarium agebat in quibusdam civitatibus Italiæ, ut suprà pag. 1179. dictum est. At cùm eo tempore in castro sancti Angeli essent duo viri ejusdem nominis, patruus & nepos, uterque castellanus, dubium videri potest ad quem eorum pertineant ea quæ mox dicturi sumus de repulsa quam passus est Vrbanus quum castrum illud repeteret. Sed antè quàm de ea re agamus, necessarium in primis arbitror ostendere qui fuerint illi viri & unde venerint in has regiones. Primùm constat ex testimonio Theoderici de Niem lib. 1. de schismate cap. 14. castellanum sancti Angeli fuisse natione Gallicum. Idipsum testatur in sua depositione frater Menendus ordinis Minorum Episcopus Cordubensis, qui ait hunc castellanum fuisse *de natione & dominio Gallicorum.* Vnde verò traxerit originem aperit patruus in epistola de hoc schismate scripta ad Regem Castellæ anno MCCCLXXX. die decima mensis Septembris, in qua testatur se ortum esse de Dalphinatu Ebredunensis diocesis. Ioannes Columbi clericus Avenionensis in sua depositione tradit eum fuisse Provincialem vel de Dalphinatu. Præstat autem referre verba patrui ex epistola ad Regem Castellæ, quam inveni in codice Harlæano. *Ne per quosdam veritatis æmulos*, inquit, *veritas ipsa valeat nubilari si diceretur per ipsos, Hic homo scribens Gallicus est, respondeo quòd scribens; licet à modico tempore citra fuerit de dominio Gallicorum, quia de Dalfinatu Ebredunensis diocesis & loci de sancto Crispino dominus, fui tamen & sum Italicus educatione & affectione & carnali conjunctione. Nam ad Italiæ partes puer deductus, ibidem per XXXVI. annos in illis partibus in magnis & diversis notabilibus officiis actitavi. Demum in illis partibus uxorem nobilem traduxi, ex qua plurimos filios procreavi. Domos, agros, territoria magna, partim donata, partim adquisita, pro filiorum hereditate paterno more congregavi. Et ibidem in civitate Assisii in Ecclesia almi confessoris Francisci meam & meorum elegeram corporis sepulturam.*

Anno MCCCLXXII. Gregorius XI. Geraldum Abbatem Majorismonasterii Turonensis constituit vicarium generalem Italiæ. Is verò per ea tempora custodiam castri sancti Angeli nomine Gregorii XI. commisit Petro Rostagni juniori. *Anno Domini millesimo trecentesimo septuagesimo quinto*, inquit patruus in laudata epistola, *rebellione Ecclesiæ facta in Italiæ partibus, cùm quidam nepos meus carnalis à sanctæ memoriæ Domino Gregorio Papa XI. haberet in custodia castrum sancti Angeli de Roma, ego cum uxore & familia mea in dicto castro [me] reduxi.* Ex his patet nepotem fuisse castellanum castri sancti Angeli, non verò patruum. Et tamen idem patruus infrà ait se capitaneum ejusdem castri constitutum fuisse à Papa Gregorio, & eundem Gregorium morientem sibi tanquam castellano ac propterea ad se evocato præcepisse ne castrum illud cuiquam post mortem suam traderet absque consensu Cardinalium qui remanserant Avenione. Hanc difficultatem sic solvere possumus ut dicamus utrumque fuisse castellanum, quia ambobus quasi ex indiviso com-

mula erat custodia castri, sed tamen nepotem fuisse propriè castellanum. Hanc observationem debemus fratri Menendo Episcopo Cordubensi, qui in depositione sua *dixit quod ante mortem Papa Gregorii erat intus castellanus de natione & dominio Gallicorum, qui vocabatur Petrus Rostain, & nepos suus Petrellus, qui propriè erat castellanus.*

Hunc ergo qui propriè castellanus erat ad se vocatum Gregorius XI. moriens jurejurando adegit ne cuiquam castrum sancti Angeli traderet absque consensu Cardinalium quos diximus. Refert autem in eadem epistola patruus verba Gregorii ad nepotem: *Castellane, tu promittis & juras quòd castrum sancti Angeli tibi per nos traditum in custodia, si de hac infirmitate nos mori contigerit, nulli reddes sub pœna proditionis & maledictionis æterna sine consensu & assensu Dominorum Cardinalium qui sunt in Avinione: quoniam, ut audio, Romani me mortuum sperantes ad eorum votum Romanum Pontificem habere jam machinantur.*

Extincto Gregorio & Urbano VI. electo, iste castrum sancti Angeli reliquit in potestate Petri Rostagni usque ad finem Aprilis. Et tum illud repetiit à Petro, quia destinaverat ei præficere castellanum concivem suum. Rem gestam sic narrat laudatus paulò antè Menendus Episcopus Cordubensis, homo partium Urbani: *Interrogatus super sexta additione dixit ut suprà quòd dictum castrum tenebatur pro Papa Gregorio ante ejus mortem, & post mortem pro Camerario & Cardinalibus usque ad electionem Urbani factam & publicatam, & pòst tenebatur pro Papa Urbano, ut sibi videtur, quia vidit suum vexillum gloriosum multociens super dictum castrum ad sua arma aquilarum per plures dies, donec dictus Dominus Papa voluit mutare castellanum ab eo & ponere ibi alium castellanum Neapolitanum. Et credit quòd hoc fuit in fine Aprilis vel prope. Et prædictus castellanus misit sibi dici quòd solveret sibi decem milia florenorum quos debebat recipere de suis stipendiis & de reparatione facta in dicto castro, & post daret sibi dictum castrum. Et dictus Papa Urbanus citavit dictum castellanum ut compareret coram eo. Et dictus castellanus petita securitate & fide quòd liberè & securè posset ire & redire ad dictum castrum ivit ad eum. Quæ fuerit conclusio nescit. Dixit tamen quòd propter istam quæstionem dictæ quantitatis florenorum dictum castrum remansit in manibus dicti castellani extra obedientiam & potestatem dicti Papa Urbani.*

Aliam tamen fuisse causam istius repulsæ referunt alii, nimirum jusjurandum quo se Petrus Rostagni obstrinxerat ne castrum illud cuiquam traderet absque consensu Cardinalium qui remanserant Avenioni. Extant apud Odoricum Raynaldum an. 1378. §. 24. literæ Anglici Episcopi Albanensis & Petri Cardinalis Pampilonensis hujus rei testes. In codice verò 842. sancti Victoris Parisiensis habetur epistola eorundem Cardinalium scripta ad Petrum castellanum eadem die qua superior, in qua ei mandant & hortantur ut statim dictum castrum reddat Urbano vel ad ejus mandatum. In codice rursum Harlæano extat epistola Petri castellani ad Cardinales Avenione constitutos, quæ idem testatur. Addit autem patruus in sua depositione: *Cujus litera responsionem Bartholomæus spectare noluit, sed fecit multipliciter molestari, præsertim cùm vidit me & nepotem meum non posse ab isto firmo proposito revocare; ad quam revocationem obtinendam nulla remansit via quia fuerit intentata. Nam apud mercatores pro nobis pecunias deposuit, nepotem meum servientem armorum & scutiferum honoris assumere voluit. Sed ipse recusavit officia. Et honores maximos obtulit mihi & meo nepoti per seipsum & per Dominum Thomam de sancto Severino, & ultra hæc omnia securitatem promissionum omnium offerebat: quæ per nos omnia fuerunt recusata propter illa quæ in nostris conscientiis erant ex visis per nos & tactis & auditis à Dominis Cardinalibus, qui illa scire debebant.* Et paulò pòst: *Propter quam causam ante discessum Dominorum Cardinalium de urbe misit mihi & meo nepoti dicendo quòd nisi castrum redderemus, quòd Cardinales ante castrum per Romanos ligatos duci videremus, & nisi castrum restitueremus, videremus ipsos frustratim scindi per furiosas manus Romanorum.* Sunt videlicet hæc verba digna viro crudeli & immanitate barbaro, qualis etiam ab amicis suis depingitur Urbanus. Subdit Petrus Rostagni: *Ob quam causam Cardinales qui remanserunt de recessu celeri avisavi; quem fecerunt.*

Quid autem actum sit post recessum Cardinalium sic scribit idem Petrus: *Postquam Anagniam Domini Cardinales pervenerunt, statim mihi & nepoti meo castellano per eorum literas mandaverunt sub literis authenticis, quas adhuc habeo, quòd castrum ipsum præfato Bartholomæo minimè redderemus, cùm ipse non esset summus Pontifex, sed intrusus, & pro fulcimento aliquali dicti castri mille florenos auri transmiserunt. Reliquam autem partem munitionis dicti castri habuimus à certis Romanis, non de infimo genere natis, sed de majoribus dictæ terræ, qui nos animabant ad detentionem dicti castri, ut citiùs idolum erectum per furiosum populum Romanum subverteretur, æstimantes & ipsi ipsum Bartholomæum verè intrusum, & ita tenebant usque ad diem occisionis Romanorum quæ facta fuit in transitu gentium armorum quæ ibant Anagniam pro securitate Dominorum Cardinalium.* nimirum in prælio quod

commissum est inter Bernardum de la Sala & Romanos, de quo dicemus infrà ad paginam 465.

Tandem tamen necesse fuit dedi hanc arcem. Quod quomodo acciderit non aliunde meliùs scire possumus quam ex eadem epistola Petri Rostagni. Ait ergo: *Ego autem, serenissime Princeps, circa conservationem & defensionem castri mihi commissi invigilavi solerter usque ad ultimum sustentationis humanæ naturæ; nec remansit miseria quæ per homines reinclusos fuerint unquam portata quin & ego cum uxore & filiis ibidem existentibus portaverimus. Nam ad tantam nos deduximus inopiam victualium quòd per tres menses herbas & radices ipsarum coctas cum quatuor unciis panis in die sine sale & oleo vitam duximus, & pro potu nil nobis fuit nisi aqua nuda; & tanta fuit hæc abstinentia aliquibus dura quòd ex fame ante meos oculos subitò ceciderunt.* Huic narrationi auctoritatem addit Theodericus à Niem lib. 1. de schismate cap. 20. his verbis: *Tandem verò post longam ejusdem castri sancti Angeli obsidionem, scilicet quasi per annum integrum, dicti Romani prædictum castrum ab eodem capitaneo seu illius custode per pacta receperunt, qui multùm viriliter illud quousque sibi defecerunt victualia defensavit, parvi pendens impugnantium machinarum & bombardarum crebros ictus.* Destructum illud postea esse à Romanis scribit ibidem Theodericus.

Denique Odoricus Raynaldus an. 1378. §. 24. ait Guntelinum perfidiam, ut ipse vocat, postea ultore numine in Avenionensi catasta carnificis manu luisse, idque se postea probaturum. quod tamen non præstitit. Scilicet confudit hunc Guntelinum cum Silvestro de Budis vel cum Guillelmo Boileau, quos paulò postea capite plexos esse apud Matisconem docet Froissartus vol. 2. cap. 36.

P. 448. ILLAM CAPITOLII] id est, campanam, solitam pulsari, ut lib. 2. de schism. cap. 36. ait Theodericus à Niem, cum Romani contra hostes suos ire consueverunt ad bella. Propter istud facinus tanto terrore commotas fuisse feminas Romanas adnotat frater Angelus minister generalis ordinis fratrum Minorum, interrogatus super casu secundi electi, ut eo modo plorarent ac gemerent ac si ad extremas calamitates redactæ fuissent. Hæc sunt enim verba relata in depositione ejusdem fratris Angeli: *Tunc audivit campanas sancti Petri pulsari ad arma vel ad martellum modo & forma qua pulsantur Romæ & in Italia quando civitates sunt in commotione vel briga vel homines consueverunt ad bella procedere. Et videtur sibi, de certo tamen non asserit, quòd idem faciebat campana de capitolio. Et vidit mulieres plorantes fugientes & se lacerantes & clamantes & populum fugientem de Ecclesia sancti Petri.* Hinc illæ earum querelæ adversùm maritos suos tanquam maledictos & excommunicatos quia vim intulerant Cardinalibus. Hæc enim tum erat fama publica. Vnde in articulis in Castella confectis super casu secundi electi, super quibus interrogandi & examinandi erant testes, ista scripta sunt in articulo centesimo: *Item an sciverit, viderit, vel audiverit quòd mulieres Romanæ illis duobus diebus supradictis & pòst palam & publicè vituperassent & vituperabant maritos proprios & fratres & consanguineos & generaliter omnes dicentes hæc verba vel similia in effectu: O Romani tristes exaurati, qui excommunicastis Romam vituperando Cardinales turpissimè & injuriosè, propter quod vos & nos maledicti erimus & excommunicati.* Itaque Petrus Fernandi Archipresbyter de Hita diocesis Toletanæ testatus est se die sequenti post electionem Vrbani VI. audivisse *dici à feminis illius viciniæ quòd aliquæ earum dicebant suis maritis & filiis & consanguineis: Proditores mali, quàm malum factum perpetrastis, quia vituperastis collegium & Dominos Cardinales & Ecclesiam sancti Petri, & de cetero nunquam bene erit nobis nec filiis & filiabus nostris, & amodo erimus excommunicati, & Deus nunquam dabit nobis bonum.*

TRES PRIORES] videlicet Petrus de Corsinis Episcopus Portuensis Prior Episcoporum, Guillelmus de Agrifolio Prior Presbyterorum, & Iacobus de Vrsinis Prior Diaconorum. Vide suprà pag. 1041.

INCIDERENT VR PER PECIAS] Sic legitur in depositione Antonii Episcopi Firmani: *Item quòd vidit Bandarenses dicentes in castro palatii: Per Deum crucifixum nos habemus in conclavi istos ultramontanos, & nisi Romanum faciant vel Italicum, omnes scindemus per frustra.* Item in depositione Ioannis de Crosso Cardinalis Lemovicensis: *Cardinales inceperunt dicere horas; & post celebrationem duarum Missarum fuit clamor validus, & campanæ trahebantur ad martellum. Non recordatur bene si campanæ fuerunt pulsatæ ante celebrationem secundæ Missæ, sed meminit quòd præ clamore populi & sonitu campanarum ipse parum attendebat ad Missam ac si nunquam diceretur. Sed statim Dominus Valentinus Episcopus nunc, sed Marsiliensis tunc, qui erat unus de custodibus conclavis, clamavit magna voce: Domini, Domini, expediatis vos citò. Aliàs omnes eritis scisi per frustra, nisi Romanum vel Italicum eligatis in brevi. Et tunc timore mortis processerunt ad actum electionis, ut suprà dictum est.* Et infrà: *Ante ingressum conclavis, dum iste Cardinalis iret ad visitandum loca sanctorum equitando pendentibus illis decem diebus, aliquando occurrebant sibi Romani dicentes quòd viderent qualiter ipse & alii*

alii Cardinales darent sibi Papam Romanum vel Italicum, aliàs omnes ultramontani essent scissi per frustra. Rodericus Fernandi in sua depositione ita loquitur: *Die qua mortuus fuit Papa inceperunt Romani murmurare inter se dicentes: Ex quo mortuus est Papa, modò volumus Papam Romanum, quia non recedent isti Cardinales nec Gallici sanguinolenti sicut recessit Vrbanus Papa quintus, quia modò habemus opportunitatem ad faciendum ad libitum de istis Cardinalibus ex quo habemus eos in manibus nostris, quia facient quicquid voluerimus, aliàs incidemus per frustra omnes Cardinales ultramontanos & eos qui venerunt cum ipsis.* Ioannes Episcopus Castrensis in depositione sua dixit Romanos tumultuantes circa conclave dixisse: *Romanum volumus vel ad minus Italicum. Et si hoc non faciunt, per clavelatum Deum scindemus eos per frustra.* Antonius de Agusta Canonicus Ecclesiæ Lateranensis, qui ait se fuisse tum præsentem inter custodes, tradit in depositione sua Romanos publicè dixisse *quòd volebant Romanum vel ad minus Italicum, & quòd aliqui dicebant quòd aliàs omnes Franchiloni essent scissi per frustra.* Vide etiam Odoricum Raynaldum an. 1378. §. 64.

P. 450. SECRETE PROTESTATI] & inter hos Cardinalis Glandatensis, ut dictum est suprà pag. 1076. Harum porrò protestationum mentionem facit etiam sanctus Vincentius Ferrarius in tractatu de moderno Ecclesiæ schismate par. 2. cap. 1.

BARENSEM] tunc absentem, ut aiunt Radulphus de Rivo cap. 12. de gestis Episcoporum Leodiensium, Froissartus vol. 2. cap. 12. Baleus centur. 5. pag. 439. & Cæsar Nostradamus in historia Provinciæ pag. 435. Verùm illi errant insigniter.

BARENSEM] Itaque post illius electionem dictum est, *Micer de Bar est Papa*, ut testatur in sua depositione frater Petrus de Guadalfaiara. Ex quo nonnulli, quibus nomen Ioannis de Baro Subdiaconi Papæ notius erat quàm nomen Archiepiscopi Barensis, collegerunt hunc Ioannem electum fuisse Papam, ut ipse testatur in depositione sua his verbis: *Item dictum fuerat isti quòd ipse nominatus fuerat in Papam, eo existente in castro sancti Angeli, quia semper mittebant ad sciendum nova de iis quæ gerebantur; & illud contigerat, quia Romani audiverunt quòd fuisset electus Archiepiscopus de Baro, & ipsi credebant quòd iste fuisset, quia dicitur Iohannes de Baro, & addebant quòd nolebant Franciscum in Papam.* Fernandus Petri Decanus Tirasonensis interrogatus super XLII. articulo casus primi electi *dixit quòd audivit ab aliquibus sibi notis Romanis duobus vel pluribus, ut sibi videtur, de quorum nominibus non recordatur, qui sibi dixerunt, cùm ipse reprehenderet eos de ruptura conclavis, quòd vox exiverat inter eos dicendo Baro Baro, & quòd dicti Romani intellexerunt quòd erat electus Dominus Iohannes de Baro, qui erat ultramontanus, & propter hoc perpendentes quòd non erat electus Romanus vel Italicus, prout ipsi petebant, commoverunt se tunc ad rumpendum conclave.* Itaque cùm officiales urbis ad Vrbanum venissent, tarditatisque suæ hanc excusationem adferrent quòd non credebant electionem fuisse factam de persona ejus, Vrbanus, ut in depositione sua testatur Bonifacius de Amanatis, qui se præsentem fuisse ait, respondit: *Ego vos habeo excusatos, quia credebatis electionem factam de Iohanne de Baro, qui erat Gallicus seu Franchosus; sed ego fui electus, qui vocabar Dominus de Baro.* Adde testimonium Theoderici de Niem, qui lib. 1. de schismate cap. 2. ait tumultum populi Romani hinc quoque ortum esse *quia dictus Dominus Gregorius habuit quondam cubicularium Io. de Bare vulgariter nuncupatum Gallicum, seu de terra Lemovicensi oriundum, satis, ut fama erat, superbum pariter & lascivum, qui propterea nedum dictis Romanis sed etiam pro majori parte curialibus erat exosus; & hunc credebant dicti Romani fuisse in Papam electum loco Gregorii prælibati.*

Erat Ioannes ortus è nobili genere Dominorum de Baro haud procul à castro Malimontis, unde origo Clementis VI. & Gregorii XI. Pontificum Romanorum, quorum eum fuisse consanguineum colligi potest ex Facto Iacobi de Seva pag. 498. Erat autem Subdiaconus & cubicularius Gregorii, ut docent idem Gregorius in suo testamento & Theodericus à Niem, & liquet etiam ex itinerario ejusdem Gregorii, ubi ita scriptum est: *De Baro praclare Iohannes Subdiacone senior cubicularie tunc absens fuisti. Epistolas quas legis bene intellexisti, quia ter naufragium pertulisti.* Fuit deinde etiam Vrbani VI. seu Bartholomæi Archiepiscopi Barensis cubicularius, ut testatur idem Fernandus Petri, qui *interrogatus super LXXXII. articulo dixit quòd de contentis in capitulo nescit plus, nisi quòd scit quòd dictus Iohannes de Bar erat in camera dicti Archiepiscopi ut cubicularius suus. Et videtur sibi quòd audivit quòd dictus Archiepiscopus petivit eum ut esset suus cubicularius, eò quòd erat instructus in factis cameræ.* Idem portabat crucem ante Vrbanum. Sic enim legitur in depositione ejusdem Ioannis: *Item quòd postquam exiverant Cardinales & iverunt ad faciendum reverentiam, iste similiter accessit ad eum. Et ipse dixit isti: Iohannes, ego volo quòd sicut tu eras cum Domino Gregorio, ita sis apud me. Iste autem excusavit se dicens quòd erat antiquus.* Et mox: *iste autem ex tunc erat penes eum, & portat crucem ante eum, & quando debuit ire civitatem Tiburtinam, iste ivit cum eo.* Postea recessit ab Vrbano, quamvis ille ipsi honores & divitias ostentaret. Sic enim legi-

tur in eadem depositione: *Item quòd multotiens ille Barensis dicebat isti quare non peteret beneficia, nam ipse daret sibi quod vellet, & iste dicebat sibi quòd sufficiebat sibi gratia sua. Et verè si iste voluisset remanere penes eum, ipse fecisset isti majorem gratiam quàm iste alius fecit.* Contrà Alvarus Martini interrogatus super articulo LXXII. casus primi electi, in quo agebatur de Ioanne de Baro, dixit se nescire an ea vera essent quæ in articulo continebantur, *sed audivit quòd dixerat primus electus quòd volebat privare Dominum Iohannem de Bar beneficiis qua tenebat, & facere eum ingredi monasterium, propter simonias quas commiserat.* Mortuus erat ante annum MCCCCVII. ut constat ex testamento Guidonis de Malesieco Cardinalis edito inter probationes historiæ Cardinalium Gallorum pag. 459.

Fuisse eum Præpositum Valentinensem docet epistola Cardinalium ad Lodovicum Ducem Andegavensem edita in tomo quarto historiæ Universitatis Parisiensis pag. 478.

PRÆSENS IN CONSILIIS] Sumptum est istud ex declaratione Cardinalium quæ incipit *Cùm propter falsam assertionem*, in qua sic legitur: *Et in une ex istis consiliis fuit ille Dominus Bartholomæus Archiepiscopus Barensis, prout ipse publicè confessus est, licèt asserat modò quòd ipse impressionem fieri dissuasisset.* Ita etiam in depositione Ioannis de Crosso Cardinalis Lemovicensis: *Item quando erant in conclavi paravit se ad fenestram, & vidit illum Barensem inter gentes Romanorum, & quòd audivit ab eo quòd interfuisset consiliis Romanorum, sed semper suadebat eis ne facerent impressionem Cardinalibus.* In depositione Angeli Episcopi Pisaurensis ita scriptum est: *Testis qui loquitur fuit requisitus si volebat interesse in dictis consiliis ab uno Prelato Romano; à quo petiit dictus testis quid agebatur in dictis consiliis, & qui erant vocati. Qui respondit quòd pro certo Romani intendebant dare ordinem quòd hac vice haberent Papam Romanum, & quòd ad ista consilia erant plures vocati clerici & laici; & nominavit de vocatis Dominum Agapitum de Columna, Dominum Abbatem Montis Cassini, Dominum electum Tiburtinensem, Dominum Generalem Heremitarum, Dominum Archiepiscopum Barensem; qui postquam fuit electus, existens in cathedra, dixit audiente dicto teste quòd aliquando interfuerat consiliis Romanorum, sed non ad alium finem quàm ad reprimendum eorum furiam.* Item in depositione Ioannis de Baro Subdiaconi Papæ: *Item quadam die, durante novena, ipso loquente redeunte de dicta Ecclesia sancta Maria cum Bartholomeo tunc Archiepiscopo Barensi, idem B. dixit sibi quòd Romani eum vocaverant ad consilium eorum tractantes de electione summi Pontificis, ut credit, & facto consilio recommendavit se eis.* Petrus Rostagni in epistola scripta ad Ioannem Regem Castellæ anno MCCCLXXX. die decima mensis Septembris: *Unum vestra majestati non obmittam scribere &c.* ut suprà pag. 1102.

CANCELLAR. REGEBAT] vice Petri de Monteruco Cardinalis Pampilonensis, qui remanserat Avenione, ut legitur in Facto Iacobi de Seva pag. 490. & apud Odoricum Raynaldum an. 1378. §. 80. Et postquam locutus est in cathedra Romana, nullum Vicecancellarium creavit, sed tantùm regentem officium cancellariæ in absentia ejusdem Cardinalis, ut suprà pag. 938. ostensum est. Itaque quandiu Petrus fuit in humanis, Urbanus cancellariam nemini dedit in titulum, sed tantùm per commissionem, ut aiunt practici, Raynulpho de Monteruco nepoti Petri Cardinalis Pampilonensis. Post Raynulphum Franciscus Pregnanus fuit regens cancellariæ apostolicæ pro eodem Petro usque ad annum octavum pontificatus Urbani, id est, usque ad annum Christi MCCCLXXXV. quo Petrus vitam cum morte commutavit. Tum verò Urbanus eundem Franciscum creavit Vicecancellarium. Observatum id ab Onuphrio Panuinio in secunda epitome pag. 248.

CUM INSTANTIA POSCENTIB.] impulsu & suasione Urbani, qui summum fastigium agnoscebat se debere violentiæ Romanorum. Quam ob causam se vocavit Urbanum, ut tradit frater Ioannes Abbas monasterii sancti Isidori Hispalensis in sua depositione, ubi ait *quòd audivit dici, nescit qua die, quòd receperat nomen Urbanus ab urbe pro eo quòd occasione Romanorum fuerat ipse Papa.* Sic enim testatur Antonius Episcopus Firmanus in sua depositione: *Item vidit una die quòd Iohannes Cincii tunc Cancellarius urbis & aliqui Romani supplicabant dicto Barensi in camera paramenti, & quòd dictus B. dicebat eis quòd paratus erat facere pro Romanis illa qua petebant & majora, quia ipsi & non alii posuerunt eum in illo statu & fecerunt eum Papam.* Sic etiam publicè prædicabant Romani. Nam cùm Urbanus post coronationem suam equitaret per urbem, ut moris erat illo seculo, Romani dicebant: *Vivat Papa noster, quia nos fecimus Papam, & non alii. &: Pater sancte, sit tibi recommendata Roma, cùm Roma te fecerit.* Istud refert in depositione sua Rodericus Fernandi portinnarius Ecclesiæ Hispalensis. Præterea Bonifacius de Amanatis interrogatus super articulo 97. casus primi electi *dixit quòd audivit dici quòd Romani institerunt erga dictum intrusum, etiam antè quàm omnes Domini Cardinales exivissent urbe, & petebant ut faceret aliquos Cardinales Romanos & Italicos in magno numero. Et audivit dici Romæ à prædictis Romanis amicis suis, dum publicè diceretur Romæ quòd præfatus intrusus volebat ire Anagniam, quòd*

fuerat ordinatum per Romanos in consilio quòd non permitterent recedere de urbe dictum intrusum, quem Papam vocabant, nisi antea faceret in magno numero Cardinales Romanos & Italicos, & quòd ad illos faciendum compelleretur, si sponte Romanis in hoc complacere nollet, addentes: Ex quo fecimus eum fieri Papam, oportebit quòd nobis faciat Cardinales Romanos & Italicos quot volemus. Nam aliter non essemus securi quòd papatus remaneret apud Romanos & Italicos. Itaque cùm post electionem ejus Cardinales partim urbe excessissent, partim confugissent in castrum sancti Angeli, opusque electionis suæ perfici inthronizatione & coronatione sua vellet Vrbanus, dixit Bandarensibus ipsos adhuc nihil fecisse nisi cogerent Cardinales ut venirent ad inthronizandum eum. Istud ego non unius testis sed plurium assertione probabo, in primis verò Bonifacii de Amanatis, qui in depositione sua ait se cum fratre suo Thoma Archiepiscopo Neapolitano ivisse ad palatium apostolicum & fecisse reverentiam Vrbano recenter electo; *& quia dicebat horas suas, iste cum fratre suo spectaverunt extra per spatium. Tunc venerunt ad eum Bandarenses & aliqui Romani ad faciendum reverentiam; & inter cetera dixit illis Bandarensibus Bartholomæus: Videte, nihil fecistis nisi faciatis venire Cardinales ad inthronizandum me.* Idem interrogatus anno MCCCLXXXI. die XIX. Februarii super articulis primi electi respondit se audivisse eundem Bartholomæum dicentem dictis Bandarensibus & officialibus: *Videte, vos nihil adhuc fecistis nisi & faciatis quòd Cardinales qui sunt in castro veniant ad palatium ad inthronizandum me.* Istud ipsum testatur Petrus Flandrini Cardinalis in tractatu de schismate; ubi cùm ostendisset electionem Bartholomæi esse nullam per jura, addit: *Et hoc iste B.met claré confessus est. Nam in præsentia unius Domini Cardinalis Italici & plurium Prælatorum, quando Domini Cardinales nolebant exire de castro nec venire ad ipsum inthronizandum, & antequam esset sibi electio præsentata, ipse vocavit unum Prælatum valde sibi domesticum, & mandavit ei quòd iret ad Bandarenses, & hæc sibi exposuit: Dicas Bandarensibus quòd ipsi adhuc nihil fecerunt nisi cogant istos Cardinales venire ad inthronizandum me.* Cùm hic locus valde incommodaret partibus Vrbani, inter dubia quæ Archiepiscopus Toletanus misit ad Cardinalem Florentinum, controversiam quoque fecit de hoc capitulo, & sibi responderi super hoc petiit ab eodem Cardinale, quia publicè dicebatur *quòd iste Cardinalis Italicus in cujus præsentia ista verba fuerunt prolata fuit Dominus Cardinalis Florentinus.* Respondit ergo Florentinus actum id esse præsente se, *&, prout ipse recordatur, præsente Episcopo Penssaurensi, & Domino Bindone capellano suo, & pluribus aliis, idem Barensis posuit ambaxiatam prædictam Domino Martino Episcopo Caxanensi.* Rursum, cùm idem Archiepiscopus Toletanus epistolam scripsisset adversùs tractatum Petri Flandrini, & inter cetera, etiam illum de hoc capite interrogasset dicens *quòd si posset hoc claré probari, multùm lucidaretur & declararetur factum vestrum, & in conscientia mea multa scintillæ ardentes per istam probationem extinguerentur,* respondit Petrus Flandrini *quòd Barensis dixit illa verba Manno tunc Episcopo Cassanensi, qui tunc se denominat, licèt falsò, Camerarium apostolicæ sedis; & dixit ea præsente Domino meo Cardinale Florentino, ut ipse Dominus Florentinus attestatus est præsentibus Domino quondam de Vrsinis, Domino meo de Luna, & me in castro sancti Iohannis prædicto,* id est, sancti Ioannis de Tareho. Sed multò uberiùs ista exequitur idem Florentinus in glossis ad factum Cardinalium Italorum in codice 815. bibliothecæ Colbertinæ. Hæc sunt ejus verba. *Hæc requisitio fuit facta sub ista forma in præsentia mei Portuensis & fratris Angeli Pensaurensis Episcopi & Domini Thomæ Nimociensis electi tunc, nunc autem Cardinalis Neapolitanensis, & Domini Bindonis Fesulanensis capellani mei. Idem Barensis imposuit hanc ambaxiatam Domino Manno Episcopo Cassanensi: Vadatis ad Bandarenses, & dicatis eis quòd faciant venire Cardinales qui sunt in castro sancti Angeli; quia nisi venerint, nihil fecerunt. Qui Cassanensis Episcopus ivit ad dictos Bandarenses cum dicta ambaxiata. Qua eis exposita, ivit ad castrum prædictum cum ipsis Bandarensibus. Et post satis longum temporis intervallum redivit ad palatium sancti Petri, ubi eramus. Et me præsente & testibus superiùs nominatis dixit & retulit eidem Barensi quomodo sollicitaverat dictos Bandarenses juxta ambaxiatam sibi impositam, & cum eis ad castrum personaliter iverat, & quòd iidem Bandarenses requisiverunt Cardinales qui erant in castro quòd inde venirent ad palatium.* Ipse Bindo Prior sanctorum ita testatus est in sua depositione: *Interrogatus de his quæ post egressum conclavis contigerunt dixit quòd alia die quòd dictus Barensis misit ad Bandarenses ut vocarent Cardinales qui inthronizarent eum, dicendo eis ista verba: & nisi faciatis eos venire, nihil est factum.* In depositione fratris Bartholomæi procuratoris generalis ordinis Carmelitarum ita scriptum est: *Primò quid Bartholomæus egit antè etiam quàm sibi intimata esset electio sua expressè, si electio debeat vocari. Nam expressè mandavit uni de Bandarensibus quòd omnino faceret venire Cardinales qui erant in castro sancti Angeli, aliàs totum quod fecerant nihil valebat. & multa alia verba dixit in quibus attribuebat suam electionem Romanis, & non Dominis Cardinalibus, prout ab aliquibus etiam Prælatis audivi, præcipuè ab Episcopo Bosano, qui tunc erat præsens.* Sed

ita uberiùs describit Nicolaus Eymerici Inquisitor Arragoniæ in depositione sua, ubi sic scriptum est : *Et cùm idem deponens ad eum accederet, dictus Barensis congratulans dixit ei : O, bene veneritis, Inquisitor. Et cùm deponens iste vellet procumbere ad osculandum ei pedem, ipse Barensis dixit ei formaliter ista verba : Non, non. nihil est factum, nihil est factum adhuc, sed bene osculabor vos. Et osculatus est eum. Cernens autem hic deponens quòd nec dictus Barensis antedictis duobus Dominis Cardinalibus* (Florentino & Mediolanensi) *nec ipsi eidem loquebantur, sed stabant quasi attoniti, incepit loqui secretè dicto Barensi de quadam materia qua multùm amborum cordibus insidebat, qua ad Papam deinde pertinebat. At ille eidem replicans ait : Adhuc nihil est factum, nihil est factum. Dum sic starent ipsi quatuor antedicti quasi attoniti, nec unus alteri daret verbum, ecce subintravit Dominus Cardinalis Majorismonasterii, & dixit, hoc deponente præsente & audiente, dicto Barensi : Domini mei non possunt venire. Et ille ; Quare non ? Et iste : Quia non habent capas. Et ille : Non habent capas ? Veniant, veniant in roquetis, veniant in roquetis. oportet quòd veniant. Ad cujus verba nullus respondit. Interim intravit Bandarensis quidam, quem idem deponens non nomine sed facie agnoscebat & Bandarensem esse sciebat, & dixit eidem Bandarensi* (Legendum, *Barensi*) *verba ut Dominus Cardinalis Magnimonasterii in effectu. Quibus auditis, Dominus Barensis vocavit ad se quosdam familiares dictorum Dominorum Cardinalium, qui in alio angulo dicti deambulatorii residebant. Qui cùm accessissent ad eum, ipse accipiens capam unius dixit : Hæc capa erat bona pro uno Cardinali. Et idem dixit accipiens capas trium vel quatuor ex prædictis, subjungens : Expolietis, expolietis capas. Et convertens se ad Bandarensem ait : Portetis, portetis istas capas, & veniant, veniant, oportet quòd veniant. Et nullus sibi respondebat, nec quisquam capam expoliabat, sed quilibet prædictorum omnium totus attonitus, ut videbatur, tacitus rem considerabat. His sic peractis idem Barensis clamavit : Est hic cursorius ? Veniat. Et venit quidam. Cui dixit : Vadas ad portas, & dic janitoribus ex parte mei quòd nullum dimittant intrare nisi tantummodo Cardinales. Videns autem hic deponens quòd nullus ei respondebat nec astantium unus alteri loqueretur, & quamplurimùm admirans de verbis quæ dixerat de Dominis Cardinalibus, & metuens de pejori, abiit. Et, ut postmodum est compertum, eodem mane Domini Cardinales*, XII. *scilicet, & ij qui in propriis domibus residebant, & qui in castro sancti Angeli latitabant, per Bandarenses à Barensi ad eos missos coacti sunt ac violentati ad palatium apostolicum accedere, cum Barensi prandere, nominationem talem ut prædicitur de eo factam eidem præsentare, & hora vesperorum eadem die in Ecclesia sancti Petri eum inthronizare. Mandaverat enim eis per Bandarenses pluries illo mane quatenus ad eum venirent, si volebant majus periculum evitare quàm passi fuerant paulò antè.* Superest ut adducamus testimonium fratris Angeli Episcopi Pisaurensis, quem tum quum hæc gesta sunt fuisse apud Vrbanum docent allata testimonia. Sic ergo habetur in ejus depositione : *Item dixit prædictus testis quòd illomet mane prædictus electus in supradicto deambulatorio & palatio vocavit ad se Episcopum Cassanensem & prædictum testem qui loquitur, & dixit eis : Bonum esset quòd vos iretis ad Bandarenses & diceretis eis quòd nisi cogant Cardinales qui sunt in castro sancti Angeli venire ad præsentiam meam, quòd ipsi nihil fecerunt. Et cùm dictus testis diceret quòd fortè non esset honestum dicere Bandarensibus quòd cogerent eos &c. respondit tunc dictus electus : Bene, bene, nos cogitabimus. Et tunc dimisso dicto teste, traxit consocium ad partem, & quid locutus fuerit cum eo ignorat, sed ille statim exivit palatium.* Videbat enim Vrbanus titubare initia sui pontificatus apud plerosque nobilium Romanorum. Sed postea solidata sunt sanguine Romanorum quem fudit ad pontem Salarium Bernardus de la Sala. Testatur istud Petrus Rostagni de sancto Crispino in epistola scripta ad Ioannem Regem Castellæ, in qua ait Stephanum de Arinanis *in die qua venerunt nova de morte Romanorum in civitate Tiburtina* dixisse eidem Bartholomæo : *Hodie Romanorum sanguis te fecit Papam.* Tum enim nobiles illi qui occultè erant inimici Vrbani coacti sunt transire in partes ejus. Istud colligitur ex eadem epistola ; ubi legitur eosdem nobiles Romanos in ea semper fuisse sententia *usque ad diem occisionis Romanorum* ut existimarent Vrbanum esse Antipapam, uti suprà pag. 1212. dictum est.

CONTRA VOLVNT. DEI] Contrà Vrbanus VI. aiebat illum venisse Romam ex voluntate Dei. Sic enim testatur Thomas Petra, cujus hæc sunt verba : *Item audivi tunc asseri per Dominum nostrum prædictum quòd discordia illorum tunc Cardinalium fuit quia requirebant eum quòd iret ultra montes & ipse penitùs recusavit asserens quòd Vrbanus V. & Gregorius venerant ex voluntate Dei ad fructificandum Ecclesia Christi & pacificandum Italiam & ad recuperandum terras Ecclesia, & modico fructu secuto ipse Vrbanus recesserat contra velle Dei prædicto sibi per beatam Brigidam de Suetia, propter quod vita privatus fuit, hoc etiam prædicto sibi per eandem, & quòd etiam Gregorius Papa cogitaverat de recessu, ut suprà dicitur, & jam miserat pro galeis, cùm* P. 451

medicum & quasi nullum fructum fecisset; propter quod ad evidentius insigne quòd hoc erat contra velle Dei, in propria sede decesserat. Sed ego heic te interrogo, Vrbane. Si propterea Gregorius XI. in propria sede decessit quia Avenionem redire volebat contra velle Dei, cur Vrbanus quintus, quem tu ais privatum fuisse vita quia ab urbe recesserat contra velle Dei, in propria sede non decessit? Iam si tantum tribuis revelationibus incertis, ego te tuis telis confodio. Narrat enim vir insignis & doctus Ioannes de Cardalhaco Patriarcha Alexandrinus in depositione sua atrocem de te ac pontificatu tuo revelationem, quam ejus verbis describere malo quàm meis: *Item dixit quòd audiverat à quodam religioso ordinis Minorum, qui est devotus homo & magister in theologia & notabilior persona in illo ordine de omnibus quos ipse novit, quòd viderat tempore Gregorii Papæ Romæ quadam die qualiter ille G. miserat ad quandam devotam Dominam quòd funderet preces pro illo & certificaret eum de certis dubiis, & postquàm ille capellanus Papæ recessit ab ea, quòd accessit ille frater Minor ad loquendum cum illa Domina, & ipsa dixerat sibi quòd quidam Archiepiscopus, qui erat ibi in conspectu suo, ille deberet turbare mundum & Ecclesiam Dei, sed ad ultimum ipse bene castigaretur, & quòd ipsa ostendit illi religioso illum Archiepiscopum digito, & erat iste Barensis.* Vide etiam quid Gregorius XI. Papa, quem tu quoque sanctum virum fuisse agnovisti, de te moribusque tuis moriens cecinerit ac prophetaverit. Refertur ejus prophetia paulò infrà ex depositione Hugonis Cardinalis de Britannia. Ceterùm etiam illis temporibus fuere qui dicerent credendum non esse istiusmodi testimoniis. Nam cùm Anglici, ut ostenderent causam Vrbani esse meliorem, afferrent revelationem cujusdam eremitæ Angli, qui dicebat *quòd ipso celebrante ostensum est sibi in hostia sacrosancta Bartholomæum Barinsem esse verum Papam*, ad ea nostri ita responderunt *quòd non meruit hoc figuari, quia, ut testantur canonicæ sanctiones, talibus super hujusmodi invisibilibus ostensionibus credendum non est, nisi per ostensionem miraculi vel scripturæ testimonium speciale hoc probent. Aliter etenim ex hæreticorum similem isti vitam ducentium falsa assertione fides nostra sæpius titubaret.* Ipse quoque Vrbanus in eadem sententia erat. Nam cùm quidam ex istis qui tum temporis aiebant se familiariter loqui cum Deo sicut solet loqui homo ad amicum suum accessisset ad Vrbanum, eique dixisset sibi jam annis quindecim contemplationi vacanti in eremo divina revelatione patefactum esse ipsum esse pseudopapam, *cùm ille narrationem suam*, inquit Gobelinus Persona, *nec signo visibili nec sacra scripturæ testimonio confirmaret*, tormentis coactus est fateri mendacem se fuisse, & extremam Vrbani sævitiam expertus esset, nisi ille vitam ei donasset victus precibus Prælatorum Gallorum qui apud eum erant. Hanc porrò historiam debere nos profitemur Odorico Raynaldo, qui an. 1386. §. 9. eam describit ex Gobelino. Si Vrbanus eadem æquitate examinasset vaticinatores qui eum esse verum Papam aiebant, haud dubiè invenisset eorum neminem fuisse locutum cum Deo facie ad faciem. Didicit experimento suo Gregorius, sed serò, fidem non esse adhibendam istis revelationibus seu potiùs temeritati jactantium visiones capitum suorum. Narrat enim Ioannes Gerson in tractatu de examinatione doctrinarum parte 2. consider. 3. illum positum in extremis, habentem in manibus sacrum Christi corpus, protestatum esse coram omnibus *ut caverent ab hominibus sive viris sive mulieribus sub specie religionis loquentibus visiones sui capitis, quia per tales ipse seductus, dimisso suorum rationabili consilio, se traxerat & Ecclesiam ad discrimen schismatis imminentis, nisi misericors provideret sponsus Iesus.* Quibus verbis generalibus notatos fuisse à Gregorio Papa XI. Petrum Arragonium, Brigittam Suecicam, ac Catharinam Senensem scribit Spondanus an. 1378. §. 2. Consentanea sunt ista iis quæ eundem Gregorium morientem dixisse refert in sua depositione Hugo Cardinalis de Britannia. Afferam autem ipsa verba: *Primò ipse dixit quòd quando Dominus Gregorius sensit quòd non poterat evadere, vocavit omnes Cardinales, & exposuit eis quòd ipse habebat conscientiam quare duxerat eos ad illas partes & posuerat Ecclesiam Dei in periculo. Nam dicebatur quòd post eum deberet assumi in Papam unus quidam malus homo & diabolicus. Et propter hoc rogabat eos quòd vellent esse in perfecta caritate, & eligerent de collegio aliquem de notabilibus personis quæ erant ibi, & non curarent de rigore illius decretalis Vbi majus, & expedirent se citò & eligerent illum in quem major pars collegii consentiret. Nam ipse suspendebat decretalis illius rigorem & aliarum quæ loquuntur in ista materia usque in mensem Septembris.* Bulla Gregorii XI. qua suspendit rigorem illius decretalis edita est apud Odoricum Raynaldum an. 1378. §. 2. Propter eam causam Gregorius, qui prævidebat vim illatum iri Cardinalibus, eos hortatus est ad electionem festinandam. Testatur istud rursum Petrus de Crosso S. R. E. Camerarius initio depositionis suæ: *Primò dixit quòd tempore quo Dominus Gregorius Papa infirmabatur, parum ante ejus obitum, vocavit aliquos Cardinales de quibus magis confidebat. Et fuit præsens iste Camerarius. Et ipse videns quòd non poterat evadere dixit quòd rogabat eos quòd*

vellent eligere de collegio aliquem bonum virum, qui esset utilis Ecclesiæ. Nam tenebat pro certo quòd non possent reperiri notabiliores personæ quam ipsi essent, nec decebat quòd ipse nominaret sibi aliquem. Item quòd se expedirent citò ante ingressum conclavis, nec curarent de solemnitate cap. Vbi majus. nec aliarum decretalium, quia ipse suspendebat illas pro prima electione. Et de hoc facta fuerunt litteræ & bullatæ. Item Ioannes Columbi clericus diœceseos Avenionensis in sua depositione *dixit quòd audivit ab aliquibus cubicularii Papæ Gregorii quòd ipse G. Papa dixerat dictis Cardinalibus, antequam moreretur, quòd rogabat eos non curarent tenere novenam ante electionem, sed eligerent citiùs quàm possent illum quem vellent, quoniam dubitabat quòd Romani inferrent eis aliquam violentiam.* Addit postea vulgarum fuisse Romæ, *antequam Papa Gregorius moreretur, quòd erat miraculum quòd ille Papa moreretur Romæ*, justo videlicet Dei judicio, ut dicebant Vrbanistæ, quia cogitabat de reditu in Galliam, ut suprà vidimus prædicantem Vrbanum. Id ipsum testatur Thomas Episcopus Lucerinus, qui *juratus super animam suam dixit quòd mortuo sanctæ memoriæ Domino Gregorio fuit fama in urbe & communis opinio quòd ex divino miraculo ipse Dominus G. venerat Romam & demum ibidem mortuus fuit.* Item Bido Prior sanctorum fidem facit capita regionum & Bandarenses aliosque officiales Romanos ingressos conclave dixisse Cardinalibus: *Nos credimus quòd Dominus fecit nobis istud per miraculum quòd Papa Gregorius venit ad istum sanctum locum & mortuus est.* Addidere miraculo illum in morte recognovisse se Dei judicio mori quoniam sedem propriam relinquere determinaverat. Sic enim totum istud negotium gloriosè describit Episcopus Reatinus in sua depositione: *Item postquam sic venerat, cùm non ita sibi fortè negotia succederent ut volebat, totaque patria staret in guerris & tribulationibus, & Cardinales ultramontani multùm instarent ut Avinionem iterum remearet, ipseque deliberasset ex toto se velle redire, Deo, ut credo, operante gravi infirmitate correptus in urbe ipsa & sede propria diem suum clausit extremum; &, ut audio, dum in extremis ageret, jamque de vita & sanitate quodam modo desperaret, ipse recognovit se Dei judicio idcirco morte præveniri quoniam sedem propriam relinquere determinaverat.* Sed hæc non congruunt cum depositione testis oculati Cardinalis de Britannia. Itaque existimandum est ea ab Vrbanistis, ut pleraque alia, fuisse conficta.

PER S. MAXIMINVM] Prima die, id est, XIII. Septembris, Gregorius Papa XI. advenit ad locum Novarum, ubi mansit usque ad diem lunæ sequentem, id est, XV. diem Septembris. Die XVI. fuit in Orgone. Die Mercurii XVII. profectus est Aquas-Sextias. Die Veneris XVIII. pransus est in Treeis, cœnavit apud sanctum Maximinum, & postera die Missam celebravit in ara sanctæ Magdalenæ. Hinc Massiliam profectus est. Itaque verè Bertrandus Boyssetus scripsit illum intravisse Massiliam *veniendo de loco beatæ Mariæ Magdalenæ.*

PETRVS S. EVSTACHII] Non remansit Avenioni. Iam enim in Italiam profectus erat jussu Gregorii, ut suprà pag. 1105. dictum est. Postea tamen illum assecutus est. P. 455.

S. PENTECOSTES] In veteri codice MS. habetur *sancti P.......... venit.* Nos lacunam illam certò supplevimus. Vide Petrum Amelii in itinerario Gregorii de Roma usque Anagniam. P. 456.

DVO EPISCOPI] Tiburtinus & Tudertinus, ut dictum est suprà pag. 1208.

P. DE MVRLIS] Petrus de Murlis, de quo ista leguntur in depositione Raynulphi Cardinalis Sistariceosis: *Item cùm pervenissem ad unam dietam ad locum qui dicitur de S. Canate, audivi quòd Dominus Christus & P. de Murlis inde erant transituri euntes ad Ducem Andegavensem & ad Regem Franciæ portantesque nova de creatione Domini nostri. Quos cùm expectassem, & ibidem applicuissent, traxi ad partem Dominum P. de Murlis ultramontanum, & in verbis vel similibus fui allocutus: Petre, non sine causa hic expectavi te per tres dies. Dominus enim* [id est, Petrus Cardinalis Pampilonensis avunculus Raynulphi] *mihi injunxit quòd si occurrerem tibi in via, informarem me tecum de electione Domini nostri, de quo aliqui obloquuntur. Ego rogo te ut per conscientiam tuam dicas mihi si ipse est Papa vel non & illud quod scis in facto isto. Nam secretarius Ducis Bituricensis, qui præcedit te, statim dixit mihi quòd iste Papa est unus fatuus & quicquid factum est de eo totum est fictivum. Quod si scirem ita esse, non me exponerem tantis periculis, imò reverterer inde. Tunc dixit mihi: Domine, certè ego non deciperem vos; & sciatis quòd ipse est verus Papa & pro tali reputatur à Cardinalibus; nec credo quòd ipsi mitterent me ad Regem cum tali ambaxiata, si non esset Papa.* Si hæc narratio vera est, uti puto veram esse, dubitari non potest quin Cardinales hoc viro usi sint ut arcanorum celantissimo. Nam certum est, uti jam diximus, eos ab initio ferè electionis Vrbani scripsisse ad Regem Francorum ne fidem adhiberet rumoribus, sed eis spatium daret quo vanescerent. Itaque Petrus fidem prodere noluit. Conjecturam nostram confirmant hæc verba ex depositione Petri de Crosso Camerarii Papæ: *Item quòd post coronationem quadam die, cùm scriberetur & notificaretur ubique coronatio*

ipsius Bartholomai, prafatus Dominus Camerarius scripsit propria manu Regi Francia, prasente Domino Cardinale sancti Eustachii, per literam credentia per P. de Murlis quòd caveret sibi ne crederet qua sibi scribebantur, quia factum non sic se habebat. Virum fuisse insignem & magnorum meritorum hinc colligi potest quòd cùm anno MCCCLXXX. Ioanna Regina Siciliæ adoptasset Ludovicum Ducem Andegavensem eumque omnium bonorum suorum heredem scripsisset, illum idem Ludovicus procuratorem suum instituit cum Episcopo Agennensi & Georgio de Marlio Camerario suo ut nomine suo hanc donationem reciperent, ut patet ex inventario citatò in probationibus historiæ Castillioneæ pag. 135. Literæ portò seu procuratio Ludovici extant in codice 3267. bibliothecæ Colbertinæ, datæ anno MCCCLXXX. die XI. Ianuarii.

BERTR. DE VEYRACO] In depositione Petri Fernandi Decani Tirasonensis, ut suprà pag. 1012. dictum est, vocatur Bertrandus de Gallat, sororius Cardinalis de Agrifolio. Idem tamen vocatur Bertrandus de Veyrat in depositione Roderici Fernandi portionarii Ecclesiæ Hispalensis: *Interrogatus super LXXXV. & VI. dixit se audivisse dici quòd mandavit Cardinalibus ut scriberent Imperatori & Regibus, & ipse primus electus scripsit etiam. Et scit quòd Dominus Bertrandus de Veyrat fuit missus cum bullis istius electi & litteris Cardinalium ad Imperatorem, & audivit dici quòd Imperator fecerat eum Militem.* Is Bertrandus videtur fuisse filius Gisberti de Vayraco Militis Domini de Paolhano, cujus mentio est ad annum MCCCL. in veteri instrumento edito inter probationes historiæ Turennensis pag. 87. Ex eadem gente fuisse videntur Guillelmus & Raymundus de Veyraco nominati in testamento Guillelmi de Agrifolio junioris Cardinalis.

INTRAVIT FVLGVR] Vide suprà pag. 1184. ubi fusè actum est de toto isto negotio.

P. 462. INDVIT SIBI] id est, Cardinali sancti Petri. Istud testatur ipse Cardinalis de Britannia in depositione sua: *Postea irruerunt Romani ad frangendum conclave, & quilibet captabat modum fugiendi. Et cùm intrassent Romani, unus de Cardinalibus dixit quòd Cardinalis sancti Petri esset Papa. Tunc iste Cardinalis assistebat sibi & induit capam, & dicebat eidem Domino sancti Petri quòd salvaret fratres suos. Ipse verò nolebat acquiescere. Finaliter cùm Romani venirent ad faciendum illi reverentiam, eo invito, iste recessit ad domum suam, qua nimis prope palatium. Et cùm esset intus &c.* ut suprà pag. 1143. Ex his jam constat falsum fuisse Petrum Alfonsi Canonicum Hispalensem dicentem in depositione sua capam impositam fuisse Cardinali sancti Petri per unum domicellum Cardinalis Gebennensis: *Interrogatus super LIII. dixit quòd audivit dici quòd fuerat imposita capa Cardinali sancti Petri, & fuit positus in cathedra. Interrogatus quis imposuit sibi capam dixit quòd audivit dici quòd unus domicellus Cardinalis Gebennensis de mandato aliquorum Cardinalium.*

GVIDO DE PROINIS] Miles ultramontanus, uti scriptum est in Facto Bartholomæi misso ad Regem Castellæ apud Odoricum Raynaldum an. 1378. §. 75. P. 463. Consanguineus Poncii Beraldi, ut testatur ipse Poncius in sua depositione. Ex quo videtur colligi posse illum fuisse patria Cadurcensem, cùm suprà pag. 1204. dictum sit Poncium Beraldi videri ortum ex ea regione. Puto eum Romam cum Gregorio XI. profectum esse. Certè in ejus comitatu fuit anno MCCCLXXVII. exeunte Maio quando idem Gregorius profectus est Anagniam, uti legitur apud Petrum Amelii in itinerario ejusdem Papæ: *In introitu nobili non defuit calvus ephæbus Miles Guido de Bruinis cum suis sequacibus.* Deinde cùm ageretur de constituenda pace inter Franciscum de Vico Præfectum urbis & Florentinos, & ille quasdam adversùs eos querelas detulisset ad Papam, Gregorius Florentiam misit hunc Guidonem. Ejus rei testis est ipse Gregorius in epistola scripta Anagniæ die XXIX. Septembris: *Nos autem dilectum filium nobilem virum Guidonem dominum de Preuhinis Militem ad prafatum populum destinamus, sperantes quòd ambaxiatores sui cum sufficienti mandato ad nostram prasentiam destinabunt.* Et postea Gregorius Romæ redux die septima sequentis mensis Novembris illum fecit Senatorem urbis, ut legitur apud Bertrandum Boyssetum. Anno sequenti idem Gregorius sublatus est in cælum. Ante verò quàm excederet, quum suprema eum urgerent, & Cardinales essent congregati in Ecclesia sancti spiritus, Guido & officiales urbis ad eos accesserunt & cetera egerunt quæ ipsos egisse scriptum est in eodem Facto Bartholomæi & in Facto Iacobi de Seva pag. 486. in tomo quarto historiæ Vniversitatis Parisiensis. Interim Romani illum suspectum habentes consilia sua post mortem Papæ celebrabant absque eo. De ea re ipse conqueritur in depositione sua. *Et ipsi conservatores*, inquit, *& Banderenses & alii quamplurimi Romani de eorum consilio tenebant consilium in Roma secreto modo qualibet die, quod non debebant facere sine me vel licentia mei.* Et mox addit: *Et factis per eos consiliis ipsi veniebant ad me dicendo talia verba in vulgari suo: Vejas, senador. Nos havem huey tengut conselh entre nos sobra la electio del Papa; & pregam te que tu vulhas dire*

& far als Cardenals que vulhan far Papa Romano o Italico. Sinen, tu & nes & nostras molhieres, nostres efants, & tots les Cardenals, & mosts avers serem sens fauta talhats à pessas. Et non vullats sufrir tan gran scandol. His ita se habentibus, cùm Bartholomæus Archiepiscopus Barensis non occultis indiciis videretur ambire summum pontificatum, & amicorum suorum auxilia prehensaret, à Guidone quoque, quamquam ultramontano, ignaro quò preces illæ tenderent, obtinuit se suaque negotia commendari Romanis. Istud ego legi in depositione Poncii Beraldi testantis istud sibi dictum fuisse à Guidone: *Item audivit quia dixerat ille Barensis Domino G. de Pruinis, qui erat tunc senator, quòd haberet noticiam cum Bandarensibus, & se recommendaret eis, quia multùm sibi proficeret. Et credit quòd ille sic fecit. Hæc audivit ab illo Domino Guidone, qui est consanguineus istius testis.* Ipse quoque Guido istud testatur in depositione sua: *Super secundo dico quòd una dierum dictarum exequiarum veni ego cum dictis Conservatoribus & Bandarensibus ad predictam Ecclesiam sancte Marie nova. Et quia ego, ut senator, post Dominos Cardinales debebam omnes precedere, reperii ipsum Bartholomæum in loco ubi debebam sedere; & ipse movit se, & ego tenui locum meum, & ipse sedit post me, & post ipsum Conservatores, Bandarenses. Et factis illa die exequiis, dum omnes recedebamus, ipse B. dixit mihi: Domine senator, ego non sum notus Romanis. Placeat vobis me eis recommendare. Et ego sibi dixi: Libenter. Et illico dixi Romanis predictis: Domini, hic est Archiepiscopus Barensis, qui libenter faceret vobis placitum. Rogo vos eum habeatis recommendatum in suis negotiis. Et Romani responderunt: Libenter, Domine senator. Et postmodum audivi ab aliquibus officialibus urbis prædicta quòd ipse B. interfuerat in aliquibus eorum consiliis.* Denique cùm idem Barensis fuisset locatus in sede Petri, & electio ejus publicata fuisset, officiales & rectores populi Romani, *scilicet Dominus Guido de Pruinis ultramontanus & alii, de electione hujusmodi gaudentes, statim voluerunt accedere & accesserunt ad dictum palatium causa exhibendi reverentiam dicto electo,* ut legitur in eodem facto Bartholomæi apud Odoricum Raynaldum an. 1378. §. 90. Tum verò Bartholomæus eum misit ad Cardinales qui confugerant in castrum sancti Angeli ut eos moneret ad se venire. Testis idem Guido in eadem depositione sua: *Super sexto dico quòd quadam die Veneris, qua fuit in crastinum rumoris conclavis, audiens quòd per Romam dicebatur quòd idem B. erat Papa, veni ad palatium, ubi ipse B. erat, ad impendendum sibi reverentiam. Et inveni eum tum multis Romanis, & ibi nulli erant Cardinales. Qui dixit mihi: Domine senator, rogo vos vadatis ad castrum sancti Angeli, ubi sunt Domini Cardinales aliqui, & dicatis eis ut veniant ad me, & teneatis eos securos. quod feci, & eisdem Dominis Cardinalibus ibi præsentibus predicta dixi. Qui mihi responderunt quod adhuc habebant tantum timorem de rumore predicto quòd nullo modo irent. Et ego ad dictum B. redii, & sibi predictam responsionem Dominorum Cardinalium dixi. Qui respondit: Bene faciam quòd veniant.* Interfuisse illum coronationi Vrbani docet in suo Facto Iacobus de Sova seu potiùs Joannes de Lignano pag. 500. Porrò eum fuisse gubernatorem Montispessulani anno MCCCLIV. docent literæ Arnulphi Domini d'Andenehan Mareschalli Franciæ & Locumtenentis regii in partibus occitanis datæ in Montepessulano die quarta Maii ejusdem anni.

CVM MISERRIMA VOCE] Cardinalium ora tristitiam eorum monstrasse in inthronizatione & coronatione Vrbani multi testantur. In Facto Clementis VII. diviso per articulos ita legitur articulo 101. *Item quòd die coronationis Cardinales existentes in ipsa coronatione induti pluvialibus & cum mitris, dum sic ut dictum est officium coronationis celebraretur, ipsi Cardinales omnes vel major pars ostendebant vultus tristes & declinabant oculos suos in terram. Et cùm interrogarentur per aliquos Prælatos quare sic essent, aliqui non respondentes suspirabant; aliqui verò respondebant & dicebant: Tu videbis.* Vrbanistæ, qui nolebant hanc famam invalescere, statim vulgarunt hanc Vrbani corónationem à Cardinalibus multùm lætis & hilaribus peractam esse. Vnus testis sufficiet, nimirum Ioannes Garsiæ Decanus Calagurritanus & Calciatensis, qui interrogatus *dixit quòd in coronatione & aliis actibus in quibus erant cum eo videtur sibi quòd vidit eos lætos & cum bonis faciebus.* Super quo interrogatus Ægidius Sancii Præpositus Valentinensis respondit: *Quoad id quod dicitur de hilaritate vultuum coronantium & associantium primum electum ad sanctum Iohannem de Laterano non credit. Imò vidit contrarium, & de hoc avisavit familiares suos & plures alios qui secum erant quòd Cardinales in iis incedebant vultu tristissimo.* Idem testatus est Ægidius Bellameta Archidiaconus Andegavensis & audientiæ literarum contradictarum Domini Papæ auditor his verbis: *Item quòd eadem die circa horam vesperorum prefatus auditor cum aliis intravit quandam capellam palatii sancti Petri, ubi vidit Bartholomæum prædictum cum pluviali & mitra, vultusque XII. Dominorum Cardinalium, qui eum, ut dicebatur, statim installaverant, diligenter aspexit, viditque eos ultra modum solitum pallidos,* pavidos,

pavidos, atque tristes. Rodericus Fernandi portionarius Ecclesiæ Hispalensis dixit *quòd vidit istum electum & Cardinales & plures Italicos equitantes cum eo post coronationem, & videtur sibi quòd ibant vultibus tristibus & tacendo, & aliqui respiciebant cælum stringendo se & contorquendo. Dixit etiam quòd audivit dici ab aliis quos ipse interrogavit, Quid vobis videtur? Qualiter vaduat Cardinales? & dicebant quod videbatur sibi quòd erant tristes.*

P. 465. BERNARDO DE LA SALA] Capitaneo Vasconum, ut patet ex depositionibus Roderici Fernandi portionarii Ecclesiæ Hispalensis & Ferdinandi Petri Decani Tirasonensis suprà pag. 1198. Illum Thomas Walsinghamus scribit fusum & occisum fuisse à Romanis anno MCCCLXXIX. & plusquam quinque millia hominum ex illius exercitu occisos cum eo fuisse. Errasse eum constat in morte Bernardi de la Sala, cùm ex diario Ioannis Fabri Episcopi Carnotensis certò constet illum fuisse in humanis anno millesimo CCCLXXXVI. & ex urbe Avenionensi venisse Aptam Iuliam ad Mariam Reginam Siciliæ die XV. mensis Martii. Immo eum fuisse adhuc vivum anno MCCCLXXXIX. docet Urbani VI. epistola ab Odorico Raynaldo edita an. 1389. §. 8. Ex quibus facile est colligere eundem Raynaldum immoderato partium studio abreptum fuisse cùm scripsit an. 1379. §. 24. Bernardum in eo certamine interemptum tulisse unà cum suis perfidiæ præmium, qui conjuratos Cardinales ad conflandum schisma audacia armarat, ac pro terrenis possessionibus, quibus potiri nunquam potuit, animam vendiderat. Sic enim loquitur malus ille historicus, advocatus consistorialis non bonus.

DE PARTIBUS VITERBII] quò ivisse illum paulò antè adversùs Franciscum de Vico docet idem Decanus Tirasonensis, cujus verba descripta sunt suprà pag. 1198.

IUXTA UN. PONT.] Theodericus à Niem lib. 1. de schismate cap. 13. de hac ipsa re agens: *quos oportuit quendam pontem super flumen Tyberis existentem pertransire,* id est, pontem salarium, vulgò *il ponte salaro*, ut statim videbimus. Situs est autem non ad Tyberim, ut scripsit Theodericus, sed ad Anienem fluvium, qui nunc vocatur *il Teverone.*

ROMANI FUGAM CEPERUNT] Pugnam istam ita describit in depositione sua frater Menendus ordinis fratrum Minorum: *Interrogatus quanta gens erat necessaria ad extrahendum dictos Cardinales de dicto castro contra voluntatem & potentiam Romanorum dixit, secundùm quod ipse credit & vidit per experientiam, primò scilicet in transitu quem fecit per pontem Salaro Dominus Bernardus de la Sala, qui pons distat duobus miliaribus à Roma, ut dixit iste testis, & non plus; quem transitum volentes impedire Romani, & ipse B. esset tunc cum pauca gente, videlicet cum ducentis lanceis, ut dicebatur, & Romani in magna multitudine quasi quinque milibus personarum armatarum, ut dicebatur, ipse B. vulneravit de illis quadringentos vel quingentos; secundariò in guerra Prefecti, in qua semel iste testis, cùm esset in palatio Papa & aliquotiens in turre juxta portam, vidit dictum Dominum Bernardum de la Sala stipendiatum à Præfecto stare ad portas urbis per medium miliarium ex parte castri sancti Angeli, & mansit ibi à mane usque ad nonam, & gentes sua discurrebant in circuitu, & veniebant usque ad portas.* Pugnam autem Bernardi cum Romanis, in qua Romani turpiter cæsi sunt, & turpiùs fugerunt, pugnatam fuisse mense Iulio diximus ex depositione Decani Tirasonensis. De Romanis illius temporis insignis est locus Thomæ Walsinghami pag. 222. edit. Francofurt. ubi sic habetur: *Constabat namque eis Romanos, sicut à malitia* (leg. *militia*) *veterum & probitate exciderant, sic à clementia & pietate, qua semper antiquos Romanos victores comitari solebant. Et re vera Romani moderni crudelissimi viri sunt & nulla pietate prædití, præcipuè penes eos quos armis subjugare contingit.* Vide etiam Theodericum à Niem lib. 1. de schismate cap. 14. Cùm itaque Bernardus de la Sala transiisset in partes Præfecti & Cardinalium, Urbanus eum impendio oderat & aversabatur. Quam ob causam illum anathematizavit cum ceteris quos existimabat esse suos inimicos capitales. Vide Odoricum Raynaldum an. 1378. §. 107. & seq. an. 1379. §. 24. & an. 1389. §. 8. Emendandus autem Theodericus de Niem lib. 1. de schismate cap. 13. ubi vir iste vocatur Bernardus de Cazala.

PATRIARCHAM CP.] Iacobum de Itro. In depositione fratris Nicolai Misquini sive Caraccioli Cardinalis ita legitur: *Deinde ad paucos dies dicti Cardinales ultramontani venerunt Fundis, & ibi se manifestaverunt scismaticos, quia per Dominum tunc Patriarcham Constantinopolitanum fecerunt publicari quòd Dominus noster erat intrusus.* Vide Bzovium an. 1378. §. 17. & Spondan. eod. an. §. 15. Istud tamen factum non est Fundis, ut putavit Mesquinus, sed Anagniæ, ut isthic docet hic auctor, & aliunde certò constat. Nondum enim Cardinales accesserant ad oppidum Fundorum, quippe qui Anagnia non discesserunt ante diem XXVII. ejusdem mensis Augusti, ut legitur suprà pag. 477. Nicolaus Eymerici in tractatu edito adversùs electionem Urbani: *Qui quidem Domini Cardinales palam & publicè in civitate Anagniæ magna cleri & populi multitudine per suas patentes litteras publicarunt ac denunciarunt pu-*

blicè ac denunciare fecerunt per Patriarcham Constantinopolitanum, ipsis omnibus præsentibus, ipsos illum Bartholomæum per metum in constantem cadentem nominasse.

NATIONE ITALICUM] sive Campanum, ut suprà pag. 490. in prima Clementis VII. vita. Hinc ergo videtur ortus error eorum qui eum putarunt fuisse Gallum, natum videlicet in Campania Galliæ provincia. Natus est in ea parte Italiæ quæ Campania dicitur, in qua sitam esse civitatem Fundorum scribit Theodericus à Niem lib. 1. de schismate cap. 9. juxta quam positum fuisse castrum de Itro, unde huic viro nomen, legitur in depositione ejusdem Decani Tirasonensis: *Item dixit quòd dictus Comes* [Fundorum] *habebat comitatum suum in regno Neapolitano, & in dicto comitatu erat una civitas vocata Fundis & unum magnum castrum prope Fundis vocatum Ytro.* Ioannes Villanius lib. 12. cap. 74. ait castellum de Itro situm esse prope Gaietam. quod etiam liquet ex epistola Ioannis XXII. quæ extat apud Vvaddingum tom. 3. in regesto pag. 153. In diario Ioannis Fabri Episcopi Carnotensis ad annum MCCCLXXXV. & diem XIV. Iulii inter literas ab eodem Episcopo Cancellario Siciliæ sigillatas ita scriptum est: *Item une letre pour un nommé Andreas Angeli de Ytro Fundana diocesis, par laquelle Madame le retient en son secretaire.* De Iacobo pluribus agemus infrà in Notis ad vitam Clementis VII. qui eum fecit Cardinalem.

SERMOCINAVIT] In codice 843. sancti Victoris Paris. fol. 177. ista leguntur: *Thema prædicationis seu collationis præcedentis præmissa, In te respiciunt oculi totius Israel ut judices quis sedere debeat in solio tuo. & allegavit 3. Reg. primo capitulo. Dictam collationem fecit Patriarcha Constantinopolitanus habens Ydrontinam archiepiscopalem Ecclesiam in commendam. Quæ collatio fuit facta in linguis Latina & materna dicta die nona Augusti Anagniæ præsentibus prædictis Cardinalibus & aliis pluribus Prælatis in majori Ecclesia.* Ea tamen collatio non extat in codice Victorino, sed ea tantùm quæ descripta isthic ex illo sunt. Hujus collationis sive sermonis mentionem facit Ægidius Bellamera in cap. *Sacris.* de his quæ vi metusve causa fiunt.

P. 471. TUCZILLUM] In expositione missi regii ad Comitem Flandriæ edita to. 4. historiæ Universit. Paris. pag. 520. vocatur Turzillus.

P. 479. IN CATHEDRA] Papiensi, ubi se primatiam cathedram habuisse beneficio Ioannis Galeacii Vicecomitis Mediolanensis restatur ipse Baldus in præfatione commentariorum de feudis. Vide Spondanum an. 1370. §. 6.

EIUS OPINIONES] Itaque Ægidius Bellamera decis. 752. eundem Gregorium vocat lucernam juris civilis, virum utique subtilis ingenii, optimi judicii, & intellectus valde clari, Theodericus à Niem in tractatu sexto Nemoris unionis cap. 39. Licentiatum in legibus, acutum, studiosum in libris, & libenter cum intelligentibus disputantem, literatos diligentem, liberalem, honorabilem, & verecundum, eleemosynarium magnificum in publico & privato, & valde compatientem omnibus afflictis, habentem prudentissimos referendarios ac etiam secretarios mundos & honestos.

COMITANTE EUM EPISCOPO] Hanc historiam referunt etiam Radulfus de Rivo cap. 12. de gestis Episcoporum Leodiensium, Sabellicus enneadis 9. lib. 9. & Trithemius in chronico Hirsaugiensi to. 2. pag. 269.

MATRI PROSTATÆ] Fabula. Mater enim ejus diù antè obierat sub Clementis VI. pontificatu, ut suprà pag. 832. diximus. Itaque alii qui de re ista scripsere antiquitus patrem tantùm, fratres, consanguineos Gregorii XI. commemorant, nulla matris mentione. In codice Harlæano Thomas Episcopus Lucerinus *juratus super animam suam dixit quòd mortuo sanctæ memoriæ Domino Gregorio fuit fama in urbe & communis opinio quòd ex divino miraculo Dominus G. venerat Romam & demum ibidem mortuus fuit, quoniam contra voluntatem omnium Cardinalium & contra infinitas preces ipsorum Cardinalium & Regis Franciæ, fratrum ipsius Regis, necnon contra voluntatem & lacrymabiles preces proprii sui patris & fratrum suorum & omnium consanguineorum & familiarium suorum recessit de Avinione & navigavit per mare tempore hyemali cum maximis periculis & multorum naufragio, & cum maxima devotione venit Romam cum animo & intentione ibi standi & pacificandi statum sanctæ Romanæ Ecclesiæ.* Vide etiam Factum Iacobi de Seva pag. 488. & Theodericum à Niem tractatu 6. Nemoris unionis cap. 39. P. 481.

HIC CONFERENDO] Iam antea pag. 1182. diximus de isto negotio. Quanti autem facienda sit in hoc loco auctoritas istius scriptoris liquet ex fabula de matre Gregorii ab eo contempta.

EO VENIENTE] Puto legendum esse *eo vivente*, id est, Gregorio. Qua de re vide quæ suprà dicta sunt pag. 1199. P. 484.

MIRA SECTA] Vide Radulphum de Rivo cap. 9. de gestis Episcoporum Leodiensium pag. 19. & Trithemium to. 2. chronici Hirsaugiensis pag. 263. P. 483.

ACQUIESCERE RECUSAVIT] Istud certum est, neque negatur. Mirum enimverò non est Urbanum noluisse renuntiare electioni suæ, quem adeo tenacem propositi fuisse P. 487.

ait homo partium ejus Stephanus Episcopus Tudertinus ut cùm ei dictum ab eodem Episcopo fuisset Bandarenses cupere ut electioni suæ renuntiaret propter tumultus Romanorum responderit: *Non cognoscunt me bene. Si tenerem mille spatas ad collum meum, ego non renuntiarem.* Apud Odoricum Raynaldum an. 1378. §. 11. & in codice Harlæano. Neque vacabat exemplo ea responsio Vrbani. Narrat enim de Bonifacio VIII. Thomas Vvalsinghamus quòd cùm captus esset apud Anagniam, eique à Sciarra Columnensi & aliis adversariis ejus ea pacis conditio inter ceteras data esset ut papatui renuntiaret, illum constanter respondisse se vitam potiùs amissurum & lingua Itala dixisse: *Ecce collum, ecce caput.* Sic pari ferme in re concordes fuere duo Pontifices quos Itali scriptores tradunt fuisse crudelissimos.

IN ANAGNIA] Qui tum rumores essent in Italia luculenter explicat Marcellinus de Inghen in epistola scripta ad Vniversitatem Parisiensem, quæ extat in codice 843. sancti Victoris Parisiensis, unde edita est in tomo quarto historiæ Vniversitatis Parisiensis pag. 466.

DECLARATIONE SOLEMNI] Ea reperitur in multis libris manuscriptis. Edita verò est in tomo quarto pag. 468. historiæ Vniversitatis Parisiensis. Cùm illam Cardinales qui Anagniæ erant misissent ad eos qui remanserant Avenione, illi, ut docet continuator Gallicus Nangii, eam in omnibus approbaverunt, in urbe Avenionensi publicari jusseruot, prohibueruntque ne quis Vrbano obediret; uno excepto Cardinale Pampilonensi, qui adhuc sibi deliberandum censuit, ut suprà pag. 940. adnotavimus. Illam Nicolaus Eymerici Inquisitor Arragoniæ testatur in depositione sua se detulisse in Hispaniam. *Cùm autem hic deponens fuit Anagnia, statim subaudivit multa de illa materia. Sed in speciali ad aliquos dies, cùm venissent Domini Cardinales Hostiensis & de Aragonia, clarè audivit ab utroque prædictorum quòd ille Barensis non erat verus Papa. Et post aliquot dies, circa principium Iulii, cùm dictus deponens vellet animo de Anagnia exire & Gaietam ire, metuens Anagniæ remanere, & hoc exponeret Dominis Cardinalibus Gebennensi & Ambianensi, Dominus Gebennensis respondit per hæc verba: Expectetis. Nos intendimus declarare illum hominem qui est in Roma non esse Papam. Velletis vos portare declarationem illam Regibus Hispaniæ? Et dictus deponens: Libenter. Ergo, dixit Dominus Gebennensis, expectetis & portabitis. Qui expectavit & portavit.* Extat in codice 2846. bibliothecæ Colbertinæ oratio ab eodem Nicolao habita ad Regem Castellæ, in qua ait se jussu Cardinalium ad eum detulisse declarationem eorum adversùs Vrbanum, eumque hortatur ut Clementem credat esse verum Papam, non autem Vrbanum. Incipit: *Dico ego opera mea Regi. ps.* XLIV. *Si considerentur scriptura divina. &c.* Quid porrò de illa senserint utriusque partis scriptores habetur expressum ab Henrico de Hassia in cap. 66. & 67. dialogi quem tum de hoc schismate composuit, in quo colloquuntur Clementinus & Vrbanista. Sic ergo loquitur Vrbanista: *Non fuit legitimè declaratum coram judice ad quem pertinebat primò electum non esse Papam antequam procederetur ad electionem secundam. Quare electio secunda invalida videtur: quia nec illi quatuor Cardinales, scilicet Vivariensis, Pictavensis, & sancti Angeli, & sancti Eustachii, qui primò à collegio Cardinalium existentium in Anagnia fuerunt deputati ut discernerent si electio esset valida, & ulteriùs si invalida, an potuerit ex post facto convalescere & validari, habebant in hoc potestatem; nec Camerarii Papa, cujus auctoritate fuit consequenter determinatum, declaratum, sententiatum primum non esse Papam nec rite electum, jurisdictio & potestas ad hoc se extendit, quia nec ex antiquo nec novo juribus haberi videtur quòd Cardinales vel Camerarius Papa habeat potestatem discernendi in casu discordia inter Cardinales de electione, & minùs in casu in quo electio alicujus per Cardinales concorditer in Papam consecrati post longum tempus in dubium revocaretur, sed habet solùm potestatem eos includendi & tenendi in conclavi, etiam in pane & aqua, donec concordaverint.* Ad quæ ita respondet Clementinus: *Camerarius habet ex suo officio procedere contra detentores, violentos occupatores, & usurpatores bonorum Ecclesia. Et in proposito casu ex multis qua apparuerunt habuit vehementem suspicionem quòd Archiepiscopus Barensis erat injustus detentor & occupator bonorum Ecclesia; & accusabatur sibi super hoc. Quare de suo officio ordinario potuit eum citare coram se de hoc responsurum, sicut & fecit, vel saltem potuit facere. Et quia Archiepiscopus citatus legitimè contempsit venire, examinare potuit testes super accusatione & suspicione. Et si inventi sunt testes legitimi, non repulsibiles, secundùm formam juris deponentes, sententiare potuit eum injustum detentorem Ecclesia. Ad quam conclusionem legitimo processu judiciali conclusam sequitur Archiepiscopum Barensem non esse Papam. Igitur publicata sententia prædicta Camerarii, sufficienter est vel esset declaratum & esse deberet omnibus illum non esse Papam, esto etiam quòd Camerarius in casu discordia facta in electione ex officio non haberet potestatem de directo & formaliter judicandi & discernendi hunc vel illum esse vel non esse Papam.* Extat in codice 843. sancti Vi-

ctoris Parisiensis, & in codice 811. bibliothecæ Colbertinæ.

OMNES] etiam Itali, qui Clementis electionem approbarunt, ut ipsimet apud Bzovium an. 1378. §. 18. testantur in eadem epistola scriptæ ad Vrbanum, ubi ista leguntur de electione Clementis: *Cui electioni per nos non extitit contradictum. Cognovimus enim & reputavimus ejus electionem esse canonicam.* Vide suprà pag. 1098. extrema.

VNO EXCEPTO] Francisco de Thebaldeschis Cardinale sancti Petri, qui paulò ante Clementis electionem rebus humanis excessit. Vide suprà pag. 1034.

P. 488. ELEGERVNT CLEM.] Modus electionis ejus sic describitur in depositione Petri de Crosso Archiepiscopi tum Arelatensis & Camerarii Papæ: *Item quòd tres Cardinales Italici accesserunt ad villam Fundorum super tractatu electionis, & quilibet ipsorum præsumebat quòd eligeretur in Papam. Et cùm una die omnes Cardinales & illi tres Italici intrarent consistorium, iste Camerarius custodiebat portam. Et tunc dixit Dominus Cardinalis Lemovicensis Domino Cardinali Florentino quòd inciperet propositionem, quia ad eum spectabat, cùm esset Prior Episcoporum Cardinalium. Et excusavit se Dominus Florentinus. Tunc incepit sic Dominus Lemovicensis: Quia video quòd Gallici vellent Gallicum, & Italici similiter Italicum, ego non nomino Gallicum nec Italicum, sed nomino & eligo alium, qui non est Gallicus nec Italicus, scilicet Dominum Robertum Cardinalem Gebennensem, qui est de natione Alemannia. Hunc eligo in summum Pontificem. Tunc successivè, nemine discrepante, omnes Cardinales elegerunt eum, exceptis prædictis tribus Cardinalibus Italicis.* Ipse verò Clemens repugnabat & nolebat esse Papa. Testatum istud in sua depositione reliquit, qui tum præsens erat, Hugo Cardinalis de Britannia: *Item dixit quòd quando fuit nominatus per omnes prædictos Cardinales in Papam ipse Clemens remanebat plorando & excusans se quòd expediebat eis habere alium & supplicando quòd alium præficerent.* Testimonium istius Cardinalis, quamquam non admodum egeat confirmatione, confirmat tamen expositio rerum in initio schismatis gestarum, quam ex veteri codice monasterii Gemmeticensis editam legere licet in tomo quarto historiæ Vniversitatis Parif. pag. 522. *Sed è contrà D. Cardinalis Gebennensis, præsentibus omnibus Cardinalibus in civitate Fundorum, præsentibus siquidem omnibus Cardinalibus Italicis & aliis, nullo deficiente nisi Domino S. Petri infirmo ea infirmitate magna qua & mortuus est. Qui videns se sic electum secundùm canonicas sanctiones renuit toto posse, allegans se defectuosum, impertum, & insufficientem cum maxima humilitate, ita quòd præsentes provocabat ad fletum.* Sic itaque facta electio ita placuit universis ut etiam sanctus Vincentius Ferrarius ordinis fratrum Prædicatorum, cujus nomen extat eum laude in Martyrologio Romano, non dubitaverit asserere in tractatu quem de hoc schismate scripsit anno MCCCLXXX. quemlibet Christianum de necessitate salutis teneri firmiter & determinarè credere Clementem esse verum Papam, eo videlicet sensu quo Iacobus Brovverus ex eodem ordine Prædicatorum anno MDCXXI. edito Duaci libello probavit divina fide credendum esse Paulum V. esse summum maximumque Pontificem.

AD IPSIVS PERSONAM] Eædem causæ quæ olim moverant electores Papæ ut Callistum II. locarent in sede Petri ad dejiciendum Gregorium VIII. cognomento Burdinum Archiepiscopum Bracarensem, eædem nunc Cardinales impulerunt ut hunc Clementem VII. eligerent ad dejiciendum Vrbanum VI. vocatum antea Bartholomæum Archiepiscopum Barensem. Erat Callistus è regali stirpe oriundus, Regum & Augustorum consanguineus, Ducum frater, præterea magnæ tum auctoritatis; ac propterea electus est ab iis qui sperabant se per illius potentiam, ut Vvillelmus Malmesburiensis ait, Imperatoris viribus, cujus præsidio Gregorius VIII. fovebatur, obniti posse. Itidem Cardinales istius temporis, cùm viderent potentiam Vrbani firmatam lapsu temporis invalescere & Ecclesiam egere viro forti & magnæ auctoritatis ad eum deturbandum de sede quam is injustè, ut ipsi putabant, occupabat, in hunc Clementem conjecerunt oculos; qui, præter proprias easque insignes virtutes, gradu consanguinitatis vel affinitatis attingeret ferè omnes majores Principes Christianos, ut ait auctor hujus vitæ, seu, ut ait Episcopus Reatinus in sua depositione, quia multorum aliorum Principum & potentum in seculo consanguineus erat vel affinis. Diversa tamen fuit Callisti & Clementis fortuna. Callistus enim Gregorium devicit ac triumphavit. Vrbanus eum auxilio eorum qui partes ejus fovebant restitit Clementi.

VLTRA MERITA SVA] Etiam Vvalsinghamus, capitalis inimicus Clementis, agnoscit illum fuisse virum nobilitate generis præclarum & scientia literarum non minùs spectabilem; neque illum alicujus sævi criminis arguit, nisi quòd ait eum genus & scientiam perfidia maculasse cùm recessit ab Vrbano. Quod mirum non est scriptum fuisse ab homine Anglo, ob idque Vrbani partibus addictissimo, quia Galli adhærebant Clementi. Ea sola ratio tum bona erat apud Anglos.

DISPOSITVS AD LABOR.] *id est, ad miscendam Dei Ecclesiam*, ut isthic ait optimus paraphrastes Odoricus Raynaldus an. 1378. §. 56. qui mox adversùs Clementem repetit accusationem de sanguine fuso, cui suprà pag. 1084. responsum abundè est. Omnes Vrbanistæ apud hunc auctorem sunt viri sancti & immaculati, omnes Clementini mali homines & omnium scelerum & flagitiorum colluvie commaculati. Clemens, qui ab omnibus laudatur, vir mitis, affabilis, benignus, proscinditur ubique à Raynaldo. Vrbanus, homo ebrietati deditus, furiosus, ac per intervalla insanus, crudelis, immanitate barbarus, laudibus ab eo effertur in cælum. Homine imperito nunquam quicquam injustius. Hæc enim Terentii verba interdum repetenda sunt adversùs scriptorem tam malè sanum. Quantas ille tragœdias excitasset, si scivisset nugas quæ adversùs Clementem confictæ tunc sunt ab adversariis ejus, quas dicendi faces non adhibuisset? Afferam ego has ineptias, ne iis postea utantur qui Raynaldo similes esse maluerint quàm hominibus bonæ mentis. Sic ergo legitur in oratione quam Guido Cardinalis de Maleseco habuit ad synodum Cameracensem: *Nonne etiam illi adversarii Dei & Ecclesiæ falsissima miracula confinxerunt ad simplicem populum magis seducendum? Nonne dixerunt publicè quòd Dominus noster Papa Clemens statim quando ab intruso recessit habuit signum tahau impressum in facie, & hoc multis Regibus & Principibus per suas literas conscripserunt, de cujus contrario per aspectum sui vultus evidenter apparet? Nonne publicaverunt publicè quòd in prima Missa quam celebravit corpus Christi affugit ab altari, cujus contrarium per duo milia testium ut ex testimonio qui in electione & coronatione ipsius præsentes fuerunt manifestissimè probaretur?*

P. 489. ANTICARDINALES] Robertus Gervasii Episcopus Senecensis in tractatu de schismate fol. 7. *Ipse verò Bartholomæus tanquam fatuus & apostaticus & pseudoapostolus fecit sibi alios Cardinales.* Hi fuere numero XXIX. ut omnes ferè consentiunt. Theodericus tamen à Niem lib. 1. de schismate cap. 12. Radulphus de Rivo cap. 12. de gestis Episcoporum Leodiensium, & Onuphrius Panuinius in secunda epitome nonnisi XXVI. creatos fuisse aiunt, illos haud dubiè prætermittentes qui hunc honoris gradum accipere noluerunt ab Vrbano. Sed non una est omnium sententia de iis qui in hunc ordinem adscripti sunt. Etenim Contelorius inter eos numerat Philippum Carafam, Guillelmum Cardinalem sancti Eusebii, Ludovicum sanctæ Mariæ novæ, & Episcopum Tiburtinum, qui omittuntur à continuatore Gallico Nangii. Contrà continuator ille nominat, à Contelorio prætermissos, Episcopum Paduanum, Episcopum de Tuille, (quo tamen modo vocatam tum fuisse Tiburem docet codex 822. bibliothecæ Colbertinæ fol. 76.) & Archiepiscopum Salernitanum. Inter eos verò nonnulli sunt à nobis non leviter prætereundi, Bonaventura videlicet de Padua, Nicolaus Misquinus, Ioannes de Aurelia, Raynulphus de Monteruco, Philippus de Alenconio, & Agapitus Columna. Meminit istius Cardinalium creationis Thomas Episcopus Lucerinus, qui ait in depositione sua illam factam esse ab Vrbano ante electionem Clementis. *De quorum creatione*, inquit, *statim ivit novum usque Fundos. Quo facto, illi ultramontani fuerunt de creatione tot Cardinalium, non solùm indignati, imò & dolore maximo totaliter excæcati, & desperati ulteriùs de gratia Domini nostri. Quare videntes quòd non erat eis possibile per eorum industriam vel potentiam ducere papatum verum secum, ultramontani maximo dolore turbati & diabolico dolore confusi si ibant ultra montes sine capite &c. cogitarunt facere unum Antipapam, & tenentes hoc secretè simularunt unum consilium &c.* ut suprà pag. 1051. Falsi sunt ergo vehementer Radulphus de Rivo cap. 12. de gestis Episcoporum Leodiensium & Onuphrius Panuinius in secunda epitome scribentes hanc primam Cardinalium creationem ab Vrbano factam esse post electionem Clementis VII.

Fratrem BONAVENTURAM PADUANUM Augustinensem, de quo suprà pag. 1047. dictum est, factum fuisse Cardinalem ab Vrbano satis constat. Quidam hunc honorem ei habitum scribunt anno MCCCLXXVIII. alii sexennio tardiùs. Oldoinus verè scripsit id contigisse primo anno pontificatus Vrbani, & tamen ejus cooptationem in sacrum collegium rejecit in annum septimum. quòd mihi prorsùs absonum visum est. Extat in codice Harlæano depositio ejus super facto schismatis, in qua cùm se addictum esse partibus Vrbani ostendat, modestè tamen id facit. Immo in primo articulo non obscurè innuit violentam fuisse cupiditatem Romanorum pro retinendo summo pontificatu in Italia. Sic enim illic scriptum est: *Post mortem Domini Gregorii Papæ Romani consilia tenuerunt qualiter se haberent ut curia penes Italiam remaneret. Et quidam Doctor consulebat quòd fuissent nominati quindecim boni Prælati de Roma & de partibus Italiæ. Sed illud consilium non habuit effectum. Postea tenuerunt aliud consilium. Et iste Dominus Cardinalis, qui tunc erat Generalis Heremitarum, fuit ibi vocatus, & dixit in consilio quòd videbatur sibi quòd Romani non deberent curare utrum esset Romanus vel Italicus, sed solùm supplicarent quòd Papa rema-*

neret penes istas partes Italiæ propter consolationem urbis & Italiæ. Sed nescit quem modum postea tenuerunt Romani. Prædictus Cardinalis dixit etiam quòd Romani debebant esse contenti de quocunque Pontifice, undecunque esset, verumtamen quòd creato Pontifice poterant supplicare sanctitati suæ ut placeret eidem residentiam facere in civitate Romana, quia honestius erat summum Pontificem residere in sua sede quàm per civitates alias evagari. Sed nescit quem modum postea tenuerunt Romani. Et statim additur: *Item dixit eisdem Romanis prædictus Cardinalis quod nullo modo dicerent verba nec facerent facta seu signa prætendentia violentiam vel impressionem. Nam per ista posset electio variari.*

NICOLAUM quendam fuisse factum Cardinalem ab Urbano certum est, & plerique omnes tradunt illum esse ortum ex gente Caracciola & promotum ad dignitatem magistri generalis ordinis fratrum Prædicatorum. Alii eum vocant Nicolaum Mesquinum, continuator Gallicus Nangii Mesquinum de Neapoli. Nicolaum tamen Urbani Cardinalem vocatum fuisse de Cremona tradit auctor omni exceptione major Ægidius Bellamera in cap. *Dilecti filii.* de libelli oblat. ubi sic legitur: *Fuit tamen apertè mihi responsum per Dominum Nicolaum de Cremona tunc meum coauditorem & nunc Bartholomæi intrusi anticardinalem.* Idem in sua depositione dixit se in tumultu Romanorum deposuisse partem bonorum suorum *penes Dominum Nicolaum de Cremona tunc palatii apostolici auditorem.* Fuisse sanè tum aliquem istius nominis auditorem contradictarum fidem facit Iacobus Camerarius Cardinalis sancti Petri in sua depositione: *Et sunt in illo instrumento nominati quatuor testes, Dominus Corsiensis Cardinalis & Dominus Nicolaus de Cremona auditor contradictarum.* Rectè ergo Ægidius Bellamera, qui se in ipso statim initio depositionis suæ vocat audientiæ literarum contradictarum Domini Papæ auditorem, eum vocavit coauditorem suum. Ex his insurgit duplex difficultas. Prima, an Nicolaus de Cremona sit confundendus cum Nicolao quem vocant Mesquinum. Altera, utrum verum sit hunc Nicolaum fuisse factum Cardinalem ab Urbano in illa Cardinalium creatione cui parem nullus unquam Romanorum Pontificum fecit præter Leonem decimum. Ad primam difficultatem dici potest Nicolaum de Cremona omnino distinguendum esse à Mesquino, cùm Mesquinum constet fuisse constitutum in statu regulari, Nicolaum in seculari, ut vocant.. Quoad aliam verò affirmari potest nihil certi posse constitui. Ego tamen huc valde inclino ut quoniam nomen Nicolai de Cremona apud neminem eorum invenio qui texuerunt catalogum Cardinalium primæ creationis, & ex depositione Iacobi Camerarii, quam is Romæ constitutus dedit legatis Regis Castellæ anno MCCCLXXX. die XII. Iulii, constet illum non fuisse tum Cardinalem, sed auditorem contradictarum tantùm, existimem illum neque in prima Cardinalium creatione neque in secunda, quam Urbanus fecit ante mensem Iulium anni proximè dicti, uti ex bulla Clementis VII. docet Contelorius, factum esse Cardinalem, sed in alia quapiam. In oratione quam Franciscus de Urbino Episcopus Faventinus habuit coram Rege Castellæ anno MCCCLXXX. die XXV. Novembris, cùm enarratur discordia Cardinalium ante ingressum conclavis, & quomodo ex ea discordia factum est ut Lemovicenses cogitarint de eligendo Bartholomæo Archiepiscopo Barensi, ita legitur: *Item quia Dominus Pictavensis ad hoc requisivit Dominum sancti Petri mediante persona Domini mei Reverendi Domini Nicolai de Cremona nunc Episcopi Brixiensis utriusque dictorum Dominorum Cardinalium socii & familiaris.* Factus est ergo Episcopus Brixiensis anno MCCCLXXVIII. exeunte. Inde anno MCCCLXXXII. translatus est ad Ecclesiam Beneventanam, & biennio pòst ad Neapolitanam, ut ait Ughellus. Illum ego facilè crederem factum esse postea Cardinalem, cùm videatur esse idem cum eo quem Bellamera laudat, ni obstaret epitaphium ejus, in quo nulla mentio cardinalatus. Nisi si ille in parte Urbani fecit quod in parte Clementis fecit Ioannes Rolandi Episcopus Ambianensis: qui tametsi Clementi adhæreret, insignia cardinalitia sibi ab eo oblata rejecit, & nunquam se dixit Cardinalem, ut patet ex ejus epitaphio. Plura de homine illo non inveni. Interim nobis debent Itali quòd è tenebris eruimus Cardinalem Italum ipsis hactenus ignotum.

NICOLAUS MESQUINUS, de quo suprà pag. 1050. actum est, erat religiosus ordinis Prædicatorum, notus & carus Ioannæ Reginæ Neapolitanæ. Testatur ipse in depositione sua se fuisse Neapoli quum illuc allatus est nuntius de electione Urbani, & tum Reginam sibi dixisse: *Gaude, quia jam habemus Papam qui exaudiet nos, & faciemus te Episcopum. Cui respondi: Domina, vos poteritis me facere etiam Cardinalem.* Postea profectus est Romam, ubi se fuisse testatur in septimana in albis, tumque nullum in urbe dubium fuisse de papatu Urbani, cùm omnes Cardinales ei plenam obedientiam exhiberent. Deinde rediit Neapolim; eratque Gaietæ mense Augusto. *Postea ad paucos dies*, inquit, *recessi à Gageta veniens Romam de mense Septembris; ubi antequam possem loqui Domino nostro factus sum Cardinalis*, nimirum tituli

sancti Cyriaci, ut ipse se vocat in subscriptione ejusdem depositionis. Fuisse eum Inquisitorem hæreticæ pravitatis in regno Neapolitano jam alii tradidere. Quod confirmari posse videtur ex eo loco depositionis ejus in quo loquens de primo suo itinere Romano ait: *Item Dominus de Luna obtinuit à Domino nostro committi causam meam de officio inquisitionis Domino de Mediolano.* Ceterùm errant qui eum scribunt fuisse Archiepiscopum Messanensem, ut etiam animadvertit Rocchus Pirrus in Notitia secunda Ecclesiæ Messanensis pag. 353.

IOANNES ARCHIEPISCOPUS CORFIENSIS sive Corcyrensis vocatus fuit de Aurelia, ut fidem facit Ægidius Bellamera in cap. *Dilecti filii.* de libelli oblatione: *Dominus Ioannes de Aurelia tunc Archiepiscopus Corfensis, & nunc anticardinalis Bartholomæi.* Nescio autem an hinc colligi possit eum, qui ex curia Avenionensi Romam venerat, fuisse natione Provincialem, cùm videam in diario Ioannis Fabri Episcopi Carnotensis fuisse tum circa Arelatem locum quendam vocatum Aureliam, vulgò *Aureille*, quem constat situm esse æquali ferme spatio inter Arelatem & Avenionem. Anno MCCCLXXX. die Mercurii nona Februarii Romæ apud sanctam Mariam Trans-Tyberim idem cum ceteris Cardinalibus communicavit de manu Vrbani VI. ut docet Petrus Amelii in tomo secundo Musei Italici pag. 515.

RAYNULPHUS DE MONTERUCO, ut suprà pag. 975. dictum est, erat nepos Petri de Monteruco Cardinalis Pampilonensis. Filius enim fuit Stephani de Monteruco, quem constat Petri Cardinalis fratrem fuisse. Ipse literarum studiis operam navavit in academia Montispessulani, in qua donatus est gradu Doctoris in jure canonico. Postea factus est Canonicus Toroacensis, deinde Episcopus Sistaricensis anno MCCCLXX. VII. Kal. Februarii, ut docet regestum Vrbani V. in quo notatum est Ecclesiam Sistaricensem fuisse tum vacantem per obitum Gerardi. Extincto demum Gregorio XI. cùm Raynulphus audivisset Bartholomæum Archiepiscopum Barensem, contubernalem videlicet avunculi sui, factum esse Papam, ad eum se contulit; à quo factus est Cardinalis & Locumtenens avunculi in cancellaria, uti suprà pag. 938. & pag. 1118. ostensum est. Quare Contelorius immeritò reprehendit Ciaconium propterea quòd hunc Raynulphum vocaverit Regentem cancellariæ, cùm eum non fuisse simplicem Regentem, sed Vicecancellarium, constet, ut ait Contelorius, ex investitura regni Siciliæ facta Regi Carolo per Vrbanum VI. anno MCCCLXXXI. die prima Iunii. Sanè verum est eum illic vocari Vicecancellarium, sed per abusionem, quia cancellariam verè regebat, uti suprà pag. 584. & 638. observavimus quosdam olim apud Francos fuisse vocatos Cancellarios qui re vera non erant Cancellarii. Bulla porrò Vrbani VI. de investitura regni Siciliæ extat apud Odoricum Raynaldum an. 1381. §. 2. Heredem scripsit Raynulphus Mariam de Monteruco neptem suam, filiam videlicet Petri fratris sui, nuptam anno MCCCCXVI. Francisco Guillerio nobili Lemovicensi, uti suprà pag. 935. dictum est. Errat porrò Frizonius pag. 443. scribens illum fuisse absentem eo tempore quo factus est Cardinalis. Falsò item de illo explicat locum quendam obscurum ex chronico Pisano.

PHILIPPUS DE ALENCONIO Regum Franciæ alto è sanguine satus, filius Karoli II. Comitis Alenconii & Mariæ de Hispania ex ramo eorum qui de Cerda cognominabantur, anno MCCCLVI. datus est antistes Ecclesiæ Bellovacensi; cujus possessionem personalem adeptus est die XXIV. Martii anni sequentis, nondum consecratus. Inde anno MCCCLIX. transfertur ad Rothomagensem. Vulgò traditur illum incurrisse in odium Karoli V. Regis Francorum ob negatam propter incapacitatem personæ præbendam Ecclesiæ Rothomagensis cuidam clerico quem Rex eidem commendaverat, & cùm hanc repulsam Rex ægrè ferret, ac propterea injuriam suam ulturus temporalitatem, ut vulgò loquuntur pragmatici, archiepiscopatus Rothomagensis sub manu sua posuisset, Philippum interdicto ecclesiastico subjecisse eam regionem, hincque consecutum odium illud Karoli, tum verò Philippum coactum regno excedere, Romam se contulisse, illicque factum fuisse Patriarcham Hierosolymitanum. Ita quidem vulgò traditur, sed nullis testimoniis confirmatur. At ego in veteri chronico Normanniæ MS. in codice 1424. bibliothecæ Colbertinæ reperi aliam historiam multò, ut mihi videtur, probabiliorem. Illic ergo scriptum est Regem Karolum misisse Rothomagum anno MCCCLXXI. quendam Ballivum vocatum Oudardum de Atenvilla vel Attanvilla: quem quidam dicebant filium ejus nothum esse, virum audacem & ecclesiastico ordini natura infensum, illum ipsum nimirum quem in literis Ioannis Ducis Biturigum datis apud Villamnovam prope Avenionem anno millesimo CCCLXXXV. mense Februario, quæ extant in veteri regesto senescalliæ Nemausensis, reperio fuisse tum judicem criminum apud Tolosam, Ballivum propterea juxta modum loquendi Francorum vocatum ab auctore vitæ Karoli VI. apud quem legitur illum in ea urbe eduxisse è carcere *quendam nomine Oudardum de Attanvilla, virum utique pruden-*

tem & in judiciis expertum, quem in urbe Ballivum constituerat, & qui biennio in ergastulis Archiepiscopi detentus fuerat. Hioc ergo accepit Ioannes Iuvenalis de Vrsiuis quæ de hoc viro scripsit in historia ejusdem Karoli pag. 77. editionis regiæ. Denique eo usque progressa est discordia intee Oudardum & Philippum Archiepiscopum, illo turbante rem ecclesiasticam, alio eam propugnante, ut cùm nullus revocandæ inter eos concordiæ modus videretur posse reperiri, amici Pbilippi destioaverint occidere Ballivum. Sed Philippus prohiboit. Interim Oudardus Regi persuasit res suas pessumdatum iri in Normannia quandiu Philippos illic esset Archiepiscopus. Quam ob rem vehementer adversùs eum commotus Karolus Papam Gregoriom XI. oravit ot illum à Rothomagensi cathedra remotum in aliud regoum transferret; idque Gregorius fecit, ac patriarchatum Hierosolymitanum ei dedit; quod exiguum beneficium erat pro tanto viro, ut ait auctor chronici Normanniæ suprà laudatus. Vacabat autem tum, ut videtur, Ecclesia Hierosolymitana per obitum fratris Guillelmi Militis ordinis Prædicatorum, quem Vrbanos fecerat Patriarcham Hierosolymitanum anno MCCCLXX. x. Kal. Iulii. Deinde anoo MCCCLXXIV. idem Gregorius Ecclesiam Auscitanam eidem Philippo commendavit per eum quandiu viveret & eidem Hierosolymitanæ Ecclesiæ præesset tenendam, regendam, & etiam gubernandam. Verùm quia post mortem Gregorii Philippus in partes Vrbani VI. transgressus est, Clemens VII. eam commendam revocavit, & Ecclesiæ Auscitanæ præfecit Ioannem Flandrioi, uti suo loco dicemus. Sed antè qoàm ista sie fieteot, cùm sedata fuisset ira Regis, ad quem propterea scripserat Papa Gregorius, & idem Rex ab eo postularet uti Patriarcham Gradensem faceret Cardioalem, patriarchatum verò Gradensem daret Philippo, rescripsit Gregorius anno MCCCLXXVII. die XII. Decembris non cogitare se de creandis Cardinalibus, multò minùs de Patriarcha Aquileieosi in eum gradum evehendo, tum propter ejus ætatem, tum propter alias causas, neque conveniens esse ut de beneficio non vacante sponsionem faciat. Quam Gregorii epistolam vidisse etiam Spondanum constat ex his quæ ipse scribit ao. 1377. §. 21. ubi de hoc Philippo agit. Vrbani itaque, uti diximus, partes amplexus Philippos, ab eo factus est Cardinalis anno MCCCLXXVIII. die XVIII. Septembris; idque factum ab Vrbano idem Spondanus an. 1378. §. 21. suspicatur qoò sic Karolum Regem Francorum demereretur, seu nondum Philippus Regi plenè reconciliatus Romam confugerit ad Vrbanum, cui sciebat Regem adversari. Ego facilius crediderim Vrbaoum nobilitate viri permotum, tum etiam fortassis ut gratiam Regis eo facioore sibi conciliaret, Philippum dignitate cardinaliria ornasse. Puto enim eum non vidisse Regem ab eo tempore quo è Gallia primùm excessit, & semper mansisse in curia Romana. Fuit autem ille addictissimus Vrbano, ut patet ex relatione Roderici Bernardi ad Regem Castellæ de his quæ missus ab eo egerat Romæ & apud Avenionem. Sic enim illic scriptom est: *Præterea Dominus de Alanconio &c.* ut suprà pag. 1110. usque *super isto negotio. Item subsequenter addidit quòd nos alii dabamus capitula & positiones & articulos Senatori & aliis Bandarensibus super facto electionis & aliis contingentibus tunc, & mirabatur de prudentia nostra quare ista faciebamus, & quis constituit nos judices in isto negotio. Ad ista respondimus quòd primo electo supplicavimus ut daret nobis licentiam ut informaremur de veritate gestorum hic in urbe, & ipse concessit nobis, & dedit nobis officiales ad citandum quos vellemus, & ex permissione istius primi electi faciebamus ista. Attamen non dedimus articulos nec capitula super ista materia nisi Senatori Iohanni Sanchii, qui dixit nobis quòd daremus sibi capitula super quibus volebamus informari. Et quia aliter non poteramus ab eo habere informationem gestorum, sibi dedimus aliqua. Veruntamen si primus electus & ipse nolebant quòd reciperemus informationem gestorum hic in urbe, ubi fuerat electio celebrata, quòd sequenti die recederemus cum galea. Tunc fuit pacificatus dictus Dominus Cardinalis de Alanconio; qui propter honorem vestræ serenitatis fuit nobis gratiosus & curialis in aliis, sed in materia scismatis erat odiosus nimis & multùm rigorosus.* Destinatam ei fuisse legationem Flandriæ ab Vrbano in initiis sui pontificatus testatur frater Meoendus Episcopus Cordubensis apud Odoricum Raynaldum ao. 1379. §. 46.

Anno MCCCXCI. ioterfuit canonizatiooi sanctæ Brigidæ de Suecia, ut docet Petros Amelii in libro de ceremoniis S. R. E. cap. 153. pag. 537.

Extant in codice 842. sancti Victoris Parisiensis epistolæ tres istius Cardinalis ad Vniversitatem Parisiensem in causa schismatis, cum responsoria ejusdem Voiversitatis. Ex eo verò codice editæ sunt omoes in tomo quarto historiæ ejusdem Vnivetsitatis pag. 705. 725. 785. Priores duæ scriptæ sunt anno MCCCXCI. tertia anno sequenti.

AGAPITUS COLUMNA oobilis Romanus, vir memorabilis, factus Cardinalis ab Vrbano VI. deliberavit aliquandiu an assentiretur. Hæc sunt verba Stephani Episcopi Tudertioi de eo: *Dominus noster in sancta Maria de Transtiberi creavit & fecit* XXIX. *Cardinales; inter*

inter quos fuit Dominus Agapitus de Columpna, qui omnino acceptare & venire recusabat, allegando quòd nolebat se intromittere, sed volebat stare in pace; tamen semper dicebat quòd credebat istum esse verum & verissimum Papam pro eo quòd quasi ab omnibus Cardinalibus audivit tam in urbe quàm in Anagnia istum esse verum Papam. Nolente venire Domino Agapito nec acceptante, post multas literas scriptas & multos missos nuncios ad eum, de mandato Domini nostri oportuit me ire ad eum. Et me in Zagarolo existente, ipse convocavit consanguineos suos & consuluit eos quid esset facturus, aut ne ire Romam, aut remanere ibidem. Et habito de fero consilio ab eis, bona facie dixit mihi: Cras de mane respondebo tibi. De mane, quasi in aurora, dum eram in camera & dicebam laudes, unus venit ex parte Domini quòd irem ad eum. Tamen ipse, postquam fuit pronuntiatus, semper stetit sine annulo, & nullum actum episcopalem exercebat. Me eunte ad eum, incepit plorare, & dixit: Domine Tudertine, ego confido de te tanquam de me ipso. Iste mane celebravi, & juro per ista evangelia Dei quòd ego teneo & reputo istum Vrbanum verum & verissimum Papam; sed pro nunc ego non intendo intrare mare magnum. Statim istis dictis recessi ab eo, & omnia Domino nostro per ordinem reportavi. Post hac Romani miserunt ambaxiatores eorum ad dictum Dominum Agapitum quod contemplatione populi ipse deberet acceptare & Romam venire. Et super hoc venerunt ambaxiatores Imperatoris, & miserunt ad eum ex parte Imperatoris. Et tunc ipse acceptavit, & venit Romam, & cepit capellum, & stetit & stat tanquam Cardinalis. Addit Thomas Petra eidem Agapito apud Zagarolum talia à Cardinale Gebennensi revelata fuisse in secreto de assumptione Vrbani propter quæ idem Dominus Agapitus acceptavit capellum, aliàs non accepturus. In depositione Alvari Martini, post narrationem de Cardinalibus ab Vrbano creatis & de electione Clementis, ita legitur: *Cùm essemus in limine recessus deliberavimus videre Dominum Agapitum de Columpna, qui fuerat ab Vrbano Cardinalis creatus & nondum acceptaverat, licèt Romani quòd acceptaret multùm instarent; & ivimus Zagarolum, ubi ipse erat. Qui ob honorem Domini nostri Regis, cujus anima requiescat, & propter honorem Domini nostri Regis tunc infantis, cui ab eodem eramus specialiter commendati, multùm gratanter nos recepit in suis domo & mensa. Et cùm de materia ista loqueremur, dixit nobis qualiter Romani, specialiter illi de Columpna, instabant penes eum ut cardinalatum acceptaret, & quòd Dominus Gebennensis & Cardinales antiqui ei oppositum suadebant, & arguit ad utramque partem. In fine petebat à nobis quid nobis videretur quid esset sibi faciendum. Dominus Giennensis dixit quòd illud quod ipse petebat à nobis nos veneramus quærere ab eodem. Ego in effectu dixi quòd expectaret donec materia magis aperiretur.* Ex his ego colligo Agapitum fuisse dubium animi quis ex duobus contendentibus de papatu meliorem causam haberet, & ideo diu deliberasse cui se adjungeret, sed tandem vicisse amorem patriæ; cujus rei tantam vim, tantam esse naturam ait Tullius ut Ithacam illam in asperrimis saxulis tanquam nidulum affixam sapientissimus vir immortalitati anteponeret. Extat in codice 758. bibliothecæ Colbertinæ istius Agapiti, dum erat Archidiaconus Bononiensis, sermo de conversione sancti Pauli, & epistola ad Guillelmum Abbatem sancti Pauli de urbe.

SOLUS ENIM] Quippe olim mos erat, quemadmodum legitur in capite 116. ordinis Romani qui vulgò tribuitur Iacobo Gaietano & in ceremoniali Augustini Patricii Picolominei, ut die Mercurii quatuor temporum Papa in consistorio quæreret à Cardinalibus an expediat fieri creationem novorum Cardinalium, ab eisque præterea quærebat de quanto numero videretur eis faciendum. At Vrbanus, qui desertus ac derelictus erat ab omnibus Cardinalibus, illos consulere non poterat. Itaque solus & absque quocunque Cardinali istam XXIX. Cardinalium creationem fecit. Hac ratione usos esse fautores ejus testatur Franciscus Zabarella Cardinalis in libro de schismate, ubi ait ex illorum sensu Vrbanum fuisse eo tempore in possessione papatus. *Vnde ab eo*, inquit, *non potuerunt discedere Cardinales; & ipse, tanquam existens in possessione papatus, potuit alios creare.* Verùm hæc non sunt omnino vera. Tametsi enim ille nondum haberet adversarium, non erat tamen tum in possessione pacifica papatus, cùm diu antè Cardinales publicè declarassent illum esse intrusum in papatu & apostaticum. Itaque remanet adhuc eadem difficultas.

ACCIPERE RENVERVNT] Quatuor illos fuisse scribit Contelorius, nimirum Petrum de Barreria, Gunterium Gometii, Leonardum de Giffono, & Stephanum Sanseverinatem. Sed id de Gunterio falsum esse videbimus postea. His codex MS. monasterii sanctæ crucis in Hierusalem laudatus ab eodem Contelorio addit Guillelmum Courtenaium ab Herefordia Episcopum Londinensem. Sanè Vvalsinghamus ait illum inter ceteros Vrbani Cardinales fuisse electum, sed non ait recusâsse hunc honorem. Infrà videbimus Nicolaum quoque de sancto Saturnino ex eorum numero fuisse qui recusarunt.

DIMISERVNT] nimirum Pileus de Prata, Galeotus Tarlatus de Petramala, Gu-

terius Gometii, & Nicolaus de sancto Saturnino. De iis agemus infrà. Quoad Stephanum de sancto Severino, quem Contelorius testatur legisse se in depositionibus testium super electione Vrbani VI. rubeum galerum deposuisse præsente Ioanna Regina Siciliæ & uxorem duxisse, nihil aliud afferre possum præter testimonium fratris Angeli ministri generalis ordinis fratrum Minorum, qui huic rei testimonium perhibet, sed nullam matrimonii ilTius mentionem facit. Hæc sunt ejus verba ex epistola ad Regem Castellæ scripta anno MCCCLXXX. die XXIX. Maii : *Item vidi & præsens fui quando Dominus Stephanus de sancto Severino de majori prosapia regni in castro Ovi regnali sponte primò per sindicum & procuratorem, postea ipse oraculo vivæ vocis coram Regina & multitudine populi copiosa renunciavit capello quem receperat à Bartholomæo quondam Barensi, & in manibus Reginæ fuerunt posita novem bullæ tam anticardinalatus sui quàm beneficiorum multorum quæ recepit ab eodem.* Carolus de Vr Cardinalis sancti Georgii in tractatu adversùs Cardinales Concilii Pisani : *Item ex hoc vidimus etiam aliquos ex Anticardinalibus Italicis dimittentes dictum Vrbanum, se reduxerunt ad obedientiam Domini Clementis. quod à contrà factum minimè reperitur.* Rectè. Nullus enim ab obedientia Clementis recessit ut se transferret ad Vrbanum. Excipiendus est tamen versatilis ille Cardinalis Pileus de Prata, qui ab Vrbano dissociatus, Clementis partes aliquandiu secutus, postremò se solita levitate convertit ad Bonifacium IX.

ACCEPTANDO] Quippe Vrbanus XXVI. *Cardinales una die creavit, existimans fortè quòd de tanto numero eorum aliqui Cardinales hujusmodi fastigium acceptarent, prout nec ipsum fefellit opinio,* ut ait Theodericus à Niem lib. 1. de schismate cap. 12.

P. 490. IACOBVM DE ITRO] Iam monuimus suprà pag. 1233. falli eos qui putant illum fuisse natione Gallum. Initium dignitatum & honorum illi fuit episcopatus Isclanus in regno Neapolitano, è quo ad Marturanensem in Calabria translatus est anno millesimo CCCLIX. factus postea Archiepiscopus Hydruntinus anno millesimo CCCLXIII.

Anno MCCCLXVII. in quadragesima erat in regno Neapolitano cum Ægidio Albornotio Cardinale, quem Bzovius an. 1366. §. 6. docet Siciliæ Legatum fuisse, & quem ipse Iacobus ait ad reformationem ejusdem regni opportunissimè destinatum esse. Illic ergo in celeberrimo conventu, *in generali parlamento regni,* ut ad Vrbanum V. ipse scripsit, orationem coram Ioanna Regina & eodem Legato habuit jussu Prælatorum, ex qua facilè colligitur illum non mediocriter fuisse versatum in studiis bonarum literarum. Sunt autem in oratione illa quædam loca quæ mihi visa sunt notatu digna. Nam ibi dicitur : *Dico & cum cordis amaritudine quòd in regni hujus locis nonnullus sunt hæretici, qui utinam soli cæci essent, sed duces cæcorum effecti, publicè dogmatizant Dominum nostrum Vrbanum non esse verum Papam multosque prædecessores suos veros Romanos Pontifices non fuisse, consequenter & vos, Pater Reverendissime, verum Cardinalem nec sedis apostolicæ quoquo modo Legatum, nos alios ordinatos seu promotos ab eo consequenter, alios à nobis hæreticos esse.* Et infrà ad Reginam : *Meminit vestra serenitas quando ille hæresiarcha quondam Aquinas in præsentia vestra vos non esse Reginam pertinaciter asserebat & coronationem vestram nullam tanquam ab incompetenti Pontifice impertitam.* De Iudæis verò sic in alio loco : *Sunt quamplures in quampluribus regni locis qui fuerunt neophyti & ad Iudaismum iterum sunt reversi, & clamantes contra Dominum iterum Crucifige fidem Christi insanam esse prædicant, confugiunt ad civitates & castra aliquorum temporalium dominorum, ibique novas erigunt synagogas ; & admoniti à Prælatis locorum tales domini respondent quòd terra eorum grandificatur per Iudæos aptos ad mercantias & alia civitatibus opportuna.* Denique alibi narrat crudele facinus cujusdam Baronis adversùs Episcopum suum his verbis : *Notorium est in regno non Episcopum sed Episcopos temporibus non longè præteritis fuisse in occisione gladii, à laicis interemptos. Novi Baronem quendam armata manu Episcopum obsidentem, qui præ timore se suosque domesticos præclauserat in cujusdam suæ ruralis Ecclesiæ campanili, & dum non valeret se ultra tueri, se suosque sodales posuit in manibus persequentis. At ille Nerone Neronior familiares Episcopi in atrio domus Domini, ad quam tutissimum cuique debet esse refugium, in conspectu patris fecit sævissimè trucidari ; & trahens propriis manibus Episcopum per capillos, post multa improperia verborum & verberum, eum quandam vilem equitaturam coegit ascendere, & loco mitræ coronam pergameni sacro capiti fecit imponi ; & sic civitatem cujus erat spiritu............ fecit in pontificalibus reintrare. Mira res ! De percussio unius Comitis caniculo nulla esset vindicta dilatio, & de percusso sacro Pontificis vertice nullum irrogatur supplicium.* Hæc oratio habetur in codice 758. bibliothecæ Colbertinæ.

Anno MCCCLXX. Vrbanus V. hunc Iacobum Archiepiscopum Hydruntinum visitatorem apostolicum monasteriorum ordinis sancti Basilii in regno Siciliæ instituit, urque illi, si opus foret, Regina manum regiam in visitatione, correctione, & reformatione ac-

commodaret præscripsit VII. Idus Iunii. *Bzov. an.* 1370. §. 7.

Anno MCCCLXXVI. XV. Kal. Februarii Gregorius XI. eum fecit Patriarcham Constantinopolitanum, simulque ei Ecclesiam Hydruntinam commendavit. *Vghellus in catalogo Archiepiscopor. Hydruntin. num.* 26. Vicarium habuit in dignitate Patriarchæ Antoninum Balistarium Franciscanum Archiepiscopum Athenarum, ut docent istius literæ in collectione opusculorum Petri de Marca pag. 405.

Anno MCCCLXXVIII. die octava Aprilis Bartholomæus Archiepiscopus Barensis electus est Papa, Vrbanus VI. vocatus. Inter eos verò qui ei reverentiam exhibuerunt nominatur in primis iste Patriarcha in depositione Stephani Episcopi Tudertini apud Odoricum Raynaldum an. 1378. §. 26. *Vidi maritum Reginæ, Comitem Fundorum, Patriarcham, qui nunc est Cardinalis, adorare istum & exhibere sibi reverentiam tanquam Papæ.* Quo loco codex Harlæanus habet scriptum *anticardinalis*. Ex quo Raynaldus, si viveret, facilè colligeret bonam fidem nostram. Electus est inquam Vrbanus à Cardinalibus inter gladios, ut ita dicam, & enses Romanorum. Propter hanc causam Cardinales existimarunt illum, qui vitio electus erat, non esse verum Papam, sed intrusum. Itaque quum essent apud Anagniam die nona Augusti declarationem adversùs eum fecerunt, quam eadem die publicarunt post Missam de spiritu sancto celebratam à Iacobo Patriarcha CP. ut suprà pag. 1131. & seq. dictum est. Ceterùm propter id facinus Vrbanus VI. eum anathematizavit. Vide Odoricum Raynaldum an. 1378. §. 112.

Die dein XVIII. mensis Decembris factus est Cardinalis à Clemente VII. absens à curia, uti scriptum est in libro obligationum. quod etiam testatur idem Clemens in bulla edita apud Vvaddingum to. 4. in regesto pag. 163. Vulgò traditur illum habuisse primò titulum sanctæ Priscæ, postea verò sanctæ Praxedis. Sed id parum constat. Postea Clemens profectus est Neapolim, ubi adeo tumultuatum est adversùs eum ut ipsum subitò eò unde venerat oportuerit remeare, ut ait auctor vitæ ejus. Excedens autem Italia hunc Iacobum in ea provincia reliquit, ubi diù postea *post multas afflictiones vitam velut martyr consummavit*, ut ait idem auctor. Ex quo loco liquet falsum esse quòd ait Ciaconius, illum è carcere dimissum Avenionem ivisse illicque obiisse. Eductum tamen è carcere facilè crediderim, argumento sumpto ex his quæ infrà pag. 1262. referuntur ex quodam tractatu Leonardi Cardinalis de Giffono. Videtur autem Iacobus non produxisse vitam ultra carcerem, cùm auctor vitæ Clementis testetur illum eam consummasse inter has ærumnas. Ex quo rursum colligi posse videtur mortem ei obvenisse anno MCCCLXXXVII. ut scribit Ciaconius, adeoque quod Contelorius ait eum enunciari defunctum die trigesima Martii anni MCCCXCIII. in literis ejusdem Clementis referri debere tantùm ad mentionem illius defuncti in literis Clementis, non verò ad diem quo extinctus est.

Ex eadem fortassis gente fuit Petrus de Ytro Episcopus Cupersanensis anno millesimo CCCLXXIII. de quo vide Vghellum to. 7. Ital. sac. pag. 969.

PETRUM AMELII] In libro obligationum adnotatum est illum fuisse absentem eo tempore quo factus est Cardinalis. Rectè. Erat enim Avenione, ut colligitur ex epistola ab eo scripta ad Ioannem de Calore Cancellarium Parisiensem die septima mensis Septembris, quæ edita est in tomo quarto historiæ Vniversitatis Paris. pag. 479. Ista autem creatio Cardinalium fuit facta Fundis die XVI. Decembris. Vulgò tradunt auctores illum fuisse primo Presbyterum Cardinalem tituli sancti Marci, deinde tituli sanctæ Mariæ Trans-Tyberim. Sed in libris cameræ sedis apostolicæ, in quibus adscriptæ sunt creationes Cardinalium, vocatur statim Cardinalis tituli sanctæ Mariæ Trans-Tyberim, & eo loco ubi dies mortis ejus notatur, vocatur Cardinalis sancti Marci. Vulgò tamen vocabatur Cardinalis Ebredunensis.

Cùm autem Clemens Papa rediisset in Galliam, Cardinalis Ebredunensis ei occurrit apud Massiliam anno MCCCLXXIX. die XXV. Iunii, ut habet liber obligationum, & deinceps semper apud eum fuit. Ex diario Ioannis Fabri Episcopi Carnotensis ostendi id facilè potest. Etenim anno MCCCLXXXV. die dominica XXIII. Aprilis idem Episcopus & alii consiliarii Mariæ Reginæ Siciliæ, quæ erat apud Villamnovam in ripa Rhodani contra Avenionem, ivere cum eodem Cardinale Avenionem in palatium apostolicum, ibique pro negotiis Reginæ congregati sunt in camera quæ vocatur Romana, sed parum promoverunt. Tum Episcopus pransus est apud Cardinalem Ebredunensem. Postera die iisdem congregatis coram Papa, cùm unà adessent, præter ceteros, ipsa Maria Regina, Henricus Despota Romaniæ frater Reginæ, Guido Lavallensis, Comes Bellifortis, Seneschallus Provinciæ, Dominus de Saltu, Bernardus de la Sala, & Georgius de Marlio, decretum est per viam scrutinii uti bello quod adversùs Provinciales parabatur gerendo præficeretur cum summa potestate Dominus de Rupeforti, & interim donec ille advenisset, Dominus de Vivai.

Eodem anno, die lunæ octava Maii, cùm Regina consiliarios suos & Cardinales Ebredunensem & Cusentinum in suas ædes evocasset, consultarentque invicem de ratione scribendarum literarum quæ à Regina scriberentur in Provinciam & de procuratione regni Neapolitani, primò quidem convenit illam in scribendo servatutam eum modum quem servabat in literis quas scribebat in Franciam, tanquam ea quæ haberet ballium sive tutelam & administrationem Regis filii sui, (id est, *Ludovicus Rex &c. de auctoritate & assensu Domina Maria Regina genitricis & gubernatricis &c.* ut paulò ante dictum est) deinde quoniam dictum fuit olim Papas in se suscepisse ejusdem regni administrationem Rege impubere & minore, adeoque negotium istud non carere difficultate, placuit deliberationem differri in alium diem. Tandem post varia colloquia habita inter Regem & Reginam ejusque consiliarios, Clemens Papa habito quotundam Cardinalium consilio die Iovis XVIII. ejusdem mensis Reginæ mandavit per Ebredunensem decrevisse se ei tradere ballium & administrationem regni, oportere itaque ut ipsa postridie in consistorio postularet eam administrationem, quæ sibi die sabbati decerneretur, & die Pentecostes ejus homagium reciperetur. Die itaque Veneris sequenti Episcopus Carnotensis vice & nomine Reginæ, utpote Cancellarius, quamvis ea sederet ibi inter duos primos Cardinales, in publico consistorio petiit à Papa ut quandoquidem Rex erat infra ætatem annotum octodecim, ipse provideret Regi & regno de persona idonea pro administratione regni. Rex aberat. Etenim dormiebat, & placuit eum non esse excitandum. Sed die sabbati, cùm publicum consistorium Papa rursum teneret, Rex & Regina adfuerunt. Tum verò Episcopus periit sibi responderi ad postulationem pridie factam. Papa lingua Gallica usus peramanter respondit se ex consilio omnium Cardinalium Regis & regni ballium & gubernationem decernere Reginæ, quæ mater Regis erat. Decretum verò ballii pronuntiavit lingua Latina dicens: *Auctoritate Dei omnipotentis &c.* His ita factis, Episcopus ei nomine Reginæ gratias egit, simulque Papam oravit uti Regem & Reginam reciperet ad homagium & sacramentum fidelitatis. Papa verò diem horum agendorum prædixit futurum sequentem. Die igitur sequenti, quæ fuit Dominica Pentecostes, Rex & Regina interfuerunt Missæ celebratæ per Papam. Postea Rex ex auctoritate matris fecit homagium & sacramenta infeudationis regni Siciliæ. Clemens autem Papa ei dedit investituram per traditionem vexilli Ecclesiæ, quod gerebat Bernardus de la Sala, & per traditionem vexilli Siciliæ, quod gerebat Petrus de Columna. Tum lectæ literæ infeudationis. Et mox Papa confirmavit Karolum fratrem Regis, & Regem invitavit ad prandium. Vbi quiddam notatu dignum contigisse mihi videtur. Nam cùm hodie statim ac quilibet confirmatus est aufertur linea vitta qua frons confirmati ligata est, olim ea manere debebat in fronte quousque chrisma deficcatum esset, ut est in veteri libro pontificali. Vnde in eodem libro adnotatum est quosdam consuevisse portare ligarutam tres dies, alios unum tantum. Ithic ergo Papa Clemens ex gratia speciali voluit ut statim Karolo vitta auferretur, idque per Anglicum Episcopum Albanensem significatum esse Episcopo Carnotensi ipse docet his verbis: *Apres la Messe & leüe l'infeudation au long, le Pape conferma Messire Charle, & retint le Roy à disner. Le Cardinal d'Albane me dist que je ostasse le bendel à Messire Charle, & que le Pape le vouloit. Et je le fis apres disner.*

Die Veneris XVI. Iunii consiliarii Reginæ adiverunt ad Papam Clementem, in cujus præsentia lecta sunt capitula tractatus facti cum Petro de Columna & Bernardo de la Sala: quæ confirmata sunt jurejurando per Papam & Camerarium ejus, tum etiam per Cardinales Ebredunensem & Cusentinum, Episcopos Ruthenensem & Carnotensem, Henricum Despotam Romaniæ, & I. Begutum.

Anno eodem, die dominica XIX. Novembris, Episcopus Carnotensis ivit Avenionem deliberaturus quonam modo impediri ac disturbari posset iter Parisiense, ad quod se parabat Cardinalis Ambianensis. Et eadem die serò idem Episcopus Papæ Clementi dedit literas quas de ea re ad illum scribebat Maria Regina, addens verba multùm aspera juxta consilium quod ei dederat Cardinalis Ebredunensis, nimirum amicos Reginæ tales esse à quibus molestias & contumelias metuere posset idem Cardinalis, si perstaret in sententia eundi ad Regem, uti pluribus dictum est suprà pag. 1164.

Anno MCCCLXXXVI. die dominica XXI. Ianuarii cùm eadem Regina discessum pararet, venere ad eam Cardinales Ebredunensis & Cusentinus: quibus filius ejus Rex Ludovicus dedit anulos, Ebredunensi quidem carbunculum, *un rubi balai*, Cusentino verò sapphirum. Adnotat autem Episcopus Carnotensis illos constitisse CCLX. francis. Discessere ergo Rex & Regina die Martis sequenti, per Avenionem pergentes ad Insulam in comitatu Veneyssino. Deinde die XXIX. Aptam Iuliam advenerunt, ubi manserunt usque ad mensem Iulium.

Eodem anno, die Veneris XIV. Septembris, Cardinalis Ebredunensis admissus est in-

ter intimos consiliarios ejusdem Reginæ.

Anno MCCCLXXXVII. die octava Iunii Cardinalis Ebreduoensis scripsit ad eandem Reginam uti ipsa scriberet Cardinalibus Ambianensi ac Cusentino & sibi de tractando matrimonio Regis Ludovici filii sui cum filia Karoli de Duracio. Regina respondit se id facere non posse in præsentiarum, facturam autem quantocyus. Missus est Avenionem die XV. Episcopus Carnotensis, qui tamen nullam apud Papam aut Cardinales mentionem fecit de matrimonio illo.

Die deinde XVI. Augusti Regina mutuò accepit à quibusdam Cardinalibus quasdam pecuniæ summas, & inter hos ab Ebredunensi centum marchas argenti. Cum verò præstituta solvendi dies advenisset, & die XVI. sequentis mensis Septembris illa eosdem Cardinales per Episcopum Carnotensem rogasset uti adhuc expectare vellent, & Albanensis tempus protogasset usque ad diem festum purificationis B. Mariæ, Arelatensis usque ad festum omnium sanctorum, Ebredunensis diem præfinire noluit, accepturum se summam sibi debitam pro facultatibus & voluntate Reginæ; *il accorda terme quant Madame pourra & vouldra.*

Anno MCCCLXXXVII. die XX. Decembris apud Avenionem sigillata fuit *littera per quam Domina concedit Cardinali Ebredunensi facultatem faciendi donationes hominibus Barcilona ad beneplacitum Domina. Item alia littera per quam eidem Domino Cardinali concedit potestatem remittendi crimina & offensas quandocunque dicti de Barcilona ad obedientiam Domina volent venire.*

Obiit anno MCCCLXXXIX. die decima Augusti, ut habetur in libro obligationum. Fuisse porrò octogenarium observat Ægidius Bellamera in proœmium decretalium his verbis: *Bona memoria Dominus quondam Cardinalis Ebredunensis, qui octuagesimum atatis sua annum agens vel circa, & in lecto mortis agrotans, per paucas horas ante obitum nitebatur de apicibus theologia disputare.*

In codicibus 812. 814. & 822. bibliothecæ Colbertinæ extat tractatus istius Cardinalis super materia Concilii generalis habendi vel non habendi in negotio schismatis, & concludit non esse faciendum Concilium generale super declaratione facti Ecclesiæ. In veteri codice MS. Carthusiæ majoris extat alius ejusdem tractatus de eadem materia.

Ex gente istius Cardinalis videtur fuisse Petrus Amelii licentiatus in legibus, de quo hæc leguntur in calce codicis 595. bibliothecæ Colbertinæ: *Iste codex est mei Petri Amelii in legibus licentiati, quem emi ab heredibus Bartholomai Laurencii Carcassonensis pretio XIX. francorum bona moneta currentis. Et bene valet, quia totus pulcher & correctus est, nec detur minori pretio.* Item in calce codicis 478. ejusdem bibliothecæ: *Iste Bartholus super secunda parte infortiati est mei Petri Amelii in legibus licentiati, & constitit XX. scuta cum alio; quem emi ab uxore Advocati regii Carcassona, prasente magistro Iohanne Mercaderii Notario burgi Carcassona.*

NICOLAVM DE BRANCACIIS] *ab utroque latere ex nobili prosapia & genere militari procreatum*, ut ex tertio capitulari volumine Ecclesiæ Lugdunensis refert Severtius in chronologia Archiepiscoporum Lugdunensium. pag. 342. Consanguineum Vrbani VI. fuisse docet depositio Bertrandi Cardinalis Glandatensis: *Item dixit quòd Archiepiscopus Cusentinus, qui erat de genere eodem sicut ille Barensis, proposuit semel coram Cardinalibus valde probabiliter, incipiens thema suum, inquiens collegio Cardinalium: Ad te respiciunt oculi totius Israel, ut judices qui debeat sedere super solium. Et ipse declaravit qualiter ille Barensis erat apostaticus & antichristus & non Papa.* Sed apertiùs hanc consanguinitatem denotat ipse Cardinalis Cusentinus, quo nullus testis luculentior esse potest, in sua depositione: *Dominus Cardinalis Cusentinus natione Neapolitanus, qui ex parte matris attinet illi Barensi.*

Fuit primò Canonicus Neapolitanus, legum Doctor, Papæ Capellanus, & causarum palatii apostolici auditor. Deinde Vrbanus V. et dedit archiepiscopatum Barensem anno MCCCLXVII. prid. Idus Aprilis; indeque translatus fuit ad Cusentinum anno MCCCLXXVI. aut circiter. Ipse in depositione sua testatur se fuisse Archiepiscopum Barensem & successorem habuisse eum Bartholomæum qui postea sub nomine Vrbani VI. tenuit papatum Romanum. Sic enim illic legitur: *Iste habuerat archiepiscopatum Barensem, & fuit sibi provisum de Cusentino; & tunc provisum fuit illi Barensi de illo archiepiscopatu Barensi, & iste fecit omnem diligentiam quam potuit cum Dominus ut provideretur illi de Ecclesia Barensi.*

Per ea tempora Ioanna Regina Siciliæ hunc Nicolaum admisit in intimum consilium suum, ut ipse testatur in eadem depositione sua. Idipsum testatur etiam Episcopus Reatinus.

Postea Gregorius XI. in cælum sublatus est, & Vrbanus VI. in loco ejus constitutus. Quod ubi cognitum Neapoli, ubi tunc Nicolaus erat *apud Dominam Reginam, de cujus consilio erat, iste ivit ad eum, & recepit eum grato vultu. Nam antè erat multùm amicus suus, & diligebat eum valde.* Erat autem unus legatorum quos Regina misit ad consalutandum Vrbanum. Sic enim testatur in depositione sua Stephanus Episcopus Tudertinus: *Post ista & ante vidi Comitem Caserta, Ar-*

chiepiscopum Cusentinum & tertes alies venientes Romam ambaxiatores ex parte Domina olim Regina de Neapoli &c ut apud Odoricum Raynaldum an. 1378. §. 26. Subdit autem in sua depositione idem Nicolaus historiam admodum ridiculariam de eodem Vrbano his verbis : *Item quòd dixit sibi quadam die, quando erat Rome in camera sua ad partem, cùm procederent ambe per cameram prope locum ubi erant depicta dua imagines beatorum Petri & Pauli, dixit ille Barensis isti Cusentino : Qualem vultum videtur vobis quòd faciant ista imagines? Non videtis qualiter rident? In veritate dixit ille quòd quando intraverat primò palatium, quod invenerat eos plorantes.*

Postea Nicolaus rediit ad Reginam, uti scriptum est in ejus depositione. Et cùm Clemens VII. electus esset Papa adversùs Vrbanum tanquam intrusum in sede apostolica, Nicolaus, insuperhabita propter animam consanguinitate Vrbani, in partes Clementis transgressus, anno MCCCLXXVIII. exeunte Cardinalis ab eo factus est, vulgò dictus Cardinalis Cusentinus pro more illius seculi, & anno sequenti factus est Canonicus Lugdunensis ad preces ejusdem Clementis, qui se præbuit fidejussorem nobilis progeniei præfati Nicolai ad quartum usque gradum, ut ait idem Severtius. Factus ergo Cardinalis se contulit Avenionem; ubi perdiu mansit, nimirum usque ad ea tempora quibus pertinacia Benedicti XIII. arcanum aperuisse visa est quo pax dari posset Ecclesiæ. Interim video illum maxima auctoritate & gratia viguisse in his regionibus. In diario quippe Ioannis Fabri Episcopi Carnotensis scriptum est illum anno MCCCLXXXV. die Veneris XXI. Aprilis, cùm pridie Maria Regina Siciliæ appulisset ad Villamnovam contra Avenionem, ad eam salutandam accessisse, apud quam cum constat fuisse in maxima gratia.

Die dein quinta sequentis mensis Maii Clemens Papa Missam solennem pro anima Ioannæ Reginæ Siciliæ celebrari fecit apud Avenionem, in æde nimirum cathedrali. Eam celebravit Cardinalis Cusentinus, qui eodem tempore solennem orationem habuit de laudibus ejus. Aderat Ludovicus II. Rex Siciliæ, quem postea ad ædes ejus reduxere idem Cardinalis & Cardinalis Ebredunensis. Referam autem ipsa verba ex eodem diario. *Le cinquiesme jour le Pape fist dire une Messe de requiem solempnele pour la Royne de Sitile Iehanne octise par Charles de Duras. La Messe dist le Cardinal de Cusence, & prescha moult solempnelement. Le Roy fu à la Messe. Et puis le convoierent les Cardinaux de Cusence & d'Embrun.* Sed mirum est tum primùm in his regionibus auditum nuntium de morte istius Reginæ, quam constat anno saltem millesimo CCCLXXXII. occisam fuisse die XXII. mensis Maii. Et tamen primùm auditum hinc liquet quòd paulò pòst verba quæ mox descripsimus ex diario Episcopi Carnotensis sequitur : *Item fut deliberé que en envoie à Marseille message solempnex à segnefier la mort de la Royne & qu'il y ait sermon.*

Anno MCCCLXXXVI. die Martis XXVIII. Augusti ortum est grave jurgium inter eundem Episcopum Carnotensem & Cardinalem Cusentinum occasione pactorum quæ tractabantur inter Reginam Mariam & Ottonem Brunsvicensem. Nam cùm ambo essent apud Avenionem in cubiculo Papæ, & Cusentinus ab Episcopo quæsisset in quo statu esset istud negotium, Episcopus verò respondisset se nescire & per Reginam non stare quò minùs haberet bonum successum, negavit Cardinalis id ita esse, affirmans per Reginam & suos stare, quia nolebant se obligare erga Ottonem. Ad quæ Episcopus reposuit falsò id sibi imponi, se enim id velle secundùm pacta conventa, sed Ottonem ea velle convellere, idque esse puerile. Quæ postrema verba Cardinalis putans de se dicta esse, ea reddidit Episcopo, dicens illum agere pueriliter. Addidit eum loqui ut magnum Episcopum, sed parum reverenter erga se, qui esset Cardinalis. Et mox multùm exclamavit, adeo ut etiam Papa posset audire. Heic verò Episcopus pro sua modestia veniam ab eo petiit, & obtinuit. Adferam autem rursum ipsa verba ex diario : *Apres disner en la chambre du Pape Cusence me dist qu'il seroit de nostre traitié. Ie li dis : Ie ne sçé, à nous ne tient pas. Il dit : Si fait. Quar vous ne voulez vous obliger. Ie dis que si faisions ainssi que traitié estoit, mais à Messire Othe tenoit, qui le traitié acordé debatoit, & que ce sambloit fait d'enfant. Le Cardinal prinst à soy les paroles, & que je le appelleu enfant, & me dist que ce estoie je qui estoie enfant, & que je parloie comme un grand Evesque & mal reveremment à un Cardinal. Et fist moult grande exclamation jusques au Pape. Ie parlé le plus courtoisement que je peus, & li prié pardon. Il le pardonna.*

Anno MCCCLXXXVII. die XXVI. Septembris, eadem Maria Regina Siciliæ vigilias mortuorum in anniversario Ludovici Regis mariti sui decantari fecit per Episcopum Carnotensem apud Cartusianos Villænovæ. Interfuere Cardinales Ebredunensis, Cusentinus, & de Tureyo. Postridie idem Cardinalis de Tureyo celebravit Missam apud eosdem Cartusienses, præsentibus omnibus Cardinalibus.

Die dein XXVI. Regina pedes ivit Avenionem ad Papam ut ei significaret quantam ipsa pecuniæ summam mittere posset in regnum Neapolitanum. Quod ipsa ei dixit

remotis arbitris, *nemine præter ipsos duos audiente*, ut notat Episcopus Carnotensis. Postea cùm consiliarii Papæ & Reginæ ad eos accessissent, Papa eos jurare fecit super canonem Missæ & sacras reliquias silentio se esse tecturos rem magni momenti quam cum illis communicare volebat, & excommunicationem jecit in revelantes, & jurejurando eos adegit polliceri se integra fide consilium daturos de remediis. Eorum verò qui juravere hæc sunt nomina. Cardinales Cusentinus, de Tureyo, & Vivariensis. Episcopi Carnotensis & Aniciensis. Camerarius Papæ, Mareschallus Papæ, Raymundus Bernardi, & Ioannes de Bellavalle, vulgò *Beauval*. Addit Episcopus Carnotensis: *Res revelata fuit certa ligna quæ contra Dominam machinabatur & contra Papam*. Hæc tantùm.

Anno MCCCLXXXVIII. die dominica prima Martii in urbe Cenomanensi, quò Regina pridie advenerat, sigillatæ fuerunt ab Episcopo Carnotensi facultates ab ea concessæ Cardinalibus Ambianensi, Ebredunensi, Cusentino, de Tureyo, Archiepiscopo Arelatensi, & Georgio de Marlio, vulgò *Marle*, itemque Raymundo Bernardi, pro tractando & concludendo eorum Papa matrimonio Ludovici II. Regis Siciliæ & Yolandæ filiæ Regis Arragonum cum legatis quos idem Rex miserat Avenionem. Duo autem diplomata sigillata sunt propter eam causam, unum absolutum absque ulla reservatione, aliud ut id fieret salvo consensu Regis Franciæ & Ducum Bituricensis & Burgundiæ.

Eodem anno Nicolaus Cardinalis Cusentinus creatus est Episcopus Albanensis post Anglicum, qui obiit die XVIII. Aprilis.

Anno MCCCXCIV. die XXVIII. Septembris interfuit electioni Benedicti XIII. & ab eo recessit anno MCCCXCVIII. ut docet Surita.

Vulgò scribitur illum esse sepultum Florentiæ apud sanctam Mariam novellam. Et tamen Cæsar Nostradamus in historia Provinciæ pag. 441. testatur sepulcrum ejus, idque magnificum, extare Avenione in Ecclesia fratrum Prædicatorum. Quam discrepantiam ita conciliari posse puto ut quoniam vir optimus per multos annos habitaverat in ea urbe, & non prævidens mutationem quæ postea contigit, putans se moriturum apud Avenionem, monumentum illic sibi posuit vivens; in quo tamen sepultus non est propter mutationem quam diximus, sed Florentiæ, ubi interiit.

Fuisse eum Canonicum & Archidiaconum Narbonensem patet ex bulla Clementis VII. data Avenioni Idibus Februarii anno octavo. Canonicum quoque Aquensem fuisse docet Ioannes Scholasticus Pitton in annalibus Ecclesiæ Aquensis pag. 186. Fuisse etiam Canonicum & Sacristam Ecclesiæ Forojuliensis & Præpositum Ecclesiæ Barjolensis in diœcesi Forojuliensi reperit amicus noster Iosephus Antelmius in veteribus monumentis ejusdem Ecclesiæ.

Fratrem habuit Buffilum de Brancaciis Comitem Agnanæ & Mareschallum Ecclesiæ Romanæ, qui in initiis pontificatus Clementis VII. se suamque familiam transtulit in Provinciam, ubi etiamnum ea nobilis claraque habetur. Eorum genealogiam texuit Cæsar Nostradamus in historia Provinciæ pag. 441. In diario Ioannis Fabri Episcopi Carnotensis & Cancellarii Ludovici Regis Siciliæ reperio illum anno MCCCLXXXII. die XV. Iunii sigillasse literas quibus idem Ludovicus Cambellanum suum instituit Busilum fratrem Cardinalis Cusentini, itemque alias continentes donum officii partentinatus Bari & Castellaniæ Vgenti factum eidem Busilo, donum præterea castellaniæ Bari vel Nuceriæ Sarracenorum quandiu idem Busilus fuerit in humanis, postremò ducentas uncias auri ex confiscationibus.

PETRUM DE BARRERIA] Continuator Gallicus Nangii eum vocat de Mirapisce, ut statim videbimus. Ipse se vocat legum Doctorem in initio tractatus de schismate quem scripsit adversùs Ioannem de Lignano. Factus est deinde anno MCCCLXXVII. Episcopus Æduensis. Sequenti verò Vrbanus VI. eum creavit Cardinalem. Sed ipse noluit debere hunc honorem homini quem putabat non fuisse electum liberè nec canonicè. Itaque recusavit. Clemens VII. eo tempore liberè & canonicè electus ei detulit, à quo ille accepit. Continuator Nangii enumerans Cardinales ab Vrbano creatos, inter eos ultimo loco ponit *l'Evesque qui se nommoit de Mirepoix, qui estoit Evesque d'Ostun, lequel ne l'accepta pas, & non firent plusieurs des autres. Et depuis ledit Pape Clement fist ledit Evesque d'Ostun Cardinal; lequel l'accepta. Et en verité c'estoit des bons clers que l'en sceust en Chrestienté: lequel avoit fait grant diligence de savoir & enquerir comment ledit Barthelemy avoit esté esleu. Et quant il avoit sceu la verité, il avoit refusé le chapel rouge de lui, & depuis le prinst dudit Pape Clement, comme dessus est dit. Sy estoit grant aprobation du fait dudit Pape Clement, consideré la grant clergie & souffisance dudit Cardinal.*

Erat autem absens quando factus est Cardinalis. Itaque Clemens Papa ad eum misit pileum rubeum per quendam Domicellum servientem armorum, ei tradendum per Anglicum Episcopum Albanensem & Petrum Cardinalem Pampilonensem, qui tum erant Avenione. Verùm postea mutavit, haud dubiè quia hi duo Cardinales longo intervallo dis-

juncti erant à Petro de Barreria, qui Lutetiæ erat. Itaque eum misit ad Episcopum Cabilonensem. Petrus tamen illum à neutro eorum accepit, sed à Ioanne de Crosso Cardinale Lemovicensi. Actum istud Lutetiæ anno sequenti, die Mercurii quarta Maii, ut tradit idem continuator Nangii: *Le Mercredy quatriesme jour de May oudit an fu presenté par le Cardinal de Lymoges au Cardinal d'Ostun, dont dessus est faicte mention, le chappel rouge en la presence du Roy & des deux autres Cardinaulx*, id est, Guillelmi de Agrifolio & Goidonis de Malesicco. Deinde profectus est Avenionem; quò advenit die tertia Octobris, ut adnotatum est in libro obligationum. Tum verò datus ei est titulus sanctorum Marcellini & Petri. Vulgò tamen nominabatur Cardinalis Æduensis.

Scripsit tractatum de schismate adversùs Ioannem de Lignano defensorem partium Vrni. Habetur ille in codicibus 812. & 814. bibliothecæ Colbertinæ & in codice 842. sancti Victoris Parisiensis, ex quo editus est in tomo quarto historiæ Vniversitatis Parisiensis pag. 529.

NICOLAVM DE S. SATVRNINO] Illum anno MCCCLXXVIII. die XV. Iulii missum fuisse à Cardinalibus ad Regem Francorum docet eorum epistola edita in tomo quarto historiæ Vniversitatis Parif. pag. 465. ex codice 843. sancti Victoris Parisiensis. Similis epistola habetur in regestis parlamenti Parisiensis. Advenisse illum Lutetiam mense Augusto docet continuator Nangii, id est, circa medium mensis Augusti, ut legitur in expositione rerum in Gallia tum gestarum tradita Comiti Flandriæ per Ioannem Fabri Abbatem sancti Vedasti, quæ edita est in tomo quarto historiæ Vniversitatis Parisiensis pag. 523. In regestis parlamenti paulò antè laudatis adnotatum est eundem Nicolaum detulisse eam epistolam ad parlamentum die quarta Septembris. Illum postea, quamvis absentem, mense Decembri Clemens VII. fecit Cardinalem. Sed anno sequenti, cùm idem Papa rediisset in Galliam, Nicolaus ei occurrit Massiliæ die XXV. Iunii, uti scriptum est in libro obligationum. Tum ei datus est titulus sancti Martini in montibus. Obiit anno millesimo CCCLXXXII. die XXIII. Ianuarii.

LEONARD. DE GIFFONO] Istius nomen exciderat per errorem in editione Bosqueti. Nos revocavimus auctoritate veterum codicum.

Illum Vrbanus VI. creavit Cardinalem anno MCCCLXXVIII. die XVIII. Septembris. Sed recusavit. Postea mense Decembri Clemens VII. ei, licèt absenti, tribuit eundem honorem, & die quinta Aprilis anni millesimi CCCLXXIX. ad eum misit pileum rubeum, ut ad an. 1378. §. 115. refert Odoricus Raynaldus ex diario Hectoris Pignatelli. At Summontius par. 2. hist. Neapolit. lib. 3. pag. 455. scribit illum à Clemente apud Neapolim factum esse Cardinalem XXVIII. Maii. Quod ita intelligendum puto ut qui Cardinalis fuerat declaratus exeunte Decembri, & pileum postea rubeum fortassis acceperat initio mensis Aprilis, nunc demum titulum, qui nonnisi præsentibus dari consuevit, acceperit à Clemente die XXVIII. Maii. In depositione fratris Angeli generalis ministri ordinis Minorum ita legitur: *Et addit quòd dictus deponens audivit ista verba in Neapoli à dicto prædecessore suo* (Leonardo de Giffono) *post scisma, postquàm renuntiavit capellum à dicto Vrbano, & recepit à Domino Clemente.* Ex quibus colligi posse videretur Leonardum ea tempestate tantum accepisse pileum rubeum à Clemente, tametsi antea sibi missum.

Anno MCCCLXXXI. expertus est fortunam sævientem. Cùm enim post captam à Karolo Duracio Neapolim incidisset in manus hominis sanguinarii Cardinalis à Sangro, in carcerem ab eo conjectus est, coactus antea abjicere insignia cardinalatus, quæ in medio templo sanctæ Claræ sunt tradita flammis. *Odoric. Raynald. an.* 1381. §. 26. Inde Beneventum, mox in Aprutium, deinde Aversam ductus, post diuturnum carcerem tandem dimissus, Avenionem se contulit, ubi cum honore susceptus est tanquam Cardinalis. *Vvadding. an.* 1378. §. 7. Sed quo demum anno recuperaverit amissam libertatem nusquam invenimus scriptum. Ex tractatu tamen ejus scripto in causa cessionis papatus quæ petebatur à Benedicto XIII. anno millesimo CCCXCV. colligi potest illum fuisse tentum in carcere per quinquennium. Nam cùm simul cum illo captus sit Iacobus Cardinalis de Itro, ipse verò inter mala quæ tum perpeti oportuit eos qui Clementis partes fovebant commemoret carnis afflictionem *duorum Cardinalium carceratorum quinquennio* & mortem crudelissimam Reginæ Siciliæ, patet hunc carcerem intelligendum esse de Leonardo & Iacobo, & cùm quinquennium illud expiraverit in anno MCCCLXXXVI. exeunte, istum evasisse è carcere sine ejusdem anni, aut sub initia sequentis. Confirmatur istud ex libro obligationum archivi Vaticani, in quo adnotatum est Cardinalem de Giffono primò intrasse curiam anno MCCCLXXXVII. die XIV. Maii.

Anno MCCCXCIV. interfuit electioni Benedicti XIII. die XXVI. Septembris.

Anno MCCCXCV. die prima Iunii interrogatus cum aliis Cardinalibus à Ducibus Bituriensi, Burgundiæ, & Aurelianensi, quos Rex Karolus VI. Avenionem propterea miserat,

ferat, quænam ipsi via melior videretur ad extinguendum schisma respondit viam cessionis sibi videri meliorem seque eam approbare. *To. VI. Spicilegii Dacher. pag.* 138. Postea verò istud ipsum confirmavit literis scriptis ad Regem die octava sequentis mensis Septembris, in quibus ita inter cetera scriptum est: *Nunc autem, Illustrissime Princeps, quia, ut scribitis, vobis suggestum est quòd ego ad mutandum propositum vel opinionem aliquorum persuasionibus inducar, & propterea me requiritis & rogatis ut dictæ opinioni firmiter insistam & ab illa nullo modo divertam nec permittam me quoquo modo per quoscunque diverti, vestræ celsitudini respondeo quòd vestram intentionem attendens solertiùs, atque considerans ad quantum bonum & favorem unitatis Ecclesiæ tendit via cessionis hujusmodi per vestram celsitudinem prælecta, & cum quanta deliberatione & digestis consiliis per me extitit approbata, tenore præsentium serenitati vestræ firmiter respondeo quòd ego in promissione quam feci prædictis meis Dominis Ducibus persisto, nec ab illa in aliquo cujuscunque hominis suggestione variabo, imò illam constanter & firmiter teneo & tenebo, nec ab ea quomodolibet aliquis me abducet, imò fixus & constans in illa persistam tanquam via quam commodiorem & meliorem assero & censeo pro tollendo schismate & Ecclesiæ unitate celeriùs consequenda.* Extat in veteri codice MS. archivi regii Parisiensis.

Postea cùm pertinacia Benedicti exegisset ut etiam amici ejus eum desererent, Leonardus quoque eum deseruit anno MCCCXCVIII. ut narrat Surita. Qua tempestate, ut mihi videtur, scripsit tractatum adversùs eundem Benedictum tanquam hæreticum, qui habetur in codice 820. bibliothecæ Colbertinæ. In codice verò 2743. ejusdem bibliothecæ, in quo continetur catalogus bibliothecæ ejusdem Benedicti, sic legitur fol. 107. *Item liber soliloquiorum animæ pœnitentis ad Deum ad impetrandum gratiam & lacrymas, Cardinalis de Giffono, ut creditur.* Extat præterea in veteri codice MS. Carthusiæ majoris tractatus ejusdem Cardinalis scriptus anno sextodecimo post exortum schisma, in quo disputat *Utrum via renunciationis summi Pontificis sit acceptanda eo modo oblata quo à nonnullis proponitur*, & an subtractio obedientiæ debeat fieri Benedicto XIII.

DE VENCESLAO] Suprà pag. 1200. cùm ageremus de electione ejus polliciti sumus nos isthic acturos de confirmatione præstita per Urbanum. Itaque ut promissi fidem præstemus, afferemus primò testimonium Angeli Episcopi Pisaurensis, ex cujus depositione sequentia verba sunt excerpta: *Ad id quòd continetur de facto Imperatoris respondit quòd tempore Domini Gregorii tractatum fuit diù de confirmatione filii Imperatoris, & commissa fuit causa aliquibus Cardinalibus ut viderent si de jure, si de consuetudine, si secundùm divinam scripturam hoc deberet & posset fieri. Tandem conclusum fuit quòd sic. Tamen Dominus Gregorius supersedit. Et communiter dicebatur quòd ipse non intendebat concedere. Post mortem verò ejus resumptus est tractatus de confirmatione dicti filii Imperatoris per ambaxiatores suos, mediante Domino Florentino, coram Domino Urbano. Et dum super hoc & super pace Florentinorum cum Ecclesia orirentur plurima difficultates, tandem volentibus Cardinalibus recedere versùs Anagniam, qui recedere volebant, qui erant major pars, ut dictum fuit, super duobus articulis prædictis commiserunt vices suas sex aliis Cardinalibus remanentibus Romæ, puta Dominis Florentino, de Luna, sancti Petri, Mediolanensi, Glandatensi, & de Ursinis; qui determinaverunt prædictum filium Imperatoris debere in Imperatorem confirmari per Dominum Urbanum. Et sic factum fuit.* Vide etiam quæ suprà pag. 1200. descripta sunt ex depositione Thomæ de Amanatis Archiepiscopi Neapolitani, & Factum Bartholomæi missum Regi Castellæ apud Odoricum Raynaldum an. 1378. §. 99. & Factum Iacobi de Seva pag. 505.

Verùm hæc acta non sunt Romæ, sed in recessu Tiburtino. Testatur enim Stephanus Episcopus Tudertinus Urbanum confirmasse filium Imperatoris in Tibure cum quatuor Cardinalibus tantùm, id est, Italis. Fernandus Petri Decanus Tirasonensis testis juratus *dixit quod si fuit consilium Romæ cum Cardinalibus de confirmatione Regis Romanorum in Imperatorem nescit, sed audivit & ita credit quòd ista confirmatio fuit facta in Tiburi, ubi non erant aliqui Cardinales ultramontani.* Hæc sumpta sunt ex depositione ejusdem Fernandi. Porrò illam confirmationem fuisse spontaneam, cùm Venceslaus nullos propterea legatos ad Urbanum misisset, testatur qui tum Tibure præsens erat Marcellinus de Inghen in epistola ad Universitatem Parisiensem his verbis: *Papa heri publicè in consistorio confirmavit electionem factam de Rege Almanorum per Electores & ipsum denunciavit futurum Imperatorem, quamvis ex parte Imperatoris nulli ambassiatores pro illo fuerint missi.* Extat in tomo quarto historiæ Universitatis Paris. pag. 466. At Venceslaus visus est multùm dubitare an ea confirmatio esset valida. Nam post eam sibi datam ab Urbano misit legatos ad Clementem qui illam rursum ab eo peterent, ut ex regesto ejusdem Clementis docet Bzovius an. 1377. §. 3. & sequenti. Immo extant in codice 814. bibliothecæ Colbertinæ literæ ejusdem Venceslai, quibus Marchioni Moraviæ, qui anno MCCCLXXIX.

erat illius vicarius generalis in Italia, ut ad an. 1379. §. 38. tradit Odoricus Raynaldus, committit potestatem inquirendi quis amborum sit verus Papa & ei faciat obediri. Postea tamen adhæsisse Vrbano evincitur ex his quæ refert Raynaldus in loco mox laudato, & ex multis aliis illorum temporum monumentis.

DVCIB. LOTHAR. ET BARR.] Thomas de Amanatis Archiepiscopus Neapolitanus in sua depositione: *Sed aliqui magni Principes in Alemannia tenent partem Domini Clementis Papæ, sicut est Dux Austriæ Dominus Lupoldus, & Dux Iulliacensis, & Dux Barbinciæ, & Dux Bavariæ.* Vide Odoricum Raynaldum an. 1381. §. 27.

P. 492. LVDOVICVS COM. FLAND.] Vide suprà pag. 555. Radulphum de Rivo cap. 12. de gestis Episcoporum Leodiensium, & Vualsinghamum pag. 221. editionis Francofurtensis. Ad eum extat in tomo quarto Spicilegii Dacheriani pag. 301. epistola Pilei de Prata Cardinalis, quem Vrbanus destinarat Legatum ad Imperatorem & Principes harum partium.

P. 493. ADHÆREBANT INTRVSO] id est, Vrbano. Certum est itaque Reges Hispaniæ, quamvis se nulli parti addictos esse profiterentur, inclinasse initio in Vrbanum, quem videbant aliquandiu tenuisse papatum sine controversia. De Castellano fidem facit Bonifacius IX. apud Odoricum Raynaldum an. 1398. §. 27. Hanc ob causam Vrbanus à legatis ejusdem Regis ad se missis ad inquirendam veritatem rerum gestarum quæsivit *quare serenitas vestra recesserat ab obedientia sua & se traxit ad indifferentiam, asserens quòd spoliaverat eum possessione sua indebitè*, ut legitur in relatione unius ex iis legatis Roderici Bernardi teducis ad eundem Regem. Idem fecisse videtur Petrus Rex Arragonum. Etenim in responsione Cardinalium an expediret celebrare Concilium generale ita legitur in veteri codice MS. Carthusiæ majoris: *Vado Reges Castellæ & Aragoniæ deliberaverant quòd celebraretur Concilium. Sed postea examinatis circumstantiis destiterunt per se ipsos, & elegerunt viam audiendi informationes per nuntios ad se hinc inde missos, & demum pro majori certificatione miserunt ad Dominos Cardinales in Avinione ad sciendum de iis quæ facta sunt in conclavi. Miserunt etiam Romam ad sciendum de iis quæ facta sunt extra conclave. Et reversis ambaxiatoribus suis se declaraverant.* Præterea frater Petrus Infans Arragoniæ apud Odoricum Raynaldum an. 1379. §. 47. ait Petrum Regem Arragonum determinasse *non obedire Vrbano nec Clementi donec determinatum sit quis eorum esset verus Papa.* quod etiam §. 42. scribit Richardus II. Rex Angliæ ad eundem Petrum. Quin & Surita docet illum Episcopis suarum ditionum interdixisse *ne in suis diœcesibus jus alterutrius competitorum aut fulciatur aut refutetur*, missosque ab eo esse ad utrumque Pontificem legatos qui rationes omnes earum rerum quæ in controversiam disceptationemque ducebantur conquirerent & explicarent, ad Vrbanum porrò legatum esse Matthæum Clementem regium consiliarum juris sacri civilisque peritissimum. Ea tamen legatio missa non est anno MCCCLXXIX. ut putavit Surita, sed sequenti. Hujus rei testem locupletissimum produco eundem Rodericum Bernardi in relatione suprà laudata; ubi cùm enarrasset quomodo ipse & socii sui apud Avenionem examinaverant septem Cardinales, addit: *Et ambaxiatores Regis Aragoniæ post per se etiam examinaverunt testes de quibus eis visum fuit. Isti utique ambaxiatores Regis Aragoniæ, qui debebant ire & iverunt nobiscum simul in galea quæ jam spectabat nos apud portam Marsiliæ, venerunt in fine Madii ad civitatem Avenionensem, & intravimus galeam quam vestra serenitas nobis miserat in principio Iunii anni præsentis, scilicet Domini millesimo trecentesimo octuagesimo, & accessimus ad urbem Romanam XX. die dicti mensis Iunii ante meridiem, & applicuimus cum galea prope sanctum Paulum per fluvium Tiberis; sed statim ambaxiatores prædicti Regis Aragoniæ exiverunt de galea, & peditando iverunt versùs urbem, & habuerunt hospitium in urbe statim per se.* Et infrà: *Post ista in vigilia beati Iohannis Baptistæ fuerant congregati plures prælati & nobiles viri & aliqui de partibus Vngariæ & Alamaniæ, qui tunc erant Romæ, in præsentia dicti primi electi, præsentibus ibidem ambaxiatoribus Regis Aragoniæ prædicti; qui vocantur Dominus Guillelmus de Vallesica & Dominus Petrus Pesacam Doctores juris civilis & canonici.* Nulla isthic mentio Matthæi Clementis. Addit postea Rodericus fratrem Fernandum confessorem Regis Castellæ & Didacum Gomecii Bachallarium in decretis ivisse simul Neapolim cum legatis Regis Arragonum & inde Aversam, *ubi erant duo Domini Cardinales Italici*, ut eos interrogarent super origine schismatis, rediisse autem in fine mensis Augusti, legatos porrò ad Regem Castellæ destinatos ab Vrbano expetiisse ut eis liceret ire in Hispaniam in triremе quæ legatos regios revectura erat, idque tandem obtinuisse, contradicentibus licèt legatis Regis Arragonum: *Et ex alia parte videbam quòd non bono zelo illi Domini Aragoniæ movebantur ad impediendum adventum ipsorum ambaxiatorum quos primus electus mittebat ad præsentiam vestram.* Denique relationem suam ita concludit: *Iis sic prahabitis, recepta licentia, abii. Et ambaxiatores Regis Aragoniæ prædicti & ambaxiatores ejusdem primi*

electi & ego intravimus galeam apud portum Hostia octava die Septembris, & accessimus ad civitatem Barchinonensem XXVII. *die dicti mensis post solis occasum, ubi requievimus omnes per* X. *dies. Et ambaxiatores primo electi fuerunt ii, Episcopus Faventinus, qui dicitur Dominus Franciscus, & alius Doctor de Pavia, qui appellatur Franciscus, & alius Doctor Anglicus qui dicebatur Iohannes. Et iste remansit apud Regem Aragonia; quia serenitas vestra noluit pati quòd intraret regnum Castella, quia erat de natione Anglicana.* Erant enim Angli hostes communes Francorum & Castellanorum, ut ad Regem Karolum V. scribit Ioannes Rex Castellæ.

In ea epistola, quæ scripta est anno millesimo CCCLXXIX. exeunte, idem Ioannes Rex testatur missos paulò antè fuisse in Franciam legatos qui Regi Karolo suaderent uti controversia de papatu definiretur in Concilio generali. *Porrò*, inquit, *si ad ea qua per ambaxiatores nostros à serenitatis vestra prasentia redeuntes nobis ex parte vestra insinuata didicimus distulimus respondere non miretur claritas vestra.* Hi legati fuere Rodericus Bernardi & Petrus Fernandi, ut infrà pag. 1274. testatur idem Rodericus.

Sed hoc loco se nobis ingerit ingens difficultas. Monachus quippe Dionysianus qui per ea tempora scripsit historiam Regis Karoli VI. testatur legationem anno MCCCLXXXI. exeunte Februario ad eum missam à Rege Hispaniæ, id est, à Rege Castellæ, ut docent sequentia, legatos illos paschali solemnitate translacta auditos publicè dixisse Vrbanum rite & canonicè electum, Clementem Antipapam vocasse, Regemque hortatos esse ut ad unitatem Ecclesiæ ac obedientiam ejus verissimi sponsi Vrbani rediret. Quin & additæ minæ, rupturos se fœdera inita cum Karolo V. patre ejus, quia nefas erat amicitias retinere cum schismaticis. Hanc historiam inventus est nuper qui falsi argueret & erroris, eo in primis argumento quòd ista legatio decreta dicatur eo ipso tempore quo Rex Castellæ in Clementem propendebat, Vrbanum repudiabat. Quod argumentum adeo magnum mihi visum est ut existimare cogar eam Castellanorum legationem esse revocandam ad anteriora tempora, ad eam nimirum quam anno MCCCLXXIX. obiisse diximus Rodericum Bernardi & Petrum Fernandi.

LOCVM DE SPLONATA] Speluncam vocat Vvalsinghamus pag. 221. *Quod audiens, non Clemens, sed demens factus Antipapa concitò fugit ad quoddam castrum Regina Neapolis quod vocatur Spelunca, ibidem latitans.* Bulla Clementis VII. qua Ioannem Flandrini præfecit Ecclesiæ Auscitanæ data est apud Spelongam Gaietanensis diocesis XIII. Kal. Iunii anno primo. Ejusdem loci meminit idem Clemens de eadem provisione scribens ad Comitem Armaniaci: *Mais de l'Eglise d'Aux nous ne poons. Car d'icelle adonques vacant quand nous estions encore és parties d'Italie, ou chastel de Spelongue, nous en ordonnames en la personne de Iehan Flandrin frere germain de nostre amé fil le Cardinal de saint Eustace.* Itinerarium Antonini Speluncas locat prope Brundisium. Vide Thesaurum geographicum Ortelii in verbo *Spelunca* & in verbo *Amycla*.

VENIT NEAPOLIM] Vide Odoricum Raynaldum an. 1379. §. 27. In depositione Stephani Episcopi Tudertini ita legitur: *Pòst Dominus Gebennensis seu Antipapa cum Cardinalibus suis, prout audivi, recessit de Fundis, & ivit versùs Neapolim cum Cardinalibus suis. Et quando appropinquavit Gaietum, Gaietani nolebant eum recipere dicentes quia credebant in Dominum Vrbanum, qui erat verus Papa. Postea ivit Neapolim, ubi à populo fuit pessime receptus. Itaque oportuit eumcum suis Cardinalibus castrum Ovi, ubi erat Regina, intrare. & quòd Regina mandabat populo ut obedirent, & illi nullo modo obedire voluerunt. Et videns Dominus Gebennensis quòd ibi non erat bene receptus, intravit mare, & ivit versùs Avinionem. Et, prout audivi, Regina locuta est populo Neapolitano, & dixit quòd volebat sequi consilium eorum, & ordinavit ambaxiatores ad istum Dominum nostrum pro concordia fienda, & Papa recepit eos satis gratiosè. Nomina ambaxiatorum sunt ista, Comes Arianus, Comes Nolanus, Comes de sancto Severino, & Amiratus. Et tantum steterunt in urbe ad tractandum concordiam donec Regina habuit nova de viro suo, prout audivi. Et tunc mandavit quòd sine conclusione aliqua deberent ad eam redire.* Vide suprà pag. 1127.

MOLIEBAT. E. COMPREH.] P. 494. Istud certum esse docent literæ Vrbani editæ ab Odorico Raynaldo an. 1378. §. 108. & an. 1379. §. 31. Contrà Clemens Vrbanum capere cogitabat. Immo eadem mens fuerat Cardinalibus ante ejus electionem. In depositione quippe Stephani Episcopi Tudertini sic legitur: *Stantibus istis sic, & Cardinalibus existentibus in Anagnia & Papa in Roma, Cardinales scribebant quòd dignaretur ire Anagniam & ibi ordinare ea qua essent ordinanda pro statu Ecclesia universalis. Et dum Papa erat in dispositione eundi Anagniam, supervenerunt nova, prout audivi, quòd si contingeret eum ire ibi, quòd esset captus ab eis & à Comite Fundorum. Et tunc istis auditis, prout audivi, deliberavit ire Tiburim, & non Anagniam.* Eam verò mentem sedisse etiam Petro de Crosso Camerario in ipsis initiis electionis Vrbani ipsemet docet in sua depositione: *Item dixit quod*

postquam ipse remansit in castro scripserat Domino sancti Eustachii quòd Camerarius poterat habere gentes armorum & capere illum intrusum, & si consulebat sibi exire vel stare, ipse Cardinalis misit sibi ad dicendum quòd non expediebat illa attentare, quia aliter fieret, & melius erat quòd exiret. Et infrà: *Item ipse Dominus Camerarius, dum erat Romæ, inducebat quantum poterat dictum B. ut iret Anagniam, ut caperetur; sed dubitans noluit consentire. Item ipse Dominus Camerarius ordinaverat quòd si idem B. transiret ante castrum sancti Angeli, caperetur per gentes castri; sed de hoc dubitans, per illam viam noluit facere iter suum. Item ante declarationem ipse Dominus Camerarius pluries tractavit cum Britonibus & aliis gentibus armorum ut irent & ipse Dominus Camerarius volebat ire in propria persona apud Tiburtinum, ubi morabatur ille B. sed non potuit cum ipsis concordare.* Et tamen has gentes armorum voluisse capere Vrbanum testatur Garsias Martini electus Auriensis in responsionibus ad interrogationes sibi factas super casu primi electi, in quibus sic legitur: *Interrogatus super* XCVS. *dixit quòd cùm ipse esset Anagniæ audivit quòd iste primus electus volebat ire ad monasterium de Specu, & deinde volebat venire Anagniam, tamen non fecerat hoc, sed ivit Tiburtim, & postquàm stetit Tiburtim, non fuerat ausus ire Anagniam pro eo quòd unus capellanus suus, qui vocatur Iohannes Alfonsi de Metina de Rivoseco, dixit sibi, cùm esset Tiburtim cum primo electo, quòd apportaverat isti primo electo unam cedulam ex parte Episcopi Pampilonensis, in qua scribebat sibi quòd non iret Anagniam & recederet citiùs quàm posset de Tiburi, aliàs esset captus à societatibus.*

P. 495. AVINIONEM PERVENIT] die vigesima Junii, ut scribit Surita lib. 10. annal. Arragon. cap. 24. Verùm ex his quæ suprà pag. 1151. dicta sunt constat illum nondum advenisse Avenionem die XXV. ejusdem mensis.

P. 496. SEXTO DEFVNCTO] Ægidio Ayscelini de quo vide quæ diximus suprà pag. 957.

FECIT PROCESSVS] Vide Theodericum à Niem lib. 1. de schismate cap. 9.

IMMANITER] Horrenda sunt quæ de crudelitate & immanitate Vrbani VI. referuntur à Theoderico de Niem lib. 1. de schismate cap. 4. 7. 8. 33. 45. 50. & seqq. 56. & seq. & in tractatu 6. cap. 32. 39. Nemoris unionis. Hanc ob causam Trithemius in chronico Hirsaugiensi to. 2. pag. 291. loquens de morte ejus ait: *flentibus paucis mortem ejus propter duritiam & rusticitatem, quibus gravis & inexorabilis & austerus nimium videbatur esse mortalibus.* Eundem Albertus Krantzius lib. 9. metrop. cap. 1. num. 210. vocat virum sævum, crudelem, inexorabilem, eumque per omnem sævitiam scribit administrasse res Ecclesiæ. Hoc testimonium de eo perhibuit Hugo Cardinalis de Britannia interrogatus à legatis Regis Castellæ: *Item dixit in vera conscientia sua quòd ante ingressum conclavis nec post nunquam habuit in mente consentiendi in eum nec eligendi eum, nec etiam cùm esset in conclave nominavit eum, quia agnoscebat eum quòd esset melancholicus & furiosus homo.* Eundem fuisse vini amatorem testatus est Bertrandus Cardinalis Glandatensis: *Item dixit quòd die coronationis iste Cardinalis & aliqui alii intraverunt cum illo in quadam camera ubi erat sibi paratum ad bibendum, & quòd iste Cardinalis biberat similiter, quia erant magni calores, & quòd dixerat isti quidam alius, scilicet Dominus de Britannia Cardinalis, qui noluit bibere illa die, quòd octo vicibus bibisset ille Barensis illò tunc antequam exirent illum locum, & quòd dixerat quidam medicus, qui erat Episcopus, tempore Domini Gregorii quòd ille Barensis de duobus non poterat vitare unum, vel quòd esset stultus in brevi, vel quòd deficeret, quia nunquam cessabat bibere & nihil comedebat.* Fernandus Episcopus Legionensis in sua depositione testatus est se apud Anagniam, ubi tunc erant Cardinales, audivisse *ab aliquibus familiaribus Dominorum Cardinalium multa verba inhonesta & nephanda de dicto Domino Papa, vocando eum ebrium & fatuum.* Fatuum vulgò existimatum fuisse evincunt testimonia Ioannis de Crosso Cardinalis, Nicolai Mesquini Cardinalis, Raynulphi Cardinalis Sistaricensis, Ioannis Episcopi Castrensis, Fernandi Episcopi Legionensis, & Thomæ Petræ Canonici Parracensis, hominum Vrbano addictissimorum. Atque id adeo publicum erat ut auctor epistolæ academiæ Oxoniensis ad Pragensem testetur Legatos Clementis in provincias missos eundem Vrbanum vocasse gulosum & ebriosum, & in narratione rerum gestarum in initio schismatis edita in tomo quarto historiæ Vniversitatis Paris. pag. 522. disertè de Vrbano ita scriptum sit: *Alter stultus & porcus vocatus, vocatur in Italia fatuus, superbus, & loquax, qui non facit nisi loqui.* His eundem Vrbanum elogiis ornabat eadem tempestate Robertus Gervasii Episcopus Senecensis fol. 7. *Et si operationem istius Bartholomæi volumus bene concernere & declarare, iste est seditionis origo, fovea scandalorum, radix omnium malorum, pater transgressionis & iniquitatis, doctor erroris & falsitatis, magister livoris & impietatis, vexillarius scismaticæ pravitatis, auriga malitiæ & crudelitatis, & pastor nequitiæ, superbiæ, & elationis, alumnus ambitionis & reprobationis, nutrix tenebræ, caliginis, & turbationis, idolum hypocrisis, fictionis*

& simulationis, templum superstitiosa venerationis, sicarius virtutis, justitia, & aequitatis, praevaricator & destructor Ecclesia & Christiana ac catholica unitatis, amator & fautor ac inventor haeretica pravitatis, & demum furor & indignatio divina acerbitatis. Et fol. 8. *Istum describit quidam Dominus magna dignitatis & reverentia, qui est de natione & de loco ejusdem Antipapa oriundus, & qui optimè novit ipsum ex persona & ejus merita & demerita, dicens sic: Hic est hujus seditionis artifex & totius scismatis inventor, homo quidem superbia inflatus, avaritia rapax, iracundia saevus, vinolentia temulentus, livore invidus, libidine incestuosus, & crudelitate violentus; cujus vultus minax, torvus aspectus, pallor in facie, tremor in labiis, stridor in dentibus; homo in quo nulla religio, nulla fides, nulla in operibus misericordia, nulla in moribus disciplina. Et multa alia facinora execrabilia & detestanda de eodem Antipapa dicit, qua non sunt humanis auribus conculcanda causa brevitatis & horribilitatis.* Quos triumphos non cecinisset Odoricus Raynaldus, si eadem aut his similia vidisset scripta de Clemente?

P. 498 AD MONTEMPESSULAN.] Hanc tumultuantis populi rabiem eveniisse anno millesimo CCCLXXIX. die XX. Octobris tradit Bertrandus Boyssetus civis Arelatensis & occisos tum fuisse, praeter centum & septem quorum nomina non habentur, Seneschallum Ruthenensem, Cancellarium Ludovici Andium Ducis, gubernatorem Montispessulani, magistrum Ioannem Perdeguierium, quendam vocatum Babuiam, Petrum de Balneolis Thesaurarium Veneyssini, (qui Thesaurarius Nemausi vocatur in literis Ludovici Andegavensis infrà laudatis) & magistrum Ioannem Perdeguierium juvenem praefectum tributo salario. Tum eorum corpora projecta in puteum, ubi manserе quousque idem Dux Andegavensis in hanc urbem adveniens omnes sepeliri fecit. quod etiam traditur in literis ejusdem Ludovici editis in pagina 101. nuperorum annalium Tolosanorum. Vide etiam Gariellum in serie Praesulum Magalon. par. 2. pag. 101. & Nostradamum in historia Provinciae pag. 440. Seneschallus Ruthenensis vocabatur Guido Lesteria, Cancellarius Ludovici Guillelmus Permutelli, gubernator Montispessulani Arnaldus de Loco.

P. 499. OBIIT KAROLUS R. FRANC.] In epistola academiae Oxoniensis ad Pragensem, cujus auctorem certò constat fuisse publicum Gallici nominis hostem, ita legitur de extremis ejusdem Regis: *In morte tamen errasse se videns & poenitens hec verba protulisse fertur. Nescio si erravi in facto & in determinatione istorum summorum Pontificum, sed protestor quod volo mori tanquam bonus Christianus. Quare de supradicto facto refero me determinationi sancta matris Ecclesia, & super hoc peto mihi fieri publicum instrumentum, quod ostendi volo in Concilio generali.* In secunda responsione Universitatis Parisiensis ad epistolam studii Tolosani ex codice 842. S. Victoris Paris. edita in tomo quinto historiae ejusdem Universitatis pag. 35. ista ad Karolum VI. Regem Francorum scripta leguntur: *Quod celeberrima memoria Dominus Rex Karolus V. pater vester in extremis constitutus profundè considerans, generalis Concilii super hoc celebrandi ac universalis Ecclesia sententiis humiliter se supposuit, instrumentum publicum unum vel plura super hoc cum instantia debita tunc requirens.* Declaratio illa Regis Karoli edita est apud Odoricum Raynaldum an 1380. §. 10. ex codice Vaticano. Hinc collegit idem Raynaldus illum de regia fama sollicitum, ne illius memoria ob impensa Antipapae (sic enim Clementem semper vocat vir natura ipsa moderatus ac temperatus) studia apud posteros execrationi foret, simul quia, ut ao. 1397. §. 5. ait idem Raynaldus, divinum tribunal formidaret, hanc declarationem edidisse ut omnes intelligerent se Pontificem illum colere quem sacrosancta synodus oecumenica colendum decerneret; & aliquanto infrà scribit illum sapientis nomen, quod ei vulgò tribuitur, labefactasse ob susceptum schismaticorum patrocinium. Idem an. 1378. § 60. vocat illum maximum schismatis suasorem, quia contra Archiepiscoporum, Episcoporum, & sapientum consilia, ut ille per summam audaciam seu potiùs impudentiam comminiscitur, per tyrannidem invitos & reluctantes Gallos coegisset ad scelus, ac deinde Scotum & Castellanum Reges foederatos ad id suis artibus pellexisset. Denique ao. 1379. §. 52. rursum in optimum Principem furiosus insurgit, eo in primis argumento quòd nec missos ab Urbano nuntios nec sanctorum qui hoc tempore florebant oracula audire voluit, neque ad synodum oecumenicam de ea controversia referri.

Quamquam autem vir ita comparatus vix mereatur ut maledicentissimis ejus satyris à quoquam respondeatur, multò minùs à nobis, qui severiora studia colimus, qui satyricam licentiam odio habemus, debere tamen me puto memoriae Regis optimi & sapientissimi ut eam vindicem adversùs hominem iniquissimum simul & imperitissimum nihilque habentem historici praeter nomen.

Ac primùm ut ad id respondeam quod primo loco occurrit, illud pro comperto haberi debet, nulla poenitentiae signa dedisse Karolum ob susceptum patrocinium Clementis, immo testatum esse expressis verbis se post rem maturè & accuratè discussam illius par-

tem tenere & tenuisse. Verba hæc aperta & clara sunt, neque ullis ambagibus involuta. Sanè postea ait se, in casu quòd diceretur eum aliqualiter errasse, quod tamen non credidit nec credebat, se inquam velle semper tenere & sequi opinionem & declarationem sanctæ matris ac universalis Ecclesiæ & quod fieret & determinaretur super hoc per generale Concilium. Quid sapientius, quid christianius dici potuit à Rege sapientissimo?

Sed ut te, Raynalde, etiam tuis sagittis petam, comparemus hanc Regis Karoli declarationem cum ea quam Iacobus Cardinalis de Vrsinis moriens edidit, & videamus utrum inter eas sit aliqua magnâ differentia. Quid ergo ait Iacobus? Cupiisse se ut finis imponeretur schismati per Concilium generale, idque se adhuc voto expetere, & se illum pro Papa tenere qui per Ecclesiam & Concilium fuerit approbatus. Nihil heic datum Vrbano, nihil detractum Clementi. At Karolus agnoscit meliorem fuisse conditionem Clementis, his verbis ostendens se minimè ambigere quin esset verus Papa; adeoque insanum oportet esse eum qui hinc collegerit pœnituisse Regem quòd adhæsisset Clementi. Sed Episcopus Viterbiensis apud Odoricum Raynaldum an. 1379. §. 1. testatur Iacobum, cui morienti ipse adstitit, sibi biduo ante mortem dixisse Vrbanum esse verissimè Papam, & ideo adorandum. Quasi verò credi debeat huic Episcopo asserenti hunc Cardinalem biduo ante mortem sibi dixisse Vrbanum esse verum Papam, quem ex declaratione ejus edita à Raynaldo constat pridie quàm moreretur abstinuisse à promenda sententia de iis qui de papatu contendebant, & illud tantùm de se scire voluisse posteros, se eum esse Papam credere qui per Ecclesiam & Concilium fuerit approbatus. Quòd si Raynaldus testimoniis credendum esse putat adversùs fidem gestorum publicorum, quod tamen non licet, nobis quoque non deesse testimonia contraria videre poterit lector suprà pag. 1100.

Ait deinde Raynaldus Karolum coegisse Gallos invitos & reluctantes ad scelus, quia Paulus Æmilius innixus literis Cantoris Ecclesiæ Parisiensis testatur in primo conventu Gallicano, qui mense Septembri coactus fuit, constitutum fuisse non assentiendum Cardinalibus Romana comitia fando improbantibus nisi majore consilio gravioreque deliberatione. Primò respondeo istud verè statutum esse in primo conventu Gallicano, & quidem sapientissimè. Postea verò, ut testatur Henricus de Hassia, in altero conventu, cùm certò constitisset electionem Vrbani carere viribus, Ecclesia Gallicana suscepit Clementem, & Rex sapientum consilium secutus ei quoque adhæsit. Deinde certum est auctoritatem Pauli Æmilii nullius esse momenti adversùs Clementem, cùm sumpta sit ex literis Cantoris Parisiensis, quem constat in partes Vrbani transgressum esse, qui ei contulit archidiaconatum Brabantiæ in Ecclesia Leodiensi. Habemus enim illas ipsas literas ejus quæ à Paulo Æmilio commemorantur, editas suprà pag. 560.

Ad criminationem de Rege Castellano in partes tracto per industriam Karoli nihil de meo dicam. Afferam tantùm verba Roderici Bernardi, quem Ioannes Rex Castellæ Romam & Avenionem miserat pro inquirenda veritate rerum gestarum. Is ergo in relatione quam coram Ioanne Rege fecit in celeberrimo illo conventu Medinensi de quo dicemus infrà sic enarrat colloquium quod inter ipsum & Vrbanum fuerat Romæ in palatio apostolico. *In fine dixit mihi quòd ipse mittebat suos ambaxiatores qui informarent conscientiam vestræ serenitatis, sed dubitabat nimis quòd propter ligas quas habetis cum Rege Franciæ quòd recederetis à tramite veritatis. Ego respondi quòd secundùm illa quæ novi de conscientia vestræ serenitatis in temporalibus vos servaretis amicitiarum ligas Regi Franciæ, sed in istis quæ tangunt fidem & statum Ecclesiæ non recederetis à veritate, nec etiam Rex Franciæ movebatur aliqua affectione, imò volebat quòd sciatur veritas, secundùm illa quæ mihi & cuidam socio meo dixit Parisius in magno palatio sub jurejurando tempore Regis Henrici. Et tunc ipse primus electus fuit scire seriem hujus facti & quæ dixit mihi. Et ego dixi in præsentia sua quòd Dominus Rex Henricus misit me & quendam Doctorem qui dicitur Petrus Fernandi ad Dominum Karolum Regem Franciæ, & rogabat eum quòd nollet se declarare pro aliqua parte donec ipse cum aliis Regibus Hispaniarum communicato consilio scirent veritatem & tenerent partem veritatis in facto hujus scismatis. Et ipse Rex Franciæ respondit quòd ipse informatus erat de veritate sicut poterat fieri per homines in humanis, & quòd ipse non poterat differre declarationem, quia ageret contra conscientiam, quia nullus modus probationis posset inveniri in ista materia nisi quòd sciatur veritas à parte interiori conclavis & alius modus à parte exteriori. Nam dicebat ipse quòd impossibile esset alium modum probationis invenire. A parte utriusque exterior est, ut ipse dicebat, impressio Romanorum, clamor populi dicentis Romanum volumus vel Italicum, aliàs omnes moriantur, invasio conclavis & disruptio, & fuga Cardinalium ad diversa loca extra urbem & in urbe. Item à parte interiori conclavis, scire mentes Cardinalium, qua intentione elegerunt. Et quia omnes sub juramento asserunt se elegisse metu mortis, aliàs non facturi, videbatur sibi quòd ista erat sufficiens probatio. Sed quòd rogabat Regem*

Castellæ quòd se informaret de veritate pleniùs quàm posset. Nam juravit ad sancta Dei evangelia & reliquias conservatas in capella quæ erat in illo palatio quòd nulla affectione ducebatur in isto facto, sed solùm quòd sciebat quòd electio primi electi erat impressiva, & secunda erat facta de voluntate libera Cardinalium & canonicè celebrata. Et ideo adhærebat isti Clementi ut verò Papa sequens vestigia prædecessorum suorum, qui semper steterunt pro servitio Dei & Ecclesiæ catholicæ honore, etiam sub magnis periculis. Et jurabat ad illas sanctas reliquias quòd si ipse sciret indubitabiliter quòd primus electus esset verus Papa, quòd ipse dimitteret Clementem & adhæreret prædicto electo primo, etiamsi omnes homines essent contra ipsum. Hæc ego, Raynalde, non coegi hominem hunc ut scriberet, quæ scripta sunt aliquot sæculis antè quàm ego nascerer. Scripta sunt autem, non ab homine Gallo, sed ab Hispano, & ab eo qui testatur se illa dixisse Vrbano. Quantum autem abest illa narratio ab insulsis declamationibus tuis!

Scio Radulphum de Rivo Decanum Tungrensem cap. 12. de gestis Episcoporum Leodiensium scripsisse Regem Castellæ, virum fraterno sanguine pollutum, Clementis partes amplexum esse, *quòd amicus & fœderatus esset Gallorum.* Scio prætetea Ioannem Marianam, virum sanè eruditissimum, tradere lib. 18. rer. Hispan. cap. 4. Ioannem Regem Castellæ rejecisse Vrbanum ut vitio creatum, Clementem Pontificem quasi liberis comitiis electum salutasse, sed Regis Galli gratiæ magis id datum quàm ad æquitatis regulas expensum. Ad Radulphum quod attinet, constat eum errasse in historia. Ioannes enim Rex Castellæ, qui sprevit Vrbanum, non occidit fratrem suum. Facinus illud referendum est ad Henricum patrem Ioannis, qui virum crudelissimum Petrum Regem Castellæ occidit in bello. Quod autem addit eundem Ioannem adhæsisse Clementi propter amicitiam qua junctus erat Regi Francorum, commentum fuit Vrbani & sequacium ejus, cui jam responsum est suprà pag. 1274. verbis ex relatione Roderici Bernardi petitis. De Mariana nihil dicam nisi quòd si vidisset præclatum illum codicem in quo continentur omnia quæ gesta sunt in conventu Medinensi, nunquam profectò in animum induxisset, multò minùs scripsisset negotium schismatis non fuisse expensum in eo conventu ad regulas æquitatis. Qua de re vide Spondanum an. 1381. §. 3.

Denique Raynaldus Karolo Regi vitio vertit quòd Vrbani legatos audire noluerit. quam sententiam confirmant verba Episcopi Faventini relata suprà pag. 1083. ubi ille conqueritur nunquam in Francia receptas fuisse informationes pro Vrbano. Eadem fuit querela auctoris librorum hierarchiæ subcælestis in modum dialogi scriptorum, apud quem lib. 4. cap. 14. catechumenus quærit cur *illustris ille Karolus quintus, cùm tamen diceretur prudentissimus, à Romana Ecclesia obedientia se divisisse videtur &, ut refertur publicè, fuit nimis credulus olim Cardinalibus contra sextum Vrbanum, parte altera non audita.* Ad quæ ego primò respondeo falsum esse id quod ait Raynaldus. Narrat enim continuator Gallicus Nangii missos esse ab Vrbano quosdam ad Regem qui pluries cum illo locuti sunt de pontificatu ejus, sed tandem dimissos absque responso, quia Rex nondum certò sciebat illum fuisse electum Papam, adeoque adhuc expectare volebat. *Assez tost apres vindrent à Paris devers le Roy ung Chevalier & ung Escuier envoyez devers le Roy de par icellui Barthelemy, qui, comme ils disoient, s'appelloit Pape Vrbain; & apres ce qu'ils orent poursuy le Roy & demeuré par aucuns jours à Paris & qu'ils orent parlé au Roy plusieurs fois, cuidans tousjours que le Roy deust tenir celle election & rescripre audit esleu en nommé comme Pape, le Roy respondi ung jour ausdits Chevalier & Escuier, qui le poursuiveient d'avoir responce, qu'il n'avoit encores eu aucunes certaines nouvelles de celle election, & si avoit tant de bons amis Cardinaulx, dont les plusieurs avoient esté serviteurs de ses predecesseurs Roys de France & de lui, & encores en y avoit plusieurs qui estoient à lui & de sa pension, que il tenoit fermement que se aucune election de Pape eust esté faitte, ils la lui eussent signifiée, & pour ce estoit son entencion de encores attendre jusques il eust autre certification avant que plus avant il procedast en ce fait.* Præterea Petrus Amelii Cardinalis in tractatu tum edito testatur Reges qui Clementis partes sequebantur primò voluisse *informari pro utraque parte de veritate eorum quæ proponebantur tam in facto quàm in jure*, & postea se declarasse pro Clemente *cum magna examinatione negotii & probatione lucida veritatis.* Sed fingamus verum id esse quod ait Raynaldus. Quid in hoc magni mali esset? Loquor enim ex sententia eorum qui ab Vrbano stabant adversùs Clementem. Nam cùm idem Clemens Cardinales de Agrifolio & Pictaviensem misisset in regnum Germanicum & in Angliam, & illi ex itinere adiissent Comitem Flandriæ, *tantum abfuit ut audirentur*, inquit Radulphus de Rivo, *ut ne admissi quidem fuerint, sed rejecti, ac facessere jussi, nisi sibi vincula mallent expectare.* Et cùm postea idem Clemens Petrum de Luna misisset in Galliam, is impetrare non potuit ut audiretur in Anglia, quemadmodum testatur Bonifacius de Amanatis apud Odoricum Raynaldum an. 1394. §. 11. Quoad expostulationem

verò Episcopi Faventini nihil habeo quod respondeam nisi factum esse in Gallia adversùs Vrbanum quod in provinciis ei obedientibus factum est adversùs Clementem. Reperimus quippe in veteri codice MS. Carthusiæ majoris allegationes Cardinalium super Concilio generali; in quibus aiunt ante omnia necesse esse *quòd in Alamania, Vngaria, & Anglia ex nunc recipiantur informationes pro parte Domini nostri Clementis ita bene sicut hactenus pro parte adversa.* Petrus de Sortenaco Cardinalis Vivariensis in tractatu tum edito super via Concilii generalis hinc concludit Vrbanistas magis in Vrbanum inclinasse ex particulari affectione quàm ex zelo justitiæ & veritatis hinc colligi meritò posse *quia informationes veritatis recusant recipere.* Idem testatur Vvenceslaum Regem Boemiæ, qui Romanorum quoque Rex erat, nihil audire voluisse, *sive consisteret in facto, sive in jure, per quod jus illius de Roma revocaretur in dubium.* Petrus Amelii Cardinalis fidem facit Belgas, quos constat in partes Vrbani transgressos esse, per multum tempus *remansisse in pertinacia nolendi informari de veritate.* Denique Bonifacius de Amanatis in loco paulò antè laudato testatur adeo obstinata fuisse ingenia eorum qui partes Vrbani fovebant ut nunquam obtineri ab eis potuerit ut pars Clementis *semel audiretur in facto.* Ilthic omnia sunt paria. Injustè ergo Raynaldus accusat Regem Karolum. Alioqui nos justè accusabimus Reges Alamanniæ, Hungariæ, & Angliæ, qui recipere noluerunt informationes pro Clemente. Homine imperito nunquam quicquam injustius.

Addit Odoricus Raynaldus ut insignem notam malæ ac perditæ conscientiæ in Karolo Rege ipsum audire noluisse oracula sanctorum qui hoc tempore florebant. Et certè mirum non est Raynaldum magni facere hoc argumentum, qui præcipuum fundamentum juris Vrbani ponit in revelationibus sanctorum, qui testantur Deum à se consultum respondisse illius electionem fuisse canonicam & legitimam & illum esse verum Papam. Sed his testimoniis parum inesse auctoritatis existimasse virum sanctissimum Vincentium Ferratium patet ex tractatu ejus de moderno Ecclesiæ schismate par. 2. cap. 5. ubi ista leguntur: *Quantum ad quintam quæstionem respondeo quòd nullatenus est judicandum de papata secundùm prophetas modernos neque secundùm miracula apparentia neque etiam secundùm visiones ostensas.* Eadem fuit sententia Nicolai Eymerici, qui in oratione nomine Cardinalium habita ad Regem Castellæ post reditum ex Italia suum ait in codice 2846. bibliothecæ Colbertinæ: *Num Begardi sancti viri nomine & devoti, qui dicunt se visiones videre & somnia somniare ac à Christo invisibiliter mitti, habent auctoritatem quæstionem hujusmodi decidendi? Absit. Tales enim Pharisæi reprobantur jure divino à Christo, ut patet Matthæi* XXIII. *per totum, & à jure humano extrà de heret. cap. Ad nostrum. & in Clement. & in extravaganti Domini Iohannis* XXII. *Sancta Romana. Nec quòd mittantur credendum est eis. Ita dicunt omnes heretici. Horum enim assertio improbatur extrà de heret. cap. Cùm ex injuncto. Nec de eorum visionibus ac somniis est curandum juxta illud: Somnia ne cures, nam fallunt somnia plures. Sed sunt tradendi diligentius & examinandi Prælatis vel Inquisitoribus hereticæ pravitatis juxta allegatam cap. Ad nostrum. §. Petro.* Quanti enim in negotiis seriis faciendæ sint illæ revelationes, quam vim habeant in judiciis, quantum illis tribuant ii quibus mens sana est, omnes mecum intelligunt. Denique suprà pag. 1223. vidimus etiam adversùs Vrbanum ostensam fuisse prophetiam cuidam viro sancto. Itaque necesse est detrahere omnem fidem revelationibus aut fateri Vrbanum fuisse malum hominem ac turbasse mundum & Ecclesiam Dei.

Ait postremò Raynaldus Karolum noluisse controversiam de summo pontificatu referri ad Concilium œcumenicum. Adversùs quam accusationem responderi potest dupliciter. Primò ob eam causam à Gallis rejectam fuisse eam viam extinguendi schismatis quia insuperabiles difficultates occurrebant in congregando Concilio generali, & ex ea occasione perpetuabatur schisma. Deinde certum est illos quoque qui maximè Concilii congregationem urgebant eam maximè noluisse eamque recusasse, & ludificationem potiùs fuisse quàm rem seriam, ut suprà pag. 1109. multis testimoniis confirmatum est. His verò nunc addere lubet testimonium Cardinalium qui cum Clemente erant, qui tum insimul scripsere publicè de causa Concilii generalis: *Poterit etiam tangi quòd multa difficultates occurrerent si deberet celebrari Concilium pro tota christianitate. Oporteret enim priùs scire de voluntate Bartholomei, an se vellet submittere, quia jam per annum non potuit habere consensus ipsius.* Item testimonium Petri de Sortenaco Cardinalis Viuariensis, cujus hæc sunt verba ex literis missis ad Cardinales Florentinum & Mediolanensem quoad Concilium: *Item est tertiò considerandum quòd adversarius nullo modo vult Concilium. Imò nedum denegavit Dominis meis, imò Regibus pluribus, scilicet Castella, Aragonia, & Boemia.* At si facilis & in promptu fuisset congregatio Concilii, si illa his difficultatibus impedita non fuisset quæ recensentur in scriptis tunc editis, dubium non est quin eam Karolus amplexus esset, qui propterea in initiis istius contro-

versiæ

versiæ coegit Lutetiæ conventum Episcoporum & virorum doctissimorum ut exquireret modum quo finis imponi posset schismati. In eo quippe conventu, cui interfuit etiam Vvenceslaus Dux Brabantiæ, conclusum fuit quòd illa via Concilii generalis non erat possibilis nec sequenda. Ita testatur Petrus Amelii Cardinalis Ebredunensis in tractatu tum edito. *Et aliàs*, inquit, *ita fuit conclusum quando bone. Dominus Dux Brebancia petebat Parisius illam viam.* Et paulò pòst addit *qualiter Dux Brebancia aliàs hoc petierat, & super hoc fuerat plenè deliberatum, & finaliter conclusum quòd illa via non posset teneri.* Denique Karolo eadem in hoc negotio mens fuit quam sibi fuisse testatur suprà pag. 551. Ludovicus Comes Flandriæ, nimirum paratum illum fuisse stare declarationi Concilii generalis, ut docet illa ipsa declaratio quam Raynaldus emisit in publicum ex codice Vaticano. Quare rectè orthodoxus apud auctorem librorum de hierarchia subcælesti sic respondet objectioni catechumeni quam nos suprà pag. 1276. retulimus. *Omissis*, inquit, *pluribus occurrentibus de divisione hac volentibus altercare, quæ hinc inde dicta, scripta, factaque fuere, de quibus non spectat pro nunc discutere, quia & opusculo alio nisi sumus disserere, noli tu, fili, credere quòd præfatus Rex tam fidelis & prudens, quem constituit Dominus super Franciam super omnia regna mundi divinis cultibus & ecclesiasticis moribus dedicatam, ab obedientia sancta Romana Ecclesia & multò minùs Ecclesia catholica se voluisset vel ad momentum dividere, quinimmo tam in vita quàm in morte in ea studuit se unire.* Et infrà: *Si igitur zelator talis ac tantus Ecclesia ingenuus Rex Francia religiosissimus & ingeniosissimus visus est ad tempus parvum se dividere ab illis forsan quos credebat æmulos vel inimicos morum Ecclesia catholica, hoc non vitio sed maxima laudi, non præsumptioni sed divina æmulationi potiùs debet ascribi.* Opus illud exstat in codice 846. celeberrimæ Ecclesiæ sancti Victoris Parisiensis & in codice 3288. bibliothecæ Colbertinæ. In calce verò ejusdem operis ita scriptum est in codice Victorino: *Explicit quartus liber gerarchia subcælestis, recollectus Senis per quendam de ordine Prædicatorum Episcopum; cujus nomen utinam deleatur de libro virtutum temporaliter ut scribatur finaliter in libro vitæ.* Sanè in codice Colbertino pro voce *Prædicatorum* legitur *Carmelitarum.* Sed istud est à manu multò recentiore, & constat aliam in eo loco scripturam fuisse quæ crasa est ut vox *Carmelitarum* superscriberetur.

Hactenus de morte Karoli V. Regis Francorum. Superest ut ea quoque enarremus quæ erga animam ejus à corpore separatam gesta esse perhibuit Rodericus Conimbricensis Minorita, vir prophetico spiritu insignis, qui sub terras usque ad ultimos inferni terminos sedesque per somnia penetravit. Ait ergo Marcus Vlyssipponensis apud Bzovium an. 1378. §. 38. illum dixisse Karolum Regem Galliarum paucis abhinc diebus divinitus extinctum inque inferno sepultum pœnas dependere atrocissimas schismatis. Bzovio circumspectior & sapientior Vvaddingus an. 1381. §. 2. noluit referre has nugas & has ineptias, sed verbis generalibus eas involvit, historicum agens sincerum, sed suo judicio utens.

OUDENARDE] Vide Vvalsinghamum pag. 306. edit. Francofurt. Froissartum vol. 2. cap. 102. & seqq. & Ioannem Iuvenalem de Ursinis in vita Karoli VI. pag. 31. edit. regiæ, qui accepit ex auctore vitæ Karoli VI. nondum edito.

LONDONIENSES] Vide Vvalsinghamum pag. 250. & seqq. & Froissartum vol. 2. cap. 76. & seqq. P. 500.

SIMON DE SUBERIA] sic dictus à loco originis suæ. Filius enim erat Nigelli Tyboldi. Vide auctorem antiquitatum Ecclesiæ Britannicæ pag. 254. ubi scriptum est illum fuisse causarum auditorem in Rota Romana & factum Cancellarium academiæ Sarisburiensis ab Innocentio VI. De officio auditoris testimonium habetur etiam apud Ægidium Bellameram in cap. *Veniens.* 2. de testibus. Cancellarium Ecclesiæ Saresburiensis & Capellanum ejusdem Innocentii fuisse patet ex ejus bulla data apud Villam-novam XI. Kal. Iulii anno sexto, qua Vvillelmo de Forseneto magistro in theologia & perpetuo vicario Ecclesiæ parrochialis de Mildenhale Norvvicensis diocesis concedit ut ei liceat docere theologiam in Ecclesia Saresburiensi, ad quod ministerium electus erat à Simone Cancellario, & ut non teneatur intra biennium residere in sua Ecclesia. Factum esse Archiepiscopum Cantuariensem anno MCCCLXXV. docet Vvalsinghamus. De ejus morte vide eundem Vvalsinghamum p. 250. Froissartum vol. 2. cap. 76. & vitam Karoli VI. Regis Francorum pag. 18. 36. edit regiæ. Fratrem habuit Thomam legum Doctorem & Rotæ Romanæ auditorem, ut testatur Guillelmus Horbort Alemannus in Decisionibus Dominorum de Rota quas novas appellant, decis. 6. de electione.

UT MARTYR] Quamvis martyrem non faciat pœna, sed causa, ut ait sanctus Cyprianus, tamen multi vocati sunt martyres qui passi non erant pro asserenda religione Christiana. Cujus moris multa extant exempla, in primis verò martyrium sancti Thomæ Cantuariensis. Ad hæc tempora quod attinet, Franciscus de Urbino Episcopus Faventinus in oratione quam habuit ad Regem Ca- P. 502.

stellæ fratrem Menendum Cordubensem Episcopum, quem missum in Hispaniam ab Vrbano VI ceperat Petrus Bernardi Catalanus, ut ad annum 1379. §. 43. 50. ait Odoricus Raynaldus, & Clementi tradiderat, qui eum, si vera fama, vinculis addixerat, hunc inquam Menendum Episcopus Faventinus vocat martyrem his verbis: *Miserat siquidem primò patrem meum Reverendum Episcopum Cordubensem verum martyrem, qui in suis persecutionibus, à quibus anno revoluto Dei gratia liberatus est, bene ostendit constantiam Hispanitam. Nescio quid erit in patria sua. Sed scio quòd in nostra idem Episcopus tanta fuit reputationis & est, tum propter religionis & vitæ austeritatem, tum propter scientiæ profunditatem, quia solemnis magister est, multos suo provocaret exemplo.* Quo loco mirari cogor acre judicium Odorici Raynaldi, qui in hoc loco accusat Clementis & sequacium ejus crudelitatem, *qui in Vrbani nuntios saviebant*, inquit, *ne eorum ore veritas in lucem emergeret*, & nullam mentionem facit insatiabilis crudelitatis quam Vrbanistæ adhibuerunt in Iacobum de Itro Cardinalem.

IOHANNES R. CASTELLÆ] Quæ istic commemorantur acta in celebri conventu regni Castellæ, ea omnia nobis servavit bona literarum fortuna in præstantissimo codice MS. qui fuit olim Petri de Luna Cardinalis, illins qui sub Benedicti XIII. nomine papatum Romanum tenuit per tot annos. Institui autem isthic earum rerum breviarium referre in gratiam studiosorum. Sed antè quàm destinata componam, necessarium in primis arbitror enarrare historiam hujus codicis, ut hinc quoque ejus auctoritas commendetur. Ioannes Rex Castellæ, jussus enra habitus est hic conventus, cùm apud se habere vellet integram collectionem rerum in eo gestarum, omnia quæ illic dicta aut lecta sunt in uno prægrandi volumine membranaceo describi curavit, quod ad originalia, ut vocant, recognosci & conferri voluit per Petrum Fernandi de Pinna Archidiaconum Carrionensem in Ecclesia Palentina, qui officio Notarii fungebatur in toto isto negotio. Sic enim testatur idem Archidiaconus in calce voluminis. *Ego Petrus Fernandi de Pinna Archidiaconus de Carrione in Ecclesia Palentinensi, Bacalarius in decretis, per sanctæ memoriæ Dominum Innocentium Papam VI. pontificatus sui anno secundo auctoritate apostolica Notarius publicus creatus, ad jussum, mandatum, & requisitionem illustrissimi Principis Domini Iohannis Castellæ & Legionis Regis omnibus & singulis suprà in præsenti libro hujusmodi voluminis in ducentis septuaginta septem foliis pergameni scriptis quasi & concentis, dum sic & prout in eis narratum est & expressum fuerunt dicta, exhibita, narrata, producta, allegata, facta, & actitata, tanquam Notarius publicus unà cum Domino Fernando Martini quondam Archidiacono de Nebula in Ecclesia Ispalensi publico apostolica & imperiali auctoritate Notario ad perhibendum fidem de prædictis &c. per dictum Dominum Regem requisito & rogato ac testibus suprascriptis præsens interfui, ac omnia & singula in prothocollum meum recollegi, de quibus hujusmodi volumen ducenta septuaginta septem folia continens in publicam formam redegi, & aliis occupatus negotiis fideliter per alios scribi feci, & ea concordavi, signoque meo solito signavi, & in fine cujuslibet folii ex utraque parte nomen meum apposui in testimonium omnium & singulorum præmissorum rogatus & requisitus.* Hunc codicem postea Petrus de Luna detulit Avenionem, & tandem Paniscolam; unde relatum est Avenionem à magno illo Petro Cardinale Fuxensi. Nam cùm Martinus V. illum misisset in Arragoniam ut finis imponeretur schismati per renuntiationem Clementis VIII. successoris Benedicti, Fuxensis post rem feliciter gestam redegit in suam potestatem (ut docet Bernardus de Rosergio tum Cancellarius Ecclesiæ Tolosanæ, postea verò Archiepiscopus) libros utriusque facultatis, id est, juris civilis & canonici, & regesta multa Romanorum Pontificum quæ in castro Paniscolæ, ubi Benedictus interierat, inventa sunt, & Avenionem transtulit. Postea cùm condidisset apud Tolosam collegium quod ex nomine ejus vocatur Fuxense, illud instruxit locupletissima bibliotheca composita ex plurimùm ex libris qui fuerant Petri de Luna, inter quos erat etiam iste codex. Mansit ille perdiù in eo collegio donec ætate nostra transiit in potestatem illustrissimi viri Caroli de Montchal Archiepiscopi Tolosani. Eo deinde mortuo, pervenit ad virum clarissimum Alexandrum Petavium Pauli filium senatorem Parisiensem. Demum illo quoque extincto, vir superillustris Achilles Harlæus Princeps nunc senatus Parisiensis illum dato pretio comparavit. Huic censetur in ejus bibliotheca. Habet autem folia 277. ut suprà dictum est.

Illius præclari codicis honorificam mentionem antea fecere duo magni nominis Episcopi, Franciscus Bosquetus Monspeliensis, & Henricus Spondanus Appamiensis, prior quidem in Notis ad historiam Pontificum Romanorum qui Avenione sederunt, alter in annalibus ecclesiasticis. Sed in eo non reperiuntur omnia quæ à Spondano an. 1381. §. 3. recensentur; quippe qui non hunc solum codicem Fuxensem commemorat, sed alium etiam ejusdem magnitudinis, qui nunc habetur in bibliotheca Colbertina numero 814. signatus.

His ita enarratis, nunc stilum convertamus

ad descriptionem rerum quæ continentur in codice Harlæano, seu potiùs earum rerum quæ facta sunt in celeberrimo conventu habito apud Medinam campestrem in diœcesi Salmanticensi anno MCCCLXXX. exeunte & prioribus mensibus anni sequentis. Cui quidem conventui interfuere nomine Clementis VII. Petrus de Luna Cardinalis, nomine verò Vrbani Franciscus de Vrbino Episcopus Faventinus & Franciscus de Siclenis de Papia (non verò de Padua, ut per errorem dictum est à quodam nupero scriptore) legum professor.

Primo ergo loco ponitur in codice illo brevis narratio eorum quæ ab Henrico & Ioanne Regibus Castellæ acta sunt in causa schismatis antè quàm celebraretur iste conventus, ut sciri verè posset quis è duobus de summo pontificatu contendentibus haberet meliorem causam. Quam narrationem, quia basis & fundamentum est omnium dicendorum, heic describere operæ pretium existimavi, quamvis sit longiuscula. Sic ergo habet initium illius codicis.

» IN CHRISTI NOMINE. Amen. Incipit prima pars processus facti & habiti coram serenissimo ac præillustrissimo Principe Domino Iohanne Dei gratia Castellæ & Legionis Rege ac de ipsius mandato in villa Metinæ del Campo Salamantinensis dioecesis & super exorto nuper scismate in Ecclesia Dei circa electiones duas, unam videlicet de Reverendo Patre Domino Bartholomæo tunc Archiepiscopo Barensi, secundam de Reverendissimo Patre & Domino Domino Roberto tunc Cardinale Gebennensi, in summum Pontificem per sacrum collegium Reverendissimorum Patrum Dominorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium celebratas, prosequentibus electionem primam Reverendo Patre Francisco de Vrbino Faventino Episcopo & venerabili viro Francisco de Siclenis de Papia legum famoso professore ambaxiatoribus ejusdem primi electi, quem sanctissimum Dominum Vrbanum Papam sextum nominabant, secundam verò electionem prosequente Reverendissimo in Christo Patre & Domino Domino Petro de Luna S. Mariæ in Cosmedin sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diacono Cardinali asserente se Legatum dicti secundi electi, quem sanctissimum Dominum Clementem Papam septimum nominabat, necnon ex parte sacri collegii Dominorum Cardinalium ad informandum dictum Regem Castellæ de utraque electione transmissis. Et est sciendum ante omnia quòd claræ memoriæ Dominus Enricus Rex Castellæ & Legionis pater & genitor dicti Domini Regis Iohannis audito olim de electione primi, scilicet Bartholomæi, & subsequenter de Cardinalium divisione seu subtractione ab illo, necnon declaratione facta per eos Anagniæ quòd ille primus non erat Papa; demum verò de electione alia per eosdem Cardinales Fundis celebrata de persona secundi, scilicet Roberti, anxius & perplexus idem Rex Enricus ex hujusmodi diversitate gestorum, ac dubius quid in hoc casu ancipiti eum sequi aut facere oporteret, propter multa quæ occurrebant, & quia magni doctores circa hujusmodi negotium diversimodè sentiebant, voluit esse indifferens in hac parte, ut etiam liberiùs inquirens de re gesta ad agnitionem veritatis hujus negotii, cui intendebat, si faveret divina pietas, perveniret. Sed eo, sicut Domino placuit, in sinceritate catholicæ fidei de medio sublato, memoratus Dominus Iohannes ejus filius legitimus atque heres & successor in regno pariter & in voto, dum apud civitatem Burgensem solemnes ac generales curias pro sua felici coronatione teneret, ibique fecisset introduci istud negotium in præsentia Archiepiscoporum & Episcoporum ac nobilium & militarium & quamplurium in sacra pagina magistrorum doctorumque juris canonici & civilis & aliorum multorum etiam literatorum regni sui, demum consideratis diversis tractatibus & scripturis quæ occasione hujusmodi jam hinc inde emanarant, singulisque in disceptationem deductis, quia tandem occurrebant dubia in mentibus singulorum eò quòd factum variari videbatur hinc inde & casus certus seu indubitabilis nequibat tunc in materia reperiri, deliberavit idem Rex saniori suorum ductus consilio indifferentiam dicti sui genitoris ac cœptum perquirendæ veritatis negotium amplecti, ne, quod absit, de negligentia prosecutionis tam piæ, tamquè meritoriæ causæ contingeret eum apud supremum judicem argui ac propter indiscussionem ipsius rei errorem forsan incurrere circa id quod eligere ac sequi in isto casu deberet. Quapropter Rex ipse, antequam ad ulteriora procederet, ambassiatores nuntiosque suos solemnes in Romam ac Avinionem ad utrumque electorum direxit quatenus ab eis casus instructionesque suarum electionum requirerent, & ut eorum quilibet nuntios suos sufficienter instructos ad Regem præfatum prò conscientiæ illius informatione dignaretur transmittere cum modestia decentique instantia supplicarent, & similiter ab aliis personis illarum partium de re gesta notitiam habentibus, cùm adhuc recens foret ipsius rei memoria, informationes seu depositiones reciperent sibi fideliter reportandas. Quæ omnia & singula iidem nuntii regii illuc se in apparatu debito conferentes opere compleverunt. Et subsequenter præfati Domini electi ad summum, ut præmissum est, pontificium dictos

» suprà & infrà designatos nuntios seu legatos » ad memoratum Dominum Iohannem Castellæ & Legionis Regem miserunt. Qui ad præsentiam ipsius sigillatim & prout commodè valuerunt pervenientes in primis arengas ac propositiones suas publicas & solemnes super causa adventus sui apud Metinam Salamantinensis diocesis Domino Regi fecerunt seu etiam præsentarunt in forma sequenti.

Die igitur Veneris XXIII. Novembris anni MCCCLXXX. Petrus de Luna longam orationem habuit sermone Hispanico, quæ postea in Latinum versa heic descripta est integra. Contendit autem manifestam fuisse violentiam in electione Vrbani, adeoque illam esse nullam ipso jure. Denique obtestatur Regem ut justas Clementis partes tueatur.

Deinde die dominica XXV. Novembris Franciscus Episcopus Faventinus longissimam orationem habuit pro Vrbano, quam in veritates XVII. divisit.

Die lunæ XXVI. Novembris Rodericus Bernardi, quem Rex unà cum fratre Fernando de Yliescas ordinis Minorum ejusdem Regis confessore & Alvaro Melendi legum Doctore miserat Romam & Avenionem ad investigandum & perquirendum veritatem quis ex duobus esset verus Papa, obtulit bullam clausam Vrbani, quam Episcopus Faventinus circa finem mensis Augusti ei tradiderat Romæ de mandato primi electi; quam cùm Episcopus Faventinus recognovisset eam esse quam tradiderat Roderico, aperta est, & in ea inventi sunt unus sexternio & unus quaternio continentes casum primi electi, id est, narrationem eorum per quæ ille ostendere nitebatur se verè & canonicè factum esse Papam. Aderant tum in conventu Rex ipse, Petrus Archiepiscopus Toletanus, Petrus Hispalensis, Ioannes Episcopus Seguntinus, Alfonsus Abulensis, Ioannes Giennensis, Fernandus Legionensis, Petrus de Ayala Miles, & duo nuntii Bartholomæi. Postea describitur Casus sive Factum verum & processus promotionis Vrbani, illud ipsum nimirum quod editum est apud Odoricum Raynaldum anno 1378. § 73.

Die XXVII. Petrus Cardinalis de Luna attulit in medium unum quaternum papyri sex foliorum, præsentibus Rege Ioanne, Petro Archiepiscopo Toletano, & Petro Hispalensi, Ioanne Episcopo Seguntino, & Petro Tirasonensi, Petro Fernandi de Velasco Camerario majore, & Didaco de Astunenga Cubiculario dicti Regis. Eodem tempore Rex afferri jussit epistolam quam Clemens VII. ad eum scripserat VII. Kal. Iunii anno secundo. Primùm lecta est epistola illa, deinde Casus Cardinalium, qui continebatur in dicto quaterno. Incipit autem: *Cùm propter falsam assertionem.* Editus est in tomo quarto historiæ Vniversitatis Parisiensis pag. 468.

Sequitur propositio seu relatio quam die quarta mensis Decembris Dominus Rodericus Bernardi jussus per prædictum Dominum Regem Castellæ sibi & in hospitio suo fecit in præsentia Ioannis Episcopi Seguntini & Alvari Martini Doctoris in legibus & Licentiati in canonibus de his quæ cum fratre Fernando ordinis Minorum confessore regio egerat apud Romam & Avenionem. Deinde præfatus Dominus Rodericus Bernardi statim ibidem exhibuit & tradidit in scriptis præfato Domino Regi dicta testium per eum & ejus socios ambaxiatores regios tam Avenioni quàm Romæ sub sacramenti præstatione habita & recepta.

Sequuntur nomina eorum quos dicti ambaxiatores primitus habuerunt & examinaverunt apud Avenionem. Cardinalis Lemovicensis, Cardinalis sancti Eustachii, Cardinalis Vivariensis, Cardinalis sancti Angeli, Cardinalis Majorismonasterii, Cardinalis de Vernio, Cardinalis de Britannia, Cardinalis Cusentinus, Cardinalis Pampilonensis, Cardinalis Glandatensis, Patriarcha Constantinopolitanus, Camerarius secundi electi, Archiepiscopus Neapolitanus, Episcopus Cathaniensis, Episcopus Valentinus olim Marsiliensis, Episcopus Firmanus, Episcopus Grassensis, Generalis Minorum, Poncius Berardi, Gilbertus, Ioannes de Bato, Bonifacius de Amanatis, Ægidius Bellemeri, frater Nicolaus Aymerici, Guido de Pruinis, Bindo Prior sanctorum, Petrus Rostagni, Ioannes de Lodon, Thomas auditor Domini Mediolanensis, Bernardus de Virididuno, frater Bartholomæus procurator ordinis Carmelitarum.

Nomina verò eorum qui jurati ac examinati per dictos ambaxiatores deposuerunt apud Romam sunt hæc. Nardus apothecarius, Guillelmus de Bulla, P. Albucius, Ioannes de Paparonibus, Ioannes Bolcardi, Iacobus Palucii, Antonius de Augusta, Alexius Petri, Franciscus de Fara, Iacobus Camerarius, Petrus de Sardis, Guillelmus Tenor, Vualterus de Argentina, Buccius Petri, Henricus de Buda, Ioannes de Papazaris, Fredus de Canali, Lulius Madalenus. Item Cardinalis de Pavia, Cardinalis Sistaricensis, frater Nicolaus Cardinalis, Episcopus Tudertinus, Episcopus Castrensis, Episcopus Reatinus, Episcopus Lucerinus, frater Raymundus de Capua, Nicolaus de Vrsinis, Bernardus de Cucurno, Thomas Petra.

Die sexta Decembris, quæ fuit festivitas sancti Nicolai, Rex Missam per Alfonsum Episcopum Abulensem celebrari fecit in suis ædibus; illicque præsentibus ex parte Clementis Petro de Luna Cardinale, fratre Angelo

Episcopo Pisaurensi, Petro Episcopo Tirasonensi, fratre Angelo ministro generali ordinis Minorum, & Fernando Petri Decano Tirasonensi, ex parte Vrbani Gutetio Gomecii Cardinale Hispano, Francisco Episcopo Faventino, & fratre Menendo ordinis Minorum, ac Francisco de Siclenis de Papia legum Doctore, præsentibus etiam Petto Toletano & Petro Hispalensi Archiepiscopis, ac Ioanne Seguntino, Gundisalvo Calagurritano, & Ioanne Giennensi Episcopis, legi fecit formulam juramenti quod de dicenda veritate præstare debebant Cardinales & alii utriusque partis heic nominati, itemque formulam juramenti quod de ferendo secundùm conscientiam judicio præstare debebant Episcopi & alii viri quos Rex delegabat ad causæ istius examinationem. Hi fuere Archiepiscopi & Episcopi paulò antè nominati, tum etiam frater Alfonsus Episcopus Astoricensis, Petrus electus Oxomensis, Fernandus Alfonsi Decanus Burgensis, Didacus Fernandi Thesaurarius Toletanus, Fernandus de Sanles ordinis Minorum magister in sacra pagina, Fernandus Sancii Canonicus Hispalensis, Rodericus Bernardi & Didacus de Currali audientiæ regiæ auditores, frater Ioannes Alfonsi de Toleto minister Provincialis fratrum Minorum provinciæ Castellæ, Ioannes Sancii & Alvarus Martini Doctores decretorum, Petrus Fernandi Doctor legum, frater Fernandus de Illiescas ordinis Minorum confessor Regis, Ioannes Alfonsi de Palacios Licentiatus in decretis, frater Lupus ordinis sancti Augustini conventus Toletani, Fernandus Martini Archidiaconus de Niebla in Ecclesia Hispalensi, Petrus Fernandi Archidiaconus de Carrione in Ecclesia Palentina, & frater Petrus Prior monasterii de Abiago ordinis beati Hieronymi Palentinæ dioecesis. Hæ formulæ descriptæ sunt in hoc loco, ex Hispanica lingua versæ in Latinam.

Die decima mensis Decembris Rex nominavit quosdam viros insignes ad recipienda dicta testium secundùm articulos contentos in casibus utriusque electi, videlicet Archiepiscopos & Episcopos antè nominatos, & inter hos etiam Alfonsum Abulensem, fratrem Nicolaum Priorem Vallisoletanum fratrum Prædicatorum, fratrem Ioannem Alfonsi Toletanum ordinis Minorum ministrum provincialem Castellæ, Didacum Fernandi Thesaurarium Toletanum, Ioannem Alfonsi Doctorem in utroque jure, Alvarum Martini Doctorem decretorum, Petrum Fernandi Doctorem in jure civili, Rodericum Bernardi & Didacum de Currali auditores audientiæ regiæ, Ioannem Alfonsi Licentiatum in decretis, fratrem Lupum ordinis sancti Augustini conventus Toletani, fratrem Fernandum confessorem Regis, fratrem Ioannem Vitalis ordinis Minorum, & fratrem Petrum de Guadalfajara monasterii sancti Bartholomæi de Lupiana ordinis sancti Hieronymi, omnes ibidem præsentes. Tum eis data formula juramenti quod excipere deberent à testibus, quæ ex Hispanico sermone versa in Latinum heic habentur. Postea attendentes deputati ipsi quòd eos simul unum solum testem examinare erat longissimum, & multum temporis perderetur propter multitudinem examinandorum testium, diviserunt se in tres turmas. Quibus sic factis, iidem deputati ad receptionem & examinationem testium processerunt à die XXVIII. Decembris usque ad principium mensis Maii sequentis.

Sequitur casus primi electi divisus per articulos, is ipse qui suprà pag. 1185. commemoratus est, sed divisus in articulos CIV. & additiones XXXV.

Postea sequuntur interrogatoria formata & habita circa casum primi electi, super quibus interrogandi & examinandi erant testes, divisa in articulos LXXXIII.

Deinde casus secundi electi divisus per articulos, is ipse qui suprà pag. 1185. commemoratus est, sed divisus in articulos LXXXIX. & additiones XL.

Postea interrogatoria super quibus interrogandi & examinandi erant testes super casu secundi electi, additis aliquibus articulis datis per Cardinalem de Arragonia & aliquibus aliis ex officio, divisa in capita CVII. & additiones XIV.

Post ista omnia describitur bulla facta per Dominum Gregorium XI. ante obitum suum, videlicet quòd major pars Cardinalium posset eligere Papam post obitum suum in & extra conclave & tempus abbreviare & prolongare pro ea vice. Edita est apud Odoricum Raynaldum an. 1378. §. 2.

Sequuntur depositiones aliquorum Cardinalium ac aliorum etiam examinatorum Avenioni mense Maio anni millesimi trecentesimi LXXX. per Rodericum Bernardi, fratrem Fernandum, & Alvarum Menendi Doctorem ambaxiatores Domini Regis Castellæ, illuc & Romam missos pro inquisitione veritatis circa materiam dictorum duorum electorum ad summum pontificatum. Sequuntur ergo depositiones Bertrandi Cardinalis Glandatensis Episcopi Ostiensis, Ioannis Cardinalis Lemovicensis, Hugonis Cardinalis de Britannia, Gerardi Cardinalis Majorismonasterii, Petri Cardinalis de Vernio, Petri Cardinalis sancti Eustachii, Petri Cardinalis Vivariensis, Guillelmi Cardinalis sancti Angeli, Nicolai Cardinalis Cusentini, Petri Cardinalis Pampilonensis, Ioannis Patriarchæ Alexandrini & Archiepiscopi Tolosani, Thomæ

Archiepiscopi Neapolitani, Heliæ Cathaniensis Episcopi, Guillelmi Episcopi Valentini, olim Massiliensis, Antonii Episcopi Firmani, Artaudi Episcopi Grassensis, Poncii Beraldi correctoris literarum apostolicarum, Gilaberri secretarii Papæ natione Alemanni, Ioannis de Baro Subdiaconi Papæ, Bonifacii de Amanatis legum Doctoris, Ægidii Bellameræ auditoris literarum contradictarum Domini Papæ, Guidonis de Prohinis olim senatoris Romanorum, Bidonis Prioris sanctorum, Ioannis de Lodon aliàs de Narbona Presbyteri, Thomæ decretorum Doctoris & auditoris Cardinalis Mediolanensis, Beroardi de Virididuoo Licentiati in decretis, fratris Bartholomæi procuratoris generalis ordinis Carmelitarum, fratris Nicolai Eymerici Inquisitoris Arragoniæ, fratris Angeli generalis Minorum, Petri Camerarii Papæ fratris Domini Cardinalis Lemovicensis, & Petri Rostagni domini loci de sancto Crispino.

Deinde sequuntur depositiones testium receptorum Romæ per Rodericum Bernardi & fratrem Feroandum, scilicet Nardi apothecarii, Guillelmi de Bulla, Petri Albuchii Presbyteri, Ioannis de Paparonibus Canonici sancti Petri, Ioannis Bolcardi magistri capellæ Domini Papæ Vrbani, Iacobi Palucii civis Romani, Antonii de Agusta Canonici Ecclesiæ Lateranensis, Fredi de Canali Ostiarii Papæ, Alexii Petri Pauli Henrici civis Romani, Francisci de la Fara Doctoris in medicina, Iacobi Camerarii Cardinalis sancti Petri, Petri de Surdis Canonici sanctæ Cæciliæ, Guillelmi Tenoris capellæ Domini Papæ Vrbani, Valcheri de Argentina, Buchii Petri Iacobi, fratris Henrici de Buda pœnitentiarii Papæ Vrbani, Ioannis de Papazaris, Bonaventuræ Cardinalis de Padua, Nicolai Cardinalis Vrbani, Raynulphi Cardinalis Sistaricensis, Stephani Episcopi Tudertini, Episcopi Reatini, Thomæ Episcopi Lucerini, Ioannis Episcopi Castrensis, Lelli Magdaleni civis Romani, fratris Raymundi de Capua magistri generalis ordinis fratrum Prædicatorum, fratris Bartholomæi de Cucutno ordinis fratrum Minorum, & Thomæ Petræ Canonici Patracensis.

Finitis tandem depositionibus testium utriusque partis, describuntur dubia Archiepiscopi Tolerani data Alvaro Episcopo Zamorensi, qui ibat Niciam ad Cardinales Florentinum & de Mediolano. Et mox subjiciuntur responsiones ad dicta dubia Domini Toletani scriptæ per manum Domini Florentini.

Sequuntur depositiones generales nonnullarum personarum tredecim numero quæ de mandato Domini Regis ac deputatorum prædictorum dederunt per scripturam ea de quibus recordabantur circa materiam primæ electionis. Eorum nomina hæc sunt. Frater Petrus de Guadalfajara, frater Ferrarius de Vergos ordinis Minorum, Petrus Alfonsi Canonicus Hispalensis, Ioannes Abbas sancti Isidori Hispalensis, Rodericus Fernandi portionarius Ecclesiæ Hispalensis, frater Alfonsus de Melide tertii ordinis sancti Francisci, Garsias electus Auriensis, frater Michael monasterii sancti Bartholomæi de Lupiana, Ioannes Remigii de Guzman Archidiaconus del Alcor in Ecclesia Palentina, Alvarus Martini Doctor decretorum, Fernandus Gudiel Episcopus Legionensis, Alfonsus Fernandi Presbyter Hispalensis, & Thomas Gundisalvi Thesaurarius Compostellanus.

Postea describuntur depositiones in speciali super casu primi electi habitæ & receptæ per dictos deputatos Metinæ à diversis personis medio juramento superiùs scripto examinatis. Eorum qui speciales depositiones fecerunt hæc sunt nomina. Frater Ferrarius de Vergos ordinis fratrum Minorum, Petrus Alfonsi Canonicus Hispalensis, Alvarus Gundisalvi Canonicus Cordubensis, Rodericus Fernandi portionarius Ecclesiæ Hispalensis, Ioannes Garsiæ Decanus Calagurritanus, frater Alfonsus de Melide tertii ordinis sancti Francisci, Garsias Martini electus Auriensis, frater Michael professus ordinis sancti Hieronymi, Ioannes Remigii de Guzman Archidiaconus del Alcor in Ecclesia Palentina, Didacus Martini de Vrduña Canonicus Toletanus, Alvarus Martini Doctor decretorum, frater Menendus ordinis fratrum Minorum Episcopus Cordubensis factus per primum electum, Petrus Abbas sancti Facundi, Fernandus Episcopus Legionensis, Alfonsus Azero Archidiaconus de Metina in Ecclesia Salmanticensi, Petrus Roderici Canonicus Cordubensis, frater Petrus Cordubensis conventus sancti Bartholomæi de Lupiana, frater Ioannes Roderici Episcopus de Neuparras, Franciscus Fernandi Cantor Palentinus, Marcus Fernandi Abbas de la Vaoza in Ecclesia Palentina, Ioannes Sancii portionarius Toletanus, Garsias Petri de Tassara, Sancius Archidiaconus de Guiart in Ecclesia Pampilonensi, Petrus Fernandi Archipresbyter de Fira, Ioannes Sancii Canonicus Hispalensis, Alfonsus Fernandi Presbyter Hispalensis, Thomas Gundisalvi Thesaurarius Compostellanus, Ioannes Columbi clericus diocesis Avenionensis, Fernandus Perri Decanus Ticasonensis, Nicolaus Martini Archidiaconus Salamantinus, frater Angelus generalis minister ordinis Minorum, Bonifacius de Pistorio, aliàs de Amanatis, legum Doctor, Ægidius Sancii Muionis Præpositus Valentinus, & frater Angelus Episcopus Pistauriensis.

Descriptis depositionibus testium interroga-

torum super casu primi electi, ponuntur per ordinem depositiones eorum qui interrogati fuere super casu secundi electi.

Testes iidem omnino fuere qui interrogati fuerant super casu primi electi.

Sequuntur deinde responsiones publicè factæ coram Rege ejusque toto consilio per Cardinalem Hispanum, Episcopum Faventinum, & Franciscum de Sienensis de Papia ad casum secundi electi anno MCCCLXXXI. die quarta mensis Martii.

Ponuntur postea responsiones Petri de Luna Cardinalis, Episcopi Pisaurensis, & Bonifacii de Amanatis ad casum primi electi factæ publicè coram Rege ejusque toto consilio.

Finitis responsionibus partium, describitur consequenter intimatio per Dominos Cardinales facta universis quòd Barensis est intrusus. Incipit sic: *Exigit sanctæ & catholicæ fidei puritas.* Edita est in secunda vita Clementis VII. pag. 542.

Sequitur qualiter Cardinales notificant universis quòd Dominus Clemens fuit rite & canonicè per eos electus & solemniter inthronizatus & coronatus. Incipit: *Quoniam nonnulli intrusionem detestabilem.*

Deinde litera septem Cardinalium suis sigillis sigillata existentium Avenioni notificansium intrusionem primi electi. Incipit: *Ad vestram notitiam deducimus.*

Tum intimatio & notificatio Cardinalium deprecantium universos Christi fideles ut Clementi adhæreant. Incipit: *Speculatores à Domino Deo.*

Protestatio Domini Bertrandi Cardinalis Glandatensis antequam intraret conclave suo sigillo sigillata cum subscriptione Notarii. Incipit: *In nomine Domini. Amen.*

Confessio Domini Anglici Cardinalis Albanensis cum signis duorum Notariorum & suo sigillo sigillata. Incipit: *Universis & singulis præsentes literas inspecturis.*

Instrumentum confessionis Domini Cardinalis sancti Eustachii cum signo & subscriptione Notarii & undecim testium. Incipit: *In nomine Domini. Amen.*

Extractiones quædam habitæ à dictis testium per illos de consilio regio; quorum aliqua facere videntur pro libertate electionis primæ, & quædam pro coactione seu impressione.

Sequuntur conclusiones illorum de regio consilio circa dubia & allegata super materia. Subscribunt præter eos alii multi viri docti, & inter hos Martinus Episcopus Pampilonensis.

" Post præmissa verò præfato Domino Regi " Castellæ exbibita, præsentata, & declarata, " omnibusque peractis ut suprà per ordinem " est expressum, scriptum, & designatum, unum idem Dominus Rex consilium prædictum pro debito fidei, veritatis, & justitiæ, " ac securitate suæ conscientiæ libenter amplectens, volensque agnitam veritatem hujusmodi suis regnicolis universisque Christi fidelibus notam esse, ad civitatem Salamantinam, " ubi studium viget generale, cum tota sua curia & sequela se contulit. Et tandem die dominica quæ intitulabatur XIX. mensis Madii anni à nativitate Domini millesimi trecentesimi octuagesimi primi convenientibus ibidem ad Ecclesiam cathedralem mane quasi " hora prima præfato Domino Rege cum Prælaris, nobilibus, & litteratis, ac notabilibus " viris regnorum suorum, qui pro hujusmodi " negotii ac rei gestæ perscrutanda & inquirenda veritate de mandato suo fuerunt evocati, " præsente quoque ibidem Reverendissimo in " Christo Patre & Domino Petro de Luna sanctæ Mariæ in Cosmedin Diacono Cardinali " apostolicæ sedis Legato, & nonnullis aliis " Prælatis ac litteratis viris diversarum nationum & patriam, grandique alia cleri & populi multitudine, qui propter hoc advenerant, celebratisque Missarum solemniis, idem " serenissimus ac Christianissimus Princeps & " Dominus Rex, abjecto primo electo vocato " Bartholomæo de Priniano olim Archiepiscopo Barensi in apostolica sede intruso, pro " sanctissimo in Christo Patre & Domino Domino Clemente Papa septimo canonicè electo veroque Iesu Christi vicario se declarans, " declarationem suam hujusmodi in scriptis redactam publicè & alta ac intelligibili voce " legi & recitari fecit; cujus tenor seu forma " de verbo ad verbum sequitur & est talis. "

IOHANNES Dei gratia Castellæ & Legionis Rex universis Christi fidelibus salutem & in pastoris notitia non errare. A solis ortu usque ad occasum. &c.

Et sic absolvitur iste codex, qui in initio, uti suprà pag. 1283. monuimus, dicitur esse prima pars processus facti & habiti coram Rege Castellæ de & super exorto nuper schismate in Ecclesia Dei circa electiones Vrbani VI. & Clementis VII.

Secunda ergo pars ejusdem processus habetur in codice 814. bibliothecæ Colbertinæ, qui fuit olim collegii Fuxensis, estque alter eorum duorum quos commemorat Henricus Spondanus. Est autem ejusdem omnino magnitudinis cum Harlæano. Continet folia 144.

Primùm occurrit tractatus Domini Cardinalis sancti Eustachii de papatu, qui in aliis codicibus vocatur tractatus de facto schismatis & impressionis, scriptus adversùs electionem Vrbani. In calce verò ita adnotatum est: *Tractatus iste Domini Cardinalis sancti Eustachii fuit inceptus in civitate Fundana pro-*

Archiepiscopi Neapolitani, Heliæ Cathaniensis Episcopi, Guillelmi Episcopi Valentini, olim Massiliensis, Antonii Episcopi Firmani, Artaudi Episcopi Grassensis, Poncii Beraldi correctoris literarum apostolicarum, Gilaberti secretarii Papæ natione Alemanni, Ioannis de Baro Subdiaconi Papæ, Bonifacii de Amanatis legum Doctoris, Ægidii Bellameræ auditoris literarum contradictarum Domini Papæ, Guidonis de Prohinis olim senatoris Romanorum, Bidonis Prioris sanctorum, Ioannis de Lodon aliàs de Narbona Presbyteri, Thomæ decretorum Doctoris & auditoris Cardinalis Mediolanensis, Bernardi de Virididono Licentiati in decretis, fratris Bartholomæi procuratoris generalis ordinis Carmelitarum, fratris Nicolai Eymerici Inquisitoris Arragoniæ, fratris Angeli generalis Minorum, Petri Camerarii Papæ fratris Domini Cardinalis Lemovicensis, & Petri Rostagni domini loci de sancto Crispino.

Deinde sequuntur depositiones testium receptorum Romæ per Rodericum Bernardi & fratrem Fernandum, scilicet Nardi apothecarii, Guillelmi de Bulla, Petri Albuchii Presbyteri, Ioannis de Paparonibus Canonici sancti Petri, Ioannis Bolcardi magistri capellæ Domini Papæ Vrbani, Iacobi Palucii civis Romani, Antonii de Agusta Canonici Ecclesiæ Lateranensis, Fredi de Canali Ostiarii Papæ, Alexii Petri Pauli Henrici civis Romani, Francisci de la Fara Doctoris in medicina, Iacobi Camerarii Cardinalis sancti Petri, Petri de Surdis Canonici sanctæ Cæciliæ, Guillelmi Tenoris capellæ Domini Papæ Vrbani, Valcheri de Argentina, Buchii Petri Iacobi, fratris Henrici de Buda pœnitentiarii Papæ Vrbani, Ioannis de Papazaris, Bonaventuræ Cardinalis de Padua, Nicolai Cardinalis Vrbani, Raynulphi Cardinalis Sistaricensis, Stephani Episcopi Tudertini, Episcopi Reatini, Thomæ Episcopi Lucerini, Ioannis Episcopi Castrensis, Lelli Magdaleni civis Romani, fratris Raymundi de Capua magistri generalis ordinis fratrum Prædicatorum, fratris Bartholomæi de Cucurno ordinis fratrum Minorum, & Thomæ Petræ Canonici Patracensis.

Finitis tandem depositionibus testium utriusque partis, describuntur dubia Archiepiscopi Toletani data Alvaro Episcopo Zamorensi, qui ibat Niciam ad Cardinales Florentinum & de Mediolano. Et mox subjiciuntur responsiones ad dicta dubia Domini Toletani scriptæ per manum Domini Florentini.

Sequuntur depositiones generales nonnullarum personarum tredecim numero quæ de mandato Domini Regis ac deputatorum prædictorum dederunt per scripturam ea de quibus recordabantur circa materiam primæ electionis. Eorum nomina hæc sunt. Frater Petrus de Guadalfajara, frater Ferrarius de Vergos ordinis Minorum, Petrus Alfonsi Canonicus Hispalensis, Ioannes Abbas sancti Isidori Hispalensis, Rodericus Fernandi portionarius Ecclesiæ Hispalensis, frater Alfonsus de Melide tertii ordinis sancti Francisci, Garsias electus Auriensis, frater Michael monasterii sancti Bartholomæi de Lupiana, Ioannes Remigii de Guzman Archidiaconus del Alcor in Ecclesia Palentina, Alvarus Martini Doctor decretorum, Fernandus Gudiel Episcopus Legionensis, Alfonsus Fernandi Presbyter Hispalensis, & Thomas Gundisalvi Thesaurarius Compostellanus.

Postea describuntur depositiones in speciali super casu primi electi habitæ & receptæ per dictos deputatos Metinæ à diversis personis medio juramento superiùs scripto examinatis. Eorum qui speciales depositiones fecerunt hæc sunt nomina. Frater Ferrarius de Vergos ordinis fratrum Minorum, Petrus Alfonsi Canonicus Hispalensis, Alvarus Gundisalvi Canonicus Cordubensis, Rodericus Fernandi portionarius Ecclesiæ Hispalensis, Ioannes Garsiæ Decanus Calagurritanus, frater Alfonsus de Melide tertii ordinis sancti Francisci, Garsias Martini electus Auriensis, frater Michael professus ordinis sancti Hieronymi, Ioannes Remigii de Guzman Archidiaconus del Alcor in Ecclesia Palentina, Didacus Martini de Vrduña Canonicus Toletanus, Alvarus Martini Doctor decretorum, frater Menendus ordinis fratrum Minorum Episcopus Cordubensis factus per primum electum, Petrus Abbas sancti Facundi, Fernandus Episcopus Legionensis, Alfonsus Azero Archidiaconus de Metina in Ecclesia Salmanticensi, Petrus Roderici Canonicus Cordubensis, frater Petrus Cordubensis conventus sancti Bartholomæi de Lupiana, frater Ioannes Roderici Episcopus de Neupatras, Franciscus Fernandi Cantor Palentinus, Marcus Fernandi Abbas de la Vanza in Ecclesia Palentina, Ioannes Sancii portionarius Toletanus, Garsias Petri de Tassara, Sancius Archidiaconus de Guiart in Ecclesia Pampilonensi, Petrus Fernandi Archipresbyter de Fita, Ioannes Sancii Canonicus Hispalensis, Alfonsus Fernandi Presbyter Hispalensis, Thomas Gundisalvi Thesaurarius Compostellanus, Ioannes Columbi clericus diœcesis Avenionensis, Fernandus Petri Decanus Tirasonensis, Nicolaus Martini Archidiaconus Salamantinus, frater Angelus generalis minister ordinis Minorum, Bonifacius de Pistorio, aliàs de Amanatis, legum Doctor, Ægidius Sancii Munionis Præpositus Valentinus, & frater Angelus Episcopus Pisaurensis.

Descriptis depositionibus testium interroga-

sorum super casu primi electi, ponuntur per ordinem depositiones eorum qui interrogati fuere super casu secundi electi.

Testes iidem omnino fuere qui interrogati fuerant super casu primi electi.

Sequuntur deinde responsiones publicè factæ coram Rege ejusque toto consilio per Cardinalem Hispanum, Episcopum Faventinum, & Franciscum de Sienis de Papia ad casum secundi electi anno MCCCLXXXI. die quarta mensis Martii.

Ponuntur postea responsiones Petri de Luna Cardinalis, Episcopi Pisaurensis, & Bonifacii de Amanatis ad casum primi electi factæ publicè coram Rege ejusque toto consilio.

Finitis responsionibus partium, describitur consequenter intimatio per Dominos Cardinales facta universis quòd Barensis est intrusus. Incipit sic: *Exigit sancta & catholica fidei puritas.* Edita est in secunda vita Clementis VII. pag. 542.

Sequitur qualiter Cardinales notificant universis quòd Dominus Clemens fuit rite & canonicè per eos electus & solemniter inthronizatus & coronatus. Incipit: *Quoniam nonnulli intrusionem detestabilem.*

Deinde litera septem Cardinalium suis sigillis sigillata existentium Avenioni notificantium intrusionem primi electi. Incipit: *Ad vestram notitiam deducimus.*

Tum intimatio & notificatio Cardinalium deprecantium universos Christi fideles ut Clementi adhæreant. Incipit: *Speculatores à Domino Deo.*

Protestatio Domini Bertrandi Cardinalis Glandatensis antequam intraret conclave suo sigillo sigillata cum subscriptione Notarii. Incipit: *In nomine Domini. Amen.*

Confessio Domini Anglici Cardinalis Albanensis cum signis duorum Notariorum & suo sigillo sigillata. Incipit: *Universis & singulis præsentes literas inspecturis.*

Instrumentum confessionis Domini Cardinalis sancti Eustachii cum signo & subscriptione Notarii & undecim testium. Incipit: *In nomine Domini. Amen.*

Extractiones quædam habitæ à dictis testium per illos de consilio regio; quorum aliqua facere videntur pro libertate electionis primæ, & quædam pro coactione seu impressione.

Sequuntur conclusiones illorum de regio consilio circa dubia & allegata super materia. Subscribunt præter eos alii multi viri docti, & inter hos Martinus Episcopus Pampilonensis.

„Post præmissa verò præfato Domino Regi Castellæ exhibita, præsentata, & declarata, omnibusque peractis ut suprà per ordinem est expressum, scriptum, & designatum, demum idem Dominus Rex consilium prædictum pro debito fidei, veritatis, & justitiæ, ac securitate suæ conscientiæ libenter amplectens, volensque agnitam veritatem hujusmodi suis regnicolis universisque Christi fidelibus notam esse, ad civitatem Salamantinam, ubi studium viget generale, cum tota sua curia & sequela se contulit. Et tandem die dominica quæ intitulabatur XIX. mensis Madii anni à nativitate Domini millesimi trecentesimi octuagesimi primi convenientibus ibidem ad Ecclesiam cathedralem mane quasi hora prima præfato Domino Rege cum Prælatis, nobilibus, & litteratis, ac notabilibus viris regnorum suorum, qui pro hujusmodi negotii ac rei gestæ perscrutanda & inquirenda veritate de mandato suo fuerunt evocati, præsente quoque ibidem Reverendissimo in Christo Patre & Domino Petro de Luna sanctæ Mariæ in Cosmedin Diacono Cardinali apostolicæ sedis Legato, & nonnullis aliis Prælatis ac litteratis viris diversarum nationum & partium, grandique alia cleri & populi multitudine, qui propter hoc advenerant, celebratisque Missarum solemniis, idem serenissimus ac Christianissimus Princeps & Dominus Rex, abjecto primo electo vocato Bartholomæo de Priniano olim Archiepiscopo Barensi in apostolica sede intruso, pro sanctissimo in Christo Patre & Domino Domino Clemente Papa septimo canonicè electo veroque Iesu Christi vicario se declarans, declarationem suam hujusmodi in scriptis redactam publicè & alta ac intelligibili voce legi & recitari fecit; cujus tenor seu forma de verbo ad verbum sequitur & est talis.“

IOHANNES Dei gratia Castellæ & Legionis Rex universis Christi fidelibus salutem & in pastoris notitia non errare. A solis ortu usque ad occasum. &c.

Et sic absolvitur iste codex, qui in initio, uti suprà pag. 1283. monuimus, dicitur esse prima pars processus facti & habiti coram Rege Castellæ de & super exorto nuper schismate in Ecclesia Dei circa electiones Vrbani VI. & Clementis VII.

Secunda ergo pars ejusdem processus habetur in codice 814. bibliothecæ Colbertinæ, qui fuit olim collegii Fuxensis, estque alter eorum duorum quos commemorat Henricus Spondanus. Est autem ejusdem omnino magnitudinis cum Harlæano. Continet folia 244.

Primùm occurrit tractatus Domini Cardinalis sancti Eustachii de papatu, qui in aliis codicibus vocatur tractatus de facto schismatis & impressionis, scriptus adversùs electionem Vrbani. In calce verò ita adnotatum est: *Tractatus iste Domini Cardinalis sancti Eustachii fuit inceptus in civitate Fundana pro-*

vincia Campania anno à nativitate Domini MCCCLXXVIII. *de mense Septembris, & completus Avinioni anno sequenti de mense Marcii seu Aprilis.*

Littera Archiepiscopi Toletani ad Cardinalem sancti Eustachii, continens dubia super eodem tractatu.

Tractatus Petri de Barreria Cardinalis Æduensis factus Parisius anno à nativitate Domini MCCCLXXIX. seu LXXX. *Serenissimo ac praexcellentissimo Principi.* Editus est in tomo quarto historiæ Universitatis Paris. pag. 529.

Tractatus Domini Ioannis tunc Abbatis S. Vedasti, nunc Episcopi Carnotensis, factus Parisius anno à nativitate Domini millesimo CCCLXXIX.

Tractatus magistri palatii responsivus ad rationes quorundam theologorum contra Dominum Clementem & pro B. factas, ordinatus Avinioni de mense Maii anno LXXX.

Tractatus Domini Cardinalis Ebredunensis super materia Concilii generalis habendi vel non habendi in negotio schismatis hodie currentis, scriptus de mense Augusti anno LXXX. fortè factus eodem aut saltem præcedenti anno.

Epistola Ecclesiæ ad Regem Francorum in causa schismatis, data in inferno vivorum. In fine apposita est hæc nota: *Nihil valet totum, nec principium, nec finis.*

Epistola de facto schismatis ad Ludovicum Ducem Andegavensem, composita per magistrum Ioannem de Florencia. Scripta ante electionem Clementis.

Factum intrusionis Bartholomæi in papam traditum per Reverendissimos Patres & Dominos Dominos Florentinum & Mediolanum Cardinales Italicos Reverendissimis Patribus & Dominis Dominis Albanensi, Vivariensi, sancti Eustachii, & sancti Angeli Cardinalibus in Nicia cum eis constitutis de anno Domini millesimo trecentesimo LXXX. & de mense Novembris.

Ambaxiatorum Urbani VI. oratio ad Regem Castellæ divisa in XVII. veritates, eadem quæ in codice Harlæano occurrit sub nomine Episcopi Faventini.

Allegata Domini Episcopi Ambianensis (Ioannis Rolandi) pro Domino Clemente in facto schismatis, coram Rege Castellæ.

Probata coram Rege Castellæ pro parte collegii & Domini Clementis contra Bartholomæum intrusum.

Declaratio Domini Regis Castellæ. Eadem quæ habetur in calce codicis Harlæani.

Francisci de Sielenis epistola seu factum pro Urbano ad eundem Regem.

Responsio Domini Evvrardi de Tremaugen, Britonis natione, Domini Regis Franciæ ambaxiatoris, juris utriusque professoris, nuntii Domini Franciæ Regis ad Dominum Regem Castellæ, facta in Castella apud Medinam del Campo coram dicto Domino Rege Castellæ consilium pro parte Domini Clementis Papæ VII. & contra Bartholomæum de Prinhano intrusum in papatu ad dubia quæ sequuntur; anno Domini MCCCLXXXI. de mense Aprilis die secunda.

Quæstiones disputatæ coram Rege Castellæ inter Petrum de Luna Legatum & nuntios apostolicos Clementis VII. ex parte una & nuntios Bartholomæi Antipapæ anno Domini MCCCLXXXI. de mense Marcii. Et incepta fuit disputatio die sabbati XXIII. dicti mensis in capella Regis in Metina del Campo dioecesis Salamantinæ, absente Rege, & ejus consilio toto præsente. Responsiones factæ fuerunt per Petrum de Luna & per Ægidium Sancii.

Allegationes Bonifacii de Amanatis Advocati fiscalis Domini Papæ factæ coram Rege Castellæ & toto consilio apud Medinam del Campo Salamantinæ dioecesis de anno à nativitate Domini MCCCLXXXI. die Mercurii XXVIII. Aprilis.

Allegationes Petri de Tury utriusque juris professoris, Custodis Lugdunensis, factæ in capella Regis Castellæ tunc absentis apud Medinam del Campo pro parte Clementis VII. contra Bartholomæum intrusum de anno Domini MCCCLXXXI. & de mense Aprilis secunda die.

Allegationes, ut dicitur, Domini Cardinalis de Luna.

Novæ allegationes Ioannis de Lignano, seu veriùs postrema pars secundi tractatus quem Ioannes de Lignano scripsit pro Urbano, qui editus est ab Odorico Raynaldo in appendice tomi XVII. annalium ecclesiasticorum.

Rationes Anglicorum, & responsiones ad illas.

Allegationes Domini Raymundi Bernardi Flamench factæ coram Rege Boemiæ anno MCCCLXXXIII. die XXI. Augusti.

Litteræ Vvenceslai Regis Romanorum, quibus committit Marchioni Moraviæ vicario suo generali in Italia & ultramontanis partibus potestatem inquirendi quis amborum sit Papa, & eidem faciat obediri.

Aliæ litteræ ejusdem Vvenceslai, quibus eidem vicario committit potestatem reformandi ligam cum Rege Franciæ.

Factum verum Dominorum Cardinalium. *Dudum vacante sede apostolica.*

Sermo factus super & pro sedatione moderni scismatis per Guidonem Cardinalem Pictavensem in synodo Cameracensi anno Domini MCCCLXXXIII. die prima Octobris, pontificatus Clementis VII. anno secundo.

Tenor veri testamenti Petri Flandrini Diaconi Cardinalis sancti Eustachii.

Tenor

Tenor falsati testamenti dicti Domini sancti Eustachii. Quam falsitatem commisit Notarius per plures annos post mortem prædicti Domini & postquam ad Barthnlomæum idem Notarius se transduxit.

Tractatus Perfecti de Malatestis Abbatis Sitriensis Vicecancellarii Cataloniæ pro Barthnlomæo contra Clementem, inscriptus De triumpho Romano, compositus Barcinone anno MCCCLXXIX. die sacratissima corporis Christi decima mensis Iunii.

Tractatus Baldi de Perusio contra Clementem VII. Incipit : *Civitas Dei*. Editus in appendice tomi XVII. Odorici Raynaldi.

Tertiæ & ultimæ allegationes Ioannis de Lignano valde venenosæ, licèt superficiales & non reales existant. Incipiunt : *Quia post completum*. Editæ in calce ejusdem tomi XVII. uti dictum est suprà.

Tenor litterarum directarum clero Romano ab anticardinalibus Bartholomæi.

Allegationes cujusdam in facto electionis, in favorem Vrbani. Incipiunt : *In quæstione præsenti licèt multi valentes*.

Huc usque duo volumina processus facti & habiti coram Rege Castellæ super schismate exorto in Ecclesia Dei propter duos contendentes de summo pontificatu.

GVTERVS GOMECII] *qui de potentioribus regni Castellæ existit*: ut scriptum est antiquitus à quodam illius temporis in codice 811. bibliothecæ Colbertinæ. Vnde constat vehementer errare eos qui illum patria Arragoninm fuisse scribunt & accensent genti de Luna. Fuit Episcopus Palentinus in regno Legionensi, carus admodum Henrico Regi Castellæ, qui legatos ad Gregorium XI. mittens anno MCCCLXXVIII. eis inter cetera dedit in mandatis ut hunc Guterium in sacrum Cardinalium collegium adscribi nomine suo peterent à Gregorio. Testatur illud unus eorundem legatorum Alvarus Martini in depositione sua, qui sic scribit : *Deinde fortè in XXIII. die Madii vel modicum citra vel ultra, quia Dominus Ambianensis dixerat Domino Giennensi & mihi quòd Papa in brevi creationem Cardinalium facere intendebat, ivimus socius & ego ad Dominum sancti Petri, pro eo quòd nimis erat Papæ acceptus & in suo palatio morabatur, & quia amicus erat Domini tunc Palentinensis. Cui instanter supplicavimus quòd sibi placeret habere recommendatum prædictum Dominum Palentinensem propter honorem Domini Regis ad cardinalatum pro eo supplicantis. Qui inter alia nobis dixit in effectu quòd Dominus Papa non reputabat nos ambaxiatores ad eum, pro eo quòd non fueramus missi ad eum, sed ad Dominum Gregorium, ideoque multùm expediebat quòd velociùs quàm possemus scriberemus Domino nostro Regi quòd statim mitteret suos ambaxiatores ad dictum Papam, & quòd ambaxiatores isti essent solemnes & bene solemnes, & tunc Papa faceret quicquid Rex vellet & supplicaret. Quod quia nobis videbatur &c.* ut suprà pag. 1191. Vrbanus tamen non expectavit novos legatos regios, sed in prima statim creatione Cardinalium hunc Guterium evexit ad dignitatem Cardinalis. Idem Alvarus infrà : *Postea Vrbanus rediit Romam. Et temporis progressu, jam defuncto Domino sancti Petri, & sic nullo Cardinalium existente cum eo, creavit magnam copiam Cardinalium de omnibus, ut dicebat, climatibus mundi; inter quos creavit Dominum Palentinum, pro quo supplicabamus*. In conventu habito apud Medinam campestrem, de quo suprà pag. 1283. abunde dictum est, Legatum se ferebat Vrbani, ut patet ex actis. Cùm verò in eo optimis rationibus ostensum esset Vrbani electionem vitio factam esse, adeoque meliorem esse conditionem Clementis, & Ioannes Castellæ Rex anno MCCCLXXXI. XIV. Kal. Iunii id declarasset publico edicto, eodem die Guterius renuntiavit cardinalatui sibi impenso ab Vrbano, & mox ei redonata est ea dignitas à Petro de Luna Legato apostolico, uti videre est apud Odoricum Raynaldum an. 1381. §. 30. Id ipsum reperi etiam in codice 811. bibliothecæ Colbertinæ his verbis : *Et similiter est notandum quòd propter prædicta dictus Dominus Cardinalis Palentinus ipsum Vrbanum abjuravit & capellum deposuit, ulteriùs verò ipsum à Domino Cardinale de Luna tradente nomine Domini Clementis & ejus auctoritate recepit*. Profectus est deinde Guterius Avenionem anno sequenti, & ad Bastitam Hispaniæ juxta Avenionem, de qua suprà pag. 102. actum est, advenit exeunte Maio. Quippe cum illic fuisse die XXIV. ejusdem mensis liquet ex diario Ioannis Fabri Episcopi Carnotensis, qui scribit se & Philippum de Savoisiaco ea die ad illum salutandum missos illuc esse à Ludovico Duce Andegavensi. Hæc sunt ejus verba : *Le samedy 24. jour Messire Philippe de Savoisi & moy alames veoir de par Monseigneur à la Bastite d'Espagne le Cardinal d'Espagne*. Ex quo interim loco intelligimus illum vulgò vocatum fuisse Cardinalem Hispaniæ, sicut Petrum Gomecii Cardinalem Gregorii XI. ostendimus suprà pag. 1062. vocatum fuisse Cardinalem Hispanum. Paulò post, die nimirum XXVII. ejusdem mensis Maii, adveniens Avenionem, intravit curiam, uti notatum est in libro obligationum.

De Guterio Gomezio Alcantarensis militiæ magistro vide Suritam lib. 3. Indic. ad an. 1365.

ANNO MCCCLXXXIII.] Alii ponunt annum superiorem, & quidem rectiùs. P. 505.

Nam certum est Thomam de Cassato factum fuisse Cardinalem die trigesima Maii, nimirum die Veneris in quatuor temporibus post Pentecosten. Creationes enim Cardinalium constat fieri solitas die Veneris. Anno verò isthic notato dies trigesima Maii incidit in diem sabbati, longo intervallo post quatuor tempora Pentecostes. Præterea istud contigit eo tempore quo Ludovicus Dux Andegavensis & Amedeus Comes Sabaudiæ erant apud Papam Clementem. Amedeum porrò Avenionem advenisse die sabbati XXIV. Maii in vigilia Pentecostes visuri mox sumus.

MENSE MAII] Certum quidem est Ludovicum Ducem Andegavensem & Amedeum Comitem Sabaudiæ fuisse Avenione hoc mense Maio. Sed an illic tunc tantùm convenerint, an verò antea advenerint, ingens mihi videtur esse controversia. Quippe Froissartus vol. 2. cap. 88. tradit Ludovicum, qui vulgò Lutetiæ erat apud Regem Karolum, iter Avenionense ingressum esse verno tempore. quod & alii quoque tradidere. At ego compertum habeo illum fuisse Lugduni die XIX. Februarii anni MCCCLXXXII. more Gallicano, id est, sequentis, (quod docent literæ ejus editæ à Samuele Guichenone inter probationes historiæ Sabaudiæ pag. 215.) & advenisse Avenionem die sabbati XXII. ejusdem mensis Februarii vespere, duodecim Cardinales ei obviam progressos esse, & à Papa exceptum in consistorio. Ita enim tradit Cancellarius ejus Ioannes Fabri Episcopus Carnotensis in suo diario, quod manu sua scribebat per singulos dies. Qua scribendi ratione nihil potest esse certius. Errandi occasio hinc mihi profectà videtur quòd certum sit Ludovicum, dum ineunte anno MCCCLXXXII. deliberaret quonam demum tempore se ad iter Neapolitanum accingeret liberaturus Reginam & regnum accepturus, edixisse diem Kalendarum Maiarum, ut legitur in eodem diario. Mutavit autem paulò pòst, quia intellectum est Genuenses misisse Neapolim legatos qui concordiam revocarent inter Reginam Ioannam & Karolum de Duracio.

Die sabbati prima Martii Comes Casertæ legatus Reginæ Ioannæ Ludovicum sollicitavit ut accipere vellet titulum Ducis Calabriæ, qui (ut legitur suprà pag. 501.) primogenitis Regum Siciliæ tribui consuevit. Cùm ergo Ægidius Bellamera auditor contradictarum legisset literas Reginæ quibus ei dabat hunc titulum, postquam Papa Clemens & Cardinales eum hortati essent ut illum acciperet, consensit. Papa verò, ut dominus superior, ei tradit titulum Ducis Calabriæ *per traditionem literæ*, ut legitur in diario Episcopi Carnotensis.

Tandem Comes Sabaudiæ eodem advenit die sabbati XXIV. Maii, in vigilia Pentecostes, ut notavit idem Episcopus. Postridie Ludovicus profectus est ad Pontem Sorgiæ, ubi erat Maria ejus uxor. Hinc rediit Avenionem die XXVII.

Die Iovis XXIX. ejusdem mensis facta est solemnis processio per urbem Avenionensem pro felici itinere ejusdem Ludovici, nimirum ab Ecclesia beatæ Mariæ de Domnis usque ad Ecclesiam fratrum Minorum. Papa Clemens iter illud confecit pedibus. Cardinales & Episcopi erant induti vestibus pontificalibus. Papa in ædes suas rediit equitando. Ceteri pedibus.

Die sabbati XXXI. Maii vespere idem Ludovicus Dux Andegavensis excessit Avenione, comitantibus eum Cardinalibus, Duce Bituricensi, & Comite Sabaudiæ. Ante eum deferebantur vexilla Andegaviæ & Calabriæ. Ivit tum ad Pontem Sorgiæ, ubi mansit usque ad diem sextam Iunii. Dux verò Bituricensis & Comes Sabaudiæ redierunt Avenionem. Postea tamen Comes Sabaudiæ ad eum venit apud Pontem Sorgiæ. Abiturus in Italiam, die sexta Iunii literas expediri jussit, quibus amplissimam potestatem, quandiu ipse esset in Italia, tribuit Mariæ uxori suæ. Et mox Carpentoractum profectus est, Maria Arausicam, Comes Sabaudiæ Cavallionem.

Postera die Comes Sabaudiæ proficiscitur Carpentoractum ad Ludovicum. Inde recessum est die Veneris XIII. ejusdem mensis, & primò Aptam Iuliam ventum, ubi erat die decima octava. Die dein XXI. erat apud Brigantionem in alpibus Cottiis. Hinc ergo conciliabitur discrepantia quam in vetustis codicibus Froissarti vol. 2. cap. 88. reperiri ait Dionysius Sauvagius: quorum quædam habent Ducem Andegavensem & Comitem Sabaudiæ arripuisse iter Sabaudiæ & Pedemontis, alia inter Dalphinatus Viennensis. Nam Brigantio, vulgò *Briançon*, certò pertinet ad Dalphinatum. Hinc verò prompta est via in Sabaudiam.

THOMAM DE CASSATO] Ita libri nostri. Lib. obligat. *de Casasto*. Olmeda apud Fontanam & Altamuram eum vocat Thomam de Clatascho, Frizonius Thomam de Clausse. Sed illi nullum vetustum scriptorem laudant, nullas veteres memorias, ex quibus constet hoc cognomen fuisse huic Thomæ. P. 574.

INQVISITOREM] Errant profectò qui scribunt illum fuisse Archiepiscopum Neapolitanum. Is enim Thomas qui ea tempestate erat Archiepiscopus Neapolitanus diversus omnino est ab isto, & factus fuit Cardinalis à Clemente septimo anno millesimo trecentesimo LXXXV. uti dicemus infrà suo loco.

DE PEDE MONTIVM] ideo Lombardus dictus ab Antonino Senensi, Olmeda, & aliis. Falluntur ergo vehementer ii qui putant illum fuisse natione Gallum.

LITTERATVM] Antonius Senensis testatur se in conventu Toletano ordinis sui vidisse codicem veterem in quo continebantur sermones & nonnulla alia opera istius Thomæ.

Erat ille absens quum factus est Cardinalis. Postea verò intravit curiam die XVI. Novembris, & accepit titulum sanctæ Sabinæ. Obiit anno MCCCXC. die XVII. Iunii apud Avenionem, ut scribit Onuphrius Panuinius.

P. 506. ARELATENSIB.] inter quos in primis enituit virtus & fides Manualis de Pugeto Militis condomini loci de Pugeto Glandatensis diœcesis & Vicarii regii in ea urbe, qui à Tuchinis interfectus est in invasione ejusdem urbis, ut legitur in bulla Clementis VII. data apud Castrum novum Avenionensis diocesis v. Idus Augusti anno sexto, cujus nos exemplum habemus ex archivo civitatis Arelatensis, quam verò vidisse satis constat Cæsarem Nostradamum. Reliquit ille, uti ostendunt memoriæ mecum communicatæ, duos filios Guillelmum & Bertrandum. Guillelmus dominus de Gardia anno MCCCLXXXV. die XV. Novembris homagium ligium per procuratorem præstitit Mariæ Reginæ Siciliæ & filio ejus Ludovico pro omnibus possessionibus quas habebat in comitatibus Provinciæ & Forcalquerii, uti legitur in diario Episcopi Carnotensis his verbis: *Ce jour le Seigneur de Cuers comme procureur de Guillaume du Puget seigneur de la Garde fist hommage lige à Madame & au Roy son fils de tout ce que il tient en Provence & Forcalquier, presens le sire de Montfaucon, Messire Robert de Droux &c.* Eidem Reginam fecisse quoddam donum die XXII. sequentis mensis Decembris adnotat idem Episcopus, qui erat Cancellarius Reginæ: *Vendredi seellée une letre pro Guillelmo de Pugeto de une donation à li faite.* Hic Guillelmus uxorem habuit Luquinam de Grimaldis. Moriens autem circa annum millesimum CCCCXLIII. unicum filium reliquit nomine Guillelmum; qui anno MCCCCLXI. extinctus est, nulla prole relicta. Bertrandus verò illius patruus uxorem duxit anno MCCCCXXVII. Mariam heredem Pugetorum Castillionis prope Tolosam; ex quibus ortus est Petrus de Pugeto condominus de Pugeto & dominus Castillionis, qui anno MCCCCLXI. condens testamentum, cjus executorem constituit Gilbertum Ruffi Senatorem Tolosanum patruum Ioannæ Ruffi uxoris suæ, quæ orta erat ex nobili & antiqua Ruffórum familia apud Cadurcos. Ex iis per longam avorum seriem descendit Petrus de Pugeto à sancto Albano, qui nunc ex ea gente superest apud Tolosam.

TOLOSÆ] Quid tum actum sit in ea urbe sic legitur in chronico Aymerici de Peyraco Abbatis Moyssiacensis fol. 147. in codice 2835. bibliothecæ Colbertinæ: *Eo tempore in partibus Occitanis & ferè in toto regno Franciæ maxima commotio & turbatio fuit, seditio & malitia popularis, & quasi omnes communitates Franciæ erant colligatæ. Nec prætereundum est quod in civitate famosissima Tolosæ inordinatè, improvidè, & inconsultè fuit factum & processum. In dementia & illusione nimia constituti fuerunt & ordinaverunt ex ipsis quendam capitaneum Copet nuncupatum, monoculum hominem, pusillum, & quasi omnibus nisi ipsis despectum & opprobrissimum, omni bono destitutum. Sub umbra ipsius homuncii de die & de nocte plurimi crudeli morte interierunt, & aquam quam Garonam dicunt penu sive chay prædicti Copeti nuncupabant. In civitate Biterrensi fuerunt traditi suspendio propter dicta monopolia centum homines & ultra; & in toto regno multiplicatæ sunt malæ & punitiones contra prædictas communitates, ut ferè mille millia librarum decostiterit eisdem tantummodo in lingua auxitana. Et multis traditis ad mortem, dictus Rex Karolus motus clementia dictas conspirationes remisit.*

COQVINOS] Continuator Nangii eos ait vocatos Tuchinos. Hæc sunt ejus verba in codicibus 606. & 3286. bibliothecæ Colbertinæ: *Sanè multitudo maxima abjectissimorum virorum, qui ob inconditos mores Tuchini vocabantur, ubique in illis partibus velut inquieti vermes inopinatè erupirant: qui dimisso mechanicarum artium & agriculturæ studio, mutuò se adunantes, terribilibus sacramentis sese adstrinxerant quòd deinceps nullo jugo subsidiorum colla submitterent, sed patriæ antiquam servantes libertatem hoc onus damnosum excutere viribus attentarent.* Eodem vocabulo designati reperiuntur in literis Karoli VI Regis Francorum datis apud sanctum Germanum in Laya anno MCCCLXXXIII. die XVIII. Martii, ubi sic legitur: *Notum facimus universis præsentibus & futuris nobis pro parte Honorii Firmini armigeri expositum fuisse quòd cùm gentes & habitatores loci seu villæ Vicinobrii rebelles essent ac tenerent partem Tuchinorum, ipseque & ejus uxor, liberi, atque mater dicti Honorii ibidem commorarentur, cùmque dictus Honorius iram & commotionem dictorum Tuchinorum timens ne fortè uxorem, matrem, & liberos prædictos ac personam ipsius morti traderent, pro complacendo dictis gentibus & Tuchinis ac periculum eminens evitando congregationem ipsorum fuisset insecutus in loco de Vallomala & in pluribus aliis locis &c.* Tochinos etiam vocat Clemens VII. in bulla paulò antè laudata, in qua nominatur *Ferragutus gerens se pro capitaneo Tochinorum.* Sed

hoc vocabulum non tum primùm inventum est, si vera fides, sed circa annum millesimum CCCLXI. ut narrat Nostradamus in historia Provinciæ pag. 411. qui addit hodie apud Provinciales personam servi seu famuli in ludo foliorum pictorum vocari Tuchinum. Referam autem ejus verba: *D'où vient qu'encor aujourd'huy nos Provençaux appellent les valets des cartes Tuchins en hayne de ceste race de voleurs & canaille de gens.* Ita etiam Honoratus Bouche in historia Provinciæ to. 2. pag. 380.

P. 507. CIVES PARIS.] Vide Froissartum vol. 2. cap. 84. 88. Walsinghamum pag. 295. edit. Francofurtensis, & Ioannem Iuvenalem de Vrsinis in historia Karoli VI. pag. 17. 33. edit. regiæ.

MALLEATORES] vulgò *Maillotins*. Apud Froissartum vol. 2. cap. 95. *Si appelloit on ces gens les Routes à maillets de Paris.* Vide etiam cap. 120. 129. & seq.

CASTRUM PORTÆ S. ANTONII] Alii hanc historiam referunt ad annum millesimum CCCLXX. & quidem rectiùs, ut opinor. Etenim Hugo Aubriotus postea conjectus fuit in carcerem ab Episcopo Parisiensi, nimirum cùm excidisset à gratia Principis. Multorum eum criminum reum fuisse docet in vita Karoli VI. Ioannes Iuvenalis de Vrsinis.

EXITUM LIBERUM] Hodie porta exterior lapidibus & arenato obstructa est; idque novum non est.

IOH. DE MARESIIS] Vide Froissartum vol. 2. cap. 130. & Ioannem Iuvenalem de Vrsinis pag. 3. 5. 7. 19. 20. 34 & 56. edit. regiæ. Varii varia locuti sunt de ejus morte. Vetus auctor chronici Normanniæ in codice 1424. bibliothecæ Colbertinæ eum facit auctorem istorum tumultuum & testatur dixisse neque Regem neque ministros ejus posse facere populum, sed populum posse facere Regem. *Et estoit avec euls de leur accort un des gregniex Avocat de Parlement nommé Mestre Iehan des Marés; lequel dit que le Roy ne ses conseuls ne pourroient faire un peuple, mais un peuple feroit bien un Roy.*

P. 509. SEPTEM PRESBYTEROS] In veteri regesto Parlamenti Parisiensis, ut videbimus infrà quum agemus de Petro de Fitiniaco, hæc promotio dicitur fuisse decem Cardinalium. Quod etiam scriptum est in uno libro obligationum archivi Vaticani, ubi inter Cardinales tum creatos ponitur Martinus Episcopus Vlixbonensis, tum absens. Itaque huic creationi idem omnino evenit quod suprà pag. 1018. adnotavimus evenisse ei quam anno MCCCLXVIII. fecit Vrbanus V. apud Montemflasconem. Nam cùm Martinus obierit anno MCCCLXXXIII. die tertia Decembris, ut docet illustrissimus Archiepiscopus Rodericus à Cunha, manifestum est mortem illius antecessisse hanc creationem Cardinalium, adeoque illum non fuisse Cardinalem, ac propterea jure meritoque omissum ab hoc nostro quum recenseret Cardinales hac tempestate creatos. Erravit ergo Onuphrius Panuinius eum obiisse scribens inter annum millesimum quadringentesimum & quadringentesimum nonum. Post illum venerabilis Oldoinus scripsit eundem Martinum adhæsisse Benedicto XIII. post obitum Clementis. Et Onuphrium quidem non miror errasse, qui primus omnium hanc materiam tractavit, cui defuere multa adjumenta quæ posteri affatim habuere. At iste, qui omnium ultimus tractavit historiam Cardinalium, qui in eo opere compilando concinnandoque, ut ipse ad Innocentium XI. scribit in epistola dedicatoria, multum contentionis, vigiliarum, sumptuum annis quinque supra viginti exhausit, is inquam scriptor debuerat altiùs penetrare in antiquitatem & certi quippiam novique tradere quod labori tot annorum & tot sumptuum videretur posse congruere.

PETRUS DE CROSSO] sive de Croso. Variè enim scribitur hoc nomen. In epitaphio scriptum est *de Crosso*. At in testamento ejus, quod duplex est, legitur *de Croso*. Sic etiam in libro obligationum & alibi.

Iam suprà pag. 900. monuimus gentem de Croso pertinere ad Lemovices, eam nimirum ex qua iste & superiores duo Cardinales prodiere. Ea, ut planum fit ex testamento istius Cardinalis, sedem habebat in parrochia sancti Exuperii, vulgò *Sainct Supery*, in finibus Lemovicum. Sed quamvis ista certò sciamus, adhuc tamen in obscuro est locus originis eorum. In epitaphiis istius Petri & Ioannis fratris ejus adnotatum est oriundos illos fuisse è loco de Calimaforti; quem locum diù quæsitum nondum invenire potui in parrochia sancti Exuperii. Tandem R. P. Bonaventura à S. Amabili Carmelita excalceatus, qui nuper tria magna volumina edidit de historia sancti Martialis, docuit to. 3. pag. 636. hunc locum esse illic ubi oritur Crosa fluuius & hodie vocari *Calmefort*, longo tamen intervallo à parrochia sancti Exuperii. Quare valde dubius sum an huic testimonio fidem adhibere debeam. Quippe proclivius esset existimare locum hodie vocatum *de la Chaul*, qui situs est in parrochia sancti Exuperii, pertinuit autem olim ad gentem de Croso, eundem locum esse qui in epitaphiis suprà commemoratis vocatur de Calimaforti. Namque Delphinam de Croso fuisse dominam loci de la Chaul reperio in veteri instrumento confecto anno MCCCCXLII. die XXII. Augusti; ex quo constat Carolum Comitem Ventedornensem fundasse *unam vica-*

riam perpetuò deserviendam in Ecclesia sancti Experii & in altari de la Chaul, quod esse solebat in dicta Ecclesia. Altare porrò de la Chaul illud ipsum esse sacellum in quo sepultos esse progenitores suos testatur hic noster Cardinalis in suo testamento arbitror ambigi non posse. Etenim in veteri illo instrumento decernitur ut vicarius ejusdem vicariæ faciat *absolutionem mortuorum super sepultura de la Chaul*, id est, super sepulcris gentis de Croso, quæ illic etiamnum extare omper compertum est. Nam cùm ego anno MDCXC. Dominum Rigaldum Cæsarem Puteanum à sancto Pardulpho, vulgò *du Puy de saint Pardoux*, Archipresbyterum sancti Exuperii rogassem ut sepulcra illa quæreret, is ad me postea rescripsit ea reperta fuisse in sacello illo & in iis eminere adhuc sculpta in lapide eadem insignia quæ cuncti sciunt fuisse propria illius gentis. Idem postea sacellum illud, partim quia vetustate deformatum erat, partim quia choro Ecclesiæ incommodabat, de pecunia sua readificavit anno MDCXCI. & in illud transtulit eadem sepulcra, ne memoria gentis clarissimæ interiret in iis locis. Ceterùm castri de la Chaul, quod hodie pertinet ad Ducem Ventadornensem, nihil hodie superest præter veteres quasdam reliquias & turrim quadratam multùm altam.

Petrus iste fuit primò monachus ordinis sancti Benedicti in monasterio sancti Martialis Lemovicensis, postea Præpositus de Rosiaco, Cellerarius Ecclesiæ Tutelensis, Prior de Volta in diœcesi sancti Flori, Abbas Trenorchianus ab anno MCCCLI. usque ad annum MCCCLXI. quo factus est Episcopus sancti Papuli. Assentior enim eruditissimo viro Petro Francisco Chiffletio censenti turbatum esse ordinem Episcoporum sancti Papuli in vulgatis catalogis. Inde translatus est anno MCCCLXX. VI. Idus Iunias ad Ecclesiam Bituricensem, ut docet regestum Vrbani quinti.

Anno sequenti obiit III. Idus Iunii Arnaldus Alberti Archiepiscopus Auscitanus & S. R. E. Camerarius. Tum verò Gregorius XI. eum magistratum contulit in hunc consanguineum suum. Errant enim vehementer qui putant cum Onuphrio Panuinio datum fuisse Petro de Stagno Cardinali Bituricensi.

Anno MCCCLXXIV. in cathedra Arelatensi successit Guillelmo de Gardia, uti dictum est suprà pag. 880.

Anno MCCCLXXVI. secutus est Gregorium XI. euntem in Italiam; ut docet etiam Petrus Amelii in itinerario ejusdem Gregorii, qui eum vocat nobilissimum reverendissimumque Camerarium apostolicum.

Anno MCCCLXXVIII. adstitit eidem Gregorio morienti. Testis hujus rei est ipse Petrus in sua depositione, cujus verba relata sunt suprà pag. 1224. cùm ageremus de extremis ejusdem Gregorii. Petrus verò prævidens turbationem quæ exorta est, thesaurum & pretiosa quæque ornamenta Ecclesiæ Romanæ deferri jussit in castrum sancti Angeli velut in locum tutum. Quo facto adversùm se excitavit impotentiam & tuberbiloquentiam Romanorum, qui minabantur se ei caput amputaturos in conspectu ipsius castri. Ea historia sic enarratur in ejus depositione: *Item Dominica in Passione, existentibus Dominis Cardinalibus & Camerario in dicta Ecclesia beatæ Mariæ in Missa novena quæ tunc solemniter cantabatur, fuit revelatum ipsi Domino Camerario quòd aliqui Romani insidiabantur sibi & volebant eum capere in exitu Missæ & ducere ante castrum sancti Angeli, ubi tunc idem Dominus Camerarius fecerat poni omnia vel saltem majorem partem bonorum & jocalium papalium, & ibi ipsum decapitare ordinaverant, nisi redderet castrum & omnia quæ intus erant. Ad quæ prævidens ipse Dominus Camerarius, non expectans finem Missæ, sed statim ascendens equum, cum modica comitiva per vias obliquas & furtivè pervenit ad illud castrum & interiùs intravit, nec ulteriùs exivit nisi post triduum post inthronizationem.* Tum verò venisse eum ad Vrbanum & reportasse eadem jocalia testatus est in sua depositione Thomas de Acervo Episcopus Lucerinus: *Item ante dictam coronationem Camerarius Papæ, scito à Domino Lemovicensi fratre suo & ab aliis Dominis Cardinalibus qui fuerunt secum in castro sancti Angeli post electionem quòd elegerunt dictum Dominum Barensem, ipse Dominus Camerarius exivit dictum castrum & venit ad Dominum nostrum & fecit portari Domino nostro omnia bona papatus & omnia jocalia, vasa aurea & argentea, quæ salvaverat in dicto castro. Et quando primò venit ad Dominum nostrum Papam, Cardinalis Lemovicensis frater ipsius Camerarii supplicavit Domino nostro quod haberet eum recommendatum. Et Dominus noster respondit sibi quòd vellet eum habere recommendatum sicut & quantum ipse Cardinalis ejus frater haberet.* Postea in die dominica palmarum, ut testatur Stephanus Episcopus Tudertinus, *eodem mane Dominus Camerarius præsentavit sibi* (id est, Vrbano) *unam capsetam plenam annulis, quæ dicebat valere viginti millia florenorum.* Garsias Martini electus Auriensis interrogatus super XIX. articulo primi electi *dixit se audivisse quòd aliqui Cardinales miserant bona sua & Camerarius personaliter ierat cum bonis cameræ ad castrum, & hoc sciebat eo quia vidit quòd Cardinalis Majorismonasterii miserat suas quadrigas oneratas suis bonis ad castrum. Item vidit die sabbati post*

electionem, quando primus electus exibat ad Missam ad Ecclesiam sancti Petri, quòd venit ad eum Camerarius de castro, & videbatur sibi quòd cum magno timore pro eo quòd tantum tardaverat, & præsentavit sibi duas petias scarleti, & fecit sibi reverentiam ut Papa, & primus electus reprehenderat eum pro eo quòd recollegerat se ad castrum, tamen in hoc laudabat eum & habebat pro bono in quantum apportaverat res cameræ ad castrum.

Et tamen interim idem Camerarius scripsit propria manu Regi Francorum ne fidem adhiberet iis quæ publicè scribebantur de electione Vrbani, quia vera non erant, uti dictum est suprà pag. 1227.

Postea cùm Cardinales secessissent Anagniam, Petrus quoque Camerarius illuc profectus secum detulit jocalia superiùs commemorata, ob hoc excommunicatus & depositus ab Vrbano, ut patet ex bulla ejus apud Odoricum Raynaldum an. 1378. §. 107.

Die deinde nona Augusti iidem Cardinales coram Petro Camerario ac judice ordinario pro tribunali sedente, cùm enarrassent omnia quæ post Gregorii XI. mortem acta inter ipsos erant & cum Vrbano, demum sententiam in eum dixerunt, eumque anathematizarunt. Vide Spondanum an. 1378. §. 15. & to. 4. historiæ Vniversitatis Paris. pag. 473. ubi edita est declaratio Cardinalium adversùs Vrbanum.

Verùm adversùs hanc sententiam dictum est ab Vrbanistis, ut patet ex capite 66. dialogi quem Henricus de Hassia composuit de hoc schismate, non fuisse legitimè declaratum coram judice ad quem pertinebat primò electum non esse Papam, cùm Camerarii Papæ jurisdictio & potestas non extendat se ad hoc, quia nec ex antiquo nec novo juribus habet potestatem discernendi in casu discordiæ inter Cardinales de electione Papæ, sed habet solùm potestatem eos includendi & tenendi in conclavi etiam in pane & aqua donec concordaverint. Ad quam objectionem respondet in capite 67. Clementinus: *Camerarius habet ex suo officio procedere contra detentores, violentos occupatores, & usurpatores bonorum Ecclesiæ; & in proposito casu ex multis quæ apparuerunt habuit vehementem suspicionem quòd Archiepiscopus Barensis erat injustus detentor & occupator bonorum Ecclesiæ, & accusabatur sibi super hoc. Quare de suo officio ordinarie potuit eum citare coram se de hoc responsurum, sicut & fecit vel saltem potuit facere. Et quia Archiepiscopus citatus legitimè contempsit venire, examinare potuit testes super accusatione & suspicione. Et si inventi sunt testes legitimi, non repulsibiles, secundùm formam juris deponentes concorditer, injustus usurpator bonorum Ecclesiæ. Quare habita probatione legitima sententiare potuit eum injustum detentorem Ecclesiæ. Ad quam quæstionem legitimo processu judiciali conclusam sequitur Archiepiscopum Barensem non esse Papam. Igitur publicata sententia prædicta Camerarii, sufficienter est vel esset declaratum & esse deberet omnibus illum non esse Papam; esto etiam Camerarius in casu discordiæ facta in electione ex officio non haberet potestatem de directo & formali judicandi & discernendi hunc vel illum esse vel non esse Papam.* Dialogus iste extat in codice 843. sancti Victoris Paris. & in codice 811. bibliothecæ Colbertinæ. Denique sanctus Vincentius Ferrarius in tractatu de moderno Ecclesiæ schismate par. 2. cap. 3. ratione 7. cùm dixisset in dubio quis ex duobus electis esset verus Papa standum esse judicio & sententiæ Dominorum Cardinalium, addit standum quoque esse *decreto Reverendissimi Patris Domini Archiepiscopi Arelatensis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Camerarii & judicis ordinarii; qui omnes indubitanter verbo & scripto authenticè asseruunt Dominum nostrum Clementem VII. esse verum Papam & Bartholomæum esse apostaticum & intrusum.*

Sanè officium Camerarii esse perpetuum constat ex Clementina *Ne Romani.* de elect. & præterea docent responsiones ad casum primi electi factæ coram Rege Castellæ per Dominum Cardinalem de Luna & Episcopum Pisaurensem & Bonifacium de Amanatis in codice Harlæano. Istud ipsum scriptum est in Facto Dominorum Cardinalium, qui aiunt Camerarium apostolicæ sedis habere jurisdictionem ordinariam semper in Romana curia. Vide glossam 8. q. 1. cap. 1. *Si Petrus.*

Post ista Cardinales elegerunt Robertum Cardinalem Gebennensem, qui assumpto nomine Clementis VII. sedem apostolicam reduxit in Galliam. Petrus verò Camerarius eum assecutus est.

Anno MCCCLXXXII. die Veneris septima Februarii advenit Avenionem Ludovicus de Constanciis Seneschallus Neapolitanus. Tum verò cum eo jussu Papæ Clementis in ædibus Cardinalis Mimatensis congregati sunt Cardinalis Cusentinus, Petrus de Crosso Camerarius, Ioannes Fabri Episcopus Carnotensis, Comes Casertæ, Seneschallus Provinciæ, Mareschallus Papæ, magister Petrus Gerardi, & Raymundus Bernardi. In eo cœtu, consensu omnium eorum qui aderant decretum est ut quamprimùm absque ulla mora idem Raymundus Bernardi nomine Karoli VI. Regis Francorum & Ludovici Ducis Andegavensis proficisceretur Genuam. Genuenses enim legatos miserant Neapolim fratrem Ducis eorum, quendam Doctorem nomine Damianum, & Peregrinum Mouiq; tractaturos de pace inter Ioannam Reginam & Karolum de Duracio.

Legati porrò obtinuerant uti Regina iret in Provinciam. Qua ratione regnum relinquebatur Karolo. Propterea visum est expedire ut legatus Regis & Ducis quantocyus pergeret Genuam, ut ea ratione iretur obviam malis quæ ex ea concordia oriri possent adversus eundem Ducem. Repugnabat tamen Raymundus; contestatus interim se facturum quæ communi consilio placuerant, si ii in ea sententia perstarent. Et quamquam Comes Gebennensis eum urgeret ad ingrediendum iter, industria tamen sua effecit ne iret.

Eodem anno, die Martis xv. Aprilis, Ioannes Episcopus Carnotensis & Petrus de Thureyo Custos Ecclesiæ Lugdunensis idemque magister libellorum supplicum in regia Karoli VI. Avenione digressi profecti sunt Aptam Iuliam, ubi pransi sunt apud Archiepiscopum Arelatensem Camerarium Papæ. Finito prandio, inquit in suo diario Ioannes Fabri Episcopus Carnotensis, invicem consultavimus ego & Seneschallus Provinciæ cum fratre ejus & Domino Casanovano de iis quæ postridie incumbebant agenda. Postridie itaque in conventu omnium ordinum Provinciæ, qui tum agebatur apud Aptam in monasterio fratrum Minorum, Petrus de Thureyo Custos Lugdunensis testatus est de affectu quo Rex Karolus prosequebatur causam Ludovici Andegavensis pro hereditate Reginæ Ioannæ, & petiit sibi dari responsum quod referre posset ad Regem. Postea Episcopus Carnotensis & Raymundus Bernardi disseruere quantum ea res cordi erat Ludovico. Tum Dominus de Saltu & Georgius de Marlio missi à Papa favorabiliter egere pro Ludovico. His sermonibus respondit Seneschallus Provinciæ gratum admodum esse Provincialibus quòd Papa & Dux Ludovicus tanto amore erga eos flagrabant, & facturos se in gratiam Reginæ dominæ suæ quæcunque à bonis subditis expectanda erant. Tum nobis significatum est uti recederemus, ipsos in eundem locum redituros post prandium, uti fecere. Manserunt autem usque ad solem occidentem. At Seneschallus Episcopum Carnotensem jussit bene sperare. Aderant cum eo Archiepiscopi Arelatensis & Aquensis, Episcopi verò Aptensis, Grassensis, & Massiliensis.

Die Veneris XVIII. Aprilis rursum habitus est conventus in eodem monasterio fratrum Minorum. Ibi Petrus Archiepiscopus Arelatensis & Papæ Camerarius longam orationem habuit de causa regni Neapolitani, & nomine status ecclesiastici concessit Duci subsidium quod ab eo petebatur. Seneschallus Provinciæ pro nobilitate & pro quibusdam civitatibus dixit non habere delegatos sufficientem potestatem concedendi quæ petebantur, sed ituros diligenter ad sua loca & statim rediturus ad Seneschallum & responsa laturos quæ placitura essent Principi. Addidit Seneschallus quod si Provinciales concedebant subsidium, ea intentione id facerent ut ipse Princeps iret in regnum Neapolitanum ad asserendam Reginam in libertatem, simul etiam ut confirmaret eorum privilegia. Dominus de Saltu, Raymundus Bernardi, & Georgius de Marlio magister hospitii Domini Papæ conventui gratias egerunt nomine Papæ Clementis, Custos Lugdunensis nomine Regis, Episcopus Carnotensis nomine Principis. Massilienses contestati sunt nolle se ut ipsorum mentio fieret mixtim cum Provincialibus, quia responsa sua fecerant singillatim. Postremò Dominus de Saltu postulavit ut ob memoriam rerum bene gestarum apud Aptam Dux Ludoviens & sui supplicarent Papæ uti exemplo Vrbani V. qui in sanctorum catalogum retulerat Alziarium Comitem Ariani, ipse Dalphinam ejus uxorem, quæ in monasterio sepulta est in quo habitus fuit conventus, canonizare vellet. Vide Vvaddingum an. 1363. §. 16. & seq.

Quæcunque porrò hactenus dicta sunt de rebus gestis anno MCCCLXXX. quorum pars magna fuit Petrus noster, ea sumpta sunt ex diario Episcopi Carnotensis.

Anno MCCCLXXXIII. die XXI. Novembris obiit Ioannes de Crosso Episcopus Prænestinus. Sequenti verò mense Decembri Clemens Papa fratrem ejus Petrum Camerarium in ordinem Cardinalium retulit, dato ei titulo sanctorum Nerei & Achillei, quem olim habuerat idem Ioannes ante episcopatum Prænestinum. Vulgò tamen dicebatur Cardinalis Arelatensis. Retinuit autem cum Cardinalatu cathedram Arelatensem, ut hinc quoque necessariò colligitur quòd die octava sequentis mensis Iunii, uti scriptum est in diario Episcopi Carnotensis, Mariæ Reginæ Siciliæ & filio ejus Ludovico tanquam Comiti Provinciæ & Forealquerii præstitit homagium pro archiepiscopatu Arelatensi. Patet etiam ex alio loco ejusdem diarii, in quo scriptum est eundem Cardinalem die XXIX. sequentis mensis Novembris fecisse huic Episcopo potestatem utendi pontificalibus in sua dioecesi. Itaque quandiu ille in vita fuit provisum non est Ecclesiæ Arelatensi de pastore.

Anno MCCCLXXXV. die Veneris XXI. Aprilis ivit ad Villamnovam contra Avenionem salutatum Mariam Reginam Siciliæ, quæ pridie illuc advenerat. *Ex diario Episcopi Carnotensis.*

Anno MCCCLXXXVI. die XVI. Augusti, cùm necessitas adegisset eandem Reginam mutuò habere summam XIII. millium florenorum, fuere ex collegio Cardinalium quidam qui mutuum darent. Cardinalis igitur Arela-

sensis dedit centum florenos. Et cùm postea hæc summa restituenda esset mense Septembri, & Regina per Episcopum Carnotensem ab eo petiisset solutionem differri, Cardinalis consensit ut differretur usque ad Kaleodas Novembris. *Ex eodem diario.*

Anno MCCCLXXXVIII. die XXVII. Februarii condidit testamentum, in quo jussit corpus suum sepeliri juxta reliquias Cardinalis Lemovicensis fratris sui in Ecclesia cathedrali Avenionensi, vel in collegio sancti Martialis. Postea tutum condito testamenro die XV. Novembris prætulit collegium, & postridie obiit. Sepultus est ergo in collegio sancti Martialis ad dextram majoris aræ, obi ædificatum est mausoleum magnificum ex marmore, cui superimposita est marmorea ipsius effigies.

In ultimo porrò testamento, quod, uti diximus, condidit moriturus, confessus se tenere eam fidem omnesque ejus articulos quam prædicat sancta mater Ecclesia, addit: *Ac sanctissimum in Christo Patrem & Dominum nostrum Dominum Clementem divina providentia Papam VII. ipsius Ecclesiæ sponsum & verum summum Pontificem firmiter & incontense tenuimus & tenemus, & in ejus obedientia & devotione tanquam veri summi Pontificis & Christi vicarii stetisse & stare, & in illa fide vivere desideramus atque mori.*

Fuisse eum Priorem prioratus sancti Ioannis de Castro Gonterio diœcesis Andegavensis reperi in bulla Clementis VII. data IX. Kal. Iulii anno decimo, qua eundem prioratum perpetuò unit mensæ abbatiali sancti Albini Andegavensis.

FAIDITUS DE AGRIFOLIO] Eum de nobilitate generis, morum & vitæ mundisia commendat Innocentius VI. in literis datis Avenione XII. Kal. Mart. anno sexto, quibus ei concedit ne propter decanatum Ecclesiæ Bituricensis, quem obtinebat, teneretur se facere promoveri ad ordinem presbyteratus usque ad proximam Dominicam post festum Pentecostes. Nepotem fuisse Raymundi de Agrifolio Episcopi Ruthenensis tradis Antonius Bonallus in historia Episcoporum Ruthenensium. Clemens VI. ejus consanguineusillum tum in subdiaconatus ordine constitutum fecit Decanum Ecclesiæ Bituricensis. Postea fuit Prior prioratus secularis de Picacos in diœcesi Cadurcensi anno MCCCLXI. quo factus Episcopus Ruthenensis post Raymundum munus consecrationis de mandato Innocentii VI. recepit apud sedem apostolicam. Constat illud ex bulla ejusdem Innocentii data XV. Kal. Ianuar. anno nono, qua idem prioratus perpetuò unitus est collegio sancti Martialis quod idem Innocentius fundavit in civitate Tolosana. Ruthenam tamen non adivis Fayditus ante annum MCCCLXV. quo solennem ingressum in eam urbem celebravit die XXII. Iulii. Tenebat autem eam cathedram anno MCCCLXVIII. ut ex literis ejus datis Avenione constare ait idem Bonallus, quibus potestatem fecit Consulibus Ruthenensibus habendi campanam ad evocandos nocte vigiles.

Heic verò consurgit ingens difficultas. Tradis enim Ioannes Froissartus vol. 1. cap. 244. Episcopum Ruthenensem, cujus nomen non exprimit, fuisse anno illo Cancellariom Principis Vualliæ Ducis Aquitaniæ. Fuere qui historiam illam interpretarentur de Faydiro. At Bonallus eam transfert ad Bertrandum de Cardalhaco. Sed prætetquàm quòd nondum mihi bene persuasum est hunc Bertrandum fuisse Episcopum Ruthenensem, cùm Bertrandum fratrem Ioannis Patriarchæ Alexandrini certom sit mortuum esse Episcopum Montalbanensem, & Fayditum ad episcopatum Avenionensem translatum non fuisse ante annum millesimum CCCLXXI. colligi ex eo possit quòd illo tantùm anno administratio episcopatus Ruthenensis data est Ioanni Patriarchæ Alexandrino, nondum moribus receptum erat ut Episcopi relinquerent cathedras suas, soloque nomine Episcopi contenti essent; adeoque censendum est Fayditum fuisse Episcopum Ruthenensem usque quò translatus est ad Ecclesiam Avenionensem. quod contigisse anno MCCCLXXI. jam ex eo collegimus quòd illo tantùm anno administratio episcopatus Ruthenensis data est Ioanni de Cardalhaco Patriarchæ Alexandrino.

Ergo, si vera est narratio Froissarti, Fayditus fuit Cancellarius Principis Vualliæ in Aquitania, & anno MCCCLXVIII. cum eo erat apud Niortum in Pictonibus. Sed vix credibile est hominem Lemovicem potuisse ea tempestate esse inimicum regni Francorum, cum præsertim qui duos sui nominis Cardinales sciret esse in curia Romana Franciei nominis studiosissimos. Quare rectè idem Bonallus, qui compertum haberet Fayditum modico tempore mansisse in Ruthenis, sciebat autem hoc ipso anno MCCCLXVIII. fuisse apud Avenionem, scripsit illum assiduè commoratum esse in curia Romana. Ego suspicor Froissartum memoriæ lapsu in hoc loco posuisse Episcopum Ruthenensem pro alio quopiam, fortassis pro Ostensio de sancta Columba Episcopo Sarlatensi, quem fuisse virum doctum & eloquentem, tum etiam addictissimom eidem Principi patet ex quarta vita Urbani V. pag. 422.

Post mortem Gregorii XI. Clemens VII. ejus successor Legatum in Germaniam misit Guillelmum Cardinalem de Agrifolio, quem suprà pag. 998. monuimus fuisse Camerarium collegii

collegii Cardinalium. Discedens autem ille in Germaniam vices suas commisit Fayditn. Extanc enim in archivo sancti Andreæ Avenionensis litteræ ejus datæ anno à nativitate Domini MCCCLXXXIII. Indictione VI. die XVII. Novembris, in quibus ipse tanquam regens officium camerariatus collegii Cardinalium pro Domino Guillelmo tituli sancti Stephani in Cœlio monte Presbytero Cardinale dicti collegii Camerario fatetur quòd Dominus frater Savaricus olim sancti Andreæ prope Avenionem, nunc verò Massiliensis Abbas, pro parte sui communis servitii ratione dicti monasterii sancti Andreæ, cui præfuit, dicto collegio solvit triginta florenos auri.

Eodem anno exeunte Clemens VII. eum tunc Episcopum Avenionensem fecit Presbyterum Cardinalem tituli sancti Martini in montibus. Puto autem eum retinuisse Ecclesiam suam cum cardinalatu. Etenim in diario Episcopi Carnotensis scriptum est Cardinalem Avenionensem anno MCCCLXXXVI. die quinta Ianuarii fecisse homagium Regi & Reginæ Siciliæ satis leviter transeundo, sicut sui prædecessores fecerunt, & eodem die ipsum cum Cardinale Arelatensi venisse apud Villamnovam ad Dominam visitandam. Legimus autem in bulla Clementis VII. edita apud Ægidium Bellameram in commentario ad Decretum Gratiani eundem Clementem tenuisse episcopatum Avenionensem ad manus suas anno MCCCXC. die secunda Iulii, & initio sequentis mensis Augusti eundem Ægidium factum fuisse Episcopum Avenionensem.

Extat in archivo Ecclesiæ sancti Pauli Narbonensis vetus instrumentum confectum anno MCCCLXXXVIII. die XV. Iulii, per quod capitulum ejusdem Ecclesiæ concedit annuam & perpetuam pensionem centum francorum auri Domino Faydito Presbytero Cardinali tituli sancti Martini in montibus ob amorem præcipuum quo idem Fayditus prosequebatur Ecclesiam illam, & ob ingentia merita quibus sibi devinxerat idem capitulum.

In eodem archivo habetur instrumentum securitatis seu, ut alii malunt, apochæ qua idem Fayditus Cardinalis recognoscit se habuisse & realiter recepisse ab eodem capitulo summam quinquaginta francorum de & super fructibus, redditibus, & proventibus dictæ sancti Pauli Ecclesiæ & parrochiæ de Pettiaco Corbatiæ inferioris Narbonensis diœcesis pro media parte pensionis singulis annis in civitate Avenionensi in duobus terminis persolvendæ ei auctoritate apostolica assignatæ, & hoc pro termino festi Paschæ proximò venturi. Datum Avenioni anno MCCCXCI. die XXI. Martii.

Eundem fuisse Archidiaconum Amiliani in Ecclesia Ruthenensi & anniversarium pro animæ suæ requie singulis mensibus in die obitus sui celebrandum instituisse in Ecclesia Ruthenensi tradit idem Bonallus.

Obiit anno MCCCXCI. die secunda Octobris. Sepultus autem est, ut ipse constituerat, in Ecclesia cathedrali Avenionensi retro altare majus versùs portam vestiariæ seu sacristiæ dictæ Ecclesiæ. Sed cùm postea hæc pars presbyterii reædificata fuisset, sepulcrum ejus hinc amotum est & translatum in sacellum quod vocant Purificationis beatæ Mariæ virginis, ante sepulcrum videlicet Benedicti XII. Papæ. Ita docent Franciscus Nouguierius & Sebastianus Fantonius.

PETRUS AYSSELINI] His quæ vulgò scribuntur de hoc Cardinale, quæ nos ob eam causam præterimus quia omnibus obvia sunt, addo illum fuisse creatum Cardinalem absentem, adeoque sentire me cum Contelorio suspicante illum nunquam habuisse titulum. Quippe semper mansit in urbe Parisiorum, ut multis testimoniis probari posset. De controversia porrò quæ fuit pro regalia Laudunensi eo tempore quo ille factus est Cardinalis vide Ioannem Galli quæst. 10. & 160.

VVALTERUS DE VVARDELAN] Ita veteres libri. Hector Boetius lib. 16. hist. Scotor. fol. 329. levi discrimine vocat Vvalterum Vardalau. *Fœdus quoque renovatum est*, inquit, *ex parte Scotorum*, nimirum cum Gallis, *& missus cum legatis revertentibus Vvalterus Vardalau Episcopus Glasguensis ad Karolum.* Acta hæc anno MCCCLXXXII.

Anno MCCCLXXVI. erat apud Avenionem, ubi ex commissione Gregorii XI. Papæ gradum magisterii in theologia dedit fratri Thomæ de Rissy ordinis Minorum vicario generali in regno Scotiæ & Baccalaureo Parisiensi. *Vvadding. an.* 1376. §. 7.

Anno MCCCLXXXIII. exeunte creatus est Cardinalis à Clemente Papa, vulgò vocatus Cardinalis Scotiæ. Erat autem absens, ut notatur in libro obligationum. Et cùm ad eum allatus esset nuntius de dignitate cardinalitia, noluit dimittere episcopatum suum. Testatur id Ioannes Galli quæst. 10. his verbis: *Cardinalis Scotiæ noluit consentire absolutioni episcopatus Scotiæ, quamvis fuisset factus Cardinalis & cardinalatui consensisset. Quare sibi dimisit Papa episcopatum Scotiæ in commendam.* Obiit anno MCCCXCI. ut patet ex Vvaddingo an. 1391. §. 3.

AYMERICUS DE MANHACO] In hoc loco per incogitantiam typographorum admissus est error gravissimus in editione Bosqueti contra fidem omnium veterum exemplarium. Omissis enim nominibus Aymerici de Manhaco & Ioannis de Novocastro sic

editum illic est, *Aymericus de Masuus tunc Episcopus Tutellensis*. Ex quo nos, qui nesciebamus locum illum esse mendosum ac mutilum, collegimus in initiis studiorum nostrorum Aymericum de Masuus Cardinalem reponendum esse inter Episcopos Tutelæ patriæ nostræ. Itaque cùm anno MDCLIV. illic ederemus brevem catalogum eorundem Episcoporum, inter eos posuimus Aymericum de Masuus Cardinalem. Postea Sammarthani transtulere hunc catalogum in tomum tertium Galliæ Christianæ. Et mihi quidem crediderunt de nomine Episcopi. Ceterùm de dignitate ejus cardinalitia siluerunt, existimantes aliquid ibi mihi excidisse falsæ opinionis, quia nomen istius Cardinalis non inveniebant apud auctores qui tractarunt de historia Cardinalium. Verùm si illi attendissent ad locum unde ego ista acceperam, fortassis mecum eo tempore sensissent. Nunc itaque admoneo hunc Aymericum, qui nullus fuit, esse delendum ex catalogo Episcoporum Tutelensium.

AYMERICVS DE MANHACO] ex antiqua nobilitate Lemovicensi oppidi quod cognominatur de sancto Iuniano, ex qua vetustis temporibus prodiit Alaiz de Magnac uxor Ramnulfi Vicecomitis Albuciensis, quæ circa annum millesimum centesimum vitam cum morte commutavit. Eadem tempestate vivebat *pernobilis persona*, ut legitur in veteri notitia monasterii sancti Martialis Lemovicensis, *nomine Agnes de Magnaco, uxor Stephani de Bles*. Inter testes istius notitiæ nominantur idem Stephanus, alter Stephanus de Bles filius ejus & Agnetis de Magnaco, & Ioscelmus de Magnaco. Istius Ioscelmi filii fuisse videntur Iterius & Stephanus de Magnaco fratres commemorati in alia notitia ejusdem monasterii data temporibus Ludovici VII. Regis Francorum, Geraldi Episcopi Lemovicensis, & Amblardi Abbatis sancti Martialis, id est, circa annum MCXL.

Iste videtur fuisse frater Iterii de Magnaco Baillivi Andegavensis, ad quem scribit Clemens VI. anno quarto sui pontificatus in gratiam Petri de sancto Martiale Domicelli, qui quandam terram cum jurisdictione alta & bassa habebat in partibus Lemovicensibus quæ ab eodem Iterio teneri dicebatur in feudum. Eundem Iterium idem Clemens aliis literis datis prid. Idus Ianuarii anno quinto commendat Philippo VI. Regi Franciæ, inquiens patrem ejus, dum viveret, obsequiis regiis institisse. Aymerici frater certò fuit Petrus de Magnaco, quem Pincernam suum vocat Karolus V. Rex Francorum in literis datis apud Compendium anno MCCCLXXIV. die septima Iunii, quibus ei successoribusque ejus concedit centum libratas Turonenses terræ seu annui & perpetui redditus in & super omnibus bonis quæ fuerant Petri Rogerii Advocati regii in Lemovicino, qui proditiones commisisse dicebatur contra majestatem regiam; idque se facere ait Rex Karolus quia idem Petrus de Magnaco pro posse suo laboraverat & juvaverat ut castrum Lemovicense, villa sancti Iuniani, & patria circumvicina ad obedientiam regiam plenariè devenirent.

Nescio autem annon ejusdem Cardinalis Aymerici frater fuerit alter Iterius de Manhaco Licentiatus in decretis & Archipresbyter Belchuensis in diœcesi Cæsaraugustana, quem anno MCCCXLVIII. die XV. Septembris reperio fuisse apud Narbonam quo tempore Aymericus Vicecomes Narbonensis homagium fecit Petro de Iudicia Archiepiscopo Narbonensi. Qua de re actum est suprà pag. 1131.

Rursum Aymerici frater fuisse videtur Geraldus de Magnaco Archidiaconus de Baltesio in Ecclesia Constantiensi, tandemque Episcopus Tridentinus; de quo videndi Bzovius an. 1346. §. 8. Odor. Raynaldus eod. an. §. 36. & seq. an. 1347. §. 2. 3. & 1355. §. 2. 7. & Vghellus to. 5. Italiæ sac. pag. 517. Eundem fuisse Canonicum Nannetensem patet ex Ghirardaccio lib. 21. hist. Bonon. pag. 130.

Nunc tandem redeamus ad Aymericum. Is ex Decano Parisiensi, uti scriptum est in ejus epitaphio, seu potiùs ex Archidiacono Pissiacensi in Ecclesia Carnotensi, uti habet regestum Vrbani quinti, factus est Episcopus Parisiensis literis datis apud Montemflasconem IX. Kal. Octobris anno septimo, postridie videlicet quàm Stephanus ejus decessor in sede Parisiensi evectus est ad dignitatem Cardinalis. Tum die dominica tertia sequentis mensis Decembris celebravit ingressum suum solemnem in urbem Parisiensem, portatus pro more ab Ecclesia sanctæ Genovefæ ad Ecclesiam cathedralem. Hunc autem ei honorem habuit Rex ut illum eosque qui in comitatu ejus erant convivio exceperit apud Luparam. Hæc scripta sunt à continuatore Gallico Nangii.

Anno MCCCLXXI. die quarta Martii obiit Ioanna uxor Karoli IV. Regis Francorum; cujus corpus delatum est ad Ecclesiam cathedralem Parisiensem sabbato sequenti, & die lunæ solemnia funeris ejus peracta, celebrante Missam Aymerico Episcopo Parisiensi. *Ex eodem continuatore.*

Fuisse illum apud Avenionem initio anni MCCCLXXV. docet epistola Gregorii XI. ad eum scripta Nonis Maii, quam recitat Vvaddingus an. 1375. §. 13. Ejusdem Aymerici mentionem facit idem Gregorius in epistola sequenti mense Septembri scripta ad Karolum V. Regem Francorum, quæ edita est à Fantonio par. 1. hist. Avenion. pag. 243.

In codice 822. bibliothecæ Colbertinæ hæc scripta sunt: *Anno Domini* MCCCLXXVI. XXVIII. *die Septembris fuerunt Parisius publicati processus contra Florentinos per Dominum Aymericum Episcopum Parisiensem revestitum solemniter in navi Ecclesiæ Parisiensis. Et pro themate seu praambulo sumpsit hanc propositionem: Deleantur de libro viventium, & cum justis non scribantur.*

Anno MCCCLXXXIII. factus Cardinalis à Clemente VII. dictus est vulgò Cardinalis Parisiensis, ut patet ex Ægidio Bellamera in cap. *At si clerici.* de judiciis, in cap. *Cùm contingat.* de foro competenti, in cap. *Cùm venisset.* de testib. & attestationibus, & in cap. *Cùm venerabilis.* de exceptionibus. Hinc porrò colligitur hunc Aymericum edidisse commentarium in librum sextum decretalium.

De testamento ejus vide Ioannem Galli quæst. 91.

Ex eadem gente fuit Hugo de Manhaco Episcopus sancti Flori.

IOHANNES DE NOVOCASTRO] Nescio ubi fratres Prædicatores invenerunt illum fuisse ordinis sui & patria Aragonensem. Nullum enim istius rei vestigium habere potui in tota antiquitate. Sanè Onuphrius in secunda epitome id tradit, ac prætereà Hispanum fuisse. Verùm ea auctoritas, quamvis magni viri, tanti non est ut præscribere valeat adversùs veritatem. Fuit primùm factus Episcopus Nivernensis anno MCCCLVIII. ut vulgò traditur. At si veterum archivi Romani librorum fidem appelles, non videtur ornatus fuisse ea dignitate ante annum millesimum CCCLXXI. quo successisse dicitur cuidam Petro. Deinde anno MCCCLXXXV. translatus est ad Ecclesiam Tullensem, & anno MCCCLXXXIII. evasit Cardinalis. Etat autem absens, ut notatum est in libro obligationum. Postea intravit curiam anno millesimo CCCLXXXIV. die IV. Iunii. Et tum datus ei est titulus SS. Quatuor coronatorum.

Anno MCCCLXXXIX. aut circiter Clemens VII. ei delegavit cognitionem controversiæ quæ erat inter capitulum Ecclesiæ cathedralis Parisiensis & capitulum sancti Benedicti. Vide Ægidium Bellameram in cap. *Cùm olim.* de testibus.

Anno MCCCXCII. excunte factus fuit Episcopus Ostiensis.

Anno MCCCXCIV. interfuit electioni Benedicti XIII. eumque consecravit, ut legitur suprà pag. 567.

Anno MCCCXCV. cùm tres Duces Franciæ missi fuissent Avenionem à Rege pro quærendis rationibus extinguendi schismatis, placuissetque consilio regio non alio meliore modo ei finem imponi posse quàm per cessionem contendentium de summo pontificatu, ac proptereà iidem Duces in ædes suas evocassent Cardinales eorumque opiniones exquisivissent, Cardinalis de Novocastro, ut est apud continuatorem Nangii pag. 158. in tomo sexto Spicilegii Dacheriani, *firmiter juravit se credere Regem & patruos ejus huc usque unionem Ecclesiæ affectasse, & quia maturè credebat & sperabat & cum magna deliberatione eos viam cessionis acceptasse, eam tenebat meliorem.* Meliùs autem & multò clariùs habetur hic locus in veteri codice MS. archivi regii Parisiensis: *Dominus Cardinalis de Novocastro dicit quòd in conscientia sua firmiter tenet quòd Rex & sui patrui necnon frater & eorum consilium fuerunt & sunt in vera, justa, & sancta opinione pro pace & unione Ecclesiæ consequenda, & quòd cum magna & matura deliberatione hanc viam consuluerunt & elegerunt, & propter hoc ad eam se tenet tanquam meliorem & breviorem.*

Anno MCCCXCVII. mense Septembri deseruit Benedictum XIII. & Avenione decessit cum ceteris Cardinalibus, ut patet ex Surita lib. 5. Indicum.

In chronico Aymerici de Peyraco Abbatis Moyssiacensis post enarratam obsidionem palatii Avenionensis adversùs Benedictum XIII. & post decretum de subtractione obedientiæ editum anno MCCCXCVIII. additur: *De facto quidam Cardinales foventes partem Papæ de non renuntiando dolenter captivati, & quidam Cardinalis à casu infra palatium combustus, alter mortuus in carcere dum pergeret in habitu difformato de mandato dicti Papæ ad partes Arragoniæ, de cujus patria idem Papa originem traxit.* Cardinalem combustum intelligi debere Ioannem de Novocastro, mortuum in carcere Thomam de Amanatis, docet informatio seriosa eorum quæ occasione pertinaciæ ejusdem Benedicti facta sunt Avenione per Duces Franciæ. Sed in hoc corrigendus est Aymericus quòd Cardinalem combustum numeravit inter Cardinales Benedicto adhærentes, quem ex eadem informatione constat ei graviter adversatum fuisse. Patet illud etiam ex epistola Martini Regis Arragonum ad Cardinales Avenionenses eo tempore scripta, quæ extat in codice 841. sancti Victoris Parisiensis, in qua hæc habentur: *Numquid juris erat & pacis vox illa horribilis: Vivat collegium & populus, Petrus de Luna cum suis omnibus moriatur? Nonne ad hæc exequenda datus fuit capitaneus Cardinalis ipse de Novocastro, divino judicio de medio jam sublatus?* Vide etiam Odoricum Raynaldum an. 1398. §. 24. ubi testatur eam informationem extare in tomo decimo de schismate pag. 195. in bibliotheca Varicana.

EPS TVLLENSIS] Ita veteres libri, uno excepto regio, in quo scriptum est Tu-

tellensis. quam lectionem præfert editio Bosqueti. Ferdinandus Vghellus in additionibus ad Ciaconium pag. 1010. cum scribit fuisse Episcopum Tutellensem, cùm dicere debuisset Tullensem.

IACOBVS DE MENTONAY] Hanc lectionem habent omnia vetera exemplaria. In diario verò Ioannis Fabri Episcopi Carnotensis semper scribitur *Mentenai*, in regesto CXXXVIII. archivi regii Paris. *de Menthenayo*, ubi vocatur Archidiaconus Ecclesiæ Remensis. anno MCCCLXXXIV. die XXVI. Novembris. Inter probationes historiæ Sabaudiæ pag. 252. nominatur egregius Miles Franciscus de Mentone Gebennensis diocesis anno MCCCI. die XV. Augusti.

AMEDEVM DE SALVCIIS] Nunquam fuisse consecratum Episcopum Valentinensem hinc liquet quòd isthic vocatur tantùm electus, & quòd factus est tantùm Diaconus Cardinalis. Sed tamen eundem episcopatum concessum illi fuisse in commendam colligitur ex diario Ioannis Fabri Episcopi Carnotensis, ubi adnotatum est ad diem XXIV. Novembris anni MCCCLXXXV. Cardinalem Saluciarum tedeuntem ab episcopatu suo Valentino visitasse Mariam Reginam Siciliæ filiumque ejus Regem Ludovicum apud Pontem Sorgiæ: *Le Cardinal de Saluces venant de son Evesché de Valence visita Madame & le Roy*.

Anno MCCCLXXXVII. die Iovis XXIX. Augusti, apud Rupemmauram, ubi tunc Papa Clemens erat, Petrus Cardinalis Ebredunensis colloquens cum Ioanne Episcopo Carnotensi sermonem intulit de matrimonio Ludovici Regis Siciliæ cum filia Comitis sancti Pauli. Episcopus verò retulit ad Reginam Mariam matrem Ludovici. Die dein secunda mensis Septembris, mutato consilio, idem Cardinalis & Cardinalis Saluciarum eandem Reginam, quæ erat apud Rupem-mauram, adeuntes nomine Comitis sancti Pauli orarunt uti matrimonium contraheretur inter Karolum secundò genitum Reginæ & filiam ejusdem Comitis. Respondit Regina id sibi esse pergratum. *Ex diario Episcopi Carnotensis*.

In regesto CXL. archivi Regii Parisiensis extant acta quædam confecta anno millesimo CCCLXXXIX. die XXVIII. Ianuarii, in quibus nominatur Amedeus de Saluciis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconus Cardinalis & Archidiaconus Remensis.

Anno MCCCXCIV. interfuit electioni Benedicti XIII. ut videre est in gestis post mortem Clementis VII. pag. 563. 565.

Anno MCCCXCV. consultus à Ducibus Franciæ apud Avenionem an via cessionis duorum contendentium de papatu, quæ approbata fuerat Parisiis coram Rege, expediret bono publico, *dixit quòd si per viam cessionis poterat haberi unio & honor Domini Papa servari, hanc approbabat: addiditque quòd ante electionem consuluerat ut eligeretur intrusus, & hujus opinionis fuerant multi assistentes*. Ita quidem in tomo sexto Spicilegii Dacheriani. At in veteri codice MS. archivi regii Parisiensis ista meliùs explicantur hoc modo: *Dominus Cardinalis Saluciarum dixit quòd si per viam cessionis amborum pax & unio in Ecclesia possit haberi, eam approbat & ad eam se tenet pro honore Domini nostri Papa conservando. Dixit ulteriùs quòd ante electionem Domini nostri Papa ipse fuit opinionis quòd ad electionem alicujus non procederetur, deinde quòd eligeretur intrusus. De qua opinione fuerunt plures Domini Cardinales, sicut ipsimet ibi confessi fuerunt*.

Anno MCCCXCVIII. profectus est Lutetiam, uti pluribus dictum est pag. 1151.

Onuphrius Panuinus & post eum alii scribunt illum mortuum esse Florentiæ anno millesimo CCCCXIX. IV. Kal. Iulii, ibidemque sepultum. Quod ut de anno verum est, ita falsum est de loco mortis & sepulturæ. Quippe ex veteribus actis editis à Severtio in Archiepiscopis Lugdunensibus pag. 343. liquet illum mortuum esse in villa sancti Donati Viennensis diocesis & sepultum in cathedrali Ecclesia Lugdunensi.

De eo hæc leguntur apud Aymarum Falconeum in compendio historiæ Antonianæ fol. 85. *Non multò post Reverendissimus Cardinalis de Salutiis nuncupatus maxima devotione hanc religionem legitur fuisse prosecutus. Nam ad extructionem refectorii hujus monasterii maximos sumptus magnamque pecuniarum quantitatem subministravit. Donavit propterea calicem unum argenteum deauratum magni ponderis & pretii. Nonnulli asserunt Cardinalem ipsum ægrè admodum tulisse quòd Pontius Abbas prædictus sua ipsius Abbatis insignia structuris dicti refectorii fecisset apponi, cùm ipse Cardinalis majores pro his suppeditasset impensas*.

PETRVM DE FITINIACO] In vetere regesto parlamenti Parisiensis inscripto *Mannale Placitorum* ista leguntur ad annum MCCCLXXXIII. & diem XXIX. Decembris: *Ce jour a esté nouvelles en la court de ceans que Maistre Pierre de Fistigny Advocat en la court de ceans est Cardinal prononcé du saint siege de Rome; & ont esté prononcez dix Cardinaux, entre lesquels sont les Evesques de Paris & de Laon & ledit Maistre Pierre de Fistigny*.

Fuit Petrus vir magnæ bonæque famæ, ut docet hic scriptor. In diario Ioannis Fabri Episcopi Carnotensis reperio cum in consilium vocatum à Ludovico Duce Andegavensi

deliberante de expeditione Neapolitana. Nam cùm Dux, qui tunc erat Cæsaroduni Turonum, Lutetiam misisset quatuor è consiliariis suis, & inter hos Episcopum Carnotensem Cancellarium suum, illique advenissent Lutetiam die Iovis XXIX. Augusti anno millesimo CCCLXXXI. postridie adunatis consiliatiis Regis, quorum unus erat Petrus de Fitigniaco, Episcopus Carnotensis exposuit ea quæ coram Duce visa fuerant expedire apud Cæsarodunum, nimirum eum non posse ingredi iter hac tempestate, debere tamen quantocyus suppetias ferre Reginæ Ioannæ, ac propterea mittendos esse ad Ducem Burgundiæ qui ei significarent quonam in statu res essent in regno Neapolitano, & consilium ejus expeterent. Omnes approbavere eam sententiam, uno excepto Petro de Fitigniaco, qui nolebat Ducem in se assumero istud negotium. Aderant in eo conventu Nicolaus du Bosc Episcopus Bajocensis, Petrus Girardi, qui fuit postea Cardinalis, Petrus de Bournonsello, Mauricius de Treseguidi, quem Froissartus vol. 2. cap. 6. vocat *de Trisquidi*, Ioannes de Maresiis, magister Petrus de Fitigniaco nondum Cardinalis, & magister Petrus de Castello. Cum his erant etiam missi à Ludovico Duce Ioannes Episcopus Carnotensis, Ioannes de Bueil, Raymundus Bernardi, & Arnulphus la Caille secretarius Ducis.

Anno itaque MCCCLXXXIII. exeunte factus est Cardinalis absens. Postea intravit curiam die XXI. Novembris anni sequentis. *Ex libro obligationum.*

Anno MCCCLXXXVI. cùm Maria Regina Siciliæ vidua Ludovici venisset ad Villamnovam prope Avenionem, die dominica septima Ianuarii ad eam salutandam venere Cardinales Hispanus, Florentinus, Saluciarum, de Novocastro, de Fetigniaco & de sancto Martiale. Ita etiam fecere Episcopi Æduensis & Aniciensis. *Ex eodem diario.*

DUCIS BITURIC.] Quamquam historia quæ isthic refertur non pertineat ad annum MCCCLXXXIV. uti mox ostensuri sumus, adnotabo tamen Ioannem Ducem Bituricensem fuisse mense Maio ejusdem anni apud Avenionem, cumque eo illic fuisse etiam Comites Armaniaci, Convenarum, & Insulæ. Testatum id reliquit Ægidius Bellamera in cap. *Sacris.* de his quæ vi metusve causa fiunt, fol. 75. col. 3.

PETRUM DE LUCENBORCH] Difficile est certò statuere tempus quo factus est Cardinalis. Onuphrius Panuinius in secunda epitome factum istud refert anno millesimo CCCLXXXVI. Contelorius superiore. Auctor istius vitæ Clementis revocat ad annum MCCCLXXXIV. post promotionem quæ facta est anno MCCCLXXXIII. exeunte. Verùm cùm constet illum ad eam dignitatem vocatum esse adveniente tempore paschali, & ex veteri libro cameræ computorum Paris. citato inter probationes historiæ Cardinalium Gallorum pag. 529. intelligamus Regem Karolum VI. ei die XXIV. Aprilis anni millesimi CCCLXXXVI. dedisse duo millia librarum in sumptus itineris Avenionensis, & ex libro obligationum constet illum pervenisse Avenionem & intrasse curiam die quarta Iunii ejusdem anni, videtur ambigi non posse quin factus sit Cardinalis anno millesimo CCCLXXXVI. mense Aprili. Itaque ista loco non suo posita sunt, & rejicienda sunt in tempora posteriora. Interiit Avenione anno MCCCLXXXVII. die quinta Iulii, ut docet suprà pag. 515. hic noster auctor. Quæ porrò miracula mortem ejus consecuta sunt vide Froissartum vol. 3. cap. 100. & Bonifacium Cardinalem de Amanatis, qui sub nomine Bonifacii de Vitaliniis editus est, in Clement. *Cedit.* de Iudæis & Sarracenis, ubi ita scribit: *Nota quòd colere aliquem sanctum, qui non est per Ecclesiam approbatus, prohibitum est, etiamsi miracula faciat. Cultura autem publica quæ fit corporis beatissimi quondam Domini Cardinalis de Lucemburg, quod vulgò dicitur corpus sanctum, non est prohibita, quia toleratur ab ista Ecclesia, imò per sedem apostolicam. Nec potest dici quòd sit ibi fraus aut ulla latens exceptio, cùm diù est quòd fuerit continuata ejus devotio & peregrinatione etiam longinqua venerata multiplici concursu populi undecunque etiam partium schismaticorum, & coruscat gloriosus inter homines & innumerabilibus signis & prodigiis, quæ crebrò & de die in diem Deus ipsius nominis gloriosi invocatione fatere dignatur, ita ut stupenda recitentur, quæ verissimè comprobantur evenisse. Sunt enim sex anni quibus sepultus fuit, & ex tunc citra continuè ejus devotio pullulavit.* Ista ergo scribebantur anno MCCCXCII. De gloria miraculorum ejusdem Petri sic scribebat eo tempore Robertus Gervasii Episcopus Senecensis in tractatu de schismate fol. 52. *Item confirmatur secundò sic, quia divina providentia nullum errorem approbat nec confirmat per coruscationem miraculorum, ut de se patet; quia tunc non puniret culpam errantium. Sed divina providentia approbat & confirmat adhærentes & obedientes Domino Clementi septimo per miraculorum coruscationem, prout patet de Domino Petro de Lucembore Cardinali facto per Dominum Clementem septimum, cujus meritis & precibus divina providentia valde multa miracula manifesta operatur his qui credunt in eum. Igitur adhærere & obedire Domino Clementi septimo non est error.*

Anno MCCCLXXXVII. die XXIV. Augusti

Maria Regina Siciliæ, quæ tum erat apud Villam-novam, venit Avenionem, & Missam coram se celebrari fecit in conspectu sepulcri istius Cardinalis. *Ex diario Episcopi Carnotensis.* In eodem diario adnotatum est anno millesimo CCCLXXXVIII. die prima Februarii expeditam fuisse literam supplicatoriam *ad Papam ex parte Dominæ Reginæ pro canonizatione Petri Cardinalis de Lucembourch.*

Anno MCCCLXXXIX. Petrus de Alliaco Cancellarius Parisiensis profectus est Avenionem missus à Rege, ab Vniversitate, & ab Ecclesia Parisiensi ad postulandam eaudem canonizationem. Vide to. IV. histor. Vniversitat. Parisf. pag. 650. 670. Eandem postea à Concilio Basileensi postulavit anno millesimo CCCCXXXVI. Philippus Dux Burgundiæ, ut constat ex epistola ejus edita in tomo XII. Conciliorum pag. 973. editionis Labbeanæ. Tandem Clemens VII. Medicens anno millesimo DXXVII. ejus ossa ex subterraneo loco in alium commodiorem transferri & ibidem venerabiliter collocari & à Christi fidelibus pro beato venerari concessit. Hanc bullam edidit Andreas Victorellus in additionibus ad Ciaconium pag. 1108.

Sepultus est, uti ipse testamento mandaverat, in communi cœmeterio pauperum; ubi statim magnis & stupendis miraculis eum inclaruisse scribit hic noster. Anno deinde MCCCXCV. die XVI. Martii frater ejus Ioannes de Luxemburgo Comes Conversanensis moriturus condens testamentum apud Sinisium *voluit & mandavit quòd de bonis suis expendi debeant sex millia ducatorum tam in ædificatione cujusdam capellæ ædificandæ in loco ubi corpus beatissimi Petri de Luxemburgo est collocatum apud Avinionem, ad honorem, laudem, & reventiam ipsius, ita quod prædicta capella suo nomine intitulata corpus dicti sancti cooperiat & detineat in æternum, sub cujus pedibus dictus testator construi voluit sepulturam pro suis ossibus deponendis in Ecclesia supradicta.* quod postea confirmatum est à Margareta ejus uxore. Videtur autem ea ædificatio perfecta fuisse secundùm aliquam ejus partem anno MCCCXCVI. cùm Andreas de Luxemburgo Episcopus Cameracensis tum in testamento suo statuerit *quòd cor & intestina sua deferantur Avenionem & ecclesiastica tradantur sepulturæ in Ecclesia ubi jacet intumulatus idem Dominus Petrus de Lucemburgo ejusdem germanus sanctæ memoriæ dudum Cardinalis.* In eam Ecclesiam, postquam absoluta fuit, translatum est corpus Clementis VII. anno MCCCCI. ex cathedrali Avenionensi, in qua depositum fuerat, ut legitur suprà pag. 538.

Initium istius ædificationis reperi in veteri codice MS. archivi regii Parisiensis, in quo scriptum est primum illius lapidem positum fuisse à Ducibus Franciæ anno MCCCXCV. die sabbati XXVI. Iunii. Hæc sunt verba veteris libri. *Item ce mesme jour matin fut assise par Nosseigneurs les Ducs la premiere pierre en l'Eglise qui de nouvel est edifiée en Avignon à saint Pierre Celestin, où pose le corps du saint Cardinal de Lucembourg. Et y ot notable service & solemnité & grant multitude de gent. Et y ot sermon solemnel, lequel fit Maistre Giles d'Orleans. Et dit entre les autres choses en son sermon, en recommendant les merites & miracles du saint Cardinal, que si la dissension qui estoit entre Nostre saint Pere & Nosseigneurs les Ducs sur le fait de l'union de l'Eglise estoit mise en deux cedules, & que chascune des parties mist en une cedule sa voie & son opinion, & lors fut eslevé le corps du saint Cardinal, & là devotement mises les deux cedules, qu'il vouloit prendre sur sa vie que le saint Cardinal, qui tant en sa vie avoit en cette matiere à cœur, y monstreroit aucun miracle & declaration laquelle opinion & voye seroit la meilleure & plus profitable pour sainte Eglise.* Factum esse quod Ægidius de Campis proposuerat de ponendis duabus cedulis super corpus sancti Cardinalis scribit Ioannes Iuvenalis de Vrsinis in historia Karoli VI. pag. 112. editionis regiæ.

Ejus vita ab auctore coætaneo scripta extat inter Flores Cardinalium Episcopi Æduensis & inter probationes historiæ Cardinalium Gallorum. Habuisse eum in domo sua capellanum vitæ sanctissimæ virum doctrina & prudentia insignem Ioannem de Varennis testatur Froissartus vol. 4. cap. 58.

DIE XX. SEPTEMBR.] Ita etiam in diario Episcopi Carnotensis. Ex quo facilè colligitur errare eos qui Ludovicum Regem Siciliæ aiunt extinctum fuisse die decima ejusdem mensis, & qui eum putant anno millesimo CCCLXXXV. interiisse. Nuntius autem hujus mortis pervenit Iuliomagum Andegavorum die XXVI. sequentis mensis Octobris. Sed interim Dux Bituricensis jussit ne quis eam nuntiaret Reginæ ejus uxori. Scivit tamen, nescio quo casu, die secunda Novembris post prandium. Eam pro virili sua consolati sunt Episcopus Carnotensis, Guillelmus de Credone, magister Ioannes Begutus, Abbas sancti Albini, Episcopus Andegavensis, & Theobaldus cognomine *Leurant.* Dominus de Castro-Fromondo, vir nihilominus magnarum partium in aula ejusdem Reginæ, ad eam propterea veniens, nihil de consolatione, præter lacrymas muliebri more fusas. *Le Sire de Chasteaufroment,* inquit in suo diario Episcopus Carnotensis, *vint veoir Madame, & ploura comme une commere tres-nicément, sans dire mot de reconfort.* Ad eam visendam adve-

ocie die XIV. Novembris Iuliomagum Dux Bituricensis & Comites Blesensis & Stampensis. Die Mercurii XVI. cantatæ sunt solemnes vigiliæ mortuorum in Ecclesia cathedrali sancti Mauricii per Episcopum Carnotensem, præsente Duce Bituricensi, pro anima Regis Ludovici. Postera die idem Episcopus Missam cantavit. Interfuere Dux Bituricensis & Comites superiùs nominati. Postea Dux Bituricensis discessit Iuliomago die Veneris XVIII. Novembris.

P. 510. VIX SEPTENNIS] Natus enim erat Tolosæ anno MCCCLXXVII. die septima mensis Octobris, ut in pontificali suo, quod servatur in monasterio Gellonensi, adnotatum reliquit Ioannes de Cardalhaeo Patriarcha Alexandrinus, qui eum baptizavit. De ejus ortu agit etiam Froissartus vol. 2. cap. 6. ubi ait patrem ejus magna tum lætitiæ signa dedisse. Vtar autem hac occasione ut nonnulla dicam de Ioanne Patriarcha, quoniam historia ejus multis difficultatibus & obscuritatibus involuta fuit hactenus ob negligentiam scriptorum illius ævi & indiligentiam recentiorum.

IOANNES DE CARDALHACO] ortus est è veteri nobilitate Cadurcensi, non verò ex gente Comitum Armaniacensium, ut in historia ecclesiastica Archiepiscorum Bracarensium scripsit Rodericus à Cunha; mulsò minùs ex pellice Bernardi VI. Comitis Armaniacensis, ut ex falsa conjectura potiùs quàm ex vero sibi & nuperis Galliæ Christianæ editoribus persuasit Arualdus Oihenartus in Notitia Vasconiæ pag. 495. hunc hominem dividens in duos Patriarchas Alexandrinos & in duos item Episcopos Ruthenenses. Itaque spurius ille filius Bernardi eradendus omnino est ex catalogo Episcoporum Ruthenensium.

Ioannes studiis literarum dedit operam in academia Tolosana, ubi gradum Doctoris in jure civili obtinuisse eum constat ex bullis ejus de episcopatu Auriensi laudatis in eadem historia ecclesiastica Archiepiscoporum Bracarensium. Deinde jus civile publicè professus est in eadem academia. Qua tempestate missum eum fuisse Avenionem ad Clementem VI. anno MCCCL. fidem facit codex orationum ejus, in quo inter alia habetur *Arenga per eundem Dominum Patriarcham facta coram Domino Clemente VI. summo Pontifice, missus ad eum, dum ordinarie legebat Tolosæ, per Vniversitatem Tolosanam.* Extat in eodem codice *sermo ad Vniversitatem studii Tolosani de nativitate per præfatum Dominum Patriarcham factus.* Contigisse istud anno millesimo CCCL. ex eo colligi facilè potest quòd illo anno exeunte sermonem in Romana curia habuit in titulo sancti Georgii ad velum aureum assignato Domino Ioanni de Caramagno Cardinali.

Anno MCCCLI. illum prima tantùm tonsura clericali initiatum Clemens VI. creavit Episcopum Auriensem. Illuc ergo profectus est.

In eodem porrò codice orationum ejus habetur *sermo in festo beati Martini patroni Ecclesiæ Auriensis in Hispania per eundem honorabilem Dominum factus*, itemque sermo ab eo factus in quadam synodo sua in prædicta Ecclesia Auriensi quarta feria post Dominicam de passione. Sed quonam demum anno profectus sit ad Ecclesiam Auriensem in obscuro est. Ego tamen suspicor id anno tantùm MCCCLVI. evenisse. Nam & Avenione adhuc erat quando Clemens VI. mortuus est. Quippe in toties laudato codice orationum ejus habetur *sermo quem prædictus Dominus fecit quando celebravit exequias Domini Clementis Papæ VI. & ibidem solempnisavit inthronizationem Domini Innocentii Papæ successoris sui.* Ibidem habetur *sermo coram Domino Innocentio Papa VI. in festo annuntiationis beatæ Mariæ, quod accidit in crastinum Dominicæ de Quasi modo, Avinione per eundem Dominum factus*, id est, anno MCCCLIII. quo dies annuntiationis remissus est pro more ad diem lunæ post Dominicam *Quasi modo.*

Anno igitur MCCCLVI. profectus est in Hispaniam. Tum verò Guillelmus Iudicis Cardinalis erat illic Legatus; quem ipse assecutus est apud Compostellam, ut patet ex his quæ suprà pag. 928. relata sunt ex codice sermonum ejus.

Anno MCCCLVIII. Innocentius VI. ei tum Episcopo Auriensi concessit literis datis Avenioni Kal. Iunii ut si forsan ad loca ecclesiastico interdicto supposita eum contingeret declinare, sibi liceret clausis januis, excommunicatis & interdictis exclusis, non pulsatis campanis, & submissa voce, Missam & alia divina officia celebrare & celebrari facere à suis familiaribus domesticis. Extat hæc bulla in regesto anni sexti ejusdem Innocentii.

Anno MCCCLX. translatus est ad Ecclesiam Bracarensem vacantem per translationem Guillelmi de Gardia ad Arelatensem. Duas eum synodos constat congregasse, primam in monasterio de Polumbario, secundam in loco de Chambus. Sed de annis quibus illæ habitæ sunt parum constat propter incuriam veteris librarii. Quippe in codice orationum ejus habetur *sermo per eundem Dominum factus in prima synodo quam Archiepiscopus Bracarensis factus celebravit die lunæ post Dominicam in sexagesima anno Domini MCCCLXIV. in monasterio de Polumbario diœcesis Bracarensis.* Et ibidem habetur etiam *sermo in synodo*

secunda quam prædictus Dominus fecit in archiepiscopatu suo Bracarensi in crastinum Dominica in albis in loco de Chambus anno millesimo CCCLIIII. ubi errorem esse manifestum est. Quippe Ioannes illo tempore nondum evaserat Archiepiscopus Bracarensis. Ego suspicor excidisse veteri librario notas numerales XV. & legendum esse MCCCLXVIIII. cùm evasisset è carcere Hispanico.

Rursum in eodem codice reperitur oratio ab eo tum Archiepiscopo Bracarensi facta cum hac epigraphe: *Arenga quam prædictus Dominus Archiepiscopus fecit quando recepit juramentum fidelitatis à quodam suffraganeo suo Episcopo.* Et paulò pòst: *Arenga per eundem Dominum facta Ecclesiam Astoricensem & Episcopum suum suffraganeum visitantem in festo nativitatis beatæ Mariæ.*

Anno MCCCLXI. Petrus Rex Lusitaniæ cognomento crudelis corpus uxoris suæ Agnetis de Castro diù antè mortuæ regia pompa ex cœnobio sanctæ Claræ Conimbricensi, uti Duardus Nonius scribit, ad Alcobaciense transferri curavit, deducentibus illud Episcopis, clero, & omnium ordinum hominibus, atque illustrium matronarum comitatu. Inter eos verò Episcopos affuit Ioannes de Cardalhaco Archiepiscopus Bracarensis; extatque in eodem codice *sermo per eundem factus in sepultura Reginæ Portugaliæ facta per Regem*; in quo cùm illa nominetur Agnes, certum est habitum fuisse illo tempore quod suprà notatum est.

Ioannes Froissartus vol. I. cap. 257. enarrans incommoda quæ Ruthenis, Cadurcis, & Lemovicibus inferebantur anno MCCCLXVIII. propter bellum Aquitanicum ait Ducem Andegavensem, qui tum Tolosæ erat, Archiepiscopum Tolosanum, virum doctum & rerum bene gerendarum peritum, misisse Divonam Cadurcorum, cujus tum Episcopus erat frater ejusdem Archiepiscopi, ut eam civitatem populumque illi contributum reduceret ad obedientiam Regis Francorum, idque eum mirificè effecisse. Verum porrò esse quod ait Froissartus, missum fuisse Divonam Archiepiscopum Tolosanum, hinc quoque liquet quòd Guillelmus Cruceus in serie Episcoporum Caducensium pag. 269. testatur in tabulario Caducensi legi Gaufredum Archiepiscopum Tolosanum anno suprà laudato, die tertia mensis Februarii, palam de Consulibus Cadurcensibus sciscitatum esse an agnoscere vellent supremum Regis Francici dominium, & an appellationum privilegio uti vellent. Hinc collegit idem Cruceus Gaufredum Archiepiscopum Tolosanum fuisse fratrem Begonis Episcopi Caducensis. Contrà Catellus pag. 915. Sammarthani to. I. Galliæ Christ. pag. 697. & nuperus auctor annalium Tolosanorum pag. 117. eam historiam referunt ad Ioannem de Cardalhaco Archiepiscopum Tolosanum & Bertrandum Episcopum Cadurcensem fratrem ejus. quod minimè verum est. Quippe certis testimoniis compertum habetur Bertrandum Episcopum Cadurcensem interiisse anno MCCCLXVI. eique mense Maio ejusdem anni substitutum fuisse Begonem Doctorem decretorum in minoribus ordinibus constitutum. Certis rursum testimoniis compertum habetur Gaffredum de Vayrolis tenuisse ea tempestate cathedram Tolosatinam & anno tantùm MCCCLXXVI. vitam cum morte commutasse. An verò fuerit frater Begonis explicare non possum. Nam quamvis illi non fuerint ejusdem nominis, cùm Bego cognominatus fuerit de Castronovo, fieri potest ut eandem matrem habuerint, quippe ambo patria Cadurcenses. Præterea Ioannes de Cardalhaco neque Tolosæ esse poterat neque Divonæ, cùm jam ab anno MCCCLXVII. ineunte detineretur in carcere Burgensi, ut patet ex his quæ refert Rodericus à Cunha de visitatoribus ab eo propter absentiam suam constitutis in archiepiscopatu Bracarensi, in eum carcerem conjectus à Petro crudeli Rege Castellæ, non verò Lusitaniæ, ut falsò scriptum est ab Hugone Raymundi, *quia noverat manum dedisse fratri suo Henrico in expulsione sua de regno, quæ facta fuerat paulò ante. Nunquam autem prece aut pretio flecti potuit ut ipsum liberum dimitteret. Quinimo ad hoc ut in languore viveret & miserè moreretur, per singulos dies eum crudeliter pœnis variis affectum torquebat.* Hæc sumpta sunt ex libro Hugonis Raymundi de miraculis sancti Thomæ Aquinatis in tomo primo Martii Bollandiani pag. 737. Evasit deinde è carcere anno millesimo CCCLXIX. cùm idem Henricus rerum potiretur in Hispania post victoriam de Petro partam pridie Idus Martii, quæ finem vitæ ejus attulit. Ioannis libertatem idem Hugo miraculo factam scribit *sine humano consilio*, id est, absque ullis humanis auxiliis, & enim qui sancto Thomæ liberationem sui domini commendaverat imaginem ceream in effigie Archiepiscopi, sicut spoponderat, ad sanctas reliquias appendisse.

Liber ergo Ioannes, partim beneficio sancti Thomæ Aquinatis, partim Henrici Regis Castellæ victoris & triumphatoris, apud eum in gratia fuit, & mox in Italiam ab eo missus ad Vrbanum V. Papam, ut patet ex ejus oratione ad Papam, cujus suprà pag. 996. facta est mentio. In ea ait inter cetera Ioannes Archiepiscopus: *Quocirca, Beatissime Pater, ad gaudium & consolationem vestræ apostolicæ majestatis missus sum ego submissus famulus & humilis servus vester ut de filio vestro devotissimo & Domino meo Henrico Castellæ &* Legion:

Legionis Rege illustrissimo vobis Domino meo & Christi vicario offeram promptum obedientiæ fidelitatis famulatum &c.

Puto illum Romam euntem divertisse in Aquitaniam ut sui copiam faceret consanguineis & amicis suis, quos dubium non erat graviter & iniquo animo tulisse carcerem ejus. Nam constat illum interfuisse funeri Bertrandi de Cardalhaco Episcopi Montalbanensis fratris sui, quem mortuum esse anno millesimo CCCLXIX. hinc colligi certò potest quòd Petrus de Chalesio, qui illum in testamento suo vocat prædecessorem suum, Ecclesiæ Montalbanensi vacanti per obitum Bertrandi præfectus est ab Vrbano V. literis datis apud Montemflasconem v. Kal. Octobris anno septimo, ut in ejus regesto legitur. Præstat autem referre fragmenta aliquot ex oratione quam Archiepiscopus in funere ejus habuit, ex quibus intelligemus & nobilitatem generis & egregias virtutes ejusdem Episcopi. Ait ergo. *Carissimi, si de conditione generis, si de scientia titulis, si de sufficientia meritis Reverendi in Christo Patris & fratris nostri carnalis Domini Bertrandi condam Episcopi Montisalbani, cujus corpus in præsenti adest ecclesiastica tradendum sepulturæ, inquiramus, nobis tanquam unico testi & carnali affectu suspecto forsitan credendum non esset. Cùm verò de fine consummationis dierum suorum laudabili quæritur, nos, qui non tanquam carnalis homo, sed ut Christi minister, eidem dies suos finienti sacramenta ecclesiastica contulimus, & consummationi vitæ suæ multis perquam continuatis diebus ac noctibus interfuimus, meritò eidem indubitatis & suspicione carens testimonium secundùm illa quæ dicta sunt proferre valemus.* Et infrà: *Audeo dicere quòd nunquam laudabiliorem finem hominis vidi; & hoc si consideremus totius vitæ suæ examinationem, in qua ambo soli discurrendo per singulos dies vitæ suæ & status examinanda stetimus inclusi ferè per mediam diem.* Item infrà: *Insuper si consideremus cùm quanta contritione peccata sua recognovit & pœnitentiam & plenam indulgentiam auctoritate apostolica post omnia ecclesiastica sacramenta me largiente recepit.* Denique de morte ejus sic loquitur: *Et certè bene audeo dicere, sicut ille qui vidit, quòd in isto qui Christus est venerabilis pater noster & frater finivit dies suos. Nam re vera, Domini, cùm astarem ei cum ministris, exemplo Petri, ut viderem finem, cùm paululùm quasi in ecstasi raptus fuisset, in suo bono sensu & memoria plena attestatus est se beatam virginem matrem Christi ipsum consolantem vidisse, quam in omni hora, in omni puncto invocabat.* Et mox: *Insuper bene finivit in isto fine qui est Christus, Christum semper nominando, Christum semper invocando. Immo illam orationem quæ incipit Anima Christi sanctifica me dicens ultimum vitæ spiritum exhalando dies suos finivit.*

Post funeratum igitur fratrem in Italiam tendens anno MCCCLXX. Vrbanum Papam reperit apud Montemflasconem, ubi eum allocutus est nomine Henrici Regis Castellæ, quemadmodum suprà observatum est.

Eodem anno Vrbanus Papa eum misit ad Senenses & Aretinos pro pace constituenda. Discimus istud ex codice orationum ejus, in quo habetur *Arenga per eundem facta quando pro pace Senensium per sedem apostolicam fuit missus*, item *Arenga seu propositio per eundem facta quando pro pace Aretinorum per sedem apostolicam fuit missus.*

Fine ejusdem anni Vrbanus, qui redierat in Galliam, extinctus est Avenione. Quod ubi cognitum in Italia, Petrus Cardinalis de Stagno ei solennibus exequiis parentavit apud Spoletum. Orationem verò funebrem habuit Ioannes Archiepiscopus Bracarensis. Sic enim legitur in eodem codice: *Sermo per eundem factus in obsequiis Domini Vrbani Papæ V. in civitate Spoletana coram Legato Cardinali Bituricensi.*

Videtur autem postea Ioannes ivisse Avenionem ad Gregorium XI. novum Pontificem anno MCCCLXXI. & mox renuntiasse archiepiscopatui suo, in Gallia remansurus. Fortè tum vacabat episcopatus Ruthenensis per translationem, ut arbitror, Fayditi ad Ecclesiam Avenionensem, uti suprà pag. 1310. diximus. Itaque Gregorius Ioannem primò absolvit à vinculo quo tenebatur Ecclesiæ Bracarensi. Tum ne se ipso factus videretur inferior, eum ornavit dignitate Patriarchæ Alexandrini, simulque ei commisit administrationem Ecclesiæ Ruthenensis. idque actum mense Iulio ejusdem anni colligitur ex libro obligationum. Ivisse autem illum ad Ruthenenses hinc liquet quòd in codice orationum ejus legitur *sermo in festo Ypapantis sive Purificationis virginis Mariæ per Reverendissimum in Christo Patrem Dominum Patriarcham factus ad populum in sua Ecclesia Ruthenensi.* Ex quibus verbis facilè intelligitur errare Sammarthanos in catalogo Episcoporum Ruthenensium, ubi admonent Ioannem de Cardalhaco Episcopum Ruthenensem esse diversum à Ioanne Patriarcha Alexandrino; qui ita se invenisse aiunt in regestis Vaticanis. In quo rursum egregiè falsi sunt. Nam in libro obligationum archivi Vaticani disertè scriptum habetur Ioannem Patriarcham Alexandrinum administratorem Ecclesiæ Ruthenensis promisisse die XXVI. Iulii anni millesimi CCCLXXI. se cameræ Domini Papæ & collegio Dominorum Cardinalium soluturum communia servitia & recognovisse pro Ecclesia Bracarensi, cui præfuit.

Anno MCCCLXXII. Gregorius XI. eum misit nuntium apostolicæ sedis in Germaniam. *Bzov. an.* 1372. §. 1. 3. *Odor. Raynal. eod. an.* §. 1. Nescio autem an noo & eodem tempore susceperit legationem Regis Castellæ ad Imperatorem. Etenim in codice orationum ejus extat *Arenga sive propositio per eundem facta quando debuit adire Imperatorem ex parte Regis Castellæ missus.* Quoad verò legationem Papæ, habetur ibidem *Arenga per eum facta quando missus fuit ad faciendam pacem inter Imperatorem & Regem Vngariæ & Bavaros per Papam Gregorium XI. anno Domini millesimi CCCLXXII.* Et aliquanto infrà sequitur *Arenga per eundem Dominum facta coram Imperatore Karolo quarto requirens ipsum ut contra Barnabonem de Mediolano ad damnationem procederet, cùm in Alamannia ex parte Papæ legatione fungeretur.*

Re feliciter gesta, paceque constituta inter Imperatorem & Principes suprà nominatos, rediit Avenionem. Hujus rei testimonium nobis perhibet idem codex, in quo descripta est *Arenga per eundem facta coram Papa Gregorio XI. quando rediit ad ipsam facta pace inter Imperatorem Romanorum & Regem Vngariæ & Duces Austriæ & Bavariæ, missus ad hoc per eundem Papam, ut in praecedenti arenga dictum est.* In ipso verò orationis contextu hæc inter cetera leguntur: *Hac igitur consideratione motus, Sanctissime Pater, vos, qui estis sacerdos magnus & Rex, imò Princeps Regum terræ, misistis me ultimum & utinam non inutilem servum vestrum ad est, videlicet ad Dominum Imperatorem Romanorum & Regem Bohemiæ primogenitum suum ab una parte & Dominum Regem Vngariæ parte altera super regno Poloniæ inter se discordantes, & iterum ad eundem Imperatorem & prædictum filium ab una parte & illustres Bavariæ Duces parte ex altera occasione marchionatus Brandebergii disconvenientes, & iterum ad eundem Regem Vngariæ ab una parte & potentissimos Austriæ parte altera se ad invicem guerra gravissima & incendiis invadentes, & iterum ad eundem Imperatorem & Marchiones Missinenses super nonnullis terris & feudis imperialibus altercantes, ut pacem assistente divino auxilio tractarem & facerem inter ipsos. Ipsi, verò omnes, exceptis solùm aliquibus Bavaris, pro se & suis successoribus ob Dei & vestræ sanctitatis & istius sacri collegii reverentiam clementi animo receperunt eam.* Porrò fuisse eum in legatione Germanica tempore quadragesimali colligi potest ex eodem codice, in quo habetur *sermo in die cinerum per eundem Dominum Patriarcham coram Romanorum Imperatore factus.*

Anno MCCCLXXV. profectus est Lutetiam Parisiorum. Nescio quam ob causam. Sed in eodem codice habetur *sermo in festo annuntiationis dominicæ, quod evenit tertia Dominica quadragesimæ, quem primò præfatus Dominus Patriarcha Parisius coram Domino Karolo Rege Franciæ fecit.* Anno illo Pascha incidit in diem XXII. Aprilis, adeoque dies annuntiationis dominicæ in Dominicam tertiam quadragesimæ.

Deinde ivit Tolosam, ubi eum fuisse constat anno MCCCLXXVII. cum Ludovico Duce Andegavensi & Maria ejus uxore. Ad hæc verò tempora referendus est *sermo in festo sanctæ Mariæ Magdalenæ Tolosæ coram Domino Duce Andegavensi fratre Domini nostri Francorum Regis per eundem Dominum factus.* Natus est postea Duci Ludovico filius jamdiu expetitus, multùm expectatus. Natus est autem Tolosæ, ut suprà pag. 1313. diximus, anno MCCCLXXVII. die septima Octobris. Illic eum baptizavit Patriarcha, & specialem pro eo benedictionem composuit, quam ex veteri codice Gellonensi edidit vir clarissimus Domnus Ioannes Mabillonius in tomo tertio Analectorum pag. 502.

Haud multò pòst Romam se contulit sub extrema Gregorii XI. tempora. Vacabat autem tum archiepiscopatus Tolosanus per mortem Gaffredi de Vayrolis. Quod, præter testimonia à nobis olim prolata in Antifrizonio, hinc quoque probatur quòd Catellus in Memoriis historiæ occitanicæ pag. 924. testatur reperisse se in quodam veteri instrumento sedem Tolosanam fuisse vacantem anno MCCCLXXVIII. idque ego reperi in quadam epistola Gregorii XI. scripta eodem anno Kal. Martii. Qui verò Gaffredum diù antè extinctum volunt, ii multis argumentis refelli possunt, etiam iis quæ suppeditant acta edita à Iustello inter probationes historiæ Turrianæ pag. 99. & 100. ex quibus certò constat hunc Gaffredum vixisse adhuc annis MCCCLXXIII. & LXXV.

Constitutus in urbe Romana Ioannes in initio pontificatus Vrbani VI. ab eo accepit administrationem Ecclesiæ Tolosanæ. Legitur istud in depositione ejusdem Ioannis facta coram legatis Regis Castellæ his verbis: *Dominus Iohannes Patriarcha & Archiepiscopus Tolosanus exposuit nobis quòd ipse laboravit super isto facto ut se informaret in veritate & suam conscientiam expiaret, & stetit bene per annum quòd ipse non poterat sibi satisfacere de aliquibus dubiis, & quòd ille qui est Romæ contulerat isti archiepiscopatum Tolosanum, & fecisset majora, si iste voluisset adhærere sibi; & verè fecisset, si cognovisset quod esset Papa, nec omisisset timore alicujus sequi veritatem; sed ipse noluit ab eo aliquid nec recipere quicquam.* Rectè autem ait se per annum stetisse dubium an sequeretur partes Vrbani. Siquidem non videtur accepisse archiepiscopatum

negligenti aut inutili ad regendum, qui adeo Tolosanum à Clemente VII. ante mensem Iulium anni sequentis; quo, ut adnotatum est in libro obligationum, Ioannes Patriarcha Alexandrinus fecit cameræ Domini Papæ & collegio Cardinalium promissionem de solvendis communibus servitiis pro Ecclesia Tolosana, & solvisse anno MCCCLXXXIII. die XXIV. Februarii. Bulla Clementis VII. data Avenioni V. Kal. Iul. anno secundo dirigitur Ioanni Patriarchæ Alexandrino & administratori Ecclesiæ Tolosanensis *in diocesi Tolosanensi commoranti*. Habetur Tolosæ in archivo collegii sanctæ Catharinæ. Itaque in testamento quod Petrus de Chalesio Episcopus Montalbanensis condidit anno millesimo CCCLXXIX. die XIII. Novembris hunc Ioannem, quem vocat Patriarcham Alexandrinum & Archiepiscopum Tolosanum, nominavit inter executores honorarios ejusdem testamenti.

Anno MCCCLXXXIII. die XXV. Iulii profecturus Lutetiam ad Karolum VI. Regem, constitutus in choro Ecclesiæ Tolosanæ cum Præposito & Canonicis, donatione pura & irrevocabili inter vivos dedit eidem Ecclesiæ bona, reliquiaria, & jocalia multa quæ enumerantur in veteri instrumento edito apud Catellum pag. 916. Memoriarum. Non videtur autem ingressus esse hoc iter ante diem quintam Augusti, cùm ex pagina 914. earundem Memoriarum constet illum ea die fundasse duo anniversaria in eadem Ecclesia. Extat in codice orationum ejus *sermo per eundem Dominum Patriarcham factus coram Domino Karolo Rege Francorum ætatis tunc* XV. *annorum existentem in festo omnium sanctorum Parisius*.

Eadem tempestate consecravit Philippum de Molinis Episcopum Ebroicensem, ut patet ex *Arenga per eundem facta quando consecravit Episcopum Ebroicensem in præsentia Regis Franciæ Domini Karoli quarti*. ubi legendum est *sexti*.

Anno MCCCLXXXV. die secunda Octobris interfuit dedicationi basilicæ fratrum Prædicatorum Tolosæ, quam peregit Archiepiscopus Metallinensis ordinis Carmelitarum, cui verò adfuere etiam Ioannes Dux Bituricensis, (pro quo Burgundum ponit Catellus) Cardinalis de Thureyo, (pro quo idem Catellus ponit Cardinalem de Turre, nuperus scriptor annalium Tolosanorum Cardinalem Turonensem.) & plures alii Episcopi & magnates. Vide Catellum pag. 148. memoriarum historiæ occitanicæ & annales Tolosanos pag. 135.

Eodem anno, die XIII. ejusdem mensis Octobris, cùm idem Dux ad ædem sancti Saturnini adiisset ut sacras sanctorum hominum reliquias quæ illic servantur inviseret, ei comitem se addidit Patriarcha Alexandrinus. Tum verò reliquiæ sancti Iacobi Apostoli repositæ sunt in nova theca argentea, super qua dona pretiosissima posuit idem Dux. Vide Nicolaum Bertrandi in opusculo de gestis Tolosanorum fol. 49. col. 3.

Obiit anno MCCCXC. die septima Octobris. Sepultus in Ecclesia cathedrali Tolosæ.

Codicem orationum ejus vidimus olim Tolosæ in initiis studiorum nostrorum in bibliotheca fratrum Prædicatorum. Alium postea nacti sumus ex bibliotheca illustrissimi viri Karoli Mauritii Tellierii Archiepiscopi Remensis. Tertium, in quo nonnulla extabant quæ in duobus aliis non habentur, commemorat Catellus pag. 925. Memoriarum.

Ceterùm admonendus est lector valde perturbatum esse ordinem temporum & historiæ istius Patriarchæ in tomo primo Galliæ Christianæ. Monendus etiam est errasse Rodericum à Cunha in appendice libri de primatu Bracarensi pag. 122. & in historia ecclesiastica Archiepiscoporum Bracarensium parte 2. cap. 45. ubi scribit illum efflasse animam suam anno millesimo CCCLXXXII. die tertia Decembris.

CAPTIVAVIT] De carcere Vrbani VI. vide Theodericum à Niem lib. 1. de schismate cap. 31. Radulphum de Rivo cap. 19. de gestis Episcoporum Leodiensium, & Vvalsinghamum pag. 322. ubi observat Vrbanum fuisse fœdifragum & falsum publicè reputatum. Vide etiam bullam Bonifacii IX. editam in tomo sexto Spicilegii Dacheriani pag. 52.

VENIT NVCERIAM] Extat in codice 3317. bibliothecæ Colbertinæ, qui tempore Vrbani VI. scriptus est, denuntiatio publica facta per præconem die Mercurii decima Maii, qua Duces Karoli qui obsidionem Nuceriæ faciebant polliciti sunt de mandato ejus se decem millia florenorum auri daturos ei qui eundem Vrbanum vivum aut mortuum ipsis vel alteri eorum aut alicui ministro regio assignaverit. P. 555.

DE SVIS ANTICARDINALIB.] nimirum Ludovicum de Veneriis, Adam de Eston, Bartholomæum Archiepiscopum Iannensem, Gentilem de Sangro, Ioannem Archiepiscopum Corfiensem, & Marinum de Iudice Archiepiscopum Tarentinum. Vide Vvalsinghamum pag. 322. editionis Francofurtensis. Capti sunt autem apud Nuceriam anno millesimo CCCLXXXV. die XI. Ianuarii.

DE PRÆMISSIS] id est, de conspiratione Karoli de Duracio adversùs ipsum, ut scribit etiam Radulphus de Rivo. At Theodericus à Niem lib. 1. de schism. cap. 42. alias irarum Vrbani causas commemorat, nimirum quia consultaverant num Papæ nimis

inniteretur suo sensui quòd per ejus fastum periclitaretur universalis Ecclesia, vel effræni, qui absque consilio Cardinalium pro libito voluntatis omnia agere vellet, an ei sic constituto liceret curatorem vel aliquos idoneos curatores per Cardinalium electionem substituere, juxta cujus seu quorum consilium seu rationis dictamen Papa expedire singula Ecclesiæ negotia teneretur. Extant in codice 814. bibliothecæ Colbertinæ literæ quorundam Cardinalium ab Vrbano creatorum scriptæ ad clerum Romanum quæ scriptionem Theoderici confirmant, scriptæ post conjectos in carcerem sex Cardinales quos suprà nominavimus, ac præterea testantur se recessisse ab ejus obedientia tanquam incorrigibilis & de fide suspecti, & se quantocyus provisuros statui Ecclesiæ, sive per viam Concilii generalis aut particularis, aut aliàs prout expedientius & utilius esse videbitur statui prædictæ Ecclesiæ.

REGNIS POLONIÆ] Vide bullam Clementis VII. to IV. Galliæ Christ. pag. 168.

LOTOBBIÆ] sive Lithuaniæ. Vide Sammarthanos lib. 30. cap. 8. historiæ genealogicæ domus Franciæ & Vvalsinghamum pag. 344. edit. Francofurtensis.

P. 512. SEPTEM CARDINALIVM] In diario Ioannis Fabri Episcopi Carnotensis dicuntur fuisse octo. *Ce jour furent crées* VIII. *Cardinaulx.* Et mox ad diem XIII. Iulii: *Ce jeur le Pape pronuncia en consisteire les Cardinaulx au matin.* Octavus igitur, ab hoc nostro prætermissus, est Ioannes Rotlandi Episcopus Ambianensis.

Post peractam eam creationem Cardinalium Clemens Papa profectus est ad Castrumnovum diœceseos Avenionensis, unde rediit Avenionem die Martis XXVI. sequentis mensis Septembris, Ludovico II. Rege Siciliæ frænum mulæ ejus tenente. Adnotavit istud Ioannes Fabri Episcopus Carnotensis in suo diario his verbis: *Ce jour le Pape parti de Castel Nof. Le Roy li fu au devant ainssi comme à mi chemin. Et vindrent à l'entrée du Pont de Sorgue. Et le Roy descendi à pié pour mener le Pape par le frain. Et pourte que il estoit trop petit, le sire de Vivay porta le Roy entre ses bras, & le Roy tenoit la main au frain de la mule du Pape. Ainssi vindrent jusques au Chastel. La Royne vint au devant du Pape à la porte du Chastel. Et le Pape & six Cardinalx disnerent aux frais de Madame. Apres disner le Pape se parti & ala en Avignon. Et le Roy le convoia dehors le Pont de Sorgue non gaires loing.* Consuevisse interdum Clementem secedere ad locum illum probat bulla ejus de negotio Mannelis Pugeti, quæ data est apud Castrumnovum Avinionensis diocesis quinto Idus Augusti anno sexto.

IOANNES ROTLANDI itaque recensetur inter Cardinales hac tempestate creatos. Mentionem enim ejus in hoc loco facit liber obligationum, ex quo acceperunt Onuphrius Panuinius & Contelorius. Quæ auctoritas tanti est ut nullum dubitandi locum relinquere videatur. Et tamen nulla cardinalatus mentio in ejus epitaphio, neque etiam in Necrologio Ecclesiæ Ambianensis. Præterea Ægidius Bellamera (qui commentarios suos in Decretales scribebat anno millesimo CCCLXXXVI. ut ipse testis est in cap. *Ad hæc Deus.* de lite non contest. & in cap. *Inhærentes.* de juram. calumn.) eum vocat simpliciter modernum Episcopum Ambianensem in cap. *Examinata.* de judiciis. Adde quòd Bonifacius IX. apud Odoricum Raynaldum an. 1398. §. 27. eum simpliciter vocat Ioannem olim Episcopum Ambianensem. Quamquam reponi posset eodem illum modo loqui de Martino de Salva & Bonifacio de Amanatis, qui tunc erant Cardinales. Ex quo fortassis colligi posset illum, sorte sua contentum, hunc honoris gradum respuisse, ut de eo verè dici possit quod legitur in epitaphio ejusdem Bellameræ: *Noluit & potuit Romano cardine fungi.* Addunt Contelorius & Oldoinus illum fuisse Episcopum Tusculanum, quia eum confundebant per errorem cum Ioanne de Grangia Cardinale Ambianensi. Errat item Ciaconius scribens illum esse sepultum in Ecclesia Avenionensi.

Erat ille Romæ anno MCCCLXXVIII. quando Vrbanus VI. electus est Papa per vim & potentiam Romanorum, ut testatur in sua depositione Ioannes Abbas sancti Isidori Hispalensis. Io casu verò secundi electi cap. 102. adnotatum est die octava mensis Aprilis talem ac tantum fuisse rumorem & vehementem commotionem, dissentionem, & insultum in urbe Romana *quòd ultramontani viri constantes timuerunt & crediderunt mori: propter quod multi Prælati, inter quos fuit Archiepiscopus Bracharensis & Episcopus Ambianensis, & multi alii fugerunt extra urbem.* Super quo interrogatus Sancius Archidiaconus de Guiare in Ecclesia Pampilonensi dixit se credere *quòd ultramontani qui ibi stabant etiam timuerunt incidi per frusta, & audivit quòd multi fugerunt de Roma, specialiter Episcopus Ambianensis.* Idem testatur Bonifacius de Amanatis in responsionibus suis ad articulos casus primi electi.

Ejus extant in codice 814. bibliothecæ Colbertinæ allegata coram Rege Castellæ pro Domino Clemente in facto schismatis. Fuisse porrò Doctorem Tolosanum & publicè in academia Aurelianensi interpretatum esse legem 2. ff. *Quorum bona.* docet Ægidius Bellamera in cap. *Querelam.* de electione. De eodem

vide quæ dicuntur supra pag. 1091.

BERTR. DE CHANACO] Suprà pag. 1086. dictum est hunc Cardinalem fuisse filium Guidonis de Chanaco nobilis de Alassaco & Isabellæ de Monte Radulpho.

Prima ejus mentio habetur in actis submissionis factæ Clementi VI. anno MCCCXLIV. per Humbertum Delphinum Viennensem & alios Ludovici IV. Imperatoris legatos, ubi vocatur clericus cameræ Domini nostri Papæ. Vide lib. 2. miscellaneorum nostrorum pag. 275.

Anno MCCCXLVIII. nominatur testis in instrumento venditionis civitatis Avenionensis apud Bzovium an. 1348. §. 10. pag. 1043. ubi per errorem vocatur Beitrandus de Camiaco. Meliùs apud Nouguierium pag. 141. & Fantonium pag. 226. ubi scriptum est *de Channace*. Erat autem tum clericus cameræ apostolicæ & Canonicus Tornacensis.

Anno MCCCL. Romam profectus, tum Archidiaconus Agathensis, literas habuit à Clemente VI. quibus mandavit Canonicis sancti Petri ut illi vultum sanctum seu Veronicam ostendant. Vide Bzovium an. 1216. pag. 248.

Anno MCCCLXXIV. factus est Archiepiscopus Bituricensis, ut notatur in Patriarchio Bituricensi. Ita etiam Chenutius.

Anno MCCCLXXXIr. (ut scribit Vghellus) Clemens VII. eum creavit Patriarcham Hierosolymitanum, Petro Alcocorio transgresso in partes Vrbani VI. & facto Cardinale. Simul relicta ei est administratio archiepiscopatus Bituricensis, non verò Aniciensis, cui præfuisse eum ante assumptionem ad patriarchatum Hierosolymitanum falsò putat Vghellus.

Anno MCCCLXXXI. habitus est apud Compendium conventus Episcoporum Galliæ, ad quem missi sunt à Ludouico Andium Duce Archiepiscopus Bituricensis & magister Petrus Gerardi, postea Cardinalis, qui eis dicerent Ducem, qui intellexerat Ioannam Reginam Siciliæ, à qua adoptatus antea fuerat, concordiam iniisse cum Karolo de Duracio, non cogitare deinceps de negotio Siculo, adeoque nullum subsidium petere à clero. Sic enim scribitur in diario Ioannis Fabri Episcopi Carnotensis: *Mardy premier jour d'Octembre l'Archevesque de Bourges & Maistre Pierre Gerard dirent aus Cordeliers à Compiegne aus Prelas là assamblés que Mons. d'Anjou leur avoit dit que l'entreprise qu'il avoit en en propos pour l'Esglise & la Roine de Cecile il n'entendoit point poursuir, & pour ce pourlors ne demandoient riens à Nostre saint Pere, au Clergié, forsque conseil. Et lors fu Messire Raymend Bernard au conseil.*

Anno MCCCLXXXIII. ei à Clemente VII. commissa est administratio Ecclesiæ Aniciensis, ut patet ex Odone Gissleyo lib. 3. cap. 25. hist. Aniciensis, pro quo mendosè, ut arbitror, scriptum est *Abrincensis* in epitaphio; in quo Vghellus edidit *Anticiensis* pro *Abrincensis*. Non retinuit tamen diù administrationem illam. Etenim anno MCCCLXXXIV. Petrus Girardi Episcopus Lodovensis translatus est ad Ecclesiam Aniciensem, ut vulgò tradunt. Quamquam id parum constat.

Anno MCCCLXXXV. idem Clemens eum creavit Presbyterum Cardinalem, absentem. Postea, cùm venisset Avenionem, datus ei est titulus sanctæ Pudentianæ. Vulgò tamen vocabatur Cardinalis Hierosolymitanus. Frustra porrò est idem Gissleyus scribens Onuphrium Panuinium nullam illius mentionem fecisse inter Cardinales. Quippe is illum connumeravit inter Cardinales hac ipsa tempestate creatos.

Anno MCCCXCIV. interfuit electioni Benedicti XIII.

Anno MCCCXCV. Dominus Cardinalis Hierosolymitanus interrogatus apud Avenionem à Ducibus Franciæ utrum via cessionis ei videretur esse melior ad extinguendum schisma dixit, ut est in veteri codice archivi regii Parisiensis, *quòd tenet Regem semper fovisse veram partem Ecclesiæ, & ut in ea pax & unio poneretur magnum & maturum consilium per plures dies celebrasse, per quod reperit viam cessionis aliis viis fore meliorem & etiam breviorem. Quapropter dictus Dominus Cardinalis eidem viæ cessionis adhæret, & eam tanquam meliorem approbat, supponendo quòd Ecclesia in suis libertatibus & franchisiis remaneat, & quòd Rex & Domini in ipsis eam manuteneant & ad manutenendum adjuvent.* Vide etiam to. VI. Spicilegii Dacheriani pag. 138.

Sed post discessum Ducum ex urbe Avenionensi percrebuit rumor Cardinales mutasse sententiam, & inter hos, etiam Hierosolymitanum. Qua de re cùm Rex ad eum scripsisset, ipse die XI. mensis Octobris rescripsit se in ea opinione perseverare quam prompserat coram Ducibus, nec ab ea velle discedere, nisi per Regem ejusque consilium via altera tutior & brevior fuerit adinventa.

Anno MCCCXCVI. Benedictus XIII. eum promovit ad episcopatum Sabinensem, ut notat Vghellus.

Anno MCCCXCVIII. post publicatam Kal. Septembris subtractionem obedientiæ, iste cum ceteris Cardinalibus recessit ab eodem Benedicto, ut testatur Surita lib. 5. Iudicum.

Obiit Avenione anno MCCCCV. sepultus apud Prædicatores. Hinc ergo liquet illum neque Pisano neque Constantiensi Concilio interfuisse, neque etiam electioni Martini

quinti anno millesimo CCCCXVII.

THOMAS DE AMANATIS] Eum Onuphrius Panuinius ait fuisse civem & Archiepiscopum Neapolitanum, Ciaconius Pistoriensem, & quidem rectiùs. Nam infrà pag. 563. dum enumerantur Cardinales qui Benedictum XIII. elegerunt, inter eos ponitur Thomas de Pistorio Tuscus, dictus Neapolitanus, nimirum hic noster. Præterea in veteri historia Pistoriensium pag. 42. mentio habetur palatii Dini Amannati in ea urbe constituti. Fuit autem Doctor legum. Venisse eum Avenionem temporibus Vrbani V. ferme constat, & præterea hinc colligi potest quòd ipse examinatus anno MCCCLXXX. à legatis Regis Castellæ testatus est se à decem annis citra habuisse notitiam & amicitiam singularem cum Domino Bartholomæo priùs Archiepiscopo Acheruntino, & postea Archiepiscopo Barensi, adeo quòd super omnes Prælatos Ecclesiæ Italicos eum reverebatur & diligebat, & quòd ipse erat dilectus ab illo Barensi.

Anno MCCCLXXII. Philippus Cabassola Cardinalis eum nominavit inter executores sui testamenti, quod editum est inter probationes historiæ Cardinalium Gallorum. pag. 425.

Anno MCCCLXXIV. Gregorius XI. eum tum auditorem sacri palatii misit in Germaniam ad Karolum IV. Imperatorem pro gravissimis Ecclesiæ negotiis. *Bzov. an.* 1374. §. 5. Inde autem rediit ad Gregorium XI. anno MCCCLXXVI. die XV. mensis Novembris, & Romæ mansit usque ad diem XXII. Iunii sequentis, ut ipse docet in sua depositione. Per eas verò tempestates electus est, ut tum loquebantur, Episcopus Nimociensis ab eodem Gregorio. Nunquam tamen consecratus fuit ad titulum Ecclesiæ Nimociensis.

Anno MCCCLXXVIII. extinctus est Papa Gregorius. Cùm verò post ejus obitum Cardinales multùm anxii & in magno periculo constituti quærerent modum exeundi ex his salebris, & aliquot Prælatis Italicis mandassent ut ad se in conclave venirent, istum quoque vocarunt. Istud ego legi in depositione ejus, in qua sic scriptum est: *Item quòd circa horam tertiarum venit ad istum quidam serviens de mandato Dominorum Cardinalium quòd vocabant eum citò, & vidit cedulam quòd esset positus in secundo loco, & alii Prælati ibidem usque ad sex, qui vocabantur super hoc à Cardinalibus sub pœna excommunicationis; & iste excusavit se, noluit ire. Item secundò vocatus est per aliam cedulam, quæ erat scripta alio ordine, ut debebat; & similiter excusavit ire dicens quòd non haberet animalia. Tertiò vocatus est ut iret equitando, aliàs pedes, vel faceret se duci. Tunc ivit, & vidit tantam multitudinem & pressuram gentium quòd mirabile erat. Et cùm viderent Romani quòd vocabatur iste à Dominis, dixerunt sibi aliqui Romani quòd diceret eis quòd expedirent se citò, aliàs omnes illi & iste essent eccisi per clavellatam sancti Petri. Et cùm iste accessisset propinquiùs & ascendisset supra, vidit quendam Doctorem qui vocabatur Dominus Bartholomaus, & est Italicus, & cum manibus & bonis verbis prohibebat Romanos recedere à porta conclavis, & faciebat quantum poterat; & dixit isti Archiepiscopo in maledictione quare tantum tardavit, quia diù est quòd Domini spectabant eum. Et iste respondit quòd non poterat plus citò venire. Et iterum fuit isti dictum per Romanos, ex quo videbant quòd vocabatur superiùs ad intrandum, quòd diceret Cardinalibus quòd expedirent se citò, aliàs omnes essent scissi per frustra. Et quando vidit ista quòd non poterat intrare & dicebantur ista sibi, timuit, & recessit ad domum suam, & dixit fratri suo quòd non poterat ascendere, & reversus est.*

Postea tamen, cùm intellexisset Bartholomæum Archiepiscopum Barensem esse electum, *sequenti die mane iste & frater suus iverunt ad palatium ad videndum eum & faciendum sibi reverentiam. Et cùm ascendissent supra, invenerunt eum cum uno clerico, & dicebat horas suas & in camera sua, & recepit istum grato vultu, & dixit quòd sperarent extra donec diceret horas. Et sic fecerunt.* Idipsum in sua depositione dixit frater ejus Bonifacius de Amanatis.

Vrbanus ea tempestate dedit illi officium examinandi Alamannos, nimirum quia perdiù fuerat in ea regione. In depositione ejus sic legitur: *Item dixit quòd dictus B. concesserat isti quòd haberet officium examinandi Alamannos. Et iste dubitabat valde accipere istud officium. Et ivit ad Dominum Cardinalem Vivariensem quòd certificaret eum quid deberet facere. Et ille dixit quòd dignus erat reprehensione, quia non se conformabat cum Cardinalibus, & quòd præcipiebat sibi quòd acciperet.*

Anno MCCCLXXX. factus est Archiepiscopus Neapolitanus à Clemente VII.

Anno MCCCLXXXIII. idem Clemens eum misit nuntium apostolicum in Britanniam nostram sive minorem, ut etiam agnoscit Bartholomæus Chioccarellus in catalogo antistitum Neapolitanorum pag. 248. & ex eo Oldoinus. Quare miror illos statim dixisse Thomam legationis munere functum esse in Anglia, quam præterea constat adversatam fuisse Clementi usque ad odium plusquam Vatinianum. Constitutus porrò in Britannia admisit renuntiationem Simonis Episcopi Vene-

tensis, eique substituit Henricum Abbatem de Piecibus, uti diximus suprà pag. 943.

Anno MCCCLXXXV. Clemens Papa eum fecit Presbyterum Cardinalem tituli sanctæ Praxedis. Erat enim præsens in curia, ut notatur in libro obligationum. Vulgò vocabatur Cardinalis Neapolitanus.

Anno MCCCLXXXVS. die XXVIIS. Augusti in æde Avenionensi fratrum Augustinensium dixit panegyricum sancto Augustino. Interfuere omnes Cardinales. *Ex diario Ioannis Fabri Episcopi Carnotensis.*

Anno MCCCXCIV. interfuit electioni Benedicti XIII.

Anno MCCCXCV. interrogatus à Ducibus Franciæ apud Avenionem super via cessionis, quam Karolus VI. Rex & ejus consilium putabant esse meliorem pro extinguendo schismate, *tria* (ut legitur in veteri codice MS. archivi regii Parisiensis) *dixit. Primò, quòd sanctæ memoria Clemens Papa nuper defunctus erat verus Papa, cui successit Dominus noster Benedictus. Secundò, quòd Rex & Domini regales pacem & unionem Ecclesiæ desideraverunt & optant. Tertiò, quòd domus Franciæ Ecclesiam scismate urgente suscepit semperque tenuit veram partem, nec reperitur eos unquam à fide deviasse. Tenet etiam quòd vellent quòd Dominus noster remaneret Papa. Quare secundùm quod Rex tenet quòd pro pace & unione Ecclesiæ via cessionis est melior, brevior, eodem modo tenet Dominus Cardinalis. Dixit ulteriùs quòd si aliqua æquè bona sicut via cessionis reperiretur, nihilominus ad istam, videlicet cessionis, se teneret ex eo quòd Rex, qui super ipsam tam maturè & maturam deliberationem habuit, eam tenet.* Vide etiam tomo sexto Spicilegii Dacheriani pag. 138.

Deinde cùm perlatum esset ad Regem quosdam niti ut Cardinales ab ea sententia dimoverent, & Rex ad eos scripsisset uti in ea constantes esse vellent, iste die XI. sequentis mensis Octobris rescripsit ad Regem se in ea sententia semper fuisse & in ea perstare, neque unquam mutaturum quamdiu Rex eam approbabit. Extat hæc illius epistola in eodem codice regio.

Eodem anno MCCCXCV. erat vicarius Ecclesiæ Draguignani in diœcesi Forojuliensi, ut ex veteribus monumentis ejusdem Ecclesiæ docuit vir clarissimus Iosephus Antelmius.

Obiit anno MCCCXCVI. mense Decembri. Quare quod apud Contelorium scriptum est illum obiisse anno MCCCXCIX. puto mendum esse typographi.

Fratrem habuit Bonifacium de Amanatis legum Doctorem & Advocatum fiscalem Domini Papæ, qui in Clement. *Abusionibus.* de sent. excomm. testatur se studiis literarum dedisse operam in urbe Paduæ. Hujus extant in codice 854. bibliothecæ Colbertinæ allegationes eorum Rege Castellæ apud Medinam del Campo anno MCCCLXXXI. in favorem Clementis VII. & in codice Harlæano responsiones ad casum primi electi sive ad objecta Vrbanistarum. Istarum rerum ipse mentionem facit in Clement. *Si summus.* de sent. excom. ubi loquens de literis quas Vrbanus VI. scribi voluit à Cardinalibus post electionem suam ait: *Hujusmodi littera non potuerunt inducere novam electionem nec approbationem sive confirmationem electionis quam antè fecerant per impressionem notoriam Romanorum. Hac in re nuntii dicti intrusi apud illustris memoriæ Dominum Ioannem Regem Legionis & Castella allegabant quòd dicta littera inducebant probationem claram quia electio dicti Bartholomai fuerat spontanea, & non coacta. quod habebat in se aliquem colorem prima facie. Sed respondi multipliciter pro Domino nostro Clemente Papa septimo, cujus nuntius eram etiam ibidem. Et inter cetera dixi quòd dicta littera fuerunt scripta ad importunam instantiam dicti Bartholomai, quorum aliquas volvit videre & vidit, & quia fuerunt scripta non per omnes Cardinales, sed solùm per minorem partem, & quia dum erant Roma, & sic metu Romanorum adhuc stante, nec fuisset eis tutum scripsisse contrarium veritatemque rei. Nam de facili hoc potuisset devenire ad notitiam dicti intrusi vel suorum. Et sic non evasissent mortem aut terribiles corporis cruciatus.* Ex quibus verbis certò colligitur commentarios in Clementinas qui sub nomine Bonifacii de Vitaliniis editi sunt esse Bonifacii de Amanatis, cùm idem argumentum legatur in allegationibus pro Clemente suprà commemoratis, quarum fragmentum suprà pag. 1095. editum est. Illum postea Clemens in initio sui pontificatus misit in Italiam ad Florentinos & Bononienses, ut ipse testatur in Clement. *Ad nostrum.* de hæreticis. Deinde ab eodem missus est ad Petrum Regem Arragonum anno, ut videtur, MCCCLXXXIII. quo eundem Regem cogitasse de ineunda concordia cum Vrbano patet ex Surita. Etenim quo tempore Bonifacius ad eum accessit, aula ejus plena erat Vrbanistis, ut conqueritur idem Bonifacius in Clement. *Volentes.* de hæreticis, ubi ita scribit: *Et sic facit pro me contra Regem Petrum Arragonum ultimè defunctum; qui noluit me audire in facto schismatis publicè, sed coram suo secreto consilio toto schismatico separatim me audire respondit.* Denique Benedictus XIII. Bonifacium creavit Diaconum Cardinalem tituli sancti Adriani. Obiit apud Aquas mortuas in Gallia Narbonensi anno MCCCXCIX. exeunte, ut legitur in informatione seriosa eorum quæ occasione pertinaciæ ejusdem Benedicti XIII. Avenione

facta sunt per Duces Franciæ.

Idem in Clement. *Si furiosus.* de homicid. narrat historiam de quodam famulo fratris sui Cardinalis Neapolitani ebrio, qui *discurrens in crepusculo per domum cum ense evaginato, fulminando suos ictus contra parietes & contra quos reperiebat*, quem Bonifacius postridie jussit *compeditari, ut deinceps non sic inebriaretur*.

Hujus Bonifacii tractatus an fratres Minores sint capaces successionum hereditariarum extat in codice 2525. bibliothecæ Colbertinæ. Apud Odoricum verò Raynaldum an. 1394. §. 10. editæ sunt allegationes ejus pro via cessionis papatus inventa ad extinguendum schisma.

Paulò post istos magna ingenii & eruditionis laude floruit Iacobus de Amanatis Episcopus Papiensis, familiæ Picolomineæ insitus à Pio II. Papa, vulgò dictus Cardinalis Papiensis. Vide Spondanum an. 1461. §. 15.

IOH. DE PLACENTINIS] Gallum fuisse scripsit Panuinius. Ego verò cùm in catalogo Cardinalium qui Benedictum XIII. elegerunt & apud Suritam lib. 3. Indicum ad annum 1398. viderem eum vocari Ioannem de Parma Lombardum, existimabam hinc colligi debere fuisse civem Parmensem. Postea consului catalogum Episcoporum Castellanorum sive Venetiarum, ubi conjecturam meam vidi confirmatam testimonio Vghelli. Hæc monumenta non sensit Oldoinus, quamquam Parmæ ac Veneriis propinquus, ea, ut opinor, de causa quòd nesciret Episcopum Castellanum eundem esse cum Episcopo Venetiarum. Hinc progressus est ad quærendum episcopatum Castellanum in Gallia Belgica. Et tamen Ægidius Bellamera in cap. *Dilecta.* de major. & obed. pridem monuerat Episcopum Castellanum esse Episcopum civitatis Venetiarum.

Fuit ille primùm Episcopus Cerviensis anno MCCCLXIV. inde translatus est ad Ecclesiam Patavinam anno MCCCLXX. x. Kal. Februarii, tum ad Vrbevetanum sequentibus Nonis Octobris, postremò ad Castellanam anno MCCCLXXVI. ut scribit idem Vghellus.

Post conflatum schisma in Ecclesia Romana vir iste, quamquam Italus, & qui cathedræ præsidebat in ea provincia constitutæ, secutus est partes Clementis VII. & in Gallias se cum eo contulit. Itaque anno millesimo CCCLXXXI die XXVI. Augusti nominatur inter testes qui tum interfuere publicæ professioni quam in favorem electionis Clementis fecit apud Niciam in Provincia Simon de Brossano Cardinalis Mediolanensis morti proximus. Vide to. 6. Spicilegii Dacheriani pag. 48.

Anno MCCCLXXXV. die XII. Iulii Clemens eum creavit Presbyterum Cardinalem, licèt absentem. Venit postea Avenionem anno MCCCLXXXVIII. & curiam intravit die vigesima Iunii, ut adnotatum est in libro obligationum. Tum verò ei datus est titulus sancti Cyriaci in thermis. Vulgò tamen vocabatur Cardinalis Venetiarum,

Anno MCCCXCV. cùm in consilio Regis Franciæ quæreretur modus extinguendi schismatis, eaque via eunctis visa esset melior quam Benedictus ipse positus in conclavi juraverat se pro bono pacis amplexurum, si ipsum eligi contingeret, & quam postea jurejurando quoque confirmavit, id est, cessio amborum de papatu contendentium, missi sunt ad eum à Rege quidam viri graves, in primis verò Ioannes Dux Bituricensis, Philippus Burgundiæ, & Ludovicus Aurelianensis. Hi ergo cùm Avenionem pervenissent, die prima Iunii in ædibus quæ olim fuerant Cardinalis de Bolonia congregarunt Cardinales, eosque seorsim interrogarunt per juramentum ut dicerent quæ via videbatur eis esse melior & utilior pro extirpatione schismatis. In codice veteri archivi regii Parisiensis hic Cardinalis sic promsit sententiam suam : *Dominus Cardinalis Venetiarum dixit se semper tenuisse acetiam tenere quòd consideratis terminis & statu in quibus Ecclesia consistit de præsenti, via cessionis est melior ; quam fortiùs solito approbat, attento quòd Rex huic adhæret, qui in ipsius via executione nihil facere vellet quin esset ad honorem Ecclesiæ.* Vide etiam to. 6. Spicilegii Dacheriani pag. 139.

Haud ita multò pòst Regi & Ducibus suggestum est Cardinales mutasse sententiam post eorum abitionem. Qua de causa graves ad eos literas dedit idem Rex, hortatus ut in ea persisterent. Cardinalis Venetiarum respondit penultima Septembris se nunquam ab ea recessurum. Extat ejus epistola in eodem codice archivi regii Parisiensis.

Obiisse eum anno MCCCCIV. die nona Maii scriptum est in libro obligationum.

AMELIVS DE LAVTRECO] Ego non possum assentiri nuperis editoribus Galliæ Christianæ, qui eum vocant Amalricum pro Amelio. Quippe semper & ubique vocatur Amelius vel Amelinus ; idque nomen antea usurpatum in ea gente ostendit catalogus Episcoporum Castrensium in Aquitania prima, inter quos legitur Amelius de Lautreco Abbas antea sancti Saturnini Tolosæ, quem virum illustris nobilitatis vocat Guillelmus Bardinus in historia chronologica parlamentorum linguæ occitanæ. Afferam autem ipsa ejus verba, quia nondum sunt edita. *Hoc anno* (id est, MCCCXII.) *mense Maii Galterius de Novavilla Vicarius Tolosæ & castri Narbonensis gubernator in curia inquisitionis fidei*

fidei accusavit tanquam hæreticum Amelinum de Lautreco virum illustris nobilitatis Abbatem sancti Saturnini civitatis Tolosæ, & illi imputavit quòd prædicando docuerat animas ex sua essentia esse mortales, sed per gratiam Dei factas esse immortales. Qua de re facta inquesta, cognitum fuit ab inquisitoribus fidei errorem esse accusantis, non hæresim accusati; & per sententiam absolutus fuit, à qua procurator generalis regius appellavit ad parlamentum Parisius. Et per arrestum latum die vigesima Ianuarii MCCCXXV. *sententia Inquisitoris fuit confirmata. Et his turbationibus sopitis, Episcopus Castrensis factus fuit anno Domini millesimo* CCCXXVII. De antiquitate portò & nobilitate istius gentis vide Guillelmum Catellum in Memoriis hist. occitan. pag. 550. 695.

Iste Amelius fuit primò Canonicus regularis ordinis sancti Augustini, deinde Doctor decretorum, Canonicus & Cancellarius Tolosanus anno MCCLXVIII. in Concilio Vaurensi, & Episcopus Consoranorum, ubi eum sedisse anno MCCCXXV. docet Oihenartus. Sanè in catalogo Episcoporum illius Ecclesiæ reperitur quidam Amelius anno MCCLXXI. & aliquot sequentibus. Inde ergo translatus est ad Convenensem, ubi Episcopum agebat eo tempore quo factus est Cardinalis, ob hoc vulgò dictus Cardinalis Convenarum, ut patet ex testamento Anglici Grimoardi Episcopi Albanensis. Quid egerit postea, ubinam gentium latuerit, reperire non potui. Illud tantum scio, obiisse eum Avenione anno millesimo CCCXC. die septima Iunii, ut est in libro obligationum.

In calce codicis 475. bibliothecæ Colbertinæ, in quo continetur apparatus Ioannis Andreæ super Clementinis, ita scriptum est antiquitus: *Dominus Hemelius de Lautrico decretorum Doctor Cancellarius Tolosanus repetit hora extraordinaria Dominorum Doctorum capitulum* Etsi apostolicæ *de officio ordinarii. Et fecit istas quæstiones quæ sequuntur. Vtrum electus confirmatus, nondum consecratus, possit facere unionem beneficiorum; & tenuit quòd non. Alia quæstio. Vtrum sit dare alium ordinarium præter Episcopum naturalem; & tenuit quòd non. Alia quæstio. Quòd jura magis faveant jurisdictioni delegatæ quàm ordinariæ.*

Ex eadem gente prodierunt Sicardus Episcopus Biterrensis anno MCCCLXXI. & frater ejus Archambaldus Episcopus Vaurensis & Catalaunensis, falsò notatus mortuus anno MCCCLX. in chartulario Canonicorum Vaurensium, ut monet Ioannes Columbi.

IOHAN. DE MVROLIO] Hoc est verum ejus nomen. quod primus advertit Nomenclator Cardinalium. Quare mirum est Oldoinum, qui per annos viginti quinque summa contentione laboravit in concinnanda historia Cardinalium, istud non vidisse in Nomenclatore. Rursum idem Nomenclator scripsit illum ortum esse ex familia Vicecomitum de Stagno, vulgò *D'Estaing*, ex qua prognatum fuisse suprà pag. 1039. diximus Petrum de Stagno Cardinalem. Sed id verum non est. Errandi occasio hinc orta est quòd gens Murolia transfusa est postea in gentem Stagnorum.

Iste ortus est ex nobili claraque Muroliorum gente apud Arvernos; quam aliquid eximium præ se tulisse hinc colligi potest quòd in veteri instrumento edito inter probationes historiæ Cardinalium Gallorum pag. 508. in quo agitur de executione testamenti istius Cardinalis, mansus quidam appellatus vulgariter *de Malemon* dicitur esse situatus prope fortalitiam de Murol. Manet etiamnum nomen & locus in monte ita dicto. Ex ea gente vidi in necrologio Ecclesiæ Claromontensis ortos esse Bertrandum de Murol primum Abbatem Claromontensem filium Hugogonis & Margaritæ & Castum de Murol Canonicum, in annotationibus ad vitam Karoli VI. Regis pag. 779. Ioannem de Murol Camerarium Ioannis Ducis Bituricensis anno MCCCCXVI. eundem commemoratum inter probationes historiæ Turrianorum Arverniæ pag. 218. anno MCCCCXXX. & antea Guillelmum cæsum anno MCCCLVI. in pugna Pictaviensi. In inventario veterum monumentorum extantium in castro Mercurolio reperitur nomen Surianæ de Murolio dominæ quorundam locorum & jurium apud Bessam haud longè à Murolio anno MCCCXXXV. & Guillelmi de Murolio Militis domini de Rupe apud Arvernos anno MCCCXLV.

Ioannes de Murolio, de quo nobis in præsentiarum agendum est, patrem habuit Ioannem dominum loci de Murolio, matrem Alaidem de Castro Brientii. Ex iis orti sunt Amblardus & hic Ioannes; qui in testamento suo commemorat nepotes suos, Guillelmum, Amblardum, & Ioannem Decanum Brivatensem.

Ipse literarum studiis imbuendus traditus est præceptoribus & magistris hujus artis. Postea transiit in familiam Guidonis de Bolonia Cardinalis anno MCCCL. ubi nutritus fuit cum Roberto de Gebennis filio sororis Guidonis, cum Roberto inquam Gebennensi tum admodum puero, qui postea fuit etiam Cardinalis, & mox Papa Clemens VII.

Anno MCCCLXXVI. idem Robertus Cardinalis missus est à Gregorio XI. in Italiam cum exercitu adversùs quasdam civitates quæ Romani Pontificis imperio se subtrahebant. Cum eo ivisse etiam Ioannem de Murolio docet codex 56. bibliothecæ Colbertinæ.

Anno MCCCLXXVII. vulgò scribitur

factus Episcopus Gebennensis.

Anno sequenti Ecclesia Dei validissimè concussa est ob violentiam factam in electione Vrbani sexti. Cùm verò postea Cardinales ab eo recedentes secessissent Anagniam & publicè prædicarent illum non esse Papam, inquit in sua depositione Nicolaus Cardinalis Messqninus, missus ab illis *venit Neapolim Episcopus Gebennensis prædicans Papam non esse Papam*. Electo deinde Clemente VII. idem Episcopus in illius partem facilè transgressus est. Cur enim non ita faceret? Hinc Vrbanus adversùs illum graviter commotus, cùm in præcipuos adversarios suos tanquam reos læsæ majestatis insurgeret, istum quoque in hoc numero posuit, ipsumque excommunicavit & deposuit. Vide Odoricum Raynaldum an. 1378. § 108.

Anno MCCCLXXXI. die quinta Novembris erat Lutetiæ. Id testatum reliquit in suo diario Ioannes Fabri Episcopus Carnotensis; ubi scribit Ludovicum Ducem Andegavensem, quem Ioanna Regina Siciliæ adoptaverat & successorem suum constituerat in omnibus ditionibus suis, dixisse coram se & coram Episcopo Gebennensi, tum etiam coram magistro Petro Girardi, Ioanne de Sanctis, & quibusdam aliis, iturum se statim in regnum Neapolitanum asserturum in libertatem eandem Reginam, quam Karolus de Pace in carcere detinebat, si modò Provinciales ipsum certum facerent de possessione Provinciæ post mortem Reginæ. idque biduo pòst ipse Ludovicus confirmavit ore proprio loquens cum eodem magistro Petto Girardi, in eumque sensum scripsit ad Papam Clementem.

Mansisse autem perdiu Lutetiæ videtur. Nam illic quoque adhuc erat die quinta sequentis mensis Ianuarii. Qua die congregatis in magno numero viris principibus & magnarum in republica partium in ædibus Ducis Andegavensis, cùm jurejurando omnes super codice evangeliorum polliciti essent se fidele consilium ei daturos in causa expeditionis Neapolitanæ, quanquam ea plena esse periculi videbatur & incerti eventus, dictum est tamen illum, quia ingentibus promissis se adstrinxerat ad eam suscipiendam, debere quamprimùm proficisci Avenionem ad Papam, cum eo consultaturum de modis rei bene gerendæ & de sumptibus belli. Aderant in eo conventu, uti nominantur in diario Episcopi Carnotensis, Episcopi Agennensis & Gebennensis, Raymundus Bernatdi, Georgius de Marlio, magister Petrus Girardi, Archiepiscopus Turonensis, Episcopi verò Laudunensis, Lingonensis, Bajocensis, & Carnotensis, Dux ipse Andegavensis, Dux Burgundiæ, Iacobus de Borbonio, Comes Marchiæ, Conestabularius, Admiratus, Dominus de Conciaco, Dominus de Labrero, Dominus de Rainevalle, Dominus de Espinacia, Dominus I. de Ria, Guido le Baveux, P. de Nortis, Bournonsellus, Braqua, de Oidcomonte, Savoisius, de Corbia, de Caprosia, Philippus de Molinis, Custos Lugdunensis, & Guido de Foresta.

Illum fuisse adhuc Parisiis mense Februario constat ex eodem diario, & mense Octobri sequenti ex tomo quarto historiæ Vniversitatis Paris. pag. 592. ubi scriptum est in congregatione facta apud S. Mathurinum die XII. Octobris deputatos fuisse *qui adirent Episcopum Gebennensem supplicando illi ut non gravaret supposita Vniversitatis pro decimis*. Ex quo collegit auctor illius historiæ hunc Episcopum fuisse præpositum exigendis decimis è beneficiis. Verùm ob majora etiam negotia missum esse liquet ex diario Episcopi Carnotensis.

Anno MCCCLXXXV. die Martis XVIII. Aprilis erat in oppido quod vocatur de sancto spiritu supra Rhodanum, eò missus ut exercitum trajiceret in regnum. Eo verò die illuc advenit Maria Regina Siciliæ; quam cùm salutasset Episcopus Gebennensis, mox recessit iturus ad Ducem Bituricensem. Reducem illum fuisse Avenionem initio Iulii patet ex eodem diario.

Die duodecima ejusdem mensis Clemens eum fecit Presbyterum Cardinalem tituli sancti Vitalis.

Erat Avenione die secunda sequentis mensis Decembris. *Ex eodem diario*.

Anno MCCCLXXXVI. Kal. Martiis, ut legitur in eodem diario, Cardinalis de Murolio quendam scutiferum suum vocatum Ioannem de Vrs misit ad Guillelmum de Seignes ut secundùm pacta conventa ipse & qui cum eo erant bellatores, inter quos eminebant Perrotinus de Terminis & Chemisardus, excederent Provincia. Habebat autem apud se idem Cardinalis sex millia Francorum, quæ sibi tradiderat Regina propter eam causam. *Ce jour le Sire de Cuers print congié de Madame, & se chargea de conduire un Escuier du Cardinal de Murol nommé Iehan de Vrs, que ledit Cardinal envoie à Guillaume de Saignez & à ses compagnons afin de vouloir yssir du pais de Prouvence, comme pour eulx a esté traitié avec ledit Cardinal, lequel a devers soi six mil quatre cens francs de l'argent de Madame pour telle cause*. Rediit Ioannes de Vrs die XIII. ejusdem mensis, & docuit illos trajecisse Druentiam & castrum de Beunes tradidisse Guigoni Flotæ secundùm quod inter eos & Reginam convenerat. *Ce jour vint un Escuier nommé Iehan de Vrs, qui avoit alé & venu devers Guillaume de Seignez, Perrotin de Termes, & Chemisard, apporta lettres*

de eulx à Madame qu'il avoient passé Durence & vuideient le pays, & avoient delivré le chastel de Beunes à Messire Guigen Flete, selonc le traitié qu'il avoient à Madame. Nescio autem, ut illud quoque quasi per transennam prætereuntes observemus, nescio inquam annon existimare debeamus ex genere istius Ioannis de Vrs prodiisse Carolum de Vr, qui vulgò vocatur Carolus de Vrries, quem Benedictus XIII. creavit Diaconum Cardinalem sancti Georgii ad velum aureum. Illum ego vocavi Carolum de Vr, quia ita scriptum vidi in veteri libro illorum temporum. In diario quippe Petri Armanni Notarii Perpinianensis, uti reperi in schedis Guillelmi Pujadesii, adnotatum est eundem Benedictum advenisse Perpinianum anno MCCCCVIII. die XXIV. Iulii, cumque eo advenisse etiam quatuor Cardinales, de Flisco nimirum Genuensem, Gerundensem è gente de Anglesola apud Catalanos, (cujus mentio facta est suprà pag. 1137.) de Salans sive de Chalanco Sabaudum, & de Vr Petragoricensem. Ex quo interim certissimo testimonio constat errare eos qui Carolum scribunt fuisse natione Hispanum. Quamquam verum est nobilem per ea tempora & illustrem apud Arragonios fuisse gentem de Vrries, ut patet ex Surita lib. 9. cap. 9. 11. 12. 14. 25. 45. 50. 52. 59. 70. & lib. 10. cap. 28. annalium Arragoniæ. Fortassis autem ex affinitate horum nominum ortus est eorum error qui illum numerant inter Cardinales Hispanos. Ex hac porrò Petri Armanni annotatione facile est colligere illum non fuisse factum Cardinalem apud Perpinianum, neque mense Septembri, sed aliquanto antè, apud Genuam nimirum, ubi diù substitisse constat Benedictum, vel apud Caucoliberum in Ruscinonibus, quò eum è Genua redeuntem appulisse die secunda Iulii anni MCCCCVIII. invenit idem Pujadesius in diario Guillelmi Sagueti Notarii Perpinianensis. Certè illud verum esse non potest quod Surita lib. 10. annal. Arragon. cap. 85. tradit illum fuisse factum Cardinalem anno MCCCCIX. die sabbati XXII. Septembris. Eo quippe anno dies XXII. Septembris non incidit in sabbatum, sed superiore. Hujus porrò Caroli extant in codice 788. bibliothecæ Colbertinæ allegationes pro eodem Benedicto adversùs Cardinales Concilii Pisani, in codice verò 765. allegationes in causa appellationis Henrici magistri ordinis Calatravæ à sententia Petri Ravarii Cardinalis Tolosani super obtentione dicti magisterii. Nunc redeamus ad Cardinalem de Murolio.

Anno MCCCXCIV. Ioannes Cardinalis de Murolio interfuit electioni Benedicti XIII.

Anno MCCCXCV. mense Iunio tres Duces Franciæ apud Avenionem constituti cum Cardinalibus examinarunt quidnam expedientius videretur pro revocanda unitate in Ecclesiam, singulosque seorsim interrogarunt utrum approbarent viam cessionis amborum contendentium de summo pontificatu, quæ Lutetiæ communi omnium consensu visa fuerat esse melior in consilio Regis. Cardinalis de Murolio dixit, ut est in veteri codice archivi regii suprà laudato, *quòd semper tenuit quòd via cessionis erat melior & brevior pro pace & unione Ecclesiæ consequenda, & inductus rationibus per gentes Regis, qui, prout tenet, in tali convocatione quam fecit meliorem viam elegit, prepositis adhuc tenet firmiùs quòd dicta via cessionis sit melior & brevior quàm quacunque alia.* Vide etiam to. 6. Spicilegii Dacheriani pag. 139.

Postea Rex illum scriptis literis hortatus est ut in ea sententia duraret, à qua audierat quosdam eum ceterosque Cardinales velle retrahere. Ad ea rescripsit Cardinalis die septima Octobris se non mutasse, nec quemquam novisse qui ea tentarit apud Cardinales quæ in literis regiis continebantur.

Testamentum condidit anno MCCCXCVII. die XIX. mensis Septembris. Obiit autem Avenione anno MCCCXCIX. mense Martio, ut notatur in Necrologio conventus Claramontani fratrum Minorum, apud quos sepultus est prope portam chori.

FAMILIARIS PAPÆ] quia diù fuerat in familia seu contubernio Clementis VII. uti suprà pag. 1344. dictum est.

PETRUS DE TUREYO] vulgò *de Thury*. idque est certissimum. Itaque perperam alii eum vocant *de Thourroye*. Isthic dicitur natione Burgundus, in veteri verò narratione de gestis post obitum Clementis VII. pag. 563. & apud Suritam lib. 3. Indic. ad annum MCCCXCVIII. Lugdunensis, quia vetustis illis temporibus Lugdunum censebatur pertinere ad Burgundiam. Certum ergo est illum fuisse natione Gallum. Et tamen Oldoinus istud in dubium revocare visus est, quia, ut ille ait, Frizonius mentionem ejus non facit in Gallia purpurata. Sed ego miror istam indiligentiam Oldoini. Etenim in pagina 454. Galliæ purpuratæ reperitur vita Petri de Thureyo, quem Frizonius Ciaconium secutus ait natum esse in diœcesi Narbonensi.

Parentes ejus nemo, quod sciam, nominavit; neque ego eorum nomina novi. Si quis conjecturæ locus, ii fortasse fuere Simon de Tureyo dominus de Bisan & Serena de Rupeforti, quorum ad annum MCCCXXXIX. meminit Petrus Louvetus par. 2. hist. Aquitan. pag. 59. Hanc conjecturam istud quoque adjuvare potest quòd circum Lugdunum per eas tempestates florebat gens Rupefortia, ut

videre est apud Severtium in catalogo Archiepiscoporum Lugdunensium pag. 313. 310. 313. Quod si ita est, Simon fuit frater Guillelmi Archiepiscopi Lugdunensis, quem habuisse fratrem nomine Girardum constat, & pater Petri Cardinalis, Philippi Archiepiscopi Lugdunensis, & Raymundi vel Raynaudi, utroque enim nomine vocatus invenitur, Decani Ecclesiæ Lugdunensis, cùm ex eadem historia ecclesiastica Lugdunensi liqueat istos tres fuisse fratres. Ceterùm eam gentem habuisse sedem suam in Bressia Cabilonensi, quæ ad Burgundiam quoque pertinet, hinc colligit idem auctor pag. 190. quòd Guillelmus Archiepiscopus & frater ejus Girardus fundaverunt quoddam sacellum in Ecclesia Cuseriacensi in Bressia Cabilonensi.

Petrus de Thureyo fuit Custos Ecclesiæ Lugdunensis, & diù notus eo titulo. Erat autem ea tempestate admodum carus Ioanni Duci Bituricensi, qui anno MCCCLXXVI. archiepiscopatum Viennensem tunc vacantem pro eo petiit à Gregorio XI. ac nisi obstitissent ardens postulatio cleri & populi Viennensis & merita Officialis Aniciensis, id est, Humberti de Montecanuto, qui præterea postulatus fuerat à Gregorio aliquanto antè quàm is reciperet literas Ducis, haud dubiè Gregorius ejusdem Ducis precibus satisfecisset, & Petrum de Tureyo Viennensi Ecclesiæ præfecisset, ut facilè colligitur ex ejus literis ad eundem Ducem datis die penultima Decembris.

Eundem fuisse magistrum libellorum supplicum in regia Karoli VI. Regis Francorum constat ex diario Ioannis Fabri Episcopi Carnotensis; in quo ille adnotavit die sabbati prima Martii anni MCCCLXXXII. apud Avenionem in præsentia Papæ & XIV. Cardinalium Dominum Petrum de Thuri Custodem Lugdunensem magistrum requestatum hospitii regii & Dominum Guillelmum Gaillonellum magistrum hospitii Regis allocutos esse publicè Provinciales & apud eos nomine Regis commendasse causam Papæ & Ducis Andegavensis.

Anno MCCCLXXXI. erat apud Medinam Campensem in Castella, in celebri illo conventu quem Ioannes Rex Castellæ coegit ut sepositis partium affectibus ad trutinam veritatis examinarentur electiones duorum de summo pontificatu decertantium, & in quo post negotiorum diligentissimè & cum summa maturitate discussum causa Clementis visa est esse melior & justior. Adfuit ergo huic conventui etiam Petrus de Thury Custos Lugdunensis, & orationem habuit qua ostendit electionem Bartholomæi non valere, electionem Clementis esse canonicam. Extant in codice 814. bibliothecæ Colbertinæ *Allegationes Reverendi Doctoris Domini Petri de Tury utriusque juris professoris, Custodis Ecclesiæ Lugdunensis, facta in capella Domini Regis Castellæ tunc absentis apud Medinam del Campo Salamanticensis diœcesis pro parte Domini nostri Papæ Clementis septimi contra B. intrusum de & super facto scismatis nunc currentis de anno Domini millesimo CCC. octuagesimo primo & de mense Aprilis secunda die.* Eædem extant in codice 815. & in earum calce ista adduntur, quæ consentanea sunt iis quæ descripta jam sunt ex alio codice: *Prædictam quæstionem XI. sustinuit Dominus Petrus Custos Lugdunensis Doctor utriusque juris die Martis prædicta, quæ fuit dies secunda dicti mensis Aprilis, in dicta capella, absente Rege.* Eædem rursum extant in codice 811. ejusdem bibliothecæ, sed absque ulla nota auctoris vel temporis, nisi quòd in fronte operis scriptum est simpliciter: *Custos.*

Anno MCCCLXXXII. factus perhibetur Episcopus Malleacensis.

Anno MCCCLXXXV. die XII. Iulii Clemens Papa illum, tum præsentem in curia, creavit Presbyterum Cardinalem tituli sanctæ Susannæ. Vocatum autem statim fuisse Cardinalem Malleacensem patet ex diario Episcopi Carnotensis. Mense dein Octobri ejusdem anni ivisse illum Tolosam cum Duce Bituricensi liquet ex pag. 148. memoriarum historiæ occitanicæ Catelli, ubi per errorem vocatur Cardinalis de Turre.

Mansisse eum Avenione ab eo tempore usque ad annum saltem MCCCLXXXVIII. facilè colligitur ex eodem diario. Interim cùm die XXIII. mensis Septembris anni MCCCLXXXVII. Maria Regina Siciliæ celebraret anniversarium Ludovici Regis mariti sui apud Carthusianos Villænovæ, Cardinalis de Thureyo Missam celebravit, convenereque etiam Cardinales.

Anno MCCCLXXXVIII. die XXV. Ianuarii eadem Regina Papam adivit apud Avenionem exploratura sententiam ejus super negotio regni Neapolitani. Rem his verbis describit in suo diario idem Episcopus Carnotensis: *Die* XXV. (Ianuarii) *penes Papam fuit Domina. Et propositum fuit si erat utile quòd Domina iret ad regnum Siciliæ vel mitteret filium circa mensem Septembrem proximè futurum. Et fecit Papa omnes jurare in manibus suis quòd bene & legaliter consulerent omni circumscripta simulatione. Cardinalis Ambianensis dixit quòd erat utile, imò necesse, quia aliter non posset regnum haberi sine Rege. Hoc autem consulebat dum tamen Regina iret cum bona potentia gentium & pecuniarum. Cardinales Cusentinus, de Thureio, Ebredunensis, de Murolio, Vivariensis, idem. Camerarius Papæ, frater Papæ, Comes Camerarius, Do-*

minus de Volta, Dominus Robertus de Drocis, Dominus Gerardus de Ternier, Seneschallus Provincia, Arnulphus la Caille, & ego ad idem cum quatuor conditionibus. Prima, quòd consentiant Rex Francia & Domini de regali sanguine. Secunda, quòd Domina, si vadit cum Rege, vel Rex, si vadit sine matre, sit bene stipatus manu forti. Tertia, quòd habeat bonam financiam pro suo viagio complendo. Quarta, quòd datus sit priùs bonus ordo de financiis sufficientibus habendis pro conquesta continuanda. Episcopus Sistaricensis discrepavit ab opinione nostra propter teneritudinem Regis, cujus imbecillitas forsan non sustineret mutationem aeris & disconvenientiam maris.

Anno M C C C X C. mense Iunio idem Rex Ludovicus mari se commisit in regnum suum trajectutus, comitemque itineris à Papa sibi datum habuit Petrum de Thureyo Cardinalem. *Prima vita Clementis VII. pag. 525.* At in narratione rerum gestarum in coronatione ejusdem Regis edita to. 1. miscellaneorum historicorum Labbei pag. 648. & in annotationibus ad historiam Karoli VI. pag. 571. scriptum est illum ingressum esse mare apud Massiliam die vigesima Iulii, & navim ejus fuisse benedictam à Petro de Tuteyo Legato Papæ.

Anno M C C C X C I V. Petrus Cardinalis de Thureyo interfuit electioni Benedicti XIII.

Anno M C C C X C V. Duces Franciæ cum nonnullis primatibus aulæ Avenionem profecti sunt ut Benedicto suaderent cessionem papatus ad constituendam concordiam in Ecclesia Dei, si modò adversarius ejus eandem viam sequi vellet. In multas illi difficultates incurrerunt. Illud tamen consecuti sunt ut cùm mense Iunio convocassent Cardinales in ædes suas, eorumque sententiam exquisivissent an ea via, quæ inventa & approbata fuerat Parisiis in consilio regio, illis videretur esse bona & expediens bono rei publicæ, una ferè omnium vox fuerit nullam meliorem esse viam extinguendi schismatis. In veteri codice archivi regii Parisiensis reperio Cardinalem de Tureyo his verbis prompsisse sententiam: *Dominus Cardinalis de Thureyo dixit quòd semper tenuit & firmiter tenet Papam Clementem fuisse verum Papam & eodem modo Dominum nostrum Benedictum fore, & quòd pro pace & unione Ecclesia obtinenda sibi videntur dua via duntaxat, reductionis videlicet intrusi ad credentiam & obedientiam Domini nostri Benedicti, aut renuntiationis dicti Domini nostri, dum tamen intrusus pari modo cederet, qua quidem in principio scismatis non fuisset consulta, sed pradicta reductionis, qua per X V I I. annos practicata, qua non obstante his diebus scisma fortiùs radicatur. Et quia per dictam viam reductionis minimè fieri posset quòd esset sedativa scismatis & pacificatrix conscientiarum, visa temporis prolixitate, omnino viam cessionis ambarum partium tanquam breviorem, sedativam, pacificantem, veriorem, & sanctiorem approbat; pro cujus executione bona via reperirentur, de quarum practica diligenti supplicavit.* Vide etiam to. 6. Spicilegii Dacheriani pag. 139.

At cùm Duces rediissent Lutetiam, perlarum est ad Regem esse quosdam Avenione qui Cardinales retrahere conarentur ab ea sententia & in aliam transferre. His motus Rex Karolus generalem epistolam scripsit ad totum collegium, tum etiam singillatim ad unumquemque eorum, quibus eos hortabatur ut in ea opinione constantes essent quam ediderant ante discessum Ducum. Ad quam epistolam Cardinalis de Thureyo rescripsit die duodecima Octobris se nunquam ab ea recessurum quamcunque ob causam, quinimo optare se ut via cessionis quamprimùm adnitente Rege sortiatur effectum suum pro bono & pace sanctæ Ecclesiæ & totius christianitatis.

Anno M C C C X C V I I. cùm idem Cardinalis haberet litem super possessione cujusdam prioratus adversùs fratrem Ioannem Mercerii, & illum fecisset citari Avenionem, quod iste dicebat à Cardinale factum esse in odium processus pendentis in curia temporali, per arrestum fuit facta inhibitio dicto Cardinali quòd durante dicta causa possessionis nullo modo intentaret nec inciperet petitorium, sed permitteret possessorium finire, vel possessioni renuntiaret, si vellet. *Ioan. Galli quast. 358.*

Anno M C C C X C V I I I. post publicatam apud Villamnovam supra Rhodanum subtractionem obedientiæ factam Benedicto XIII. Cardinales X V I I I. eum deserentes Avenione excesserunt postridie Kal. Septembris, inter quos fuisse reperitur Petrus de Tureyo. *Surita lib. 3. Indicum.* Causas etiam sui discessus scripto edidit, quæ editæ sunt apud Odoricum Raynaldum an. 1398. §. 17.

Is deinde Lutetiam missus est eodem anno unà cum Guidone de Malesicco & Amedeo de Saluciis Cardinalibus ut Regi ostenderet Cardinales extra culpam esse, uti suprà pag. 1151. dictum est pluribus. Et alii quidem è Gallia discesserunt anno M C C C C I. circa mensem Iulium. Solus Cardinalis de Thureyo remansit. Continuator Nangii: *Iam emenso septem mensium spatio Domini Cardinales Pictavensis & de Saluciis Avinionem repetierant, fratrem suum Dominum de Tureyo Parisius relinquentes qui multis pulsatus precibus noluit redire, quamvis sciret fratres suos mutatis animis subtractionem reprobare & pacatum sibi Dominum reddere modis omnibus affectare.*

Fuisse eum Lutetiæ anno eodem, die X V. Augusti, docent literæ venditionis comitatus.

Gebennensis, quæ editæ sunt à Samuele Guichenone inter probationes historiæ Sabaudicæ pag. 249.

Anno MCCCCII. cùm Cardinales Pictavensis & de Saluciis reduces postularent à Rege uti obedientia Benedicto restitueretur, adversarium gravem experti sunt Cardinalem de Thureyo; qui tamen postea transiit in eorum opinionem, ut testatur idem continuator Nangii.

Anno MCCCCVII. mense Ianuario erat apud Massiliam cum ceteris qui de sarcienda Ecclesiæ concordia tractabant. Hinc epistolam de ea re scripsit ad Universitatem Parisiensem, quæ extat in veteri codice MS. bibliothecæ Harlæanæ. Aderat ipse Benedictus Papa XIII. quo mandante convenit cum legatis Gregorii XII. uti ad Kal. Novembris conventus amborum Pontificum & Cardinalium utriusque partis fieret apud Saonam, ut tradit Hieronymus Surita lib. 10. annal. Arragon. cap. 85.

Anno tandem MCCCCIX. omnino recessit ab eodem Benedicto, & ad Pisanum Concilium se contulit; ubi depositis supremo judicio eodem Benedicto & Gregorio XII. qui papatum vi retinere volebant, Alexander V. in eorum loco positus est omnium Cardinalium qui aderant communi consensu. Vide Spondanum an. 1409. & Odoricum Raynaldum eod. an. §. 67.

Eodem anno exeunte idem Alexander Petrum de Thureyo creavit Vicarium generalem & Legatum in civitate Avenionensi & comitatu Veneyssini. *Fantoni par. 1. hist. Aven. pag. 293.*

Anno MCCCCX. apud Lugdunum elevavit corpora sanctorum Irenæi, Epipodii, & Alexandri, ut docent eius literæ editæ apud Severtium in Archiepiscopis Lugdunensibus pag. 347. in quibus ipse se vocat Legatum à latere cum plena potestate in Lugdunensi & certis aliis regni Franciæ provinciis.

Sunt qui putant illum anno MCCCCXI. excessisse ex rebus humanis. Contelorius verò scribit constare ex literis Benedicti XIII. adhuc vixisse anno MCCCCXVII. die XVI. Aprilis. Illud certum est, obiisse ante annum MCCCCXIX. cùm in narratione veteri de morte & sepultura Amedei de Saluciis apud Severtium pag. 345. legatur eum dedisse inter cetera Ecclesiæ Lugdunensi, in qua sepultus est, *duo fontalia à se empta de executione D. Cardinalis de Thureyo.*

IOH. DE BRONIACO] sic dictus à loco suæ originis, vulgò *Brognier*, in parrochia Aniffiaci veteris, quæ pertinet ad diœcesim Gebenensem. Multa hactenus à scriptoribus historiæ Cardinalium dicta de illo sunt, à quibus referendis nos pro more instituto que nostro abstinebimus. Dicemus tamen nonnulla, tum ut ordinem temporum ab aliis valde perturbatum constituamus, tum ut ea addamus quæ illi aut non habuerunt aut non observaverunt.

Frater Iacobus Fodera in historia provinciæ Minorum sancti Bonaventuræ sive Lugdunensis pag. 1008. tradit illum vocatum fuisse Ioannem Alermetum & patrem habuisse Maronetum Alermetum. Alii contendunt cognomen ei fuisse Fraczon non satis certis testimoniis. Sunt etiam qui putant eum Carthusianorum sectæ se applicuisse in adolescentia. quod rursum non mihi videtur ullo testimonio comprobatum. Faciliùs crediderim illum primò in ordinem clericorum adscriptum, præbenda Gebennensi donatum. De reliquis illius sacerdotiis postea videbimus.

Literarum studiis dedit operam in academia Avenionensi; ibique Doctoris gradum, nimirum in jure, se accepisse ipse testatur. Postea verò, ut arbitror, factus est Canonicus Gebennensis, inde Episcopus Vivariensis anno MCCCLXXX. & Cubicularius Clementis VII. Papæ, qui eum anno MCCCLXXXV. creavit Presbyterum Cardinalem tituli sanctæ Anastasiæ vacantis per mortem Petri de Monteruco. Dictus autem vulgò est Cardinalis Vivariensis. In historia Carthusiana D. Nicolai Molin, cujus fragmentum refertur à Francisco Duchesnio, legitur hunc honoris gradum ei tributum à Clemente consideratione sedularum efflagitationum Philippi audacis Ducis Burgundiæ. Eodem autem tempore factus est Vicecancellarius S. R. E. ut notat Onuphrius.

Anno MCCCLXXXVI. die duodecima Augusti, cùm ageretur de mittendo Ottone Brunsvicensi in regnum Neapolitanum, summaque contentione inter Papam, Mariam Reginam, & Ottonem agitarentur conditiones hujus expeditionis, secretarius ejus adivit Ioannem Episcopum Carnotensem Cancellarium Reginæ orans eum ut commendatum haberet causam domini sui. Respondit Episcopus se facturum quod sui muneris esset. Interim Camerarius Papæ, id est, Franciscus Episcopus Gratianopolitanus, tum etiam Cardinales Cusentinus & Vivariensis, de eadem re apud Ebredunensem tractaruot usque ad occasum solis. Die deinde XXI. Septembris Ottoni tradita sunt capitula conventionum itineris ejus, ut ea examinaret. Tum itum ad Papam, cum quo erant Camerarius & sex Cardinales, nimirum Ambianensis, Ebredunensis, Cusentinus, de Murolio, de Thureyo, & hic Vivariensis. Censuere omnes Reginam debere expetere consilium & opem Papæ pro acquirendo regno Neapolitano. *Ex diario Episcopi Carnotensis.*

Anno MCCCLXXXVII. die XXVI. Septembris unus eorum fuit qui de negotiis regni Siciliæ consultarunt cum Papa Clemente & Regina Maria. Qua de re dictum est suprà pag. 1259.

Anno MCCCLXXXVIII. die XXV. Ianuarii interfuit alii magnæ deliberationi, videlicet an expediret eandem Reginam aut filium ejus Ludovicum ire in Siciliam. Vide suprà pag. 1350.

In collectione privilegiorum à summis Pontificibus concessorum ordini Carthusianorum num. 101. leguntur literæ istius Cardinalis datæ Avenioni anno MCCCXCI. die XIX. Aprilis, quibus testatur Clementem Papam VII. vivæ vocis oraculo indulsisse Carthusianis ut omnes monachi & clerici redditi Carthusiæ Divionensis vigesimum secundum ætatis suæ annum attingentes possint ad presbyteratus ordinem promoveri in ipsoque licitè ministrare, defectu dictæ ætatis ac statutis & constitutionibus ipsius ordinis & aliis in contrarium non obstantibus quibuscunque.

Anno MCCCXCIV. interfuit electioni Benedicti XIII.

Anno MCCCXCV. mense Iunio rogatus sententiam à Ducibus Franciæ, qui tum erant apud Avenionem, an cessio duorum de summo pontificatu contendentium ei videretur expedire ad sarciendam Ecclesiæ concordiam *dixit & asseruit*, ut est in toties laudato codice archivi regii Parisiensis, *in sua conscientia se nihil in hac materia dicturum quod in præsentia Papæ Clementis, cui multùm tenebatur & obligabatur, non dixisset & quod non diceret in præsentia Domini nostri Papæ Benedicti, si præsens esset. Et dixit quòd in conscientia sua videtur sibi quòd via melior atque facibilior est via cessionis; & credit firmiter quòd qui eam obtulisset tempore Clementis Papæ, ipse contra suum adversarium satis obtinuisset.* Vide etiam to. 6. Spicilegii Dacheriani pag. 139.

Postea, uti sæpe dictum est suprà, fuere qui Regi persuadere conarentur Cardinales velle recedere ab ea opinione. Qua de re cùm Rex ad eos scripsisset in commune, & singillatim ad unumquemque eorum, Cardinalis Vivariensis rescripsit die decima Octobris se in eadem sententia esse constantem neque mutaturum, addens Clementem in ea secretò fuisse, eamque communicasse cum Priore magnæ Carthusiæ & aliquot Cardinalibus.

Anno MCCCXCVIII. Kal. Septembris publicata apud Villamnovam subtractione obedientiæ adversùs Benedictum XIII. iste Cardinalis postero die Avenione decessit cum ceteris. Vide Suritam lib 3. Indicum.

Anno eodem exeunte factus est Episcopus Ostiensis post mortem Ioannis de Novocastro. Sammarthani fratres in catalogo Archiepiscoporum Arelatensium scribunt honorem cardinalatus iterum ei fuisse collatum anno MCCCCIX. in Concilio Pisano. Sed istud absque ullo veterum testimonio dicitur, immo adversùs verisimilitudinem. Quis enim ei hunc honorem detulisset, absentibus duobus contendentibus de papatu, Alexandro quinto nondum creato? Meliùs Ferdinandus Vghellus, quamquam non integra veritate, assertam illi fuisse ait dignitatem cardinalatus ab eodem Concilio, veriùs dicturus si scripsisset illum citra controversiam sedisse inter Cardinales qui tum erant in eo conventu. Vghellum exscripsit pro more suo Oldoinus.

Anno MCCCCX. ei commissa est administratio Ecclesiæ Arelatensis, ut docet Saxius. Sed quod Fodera addit, illum fuisse etiam Archiepiscopum Viennensem, vanum est, neque merebatur exscribi ab Oldoino.

Anno MCCCXVIII. Martinus V. Papa è Concilio Constantiensi digressus die undecima Iulii, ut in ejus vita scribit Contelorius, solemni pompa & acclamante populo in civitatem Gebennensem est ingressus. Fuisse cum eo Ioannem Ostiensem Episcopum Vivariensem Cardinalem & Vicecancellarium curiæ Romanæ, qui fundavit Avenione collegium sancti Nicolai, testatur continuator Martini Poloni in codice 2460. bibliothecæ Colbertinæ.

Demum Gebennensis quoque administrationem eum habuisse extremis vitæ suæ temporibus ostendit Monodus in historia Episcoporum Gebennensium, cujus fragmentum extat inter probationes historiæ Cardinalium Gallorum pag. 513.

Vulgò scribitur eum obiisse Romæ ibidemque sepultum esse. At in inscriptione suppostra iconi ejus apud Dominicanos Annissiaci, quæ post editum fragmentum ex historia Monodi reperitur inter easdem probationes, dicitur obiisse Avenione & illic sepultus in basilica sancti Petri.

DAVIDI] Ita omnia vetera exemplaria. Quam ob rem nos nihil mutare voluimus, quamvis emendatio in promptu esset. Audacior fuit Odoricus Raynaldus, qui an. 1385. §. 10. hunc locum describens, pro *Davidi* reposuit *Avisii*, certa emendatione. Vide Andream Resendium in libro de antiquitatibus Eboræ cap. 16. P. 511.

FRATREM REGIS] Thomas Vvalsinghamus pag. 319. edit. Francofurtensis: *Proceres verò regni rem tacitè considerantes, quorsum hæc tenderent meditabantur. Tandem videntes regni desolationem præparari, concitò ad Regis defuncti fratrem, virum martium, fide perspicuum, sensu praditum concurrerunt, incitantes eum ut se opponeret tantis malis. Erat*

ille magister hospitalis, vir tam religione quàm potestate præstans ceteris, & habuit in temporalibus unde proferret nova & vetera pro defensione dicti regni. Erat autem frater Regis defuncti, sed illegitimus. Vide Duardum Nonium in genealogia Regum Portugaliæ & Marianam lib. 18. rer. Hispan. cap. 7.

CVIVS FILIAM] Ioannis nimirum Ducis Lancastriæ, nomine Philippam, quam apud Portum urbem ad Durii fauces duxit anno MCCCLXXXVII. ineunte Februario, impetrata priùs ab Vrbano VI. relaxatione voti quo se obstrinxerat eo tempore quo militiæ Avisii dederat nomen. Factum illud improbat Leonardus de Giffono Cardinalis in tractatu cui fecit hunc titulum: *Vtrum via renunciationis summi Pontificis sit acceptanda eo modo oblata quo à nonnullis proponitur.* Ait enim: *Tertiò quoque in Portugalia, ubi tunc mortuo Rege catholico, qui se declaraverat tam citò spontaneè pro nostra videlicet veritate Ecclesiâ, filio sibi nullo superstite, intruso* (id est, Vrbano VI.) *favente religioso professo expressè & spontaneè ac dispensante in scelesti conjugio, sua tyrannide venit ad regimen; ex quo fides Ecclesiæ inde expellitur.* Nam Angli sequebantur partes Vrbani. Ex conjugio porrò Philippæ cum Ioanne secutum est transfugium à Clemente Papa ad adversarium ejus.

P. 514. CAPTIVAVIT BARNABONEM] Vide Froissartum vol. 2. cap. 158. & Antonium Campum lib. 3. historiæ Cremon. ad an. 1385. Hujus rei nuntium allatum esse Avenionem ad Papam Clementem anno millesimo MCCCLXXXV. die duodecima Maii notat Episcopus Carnotensis in suo diario, & die tertia Ianuarii sequentis Mariam Reginam Siciliæ, quæ tum erat apud Villamnovam suprà Rhodanum, audiisse mortem ei evenisse die XVII. Decembris. Causa autem ob quam Episcopus Carnotensis, qui non solet in suo diario quicquam scribere quod non pertineat ad negotia ejusdem Reginæ, carcerem tamen & mortem Barnabonis adnotavit, ea est, ut ipse in eodem diario tradit. Agebatur de conjungendis fœdere matrimonii Ludovico Duce Calabriæ filio primogenito ejusdem Reginæ & Luciа filia Barnabonis; missusque ob eam rem fuerat ad Barnabonem vir nobilis Reginaldus Bresilla, qui Mediolano rediit ad Reginam tum Iuliomagi consistentem anno MCCCLXXXIV. die octava Octobris. Interim mortuus est Ludovicus Rex maritus ejusdem Reginæ. Statim Barnabos ad eam misit duos viros nobiles è militari ordine, nimirum Raymundum Restain & Ioannem de Lisques. Hi Iuliomagum advenere die quarta mensis Decembris. Primò exposuerunt Barnabonem multùm dolere de morte Regis & se suaque omnia offerre pro acquirendo regno Siciliæ, suppeditaturum se hyeme & æstate mille homines lanceatos, & sperare se eo modo Siculos adduci posse ad abdicandum Karolum de Pace. Multa quoque magnifica polliciti sunt ex parte Barnabonis, quæ enarrantur in eodem diario, quippe illum summè cupere ut unus tantùm Papa sit in Ecclesia & unus Rex in Sicilia, id est, Ludovicus Dux Calabriæ, quem Barnabos diligebat tanquam filium suum principalem & carissimum, quamvis alios quatuor haberet. Tandem iidem legati discesserunt Iuliomago die quinta Decembris, donati quilibet eorum ab eodem Ludovico aquali uno & uno culullo sive calice cooperto, *une aiguiere & un gobelet couvert.* Per eos autem misit anulum Luciæ sponsæ suæ. In literis autem quas tum Regina Gallicè scripsit ad Barnabonem ita legebatur: *Tres-excellent & tres-honoré seigneur & frere.* Ludovicus scripsit Latinè, & ita subscripsit: *Vester filius Ludovicus Calabriæ Dux.* Patefactæ sunt iisdem legatis causæ propter quas abstinebat à regio nomine; simulque ab eis efflagitatum ne coram Karolo Rege, ad quem haud dubiè profecturi erant antequam è Gallia discederent, quicquam iis excideret ex quo idem Rex conjicere posset Reginam velle prosequi negotium Siculum absque consilio ejus & Ducum Biturigum & Burgundiæ. Deinde anno sequenti MCCCLXXXV. die sabbati penultima mensis Aprilis decretum est in præsentia Papæ uti legati Mediolanum mitterentur qui filiam Barnabonis adducerent in Provinciam. quod an factum sit in obscuro est. Illud constat, missam non fuisse. Et mox subsecutus carcer patris hoc matrimonium disturbavit.

DVO EX SVIS] Theodericus à Niem lib. 1. de schismate cap. 61. *Ab eodem Vrbano tunc in Genua existente Domini Pileus Ravennas & de Petramala Cardinales, qui cum eo ibi aliquandiu steterunt, ad Avinionem fugientes, illic per Clementem in Cardinales admissi fuerunt.* Gobelinus Persona ætate 6. cap. 81. loquens de quadam conjuratione facta adversus eundem Vrbanum addit: *Dominus Pileus Cardinalis de Ravenna & Cardinalis de Petramala de curia fugiendo se circa præmissa suspectos reddiderunt; & tandem Avinionem se transferentes, ab Antipapa in Cardinales recepti sunt. Sed & Dominus Pileus in majorem Domini Vrbani contumeliam capellum quem ab eo insigne honoris cardinalatus acceperat Papia in foro publicè combussit, Comite Virtutum hoc gratum habente.* Et paulò pòst: *Hinc Vrbanus duos Cardinales prædictos excommunicavit & cardinalatus honore privavit.* Hieronymus Rubeus lib. 6. hist. Ravennatis pag. 591. ait illos inexorabilis & præcipitis nimiùmque P. 515.

nimiùmque suspicacis hominis iram veritos, id est, Vrbani, ex illius manibus elapsos, ad Ioannem primò Galeatium Vicecomitem, mox Avenionem ad Clementem aufugisse. Non eodem tamen illi tempore pervenerunt ad Clementem. Quippe Pileus reperitur in libro obligationum intrasse curiam anno millesimo CCCLXXXVII. die XIII. Iunii, Galeotus verò die quinta Maii anni sequentis.

PILEUS DE PRATA] Illum plerique omnes in oppido Concordiæ, quod est Aquileiensis diœcesis, natum ferunt. Illud certò constat, ortum ex familia Comitum de Prata. Fuisse primò Episcopum Tarvisinum circa annum MCCCLVI. tum anno millesimo CCCLIX. translatum ad Ecclesiam Patavinam pro comperto habetur. Ad eum tum Episcopum Paduanum extat epistola Francisci Petrarchæ lib. 6. rer. senil. epist. 4.

Anno MCCCLXX. Vrbanus V. illum transtulit ad Ecclesiam Ravennatem, ut docet Hieronymus Rubeus, qui extare ait literas Vrbani de ea re datas Romæ apud sanctum Petrum x. Kal. Februar. pontificatus anno octavo. Ex quo manifestè constat falsos fuisse Ciaconium & Oldoinum scribentes illum ea dignitate ornatum fuisse à Gregorio XI.

Post illum in Patavina sede locatum fuisse Iacobum Leonium civem Patavinum aiunt, sed quia invisus erat Francisco Carrariensi urbis domino, qui missis Avenionem publicis tabulis probaverat illum in vitam suam conspirasse, episcopatum & patriam amisisse, tum verò episcopatum Patavinum datum esse Ioanni de Placentinis Episcopo Cerviensi. At ego in epistola Gregorii XI. ad eundem Franciscum Carrariensem data reperio illum, ut Francisco gratificaretur, Ioannem Episcopum Paduanum, quem Franciscus certis ex causis gratum non habebat, transtulisse ad Ecclesiam Patracensem, & episcopatum Paduanum dedisse cuidam Heliæ apostolicæ sedis Notario, qui eidem Gregorio affinitate proxima conjunctus erat & generis nobilitate perspicuus multisque virtutibus prædotatus; qui fortassis idem erat cum Helia de Donzenaco Lemovice, quem aliquot pòst annis constat fuisse Episcopum Castrensem in Aquitania prima, de quo hæc leguntur in Necrologio Carthusiæ Castrensis ad diem 30. Maii: ***Reverendissimus D. Helias de Donzenaco Episcopus Castrensis, qui dedit domui Castrensi semel XL. francos 1383. habet anniversarium perpetuum.***

Anno MCCCLXXI. tertio Nonas Ianuarii Pileus interfuit solennibus exequiis Vrbani V. apud Bononiam. ***Rubeus lib. 6. histor. Ravenn. pag. 584.***

Anno MCCCLXXV. habitus est Brugis in Flandria conventus ad constituendam pacem inter Francos & Anglos, cui interfuisse nuntios à Papa missos Pileum Archiepiscopum Ravennatem & Guillelmum Episcopum Carpentoratensem vulgò scribunt historici. Verùm apud Froissartum vol. 1. cap. 317. 320. 324. Episcopus quidem Carpentoratensis dicitur propterea missus à Papa; sed pro Archiepiscopo Ravennatensi ponitur Rothomagensis. Ex quo consequi videretur errare eos qui hanc legationem tribuunt Archiepiscopo Ravennati. Quæ observatio esset verissima, si constaret Froissartum scripsisse uti præferunt editiones per typographos vulgatæ. Contrà libri veteres MSS. habent apud Froissartum in his locis Archiepiscopum Ravennatem, nulla mentione Rothomagensis. Præterea continuator Gallicus Nangii de hac ipsa re agens missos à Papa ait Archiepiscopum Ravennatem & Episcopum Carpentoratensem. Ex quo liquet corrigendos esse annales Aquitaniæ Ioannis Boucheti, ubi ea legatio dicitur imposita Archiepiscopo Rothomagensi & Episcopo Carpentoratensi.

Mansisse eum in Belgio usque ad annum millesimum CCCLXXVII. ostendunt literæ Gregorii XI. ad eum datæ hoc anno die XXIV. mensis Augusti & die XXII. mensis Octobris. Et tamen Ioannes Baptista Pigna lib. 5. historiarum de Principibus Atestinis scribit Pileum Pratensem Ecclesiæ Ravennatis Pontificem anno MCCCLXXVI. VI. Idus April. Lugum omnemque agrum cum mero & mixto imperio & pagum Potitum certo imposito stipendio beneficii loco concessisse Atestino.

Qua tempestate, cùm anno MCCCLXXVII. defunctus esset Episcopus Tornacensis, Gregorius hunc episcopatum dedit huic Pileo. Hujus rei testimonium luculentum habemus in epistola quam idem Gregorius scripsit ad Guillelmum Vicecomitem Turenensem die quarta mensis Ianuarii anni sequentis, in qua hæc leguntur: *Heri serò receptis tuis apicibus de vacatione Tornacensis Ecclesiæ, compatientes venerabili fratri Pileo Archiepiscopo Ravennatensi super tantis laboribus & expensis, ipsum hodie ad dictam Tornacensem duximus transferendum.* Extat etiam de eo argumento epistola eodem die scripta ad Pileum Archiepiscopum. Videtur autem is repugnasse huic translationi. Nam nulla uspiam mentio illum præfuisse Ecclesiæ Tornacensi; & cùm factus est Cardinalis ab Vrbano, erat Archiepiscopus Ravennas.

Factus ergo Cardinalis ab Vrbano anno millesimo CCCLXXVIII. die XVIII Septembris, ab eo missus est Legatus in Germaniam sine ejusdem anni. Is verò, qui in familiaritatem Karoli Regis Franciæ & Ludovici Comitis Flandriæ admissus paulò antè fuerat,

ad eos ex itinere scripsit in gratiam Urbani, ut ostenderet causam illius esse meliorem. Extant epistolæ ab eo tum scriptæ apud Odoricum Raynaldum an. 1379. §. 51. & tomo quarto Spicilegii Dacheriani pag. 301.

Postea continuato itinere pervenit in Germaniam, ubi benignè exceptum eum esse docet Menendus Episcopus Cordubensis apud Odoricum Raynaldum an. 1379. §. 46. De rebus ab eodem gestis agens monachus sancti Dionysii qui vitam Karoli VI. Regis Francorum scripsit ait illum ab Antipapa Urbano ad cardinalatum assumptum, ab eodem Legatum constitutum in partibus Alamanniæ, electionem dicti Urbani justam, sanctam, canonicamque censendam publicè prædicasse. Verba hujus scriptoris referemus paulò pòst integra.

Anno MCCCLXXX. Vvenceslaus Romanorum & Bohemiæ Rex cum Pileo Cardinale Ravennate splendidissimoque Principum Electorum comitatu venit Maguntiam, deinde Coloniam, postremò Aquisgranum. Ita Radulphus de Rivo cap. 16. de gestis Episcoporum Leodiensium & Trithemius in chronico Hirsaugiensi. Per ea tempora, cùm apud eundem Vvenceslaum urgeretur congregatio Concilii generalis pro sopiendo schismate, in eamque rem multùm instarent Lupoldus Dux Austriæ & Vvenceslaus Dux Brabantiæ, ipse persuasus à Cardinale Ravennatensi recusavit hanc conditionem, dicens, ut scribit Petrus de Sortenaco Cardinalis Vivariensis, *quòd ipse nolebat nec Concilium generale nec particulare nec congregationem litteratorum nec deliberationem Prælatorum nec audire aliquid, sive consisteret in facto, sive in jure, per quod jus illius de Roma revocaretur in dubium.*

Anno MCCCLXXXI. profectus est in Angliam cum Duce Tarsiliæ & multis nobilibus ex parte Imperatoris, locuturus de conditione matrimonii contrahendi inter sororem ejusdem Imperatoris & Regem Anglorum. *Vvalsingham. pag. 246. edit. Francofurt.*

Anno MCCCLXXXV. cùm Urbanus VI. in carcere detinebatur à Karolo de Pace, Pileus adiit Karolum apud Neapolim ut concordiam inter eos revocaret. Qua ratione agendi in se concitavit suspicacem Urbani animum. Ita Gobelinus Persona ætate 6. cap. 78. & ex eo Odoricus Raynaldus an. 1385. §. 5.

Meritò autem suspecta esse debuit Urbano ea diligentia. Quippe certum est illum, postquam Urbanus apud Luceriam sex Cardinales conjecit in carcerem, gravissimam & audaciæ plenam epistolam ad clerum Romanum adversùs eum scripsisse unà cum Luca tituli sancti Sixti, Poncello tituli sancti Clementis, Bartholomæo tituli sancti Marcelli, & Landulpho sancti Nicolai in carcere Tulliano Cardinalibus, quæ extat in codice 814. bibliothecæ Colbertinæ.

His ita se habentibus, cùm immanitas & crudelitas Urbani semper eædem essent, & ex iis quæ postremò in sex illos Cardinales perpetrarat apud Genuam conjici facilè posset alios quoque experturos sævitiam ejus, Pileus ei se subduxit anno sequenti, &, ut suprà pag. 1358. vidimus, Avenionem se contulit. Urbanus verò eum sacra purpura & archiepiscopatu Ravennatensi privavit literis datis Perusii, quò se jam è Genua contulerat, Nonis Octobris anno decimo, quas se vidisse testatur Hieronymus Rubeus. At Contelorius id factum ab Urbano ait die XIII. ejusdem mensis. Vide bullam Urbani amarissimam & bilis plenissimam adversùs eum apud Odoricum Raynaldum an. 1389. §. 9. Vide etiam Bzovium an. 1385. §. 9. & seqq.

Insignis est locus auctoris suprà laudati vitæ Karoli VI. qui enarrans quo modo Pileus transfuga ad Papam Clementem se contulit, ait: *Circa finem hujus anni* (MCCCLXXXVII.) *Archiepiscopus Ravennensis natione Italicus, vir tantus mirabiliter & astutus, qui ab Antipapa Urbano ad cardinalatum assumptus fuerat, & qui ab eodem Legatus constitutus in partibus Alemaniæ electionem dicti Urbani justam, sanctam, canonicamque censendam publicè prædicaverat, ad Papam Clementem reversus est. Cùm inde innumerabiles mirarentur, memini me etiam ab officialibus papalis cameræ reiteratis vicibus tanta instabilitatis motivum investigasse. Qui omnes in unum convenientes dicentes: In legatione prædicta ingentes sibi accumulaverat pecunias; sed his minimè contentus, per hanc conversionem vulpinam ampliores intendit acquirere. Quod & rei exitus comprobavit. Tunc re vera docuit Cardinales cavere de cetero ab accedentibus in vestimentis ovium. Nam ab eis honorificè receptus & adductus ad Domini Papæ Clementis præsentiam, cùm sibi humiliter postulanti de commissis veniam impetrassent & ut ad eorum assumeretur ordinem, tandem anno non exacto donis uberioribus clam illicentiatus recedens rediit ad Urbanum.*

Anno MCCCLXXXVII. die quarta Octobris venere oratores civium Aquensium & Tarasconensium ad Mariam Reginam Siciliæ & filium ejus Ludovicum apud Villamnovam ut sponsionem fidei & obedientiæ facerent. Aderant cum Regina & filio ejus Cardinales Albanensis, Cusentinus, & Ravennatensis, Camerarius Papæ, Episcopus Carnotensis, Raymundus Bernardi, & plures alii. *Ex diario Episcopi Carnotensis.*

Die octava ejusdem mensis, cùm Dux Borbonius redux ex Hispania Reginam salutasset

apud Villamnovam, se trajecit Avenionem, comitantibus cum Cardinalibus Ambianensi & Ravennatensi. *Ex eodem diario.*

Anno eodem Pileum habuisse adoministrationem episcopatus Vivariensis probat ex quibusdam tabulis operarii Ecclesiæ Vivariensis Ioannes Columbi.

Anno MCCCLXXXVIII. die octava Ianuarii idem Cardinalis ad Mariam Reginam paulò antè commemoratam & ad liberos ejus adduxit duos Venetorum legatos. Exposuere illi mandata sua. Eis verò nomine Reginæ respondit idem Cardinalis perurbanè, sed nullis promissis. *Ex eodem diario.*

Quarto deinde Nonas Maii ejusdem anni Clemens eum constituit Legatum Italiæ, ut notat Odoricus Raynaldus an. 1389. §. 9. At in libro obligationum adnotatum est eam legationem illi decretam esse die quarta Maii.

Extincto demum Vrbano anno millesimo CCCLXXXIX. eadem facilitate qua eum deseruerat, Clementem deseruit, & ad Bonifacium IX. se contulit, qui illum, ut Contelorius ait, die XIII. Februarii anni MCCCXCI. uti Cardinalem recepit in publico & privato consistorio. Vide Theodericum à Niem lib. 1. de schismate cap. 61. lib. 2. cap. 13. & Bonifacium de Amanatis in Clement. *Dignum.* de celebrat. Missar.

Anno MCCCXCIII. Bonifacius IX. eum constituit Vicarium & Legatum sedis apostolicæ in Perusio & ejus comitatu & districtu. *Odor. Raynald. an.* 1393. §. 3.

Anno MCCCXCVII. dedit Vgolino de Trinciis & communitati Fulginei instrumentum plenariæ securitatis de duobus millibus florenorum sibi promissorum pro resignatione quam antea fecerat monasterii sanctæ crucis de Saxovivo, quod olim habuerat in commendam. Vide Durantem Dorium in historia familiæ Trinciæ pag. 84.

Anno MCCCXCVIII. in pervigilio nativitatis Domini incepit vesperas Romæ in capella Papæ, indutus pluviali & mitra, stans ad latus cornu altaris super cathedram ubi stant Prælati cùm celebrant coram Papa. In die verò nativitatis dixit Missam in tertiis. Septem Cardinales interfuerunt. Non dedit benedictionem post Missam; *& malè*, (inquit Petrus Amelii in suo ordine Romano cap. 165.) *quia debebat.*

GALEOT. DE PETRAMALA] Aretinus, ut suprà pag. 710. observatum est.

Anno MCCCXCIV. interfuit electioni Benedicti XIII. & paulò pòst scripsit gravem epistolam ad cives Romanos; in qua eos primò redarguit quòd ipsi fuerint auctores schismatis, deinde hortatur ut eidem Benedicto, quem multis laudibus ornat, obedientiam præstent. Hæc epistola habetur in codice 822. bibliothecæ Colbertinæ.

Anno sequenti interrogatus à Ducibus Franciæ an approbaret viam cessionis inventam Lutetiæ in consilio regio *dixit*, ut est in veteri codice archivi regii Parisiensis, *se firmiter tenere quòd Rex & Domini nostri habuerunt & habent factum Domini nostri Papæ & Ecclesiæ universalis recommendatum. Quæ præsupposita, dixit quòd visa opinione Regis, quæ est via cessionis, ipse tenet in sua conscientia, si per hanc viam cessionis pax & unio Ecclesiæ possit haberi, & intrusus renuntiare velit, quòd Dominus noster Papa renuntiare debet.* In tomo sexto Spicilegii Dacheriani pag. 141. additur: *Vltrà dixit quòd Cardinalis Pampilonæ cedulam de qua fit sermo scripserat & dictaverat, tunc asserens sic illam facere & tam fortiter vallatam quòd nullus Cardinalium ipsi posset contraire.* Scriptam fuisse manu Cardinalis de Petramala patet ex his quæ referentur in extrema pagina harum Notarum.

VIXIT LAUDABILITER] Vide diversa hominum judicia. Hic auctor Galeotum laudat quòd semper permanserit in obedientia Clementis VII. neque imitatus sit Pileum de Prata, qui solita levitate transgressus erat in castra Bonifacii noni. Contrà Odoricus Raynaldus an. 1386. §. 11. Pileum laudat quod ab apostasia resipuerit, & Galeotum, quem vocat hominem vecordem, in scelere computruisse ait. At si verum amamus, istæ verborum contumeliæ ferri illo tempore poterant inter homines diversarum partium. Sed nos, qui causas illorum odiorum procul habemus, qui fruimur pace Ecclesiæ quam sacrosancta Concilia Pisanum, Constantiense, & Basileense nobis pepererunt, debemus abstinere à verbis injuriosis adversùm mortuos, nisi si aliquorum injuriosa & facinorosa vita, uti quandoque fit, illa extorquet.

Obiit Viennæ ad Rhodanum ex morbo calculi; ut docet, qui tum erat apud Avenionem, Nicolaus de Clemangiis epist. 12. in qua illum mirificè laudat. Hinc ergo liquet falli eos qui Galeotum mortuum esse aiunt apud Assisium vel apud Avenionem. Illum Hieronymus Garimbertus pag. 447. scribit mortuum esse in monte Alvernæ in summis Apennini jugis ibique sepultum in Ecclesia fratrum Minorum. Errat sanè dum scribit illum rediisse in gratiam cum Vrbano sexto. Nam id falsòm esse manifestè patet ex epistola ejus ad Romanos suprà commemorata, & ex eo quòd mortuus est Viennæ. Ad hunc Cardinalem idem Nicolaus scripsit epistolam quintam & sextam.

Vide to. 3. Italiæ sac. pag. 796. num. 28.

COMMISIT] Bulla commissionis edita est inter probationes historiæ Cardinalium Gallorum pag. 541. P. 1171

Post mensem Iulium, quo obiit B. Petrus

de Luxemburgo, Clemens VII. secessit ad Rupemmauram die decima Augusti, illicque mansit usque ad diem XXIV. Septembris, ut legitur in diario Episcopi Carnotensis.

PETRUS R. ARRAG.] Duplex ergo fuit istius Regis legatio in causa schismatis, prima in ipsis schismatis initiis, de qua suprà pag. 1266. dictum est, altera anno MCCCLXXXVI. de qua sermo nunc est. Istius autem postremæ nulla alibi mentio reperitur apud scriptores historiarum præter quàm apud Suritam lib. 10. annal. Arragon. cap. 42. ubi ait missos esse Avenionem à Petro Rege Guillelmum de Vallesica (quem initio schismatis missum fuisse Romam diximus suprà pag. 1266.) & Petrum Calvum. Idem lib. 3. Indicum ait Ioannem Regem istius Petri filium ad diem secundam Non. Febr. anni MCCCLXXXVII. Barcinone, assidente Petro Luna Cardinale Legato, quasi pro jure suo edixisse atque decrevisse prima Cardinalium comitia, quibus Romæ Vrbanus Pont. max. renuntiatus fuerat, vi atque impressione habita, ea verò quibus Clemens creatus erat legitima, justa, sanctaque fuisse, eique obedire & parere omnes uti vero Christi vicario jus fasque esse. Qua in re securum illum fuisse intentionem patris adeo luculenter testatæ ut de ea ambigi non posse videatur tradit hic auctor vitæ Clementis. Ex quo necessariò consequitur falsum fuisse rumorem quo, uti refert idem Surita, jactabatur consilio muliebri tantam rem gestam esse, nimirum consilio Iolantis Reginæ uxoris Ioannis, quam Froissartus vol. 4. cap. 4. testatur ad hoc impulsam esse à Duce Barensi fratre suo. Iniquior Odoricus Raynaldus an. 1387. §. 10. qui pro sua impotentia in Regem invectus vocat iniquam illius sanctionem qua promulgavit Clementem ut verum Pontificem colendum, Vrbanum repudiandum, tanquam ei non liceret existimare electionem Vrbani vitio factam non valere. Si extaret codex in quo continebantur depositiones Cardinalium & aliorum gravium virorum factæ apud Avenionem coram legatis regiis, quas in codicem sub manu publica & authentica forma relatas esse testatur hic scriptor, magnam huic historiæ lucem afferret. Sed nunc ille non comparet. Tantùm in codice 811. bibliothecæ Colbertinæ extant acta in quibus continetur depositio Cardinalis Florentini *jurati more Prælatorum manu posita ad pectus* facta coram legatis regiis & Notario in civitate Avenionis die Iovis XVII. Maii anno à nativitate Domini MCCCLXXXVI. & articuli præterea interrogationum eidem factarum cum responsionibus ejus, ex quibus nos suprà nonnulla descripsimus data occasione. Ægidius Bellamera in cap. *Inhærentes.* de jure calum. testatur se anno Domini millesimo CCCLXXXVI. de mense Iulii interrogatum fuisse à quibusdam laicis Regis Arragonensis ambasciatoribus ad inquirendum veritatem in facto schismatis deputatis, eosque à se exegisse juramentum de dicenda veritate. Ejusdem rei mentio extat etiam in allegationibus Nicolai Eymerici Inquisitoris Arragoniæ contra Vniversitatem Parisiensem scriptis anno MCCCXCV. ubi sic inter cetera legitur: *Hanc viam*, id est, agnitionem veritatis Benedicti XIII. Papæ, *illustrissimus, serenissimus, ac christianissimus Rex Aragonum observavit, quoniam ad verum Papam apud Avinionem & ad intrusum apud Romam solemnes sua patria Doctores sollemniter destinavit, qui processus triplices peregerunt de veritate negotii diligentius inquirentes; juxta quorum processum repertam clariùs veritatem Barchinona pro eodem Domino Clemente fel. rec. veritate agnita palam & publicè declaravit.* Habentur allegationes illæ in codice 2847. bibliothecæ Colbertinæ & in altero Carthusiæ majoris. Ceterùm olim missum ad eundem Regem Petrum fuisse Bonifacium de Amanatis jam suprà observavimus pag. 1340.

DECLARATIONEM] Odoricus Raynaldus an. 1387. §. 10. testatur extare in bibliotheca Vallicellana, sed eam non edidit. Nos eam invenimus in codice 815. bibliothecæ Colbertinæ. P. 518.

IAC. DE ARRAGONIA] filius Petri Infantis Arragoniæ & Ioannæ Fuxensis. uti suprà pag. 968. dictum est, adeoque consanguineus germanus Petri IV. Regis Arragonum, ut eum vocat scriptor iste vitæ Clementis. Iacobus enim istius nominis secundus Rex Arragonum genuit Alfonsum IV. & hunc Petrum Infantem. Alfonsus genuit Petrum ejus nuncupationis quartum, Infans Petrus Iacobum Cardinalem. Iacobus ergo & Petrus IV. erant fratrum filii, fratres patrueles, id est, consanguinei germani.

Iacobum Cardinalem, de quo nunc nobis sermo est, natum esse anno MCCCXLII. ineunte hinc colligitur quòd ea tempestate qua factus est Episcopus Dertusanus solùm attingebat ætatem annorum viginti & unius, uti dicturi sumus paulò pòst.

Vitæ clericali destinatus à patre, eo annitente & Avenionem propterea profecto fine anni MCCCLI. factus est Capellanus commensalis Papæ; etatque jam tum, ut arbitror, Canonicus & Præpositus Ecclesiæ Barcinonensis, tum etiam Canonicus Ecclesiæ Majoricensis. His enim sacerdotiis ornatum eum fuisse anno MCCCLII. ineunte reperio in veteribus monumentis ex archivo regio oppidi Falceri descriptis ab Hieronymo Pujadello.

Anno MCCCLXII. mense, ut videtur,

Maio aut saltem ineunte Iunio Innocentius Papa VI. illum creavit Episcopum Dertusensem. Sic enim ex monumentis Ecclesiæ Dertusensis collegit idem Pujadesius, ut postea videbimus.

Anno MCCCLXVI. cùm Burgis, ut Surita ait lib. 9. annal. Arragon. cap. 63. & lib. 3. Indicum, Henrico Transtamarensi veluti legitimam regnorum Castellæ & Legionis possessionem usurpanti solemni ceremoniarum pompa regium diadema esset impositum, Ioanna ejus uxor Cæsarauguftæ VII. Kal. Iul. in sacrario cœnobii Minorum jurisjurandi fidem interponit se enixè operam daturam atque omni conatu curaturam ut pacta à viro conventa incolumia ac salva integraque retinerentur, eaque pars regni Castellæ traderetur quam Arragonio regno contribuendam pepigerant, Eneco de Valterra Episcopo Gerundensi, qui postea Tarraconensis Archiepiscopus fuit, sacrum Domini corpus præferente. Ei sanctioni scribendæ obtestatione ac pœna sacratæ adfuit cum ceteris magnatibus Iacobus iste Episcopus tum Dertosanus, postea, ut diximus, ad Valentinam Ecclesiam translatus.

Anno MCCCLXIX. vacavit Ecclesia Valentina. Tum verò magna contentio propter hanc cathedram fuit inter Iacobum de Arragonia Episcopum Dertusanum & Petrum de Luna Præpositum Valentinum, qui postea sub nomine Benedicti XIII. tenuit papatum per tot annos. Canonici tamen neutrum elegerant, sed Ferdinandum Muñozium Canonicum & Cantorem ejusdem Ecclesiæ. At Papa Vrbanus V. insuperhabita ea electione, habita ratione precum Petri Regis Arragonum, Iacobum huic Ecclesiæ præfecit literis datis die XIII. Iunii, ut Surita docet lib. 10. annal. Arragoniæ cap. 9. Quamquam Pujadesius in catalogo nondum edito Episcoporum Dertusensium Martium ponit pro Iunio, Guillelmum de Turrillis, qui Iacobo successit in cathedra Dertusana, scribens ad Ecclesiam Dertusensem sic vacantem translatum esse per Vrbanum Papam V. die XIV. Martii ejusdem anni. Referam autem ejus verba de Iacobo, si modò priùs monuero errare illum cùm hunc Iacobum ait vocatum fuisse de Luna. Etenim id verum non est. Error ejus hinc ortus est quòd eùm duo ea tempestate essent Cardinales cognominati de Arragonia, iste nimirum & Petrus de Luna, Pujadesius illos confudit per incogitantiam, & Iacobo tribuit cognomen Petri. Hæc ergo sunt ejus verba. *Iacobus de Aragonia dictus de Luna provisus per Innocentium Papam VI. anno MCCCLXII. & quia solùm attingebat ætatem XXI. annorum, fuit dispensatus præstito juramento in posse EpiscopiBarcinona in Ecclesia monasteriiB. Mariæ Populeti XIX. Iunii dicti anni, & postea fuit translatus ad Ecclesiam Valentinam anno millesimo trecentesimo sexagesimo nono.*

Eo in gradu stetit Iacobus usque ad annum MCCCLXXXVII. quo ineunte dignitatem Cardinalis sibi oblatam à Clemente VII. tandem accepit; quam recusaverat vivente Petro IV. Rege, metuens videlicet indignationem ejus, ut ait hic scriptor, quia Petrus in neutrum hactenus duorum de papatu contendentium visus fuerat inclinare. Consensit ergo Clementi post declarationem à Ioanne filio Petri editam anno MCCCLXXXVII. die XXIV. Februarii, qua publicè agnovit Clementem esse verum Papam. Falsus est itaque Contelorius existimans illum fuisse factum Cardinalem anno tantùm sequente. Retinuit autem ex dispensatione apostolica administrationem Ecclesiæ Valentinæ, dictus ob hoc Cardinalis Valentinus, & quia ex Episcopo Valentino factus fuit Cardinalis.

Cùm ergo in sacrum Cardinalium collegium aggregatus fuisset, cogitavit quidem de itinere Avenionensi, sed non statim profectus est. Quippe in libro obligationum adnotatum est illum curiam Romanam ingressum esse anno tantùm MCCCLXXXIX. ineunte, id est, die XIX. Ianuarii. Puto tamen illum de provincia decessisse ante mensem Septembrem anni proximi. Etenim non numeratur inter eos Episcopos qui IV. Non. Octobr. anni millesimi CCCLXXXVIII. Concilium apud Palentiam celebrarunt cum Petro Cardinale de Luna apostolicæ sedis Legato. Mansit porrò apud Avenionem per reliquum anni millesimi CCCLXXXIX. adeoque interesse non potuit Concilio quod idem Legatus celebravit apud Gerundam VIII. Kal. Novembris hujus anni. Hinc enim certò colligitur illum integro illo anno fuisse apud Papam Clementem quòd adhuc mense Ianuario anni sequentis fuisse cum eo apud Avenionem docet excerptum suprà pag. 1115. editum ex tractatu Nicolai Eymerici Inquisitoris hæreticæ pravitatis in regno Arragoniæ inscripto *Expurgate vetus fermentum.*

Antequam verò Avenionem proficisceretur, incidit apud Valentiam res quædam memorabilis & novitate prima. Eam historiam refert idem Nicolaus Eymerici in tractatu quem propterea edidit; qui extat, ut & superior, in codice 2846. bibliothecæ Colbertinæ. Hæc sunt ejus verba. In regno Valentiæ Rectores Ecclesiarum seu Curati animarum communiter omnes infirmis per hunc modum tradebant corpus Christi, & illud in manu tenendo interrogabant infirmum, inter alia sic dicendo: Creditis vos quòd hoc sit pater, filius, & spiritus sanctus? Et infirmo credente ita, Curatus tradebat mox eidem corpus Christi.

Contigit quòd Curatus quidam volens cuidam Doctori infirmo tradere corpus Christi, interrogavit Doctorem per modum prædictum, dicens: Creditis vos quòd hoc sit pater & filius & spiritus sanctus? Et Doctor respondit quòd non, sed quòd credebat quòd erat corpus Christi, & quòd ille erat Dei filius, & non pater, nec spiritus sanctus. Et cùm responsio Doctoris fuisset divulgata, versum est in dubium quid veritatis; & recepta informatione per Inquisitorem, compertum est quòd Rectores communiter infirmos quibus corpus Christi tradebant taliter interrogabant; & habito consilio magistrorum dictus articulus hæreticalis est ab omnibus reputatus. Cùm autem dictus Inquisitor disponeret quòd Dominus Cardinalis Valentinus illius ministrator Ecclesiæ & ipse, vocatis ad se secretiùs Rectoribus, de remedio absque eorum scandalo provideret, contigit quòd quidam religiosus magister in theologia paulò pòst prædicans de sacerdote novo introduxit materiam prædictam, prædicans Rectores malè interrogare & infirmos malè respondere. Super cujus prædicatione Curati multùm fuerunt irritati, & præsertim quidam Rector extraneus ab illa civitate, ad quem non pertinet cura alicujus Ecclesiæ illius civitatis. Et hic dicitur Petrus Ces Planes Rector de Cilla parrochiæ diocecesis Valentinensis. Iste gratis se ingerens contra expressum consilium Episcopi Officialis & quorundam clericorum litteratorum prædicavit in quadam parrochia civitatis, & circa medium sermonis interrogavit, omni populo audiente, an esset ibi Notarius; & quodam Notario assurgente & se protinus præsentante, dictus Rector protulit quandam cedulam manu ejus propria scriptam, dicens Notario antedicto hæc verba vel similia in effectu: Vt verba mea non possint mutari nec illis addi vel diminui, teneatis istam cedulam, & respiciatis in ea dum ego dicam & prædicabo contenta in ea. Et fecit sic. Quo facto, Rector requisivit Notarium antedictum quatenus de iis quæ facta fuerant sibi faceret publicum instrumentum. Tenor autem dictæ cedulæ, licèt in vulgari, talis est. *Et sic, Christiane, postquam in Iesu Christo sunt tres naturæ, scilicet humana, spiritualis, & divina, si tibi tradat aliquis Presbyter corpus Iesu Christi pretiosum, & interrogat te primò de humanitate dicens, Credis tu Christiane quòd cùm Presbyter dixit illa verba vel similia quæ dixit Christus die Iovis cœna, quòd panis, qui est materialis, convertatur in veram Christi carnem, quid dicis Christiane? dicas tu: Ita. Si interrogat te de natura spirituali, scilicet si credis quòd ibi sit sancta anima Christi, dicas: Ita, ita. Si interrogat te de natura & essentia divina dicens, Credis tu quòd iste sit pater, filius, & spiritus sanctus, dicas tu Christiane, Ita, ita, ita; quia omnes tres personæ sunt illic essentialiter.* Qua cedula in sermone totaliter explicata, ut Rector ipse dixit, dicas tu Christiane, Ita, ita, ita, mercator quidam in medium surgens clamans dixit: Dicas tu Christiane, Non, non. Et cùm dictus Rector descenderet de ambone, ipse mercator & alii affuerunt, qui ipsum super hujusmodi reprehenderunt dicentes quòd ille erat filius & non pater nec spiritus sanctus, Rectore in suo proposito perseverante. Super quibus commotio facta est in populo & in clero, clerus contra populum, & populus contra clerum. Et cùm ad notitiam Inquisitoris pervenissent fama publica referente & relatu plurium fide dignorum, Inquisitor descendit ad se judicialiter informandum; & cùm repererit ita esse, Inquisitor & Episcopi Officialis dictum Rectorem in palatio Episcopi arrestarunt. Verùm cùm Reverendissimus Dominus Cardinalis Valentiæ tunc non esset præsens in civitate, de tali & tanto scismate informatus ad civitatem accessit pro dicto scismate extinguendo. Et licèt bene videretur prædicto Domino Cardinali & Inquisitori quòd dicta cedula esset hæreticalis super duobus articulis in ea contentis, tamen volentes procedere juxta mandatum apostolicum eis factum in cap. *Statuta.* de hæret. lib. VI. certa consilia tam magistrorum in theologia & lectorum in eadem quàm in jure utroque Doctorum & peritorum, quinimo etiam aliquorum medicorum aliqualiter theologorum numero XXIV. in camera paramenti ejusdem Domini Cardinalis publicè congregarunt. quod quidem Dominus Cardinalis & Inquisitor fecerunt ut processu toto in consilio explicato juxta caput allegatum de eorum consilio procederetur.] *Et infrà*: Post modicum verò tempus simulata sic conversione, sub agni specie gerens lupum, ad vomitum rediens in cap. *Vt officium.* de hæret. lib. VI. regnum Valentiæ exivit, in Cathaloniam venit, conquerens proclamavit quòd dictus Dominus Cardinalis & Inquisitor de catholico fecerant eum hæreticum, paulatim ad Romanam curiam properavit, querimoniam proposuit, judicem impetravit, Inquisitorem citari procuravit, causam litigii subintravit, & tandem conclusum & renuntiatum in causa extitit.] *Et in fine ejusdem tractatus*: Hunc præsentem tractatum per me Inquisitorem præfatum inde & ineptè compaginatum in defensionem præfati Domini Cardinalis & mei rectæ atque catholicæ veritatis vestrorum Dominorum Cardinalium commissariorum in hac causa paternitatibus reverendissimis pro allegationibus nostri juris offero devoto animo meo toto, quatenus eædem paternitates de

» veritate negotii pleniùs informentur, & securiùs per eadem ad sententiam procedatur.] *Et » statim :* Explicit tractatus per fratrem Nicolaum Eymerici ordinis Prædicatorum Avinioni inceptus & ibidem terminatus ultima die Ianuarii anno Domini millesimo trecentesimo nonagesimo, pontificatus sanctissimi Domini nostri Papæ Clementis VII. anno duodecimo.

Quis autem fuerit hujus controversiæ finis sic enarrare videtur Antonius Senensis loquens de sancto Vincentio Ferrario in chronico ordinis Prædicatorum : *Circa annum 1385. magna dissentiones fuerunt exorta in regno Valentiæ inter quatuor ordines mendicantes ex una parte & clerum ex alia. Quibus sedandis D. Iacobus de Aragonia illius Ecclesia Episcopus Cardinalis animum applicuit, sed nihil potuit efficere. Sed demum duobus annis evolutis universus clerus beato Vincentio totam in integrum causam commisit ut ipse eam componeret : qui aliquot pro bono utriusque partis constitutionibus factis rem inter illos composuit & pacem, quæ fuerat violata, redintegravit.*

Constitutus in urbe Avenionensi Iacobus accepit à Papa titulum Presbyteri Cardinalis. Postea cùm Petrus de Sortenaco Cardinalis Episcopus Sabinensis abiisset in cælum anno MCCCXC. die XVI. Augusti, Clemens Papa hunc episcopatum dedit huic nostro Iacobo.

Postea, quo tempore incertum, rediit Valentiam. Illud certum est, fuisse eum in Ecclesia sua Valentinensi eo tempore quo Clemens VII. terras reliquit. Vide suprà pag. 563. 565.

Causa autem ob quam esse maluit eo tempore apud Valentiam quàm apud Avenionem fortasse fuit pestis quæ tum grassabatur apud Valentiam, qua sublata illic esse duodecim millia hominum tradit Surita lib. 10. annal. Arragon. cap. 55.

Non interfuit itaque electioni Benedicti XIII. ut etiam observavit idem Surita cap. 53.

Cùm verò nuspiam reperiam eum post hæc tempora fuisse extra diœcesim suam, facilè assentior Onuphrio Panuinio scribenti illum obiisse in Arragonia, hoc est, in ditione Regis Arragonum. Nam tum is qui Rex Arragonum erat, Valentiam quoque in potestate habebat. Obiit autem anno MCCCXCVI. die trigesima Maii, ut est in libro obligationum & apud Suritam cap. 61. qui addit illum fuisse sepultum in majore sacello Ecclesiæ Valentinæ.

KAROLUS R. NAV.] Multùm variant de morte ejus auctores, ut ex iis constat quæ referuntur à Spondano an. 1387. §. 1. sed tamen consentiunt illum præcipiti & horrendo mortis genere extinctum esse. Auctor vitæ Karoli VI. Regis Francorum in codice 606. bibliothecæ Colbertinæ sic eam describit : *Idem Rex confectus senio & peregrinis frigiditatibus detentus, medicorum consilio in fasciis lineis aqua vitæ madefactis per totum corpus consutis sæpius involvebatur. Hanc activitatem habet aqua illa, ut asserunt, quòd prope ignem posita subitò flammam emittit. Unde & cùm quadam nocte præfata involutione uteretur, & peracta, impellentibus fatis sutor familiaris ipsius incautè candelam accensam ad disrumpendum filum ultimum applicasset, ex insperato totum corpus flamma vorax circumdedit, & sic in continuis clamoribus expiravit.* Robertus Gaguinus ista suis verbis referens addit : *plerisque constanter affirmantibus divinam esse iram, quæ perfidum Regem dignâ suis sceleribus pœna cruciasset.* Odoricus Raynaldus promptus & facilis ad exardescendum adversùm Gallos, paratus ad excusandos eos qui Vrbani VI. partes fovebant, quantumvis mali ac facinorosi essent, post relata an. 1387. §. 10. verba Gaguini, mortis Karoli historiam ab eo relatam vocat in suspicionem falsitatis, innuens eam à Gallis schismaticis confictam fuisse quia Navarrus Vrbano adversùs Clementem adhæserat. Primùm admiror intemperantiam hominis, qui nullam occasionem prætermittit testandi odii sui adversùs gentem Gallicam. Deinde quæro ab eo ubinam invenerit hunc Karolum adhæsisse Vrbano. Neque enim citat auctorem. Immo ego compertum habeo illum esse mortuum indifferentem, ut tum loquebantur, id est, neque Vrbano addictum, neque Clementi. Narrat enim Ioannes Mariana lib. 18. cap. 11. rer. Hispan. Karolum ejus filium mox post ejus obitum in procerum conventu Clementem VII. pronuntiasse justum videri Pontificem. *quod catenus*, inquit, *Aragonia exemplo factum non erat, incertis suspensisque Principum & populi animis.* Filius autem destinata patris executus est, ut docet auctor vitæ Clementis. Constat ergo Raynaldum impetu potiùs quàm ratione scripsisse Karolum adhæsisse Vrbano adeoque stolidam esse criminationem ejus adversùm Gallos. Denique quid refert quonam modo historia mortis ejus referatur, an secundùm annales Francicos, vel secundùm Froissartum ? Nam constat illum horrendo mortis genere interiisse, ut dixi, neque supervacaneam esse observationem Gaguini. Certum quippe est hunc Karolum fuisse hominem pessimum & crudelissimum dignumque ultione divina, ob idque meritò à Raynaldo additum partibus Vrbani VI. viri crudelissimi & immanitate barbari. De morte porrò istius Regis extat in eodem codice Colbertino epistola Ioannis Episcopi Aquensis ad sororem ejus Blancham viduam Philippi VI. Regis Francorum.

P. 521. PER IDEM TEMPUS] Ea concertatio cœpit anno MCCCLXXXIV. quo quidam è sodalitio fratrum Prædicatorum palam & publicè asseruit beatam virginem Mariam fuisse conceptam in peccato originali, uti scriptum est in tomo 4. hist. Universitatis Parisf. pag. 599. Is fuit Ioannes de Montesono, vir, ut vitæ Karoli VI. auctor ait, *multis equidem laudum titulis extollendus, nisi devians à rationis tramite limpitudinem ingenii tanti viri superbia obscurasset. Sane in sua prima lectione magistrali preconceptum ab antiquo dirum virus efflans non sine dogmatis in Christianorum scandalum & præcipuè devotè famulantium matri Domini nostri Iesu Christi multas propositiones posuit ad istum finem tendentes, quod ipsa concepta fuit in originali peccato.*

FERE IN TOTO REGNO] De urbe Rothomagensi testatur vetus auctor chronici Normanniæ MS. in codice 1424. bibliothecæ Colbertinæ Hugonem Decanum Rothomagensem anno MCCCLXXXVIII. in quadragesima, cùm Rex Karolus VI. esset in ea urbe, ad eum adiisse comitatum magno numero Doctorum academiæ Parisiensis, qui tum quoque erant in eadem urbe Rothomagensi, & coram eo publicè prædicasse & ostendisse fratres Prædicatores errare contra fidem, neque id novum esse, sed jam seculo integro errorem eos suum docuisse, & nunc conari populum inducere in errorem contra fidem. Erant tum Rothomagi duo fratres principales inter eos; quorum unus vocabatur frater Richardus Maria, alter frater Radulphus Morellus. Hi ergo cùm nihil sævi suspicarentur commorum iri adversùm se, domi se continuere, quamvis exemplum habetent quorundam sociorum suorum, qui urbe excesserant. Finita oratione Decani, missi sunt qui eos comprehenderent & in custodiam traderent, & postea remissi in carcerem episcopalem. Die dein dominica mediæ quadragesimæ in Ecclesia cathedrali facto ex more sermone ad populum per quendam fratrem Augustinianum vocatum magistrum Ioannem Romanum publicè pronuntiati sunt excommunicati, eisque prohibitum est ne conciones uspiam haberent, neve irent ad processiones. Et exsibilabantur per totam urbem, & vocabantur Huetti. *Et les huet on*, inquit auctor, *aval la ville, & les appellet len Huès.* Tum diebus lunæ, Martis, Mercurii ante Rogationes, cùm secundùm veterem morem fierent Rothomagi processiones solemnes, quibus pares, inquit idem auctor, non fiebant in toto regno Franciæ, & unoquoque horum trium dierum soleret fieri sermo ad plebem, primò videlicet ad Ecclesiam sancti Eligii, secundò ad sancti Genisii, tertiò ad sanctæ Catheriæ, factum est propterea theatrum portatile instar cathedræ ad concionandum, idque delatum est tribus illis diebus ad loca ubi sermones erant habendi. Singulis ergo horum trium dierum idem Morellus & Maria ascendere jussi sunt illud theatrum tenentes in manibus suis rotulum sive schedam longitudinis duarum circiter ulnarum, in quo omnes eorum errores descripti erant; & illos legebant coram populo, & asserebant se falsò & perperam doctrinam in iis contentam docuisse & propterea plebem induxisse in errorem. Denique ut res notior esset, in synodo Pentecostes, ad quam omnes Presbyteri qui in diœcesi sunt Archiepiscopi Rothomagensis convenire solent ad audienda mandata Ecclesiæ, iidem fratres fuere positi in eodem theatro, ubi eundem rotulum legerunt coram omnibus Presbyteris qui tum aderant in synodo. Addit auctor fratres Prædicatores multis contumeliis vexatos fuisse apud Rothomagum, sed parum id videri præ iis quæ adversùs eos acta sunt Lutetiæ & in aliis urbibus. *Et se il ourent à Rouen beaucoup de villanie, encore en urent il plus dix fois à Paris & as autres bonnes villes.* Vide Walsinghamum ad an. 1389. & Ioannem Iuvenalem de Ursinis in historia Karoli VI. pag. 62. 66.

OPPROBRIUM HOMINUM] Ægidius Bellamera in cap. *Quoniam contra.* de probationibus: *Unde nota quòd quando aliqui particulares alicujus professionis eorum causantibus demeritis notantur in malum, taliter debet fieri quòd non notetur ipsa professio nec alii professores ipsius innocentes.* Et paulò pòst: *Et propter hoc conqueruntur fratres Prædicatores, quia dicunt propter fatuitatem magistri Ioannis de Montessono & quorundam aliorum fratrum sui ordinis alios fratres innocentes ac providos & discretos & ordinem nuper sine causa fuisse afflictos.*

OPINIONIB. M. SANCTOR.] Eorum dicta refert idem Ægidius in cap. *Conquestus.* de feriis, contestatus se illa non approbare nec etiam reprobare. Eadem omnino habentur in codice 735. bibliothecæ Colbertinæ inter opuscula Bernardi Guidonis. Anno demum MDCXLIX. frater Antonius Reginaldus ordinis Prædicatorum, vir vehementis ingenii, & in theologia sancti Thomæ Aquinatis multùm versatus, Tolosæ sub nomine fratris Petri de Vincentia edidit opusculum de veritate conceptionis beatæ virginis Mariæ, in quo referuntur multa patrum aliorumque veterum scriptorum testimonia quibus probetur eam conceptam fuisse in peccato originali. Opusculum hoc academia Tolosana decreto dato die nona mensis Augusti ejusdem anni improbavit & damnavit tanquam temerarium, scandalosum, & toti Ecclesiæ catholicæ maximè injuriosum, utpote decretis

decretis summorum Pontificum apertè & expressè oppositum. Beatam porrò virginem non fuisse conceptam in peccato originali luculenter probant ea quæ de beata Otinga sive Christiana leguntur in tomo primo Ianuarii Bollandiani pag. 652. 656.

IOH. DE MONTESONO] Antequam ultra progrediamur observandum est Henricum Spondanum an. 1387. §. 7. hanc historiam referre ex historia MS. rerum sub Carolo VI. gestarum, ex opusculis Petri de Alliaco, quæ nunc edita sunt in tomo quarto historiæ Universitatis Parisiensis, & ex hoc auctore vitæ Clementis, nihil verò attulisse de suo præter verba admodum modesta & simplicia. Et tamen frater Vincentius Maria Fontana in monumentis Dominicanis pag. 255. in eum insurgit tanquam adversùs hostem publicum ordinis sui, & contendit illum minùs bene fideliter eam retulisse, quia malam fratrum Prædicatorum illius ætatis fortunam ex fide veterum monumentorum indubitatæ fidei retulit ad concertationem de immaculata conceptione beatæ Mariæ virginis, non verò ad obsequium quod Prædicatores Parisienses præbebant Urbano VI. contra Clementem, cui Doctores Sorbonici adhærebant. At ego isthic requiro modestiam & judicium Fontanæ, modestiam quidem erga optimum Episcopum verbis simplicibus referentem ea quæ legerat apud antiquos scriptores; judicium in causa silentii Spondani, qui injustè accusatur quòd aliam causam odii Parisiensium adversùs fratres Prædicatores non retulerit, quam ignoravit. Immo ego contendo historiam illam, uti à Spondano relata est, esse verissimam, & quæ de Prædicatoribus Parisiensibus propterea damnatis referuntur quia sequebantur partes Urbani esse purum putum commentum. Quippe certum est Ioannem de Montesono, cùm ea tempestas adversùs ipsum ordinemque ejus excitata fuisset, appellasse Clementem & Avenionem profectum, illicque causam coram Clemente actitatam summis animis, tandemque confirmatam ab eo censuram Parisiensem, Ioannem jussum esse redire Parisios & se submittere correctioni academiæ, idque illum se facturum promisisse, sed nocte sequenti clam se subduxisse & in Arragoniam, unde oriundus erat, aufugisse, inde verò Romam ad Urbanum ut adversarium Clementis. Ista adeo certa sunt ut non indigeant probatione. Nos ea simpliciter referimus ad vindicandam memoriam Episcopi de re publica ecclesiastica & literaria optimè meriti adversùs falsam & injustam criminationem qua in eum usus est vir ordinis sui famæ magis addictus quàm veritati rerum gestarum. Addemus tamen adhuc testimonium ex chronico hactenus inedito Aymerici de Peyraco Abbatis Moyssiacensis tum viventis, qui rem quæ tum omnium sermone celebrabatur sic enarrat: *Eo tempore ordo Prædicatorum indignationem incurrit prædicti Regis pro opinione illa conceptionis virginis beatissimæ Dei genitricis Mariæ. Contra quem ordinem Universitas Parisiensis fuit concitata fovendo partem contrariam eorum opinantium eam fuisse conceptam in peccato originali. Ex quo aliqui de domo Parisiensium Prædicatorum fuerunt expulsi.* Ceterùm pro confirmatione censuræ academiæ Parisiensis adversùs propositiones erroneas ejusdem Ioannis de Montesono extat in calce magistri sententiarum tractatus ejusdem academiæ; ex quo constat magistrum generalem & procuratorem generalem & nonnullos fratres ordinis Prædicatorum à sententia Episcopi Parisiensis lata ad instantiam ejusdem academiæ, quam nos suo loco edituri sumus, appellasse ad sedem apostolicam. Sed hunc tractatum nullius momenti esse debere, nullam auctoritatem habere contendit R. P. Ioannes Casalas scribens adversùs Petrum à Valle-clausa pag. 49. propterea quòd nomen, dignitas, & meritum auctoris non adnotantur in titulo, & quia editus fuit anno MDX. *Basileæ jam à fide catholica secretò deviantis breviquæ publicè discessuræ.* Nesciebat bonus ille vir hunc tractatum antea editum fuisse Venetiis anno MCCCCLXXXIX. & præterea esse decretum academiæ Parisiensis, istiusmodi porrò tractatibus seu decretis non solere apponi nomen neque dignitatem auctoris.

MULTUM PROCESSUM] Ista satis liquent ex iis quæ hactenus dicta sunt, & ex epistola Wesseli Groningensis ad Iacobum Hoeck Decanum Naeldwyeensem cap. 9. ubi scribit Ioannem Gersonem interfuisse condemnationi Ioannis de Montesono & illam asseruisse justam esse & universum ordinem Prædicatorum ab Universitate Parisiensi quatuordecim annis abscissum fuisse eò quòd eorum Bacealaurei dictos errores nollent abjurare zelo quodam doctrinæ sancti Thomæ. Displicuisse tamen eidem Gersoni diuturnitatem hujus controversiæ ipse docet in declaratione compendiosa defectuum virorum ecclesiasticorum, ubi ait: *Et corrigere opinionum discordias, ut pote de conceptione virginis gloriosæ & similium.* Sententia porrò ab Episcopo Parisiensi lata adversùs Ioannem de Montesono extat in veteri codice MS. facultatis theologicæ Parisiensis. P. 522.

FIERET FESTUM] De origine festi hujus plura habet Baronius in Notis ad Martyrologium Romanum. Gregorius IX. in cap. *Conquestus.* de feriis enumerans dies festos quibus conquiescere debet judicialis strepitus, inter eos ponit festivitates omnes virginis gloriosæ, sed eas non exprimit. Ioannes Andreæ ait illas esse quatuor, nimirum annuntiatio-

SSſſ

nem in vere, assumptionem in æstate, nativitatem in autumno, purificationem in hyeme. *Festum autem passiva conceptionis istius virginis hic non includitur*, inquit, *licet in multis locis celebretur ex devotione non improbanda*. Citat autem Speculatorem, cujus hæc sunt verba ad hoc idem caput: *Non dico de festo conceptionis ejus, quia concepta fuit in peccato, licèt in multis locis celebretur, nec talem devotionem reprobo*. Addit Ionnes Andreæ: *Tu tamen dicas conceptionem illam, quæ fuit ex humano semine, non venerandam, & hoc tenendum quod fuit in originali concepta, ut not. de consecrat. dist. 3. cap. 1. sed post conceptionem immediatè sanctificata; & ob hoc colit Ecclesia nativitatis festum*. Glossa in cap. *Pronuntiandum*. dist. 3. de consecrat. ait nihil in eo dici de festo conceptionis beatæ Mariæ, *quia celebrandum non est; & hæc est ratio, quia in peccatis concepta fuit sicut & ceteri sancti, excepta unica persona Christi*. Extat in codice 3611. bibliothecæ Colbertinæ tractatus de peccato originali beatæ Mariæ virginis divisus in novem capita. Incipit autem sic: *Beatissima ac gloriosissima virginis Mariæ Domini & Salvatoris nostri genitricis cupientes nonnulli, bono quidem zelo, etsi non secundùm scientiam, laudes accumulare, asserunt ipsam absque peccato originali, quamvis de semine virili, fuisse conceptam. Quæ quidem assertio scripturis sanctis, sanctorum dictis, necnon & fidei rationibus quampluribus obviare videtur*. Contrà in codice 3971. ejusdem bibliothecæ reperitur sermo fratris Iohannis Vitalis de ordine Minorum de conceptione gloriosæ virginis genitricis Dei editus anno Domini millesimo CCCLXXXIX. in quo asserit illam fuisse conceptam absque peccato.

NON EST DE ARTIC.] Contrà Ioannes de Montesono dicebat expressè esse contra fidem si quis assereret beatam virginem Mariam non contraxisse peccatum originale. Et auctor tractatus paulò antè commemorati ait hanc assertionem obviare id est contrariam esse sacræ scripturæ.

P. 523. REX FR. V. AVINIONEM] Vide Radulphum de Rivo cap. 24. de gestis Episcopotum Leodiensium, & Froissartum vol. 4. cap. 4. & Ioannem Iuvenalem de Vrsinis in historia ejusdem Karoli. Bertrandus Boysletus civis Arelatensis tùm scribens ait illum ingressum esse Avenionem die XXV. Octobris & venisse ad peragendam coronationem Ludovici Regis Siciliæ, Missam celebratam fuisse à Papa Clemente, evangelium cantatum à Rege Karolo, adfuisse autem huic ceremoniæ Regem Armeniæ, Philippum Ducem Aurelianensem, & multos alios magnates.

CORONAVIT LVDOVICVM] Acta illius coronationis edita sunt in tomo primo miscellaneorum historicorum Philippi Labbei pag. 640. & in annotationibus ad historiam Karoli VI. pag. 566.

AD PARTES TOLOS.] Aymericus de Peyraco in chronico loquens de hoc Karoli VI. itinere: *Tolosam venit anno Domini* MCCCLXXXIX. *nos non fuerunt prædecessores sui à longo tempore antè. Vbi Gasto Comes Fuxensis venit ad eundem Regem reverentiam impensurus. Qui quidem Comes habuit bellum tempore Regis Karoli patris hujus Karoli cum Iohanne Comite Armaniaci, & ipsum cepit cum suis confœderatis prope Launacum diocesis Tolosanæ*. Et infrà: *Denique ad prædictum Regem venit Tolosam Iohannes Comes Armaniaci. Qui quidem Comes juvenis erat, in armis strenuus, & conceptu magnanimus, & in libris bellorum antiquorum intendebat*. Vide Froissartum vol. 4. cap. 5. 8.

STATIM AD IPSVM] Istud verum non est. Iam enim suprà pag. 1363. ostendimus concordiam inter Bonifacium IX. & Pileum constitutam fuisse anno tantùm millesimo CCCXCI. ineunte. P. 524.

MARTINVM DE SALVA] Illum Mariana lib. 18. cap. 14. rer. Hispan. ait fuisse primum Episcopotum Pampilonensium evectum ad dignitatem Cardinalis. quod verum non est. Quippe Petrus de Monteruco erat electus Pampilonensis eo tempore quo factus est Cardinalis, ob hoc vulgò dictus Cardinalis Pampilonensis. P. 525.

Martinum fuisse civem Pampilonensem certò constat ex ejus epitaphio. Quare erravit Theodericus à Niem lib. 1. de schismate cap. 4. scribens illum fuisse natione Catalanum. Erravit etiam Onuphrius Panuinius, qui illum patria Gallum fuisse tradidit.

Ex ejus epitaphio liquet eum dedisse operam studio juris canonici & Doctorem fuisse in ea facultate. Sanè Theodericus à Niem in loco suprà laudato illum vocat Doctorem egregium in jure canonico, & diù Avenione in eodem jure legisse ordinariè scribit. Ægidius Bellamera in Decretum Gratiani & in Decretales illum sæpe citat cum laude.

Referendarium Gregorii XI. fuisse docet ipse Gregorius in epistola scripta ad Episcopum Vrbinatensem anno MCCCLXXVIII. die XXI. Ianuatii. Istud ipsum patet etiam ex ejus epitaphio.

Anno MCCCLXXVII. die XVI. Decembris, ut Sandovallius tradit in catalogo Episcoporum Pampilonensium, factus est Episcopus Pampilonensis, à Gregorio nimirum. Vnde ipse Gregorius scribens in eadem epistola ad Episcopum Vrbinatensem eum vocat electum Pampilonensem, Episcopum verò Pampilonensem noviter promotum in ea quam die XVII. Februarii dedit ad Regem Francorum.

Ex quo colligi potest illum consecratum fuisse in curia Romana inter diem XXI. Ianuarii & XVII. Februarii.

Illo itaque tempore unà cum Ioanne de Grangia Cardinale Ambianensi & Archiepiscopo Narbonensi Ioanne Rogerii missus est Lucam à Gregorio XI. ut concordiam revocati procuraret inter eundem Pontificem & Florentinos ab eo dissociatos, ut docent epistolæ paulò antè laudatæ. Interim Gregorius sublatus est in cælum, cùm adhuc Episcopus Pampilonensis esset in illa legatione cum Episcopo Ambianensi. Testatur illud frater Petrus Cordubensis conventus sancti Bartholomæi de Lupiana interrogatus à legatis Regis Castellæ super casu primi electi. Ait enim fratrem Alphonsum eremitam olim Episcopum Giennensem sibi dixisse *quadam die qua ivit cum eo ad videndum Cardinalem Vivariensem per duos vel tres dies post electionem vel paucos plures, quòd dictus Cardinalis dixerat ei quòd homini viventi de his quos cognoscebat non potuerat dare vocem suam ut isti Archiepiscopo Barensi, qui jam erat Papa, vel Domino Martino Episcopo Pampilonensi, si ibi stetisset.* Istud ipsum aliis verbis testatur in sua depositione frater Petrus de Gualdafaiara.

Rediit Romam post electionem Urbani. Quo tempore memorabile dictum ab eo refert Theodericus à Niem in loco suprà laudato, nimirum cùm idem Urbanus omnes Episcopos qui tum erant Romæ culpasset absque ullo discrimine, vocans eos perjuros, quia Ecclesias suas desererent in curia residendo, istum, ceteris tacentibus, satis acerbè respondisse *quòd ipse non esset perjurus, quòdque dictam curiam non propter ejus privatam sed potiùs propter publicam utilitatem sequeretur, & paratus esset de illa recedere necnon ad ejus Ecclesiam accedere.*

Vir ita constitutus magno usui esse poterat Cardinalibus cogitantibus de constituendo legitimo Pontifice in Ecclesia Dei. Etenim ut illud obtinere possent faciliùs, indigebant viro forti, qui Urbano diceret electionem ejus, quia vi & impressione facta erat, nullam esse. Miserunt ergo eo tempore quo erant Anagniæ hunc Martinum Episcopum Pampilonensem ad Urbanum, qui tum Tibure erat. Istud legitur in depositione Ioannis Remigii de Guzman Archidiaconi del Alcor in Ecclesia Palentina: *Et Cardinales iverunt Fundis. Et antequam recederent de Anagnia miserunt Episcopum Pampilonensem primo electo Tiburim cum tractatibus; sed non audivi dici qui seu quales fuerint illi tractatus.* Quod iste nescivit, scivit Ioannes de Baro Subdiaconus papæ. Sic enim legitur in ejus depositione: *Item dixit quòd venit ad civitatem Tiburtinam Episcopus Pampilonensis ex parte Cardinalium, & dixit sibi quòd non erat Papa, ut audivit, sed quòd iret ad Cardinales, & ipsi bene se haberent erga eum, licèt non crederet quòd dimitterent eum Papam, sed bene fecissent Cardinalem.* Scivit etiam Pontius Beraldi corrector literarum apostolicarum, in cujus depositione ita scriptum est: *Item dixit quòd Episcopus Pampilonensis venit ad illum Barensem postquam Cardinales fuerunt in Anagnia & dixerat sibi ore rotundo & apertè quòd non erat Papa & quòd renuntiaret juri si quod habebat, & Cardinales essent curiales contra eum. Et cùm sederet ille Barensis ad mensam, dixit ibi publicè, assistente ibi Domino Thoma de sancto Severino & aliis, & iste erat præsens, si consulebant sibi illud quòd renuntiaret papatui, ridendo quod dicebat Episcopus Pampilonensis, scilicet quod renuntiaret papatui; & tunc dixit sibi quilibet quòd non consulebat.*

Martinum deinde discedentem idem Urbanus contra jus gentium capi fecit & detineri. Testatur istud idem Pontius his verbis: *Item quòd fuerat captus Episcopus Pampilonensis quando recessit ab illo & familia sua. Sed post ille mandavit quòd solveretur ille tantùm. Ad ultimum omnes fuerunt soluti.* Et infrà: *Item quando Episcopus Pampilonensis recessit ab eo in civitate Tiburtina fuit captus cum familia sua. Et postea fuit expeditus ipse de mandato Barensis, sed familia sua non statim. Sed post omnes fuerunt soluti & expediti.* Meminit hujus carceris auctor allegationum pro Clemente VII. factarum Avenione in codice 843. sancti Victoris Parisiensis; in quibus, uti suprà pag. 1007. dictum est, legitur Episcopos Sarlatensem & Pampilonensem multa damna & pericula & mortem servitorum pertulisse eundo apud Anagniam.

Tandem Martinus ad Ecclesiam suam Pampilonensem se contulit; ubi reperio illum celebrasse synodum anno MCCCLXXXVIII. ibique inter cetera statuisse ordinem servandum in festo & octava corporis Christi. Id testatum fecit Sandovallius in catalogo Episcoporum Pampilonensium.

Suprà pag. 1371. monuimus Karolum Regem Navarræ obiisse anno MCCCLXXXVI. seu potiùs LXXXVII. Kal. Ianuarii. Ei successit Karolus ejus filius, quem anno millesimo CCCXC. die dominica XIII. Februarii unxit & coronavit hic Martinus Episcopus, ut docent Sandovallius & Surita. Addit Odoricus Raynaldus an. 1390. §. 20. illum hoc anno nefaria Regum Galliæ, Castellæ, & Artagoniæ exempla secutum pronuntiasse impio edicto Robertum Gebennensem uti verum Pontificem colendum, hujusque flagitii auctorem fuisse Martinum Episcopum Pampilonensem, qui pro sceleris præmio pseudocardinalitia in-

SSSS ij

signia retulit. Homine imperito nunquam quicquam injustius. Non putat Odoricus Raynaldus potuisse Reges illos examinare cui ex duobus electis Pontificibus Romanis esset obediendum, idque soli Concilio œcumenico convenire ait. Et tamen idem vitio non vertit Vvenceslao Regi Romanorum, Eduardo Regi Anglorum, Ludovico Regi Hungariæ, Ludovico Comiti Flandriæ, & ceteris in partes Vrbani transgressis, illis inquam vitio non vertit quòd ad illum se transtulerint proprio judicio, absque auctoritate synodi œcumenicæ. Deinde vocat impium illud edictum quo Karolus Rex Navarræ declarat se agnoscere Clementem uti verum Pontificem. Impius ergo fuit beatus Petrus de Luxemburgo, impius sanctus Vincentius Ferrarius, impii Petrus Cardinalis Pampilonensis, Anglicus Albanensis, & plures alii magni Cardinales & Episcopi, qui Vrbanum & successorem ejus abjecerunt, Clementis & successoris ejus partes foverunt? An putas, Raynalde, ita dementes ac suæ famæ suæque animæ incuriosos fuisse tot Principes, magnates, Episcopos, viros doctos ut quem scirent non esse verum Pontificem, eum tamen colerent, in ejus obedientia morerentur? Fieri potest ut unus homo, veluti Cardinalis sancti Petri, cœca opinione putet se meliorem partem fovere. At fieri nullo modo potest ut magna pars orbis, eaque citra controversiam doctior, eam partem amplectatur & in ea fovenda per multum ævi permaneat quam putaret esse pejorem. Equidem nos existimamus plures in parte Vrbani fuisse qui eum ex animo crederent esse rite ac legitimè electum. quod etiam profectò de his quoque sentimus qui Clementi parebant. Observatum id pridem ab auctore epistolæ in causa istius schismatis scriptæ ad Iodocum Marchionem Brandeburgensem, quam reperimus in veteri codice MS. Carthusiæ majoris. *Nec credam insuper*, inquit, *tot prudentissimos viros propriæ salutis immemores in damnationem animarum suarum sponte ruere totque Principibus atque populis eis credentibus tam gravis erroris materiam exhibere.* Item Ludovicus Dux Andegavensis respondens oratoribus Regum Castellæ & Hungariæ missis in Galliam ut Regi Karolo VI. suaderent defectionem à Clemente & perfugium ad Vrbanum, cùm dixisset electionem Clementis communi consensu Prælatorum Galliæ fuisse approbatam, uti factam à Cardinalibus, quibus incumbebat veridico testimonio Christi vicarium longè latèque per orbem publicare, addit apud auctorem antiquum vitæ ejusdem Karoli: *Et cùm tantos per notam cujuscunque mendacii suæ salutis immemores existere sit absurdum, ipsis absque hæsitatione aliqua adhæremus.* Idipsum observavit etiam Carolus de Vr Cardinalis Diaconus sancti Georgii in tractatu edito adversùs Cardinales Concilii Pisani, in quo ait quamplurimos & valentes viros, magnæ reputationis & opinionis in vita, moribus, & scientia allegavisse pro utraque parte verbo & scriptis & diversos tractatus edidisse cum magna deliberatione & studio & perseverantia usque in finem. Nos neminem judicamus. Non sumus ita stulti ut controversiam judicare velimus quam tot Concilia reliquerunt intactam, quam ne ipsi quidem Romani Pontifices qui se Vrbani successores vocabant judicare voluerunt. Summa stultitia nunc censeretur esse apud nos, si illos notaremus impietatis qui in parte erant nobis adversa. Tum quidem se Pontifices mutuis edictis lacerabant, proscribebant; & qui eorum partes fovebant, adversarios suos vocabant ministros diaboli & antichristi. Sed id condonandum est studio partium. Cessavit jamdiu illa contentio animorum, Odoricus Raynaldus extinctus est, contumeliæ sine judicio deinceps non erunt.

Veniamus nunc ad alteram partem satyræ Raynaldi. Ait ergo Martinum Episcopum Pampilonensem fuisse auctorem impii illius edicti, eumque sceleris præmia retulisse insignia pseudocardinalitia. Sed ego à te quæro, Raynalde, an Martinus esset indignus tanta dignitate, quem constat virum fuisse doctissimum, tum peritia rerum agendarum clarissimum, tantæque existimationis ut etiam cogitatum de illo sit eùm successor Gregorio XI. quæreretur? Præterea testatur auctor vitæ Clementis illum voluisse antea ornare Martinum ea dignitate, vivente videlicet Karolo patre, sed illum noluisse tum assentiri. Ex quo facilè colligitur non propterea factum Cardinalem à Clemente quia filium ejus traxerat ad obedientiam Clementis, sed quia ingentes ejus virtutes id postulare videbantur. Neque clam aut occultè eam dignitatem ei obtulit Clemens dum Karolus pater in vita erat, uti imperitè & absque teste ait Auberyus, sed palam & publicè. Vulgares illi scriptores interdum multa in antiquis scriptoribus videre se putant quæ nullo modo apud eos vident.

Factus est igitur Cardinalis anno MCCCXC. die XXI. Iulii, ut docet hic auctor. Erat autem absens. Itaque pileus rubeus ad eum missus est, quem ipse accepit die XXI. Iulii, ut ait Sandovallius. Ex quo ego colligo illud idem erga illum factum esse quod suprà pag. 1296. monuimus factum fuisse erga Guterium Gomecii Episcopum Palentinum, nimirum illum ex speciali mandato Papæ cardinalitia dignitate ornatum esse à Petro de Luna Cardinale Legato in Hispania. Nam Petrum eo tempore fuisse Pampilonæ cum Rege tradit Surita.

Addit Sandovallius Martinum gratias acturum Pontifici se statim contulisse Aveionem. Quod verum esse non potest. Etenim in libro obligationum adnotatum est illum primò intrasse curiam anno tantùm MCCCXCIII. die tertia Iunii.

Factus Cardinalis retinuit episcopatum Pampiloneosem administratorio nomine, ut ait Sandovallius. Quod confirmatur ex regesto anni quarti Benedicti XIII. in quo ad diem secundam Iduum Decembris commemoratur Martinus sancti Laurentii in Lucina Presbyter Cardinalis administrator in spiritualibus & temporalibus Ecclesiæ Pampilonensis. Et tamen monachus sancti Dionysii & Ioannes Iuvenalis de Vrsinis in historia Karoli VI. Regis Francorum scribunt Episcopum Pampiloonensem ad eundem Karolum missum esse anno MCCCXCVII. à Karolo Rege Navarræ, Cardinalem eum haud dubiè vocaturi, si is qui eo tempore Pampilonensis Episcopus erat fuisset ornatus ea dignitate. Nam infrà, uti visuri sumus, mentionem faciunt Cardinalis Pampilonensis. Hinc ergo fortassis colligi posset Martinum per ea tempora renuntiasse administrationi illius Ecclesiæ, & Michaelem fratris filium in ea cathedra fuisse collocatum.

Anno MCCCXCV. quæsitus est Lutetiæ magna contentione modus quo finis imponi posset schismati, & post maturam deliberationem placuit universis viam cessionis utriusque contendentium de papatu esse meliorem. Tum propterea ivere Avenionem tres Duces Franciæ, penes quos summa imperii erat, Benedictum hortaturi uti eam amplecteretur. Sed ille difficultates inextricabiles opposuit. Deinqus Duces in suas ædes evocarunt Cardinales, eorum sententiam exploraturi. Illi verò responderunt putare se viam cessionis esse meliorem. Vnus Cardinalis Pampilonensis in diversa sententia fuit. Vide tomo sexto Spicil. Dacher. pag. 139. Extant in codice 818. bibliothecæ Colbertinæ allegationes istius Cardinalis, quibus probare & confirmare nititur opinionem à se in hoc conventu prolatam adversùs viam cessionis.

Anno MCCCXCVIII. Benedictus XIII. Martinum Pampilonensem & quendam alium Cardinalem mittere destinaverat ad Karolum Regem Francorum. Quod cùm ille intellexisset, Benedicto significari curavit ne mitteret. Itaque non ivit. Hanc rem ægrè tulisse Benedictum liquet ex epistola ad Karolum scripta, quam recitat continuator Nangii, edita est autem in tomo quarto historiæ Vniversitatis Paris. pag. 828. Adde auctoritatem secundæ responsionis ejusdem Vniversitatis ad epistolam studii Tolosani, quæ ex codice 843. sancti Victoris edita est in tomo quinto ejusdem historiæ, ubi pag. 45. ista leguntur: *Quòd si Domini Pampilonensis adventus ad Concilium Dominis gratus non fuerit, non mirandum; tum quia non de regno, & per consequens in regni Concilio non fuit ejus præsentia necessaria; tum quia partialis & sensui proprio innitens, quem multa litera fortassis insanire faciunt, spiritum rectum, in quem obstinatio peccatum est, à se creditur expulisse. Quare ipsius præsentia sanctum Concilium facile turbare valuisset.* Ex qua vera narratione colligitur vanitas eorum quæ Oldoinus tradit de carcere Gallico Martini.

Anno eodem, Kal. Septembris, publicata est apud Villamnovam contra Avenionem subtractio obedientiæ facta Benedicto à Rege & ejus consilio. Postera die, ut Surita ait, Cardinales Galli & ejus nationis comitatus Avenione decedunt. Benedicto parentes atque obedientes permansere Martinus Salva, Ferdinandus Peresius, Berengarius Anglesola, Gaufredus Boilius, & Bonifacius de Amanatis, omnes Hispani præter Bonifacium.

Interim Benedictus in palatio apostolico clausus erat, nec egredi poterat. Tandem tamen post quinquennium ferè integrum furtivè & in dissimulato habitu exivit anno millesimo CCCCIII. die duodecima mensis Martii, & paulò post eum Cardinales Pampilonensis & Turiasonensis, ut docet continuator Nangii. Surita tamen scribit Cardinalem Pampilonensem eo tempore Arelate commoratum quo secretis artibus agebatur de liberando Benedicto.

Eodem anno obiit idem Cardinalis die XXVII. Octobris apud Sellonem sive Salonem in Provincia, quò Benedictus pestilentiæ causa secesserat, & in cœnobio Bonipassus Carthusiensis ordinis sepelitur. Ita Surita. At Sandovallius post Garibayum lib. 17. hist. Hispan. cap. 43. ait illum esse mortuum die XXVIII. in die sanctorum Simonis & Iudæ, annum agentem ætatis sextum & sexagesimum. Cæsar Nostradamus in historia Provinciæ pag. 552. die XXVII. Octobris. Quam opinionem ego puto esse meliorem, tum quia ita scriptum est in ejus epitaphio, tum quia in libro obligationum notatur mortuus die XXII. errore, ut videtur, amanuensis, cui nota numeri quinarii haud dubiè excidit in scribendo. De ejus morte sic loquitur continuator Nangii: *Circa idem tempus Cardinalis Pampilonensis amicus intimus Papa & multi alii curiales, quibus plurimùm fidebat, & quorum consilio in cunctis arduis substractione durante utebatur, obierunt.* Ex his interim colligere licet falsò Ciaconium scripsisse hunc Cardinalem mortuum esse Avenione. Ceterùm verum esse non potest quod ait Garibayus, nimirum illum esse mortuum die Mercurii.

Nepotem habuit Michaelem fratris filium, & ipsum virum ea tempestate doctissimum, quem Benedictus fecit Cardinalem post mortem patrui. Mortuus est in arce Monœci anno MCCCCVI. die XXIV. Augusti, & humo conditus apud Niciam in Ecclesia fratrum Minorum, ut tradunt Garibayus lib. 41. cap. 45. Surita lib. 10. annal. Arragon. cap. 85. & lib. 3. Indicum, Sandovallius in catalogo Episcoporum Pampilonensium, & Mariana lib. 19. cap. 13. rer. Hispanicarum. At pro die XXIV. Augusti scriptum est in epitaphio illum obiisse die XVI. ejusdem mensis. quod etiam ex diario Benedicti XIII. tradit Contelorius. De loco item ubi sepultus est controversia quoque movetur. Etenim Cæsar Nostradamus in historia Provinciæ pag. 552. illum cum patruo sepultum esse apud Carthusianos Bonipassus sic testatur ut nullus dubitandi locus esse videatur; & præterea istud legitur in ejus epitaphio, quod editum est primò in appendice nomenclatoris Cardinalium. Fuisse eum Sacristam Ecclesiæ Regiensis patet ex nomenclatura ejusdem Ecclesiæ pag. 259.

p. 526. IOH. FLANDRINI] De patria & genere istius Cardinalis dictum est suprà pag. 1104. 1112. quum de Petro fratre ejus ageremus. Iste fuit primò Decanus Laudunensis, inde Episcopus Carpentoractensis anno millesimo CCCLXXI. cùm Ioannes Rogerii translatus fuisset ad Ecclesiam Auscitanam. Deinde cùm Philippus de Alenconio, qui Ioanni Rogerii successerat in ea Ecclesia, se addixisset Vrbano VI. contra Clementem septimum, iste commendam Ecclesiæ Auscitanæ ei datam revocavit, Archiepiscopum Auscitanum creavit hunc Ioannem Flandrini literis datis apud Spelongam XIII. Kal. Iulii anno primo. Interim Comes Armaniacensis, audito hunc archiepiscopatum vacasse per promotionem Philippi ad cardinalatum, seu per desertionem partium Clementis, die vigesima sequentis mensis Octobris scripsit ad Clementem, orans uti archiepiscopatum illum conferre vellet in Episcopum Lactoratensem. Ad quæ Clemens respondit die XVII. Novembris rem non esse integram, quippe diù ante acceptas ejus litteras præfecisse se huic Ecclesiæ Ioannem Flandrini, quem ei multùm commendat. Ex quibus constat errare Oldoinum in Athenæo Romano pag. 407. scribentem hunc Ioannem ad dignitatem Archiepiscopi Auscitani ascendisse Canonicorum suffragiis.

Anno MCCCXC. die XVII. mensis Octobris Clemens Papa eum fecit Presbyterum Cardinalem. Erat autem absens. Postea venit Avenionem, & intravit curiam anno sequenti die XVII. Iunii. Tum itaque datus ei est titulus sanctorum Ioannis & Pauli. Dictus vulgò Cardinalis Auxitanensis.

Anno MCCCXCIV. interfuit electioni Benedicti XIII.

Anno MCCCXCV. interrogatus à Ducibus Franciæ, qui tum Avenione erant, an approbaret viam cessionis contendentium de papatu, ut eo modo unitas revocari posset in Ecclesiam, dixit se adhærere opinioni Cardinalis Pampilonensis, *si per viam quam tenet ad unionem deveniri possit. Veruntamen bene dixit quòd si honor & libertas Ecclesiæ, Domini nostri Papæ Benedicti, & etiam domus Franciæ, & eorum qui crediderunt & foverunt nostram partem servaretur per viam cessionis, & intrusus primò cedere vellet, ipse Dominus Cardinalis tenet quòd Dominus noster Papa cedere teneretur; & hanc viam cessionis in hoc casu tanquam meliorem consulit.* Vide tomo sexto Spicilegii Dacheriani pag. 141. ubi legendum est *Cardinalis de Auxio* pro Cardinalis *de Astensi*, uti habet codex 696. bibliothecæ Colbertinæ, ex quo ista edita sunt.

Post reditum Ducum ad Regem, perlatum est ad eum esse in curia Romana quosdam qui conarentur Cardinales ab ea opinione dimovere. Quæ res maximè commovit ejus animum. Itaque ad eos confirmandos scripsit literas graves, simul expostulans de eorum iniquitate qui concordiam impedire velle videbantur. Rescripsit ad Regem Cardinalis Auxitanensis die octava Octobris se in ea sententia persistere quam prompserat coram Ducibus apud Villamnovam, seque in ea velle persistere usque ad mortem, neque ullum esse eorum qui paci invident adeo potentem ut ipsum possit in aliam trahere. Extat ea epistola in veteri codice MS. archivi regii Parisiensis.

PETRVM GERAVDI] sive Gitardi, ut suprà pag. 515. legitur. Alii addunt illum vocatum fuisse Petrum Gerardi de Podio, & patria Lemovicem fuisse. Quod utrumque falsum est. Iste error ortus est ex incogitantia scribentium, qui eum vocaverunt Petrum Gerardi de Podio, quia erat Episcopus Podiensis antè quàm fieret Cardinalis, eodem modo quo continuator Nangii pag. 141. in tomo sexto Spicilegii Dacheriani eum vocavit Cardinalem de Puteo, *du Puy*, qui Cardinalis Aniciensis vocatur in codice archivi regii Parisiensis. Erravere etiam profectò qui ex similitudine nominis collegerunt Hugonem Gerardi Episcopum Cadurcensem fuisse ex gente istius Petri Gerardi.

Certum est Petrum Girardi natum esse in ea parte pagi Lugdunensis quæ hodie dicitur Foresium, vulgò *Forez*. Et quia constat illum natum in quodam pagi illius loco qui nomen habet à sancto Symphoriano, plerique

omnes scribunt ejus ortum debeti ei loco inter Lugdunum & Viennam qui vulgò hodie vocatur *Saint Saforin d'Ozon*, non animadvertentes hunc locum esse ultra Rhodanum, adeoque pertinere non posse ad pagum Forefianum. Ipse se testatur natales suos debere loco sancti Symphoriani Castri, *Saint Saphorin le Chastel*, in limite Forensi, æquali ferè intervallo inter Lugdunum & Moutem-Brisonem.

Ex testamento Aymari de Pictavia Comitis Valentinensis & Diensis apparet illum fuisse Licentiatum in legibus & Archidiaconum Bituricensem anno MCCCLXXIII. die nona Februarii. Ex quo patet vehementer lapsum esse Frizonium scribentem pag. 457. cum tum Episcopum Lodovensem interfuisse Concilio Vaurensi anno MCCCLXVIII. cùm prætere a constet tum Lodovæ sedisse Aymericum Hugonis, qui abfuit ab eo conventu.

Anno MCCCLXXVII. erat Clericus cameræ apostolicæ, ut docent variæ epistolæ Gregorii XI. ex quibus colligitur illum ab eodem Gregorio missum esse in Galliam ad Guillelmum Vicecomitem Turennensem pro quibusdam negotiis secretis & arduis. Earum epistolarum duas edidit Iustellus inter probationes historiæ Turenn. pag. 101.

Ioannes Plantavitius Pauseus in chronologia præsulum Lodovensium ait illum ex Canonico Æduensi factum esse Episcopum Lodovensem anno MCCCLXXX. Sanè ut certum est illum tenuisse eam cathedram, ita certum est illum nondum fuisse Episcopum anno MCCCLXXXII. die decima Februarii, cùm in diario Episcopi Carnotensis vocetur simpliciter magister Petrus Girardi, uti eum idem Episcopus vocare antea solebat.

Ex ejus codicillo certò constat illum fuisse Episcopum & pastorem Ecclesiæ Avenionensis. Sanè in vulgatis catalogis Episcopotum illius Ecclesiæ reperitur quidam Episcopus ejusdem nominis anno MCCCLXVIII. & quidem, ut nonnulli putant, Vrbani V. nepos. At istum ab hoc nostro valde diversum esse dubitari non potest. Ego verò puto istum ad eam cathedram pervenisse circa annum MCCCLXXXVI. cùm Fayditus de Agrifolio reliquisset ejus administrationem.

Factus est Episcopus Aniciensis anno, ut Odo Gisseyus ait, MCCCLXXXIV. die XV. Iulii, ejus Ecclesiæ possessionem adeptus per procuratorem die XXV. ejusdem mensis. Personalem postea accepit anno millesimo CCCLXXXVIII. in crastino festi sancti Matthæi. Sanè cum fuisse Avenione anno MCCCLXXXVII. die decima Octobris, qua die Ioannes Fabri Episcopus Carnotensis cum eo pransus est, constat ex diario ejusdem Episcopi Carnotensis.

Anno MCCCLXXXVI. Clemens Papa VII. eum misit Papiam, ut opinor, cum duobus capellis rubeis tradendis Pileo de Prata & Galeoto de Petramala. *Vita Clementis VII. pag. 515.*

Anno MCCCXC. die XVII. Octobris idem Clemens eum absentem creavit Presbyterum Cardinalem. Postea intravit curiam die XXI. Decembris. Quo tempore ei datus est titulus sancti Petri ad vincula.

Anno MCCCXCIV. interfuit electioni Benedicti XIII.

Anno MCCCXCV. in conventu Cardinalium coacto apud Villamnovam in ædibus Ducis Bituricensis, in quo agebatur de examinanda via cessionis inventa in consilio Regis Francorum, an ea expediens esset pro sopiendo schismate, Cardinalis de Puteo sive Aniciensis illam approbavit, & testatus est Papam Clementem pluries promisisse se renuntiaturum papatui ut Ecclesia uniretur. Vide tomo sexto Spicilegii Dacheriani pag. 141.

Anno MCCCCVII. invisit patriam suam, id est, locum sancti Symphoriani Castri, ut ipse docet in suo testamento pag. 551.

Vitam cum morte commutavit apud Avenionem anno MCCCCXV. die nona Septembris, hora prima vel circa, ut adnotatum reliquit contubernalis ejus Petrus Charpini Licentiatus in decretis & literarum pœnitentiariæ Domini Papæ scriptor, quem ipse nominavit inter executores sui testamenti. In initiis studiorum meorum, cùm in has quas nunc tracto antiquitates inquirerem, R. P. Vicarius Carthusianorum Tolosæ, cujus nomen mihi excidit, sed qui vir erat optimus & eruditus, ostendit mihi veterem codicem in quo continebantur acta capitulorum generalium illius ordinis, in quo scriptum erat capitulum generale celebratum anno MCCCCXV. ita statuisse: *Pro Reverendissimo in Christo Patre ac Domino Domino Cardinale Aniciensi dicant omnes celebrantes unam Missam de spiritu sancto, non celebrantes septem psalmos pœnitentiales cum letania, laici verò triginta vicibus Pater noster & totidem Ave Maria.* Iidem in capitulo generali anni MCCCCXVI. sanciverunt uti pro Cardinale Aniciensi defuncto fieret unum tricenarium per totum ordinem. Ex quo patet verum non esse id quod ait Contelorius, illum vixisse adhuc anno millesimo CCCCXVII. die XVI. Aprilis. Et quia ipse jusserat in eodem testamento & in codicillis corpus suum transferri ad Ecclesiam sancti Symphoriani, illic humandum in sepulchro quod ipse sibi vivens posuerat, idem Petrus Charpini primò die septima mensis Octobris fecit visitari idem corpus, si esset diminutum, & fuit visitatum, ut ipsa ejus verba ponamus, per Iacominum de Suos apothecarium Ave-

nionensem, & inventum est integrum; deinde illud curru quadrigarum vehi curavit usque prope locum de Colmberiis in diœcesi Viennensi, inde Grigniacum, & hinc ad locum sancti Symphoriani Castri; ubi remansit insepultum usque ad diem Lunæ XIX. Ianuarii anni MCCCCXVI. qua repositum fuit in sepultura sua, ut scribit idem executor.

Fundavit ille in Ecclesia sancti Symphoriani unam Missam singulis diebus celebrandam perpetuis temporibus ad honorem beatæ Mariæ virginis in sacello ejus ibidem constructo. Eis verò qui sacellum illud devotè visitaverint in certis anni festivitatibus Benedictus Papa XIII. tres annos & tres quadragenas, illis verò qui singulis aliis quibuscunque diebus in eadem Missa interfuerint centum dies de injunctis sibi pœnitentiis misericorditer relaxavit. Petrus porrò Cardinalis eodem tempore Ecclesiæ sancti Symphoriani dedit crucem argenteam in qua inclusa erat parva crux aurea continens fragmentum crucis in qua Dominus noster Iesus Christus pependit sibi datum à Papa Clemente. Extant harum omnium rerum testes literæ eorundem Benedicti Papæ & Petri Cardinalis.

OBIIT IOH. R. CAST.] qui (ut apud Odoricum Raynaldum an. 1398 §. 30. ait Bonifacius IX.) *periit in æternum, impœnitens, divino percussus judicio.* Hanc funestam ejus mortem Odoricus Raynaldus an. 1390. §. 20. à pluribus divinæ justitiæ adscriptam esse ait, *cùm maximo scelere in ferenda, quò Gallis ac pseudopontifici morem gereret, adversùs Vrbanum sententia augendoque schismate se obstrinxisset.* Ain tu? Atqui hoc falsum est. Constat enim ex iis quæ suprà dicta sunt pag. 1292. hanc sententiam non fuisse latam præcipitanter, sed parte utraque audita, & servato judiciorum ordine; & ex iis quæ pag. 1274. observata sunt satis colligere licet nihil in hac causa dedisse hunc Regem Ioannem amicitiæ conjunctionisque necessitudini qua junctus erat cum Karolo Rege Francorum. Denique si verum est hunc Regem divino judicio miserabiliter interiisse, cui judicio adscribes, Odorice, pessimam mortem Karoli Duracii, qui violato jure gentium, violatis naturæ legibus, immemor summorum beneficiorum à Ioanna Regina Siciliæ acceptorum, eam de solio deturbavit & crudelissima morte peremit? Nam is fuit semper inimicus Papæ Clementis, adversùs quem conjuratis animis multa ille & Vrbanus egerunt. Scio Gobelinum Personam, cujus tu testimonium advocas, calamitatem Karoli Duracii imputare contumeliis quibus Vrbanum prosecutus est postea quàm ab eo fuit dissociatus. Verùm auctor vitæ Clementis pag. 513. & sanctus Antoninus par. 3. tit. 22. cap. 2. §. 15. hanc divinam vindictam ei illatam scribunt ob sævitiam & crudelitatem ab eo adhibitas in Ioannam Reginam Siciliæ, à qua materno studio educatus provectusque fuerat, uti tu ipse interpretaris Antoninum. Ego verò non dubito quin aliqui tui similes, sed tamen in diversa parte stantes, mortem ejus calamitosissimam imputaverint præterea iniquo judicio ejus, qui Clementem verum Papam deseruerit ut ei adhæreret quem ipsi putabant esse Antipapam. Immo in hoc loco requiro fidem tuam. Nam cùm referres verba sancti Antonini scribentis illum caruisse ecclesiastica sepultura, ea truncasti, ut ostenderes illud extremum infortunium ei evenisse quia persecutus fuerat Vrbanum. Et tamen Antoninus disertis verbis tradit illum sepultura ecclesiastica caruisse justo Dei judicio, quia matrem propriam, id est, Ioannam, (uti tu ipse explicas anno 1386. §. 1.) interire fecerat & Ecclesiam persecutus fuerat. Sed hæc sufficiant de morte Karoli. Mortem verò Francisci Pregnani nepotis Vrbani VI. cui judicio tribues? Periit enim ille miserrimè cum tota familia sua, ut lib. 2. de schismate cap. 31. testatur Theodericus à Niem, qui addit in eo finitam esse omnem posteritatem Vrbani, *marinis fluctibus divino judicio vindictam repetente.* Annon verisimile videtur eos qui partes Clementis sequebantur existimasse ideo eam gentem funditus interiisse manifesto Dei judicio quia Vrbanus iniquè & contra regulas ecclesiasticas invaserat in summum pontificatum & iniquissimo odio persecutus erat Clementem & Ecclesiam Dei? Sed tandem ista finamus, quæ ea tantùm mente disseruimus ut ostenderemus quò se interdum demittant ingenia humana. Hi enim eventus neque bonam neque malam causam faciunt. Multam tamen auctoritatem habent apud imbecillas mentes. Imbecillus enim animus, ut Cicero ait, facilè superstitiosa ista concipit.

GVILLELM. DE VERGEYO] Factus est Cardinalis absens anno MCCCXCI. die XVII. Aprilis. Postea intravit curiam anno MCCCXCIII. die decima Aprilis. Et tum habuit titulum sanctæ Cæciliæ. P. 1274

Anno MCCCXCIV. interfuit electioni Benedicti XIII.

Anno MCCCXCV. mense Iunio accessit apud Villamnovam cum reliquis Cardinalibus; ibique in ædibus Ducis Bituricensis congregati, rogati sententiam suam promere circa viam cessionis quam Rex Franciæ ejusque consiliarii putabant esse meliorem ut finis imponi posset schismati, *Dominus Cardinalis de Vergeyo*, ut est in veteri codice archivi regii Parisiensis, *dixit quòd attentis in materia præsenti considerandis via cessionis est justa, sancta, & rationabilis, & quòd ea Domino nostro Papa tanquam melior consuli debet.* Vide tomo

romo sexto Spicilegii Dacheriani pag. 145. ubi agitur de Cardinale de Vergiaco. Nam in articulo sequenti, in quo agi sursum videtur de isto Cardinale, legendum est *Vergn* pro *Vergy*, uti supra pag. 1121. monuimus.

OBIIT GASTO] Mortem ejus & quæ tum contigere accuratè & diligenter describit Froissartus vol 4. cap. 27. & seqq.

P. 528. SIBI MAGIS PROPINQVI] præcipuè verò Iubanus sive Yvanus, quem alii Ioannem vocant, filius ejus notbus, ut narrat idem Froissartus cap. 28.

PAVCIS CONCOMITANTIB.] Istud verum non esse patet ex Froissarto cap. 29.

NVLLOS LIBEROS LEGIT.] Filium enim suum Gastonem vita privaverat, quia is circumventus à Rege Navarræ toxicum miscere volebat cibis patris, ut tradunt Froissartus vol. 3. cap. 8. & Ioannes Iuvenalis des Vrsinis in historia Karoli VI. pag. 78. edit. regiæ. Aymericus de Peyraco, qui hunc Gastonis filium vocat Philippum, ait illum propria manu patris interemptum fuisse. quod etiam confirmat narratio Froissarti. Nothos ab eo procreatos Oihenartus in Notitia Vasconiæ pag. 553. quatuor nominat, Bernardum videlicet Ducem Medinæ Zelim, Ioannem, Perenaudetum, & Gratianum. At Froissartus vol. 4. cap. 8. 27. 28. 29. 32. 51. duos tantùm constanter nominat Yvanum & Gratianum. quod etiam confirmatur auctoritate Ægidii de Bellamera. Ex his Yvanum pater multùm diligebat. Erat enim juvenis præstanti forma, decorus aspectu, tum fortis & strenuus, ut testantur idem Froissartus cap. 51. & Iuvenalis de Vrsinis in loco suprà laudato. Illum Karolus VI. apud se habuit inter præcipuos aulæ regiæ juvenes, ut ibidem tradit Froissartus. Quo fit ut de illo existimem intelligendum esse id quod ait Aymericus de Peyraco in suo chronico, nimirum Gastonem habuisse filium spurium, *qui à casu post mortem suam*, id est, Gastonis, *Parisius fuit combustus*. Sed conjecturis tamen opus non est in re certa. Yvanum enim fortuito incendio periisse anno MCCCXCII. testatur idem Froissartus cap. 52.

VICECOMES CASTRIBONI] Vide Froissartum vol. 4. cap. 30. 51. Ægidius Bellamera in cap. *Petitio vestra*. de jurejur. ait sibi propositam fuisse quæstionem post mortem Gastonis Comitis Fuxensis, qui obierat dimisso magno thesauro in castro suo de Ortesin, quem duo filii ejus spurii cum quibusdam prælatis & nobilibus aliisque diviserunt, certasque terras dicti quondam Comitis prædictis spuriis assignarunt, & supra corpus Christi juraverunt se Vicecomitem Castriboni non aliter permissuros adire hereditatem Gastonis quàm si juraret se prædicta omnia servaturum. Necessitate ergo coactus Vicecomes juravit quæ illi voluere. Postea videns se esse in possessione pacifica terrarum petiit omnia juramenta prædicta per Clementem VII. relaxari.

DISPERSÆ FVERVNT] Aymericus de Peyraco : *Cujus pecunia fuit dispersa & multum distributa à quibus habuerat & extorserat dictarum pecuniarum summas.* P. 529.

PETRVM FERNANDI] Mariana lib. 18. cap. 12. 18. eum vocat Petrum Aialam. Non interfuisse electioni Benedicti XIII. patet ex narratione gestorum post obitum Clementis VII. pag. 563. P. 532.

RAIMVNDVM DE TVRENNA] filium Guillelmi Comitis Bellifortis & Alienordis de Convenis. Fuit ille vir bellicosus, adeoque multùm inclaruit occasione bellorum quæ gessit adversùs duos postremos Pontifices Romanos qui Avenione sederunt. Variæ horum bellorum causæ afferuntur, quæ in unum tamen incidere videntur. Ioannes Iuvenalis de Vrsinis in historia Karoli VI. pag. 106. ait illa orta esse ex eo quòd Raymundus à Papa poscebat sibi reddi bona mobilia & successionem Gregorii XI. patrui sui, Froissartus vol. 4. cap. 25. quòd Clemens & Cardinales vi detinerent ea dona quæ eidem Raymundo dederat Gregorius, & ab eo rogati ut sibi ea restituerent, denegabant. Præterea Benedictus XIII. in bulla edita inter probationes historiæ Turenensis pag. 136. testatur hunc Raymundum bello appetiisse Clementem VII. super pluribus & magnis summis auri quas dictus Raymundus petebat à Camerario & camera apostolica pro certis summis auri & argenti quas quondam Guillelmus Comes Bellifortis pater dicti Raymundi præstiterat cameræ apostolicæ tempore Gregorii XI. & pro pluribus & magnis summis auri & argenti quas petebat à camera apostolica pro certis servitiis quæ ipse Raymundus cum magna quantitate gentium armorum fecerat sanctæ matri Ecclesiæ tempore ejusdem Gregorii, necnon pro pluribus servitiis eidem Gregorio factis per eundem Raymundum, de quo debebantur eidem magnæ summæ auri & argenti. Porrò Froissartus in hoc loco insignem valdeque festivum Raymundi jocum refert circa modum quo Clemens & Cardinales utebantur ad legendos milites adversùs eundem Raymundum. Referam autem ipsa ejus verba. Cùm ergo dixisset se intra mensem Maium finem impositurum huic bello & statim transmissurum in Italiam exercitum, addit adversùs Papam & Cardinales : *Ils me cuident lasser pour me faire excommunier, mais non feront. Ils prient Chevaliers & Escuyers, & les absoulent de peine & de coulpe pour me*

faire guerroyer; mais ils n'en ont nul talent. J'auroye beaucoup plus de gens d'armes pour mille florins qu'ils n'auroyent pour toutes absolutions qu'ils pourroyent faire ne donner en sept ans. Rectè Corpora enim militaria (ut idem Froissartus ait vol. 2. cap. 131.) non aluntur indulgentiis ac remissionibus, neque ea magni facere solent, nisi in articulo mortis. *Car les gens d'armes ne vivent pas de pardons, n'ils n'en font point trop grand compte, fors au destroit de la mort.*

Corruptum est ejus nomen in tomo sexto Spicilegii Dacheriani pag. 61. & in tomo quarto historiæ Universitatis Paris. pag. 710. ubi malè editum est *Raymundo de Turonia* pro *Turenna*.

De Raymundo, quoniam occasio tulit, nonnulla dicenda sunt quæ alibi non leguntur quàm in diario Ioannis Fabri Episcopi Carnotensis, ideoque commemoranda. Cùm itaque bellum esset inter eum & Papam Clementem, Episcopus Aptensis & urbis Tarasconensis ad Raymundum scripsere de quibusdam negotiis quæ tangebant Mariam Reginam Siciliæ, quæ tum erat apud Villamnovam contra Avenionem, & propterea necesse erat illum ad eam venire. Regina ergo ad eum misit die nona Maii anni MCCCLXXXV. ut ad se veniret. Papa verò ei potestatem fecit manendi securè & liberè per quindecim dies in civitate Avenionensi. Venit ergo ad Reginam in die ascensionis Domini XI. Maii. Tum nuntius Episcopi Aptensis & urbis Tarasconensis ei dedit literas ad eum scriptas, quarum testimonio verbis ejus fides & auctoritas tribuebatur. Sed cùm ille nihil dixisset conveniens regiis negotiis, remissus est absque certo responso. Tantùm datæ literæ Raymundi responsoriæ ad Episcopum & cives Tarasconenses, quas jussu Reginæ dictavit Episcopus Carnotensis.

Ardebat ea tempestate Provincia bello civili, discordia, factionibus. Plerique enim fovebant Ludovicum II. Regem Siciliæ ad quem ex dono Ioannæ Reginæ facto patri ejus pertinebat comitatus Provinciæ. Alii adhærebant partibus Karoli de Duracio, qui se Regem Siciliæ ferebat & heredem Ioannæ.

Inter hæc Maria Regina Ludovici mater & tutrix nitebatur amore potiùs quàm vi ea loca occupare. Habebat Raymundus varias ditiones variasque possessiones in eadem regione. Cùm ergo is tum esset apud Reginam, eaque die XVII. ejusdem mensis Maii ab illo peteret homagium quod Comiti Provinciæ debebatur ratione earundem ditionum & possessionum, ille respondit neminem adhuc illud præstitisse & nolle se facere exemplum. Postea tamen præstitit homagium die XVII. Iunii, præsentibus Comite Camerario, Raymundo Bernardi Flamench, Comite Bellifortis, & aliis. Ne autem citiùs præstaret obstitit morbus quo eum detentum fuisse constat circa diem XV. Iunii. Die dein trigesima ejusdem mensis Regina dedit ei literas confirmationis omnium donationum ei factarum à Regibus Siciliæ.

Bellum quoque administrasse Raymundum cum Arelatensibus eodem anno millesimo CCCLXXXV. & plures eorum abduxisse captivos patet. Unde cùm illos belli tæderet, pacemque vellent, conventum est ut controversias suas ponerent in arbitrio consiliariorum Reginæ. Delegati utriusque partis apud eam convenere die XVIII. Decembris, nullo effectu secuto, nisi quòd arbitri statuerunt ut interim dum concordia tractabatur supersederetur omni hostilitate. Die dein XXI. Episcopus Carnotensis & Georgius de Marlio magister hospitii Domini Papæ pacem inter Raymundum & Arelatenses statuerunt his conditionibus, ut Arelatenses Raymundo solverent trecentos florenos, ille verò eis redderet cives eorum captos in bello, qui tum detinebantur in loco sancti Remigii. Mediam partem pecuniæ statim solvi constitutum est. Aliam Georgius promisit solutum iri intra diem decimum sequentis mensis Ianuarii. Interim Episcopus Carnotensis ad eundem Raymundum scripsit die XXVII. Decembris uti liberos abire juberet tres cives Arelatenses qui capti detinebantur apud Alamanonem & Aureliam. Ad quæ die XXIX. rescripsit Raymundus eos se inscio & invito detineri, neque se id probare; eademque die scriptis ad Reginam literis reverentiæ plenis se suaque ei filioque ejus obtulit.

Anno MCCCLXXXVI. die XV. Ianuarii sigillatæ sunt ab Episcopo Carnotensi literæ quibus Regina Raymundo ac patri matrique ejus confirmat omnes ditiones quas habebant in Provincia, ac præterea pollicetur se ex æquo & jure judicaturam litem quæ erat inter eundem Raymundum & avunculum ejus Vicecomitem Valernæ matremque ejus. Præterea sigillatæ sunt aliæ literæ quibus Regina mandavit Arelatensibus uti eidem Raymundo justitiam exhiberi faciant de iis qui abstulerunt gemmas, monilia, vasa, & alia ejusmodi pretiosa pertinentia ad Ioannam de Belloforti sororem Raymundi, quæ pervasa fuerunt eo tempore quo castrum de Baucio captum fuerat. Denique aliis literis tum quoque sigillatis Regina promisit Raymundo se ei daturum ante diem XXIV. Iunii in vicecomitatu Lemovicensi tria castra, *Ayen, Chastel nonvel, & Chasteau Chervi*, vel si ea intra tempus illud non daret, daturam mille libras annui reditus in comitatibus Provinciæ & Forcalquerii; & ad ea adimplenda se bonaque sua suorumque liberorum obligat. Tum die

xix. missi ad eum apud locum de Baucio qui ab eo acciperent sacramentum fidelitatis, simulque cum illo convenirent de summa pecuniæ quam eidem solvere teneretur Regina, si fortè ditiones & possessiones illi tribuere non posset ad constituendas mille libras annui reditus. Rediere illi ad Reginam die xxii. referentes Raymundum præstitisse illud sacramentum.

Sequenti mense Augusto rursum bellum adversùs Papam, & milites Raymundi cuncta populabantur usque ad portas urbis Avenionensis. Die dein tertia Septembris prælio conserto bellatores Papæ fusi, profligati, cæsique sunt ad locum vocatum *Eragues*, dux eorum fugatus, & viginti milites capti à ductoribus cohortium Raymundi. Die secunda Octobris Clemens Papa adversùs eum misit Odonem de Villaribus, Dominum de Courgenon, & plures alios, & inter illos eum quem suprà nominavi Georgium de Marlio. Quid ab illis actum sit invenire non potui.

Anno MCCCLXXXVII. die XXVI. Iulii idem Raymundus, quem invenio fuisse antea censitum inter consiliarios ejusdem Reginæ, præsens fuit apud Villamnovam quando Comes Ariani Reginæ ac Regi ejus filio fecit homagium juxta formam usurpari solitam in regno Siciliæ. Aderant etiam testes Comes Cameratius, Dominus de Volta, & alii.

Die octava Iulii Regina eidem Raymundo restituit duo castra Pertusii, quæ ab eo habebat.

Anno MCCCLXXXVIII. die XVIII. Ianuarii Senescallus Provinciæ, id est, Georgius de Marlio, & Archiepiscopus Rothomagensis, id est, Guillelmus de Lestrangiis, qui profecti erant ad colloquium Raymundi Turennensis apud oppidum sancti Remigii, redierunt Avenionem. Horum virorum nomina addidi, quamvis non extent in diario Episcopi Carnotensis, quia constat Guillelmum de Lestrangiis fuisse ea tempestate Archiepiscopum Rothomagensem, Georgium verò idem Episcopus adnotat factum fuisse Seneschallum Provinciæ die decima præteriti mensis Octobris. *Ce jour Madame en la chambre du Pape nommée la chambre du cerf me commanda, present le Pape & le Chamberlan, que je feisse faire letres à Messire George pour l'office de Seneschal de Provence, lequel à la requeste du Pape li a ottroié.*

Ejus uxor Maria de Bolonia, femina alti animi, in partes Aquensium transgressa adversùs Reginam anno millesimo trecentesimo LXXXV. die XXVI. Decembris constituerat ad eos mittere annonam & cetera quæ ad vitam pertinent, quò videlicet se faciliùs tueri possent adversùs vim externam, id est, exercitum Reginæ Mariæ. Anno millesimo CCCLXXXVII. die septima Septembris stipendiarii ejus vi detinuerunt legatos Tarasconensium euntes Aquas-Sextias ad Reginam ei dicturos oppidum Tarasconem in obsequio mansurum, eosque Merargas duxerunt ad eandem Vicecomitissam. Displicuit Duci Borbonensi, qui paulò pòst de Hispania redux ivit Avenionem, illam esse inimicam Reginæ. Itaque ad eam scripsit die XVIII. sequentis mensis Octobris uti in gratiam cum Regina rediret. Ad quem Vicecomitissa rescripsit facturam se quæ vellet, sed tamen optare se ut is antea sciret causas discordiæ. Nescio an redintegrata fuerit concordia inter eam & Reginam. Sed probabile est rem ita successisse. Etenim die ultima ejusdem mensis Octobris Regina ad eam Merargas misit Dominum de Saltu, qui eadem die reversus est.

CASTRUM DE BAUCIO] vulgò *de Baux*. Pertinebat illud ad neptem Raymundi Heliadem de Baucio filiam Raymundi de Baucio Comitis Avelini & Ioannæ de Belloforti. Sanè certum erat illud vi occupatum esse à Raymundo, recuperatum nimirum pro Heliade adversùs Antonium & Franciscum de Baucio patruos ejus, qui dictum castrum & plures alias terras ad dictam filiam pertinentes & spectantes detinebant eidem filiæ, ut legitur in bulla Benedicti XIII. suprà laudata. Non tenebat ergo illud tyrannicè, sed jure optimo. P. 535.

GRADU SECUNDO AFFINITATIS] Non dixit *consanguinitatis*. Nam Raymundus non erat ea necessitudine conjunctus cum Papa Clemente. At verò affinis ejus erat, quia duxerat in matrimonium Mariam de Bolonia consanguineam ejus germanam. Clemens quippe filius erat Mathildis de Bolonia, quæ soror erat Ioannis patris Mariæ uxoris Raymundi. Ioannis porrò & Mathildis patruus erat Guido de Bolonia Cardinalis, quem constat fuisse Clementis avunculum.

UNIVERS. STUDII PARIS.] Literæ quarum heic mentio editæ sunt in tomo sexto Spicilegii Dacheriani pag. 109. & in tomo quarto historiæ Universitatis Paris. pag. 699 ex codice 842. sancti Victoris Parisiensis. Habentur etiam in codice 822. bibliothecæ Colbertinæ. P. 535.

IN MAGNA MEDITAT.] In codice 842. sancti Victoris Paris. post descriptam epistolam Universitatis Paris. quæ edita est in tomo quarto historiæ ejusdem Universitatis pag. 699. ista scripta sunt antiquitus: *Ad istas literas non dedit Papa responsionem literatoriam, sed verbalem tantùm, quæ fuit talis, scilicet quòd litera ista mala erant & venenosa &c. & de post non multum gaudium habuit, & satis citò mortuus est, scilicet die* P. 536.

Mercurii 16. Septembris anno Domini 1394. & sepultus est apud Dominam nostram de Donis. Continuator Nangii: *Apices Dominus Papa recipiens in præsentia assistentium perlegit; sed dum modicum scripturæ attigisset, assurgens cum iracundia magna cunctis audientibus inquit: Ista littera sunt sanctæ sedis apostolicæ diffamatrices, veneno detractionis plena, nec lectu nec recitatu digna sunt.* Et paulò infrà: *Inde dolore tactus intrinsecus cœpit plurimùm anxiari, nec diù postea vixit. Levis enim infirmitas secundùm apparentiam eum fere per tres dies detinuit; de qua non lecto decumbens, cùm* XVI. *die Septembris audita Missa intrasset cameram & vippa cor aliquantulum gravatum refocillari petiisset, antequam vinum afferretur, sedens apoplexia percussus fatale debitum solvit.* Aymericus de Peyraco Abbas Moyssiacensis in suo chronico: *Et quia de renuntiatione papatus supervenerunt sibi nova ex parte Regis & Vniversitatis studii Parisiensis, visis quibusdam epistolis & verbis ex parte ipsorum sibi expositis, dicitur præ nimio dolore diem mortis prævenisse.* Ex verbis porrò istius scriptoris vitæ Clementis Odoricus Raynaldus an. 1394. §. 4. collegit hunc ejus dolorem ac mortem quæ subsecuta est ortum esse ex mœrore ingravescente & iræ magnitudine, *cùm Galli*, inquit, *censerent pseudopontificatum Avenionensem abolendum.* Quod verum non est. Galli enim non dubitabant quin Clemens esset verus ac legitimus beati Petri successor, Bonifacius IX. intrusus & Antipapa. idque probatur etiam ex discrimine quod est in modo scribendi ad eos ex parte Regis in tomo sexto Spicilegii Dacheriani pag. 114. & sequentibus. Verùm iidem cupientes finem imponere schismati, volebant utrumque cogi ad renuntiationem, ut alter de consensu utriusque partis eligeretur qui citra controversiam esset verus Papa. At Raynaldus semper Raynaldus agit Advocatum fiscalem, non verò historicum. Iam verò si adversùs Clementem præjudicandum est ex eo quòd scriptores historiarum aiunt illum interiisse ex acerbitate iracundiæ quòd ad cessionem papatus urgeretur, ruere necesse est causam Bonifacii IX. qui cùm id præstare nollet, *ira immoderatiùs incalescens, lectum ægritudinis subitò intravit, in quo tertia die sequenti in festo sancti Remigii mane decessit*, ut scribit Theodericus à Niem lib. 2. de schism. cap. 24.

DECORVS FACIE] Hinc facilè detegitur insulsitas Pompeii Vizanii, qui lib. 5. hist. Bonon. pag. 238. ita describit hunc Clementem: *il quale oltra l'esser zoppo & di brutto aspetto, era huomo assai bestiale.*

SCRIPSIT MIRAB.] Aymericus de Peyraco in loco paulò antè laudato: *Peritus in multis idiomatibus, valde bene scribens, & vocem habens sonoram & magnam; eratque valde eloquens & pulcherrimæ staturæ, gentes armorum sustentans & diligens & cantores atque alios musicos.* De pulchritudine, voce clara, & peritia musicæ Vrbanum IV. commendat Theodericus Vallicoloris apud Papirium Massonum in libro quinto de Episcopis urbis:

Venustus facie, clara quoque voce, peritus
Cantu, quem gratum musica voxque dedit.

CARD. ALBAN.] Nicolaus Brancacius, de quo dictum est supra pag. 1156. P. 538.

ARCHIEP. NARB.] Franciscus de Conzié.

REMENSIS] Guido de Roya.

ROTHOMAG.] Guillelmus de Flavacuria.

MAGALON.] Antonius de Louier.

CATALAVN.] Carolus de Pictavia.

VALENTIN.] Ioannes de Pictavia, frater Caroli.

VASION.] Guiellelmus de Pesserato.

AVINION.] Ægidius Bellamera vir doctissimus, de quo sæpe suprà.

AVRAIC.] Catalogi Episcoporum Arausicanorum mutili & imperfecti sunt in hoc loco.

POST DECIMVM DIEM] id est, P. 539. die octava Aprilis. Debebant autem Cardinales ingredi conclave statim post novendialia exequiarum Papæ Gregorii, id est, die septima Aprilis. Verùm quia illo die fulmen cecidit in conclave, ingressus eorum dilatus fuit usque in diem sequentem. Ita testatum in sua depositione reliquit Guillelmus Noelleti Diaconus Cardinalis sancti Angeli: *Item postquam fuit decima dies ad intrandum conclave, cùm essent ad exequias in dicta Ecclesia sancta Maria, fuit aliqua aeris mutatio, & cecidit fulgur in conclave in loco ubi erat alogia Domini de Luna. Et ex isto, & quia non erant bene dispositi, petierunt à Bandarensibus & ab illis majoribus urbis diem usque in crastinum ad intrandum conclave, & ipsi cum magna difficultate concesserunt sibi.* Alii, ut suprà pag. 1184. dictum est, istud evenisse aiunt post ingressum Cardinalium in conclave.

POST SEPT. MENSES] Istud falsum est. Etenim à die octava Aprilis, qua Vrbanus electus est, usque ad vigesimam Septembris, qua celebrata est electio Clementis, intercedunt tantùm CLXVI. dies, computatis etiam extremis, id est, quinque menses cum aliquot diebus. Et tamen etiam Bonifacius IX. in epistola encyclica quæ extat in tomo sexto Spicilegii Dacheriani pag. 51. scribit Cardinales qui Clementem elegerunt expectasse assensum Principum Galliæ mensibus septem & ampliùs antè quàm ad electionem ejus procederent.

CORPVS CHR. SVMPS.] Epistola Vvenceslai Romanorum Regis ad Richardum

II. Regem Angliæ apud Odoricum Raynaldum an. 1379. §. 40. *Insuper & quidam etiam sanctissimam communionem de ipsius Domini nostri Papæ manibus receperunt*, Diaconi videlicet, ut suprà pag. 1095. 1115. 1119. 1120. ostensum est, & patet etiam ex his quæ apud Odoricum Raynaldum an. 1381. §. 23. scribit Franciscus Episcopus Faventinus. Hoc autem argumentum validè urgebant Vrbanistæ adversùs Clementinos, tanquam si hæc veluti decretoria probatione definitum esset Cardinales verè existimasse Vrbanum esse verum Papam. Sed adversùs ista facilis erat responsio, nimirum hæc omnia simulatione facta esse, ne metus proderetur, & Cardinales putasse se ab eo posse communionem accipere qui Archiepiscopus esset, uti dixisse Cardinalem de Vernio retulimus suprà pag. 1120.

MVLTITVD. PEREG.] Nicolaus Eymerici in tractatu adversùs Vrbanum ad Cardinales sede vacante ait impressionem & violentiam illatam Cardinalibus notoriam esse non solùm *insano populo Romano, qui dictam impressionem antedicto sacro collegio intulit, verùm etiam orbi universo, de cujus quatuor plagis erant ferè innumerabiles viri & mulieres in urbe ille electionis tempore pro indulgentiis obtinendis, qui dictam impressionem viderunt clarè & palpaverunt planè, cùm taliter violenta electio facta fuerit in urbe Pascha de proximo imminente; quo tempore consueverunt peregrini de more undique ad urbem currere de toto orbe ac de toto orbe esse in urbe.* Item in depositione Bonifacii de Amanatis in codice Harlæano: *Item dixit quòd quadam die ante ingressum conclavis, cùm iste iret per stationes & indulgentias, obviavit illi B. & dixit sibi: Vtinam fieret quod audivi dici, quòd deberetis esse Papa.*

PRVSIÆ] Auctor magni chronici Belgici ista describens pag. 321. legit *Perusia*, certo errore. Intelligendus ergo hic locus de Prussia provincia, ubi incipit Germania.

P. 541. STATVM CARD. RESTR.] Istum rumorem miris modis confirmare conati sunt Vrbanistæ, tanquam ea sola causa abalienasset animos Cardinalium ab Vrbano. Quod falsum esse & ab Vrbanistis confictum asserit Guido de Malesicco Cardinalis in sermone quem habuit in synodo Cameracensi, ubi sic legitur: *Istud falsissimum est & dolosè confictum, sicut & quamplura alia quæ suprà dicta sunt. Student nempe adversarii Dei & justitiæ per omnia mendacia quæ excogitare possunt mundum deducere seu tenere in errorem.*

P. 547. EVSTACIO PERSANDI] Vide Radulphum de Rivo cap. 13. de gestis Episc. Leod. & Theodericum à Niem lib. de schismate cap. 21.

IOH. DE LIGNANO] Quamvis certum sit illum docuisse per multum ævi jus canonicum & civile in urbe Bononiensi, non constat tamen fuisse civem Bononiensem. Testimonium enim Mantuæ Patavini, qui in libro de viris illustribus cap. 167. scribit illum multo tempore docuisse in patria, non ponit rem extra difficultatem. Quippe in titulo tractatus de censuris ecclesiasticis & in titulo tractatus de bello, uti quidem habent vulgatæ per typographos editiones, dicitur Mediolanensis. Inclaruit ille jam pontificatu Innocentii VI. ut patet ex tractatu de bello, quem compositum fuisse anno MCCCLX. docet codex 978. bibliothecæ Colbertinæ, ubi sic habetur: *Explicit tractatus de bello editus compilatus per me Iohannem de Linyhano minimum utriusque juris Doctorem in studio Bononia anno millesimo CCCLX. pendente forti exercitu contra civitatem, qui causam dedit tractatui.* Postea sub Vrbano V. scripsit tractatum de pluralitate beneficiorum, uti suprà pag. 1054. observatum est. P. 552.

Anno MCCCLXXI. cùm Gregorius XI. collegium quòd vulgò Gregorianum vocatur condere instituisset apud Bononiam in ædibus Pepulorum, emptionis earum instrumenti conficiendi cura demandata est Ioanni de Lignano, ut testatur Ghirardaccius lib. 4. hist. Bonon. pag. 303.

Anno MCCCLXXVI. profectus Avenionem legatus civitatis Bononiensis ad Gregorium XI. testamentum condidit, ut tradit idem Ghirardaccius lib. 25. pag. 350.

Anno MCCCLXXVII. rursum missus est legatus ad eundem Papam Gregorium, qui tum Romæ erat. *Ghirardaccius ibid. pag.* 363. Ea porrò tempestate factus est vicarius generalis Papæ in civitate Bononiensi. *Ibid. pag.* 367. *& seqq.*

Anno MCCCLXXVIII. cùm post mortem ejusdem Gregorii Vrbanus VI. in loco ejus constitutus esset, & paulò pòst Cardinales qui eum elegerant illum vitio electum fuisse declarassent publicè, Ioannes de Lignano epistolam scripsit ad Petrum de Luna Cardinalem die XVIII. Augusti ut eum ceterosque Cardinales dehortaretur ab electione novi Pontificis adversùs Vrbanum. Epistolæ istius fragmentum edidit Odoricus Raynaldus an. 1378. §. 30. Extat autem integra in codice 811. bibliothecæ Colbertinæ.

Postea Ioannes Romam profectus ad salutandum Vrbanum, ab illo benignè ac comiter acceptus & dimissus est. Dedit autem illi idem Vrbanus duos pileos rubeos deferendos ad Philippum Caraffam & Bartholomæum Mezzavaccam recenter factos Cardinales. *Ibid pag.* 371. *& seq.* Extat in codice 814. bibliothecæ Colbertinæ fol. 229. collatio seu oratio ab eo

habitu ad unum ex iisdem Cardinalibus eo tempore quo pileum rubeum illi tradidit, omissa apud Odoricum Raynaldum, uti postea dicemus. In fine verò ipse Ioannes ita loquitur: *Quia ergo olim scholastica doctrina fili dilectissime, nunc ratione dignitatis & officii pater reverendissime, sanctissimus pater & Dominus noster Dominus Urbanus sola divina providentia sacrosanctæ militantis Ecclesiæ Papa VI. vos promovit ad cardinalatus apicem, auctoritate speciali in hac parte mihi commissa & concessa per præfatum sanctissimum patrem & Dominum ut uni ex Cardinalibus de quibus prædixi super caput tuum imponam orbem quem unà cum aliis cardinibus sustentas &c. ad honorem Dei omnipotentis & gloriosæ virginis Mariæ Regis Reginæ cælestis & beatorum Apostolorum & beatorum Nicolai & Dominici confessorum, sub quorum titulo constructa est hæc venerabilis Ecclesia, & totius curiæ triumphalis, ad honorem & exaltationem sanctissimi Patris & Domini Domini Urbani sola providentia divina Papæ VI. & sacrosanctæ militantis Ecclesiæ, ad salutem & quietem hujus almæ civitatis necnon divinalis studii Bononiensis, assumo hunc orbicularem pileum & suppono capiti tuo.*

Anno MCCCLXXIX. mense Augusto in publicum emisit & ad Cardinales, ut ipse §. 9. secundi tractatus docet, direxit tractatum pro defensione electionis Urbani, quem inscripsit de fletu Ecclesiæ, qui rectè vocatur tractatus primus Ioannis de Lignano in codice 815. bibliothecæ Colbertinæ. Ex eo fragmenta quædam edidit Odoricus Raynaldus an. 1378. §. 38. & seqq. Illum verò missum esse ab Urbano ad Universitatem Parisiensem fidem facit Rodericus Bernardi in relatione sua ad Ioannem Regem Castellæ de his quæ ipse egerat Romæ cum Urbano, quæ extat in codice Harlæano. Cùm enim Rodericus Urbano dixisset Cardinales publicè conquestos esse de violentia sibi facta à populo Romano & Ioannem de Lignano in tractatu suo asserere *quòd populus Romanus fuit congregatus ad compellendum Cardinales ut eligerent Papam Romanum vel Italicum*, Urbanus ad istud ultimum dixit *quòd Iohannes de Liñano non fuit tunc Romæ nec vidit aliquid de iis quæ dicit esse facta tempore electionis.* Et mox addit Rodericus: *Ad hæc ego dixi quòd ipse primus electus miserat tractatum Domini Iohannis ad Universitatem Parisiensem.* Fuit autem missum, uti suprà pag. 1083. observatum est, per Iacobum de Seva, qui propterea creditus est esse auctor illius operis.

Anno MCCCLXXX. exeunte Iunio Ioannem de Lignano fuisse Romæ testatur idem Rodericus his verbis: Præterea Dominus Iohannes de Liñano, qui tunc erat in urbe, venit una die ad socium meum & ad me, qui eramus collocati in quodam hospitio apud plateam sancti Petri, & dixit nobis quod juxta casum sibi traditum aliàs ipse fecerat unum tractatum super materia scismatis, set fortè, si meliùs informaretur de veritate gestorum, quòd ipse emendaret se. Hic proposuit nobis secretè ut posset scire à nobis quid sentiebamus de ista materia. Ad hoc respondimus sibi quòd præsumebamus quòd ad tentandum nos veniret, attamen, quia erat notabilis persona, quòd credebamus quòd nollet decipere nos, & si juraret quòd teneret secretè, quòd diceremus sibi, item quòd si diceret nobis veritatem in ista materia quid sentiebat de jure, quòd diceremus sibi illa quæ inveniebamus, licèt adhuc sperabamus meliùs informari. Ipse juravit omnia quæ petebamus. Et statim diximus sibi qualiter examinaveramus Dominos Cardinales ultramontanos, saltem majorem partem ipsorum: qui sub juramento testati sunt quòd ante ingressum conclavis nullus ipsorum gerebat in mente eligere in Papam B. Archiepiscopum Barensem nec aliquem alium de extra collegium Cardinalium nec postquam intraverunt conclave usque ad horam & tempus quo invaluit clamor populi Romani & fuerunt tractæ campanæ ad martellum, & fuit significatum eis quòd erant in periculo mortis nisi eligerent Romanum vel Italicum & citò se expedirent, & quòd tunc timore mortis, aliàs non facturi, nominaverunt dictum Barensem, & primus qui eum nominavit fuit Dominus Cardinalis Lemovicensis, & omnes alii secuti fuerunt eum ut vitarent periculum mortis. Attamen Cardinales tres vel quatuor noluerunt eum nominare, videntes impressionem manifestam; quorum unus fuit Dominus de Ursinis, qui est Romanus. Et post egressum conclavis, prædicto mortis metu durante, coronaverunt eum, non audentes mentes suas declarare quandiu fuerunt Romæ timentes pericula personarum & suorum; sed captata opportunitate citiùs quod potuerunt iverunt ad Anagniam, & exinde habuerunt favores aliquorum Italicorum nobilium & gentes armorum pro defensione sua, & tunc declaraverunt se, & processerunt ad electionem secundi electi canonicè & justè, sicut ipsi asserunt. Tunc respondit dictus Dominus Iohannes quòd secundùm casum per nos positum unus juvenis qui audiret jura per quinque annos posset decidere istud dubium. Nam secundùm veritatem juris talis electio erat impressiva & invalida, sed secundùm casum sibi traditum aliter se res habuit. Nam dicebat quòd Domini Cardinales ante ingressum conclavis gerebant in mentibus suis eligere dictum B. & semper habuerunt mentes inclinatas ad eligendum ipsum, quem notum habebant, & re-

» putabant hominem bonæ famæ, conversationis, & vitæ, & post ingressum conclavis fuerunt in eodem proposito, & licèt rumor aliquis sequeretur, non erat electio impressiva nec invalida, maximè reeligendo iterum ipsum rumore sedato, dicendo quilibet, Ego dico idem quod hodie, & post egressum conclavis, ipsis Cardinalibus existentibus in locis tutissimis, redierunt ad inthronizandum & coronandum ipsum electum, & exhibuerunt reverentiam & obedientiam ut vero Papæ. Et dicebat idem Dominus Iohannes quòd in istis fundavit tractatum suum, si bene advertatur. Ad ista dicebam ego quòd posito quòd Cardinales ante ingressum conclavis haberent metes inclinatas ad eligendum ipsum B. in Papam, attamen si pòst ipsis Dominis Cardinalibus existentibus sub conclave supervenit metus tempore electionis qui potuit cadere in constantes viros, electio esset impressiva, atq. l. 1. Cod. Si quis aliquem test. prohi. ubi dicitur, Institutio heredis non valet, si testator metu instituat quos voluerit, & faciebat eap. Principatus. 1. q. 1. Ipse autem Dominus Iohannes respondit quòd erat ibi duplex litera secundùm glo. & quòd super ista materia aliàs haberemus collationem, nam ipse intendebat ire nobiscum in galea usque ad portum Pisanum quando iret ad Bononiam, ubi est habitatio sua.

Congressus iste & colloquium delegatorum regiorum cum Ioanne de Lignano videtur illum aliquatenus commovisse ut mutaret sententiam. Etenim cùm Archiepiscopus Toletanus quædam dubia proposuisset adversùs tractatum Petri Flandrini Cardinalis sancti Eustachii, in primis verò *si casus datus Domino Iohanni de Lignano, super quo ipse scripsit, sibi fuit datus & eidem missus per Reverendissimos Patres & Dominos Cardinales, sicut ipse asserit in quadam superscriptione sua*, Cardinalis sancti Eustachii ita respondit: *Ad primum dico quòd Domini mei Cardinales citramontani numero* XIII. *in Anagnia existentes & volentes electionem Barensis submittere recto libramini rationis, cùm jam essent extra districtum & forcia Romanorum, pro conscientiis eorum serenandis ordinarunt quòd rei gestæ veritas poneretur in scriptis, ut quia ex facto jus oritur, possent veritatem juris videre clarius & securiùs defensare; & positum est ut habet thema meum. Domini verò Cardinales Italici numero quatuor adhuc in Tiburi existentes ex eadem causa, ut firmiter credo, ignorantes tamen quòd Domini transmontani factum redegissent in scriptis, factum scripserunt, & pro habendo consilium miserunt ad Iohannem de Lignano & aliquos alios; qui malè ponderatis verbis thematis sibi missi erroneè allegavit in multis, & ipse satis modò se malè fecisse cognoscit.*

Adversùs hunc primum tractatum Ioannis de Lignano scripsere tum multi, in primis verò Petrus de Barreria Cardinalis Æduensis, uti suprà pag. 1261. dictum est, Petrus Flandrini Cardinalis sancti Eustachii, Petrus Amelii Cardinalis Ebredunensis, & Ioannes Fabri Abbas sancti Vedasti Attrebatensis.

Post ista Ioannes de Lignano scripsit secundum tractatum pro Vrbano, qui incipit: *Quia post tractatum completum*. Editus est in fine tomi XVII. annalium ecclesiasticorum per Odoricum Raynaldum. Extat autem MS. in codice 814. bibliothecæ Colbertinæ, ubi habet hunc titulum: *Tertiæ & ultimæ allegationes Iohannis de Lignano valde venenosæ, licèt superficiales & non reales existant.* Ideo autem huic secundo tractatui inditum est nomen tertiarum allegationum quia suprà in eodem codice descriptæ sunt *Novæ*, ut fert titulus, *allegationes Domini Iohannis de Lignano*, quæ extant etiam cum eodem titulo in codice 811. ejusdem bibliothecæ, quarum hoc est initium: *Ipsi tamen ad defensionem eorum fundari nituntur.* Sed revera hæ novæ allegationes sunt tantùm postrema pars secundi tractatus, ut patet ex eodem codice, ubi consequenter describuntur in corpore tertiarum allegationum, & ibi habent hanc inscriptionem: *Hic incipit tercius tractatus.* In editione etiam Odorici Raynaldi hæ novæ allegationes reperiuntur §. 32. usque ad finem.

In editione istius secundi tractatus §. 9. ista leguntur: *Quòd Domini Cardinales sint angeli in terrestribus revelantes perpetua salutis statum &c. demonstro subjiciendo ad contextum quandam collationem quam pridie feci de Cardinalibus alloquens, ut apertè videant Domini Cardinales, ad quos præsertim tractatum primum per me compositum direxi, me motum zelo fidei ad hæc omnia scribenda.* Si quis hanc collationem quærat in editione Raynaldi, illam profectò non inveniet. Extat autem, ut dixi, in codice 814. bibliothecæ Colbertinæ.

Circa eadem tempora Ioannes de Lignano scripsit tractatum de pace seu de pace animæ, qui reperitur in codice 685. ejusdem bibliothecæ Colbertinæ.

Mortuus est apud Bononiam anno millesimo CCCLXXXIII. mense Februario, sepultus apud sanctum Dominicum cum magno concursu virorum principum ejusdem urbis; inter quos interfuisse etiam funeri ejus Philippum Caraffam Cardinalem adnotat Ghirardaccius lib. 25. pag. 397. ubi refertur hoc ejus epitaphium sepulchro ejus inscriptum.

Frigida mirifici tenet hic lapis ossa Ioannis,
Ivit in astrigeras mens generosa domos.
Gloria Legnani titulo decoratus utroque,
Legibus & sacro canone dives erat.
Alter Aristoteles, Hippocras & Tolomei

Signifer atque heres noverat astra poli.
Abstulit hunc nobis inopina sincopa mortis.
Heu dolor! hic mundi portus & aura jacet.
Vxorem habuit Novellam filiam Federici Calderini, qui filius erat celeberrimi illius Iurisconsulti Andreæ Calderini. Datæ ei sunt pro dote nongentæ libræ Bononienses. Filium habuit Baptistam de Lignano, fratrem Prencivallem, nepotes Giovanellum & Cortellum filios Blanci fratris sui.

Præter lucubrationes ejus suprà commemoratas editus est in tomo XII. collectionis tractatuum utriusque juris tractatus de amicitia, qui incipit: *Circa circulum amicitia.* In eodem tomo habetur ejusdem tractatus de duello, cujus hoc est initium: *Restat ut videamus de duello.* Verùm ille est tantùm postrema pars tractatus de bello. In tomo XIV. extat ejusdem tractatus de censuris ecclesiasticis, & incipit: *In tractatu de censura ecclesiastica.* In tomo XV. tractatus de horis canonicis radiantissimi Doctoris Domini Ioannis de Lignano hoc habens initium: *Ad honorem illius.*

Denique Mantua Patavinus in loco suprà laudato testatur illum multa scripsisse in omnes Decretalium libros, quæ, nunquam edita, manuscripta reperiuntur in bibliotheca majoris Ecclesiæ Bononiensis, ubi se ea vidisse & legisse ait. Citat sanè commentarios ejus in decretales Ægidius Bellamera. Scripsisse etiam commentarios in Clementinas, sed parum probatos studiosis rei canonicæ, scribit his verbis Franciscus Zabarella Cardinalis in proœmio lecturæ suæ super Clementinis: *Subinde Ioannes de Lignano dominus meus multos ex præmissis in unum collegit, quos sæpe nimiùm decurtavit, sed, quod magis improbatur à compluribus, non apto retulit ordine, ita ut à paucis ejus lectura commendetur. Et huic diligentia defuit, non probitas. Fuit enim omnium sui temporis longè princeps.*

ABBAS S. VEDASTI] Ioannes Fabri, quem suprà pag. 1083. monuimus refutasse tractatum primum Ioannis de Lignano pro defensione partium Vrbani sexti. Ibidem monuimus illum non fuisse patria Duacensem, ut habet vulgaris opinio, sed Parisiensem. Ejus extat in codice 587. bibliothecæ Colbertinæ diarium rerum ab eo gestarum ab anno MCCCLXXXI. usque ad annum millesimum CCCLXXXVIII. in quibus multa præclara & curiosa extant ad rempublicam pertinentia; eoque nos usi sæpe sumus in his Notis nostris.

P. 553. EDVARDVS] Extat etiam apud Radulphum de Rivo cap. 12. & apud Vualsinhamum, non sub nomine Regis, sed universorum Christi fidelium. Est autem revera declamatio furiosa cujusdam Angli adversùs Cardinales Gallicos. Amicus noster summus Odoricus Raynaldus, qui magnum pro sua imperitia adjumentum causæ Vrbani putat afferri ex favore ei præstito ab Anglis Gallorum apertis tum hostibus & inimicis, ob idque tantùm in partes Vrbani transgressis, non omisit commemorare hanc declamationem, cujus fragmentum retulit an. 1378. §. 71. ut probaret Anglos causam Vrbani suscepisse tuendam. Et statim edit rationes Anglicorum adversùs Clementem, de quibus nos suprà diximus.

PESTILENTIAM] Eadem afflixit etiam Avenionem. Ægidius Bellamera in cap. *Alia quidem.* de procuratoribus: *Verùm quia propter maximum calorem ac pestis & mortalitatis intemperiem qua hoc mense Iulii anno Domini* MCCCLXXXIIII. *hic in Avinione valde vigent, quo mense die Mercurii* XIX. *mensis ejusdem Laurentius de Porta scutifer meus & scriptor hujus operis obiit hac peste, quem Deus habeat, laborem mitigans & requiem quærens remitto de hoc ad cap. Auditis. de præscript.* P. 557.

CANTOR PARIS.] qui vocatur Ægidius in tomo quarto historiæ Vniversitatis Parisiensis pag. 480. P. 560.

CAMERACENSI] Paulus Æmilius, qui hanc epistolam viderat, addit illam scriptam esse ad Episcopum Cameracensem. Sed hic noster eum cui scripta est vocat tantùm professorem utriusque juris.

MCCCLXXVIII] Error fuit typographi; pro quo reponendum est, MCCCLXXVIII. P. 561.

MENSE SEPT.] die octava, ut docet Ioannes Fabri Abbas sancti Vedasti Attrebatensis in tomo quarto historiæ Vniversitatis Parisf. pag. 523.

NON ERAT ADHÆREND.] Odoricus Raynaldus an. 1378. §. 60. refert hanc historiam ex Paulo Æmilio. Iste noluerat decernere utra pars esset melior, litemque reliquerat indecisam. At Raynaldus pro solita temeritate sua insurgit in hoc loco adversùs tyrannidem Karoli Regis & politicorum Galliæ, quia post negotium istud in Concilio Ecclesiæ Gallicanæ (uti vocatur in secunda responsione Vniversitatis Paris. ad epistolam studii Tolosani edita in tomo quinto historiæ Vniversitatis pag. 43.) examinatum cum summa diligentia, qua major adhiberi non poruit, crediderunt Vrbanum per vim & tyrannidem Romanorum pervenisse ad summum fastigium, Clementem liberis comitiis electum, adeoque ei adhærendum. De ea re sic scriptum est in expositione facti tradita Comiti Flandriæ per Ioannem Fabri Abbatem sancti Vedasti Attrebatensis pag. 523. in tomo quarto historiæ Vniversitatis Parisiensis: *Post quæ Dominus Rex fuit per dictos nuncios ad partem informatus & quòd Dominis Cardinalibus adhæreret* P. 561.

adhaereret requisitus, volens in hoc negotio maturè procedere convocavit multitudinem prelatorum & magnorum clericorum sui regni ad octavam diem mensis Septembris; coram quibus exponi fecit seriatim quæ per præfatos nuntios ei fuerant explicata necnon informationes quas super hoc facto habuerat, de quibus præmissum est; requisivitque dictos prælatos & clericos quòd in hac materia sibi consilium darent quid esset acturus & quid dictis nunciis Dominorum Cardinalium responsurus. Post longam discussionem & inter convocatos disceptationem, licèt major & sanior pars vocatorum teneret Dominos Cardinales partem sustinere potiorem de jure, tamen quia Domini Cardinales Domino Regi significaverant se quosdam processus patentes facturos & Domino Regi missuros, quos Rex nondum receperat, & ne in tanto negotio nimis videretur festinare, datum fuit Domino nostro Regi consilium quòd pro tunc se non determinaret, sed adhuc differret se determinare. Et sic fuit præfatis nuntiis Dominorum Cardinalium pro parte Domini Regis præsentis publicè per os Domini Abbatis sancti Vedasti Doctoris decretorum in camera magna palatii responsum. Hunc locum, tametsi prolixum, referre placuit integrum, ut planum fiat nihil in Gallia præcipitanter actum esse in hac causa, sed maturo decoctoque judicio. I nunc, Raynalde, & maledicentissimas satyras scribe adversùs Principem sapientissimum totamque gentem Gallicam.

Res postulare videtur ut quoniam in expositione mox laudata scriptum est majorem & saniorem partem eorum qui in conventu illo erant existimasse Cardinales partem sustinuisse potiorem, de iis quoque agamus qui communi sententiæ detrahebant & obloquebantur. Nam fuisse quosdam, ut vulgò fit, qui communem sententiam sequi nollent patet ex his quæ referuntur in eodem tomo quarto historiæ Universitatis Parisiensis pag. 581. Inter illos porrò primas tenuisse hunc Cantorem Parisiensem & Ioannem Ægidii sacræ theologiæ professorem, qui propterea Romam profecti sunt ad Urbanum, docet auctor vitæ Karoli VI. Regis Francorum. *Eodem quoque tempore*, inquit, *cum Cantore nostræ Domus Parisiensis magistro in theologia ejusdem scientiæ professor magister Iohannes Ægidii ac nonnulli eminentis scientiæ idem iter arripiunt, publicè exprobrantes quòd per violentiam Dux electionem Urbani reprobabat & per eandemmet viam electionem Clementis approbare compellebat.* Hinc ergo patet quanta fides adhibenda sit rebus in hac Cantoris istius epistola scriptis. Ceterùm hic magister Ioannes Ægidii factus est postea Cardinalis ab Innocentio VII. anno MCCCCV. de quo vide Theodericum à Niem lib. 3. de schism. cap. 32. & tractatu sexto Nemoris unionis cap. II. Ejusdem extat in veteri codice Ms. bibliothecæ Harlæanæ epistola ad Universitatem Parisiensem scripta anno MCCCCVI. die XVII. Decembris, qua eam facit certiorem de electione Gregorii XII. & de bona illius voluntate pro extinguendo schismate per viam cessionis.

MENSE NOV.] die XVI. uti scriptum est in expositione suprà laudata pag. 524.

DOMINUS DE GIFFONO] Falsus est ergo Surita lib. 10. annal. Arragon. cap. 53. ista referens ad Guillelmum Cardinalem de Agrifolio. P. 565.

NUMERO XXI.] Nota numeri deerat in veteri codice. Quidam neotericus addiderat XXII. falsò. Fuisse enim viginti & unum tantùm certò constat. Itaque nos sic reposuimus.

NON HABEBAT TITULUM] Hinc liquet falsò Oldoinum scripsisse titulum sanctæ Praxedis huic Cardinali datum esse à Clemente. Quod hinc quoque confirmatur quòd is titulus ea tempestate pertinebat ad Thomam de Amanatis, qui anno tantùm MCCCCVI. exeunte extinctus est. Sanè ex actis Concilii Pisani editis in tomo sexto Spicilegii Dacheriani pag. 344. & to. III. Italiæ sacræ pag 556. vocatur Cardinalis sanctæ Praxedis. Itaque apparet hunc titulum à Benedicto XIII. ei collatum fuisse post mortem Thomæ de Amanatis. Ejus deinde inductu atque impulsione, ut Surita ait, Henricus Rex Castellæ descivit ab obedientia ejusdem Benedicti. Postea profectus est Pisas ad Concilium quod illic celebrabatur, quò advenit anno MCCCCIX. die secunda Maii. Vide to VI. Spicileg. pag. 249. & Spondanum an. 1409. § 8. P. 567.


NOS OMNES] Hæc cedula reperitur in multis antiquis codicibus, & edita est apud Odoricum Raynaldum & alibi. Extat etiam apud Zabarellam in libro de schismate.

DATO PRESBYTERIO] id est, donativo, ut rectè observavit vir clarissimus Domnus Ioannes Mabillonius in tomo secundo Musei Italici. In Facto Iacobi de Seva seu potiùs Ioannis de Lignano pag. 500. ubi describuntur solemnia coronationis Urbani VI. legitur: *distributa certa summa pecuniæ inter dictos Cardinales juxta morem; quæ pecunia vocatur presbyterium.* Quæ fuerint autem dona data Cardinalibus à Benedicto XIII. nusquam reperi nisi in testamento Ioannis Cardinalis de Murolio pag. 1104 in quo scriptum est illum statim post assumptionem suam promisisse & dedisse verbo cuilibet Cardinali ibidem præsenti quatuor millia florenorum; *de quo non habui denarium*, inquit idem Cardinalis, *licèt fuerim diligentias*.

IOHANNEM OST.] Certum est illum fuisse in Lotharingia eo tempore quo post

mortem Clementis VII. Cardinales intraverunt conclave. Audita igitur ejus morte, magnis itineribus contendit Avenionem, quò advenisse eum liquet ante diem XI. Octobris, quo ab eo peracta est coronatio Benedicti XIII. uti etiam scriptum est in uno libro obligationum archivi Vaticani. Ex bis porrò quæ isthic adnoramus facile est colligere erratum à nobis per incogitantiam fuisse suprà pag. 1315. ubi diximus hunc Ioannem de Novocastro interfuisse electioni Benedicti XIII.

P. 569. FLORENTINUS] In codice 818. bibliothecæ Colbertinæ, ex quo ista sumpta sunt, adnotatum est antiquitus Cardinales Florentinum, de Agrifolio, & de sancto Martiale non subscripsisse cedulæ Cardinalium pro extinctione schismatis factæ in conclavi postea quàm Clemens VII. sublatus est in cælum. quod etiam adnotatum est in margine informationis seriosæ eorum quæ facta fuerunt apud Avenionem per Dominos Duces Franciæ anno MCCCXCV. quæ in collectione actorum veterum edita est pag. 1107. ex veteri codice MS. bibliothecæ Colbertinæ. Ratio autem cur illi non subscripserint hæc in codice 813. ejusdem bibliothecæ affertur, quia erant scrutatores. Hæc enim sunt verba veteris libri: *Dicta cedula fuit per omnes Cardinales jurata, & scripta in pergameno per Dominum de Petramala, & subscripta per omnes Cardinales, exceptis tribus, Florentino, de Agrifolio, & sancti Martialis, qui erant scrutatores.* Istud tamen habet aliquam difficultatem. Cùm enim ex ordine Romano qui tum in usu erat constet scrutatores manere solitos in conclavi cum collegis, nulla ratio innuit istos, si verè fuerunt scrutatores, nescisse quid à ceteris ageretur, adeoque nullam excusationem habere potuisse quò minùs huic cedulæ subscriberent. Itaque fortassis existimare liceret illos fuisse, non scrutatores, sed compromissarios. Quippe ex ceremoniali Romano Augustini Patricii, quod à Christophoro Marcello editum est, liquet compromissarios egredi solitos è conclavi & se retrahere ad partem in aliquo loco separato. Tum ergo quum illi divisi erant à corpore collegarum, proposita est cedula illa, scripta à Galeoto, ab eoque & à ceteris Cardinalibus subscripta in absentia trium compromissariorum.



ADDITIONES.

NEmini profectò mirum videri debet quòd in tam vasto tamque difficili opere quod exegimus bene multa nobis exciderunt quæ in Notas nostras referri merebantur, nonnulla etiam scripta quæ novis curis indigent. Itaque ad has additiones & emendationes necessariò ventum est. Adde quòd cùm vetus chronicon desinens in initiis pontificatus Benedicti XII. ad manus nostras serò pervenerit, ad nos ex urbe Roma delatum multò post editionem eorum locorum in quibus agitur de rebus in eo codice commemoratis quæ ad rem nostram pertinent, necessarium omnino fuit in hanc appendicem referre quæ hinc à nobis accepta sunt. Codice illo usum esse liquet doctissimum annalium Minorum scriptorem Lucam Waddingum; qui putavit chronici illius auctorem esse virum sanctissimum ex eo ordine Odoricum de Forojulio, in opinionem illam ea, ut existimare licet, de causa adductus quia in folio 183. ita scriptum videbat: *Ego frater Odoricus de Forojulio de ordine fratrum Minorum deveni in Trapesundam. Ipsa est enim introitus & via ad regnum Persarum & Medorum & Indorum & quasi totius orientis.* Verùm cùm statim in eodem libro subsequatur *Sanctus frater Odoricus passiones sanctorum quatuor fratrum Minorum sic descripsit*, & quæ subjecta sunt certò constet esse scripta ab eadem manu quæ scripsit notam suprà descriptam de accessu sancti Odorici in urbem Trapezuntinam, immo integer codex ab eadem manu scriptus sit, manifestum est ea quæ de sancto Odorico illic scripta habentur in prima persona descripta esse ex quodam codice vetustiore in quo ille hanc notam sua manu perscripserat. Neque enim vir sanctus quicquam sua manu subdidisset titulo in quo ipse vocabatur sanctus. Denique sanctus Odoricus obiit anno MCCCXXXI. ineunte, ut scribit Waddingus. Chronicon autem istud pertingit usque ad pontificatum Benedicti XII. quemadmodum suprà adnotatum est. Habetur autem nunc in bibliotheca Colbertina signatus numero 5496.

Pag. 576. post lineam 27. adde. Quamquam valde puto fratrem Ioannem Parisiensem qui vocabatur Pungens asinum fuisse diversum ab eo de quo nunc agimus. Quippe Stephanus de Salagnaeo eos tantùm fratres suos commemoravit qui in theologia Parisius docuerunt usque ad annum MCCLXXVIII. quo ipse scribebat, eumque qui Pungens asinum vocabatur collocat inter eos qui anno MCCLV. in ea urbe adepti sunt dignitatem magistrorum. Ille verò de quo nunc agimus anno tantùm MCCCIV. licentiatus est, ut infrà pag. 579. docet Bernardus Guidonis. Porrò cùm historiam certaminum istius Ioannis ex hoc nostro auctore retulisset Henricus Spondanus

Pag. 577. lin. 17: post vocem Parisiensis *adde.* Præterea in literis magistri Ardengi Canonici Papiensis de compositione facta inter Guillelmum Episcopum Parisiensem & Decanum & Capitulum sancti Germani Autissiodorensis anno MCCXXVIII. mentio habetur duarum capellaniatum in Ecclesia sancti Eustachii institutarum *à Guillelmo Pongente asinum.* Philippus Labbeus

Pag. 582. lin. 12. post vocem fecerat *adde.* Miror porrò virum diligentem & eruditum Lucam Vvaddingum non retulisse in annales suos verba veteris chronici Ms. quod ipse tribuit B. Odorico de Forojulio, in quo sic legitur: *Temporibus etiam hujus Papa Clementis & Henrici Imperatoris VI. cùm vacaret regnum Vngariæ & à quodam magnifico Mathæo occupatum esset in parte & ab aliis tyrannis, ex deliberatione Domini Papæ Clementis & Cardinalium constitutus fuit Legatus sapiens & præclarus Cardinalis frater Gentilis de ordine fratrum Minorum ad mittendum in Vngariam*

VVun ij

cum filio Caroli Martelli, ut ibi praeficeretur in Regem, ut & regno Apuliæ praeesset Rex Robertus & illud pro sancta Ecclesia gubernaret. Et ipse frater Gentilis setentia facundus & verbo & eleganti persona obedientiam sibi impositam fideliter prosequens nobilem filium Caroli Martelli defuncti, qui fuerat frater Roberti, secum duxit, & cum multis laboribus & difficultate & sagacitate intravit Vngariam; & Vngaros in unum coadunans, Philippum filium Caroli Martelli in Regem inunxit & coronavit, & eis praeposuit dominum & rectorem. Qui Rex factus accepit in uxorem filiam nobilem Laudislai Regis Poloniæ cum magnifica dote; & cum ipsa Regina regnum gubernans feliciter, natam sibi prolem & mortuam beatus Franciscus ab eis invocatus devotè vivam eis restituit atque sanam. Et ipse Rex & Regina pro magno miraculo & dono accepto gratias Deo & beato Francisco agentes paramenta sollemnia, calicem, & Missale pro una capella ornanda ad sanctum Franciscum miserunt Asisium. Et frater Gentilis Cardinalis rediens, cùm thesauros Ecclesiæ de sancto Francisco accepisset, ut portaret ad Papam, cùm in Lucam venisset civitatem, obiit, & Asisium relatus, sicut ipse jusserat, in Ecclesia sancti Francisci sepultus fuit in capella sua, quam ipse de suis redditibus & proventibus construi jussit & ornari paramentis & picturis ad reverentiam sancti Martini Episcopi. Vide Micham Madium cap. 4. historiæ de Barbazanis. Huic porrò

Pag. 599. lin. 35. adde. Hi fuere Berengarius Fredoli, Stephanus de Susiaco, & Landulphus Brancatius, ut patet ex eorum epistola ad Philippum Regem scripta anno MCCCVIII. & ex bulla Clementis V. data Tolosæ III. Kal. Ianuarii anno quarto, quas damus in collectione actorum veterum pag. 121. 134.

Pag. 600. lin. 47. post vocem Pentecostes *adde.* De illo hæc leguntur in codice 5496. bibliothecæ Colbertinæ: *Iste Bonifacius Papa prudens & strenuus per Legatum suum Dominum Neapoleonem Cardinalem Eugubinam civitatem captam & occupatam & spoliatam per Comites Montisferetri & Fagiolæ & Arennis & sequaces eorum reaccepit & pristinæ restituit libertati, effugatis inde rebellibus, in anno Domini* MCCCI.] Ptolomæus Lucensis Eugubium à Guibellinis captum scribit anno MCCXCV. sed postea recuperatum. *Eodem anno*, inquit, *civitas Eugubina Tuscia per Ghibellinos capitur, sed ad modicum tempus recuperatur, misso illuc Legato per eundem Papam, videlicet Domino Neapoleone Diacono Cardinali.* Vulgò traditur

Pag. 624. lin. 25. adde. Verùm huic narrationi ex adverso repugnat Franciscanus ille qui per ea tempora scripsit chronicon quod Vvaddingus tribuere consuevit B. Odorico Fotojuliensi. Quippe in eo chronico, post enarratam Clementis V. electionem, statim additur: *Eodem tempore obiit Perusii Dominus Mathæus Rubeus Cardinalis de domo Vrsorum, qui fuit Protector ordinis Fratrum Minorum, sanctæ Claræ, & sancti spiritus de urbe.*

Ibidem lin. 47. post vocem Matthæi *adde.* In eodem chronico quod jam laudavimus sub nomine B. Odorici reperio Bonifacium VIII. captum apud Anagniam à Guillelmo de Nogareto & iis qui cum illo venerant, cùm de libertate sua pacisceretur, promisisse se restituturum Cardinales Columnenses & fratribus eorum temporalia quæ abstulerat redditurum, *Domino Mathæo Rubeo fide jubente pro Papa. Sed cùm Romam redisset Papa, ab aliquibus Cardinalibus ei suggestum fuit ut Columnenses non restitueret ullo modo, ne malum exemplum qui venturi erant inde assumerent & Papam caperent & thesauros usurparent. Et Bonifacius pacta irritans quæ fecerat, Columnenses iterum maledixit. Et cùm Columnenses irruere vellent & iteratò capere, iratus Papa supra modum & ex nimia iracundia fatigatus & vexatus paulò post obiit.*

Pag. 627. lin. 31. post vocem Pontificem *adde.* In tomo quarto Maii Bollandiani pag. 544. magister Ioannes Villæ senis interrogatus super vita & conversatione sancti Ivonis, de cujus canonizatione tunc agebatur, testatur eundem Ivonem audivisse *Aurelianis librum institutionum à bona memoria Petro de Capella sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali.* Hinc evasit

Pag. 634. lin. 9. post vocem Tusculanus *adde.* Huic historiæ fidem etiam adstruit Ægidius Bellamera in glossa ad Decretum Gratiani 23. q. 4. ubi Cardinalem Biterrensem eum vocat qui à Ioanne Andreæ dictus est Tusculanus. Hæc sunt ejus verba: *De Pœnitentiario non credo dubium quin possit & debeat durare propter periculum animarum, circa quod habet suum officium, quod est continuum, & ideirco ipsum officium debet esse continuum, ar. 31. di. §. Cura. & sicut Cardinalis qui sponte esset extra clausuram, sicut fuit de Domino Biterrensi Cardinali post mortem Clementis Papæ quinti.*

Pag. 643. lin. 58. adde. Vide Micham Madium cap. 4. historiæ de Barbazanis.

Pag. 653. lin. 45. lege. Et tamen in subscriptionibus bullæ Ioannis XXII. de privilegiis monasterii Grissoviensis in diœcesi Vratislaviensi, quæ edita est apud Gasparem Iongelinum in Notitia abbatiarum ordinis Cisterciensis, & in collectaneis de dissidio Bonifacii VIII. & Philippi pulcri reperio illum anno MCCCXVIII. & anno MCCCXXV. dictum fuisse Cardinalem sancti Angeli.

Pag. 654. lin. 20. adde. Quamquam Guil-

lelmus de Montelanduno in glossa ad cap. *Ad succidendos*. de schismat. in sexto videtur dicere Iacobum, non verò Petrum, habuisse uxorem. Quippe loquens de hac Bonifacii VIII. constitutione adversùs Columnenses ait: *Nos tamen Tolosani, quibus ejus memoria odiosa est propter uxorem Iacobi, qua ex nobis traxit originem Francia patria, hanc in scholis vel alibi legere non curamus.*

Ibid. lin. 30. *adde.* Hanc nostram interpretationem confirmat auctor coævus qui scripsit chronicon illud quod tribuitur B. Odorico de Forojulio. Cùm enim egisset de electione & consecratione Benedicti XI. addit: *Et Cardinales & amici Columnensium aliqui instabant cum Papa ut Cardinales depositos Iacobum & Petrum restitueret in gradum pristinum. Et ille laicos restituit. Et Cardinales contrarii suggesserunt Papa ut nullatenus Cardinales restitueret depositos, quia periculum maximum generabat in sancta Ecclesia venturis temporibus. Et Benedictus Papa ita esse deliberans, cùm in Roma tutus stare non posset, venit in Perusium, & ibi excommunicationem & sententiam renovavit & confirmavit contra Columnenses clericos & laicos, qui contra Bonifacium Papam conspiraverant, & capi fecerant eum, & thesauri Ecclesia dispersi fuerant per eos.*

Pag. 664. *post lineam* 25. *adde.* Bernardus porrò Archiepiscopus Narbonensis, de quo paucis suprà dictum est, prætermitti non potest leviter. Erat ille nepos Clementis V. ex sorore, frater Raymundi Guillelmi de Fargis Cardinalis. Illi Clemens avunculus, ut constat ex codice 9919. bibliothecæ regiæ, contulit archidiaconatum de Belvacino in Ecclesia Belvacensi anno primo sui pontificatus, ac paulò pòst, nimirum v. Kal. Martii, eum constituit Episcopum Agenuensem, & mox Nonis Iunii transtulit ad Ecclesiam Rothomagensem. Tum verò Eduardus I. Rex Angliæ ei indulsit ut tertias quas idem Archiepiscopus habebat in regno Angliæ frueretur, quamvis ei nondum fecisset fidelitatem de iisdem terris, ut docent ejusdem Regis literæ editæ in tomo tertio libertatum Ecclesiæ Anglicanæ pag. 1183. & sequentl. Anno MCCCVIII. ivit Avenionem cum Papa Clemente, quemadmodum suprà pag. 656. observatum est, illicque adhuc eum fuisse anno MCCCX. die XVI. mensis Martii patet ex collectaneis de discidio Bonifacii VIII. & Philippi pulcri pag. 367. Denique ab Ecclesia Rothomagensi transiit ad Narbonensem, uti suprà pag. 596. dictum est. Anno MCCCXLI. de XXIII. Aprilis condidit testamentum in castro de Montibus Narbonensis diocesis, & obiit paulò pòst. Nam Benedictus XII. in bulla data Avinioni Kal. Octobris anno septimo testatur illum diù ante hunc diem esse mortuum, eique substituit Gasbertum de Valle Archiepiscopum Arelatensem.

Pag. 665. *lin.* 43. *lege.* Quid si vidisset Franciscum Armellinum clericum cameræ apostolicæ & Frangiottum Vrsinum pridie militem, ut ait Paris de Grassis Episcopus Pisaurensis, nondum prima tonsura clericali initiatos, à Leone X. factos Cardinales initio mensis Iulii anni MDXVII. & multò post ordinatos clericos, Frangiottum quidem die XIII. Septembris, Armellinum verò die octava Decembris? Ita enim rem actam esse testis est omni exceptione major idem Episcopus Pisaurensis, à quo insigniti fuerunt titulo clericali. Nostra quoque ætate Vrbanus VIII. anno MDCXXVII. III. Kal. Septembris Cardinalem creavit Antonium Barberinum fratris filium nondum prima tonsura clericali donatum, qui post aliquot tantùm menses in clericorum ordinem adscriptus est.

Pag. 680. *lin.* 57. *post vocem* sedis *scribe.* Adde Amanevum dominum de Lebreto, quem ex litteris à nobis editis in collectione actorum veterum pag. 66. constat anno MCCCVI. fuisse Nuncium apostolicæ sedis in Anglia.

Pag. 682. *lin.* 40. *post votem* reperi *scribe* in chronico illorum temporum quod extat in codice 5496. bibliothecæ Colbertinæ, ubi ita scriptum est: *Iste Clemens Papa ad petitionem Archiepiscoporum & Episcoporum & aliorum plurium Prælatorum Concilium generale apud Viennam Galliæ congregavit; ubi per ipsum Clementem, Prælatis faventibus & assidentibus & concordantibus cum ipso, septimus liber constitutionum plurimarum editus fuit.* Et infrà: *Sed Clemens Papa ipsam sententiam Regis Roberti revocavit & irritavit, sicut in septimo libro constitutionum continetur & legitur.* Item apud Ioannem Villanium lib. 9. cap. 79. & in literis

Pag. 687. *lin.* 59. *post vocem* erat *adde.* Auctor veteris chronici illorum temporum in codice 5496. bibliothecæ Colbertinæ: *Hic priùs vocatus Iacobus, de Cathurco civitate oriundus, in scientia eruditus, & sermone facundus.*

Pag. 689. *lin.* 14. *adde.* Confirmantur ista auctoritate veteris codicis bibliothecæ Penbrochianæ apud Cantabrigiam, in qua Thomas Iamesius testatur extare veterem codicem cum hoc titulo: *Reportatio Bernardini fratris Heremitarum sancti Augustini de sermone facto per Bertrandum Episcopum Hostiensem tertia dominica quadragesima.*

Ibid. lin. 34. *post vocem* Florentino *adde.* Videtur autem ille ita scripsisse per errorem memoriæ & ad Ioannem transtulisse historiam quam antea de Vrbano IV. perscripserat.

Pag. 700. *post lineam* 34. *adde.* Denique Clemens VI. anno MCCCXLIV. dispensavit

cum Radulpho le Moine scutifero & Ioanna de Guerres uxore ejus ut non obstante quòd pater ipsius Ioannæ dictum Radulphum post creationem ejusdem Ioannæ de sacro fonte levasset, manerent tamen in conjugio jamdiù contracto & consummato.

Pag. 702. *lin.* 35. *post vocem* Odorici *adde.* Quamquam istius chronici auctor non sit hic Odoricus, est tamen auctoris coævi & Franciscani, qui propterea scire potuit res in suo ordine gestas. Hæc sunt ergo illius verba prætermissa à Vvaddingo: *Ludovicus verò ad ipsorum* (id est, Romanorum) *importunitatem adduci fecit ad se fratrem Petrum de Corvaria, senem, de ordine fratrum Minorum, qui jam per annos quinquaginta & plus magnus prædicator & confessor & pœnitentiarius fuerat in urbe, & multos ad salutem reduxerat, virum summæ abstinentiæ & paupertatis evangelicæ & obedientiæ.*

Pag. 703. *lin.* 14. *post verbum* docet *lege* ex Odotico seu veteri scriptore illorum temporum Vvaddingus an. 1328. §. 6. cujus veteris scriptoris hæc sunt verba in codice bibliothecæ Colbertinæ suprà laudato: *Minister verò & fratres de provincia Romana congregate capitulo provinciali in Anagnia civitate, consilio habito, primò ipsum fratrem Petrum per litteras sibi missas admonuerunt & rogaverunt & præceperunt ut de Roma recederet & veniret ad eos. Et cùm ille non posset recedere custoditus, vel non vellet ambitione nominis & sublimitatis papalis cæcatus & delusus, non recessit. Et propter hoc minister cum toto capitulo ipsum excommunicavit & perpetuo carceri condemnavit quando capi posset à fratribus, & carceri mancipatum cum compedibus poni.*

Pag. 717. *lin.* 59. *post vocem* Guillelmus *scribe.* Adde eum Diaconum qui tum scripsit nomina Cardinalium ut fieri posset collatio numeri ad numerum fuisse Franciscum Gayetanum Cardinalem Diaconum sanctæ Mariæ in Cosmedin, ut legitur in eodem ordine Romano. Atqui hic Franciscus obiit sub initia pontificatus ejusdem Ioannis.

Pag. 719. *post lineam* 41. *adde.* Antè quàm Episcopus fieret, cùm adhuc esset Capellanus & Subdiaconus Papæ, missus est à Clemente IV. in Germaniam ut auctoritate ejus imponeret finem schismati Ecclesiæ Trevirorum, concessa ei administratione ejusdem Ecclesiæ, quia Henricum, qui se ferebat Archiepiscopum, multorum criminum compertum atque convictum Ecclesiæ illius sede abdicaverat. Accessit ergo Bernardus ad Treviros anno MCCLXVIII. ut patet ex epistola Papæ Clementis scripta ad sanctum Ludovicum Regem Francorum XVII. Kal. Ma. anno quarto, in qua hæc inter cetera leguntur in codice 2426. bibliothecæ Colbertinæ: *& nunc maxime per dilectum filium magistrum Bernardum de Castaneto Capellanum & Subdiaconum nostrum, per quem etiam nosse potes quare legatio in Theutoniam tantum fuerit prorogata.* Vide Christophorum Brovverum lib. 16. annal. Trevir. pag. 158. posterioris editionis.

Pag. 728. *post lineam* 20. *adde.* Huic Bertrando Episcopo Ostiensi Nicolaus Archiepiscopus Iadrensis in Sclavonia dicavit librum de ecclesiasticis officiis quem vocavit Thesaurum pontificalem, qui editus olim fuit Lutetiæ impensis Durandi Gerlier in vico Mathurinorum commorantis. Operis autem illius duo vetera exemplaria MSS. extant in codicibus 1125. 2508. bibliothecæ Colbertinæ.

Pag. 737. *lin.* 24. *adde.* Illius mentionem facit Nicolaus Episcopus Botrontinensis in relatione itineris Clementis V. pag. 1166. ubi sic emendandum legendumque est, *Hugo Geraudi tunc Archidiaconus, nunc Episcopus.* Erat enim Archidiaconus Augiæ in Ecclesia Rothomagensi quando factus est Episcopus Cadurcensis, ut patet ex bulla Clementis V. edita à Guillelmo Cruceo in serie Episcoporum Cadurc. pag. 181.

Pag. 742. *lin.* 45. *lege.* Fuit ergo oriundus è vico Alassaco prope Brivam in inferiore provincia Lemovicensi, frater Bertrandi la Porta Domicelli; qui dominationem loci illius divisam habebat cum Episcopo Lemovicensi, cum gente Combornensi, cum Chanacis, & aliis. Puto etiam fratres ejus fuisse Petrum la Porta Domicellum, qui anno MCCXCV. & XCVII. unà cum Bertrando vocatur condominus de Alassaco, Aymericum la Porta Militem, Stephanum & Geraldum la Porta Domicellos, & Hugonem la Porta Infirmarium monasterii Viercensis. Bertrandi filia & Raynaldi neptis fuit Galiena la Porta uxor Roberti de Monte Berulphi, cujus soror Isabellis, ut infrà dicemus, nupsit Guidoni de Chanaco patri Guillelmi & Bertrandi Cardinalium. Raynaldus la Porta fuit primò Archidiaconus

Pag. 746. *post lineam* 44. *adde.* In statutis academiæ Tolosanæ conditis anno MCCCXIV. dum recensentur Doctores qui in illis statuendis & ordinandis præsentes fuerunt, Petrus de Pratis nominatur inter Doctores legum. Ex quo colligere fas est illum docuisse Tolosæ leges civiles.

Pag. 748. *post lineam* 30. *adde.* Huic Petro de Prato tum Episcopo Prænestino Ioannes Gaufredi Canonicus de Corona dicavit collectarium in decretales, quod sæpe cum laude citatur à glossatoribus decretalium. Editum est olim. Extat autem manu scriptum in codicibus 216. 3043. bibliothecæ Colbertinæ.

Pag. 750. *lin.* 16. *adde.* Arnaldum porrò non fuisse verè nepotem Papæ, sed quia Mariam

neptem ejus habebat uxorem, colligi posse videtur ex libro Bernardi Guidonis de vita sancti Thomæ Aquinatis edita in tomo primo Martii Bollandiani pag. 721. ubi *Domina Maria uxor Domini Arnaldi* dicitur *neptis summi Pontificis ex sorore*. Per transennam autem adnotabo corruptam esse in eo loco vitam illam & pro Episcopo Canturiensi reponendum esse Episcopum Caturcensem. Tum enim Guillelmus de la Broa ordinis fratrum Prædicatorum tenebat cathedram Cadurcensem. Sed ut ad Arnaldum redeamus, ex regesto Roberti Regis Siciliæ, quod extat in bibliotheca regia, discimus illum fuisse magistrum ostiatium ejusdem Regis circa annum MCCCXIII. & postea donatum ab illo fuisse civitate Alifiæ cum titulo comitatus & cum annexis eidem civitate Boyani & casali Tubarolæ in territorio Aversanensi.

Pag. 757. *post lin.* 7. *adde.* Anno MCCCXLVII. adhuc Legatus in Gallia consecravit Lutetiæ Ecclesiam collegii Sorbonæ XIV. Kal. Novembris, ut docet Ioannes Chenutius in additionibus ad historiam chronologicam Archiepiscoporum & Episcoporum Galliæ.

Pag. 759. *lin.* 41. *post vocem* Barcinonensem *adde*, vel Bononiensem.

Ibid. lin. 50. *adde.* Iacobus Philippus Tomasinus in catalogo librorum MSS. Ecclesiæ Patavinæ scribit extare in ea bibliotheca Metaphysicam fratris Armandi de Bellovisu ordinis Prædicatorum sacri palatii magistri, esse autem hoc opus declarationem difficilium dictorum in theologia. Thomas Iamesius in Ecloga Oxonio-Cantabrigiensi pag. 64. refert extare in bibliotheca publica academiæ Cantabrigiensis responsiones magistri Armandi magistri sacri palatii de ordine Prædicatorum ad 19. articulos ex parte beatitudinis apostolicæ missos Armando rectori sacri palatii, ac præterea epistolam ejus de dominica visione seu de visione beatifica. Ejusdem Armandi frater aut consanguineus fuisse videtur Iacobus de Bellovisu, cujus commentarium in libros feudorum laudat Ægidius Bellamera in cap. *Ceterum.* de judiciis.

Pag. 760. *lin.* 34. *post vocem* defuncti *adde.* Idem fortassis fuit postea Canonicus Ruthenensis. In constitutionibus quippe Ecclesiæ Ruthenensis editis anno MCCCLIV. à Bertrando de Deucio Cardinale Sabinensi nominatur inter testes Guillelmus de Mostuejolis Canonicus Ruthenensis.

Pag. 762. *lin.* 13. *adde.* In statutis academiæ Tolosanæ conditis anno MCCCXIV. reperio Petrum de Mortuomari nominatum inter Dores legum qui tum eas docebant in academia illa.

Pag. 781. *lin.* 53. *adde.* De Saussanetio de Pinibus vide quæ ex regesto Ioannis XXII. referuntur à Vvaddingo an. 1317. §. 8.

Pag. 796. *lin.* 31. *adde.* Erratum est autem vehementer ab auctore protestationis ambassiatorum Regis Franciæ oblata Concilio Constantiensi, edita in tomo XII. Conciliorum pag. 1729. ubi Benedictus XII. dicitur fuisse natione Burdegalensis, & per consequens favens Regi & regno Angliæ, cùm de terra ei subdita esset.

Pag. 809. *lin.* 13. *post vocem* quadringentesimum *adde.* In statutis academiæ Tolosanæ factis anno MCCCXIV. reperio Dominum Bertrandum de sancto Genesio Licentiatum in utroque jure, qui postea fuit Patriarcha Aquileiensis, legisse tunc temporis in academia illa pro Domino Guillelmo de Montelauduno Doctore decretorum. Interfuit Guillelmus coronationi

Pag. 814. *lin.* 26. *adde.* Verum tamen est Bertrandum quoque in eas oras profectum, sed non in illo tempore. Missus est enim à Papa Clemente ad Petrum Regem Arragonum anno MCCCXLIV. cùm hinc rediisset Bernardus. quod patet ex variis epistolis ejusdem Papæ quas damus in collectione actorum veterum. Præterea in vetustissimis schedis nostris MSS. de negotio Regis Majoricarum ita scriptum est: *Die Veneris intitulata* XIII. *Kal. Iunii anno Domini* MCCCXLIV. *Reverendissimus in Christo Pater & Dominus Bertrandus divina providentia tituli sancti Marci Presbyter Cardinalis Domini Papæ Legatus venit ex parte dicti Domini summi Pontificis ad dictum Dominum Regem, cui præsentavit ex parte ipsius Domini Papæ quandam cartam bulla plumbea ipsius Domini Papæ pendenti in quadam veste cannabi communita, cujus tenor sequitur in hunc modum.* Incipit hæc bulla: *Licèt pro reformanda.* Obsidebat autem tum Petrus Caneoliberum in finibus Ruscinonum, ut legitur in iisdem schedis. De hac porrò legatione Bertrandi vide etiam Bzovium an 1344. §. 9. & Odoricum Raynaldum eod. an. §. 34.

Pag. 816. *lin.* 32. *post vocem* armigerum *adde.* Ejus quoque nepos fuisse videtur Iacobus de Deucio Sacrista Avenionensis & Doctor decretorum, qui inter testes nominatur in constitutionibus Ecclesiæ Ruthenensis suprà laudatis.

Pag. 827. *lin.* 29. *lege* Noalliarum dominus erat Guillelmus, quem anno MCCCXLVI. fuisse Capitaneum & Gubernatorem provinciæ Lemovicensis & obiisse circa annum MCCCXLVII. reperimus in vetustis monumentis illius gentis. Patrem habuerat Heliam filium Hugonis & Luciæ Combornensis, nepotem verò Petri & Helidis Rogeriæ amitæ Clementis VI.

Pag. 831. *extrema adde.* Quòd autem paulò

antè diximus suspicari nos primam uxorem Guillelmi Rogerii fuisse Mariam de Chambonio, hanc conjecturam nostram confirmare videtur apocha quingentorum florenorum quos Bertrandus de Turre habuisse se confitetur anno MCCCXLII. die sexta Decembris à Guillelmo Rogerii domino Chambonii & sancti Exuperii pro dote Aelipdis de Chambonio filiæ ejusdem Guillelmi, uxoris verò Guillelmi de Turre filii sui. Hujus apochæ breviculum habetur in inventario archivi Mercuroliensis apud Arvernos. In eodem inventario adnotatum est hunc Guillelmum de Turre Aelipdi de Chambonio filiæ Guillelmi Rogerii Vicecomitis Bellifortis & Mothæ uxorique suæ, si illa superstes ei esset, dedisse trecentas libras annui reditus.

Garinus de Castronovo istius nominis primus dominus de Apcherio ex uxore sua Maria de Belloforti reliquit Garinum II. & Raymundum. Garinus II. uxorem habuit Dalphinam Dalphini, filium Beraldum. Ex Beraldo orta est Catherina, quam condidisse testamentum anno MCCCCLV. tradit Thaumassetius in historia Biturigum pag. 735.

Antequam discedam ab hoc loco, non inutile erit aliqua dicere de genealogia Geraldi de Donzenaco mariti Margaritæ Rogeriæ, fratris, ut ego arbitror, Heliæ Episcopi Patavini, quem Gregorius XI. testatur generis nobilitate perspicuum & proxima affinitate sibi conjunctum fuisse, quem verò è Patavina cathedra puto transiisse ad Castrensem in Aquitania prima. Qui enim frater erat illius hominis qui in matrimonium habebat sororem Gregorii, is profectò proxima affinitate ei conjunctus erat. Habuisse porrò Geraldum fratrem istius nominis in clericali ordine constitutum docent literæ Philippi VI. Regis Francorum datæ anno MCCCXXVIII. die quarta Septembris, in quibus nominantur Geraldus de Ventedoro Miles dominus de Donzenaco & Helias de Ventedoro clericus frater ejus. Illum autem è cathedra Patavina transiisse ad Castrensem hinc facilè colligi posse videtur quòd cum constat Patavinæ præfectum in initiis pontificatus ejusdem Gregorii, quamquam de anno non liquet, eique uno tantùm anno præfuisse, ut est apud Vghellum, Patavinæ porrò Ecclesiæ datum esse Episcopum Raymundum quendam natione Gallum anno MCCCLXXIV. eo ipso nimirum tempore quo Helias de Donzenaco evasit Episcopus Castrensis. Quod autem Gregorius illum generis nobilitate perspicuum esse ait, nullam habet obscuritatem neque difficultatem. Ortus quippe erat ex nobili & antiqua apud Lemovices gente Ventedornensi. Quod sic ostenditur. Ebbo istius nuncupationis sextus Vicecomes Ventedornensis filium habuit Ebbonem de Ventedoro matrimonii vinculo junctum anno MCCXC. cum Galliena filia Geraldi de Malamorte domini Donzenaci oppidi Lemovicum inter Brivam & Vsercam. Ego quippe hoc matrimonium refero ad filium, non verò ad patrem, ut alii fecere. Ex eo matrimonio orti sunt Geraldus, Helias Episcopus Castrensis, Guillelmus Decanus monasterii de Rivopetroso in Ruthenis, deinde verò Abbas sancti Martialis Lemovicensis, & Blancha nupta Bernardo de Combornio domino Bellimontis & Chamboliva, qui Vicecomes quoque Combornensis fuit post Eustachiam filiam fratris sui Guidonis. Geraldus filius Ebbonis & Gallienæ uxorem habuit Catherinam, uti scriptum est in genealogia gentis Albuconiæ; ex eoque matrimonio ortæ sunt Ioanna nupta anno MCCCXXXII. Guidoni de Albuconio domino de Borna, & Galliena, quæ sexennio pòst matrimonium contraxit cum Helia de Chanaco. Ejusdem quoque Geraldi filium fuisse facilè crediderim Bernardum de Donzenaco occisum in celeberrima illa pugna quæ haud procul Augustorito Pictonum pugnata est anno MCCCLVI. sepultum apud fratres Minores in ea urbe, ut legitur in annalibus Aquitaniæ.

Pag. 832. *lin.* 55. *adde.* Ejusdem mentio habetur in quibusdam veteribus actis quæ Andreas Duchesnius edidit inter probationes historiæ Comitum Valentinensium pag. 58. ex quibus liquet illum vulgò vocatum fuisse *Le Bastard de Beaufort.*

Pag. 834. *lin.* 55. *post illa verba* ejus Romani *adde.* Eundem fuisse magistrum salæ Gregorii XI. testatur Fernandus Petri Decanus Tirasonensis interrogatus super casu primi electi. De magistro salæ vide quæ suprà pag. 1125. referuntur ex depositione Didaci Martini de Vrduña.

Pag. 835. *lin.* 3. *adde.* & anno 1397. §. 21.

Pag. 845. *lin.* 40. *adde.* In Necrologio autem monialium sanctæ Mariæ de Bonasania in Lemovicibus ita legitur ad diem XVII. Kal. Novembris : *Obiit Dominus Aymericus de Castrolucii Cardinalis Carnotensis, qui legavit cuilibet nostrum quinque florenos Florentiæ semel solvendos.*

Pag. 849. *lin.* 35. *repone.*

ADEMARUS ROBERTI] filius Ademari domini de sancto Gallo, *saint Jal*, XII. M. P. à Tutela. Vetus membrana illius gentis: *Dominus Ademarus Rotberti Miles pater quondam fuit Domini Bertrandi Rotberti Militis.* Et paulò pòst : *Item tenuit Dominum Ademarum fratrem suum quondam Cardinalem viginti & duos annos in scholis & ipsum fecit doctorari ad suas proprias expensas.* Vetustissima gens & nobilissima, cujus clara documenta extant in chartulariis Ecclesiæ Lemovicensis & monasteriorum

Tutelensis,

Tutelcosis, Vserceosis, & Vosiensis à tempore Henrici Regis Francorum usque ad Eugenii Papæ III. pontificatum. Tempore enim Henrici vivebat Asterius de Murc, sic haud dubiè vocatus à loco de Murc sito circa castrum sancti Galli, qui in chartulario Vsercensi dicitur esse positus *in jutzia Ademari Roberti*, id est, intra terminos jurisdictionis ejusdem Ademari. Quippe viri nobiles non dedignabantur per eas tempestates jus dicere in pagis sibi commissis à Vicecomite qui ea loca regebat. Ademarus ergo pronepos Asterii, uti mox dicemus, vocatus Miles Beroardi Vicecomitis Combornensis in eodem chartulario Vsercensi, jus ex delegatione ejus dicebat in nonnullis parrochiis constitutis circa sanctum Gallum. Asterius de Murc filium habuit Robertum de Murc quoque dictum & Archambaldum. Robertus ex Stephana uxore sua sustulit Ademarum Roberti istius nuncupationis primum, Stephanum, qui postea circa annum MLXXX. ex Milite factus est monachus apud Vsercam, Hugonem, Petrum, & Gariendim nuptam circa annum MLX. Ioanni de Chastras filio, ut opinor, alterius Ioannis de Chastras commemorati in chartulario Tutelensi. Hugo Roberti & Stephanæ filius duxit in matrimonium Petronillam, quæ ei peperit Ademarum & Petrum. Ademarus iste circa annum MCXV. in infirmitate positus, ex qua mortuus est, vestem monasticam induit apud Tutelam. Vxor quoque ejus Milisendis postea apud Vsercam accepit habitum monasticæ professionis tempore Bernardi Abbatis. Istius Ademari & Milisendis filios fuit Robertus, propterea nepos Hugonis vocatus in chartulario Vsercensi. Ex hoc Roberto prognatos suspicor Geraldum Roberti monachum Vsercensem anno MCLXIII. & Vv. Roberti Militem, quem anno MCCIX. vixisse reperio, quem verò par est existimare avum fuisse Bernardi Roberti primi istius nominis, (quem Dulcia mater Petri & Guidonis de Chanaco vocat patrem suum) Guillelmi Roberti Canonici Lemovicensis & Abbatis sanctæ Mariæ majoris Pictaviensis, (qui in veteri instrumento anni MCCLXXXVI. vocatur avunculus Geraldi Roberti Militis) & Ademari Roberti, quem veteres memoriæ docent fuisse anno MCCXCI. Præpositum Ecclesiæ Tutelensis. Bernardus ergo genuit hunc Geraldum, Ademarum, Dulciam, & aliam filiam monialem ordinis Fontis-Ebraldi in monasterio Blessacensi. Ex his Ademarus fuit pater Bertrandi Militis, Ademari Cardinalis, Margaritæ nuptæ Petro de Curso Militi, Faræ uxoris Guillelmi de Favariis, & aliarum duarum filiarum monialium apud Bonamsaniam. Bertrandus genuit Beroardum vinculo jugali conjunctum cum Ioanna de Prulliaco, Ademarum Episcopum Lexoviensem & Archiepiscopum Senonensem, Petrum Canonicum Parisiensem & Decanum sancti Germani Autissiodorensis apud Lutetiam Parisiorum, ac præterea, ut opinor, Bertrandum Roberti Episcopum Montisalbani. Istius postremi Bernardi filii fuere Ademarus & Ioannes. Ademarus duxit Margaritam de la Porta ortam ex gente quæ protulit Raynaldum de la Porta Cardinalem, Ioannes verò Bertrandam de Cosnaco neptem Bertrandi de Cosnaco Cardinalis.

Ex eadem, ut puto, stirpe ortus est eorum Robertorum ramus qui de Garda cognominabantur quia apud Gardam locum diœcesos Lemovicensis sedes fixerant. Etenim in chartulario monasterii Tutelensis reperio Petrum Roberti de Garda & Hugonem Roberti de Garda vixisse circa annum MLXXX. eodem nimirum tempore quo vivebant Petrus & Hugo Roberti, quos diximus filios fuisse Roberti & Stephanæ.

Hugonis & Petronillæ ævo vixit Petrus de sancto Gallo monachus Vosiensis ortus haud dubiè ex eadem familia.

Pag. 851. *lin.* 10. *adde*. Habetur nunc in bibliotheca regia numero 4207.

Pag. 858. *lin.* 34. *lege* hinc patet quòd ita vocatur in Necrologio monasterii Casæ Dei, in quo ita scriptum est, *Obiit Dominus Guillelmus Iudicis Presbyter Cardinalis tituli sancti Clementis*, & quòd idem titulus

Pag. 859. *lin.* 49. *adde*. & vetus auctor chronici illorum temporum in codice 5496. bibliothecæ Colbertinæ his verbis: *Anno Domini* MCCCXXVIII. *tempore dicti Domini Iohannis Papæ obiit in pace nobilissimus Dux Calabriæ Dominus Karolus filius unicus illustris Regis Roberti verè catholici de Apulia: qui bonis moribus informatus & probitate multa, & beato Francisco & fratribus suis vera caritate & devotione conjunctus, sicut in vita sua beatum Franciscum & fratres suos vera benevolentia dilexit, ita & moriens separari ab eis noluit, sed in conventu fratrum Minorum in monasterio sancti Laurentii de Neapoli sepeliri se fecit, ut fratres ipsius Ducis semper memores essent quem sepultum ante oculos suos semper cernerent, & caritatis ejus semper memoriam haberent. Hic nobilissimus Dux de generosa stirpe Franciæ & Vngariæ & Karoli Regis primi Apuliæ descendens, & beati Ludovici Episcopi & fratris Minoris nepos carissimus, beati Francisci & beati Ludovici precibus credimus veraciter esse salvatum & sanctis in perpetuum sociatum.*

Pag. 874. *lin.* 9. *lege*. Parentes habuit, non Iacobum de Besla & Dalphinam Rogeriam, ut legitur apud Iustellum, sed Guillelmum de Besla & Almodiam Rogeriam Clementis Papæ

VI. sororem. Testatum id faciunt pactiones matrimonii Guischardi de Combornio & Helidis de Bessia initæ anno MCCCXLII. die XX. Ianuarii. Præterea patrem Nicolai vocatum fuisse Guillelmum docent literæ Philippi VI. Regis Francorum datæ anno MCCCXXXVIII. mense Martio, quibus Guillelmum Aignillon dictum la Besse nobilitatis titulo decoravit ad requestam Petri Cardinalis Rothomagensis, cujus sororem ex nobilibus ortam duxerat. Denique Nicolai matrem sororem suam fuisse testatur ipse Clemens in collatione

Pag. 875. post lineam 48. adde.

Fratrem habuit Nicolaus Petrum dominum de Bellafagia, sorores, ut opinor, duas, Einam videlicet, quam Domicellam suam vocat an. MCCCXXXVI. Maria de Combornio domina Treignaci, & Helidem nuptam viro nobilissimo Guischardo de Combornio nepoti ejusdem Mariæ, quem propterea Clemens VI. apud Odoricum Raynaldum an. 1345. §. 6. vocat nepotem suum. Genus ille suum referebat ad Archambaldum VI. Vicecomitem Combornensem, qui ex Guischarda de Bellojoco genuit Bernardum II. Vicecomitem Combornensem, Guischardum istius nominis primum dominum Chambareti, & Luciam uxorem Hugonis de Noalliis. Bernardus II. uxorem duxit Margaritam filiam Bosonis III. Vicecomitis Turenensis; ex iisque ortum constat Archambaldum VII. qui duo matrimonia expertus est. Prima ejus uxor fuit Maria filia Guidonis III. Vicecomitis Lemovicensis, quæ peperit Guidonem Vicecomitem Combornensem & Brunissendim uxorem Chatardi de Thierno. Secunda uxor Archambaldi fuit Margarita de Ponte filia Godefridi de Ponte domini de Ponte & de Montagnaco, cum qua contraxit matrimonium anno MCCLV. die Martis post epiphaniam. Ex ista uxore plures liberi prodiere, Archambaldus nimirum mortuus ante annum MCCXCIX. sepultus apud Brivam in Ecclesia fratrum Prædicatorum, Bernardus III. Vicecomes Combornensis post Eustachiam, uti postea videbimus, Agassia nupta Bertrando de Montealto, Superana uxor Ramnulphi Heliæ de Pompedorio, & aliæ quinque aut moniales aut quarum status ignoratur. Archambaldus VII. obiit anno MCCLXXVIII. ut est in veteri chronico sancti Martialis. At Margarita ei supervixit usque ad annum saltem MCCXCIX. quo condidit testamentum die Mercurii ante festum annuntiationis beatæ Mariæ. Guido primogenitus Archambaldi duo quoque matrimonia expertus est. Duxit enim primò Amiciam filiam Eschivati de Chabanesio, ex qua nullos liberos habuit, deinde verò Almodiam filiam Gaufridi de Thouvaz, quemadmodum legitur in eodem chronico sancti Martialis. Hoc nomen gentilitium, quia vulgò notum non est, Andreas Duchesnius & Christophorus Iustellus interpretati sunt de nobilissima gente Thoarcensi. Scio tamen eundem Duchesnium conjecturam fecisse de gente Thonnay sive Tauniacensi ad amnem Carantonum in pago Engolismensi; eamque lectionem ego puto esse meliorem, aliam profectam ex imperitia librarii vel lectoris. Quippe in instrumento divisionis bonorum paternorum & maternorum facta anno MCCXCVIII. inter Eustachiam & Mariam filias Guidonis & Almodiæ portus de Tonnay super Charente adjudicatur Mariæ pro parte sua bonorum maternorum: *Item de bonis maternis Maria habeat terram de Alone & terram vocatam Insulam de Rey, portum de Tonnay super Charente.* Post constitutam hanc concordiam, cùm castellania Combornensis adjudicata fuisset Eustachiæ, ipsa se vocabat Vicecomitissam Combornensem. Et mox hunc vicecomitatum ceterasque ditiones suas donatione inter vivos transtulit eodem anno die Mercurii post octavas purificationis beatæ Mariæ in Bernardum de Combornio patruum suum, filium videlicet Archambaldi VII. & Margaritæ de Ponte; *salvo & retento per prædictam donatricem quòd si contigerit ipsam donatricem prolem suscipere ex legitimo matrimonio ex se procreatam, & dicta proles supervixerit eidem donatrici, quòd in dictum eventum dicta donatio nullius sit momenti, & dicta donata ad dictam prolem liberè revertantur. Si verò dictam prolem contigerit decedere sine liberis ex legitimo matrimonio ex se procreatis, voluit dicta donatrix quòd omnia supradicta ad dictum donatarium vel heredes ejusdem liberè revertantur.* Nupsit deinde Eustachia Eschivato de Prulliaco anno MCCCII. & decennio pòst obiit absque liberis. Tum verò Bernardus se Vicecomitem Combornensem dixit & eam ditionem accepit in suam potestatem. Mariam sororem Eustachiæ contentam esse oportuit ea parte bonorum paternorum & maternorum quæ ei obvenerat in eorum partitione. Maria ergo nupsit Guischardo II. de Combornio consanguineo suo. Sed antè quàm ista exequamur, necesse est ut iterum redeamus ad originem illius Guischardi quem diximus Archambaldi VI. filium & Bernardi II. fratrem fuisse. Is ergo Guischardus in matrimonium habuit Matham filiam Imberti de Marchia; ex qua genuit Heliam maritum Superanæ, Imbertum præceptorem domus militiæ Templi de Paulhaco, & Guischardum Canonicum Augustodunensem & Ahentimonasteriensem. Heliæ & Superanæ, quam is duxit anno MCCLIX. post mortem Guischardi patris sui, filii fuere Guischardus II. & Helias. Hic Guischardus sibi vinculo

jugali sociavit, ut antea dixi, consanguineam suam Mariam de Combornio filiam Guidonis Vicecomitis Combornensis. Ea, præter cetera bona, ditionem quoque Treignacensem habuit in dote. Quam ob causam deinceps ipsa, maritus ejus, & posteri eorum se vocaverunt dominos Treignaci. Guischardus iste condidit testamentum anno MCCCII. in quo ita statuit de corpore suo sepeliendo: *Eligo sepulturam in Ecclesia fratrum Minorum de Donzenaco in sepulcro parentum meorum; & volo corpus meum illuc deferri, ubicunque contigerit me mori.* Factum id fuisse evincit testamentum filiæ ejus Mathæ factum anno MCCCLXVII. in quo sic legitur: *Eligo sepulturam in Ecclesia fratrum Minorum de Donzenaco, ubi pater meus est positus.* Et tamen Guischardus V. in suo testamento scripto anno MCCCLXVI. *suam elegit sepulturam in domo seu prioratu de Vinhareria prope Treignacum ordinis sancti sepulcri Hierosolymitani, quia avi & proavi ejus & ipsius pater ibi habuerunt sepulturam.* Videtur autem esse magna repugnantia inter hæc duo testamenta. Quippe Guischardus II. ait sepulcrum parentum suorum esse apud Donzenacum in Ecclesia fratrum Minorum. Contrà Guischardus V. docet avos & proavos suos, in quorum numerum sine dubio veniunt Guischardus II. & pater ejus Helias, sepultos esse apud Vinhareriam. Tempus mortis Guischardi II. non est proditum memoriæ literarum. Illud tantùm scimus, vixisse eum adhuc anno MCCCXIV. die XX. Novembris, qua die tractatum fuit matrimonium Mathæ filiæ ejus cum Eblone filio Heliæ Comitis Ventedornensis. Defunctus autem erat anno MCCCXXX. ut patet ex pactionibus eo anno conventis die sabbati ante festum conversionis sancti Pauli inter Dominam Mariam de Combornio relictam Domini Guischardi de Combornio Militis & Eblonem uxoremque ejus Matham. Maria sanè superaerat anno MCCCXXXVI. quo testamentum condidit quarta die introitus mensis Aprilis. Liberi eorum fuere Ioannes primogenitus, qui vocabatur etiam Guischardus, mortuus, ut arbitror, absque liberis, Guischardus alter, qui continuavit genealogiam, Archambaldus dominus de Podio Moaldi, Guido Canonicus Æduensis, quem puto fuisse etiam Episcopum Lemovicensem, Matha nupta primùm Ebloni Ventedornensi, deinde Bruno domino de Claviers, Superana uxor Raynaldi de Borno domini de Altoforti, & Blancha uxor Ioannis de Ianalhaco. Guischardus III. fuit matrimonii societate conjunctus cum Blancha Ventedornensi filia Geraldi domini de Donzenaco, ut colligitur ex instrumento quo Guischardus V. ejus nepos anno MCCCCX. *assignavit conventui fratrum Prædicatorum Briva centum solidos perpetuò renduales quos potens & nobilis Domina Blancha de Venthedoro quondam avia sua domina de Treignaco & de Chirace eidem conventui legaverat in suo testamento pro anniversario faciendo.* Idem in suo testamento facto anno MCCCLXVI. eandem rursum vocat aviam suam. Guischardi ergo III. & Blanchæ Ventedornensis filius fuit Guischardus IV. maritus Helidis de Bessa, quæ anno MCCCXLII. ei nupsit, ex quibus prognatus est Guischardus V. qui Blancham Ventedornensem vocat aviam suam. Ex testamento ejus liquet uxorem ejus vocatam fuisse Mariam. Sed oportet erratum esse in hoc loco à scriba testamenti, aut hanc Mariam fuisse binominem. Etenim in archivo Ecclesiæ sancti Martialis Lemovicensis exstant acta homagii quod Guischardus dominus de Treignaco præstitit anno MCCCLXIV. pro se & Domina Ioanna de Nalhaco uxore sua pro vigeria sancti Valerici. Ex quo conjecturam sumere licet illum eo anno duxisse Ioannam, cùm ex aliis veteribus actis conscriptis biennio pòst constet Petrum de Nalhaco filium quondam Petri de Nalhaco Militis, qui fuit haud dubiè etiam pater Ioannæ, fecisse homagium pro his quæ tenebat in territorio sancti Valerici. Præterea Matha de Combornio domina de Claviers, quam Guischardi II. filiam fuisse suprà diximus, Ioannam de Nalhaco vocat uxorem nepotis sui Guischardi in suo testamento, Blancham verò sororiam suam uxorem Guischardi fratris sui. Denique Almodia de la Raynaudia, quæ viceconjux fuerat Guillelmi de la Porcharia aliàs de Meillars Domicelli, anno MCCCLXXXIX. die XIV. Iulii nominat executores sui testamenti magnificum & potentem virum Guischardum de Combornio dominum de Treignaco, de Chambareto, & de Petrussia, & nobilem & potentem Dominam Ioannam de Nalhaco consortem ejus. In hoc matrimonio constitutus Guischardus, cùm haud dubiè gravi ægritudine afflictus esset anno MCCCLXVI. die XXV. Novembris testamentum fecit, quo in omnibus bonis suis heredem instituit avunculum suum Dominum Petrum Militem dominum de Bellasagia in diœcesi Lemovicensi, *exceptis iis quæ habet in dominio Combornensi & Essandonensi, ad quæ voluit ut succedat Dominus Archambaldus de Combornio Miles patruus patris ipsius testatoris.* Tum sequitur in eodem testamento: *Voluit tamen & ordinavit expressè & dictum Dominum Petrum avunculum suum onerat & per fideicommissum rogat quantum potest quòd in vita ipsius Domini Petri, si fieri potest, matrimonium celebretur & fiat inter unam de filiabus dicti Domini Petri avunculi cum Archambaldo filio dicti Domini Archambaldi Militis, quo casu ipse Archam-*

baldus sit heres suus universalis. Et si matrimonium non fieret, vel ex eo liberi non nascerentur, succedant filii dicti Domini Petri de Bellafagia, & nominent se cognomine de Combornio, & portent arma integra ipsius testatoris sine differentia aliquali sicut portat ipso testator. Sed hæc providentia vana fuit & inutilis. Etenim Guischardus V. Ioannæ de Nalhaco uxori suæ sterili superstes aliam admodum fœcundam duxit anno MCCCXCIII. Ludovicam nimirum filiam Ludovici de Andusia domini de Vouta in diœcesi Vivatiensi, ex qua plures liberos qui sibi succederent & collaterales excluderent suscepit. Illi hoc ordine numerantur in testamento ejusdem Ludovicæ, Ioannes, qui Vicecomes Combornensis fuit post patrem, Iacobus, Petrus, Guischardus, Margarita, Catherina, Isabella, Helis, & Constancia. Ex his Margarita nupsit anno MCCCCXII. Ioanni de Albuconio domino de Borna.

Guischardum V. dominum Treignaci filium Helidis de Bessa, cujus causa hanc genealogiam enarravimus, Combornensem quoque Vicecomitem fuisse constat. Emerat ille hunc vicecomitatum ab Archambaldo IX. Vicecomite Combornensi circa annum MCCLXXIV. ut docent vetera monumenta illorum temporum, præcipuè verò gesta per annos MCCCLXXIV. & LXXIX. ex quorum prioribus certò colligitur Archambaldum illum fuisse adhuc in possessione ejusdem vicecomitatus eo tempore quo illa confecta sunt, ex posterioribus verò vendidisse illum suum vicecomitatum diù ante annum MCCCLXXIX. Guischardo domino Treignaci. Pœnituit tamen illum postea istius venditionis. Quippe gesta postremi illius anni ostendunt illum ob eam pœnitentiam jura quæ sibi competebant in eum vicecomitatum sic venditum transtulisse in Heliam de Donzenaco Episcopum Castrensem, proavunculum videlicet suum. Sed istud frustra fuit. Nam is Guischardus & posteri ejus hunc vicecomitatum deinceps liberè possederunt.

Major est difficultas circa Guischardum IV. istius patrem. Inter epistolas enim Innocentii VI. duas reperio datas anno MCCCLIII. ad Carolum de Hispania Constabularium Franciæ, in quibus apud eum commendat Guischardum Vicecomitem de Combornio, scribens interim locum ejus de Combornio à rebellibus & æmulis regiis occupatum fuisse. Habet istud inquam magnam difficultatem. Etenim tum Archambaldus filius Bernardi III. Vicecomitis & Blanchæ Ventedornensis hunc vicecomitatum tenebat, tenuitque usque ad annum saltem MCCCLXII. quo testamentum condidit, & Archambaldum IX. fuisse adhuc Vicecomitem Combornensem anno MCCCLXXIV. jam observavimus.

Nunc redeamus ad Petrum de Bessa dominum de Bellafagia. Uxorem is habuit Margaritam de Thierno filiam & heredem Guillelmi de Thierno in Arvernis & Agnetis de Rupeforti, uti videre est in libro primo cap. 2. pag. 26. historiæ Curtiniacensis. Ex eo matrimonio orti sunt Guillelmus dominus de Bellafagia & de Peyraco, qui mortuus est absque liberis, Agnes vel Margarita nupta primùm Beraldo Dalphino anno MCCCLXXIII. deinde Odardo domino de Chaleton circa annum MCCCLXXXIV. & Hiacinetta uxor Ioannis domini de Pettabufferia & de Castronovo. Ita docet Andreas Duchesnius lib. 2. cap. 8. pag. 143. historiæ Castaneiorum. Et sic extincta est gens eorum qui de Bessa cognominabantur.

Pag. 878. *lin.* 16. *adde.* Vide bullam Clementis VI. ad Ministrum generalem & fratres ordinis Minorum editam apud Vvaddingum tom. 3. in regesto pag. 317.

Pag. 882. *lin.* 51. *adde.* De hac mortalitate seu peste agens Ioannes de Rupescissa in commentario super prophetiam Cyrilli eremitæ Presbyteri in codice 5695. bibliothecæ regiæ fol. 167. ita scribit: *Nota quòd anno Domini* MCCCXLVIII. *qui est annus pestis magnæ ira Dei vidi coram me quoddam genus muscarum habentium tibias longas velut aranea & eodem modo plicatas, duas hinc, & duas inde, & unam in verticem, & unam * erectam grossam rectam sub ventre. Et quando à volatu quiescebant in terra, non poterant se in illis quatuor subtilibus altis & longis tibiis sustinere; sed existentes in continuo motu sub illas longas tibias cadebant super illam curtam sub ventre situatam, & inde versùs calum conatu longarum tibiarum protinus ferebantur; & ita in continuo motu & labore manebant.* * curtam.

Pag. 887. *lin.* 42. *addo.* Errant profectò in describenda genealogia istius Radulphi qui nullam Ioannis fratris ejus primogeniti mentionem faciunt. Quippe ex literis Ioannæ matris ejus de fundatione Ecclesiæ parrochialis de Richemont in diœcesi Rothomagensi datis anno MCCII. certò constat hunc Ioannem de Augo fuisse filium primogenitum & heredem Ioannis Comitis Augi, qui eodem anno, ut illic legitur, *in infortunato bello apud Curtracum in Flandria cum ceteris nobilibus interemptus est.* Extant hæ literæ in chartulario Archiepiscopi Rothomagensis.

Pag. 901. *lin.* 41. *lege,* oriundus è loco de Fonte in diœcesi Lemovicensi

Ibid. lin. 46. *lege,* de Fonte & de Rudello

Ibid. post lineam 48. *adde.*

Guillelmus de Agrifolio Cardinalis, de quo nunc agimus, patruum haud dubiè habuit Guillelmum de Agrifolio monachum monasterii Tu.

telensis, quem anno MCCLXXII. & MCCCV. repetio fuisse Cantorem ejusdem monasterii. Ipse in primævo flore juventutis factus est monachus Benedictinus in monasterio Bellilocensi

Pag. 905. *post lineam* 26. *adde.* Ejusdem fratres fuere Raymundus Episcopus Ruthenensis, Petrus Episcopus Vceticensis, Fayditus Cardinalis, & Stephanus Abbas Casæ-Dei in Aruernis, ut docet testamentum Raymundi. Sorores habuit Helinnotam nuptam Bertrando de Veyraco, Florentiam Abbatissam Elnonensem in Ruthenis, Raymundam monialem monasterii de Regula apud Lemovices, & Margaritam, cujus filiæ fuerunt Helis monialis de Regula & Galliena.

Raymundus de Agrifolio fuit primò monachus in monasterio sancti Martialis Lemovicensis, deinde Præpositus de Rossaco in diœcesi Lemovicensi, Prior de Rivopettoso in Ruthenensi, Abbas sancti Ioannis Angeliacensis anno MCCCXLIII. post Petrum de Iudicia, deinde Crassensis anno MCCCXLV. post eundem Petrum factum Archiepiscopum Cæsaraugustanum, demum anno MCCCXLIX. Episcopus Ruthenensis. Ei porrò in regimine monasterii Crassensis suffectus est frater ejus Petrus, qui postea fuit Episcopus Vceticensis, ut docet ipse Raymundus in suo testamento.

In hoc autem loco se offert gravis difficultas. Etenim constat Stephanum Abbatem Casæ-Dei fuisse fratrem istius Cardinalis & ceterorum suprà commemoratorum, adeoque Clementis VI. consanguineum. Rursum ex iis quæ referuntur à Bzovio anno 1216. §. 16. pag. 248. constat Stephanum Episcopum Elnensem, qui ex Abbate Casæ-Dei factus est Episcopus, fuisse consanguineum ejusdem Clementis. Ex quo nos collegimus hunc Episcopum eum esse qui in vulgato catalogo Abbatum Casæ-Dei vocatur Stephanus de Agrifolio, & propterea ita reposuimus in collectione actorum veterum tit. CLVII. Postea verò ad nos missum est testamentum Raymundi integrum, cujus fragmenta tantùm habebamus; in eoque invenimus Stephanum de Agrifolio fratrem Raymundi fuisse adhuc anno MCCCLXXI. Abbatem Casæ-Dei. Quod in illum Stephanum cadere non potest qui fuit Episcopus Helenensis, ad eam cathedram traductus à Clemente anno MCCCL. XVIII. Kal. Februarii. Idem anno sequenti, uti reperi in catalogo Episcoporum Dertusensium inter schedas Hieronymi Pujadesii, translatus est ad Ecclesiam Dertusanam, cujus possessionem accepit XII. Kal. Aprilis. Decessisse autem illum anno MCCCLVI, scriptum est in eodem catalogo. Stephanus ille vocatur Malesti in catalogo Abbatum Casæ-Dei, Nescio autem unde ortus fuerit. Illud solùm scio, fuisse Clementis VI. consanguineum. Ex quo conjectutam capiebam eum qui medius sedit inter Petrum & Stephanum de Agrifolio fuisse ex eadem gente, adeoque de Agrifolio quoque fuisse cognominatum. Sed huic meæ conjecturæ repugnant memoriæ illius monasterii.

Vtar autem hac occasione ut emendem catalogum Episcoporum Helenensium, qui per ea præsertim tempora valde mutilus est & imperfectus. Primùm constat Guidonem Terreni, vulgò vocatum de Perpiniano, anno MCCCXLII. extinctum fuisse. Post illum ponitur Berengarius Balle usque ad annum MCCCXLVI. quo eum sedisse repetiri dicitur in veteribus documentis. Certum est Bernardum Hugonis oriundum è civitate Avenionensi Episcopum Helenensem postea fuisse & mortuum esse anno MCCCXLVIII. in monasterio B. Mariæ de Bona requie ordinis S. Augustini Avenionensis diœcesis, eique suffectum fuisse Bernardum Fornetii Canonicum Helenensem XVIII. Kal. Septembr. ejusdem anni. Munus autem consecrationis ei impensum est in Ecclesia cathedrali Narbonensi à Petro de Iudicia Archiepiscopo, assistentibus ei G. Episcopo Convenarum & Ioanne Gardiensi. Obiit anno sequenti, ut videtur. Nam anno MCCCL. XVIII. Kal. Februarii Clemens VI. episcopatum Helenensem vacantem per obitum Bernardi, qui extra Romanam curiam diem clausetat extremum, contulit in Stephanum Abbatem Casæ-Dei. Stephano deinde translato ad Ecclesiam Dertusanam successit Franciscus quidam, isti verò defuncto Ioannes Iofrevi Episcopus tum Lucionensis, de episcopatu Helenensi provisus ab Innocentio VI. literis datis Avenioni XI. Kal. Decembr. anno secundo, id est, anno Christi MCCCLIV. ut etiam ipse annotatum reliquit in suo Missali. Anno sequenti missus est ab eodem Innocentio in Angliam pacem revocaturus inter Reges Franciæ & Angliæ, ut docet Odoricus Raynaldus an 1354. §. 19. & 1355. §. 26. unde reducem se fuisse mense Maio ipse scribit in eodem Missali. Idem ab Ecclesia Helenensi transiit ad Aniciensem anno MCCCLVII. IV. Kal. Martii.

Pag. 908. *post lineam* 7. *adde.*
Fuisse etiam Præpositum Ecclesiæ Barjolensis in diœcesi Forojuliensi probant vetera monumenta quæ mihi suppeditavit amicitia viri clarissimi Iosephi Antelmii.

Pag. 910. *lin.* 32. Habemus enim literas Ioannis Abbatis Casæ-Dei datas anno MCCCXI. die XV. Octobris, in quibus scriptum est religiosum virum Petrum Rotgerii Bacallarium in theologia fuisse tum Priorem sancti Pantaleonis in diœcesi Lemovicensi.

Pag. 912. post lineam 26. cujus vox ultima est expectans *adde*. De Guillelmo ista leguntur in Necrologio Ecclesiæ Vaurensis ad diem XXIX. Aprilis: *Obitus Domini Guillelmi Amici quondam Præpositi Vaurensis & Patriarchæ Hierosolymitani.*

Pag. 913. lin. 20. extrema adde. & ex actis habitis anno MCCCXLIV. die ultima Iulii inter Papam Clementem VI. & legatos urbis Assisiensis, de quibus dicemus infrà ubi agemus de Bertrando de Chanaco. In illis enim sic scriptum est. *Acta fuerunt hæc apud Villanovam Avinionensis diœcesis in hospitio quondam Domini Neapoleonis Diaconi Cardinalis, in quo tunc inhabitabat præfatus Dominus noster Papa.*

Pag. 923. post lineam 33. adde.

Stephanus Alberti nepos Papæ Innocentii VI. factus est Abbas sancti Illidii Claromontensis anno MCCCXL. & sancti Victoris Massiliensis anno MCCCLXVI. & anno MCCCLXXII. excepit corpus Vrbani V. illuc delatum & oblatum ab Anglico Grimoardi Episcopo Albanensi, ut docent acta edita à Ioanne Guesnæo in Cassiano illustrato pag. 634. Obiit Stephanus anno MCCCLXXVIII. & sepultus est in monasterio sancti Illidii in introitu capituli juxta sepulcrum Abbatis Poncii. Videtur autem ei in regimine monasterii sancti Illidii successisse Guillelmus de Vlmo, quem postea Gregorius XI. anno MCCCLXXVI. olim Abbatem monasterii sancti Illidii, ut ipse loquitur, gratiosè transtulit ad monasterium Casæ-Dei in Aruernis.

Pag. 927. lin. 29. post vocem Clementis *adde*. Raymundus quoque de Agrifolio Episcopus Ruthenensis, ut ipse testatur in suo testamento: *Item confiteor & recognosco me teneri monasterio Casæ-Dei Claremontensis diœcesis in centum florenis auri quos pro fabrica ipsius monasterii obtuli & promisi eidem dum felicis recordationis Dominus Clemens Papa sextus fuit inibi tumulatus.*

Pag. 928. lin. 15. post vocem Francorum *adde*. Pactiones istius matrimonii editæ sunt à Paulo Hayo du Chastelet inter probationes historiæ Bertrandi du Guesclin pag. 309. datæ in abbatia de Prulleyo anno MCCCLII. die septima Iulii. Vide Froissartum

Pag. 935. lin. 20. post vocem Cardinalis *adde*. Eorundem filius fuit Raynulphus Cardinalis Sistaricensis, ut dicemus infrà.

Dele quæ paulò pòst isthic dicuntur de eodem Raynulpho connumerato inter liberos Stephani de Monteruco.

Ibid. lin. 29. lege, ex qua prognatæ sunt Guiota nupta Ioanni de Albuconio domino de Borna & Catherina

Pag. 942. lin. 49. post vocem bibliothecæ *adde*. Scripsit etiam commentarium super prophetiam Cyrilli eremitæ Presbyteri, qui extat in codice 5695. bibliothecæ regiæ. Præterea revelationum ejus fragmenta reperiuntur in codice 2385. ejusdem bibliothecæ Colbertinæ & in codice 3786.

Pag. 948. post lineam 7. adde.

Henricus Comes Trastamatæ in tractatu inito cum Ioanne Rege Franciæ anno MCCCLXII. die XIII. Augusti edito inter probationes historiæ Bertrandi Guesclini pag. 313. ita ait: *Item que nous mettrens tout nostre peuvoir sans fraude & sans mauvais engin à emmener avec nous hors dudit royaume l'Archiprestre & aussi à mettre hors dudit royaume tous les gens dudit Archiprestre sans jamais y retourner pour faire guerre.* Extat in regestis

Ibid. lin. 15. adde, & in veteri annotatione edita inter probationes historiæ Bertrandi du Guesclin pag. 197. uti post commemoratam eam pugnam additur: *Nota quòd Archipresbyter fecit ibi mulieriter.* Falsus est ergo Paulus Hayus, qui hanc additionem de Archipresbytero scribit falsam & ineptam esse.

Pag. 965. post lineam primam adde.

Ea tempestate Laurentius Archiepiscopus Bracarensis de multis gravissimis criminibus accusatus ac convictus à Petro Tenorio tum electo Archiepiscopo Toletano, Martino Episcopo Silvensi, & Valasco Cantore Bracarensi, quos Gregorius XI. judices in hac causa dederat, sede sua privatus erat, & deinde à Clemente VII. Gregorii successore, ut opinor, ad Tranensem Ecclesiam translatus. Istud ille graviter & iniquo animo tulit; utque se ulcisceretur, ad Vrbanum VI. confugit, cujus auctoritate Ioannes de Aurelia Presbyter Cardinalis tituli sanctæ Sabinæ sententiam judicum à Gregorio XI. delegatorum cassavit, Laurentioque restituit gradum ac dignitatem. Facile autem illi tum fuit recuperare cathedram suam, Ferdinando Rege Lusitaniæ uondum transgresso in partes Clementis VII. apud Avenionem commorantis. Sed cùm brevi postea idem Rex agnovisset meliorem esse conditionem Clementis, adeoque legationem ad eum misisset, ecce de integro bellum, si ita loqui fas est, propter cathedram Bracarensem, quam sibi à Clemente restitui postulabat Laurentius. Negavit Pontifex propter multiplices rationes, in primis verò quòd diceret quòd cùm Laurentius propter facinora sua ingratitudinesque diversas ad aliam Ecclesiam fuisset de Bracarensi translatus, non poterat juridicè hujusmodi translatio revocari, sed potiùs illi Ecclesiæ debebat de alio pastore provideri. Scripsit propterea Laurentius ad Ioannem Episcopum Vlyssipponensem, qui tum erat apud Clementem. Ioannes verò ad eum rescribens multas difficultates opposuit. Et tamen ei modos aperuit qui-

bus uti eum par erat ad mitigandam iram summi Pontificis & Cardinalium. Inter cetera valde commendat affectum Hugonis de sancto Martiale & Guillelmi Noelleti erga eum, his omnino verbis utens: *Porrò, ut sitis plenariè informatus, ne aliquid taceamus quod de facto in vestri contrarium opponatur, omnes Domini Cardinales clamitant contra vos asserentes quæ superiùs sunt expressa; Dominis sancti Angeli & sancti Martialis exceptis; cui sancti Martialis si vos ipsum serviendo daretis, non satisfaceretis, ut credimus, zelo & animo quanto pro vestra reparatione laberat. Ipse quidem & nos super præmissis omnibus vos excusavimus ut meliùs potuimus. Attamen non poteramus rationes adinvenire tam fortes quin eorum existerent fortiores. Tentavimus etiam placare lenibus supplicationibus nostris sanctissimum Dominum nostrum Papam. Sed cùm nostros percipiebat sermones, dicebat in responso supplicationes pro inobediente & pertinaci penes eum procedere nusquam posse. Quod videntes ipse Dominus sancti Martialis, qui jam septem vel octo de aliis Dominis Cardinalibus super hoc est pleniùs allocutus, nosque decrevimus prædicti Domini sancti Angeli fore expectandum adventum, ut ipso juvante, omnes alii Domini pacificari valeant & iram conceptam postponere contra vos, ac tandem cœtum insimul facientes, voce unanimi supplicare.* Epistola illa extat in codice 755. bibliothecæ Colbertinæ. Nusquam reperimus quò evaserit istud negotium. Verùm cùm Ferdinandi mors, quæ brevi postea subsecuta est, magnam mutationem attulerit in Lusitania, probabile est Laurentium inter has turbas & bella domestica prætetitum fuisse, & favore Ioannis novi Regis, qui in Vrbani partes transierat, retinuisse sedem Bracarensem.

Pag. 968. post lineam 27. adde.

Matrimonium istud Petri Infantis & Ioannæ Fuxensis celebratum esse anno MCCCXXXI. satis constat. De tempore verò major est difficultas. Hieronymus quippe Surita lib. 7. annal. Arragon. cap. 14. scribit decretum fuisse ut apud Castellionem in agro Emporitano celebraretur in octavis Paschæ. Ioannes autem de Arragonia Patriarcha Alexandrinus Petri frater in epistola tum scripta ad Geraldum ministrum generalem ordinis fratrum Minorum & ceteros fratres apud Perpinianum congregatos ait se capitulo eorum, quamquam id valde cuperet, interesse non posse propter concurrentem solemnitatem nuptiarum inclitî Domini Infantis Petri germani sui. Epistola porrò illa data est Gerundæ die Martis post ascensionem Domini nostri Iesu Christi. Ex quo colligi debere videtur nuptias quæ coire debebant in octavis Paschæ dilatas fuisse in ascensionem. Epistola illa edita est à Vvaddingo an. 1331. §. 9. ex veteri codice M. qui nunc censetur in bibliotheca Colbertina num. 5496. signatus. Edita est autem cum aliquot mendis, leviusculis sanè, sed tamen mendis. In titulo legitur *in Christo filiis Reverendissimis* pro quo in veteri codice habetur *in Christo sibi carissimis*. Infrà editum est *Patri Francisco impressis*, cùm in eodem veteri libro scriptum sit *patri beatissimo impressis*. Et mox reponendum est *usque in finem*. Ceterùm Ioannæ uxoris Petri mentio est in bulla Clementis VI. qua utrique facit potestatem ædificandi domum ordinis fratrum Minorum in loco de Gandia diœcesis Valentinæ. Edidit illam idem Vvaddingus tom. 3. in regesto pag. 268.

Pag. 993. lin. 17. adde. Hic verò Petrus videtur fuisse avus Iacobi Sudre, cujus mentio habetur in veteri instrumento acto Aquinæ ante portam fortalicii superioris ejusdem loci anno MCCCC. die XVII. Maii, in quo Alayda de la Sudria uxor Stephani Cboutardi habitator loci prædicti Aquinæ vocatur soror & heres universalis quondam Iacobi Sudre loci prædicti Aquinæ.

Pag. 997. lin. 40. post 415. adde. Porrò pater ejus Ademarus erat Miles & dominus de Gramato in diœcesi Cadurcensi anno MCCCXL. die nona Iunii & anno MCCCL. die septima Ianuarii, ut docent vetera monumenta archivi Turennensis. Ejusdem Ademari filius & Guillelmi frater fuit Ademarus, quem Benedictus XIII. recenter electus misit ad Regem Arragonum ut illum faceret certiorem de sua electione, ut lib. 10. annal. Arragon. cap. 53. testatur Surita. Fratrem habuit præterea Ioannem, quem pater emancipavit anno MCCCLXVI. quemque Guillelmus Cardinalis heredem suum instituit in bonis paternis. Sorores habuit Mariam nuptam Raymundo de Landuno nobili Occitano, quam anno MCCCXCII. extinctam fuisse suprà pag. 865. adnotatum est, Helenam, Dulciam, & Florentiam, vinculo jugali sociatam cum Domino de Casillaco. Ioannis filius & heres universalis fuit Elziarius de Agrifolio Domicellus dominus baroniatum de Gramato & de Theminis in eadem diœcesi Caducensi anno MCCCXCVI. & MCCCCVII. cujus nepos fuisse videtur Hugo de Agrifolio Miles Baro de Gramato anno MCCCCLXXI.

Guillelmus erat Canonicus Lemovicensis anno MCCCLXI. & MCCCLXV. quo studiis literarum dabat operam in academia Tolosana, ubi fuit factus Doctor decretorum.

Pag. 1000. lin. 39. post verbum Romanis *adde.* Insigne vitum est referre in hoc loco testimonium Fernandi Petri Decani Tirasonensis, qui interrogatus super articulo 52. casus secundi electi *respondit quod finitis Missis*

fuit mandatum per unum Cardinalem dicti testi & servitoribus Cardinalium qui stabant in dicta capella quòd exirent foras. Et per spatium media hora modicum plus vel minus, ut sibi videtur, ipso stante cum aliquibus aliis ad portam conclavis, vidit exire de dicta capella Cardinales de Agrifolio & de Vrsinis, & dixerunt eis quòd aperirent fenestram porta conclavis. Et illa aperta, Cardinalis de Vrsinis cœpit dicere multùm dura verba contra populum propter rumorem & insultum quos faciebant. Et inter cetera dixit ista verba vel similia in effectu: O maledicti. Et quid creditis facere? Creditis habere Papam per istum modum? Hodie supponitis huic urbi ignem qui nunquam extinguetur donec destruatur. Et videtur isti testi quòd illa dicebat cum magno dolore, quia vidit eum tunc lacrymantem. Hoc nonobstante populus qui erat extra in camera cum majori furore clamabat dicendo: Romanum vel Italicum volumus. Et aliqui custodum, audiente dicto teste, dixerunt dictis duobus Cardinalibus ista verba vel similia in effectu: Domini, expediatis vos complacendo & faciendo quod volunt isti Romani. aliàs mortui estis. Et retraxerunt se modicum dicti Cardinales à fenestra, & Cardinalis de Agrifolio cepit Dominum Cardinalem de Vrsinis per mantellum, & dixit sibi: Vadamus vadamus, Domine; potiùs volo eligere, non solùm Italicum vel Romanum, imò diabolum quàm mori. Et ita intrarunt capellam, ubi erant alii Cardinales. Et dictus testis simul cum aliis, ut suprà dixit, ivit ad quærendum locum per quem possent exire Cardinales & ipsi, ut suprà dixit in articulo istius casus. Et post hoc quasi per spatium media hora, ut sibi videtur, vidit prædictos duos Cardinales, & videtur sibi quòd Cardinalis Florentinus fuisset cum illis qui clamabant ad fenestram porta conclavis quòd aperiretur. Et tunc iste testis ivit ad eos, & audivit quòd dictus Cardinalis de Vrsinis incepit increpare populum propter rumorem quem faciebant; & post dixit eis quòd starent in pace, quia ipse promittebat eis quòd infra diem sequentem ante horam tertiam haberent Papam Romanum vel Italicum. Et populo non contento de tanta dilatione asserente quòd statim volebant eum habere, ut videtur isti testi, Cardinalis de Agrifolio ambabus manibus elevatis ad populum dixit eis: State in pace, quia ego promitto vobis quòd hodie per totam diem habebitis Papam Romanum vel Italicum. Et tunc dicti Cardinales recesserunt & intrarunt capellam. Et post hac per magnum spatium, quia, ut videtur isti testi, erat plus quàm hora tertia, cùm esset iste testis prope cameram Cardinalis Majoris monasterii, vidit exire Cardinalem de Vrsinis & alium cum eo, de quo non recordatur quis esset, & petiit papyrum & incaustum ab illo teste, ut dixit in XLVII. capitulo alterius casus. Et ab ista hora inantea, data cedula, cessavit rumor.

Pag. 1003. *post lineam* 4. *adde.*

Magna tamen est in hoc loco discrepantia inter testimonia quæ loquuntur de initiis pontificatus Vrbani. Quædam enim ea referunt ad Cardinales Lemovicenses, alia ad Cardinalem de Luna, ad Gebennensem, denique ad Italos. Frater Menendus Episcopus Cordubensis factus per Vrbanum interrogatus super articulo 27. casus ejusdem Vrbani ait audivisse se deliberationis de eligendo Bartholomæo auctores fuisse Cardinales Lemovicenses, Cardinalem sancti Petri, & Mediolanensem. Franciscus Ferdinandi Cantor Palentinus interrogatus super articulo 65. casus secundi electi respondit sibi à Bindone secretario Cardinalis Florentini, *qui fuerat intus in conclavi cum dicto Cardinali*, ista verba fuisse dicta Romæ antequam Cardinales relinquerent urbem Romam: *Dominus noster Papa multùm mihi tenetur, quia ego nuntiavi sibi primò quòd ipse erat Papa. Nam Dominus meus Cardinalis Florentinus existens in conclavi dixit mihi: Nos alii misimus pro certis prælatis, inter quos veniet Archiepiscopus Barensis. Dicas sibi ex parte mea quòd omnes nos alii sibi dedimus voces nostras, & quòd si petitum fuerit ab eo quòd consentiat, faciat omnino.* Istud verò falsum esse, ut hoc quoque obiter adnotemus, hinc certò colligi posse videtur quòd nihil istiusmodi reperitur in depositione Bindonis, qui contrà multa dixit quæ evincunt Cardinalem Florentinum non probasse electionem Vrbani. Stephanus Episcopus Tudertinus in depositione sua ait Robertum Cardinalem Gebennensem fuisse auctorem electionis ejus. Hæc sunt ejus verba: *Eodem die Dominus Agapitus rediit de Zagarolo, ubi erat Dominus Gebennensis, & retulit Domino nostro quomodo Dominus Gebennensis promiserat omnino nocte sequenti se venturum, & quomodo dixerat sibi, Iste est verus Papa, & jactabat se quomodo ipse fuit causa creationis sua.*

Pag. 1005. *post lineam* 51. *adde.* Immo die Iovis in cœna Domini celebrasse eum sacrum Missæ sacrificium ac reliquum officium ecclesiasticum peregisse coram eodem Vrbano fidem facit Alvarus Gundisalvi Canonicus Cordubensis interrogatus super 76. articulo casus primi electi.

Pag. 1014. *post lineam* 14. *adde.*

SVGERIVS] Sic profectò scriptum est in veteribus libris. Ego tamen arbitror reponendum esse *Guterius*. Quippe id nomen suetum in Hispania & in familia Gomeciorum, ut patet etiam ex iis quæ infrà dicentur de Guterio Gomecii Cardinale Clementis VII.

Pag. 1037. *post lineam* 45. *adde.*

EVM PRÆCESSIT] De introitu

Karoli

Karoli IV. Imperatoris in urbem Romam ita ad Ioannem Boccacium scribebat qui præfecos erat Linus Colutius Salutatus : *Qua fuerit populi fronte receptus, quo apparatu, tamen, licèt omnia Principum gesta memoria digna sint, nihil fuit tunc mihi notabilius quàm miranda tanti ducis humilitas; qui scilicet fericeum tegmen vix voluerit subire, & uno penè miliari ab urbe remotus ex equo descendit, & sacratissimum illud solum olim sanctorum sanguine pingue peditando reverenter pressit. Tunc vidisses circumfusam suorum nobilium manum cum gaudio & exultantum vocibus illum ambire. Supra eum parvo vexillo aquila penè naturalis pendebat in auro. Inter geminos Cardinales, qui eum dextra lævaque fulciebant, usque ad Petri basilicam incessit. Unum fuit aspectu minus pacificum, quòd scilicet ensifer suus nudo gladio latus ejus armabat.* Ex codice 5121. bibliothecæ Colbertinæ.

STRATORIS VICEM] Colutius post verba mox relata statim subjungit : *Deinde venit lætissima dies qua Christi vicarius stratore Augusto Romam intravit. Iesu bone! quod illud spectaculum fuit quando duo totius orbis maximi principes imò singulares monarchæ tanta pace, tanta concordia, tanta alacritate, tanta benivolentia, hic animarum, ille corporum moderator, insimul convenere, quando Urbanus pontificali apparatu, candido equo impositus, frenum Cæsare bajulante, urbem invectus est. Obequitabant præsules, eorumque principi tantum reddi debitum gratulabundi respiciebant. Tunc videres Romanos rerum dominos gentemque togatam, ut Maro ait, in equis atque vexillis diem festum agitantes vario circumflexu. Plebs etiam & utriusque sexus populus tanto gaudio tam celebrem conjunctionem duorum orbis capitum prosequebantur, & denique pacis amatores tanta de concordia lætabantur quòd non sine devotione talis spectaculi intuitu vix poterant satiari. Aliqui omnia derivantes in pejus Cæsaris pusillanimitati talem imputant famulatum, quidam etiam fictæ humilitati. Aliqui Ecclesiæ nomini semper infesti hoc pium obsequium aut deridebant aut damnabant obstinata protervia. Ego autem tanto gaudio perfusus sum ut vix meimet capax forem, aspiciens, quod parentum nostrorum memoria & temporibus invisum fortè & insperatum fuit, papatum cum imperio convenire, carnem obtemperare spiritui, & denique terrenum imperium cælesti obsequi monarchiæ.*

Pag. 1040. *lin.* 19. *adde.* Ejusdem Petri meminit Franciscus de Zabarellis Cardinalis in prologo lecturæ suæ super Clementinis, ubi testatur illum publicè interpretatum esse Clementinas in Montepessulano.

Pag. 1048. *lin.* 45. *lege* Episcopum Zamorensem, qui eos

Pag. 1049. *post lineam* 19. *adde.*

Episcopum Zamorensem cujus paulò antè fecimus mentionem vocatum fuisse Alvarum docet codex Harlæanus, in quo descripta sunt *Dubia Domini Toletani*, ut fert titulus, *data Domino Alvaro Episcopo Zamorensi, qui ibat Nicîam ad Cardinales Florentinum & de Mediolano.*

Pag. 1052. *post lineam* 11. *adde.*

Anno MCCCCIV. die octava Septembris apud Avenionem scripto prompsit sententiam suam circa electiones Urbani sexti, quem vocat apostaticum, schismaticum, intrusum, & Clementis septimi, quem ait fuisse verum sanctæ Romanæ ac universalis Ecclesiæ summum Pontificem & pastorem. Extat hæc illius declaratio in tomo quinto historiæ Universitatis Parisiensis pag. CXC.

Ibid. lin. 32. *adde.* Ea tamen fama in primis erat de Italis, ut fidem facit Linus Colutius Salutatus in epistola scripta ad eundem Petrarcham anno MCCCLXVIII. III. Non. Aprilis; in qua excurrens per laudes Urbani V. quem vocat reparatorem, non solùm urbis, sed totius Italiæ, & si fata patiantur, etiam orbis, addit : *Quid dicam Italicorum clericorum lascivias, quibus etiam, ut audio, in hoc orbe Romano amplior licentia erat, quanta videres severitate repressas.*

Pag. 1053. *lin.* 7. *post vocem* curari *adde.* Thomas Iamesius in Ecloga Oxoniæ-Cantabrigiensi pag. 105. refert extare apud Cantabrigiam in archivis collegii Caii & Gonellii veterem codicem MS. cum hoc titulo : *Liber de regimine vitæ humanæ editus à perito viro magistro Arnaldo de Villanova in præclaro studio Montispessulani.*

Pag. 1055. *lin.* 38. *post vocem* regium *adde.* Eædem Roberti lucubrationes, quamquam non integræ, extant etiam in codicibus 4206. & 5372. bibliothecæ regiæ. Ei Nicolaus

Pag. 1056. *post lineam* 47. *adde.*

GVILLELMVM] Cùm ista per typographos ederentur non animadverti mendum esse veteris libri ex quo ista sumpta sunt, ideoque non emendavi. Reponendum est itaque *Gometium.* Agitur enim istbic de Gometio Albornotio, quem fuisse virum insignem patet ex codice epistolarum Gregorii XI. & ex vita Cardinalis Ægidii Albornotii patrui ejus scripta à Genesio Sepulveda.

Illum in Italiam secum duxit Ægidius anno MCCCLIII. & anno sequenti, cùm Innocentius VI. (ut ex regestis ejus docet Odoricus Raynaldus anno 1354. § 4.) ei injunxisset ut senatorem & ductorem agminum daret urbi Romæ Gometium senatorem ducemque exercitus fecit. Colligitur istud ex depositione facta in initio schismatis ab Alvaro Gundisalvi Canonico Cordubensi, qui interrogatus super articulo 51. casus Urbani VI. *dixitse au-*

dixisse quòd campana non pulsabantur Romæ ad martellum nisi quando fiebat senator & tempore guerræ & rumoris, & quòd ipse existens Romæ audivit pulsari campanam capitolii quando Dominus Gometius senator exivit in exercitu contra Griperolam & contra Civitatem veterem. Vrbem porrò veterem captam esse ab Ægidio anno MCCCLIV. docent Matthæus Villanius lib. 4 cap. 10. & Cyprianus Manens civis Vrbevetanus lib. 3. historiarum suarum.

Anno MCCCLX. Ægidius Gometium Bononiæ firmo attributo præsidio præesse jussit, ut ait Sepulveda, non tamen ut urbis illius rector esset, sed dux exercitus. Rector enim constitutus est alter Ægidii nepos, qui tum regebat Marchiam Anconitanam, Blaseus Fernandus, ut in libro 23. historiæ Bonon. pag. 242. 244. tradit Cherubinus Ghirardaccius. Gometium deinde Bononia excedentem anno MCCCLXIV. summo honore non sine lacrymis prosecutos esse cives testes sunt iidem Ghirardaccius lib. 24. pag. 275. & Sepulveda.

Illum postea Vrbanus V. constituit vicarium pro Romana Ecclesia generalem in temporalibus in civitate Asculana ejusque comitatu & districtu, quemadmodum facilè colligitur ex eodem codice epistolarum Gregorii XI. & ex informatione seu potiùs instructione quam Anglicus Grimoardi Episcopus Albanensis dedit Petro de Stagno Cardinali successori suo in gubernatione Bononiæ & aliorum locorum huic legationi subjectorum. Ea administratione ornatus Gometius se familiamque suam transtulit Asculum. Verùm anno MCCCLXXV. die ultima Februarii ea civitas rebellavit, & Gometium uxoremque ejus ac liberos in arce obsessos diù tenuit cum auxilio Perusinorum & Florentinorum, unde discessere cum æquis conditionibus mense Septembri sequentis anni. Ita rem gestam tradit Boninsegnius pag. 566. historiæ Florentinæ. Quamquam Leonardus Aretinus lib. 8. historiar. Florentinar. rem paulò aliter narrat, additque eam arcem postea ad solum eversam esse.

Gometium mortuum esse Anagniæ anno MCCCLXXVII. die XII. Augusti uxoremque habuisse nomine Constanciam prosapia generosa præclaram multisque virtutum ornatibus insignitam ac filium ex ea legimus in laudato codice epistolarum Gregorii XI. ex quo etiam discimus illum fuisse dominum Piscariæ in Aprutio. Hinc facile est agnoscere falsò Cyprianum Manentem scripsisse Gometium fuisse occisum anno MCCCLXVII. & corpus ejus fuisse sepultum apud Assisium in Ecclesia sanctæ Mariæ de angelis.

Pag. 1057, post lineam 15. adde.

ECCLESIAS ROMANAS] De hac Vrbani V. cura erga Ecclesias urbis Romæ sic ad Petrarcham scribebat ea tempestate Linus Colutius Salutatus: *Videres etiam, quod tu ipse jamdin deplorasti, templa collapsa, quorum opificia & devotione & sanctuariis veneranda ipsa quidem mole admirabilia sunt, ferventi opere refici. Delectareris, scio, (novi enim animi tui pietatem) cùm videres Lateranensem basilicam incendio penè consumptam undique resarciri, Pauli sacratissimam ædem, cujus rectores deformem ejus ruinam jamdiu neglexere, nunc non minori studio restaurari quàm constructa fuit, in quod opus nedum quicquid ex defuncto Abbate repertum est, sed de publico fisco ille omnium Ecclesiarum princeps ingens aurum liberè condonavit, & nunc circa Petri delubrum, cujus de majestate tacere potiùs quàm pauca prosequi consilium est, ne olim corrumpenti vetustate marcescant, summo opere provideri.* Ex quo interim loco colligi posse videtur vanitas narrationis quæ paulò pòst sequitur de punita ambitione Abbatis sancti Pauli.

Pag. 1058. lin. 10. initio adde. Publicè quoque docebatur Bononiæ ex instituto Innocentii VI. ut docet ejus bulla apud Sigonium lib. 3. de Episcopis Bononiensibus.

Pag. 1059. linea 3. post vocem intelligemus *adde.* ea quæ in antiquis statutis academiæ Tolosanæ leguntur, in quibus certò deprehendimus magistros & lectores theologiæ illic fuisse per annos MCCCX. MCCCXIV. MCCCXXIII. & MCCCXXVIII. Rursum quonam modo intelligamus id quod Clemens

Ibidem lin. 31. adde. Hanc nostram interpretationem confirmant verba Innocentii VI. de concessa urbi Tolosanæ studio generali in theologica facultate, quæ sic habent: *Volumus & eidem Vniversitati præsentium auctoritate concedimus quòd regentes & studentes in facultate prædicta omnibus privilegiis, libertatibus, & immunitatibus concessis regentibus atque studentibus in quibusvis generalibus studiis gaudeant & utantur.* Vrbanus porrò nihil statuit in eadem academia pro studio theologicæ facultatis, sed tantùm conservatores huic academiæ dedit Episcopum Rivensem, Priorem beatæ Mariæ Deauratæ, & Præpositum Ecclesiæ Tolosanæ. Extant porrò etiamnum statuta antiqua theologiæ facta tempore Domini Amelii de Lautrico Cancellarii venerabilis studii Tolosani anno MCCCLXVI. in quibus mentio fit bullæ Innocentii VI.

PRO PACE INTER EOS] Linus Colutius Salutatus in epistola paulò post mortem Vrbani V. scripta ad Franciscum Bruni sic loquitur de extremis ejusdem Vrbani: *Ad hanc igitur urbem Ecclesiam diù vagam & errantem induxerat, & fratrum suorum tanta indignatione detinuit ut videretur hoc sanctum propositum nonnisi mortis tempore dimissurus. Et ecce seu Italia fato, seu Galliarum fortuna,*

sive gentis illius mutabilitate nativa, omnium admiratione subitò relinquere Latium destinavit; puto, & sic fama est, ut, sicque credi volebat, Angliæ ac Francorum Reges conciliaret, & fertè, ut fas est de tanto viro præsumere, & ut ad Italiam quandoque rediret.

Pag. 1066. *lin.* 30. *post illa verba*, verus est Papa, *adde.* Idem Alvarus interrogatus à legatis Regis Castellæ super vigesimo capitulo casus primi electi *dixit se audivisse à Domino Agapito quòd quando ipse iverat ad dicendum Cardinalibus quòd venirent ad primum electum, exivit ad portam castri sancti Angeli Camerarius cum quadam parva securi in manu, & quòd dixerat sibi: Quid facit ille stultus? Credit quòd est Papa? Ita modicum est Papa sicut ego. Et dixerat statim sibi frater suus Cardinalis Lemovicensis: Tace, quia ipse est verus Papa.* Ipse Petrus Camerarius idem testatur in depositione sua: *Et post venerunt aliqui dicentes quòd erant ibi ad portam aliqui Baudarenses & alii Romani & volebant intrare. Tunc iste voluit quòd viderent statum suum & qualiter erat munitus, & posuit homines armorum ad unam partem bene munitos, qui erant bene quatuor viginti; & ipse Camerarius habebat unam bacham ferri in manu, & dixit Romanis, quando intraverunt, ista verba: Credit ille fatuus quòd sit Papa? Certè ego non reputo eum Papam.* Frater Angelus Episcopus Pisaurensis interrogatus super LXV. capitulo casus primi electi dixit inter cetera *quia Camerarius Domini Papæ misit ad dicendum Domino Barensi quia non intendebat in aliquo obedire sibi & ita modicum ipse erat Papa sicut asinus suus.*

Pag. 1070. *post lineam quartam adde.*

Post ista edita, cùm ad me delata è Lemovicibus fuissent pacta matrimoniorum, testamenta, & alia vetera ac recentia instrumenta illius gentis, omnia authentica & extra omnem suspicionem, decrevi retractare quæ de isto Cardinale & ejus majoribus ac posteris antea dixi, quæ nimis jejuna sunt in comparatione eorum quæ dicturus sum. Ac primò quidem proferam quæ in veteribus chartulariis monasteriorum Vosiensis & Usercensis reperi ad Cosnacos pertinentia, quamvis certò nequeamus ostendere quonam modo ex illis veteribus descenderint ij qui post annum Christi millesimum ducentesimum usque ad nos pervenere certa & non interrupta genealogia. Antiquiores tamen istorum progenitores extitisse nullatenus dubito, atque ut ita credam adducor etiam ob nomen Engalvini sive Ingelvini, quod & in antiquioribus illis reperitur, uti mox visuri sumus, & in illis qui paulò post annum millesimum ducentesimum vixere. Nam Petrus I. in suo testamento anno MCCLXX, quædam dona faciens propinquis suis, legat centum solidos *filiabus duabus Augelvini.*

Primum ex ea gente reperio Israelem & uxorem ejus Guintardim, quas certò constat fuisse parentes Petri & Geraldi de Cosnaco. Isti verò vivebant circa annum millesimum octuagesimum. Petrus uxorem habuit Belieldim; quæ ei peperit Ebolum, Gauzbertum, Geraldum Presbyterum, Galterium, & Stephanum Presbyterum. Geraldi illius quem primò nominavi puto filios fuisse Ioannem de Cosnaco, qui circa annum MCXXX. impignoravit quartam partem justiæ sive justitiæ Aldeberto Abbati Usercensi, & Bartholomæum patrem Engalvini, qui propterea ætatem produxisse potuit usque ad annum MCLXXX. adeoque videtur fuisse pater Guillelmi de Cosnaco istius nominis primi, à quo incipit certa genealogia.

Guillelmus I. de Cosnaco Miles, ita vocatus in testamento filii ejus Petri, fratrem habuit Hugonem rectorem & capellanum Ecclesiæ sancti Supplicii de Cosnaco. Ipse, ut puto, uxorem accepit in gente eorum qui cognominabantur de Malafayda, cujus cognominis sub Innocentii II. pontificatu fuit Aymericus Patriarcha Antiochenus. Etenim filius ejus Petrus in suo testamento Hugoni fratri suo, si moreretur absque liberis, substituit unum de filiis Domini Geraldi de Malafayda Militis consanguinei sui, illius nimirum quem idem Hugo anno MCCLXXXII. constituit executorem sui testamenti. Guillelmus ergo fuit pater Petri istius nominis primi, Hugonis, & Guillelmi Canonici de Benevento in diœcesi Lemovicensi, & duarum filiarum; quarum una fuit mater G. Fabri, alia mater Petronillæ Magistri. Ejusdem filium quoque fuisse facilè crediderim Bartholomæum de Cosnaco Domicellum, cujus mentio est anno MCCLXV. in veteri instrumento archivi Cosnacensis. Petrus I. Guillelmi filius uxorem duxit Margaritam Gaufredi sororem Guillelmi Gaufredi Militis, & obiit ante annum MCCLXXXII. absque liberis. Itaque Hugo I. adivit hereditatem ejus. Iste matrimonii vinculo junctus fuit cum Petronilla de Ornhaco, quæ ei superstes fuit. Quippe Hugonis jam defuncti mentio habetur anno MCCLXXXVII. & uxoris ejus tanquam viventis anno MCCC. meminit Guillelmus II. eorum filius in suo testamento. Liberos suos hoc ordine recenset Hugo in suo testamento anno MCCLXXXII. Guillelmum, Girbertum, quem vult esse clericum, illum ipsum nimirum quem in Necrologio Ecclesiæ Tolosanæ reperio fuisse Archidiaconum Meldensem & tandem Canonicum Tolosanum, Petrum, Hugonem, & Aymericum, quos jubet fieri religiosos, & Dalphinam. Guillelmus II. de Cos-

naco, vir ea re n pestate memorabilis, desponsam habuit admodum puer Almodiam de Malaguisa, & ipsam quoque valde pueram, filiam Bernardi de Malaguisa de Donzenaco & Matiæ Veotedotnensis, quæ sorot erat Raymundi & Heliæ de Ventedoto Militum, neptem verò, ut par est existimare, Guidonis de Malaguisa Abbatis sancti Martini Lemovicensis. Ea Guillelmo marito magnam liberorum catervam procreavit, Hugonem nimirum istius hominis secundum, Bertrandum Cardinalem, Petrum monachum & Priorem monasterii de Baxeria Badili in diœcesi Lemovicensi, quem reperio mortuum esse Tolosæ pridie Nonas Aprilis, Guillelmum jurisperitum, Guillelmam uxorem Guidonis Escharpiri Militis de sancta Eulatia apud Lemovices, cujus cognominis suprà pag. 1072. monuimus fuisse Bertrandum Latgerii Cardinalem, Almodiam nuptam Guillelmo Maynardi Domicello, matrem verò Stephani Maynatdi Domicelli, Raymundam nuptam Bernatdo de Asnaco Domicello, Aisselinam nuptam Bertrando la Branda Domicello, & Dalphinam Abbatissam sororum Minorissarum Brivæ. Præterea Almodia uxor ejus in suo testamento commemorat alium eorum filium, Gitbertum nimirum Priorem quondam de Aspreriis in diœcesi Ruthenensi. Guillelmus II. tot liberorum parens videtur obiisse anno MCCCXXI. quo postremum testamentum condidit die XII. mensis Iunii *in lecto infirmitatis suæ positus*; superstitemque habuit uxorem Almodiam, quo biennio post testamentum fecit, in quo se vocat Almodiam de Conaco relictam bonæ memoriæ nobilis Domicelli Guillelmi de Conaco domini loci de Conaco. Hugo II. tria matrimonia expertus est. Primùm enim anno MCCCXXVI. contraxit matrimonium cum Helide de Mulcedone filia Bertrandi de Mulcedone domini de Barro in diœcesi Tutelensi; ex eaque matrimonio orti sunt Gilbertus mortuus absque prole, Guillelmus, Bertrandus & Petrus Episcopi Tutelenses, Ioannes Canonicus Bajocensis & Lombariensis, Bernardus Canonicus Laudunensis, Bertranda nupta anno MCCCLII. Ioanni Marcalli Domicello ex veteri nobilitate Turenensi, Guina uxor Petri dels Plas, & Dalphina monialis in monasterio Minorissarum Brivæ. Altera uxor Hugonis II fuit Guina Faydita filia Petri Fayditi Domicelli de Iutgals in vicecomitatu Turenensi, ex qua suscepit Raymundum Archidiaconum de Aura in Ecclesia Convenarum, eundem, ut arbitror, qui Tolusanæ Ecclesiæ Canonicus dicitur in Necrologio illius Ecclesiæ, & Bertrandam natam post annum MCCCLIV. quæ matrimonii vinculo conjuncta fuit anno MCCCLXXVII. cum Ioanne Roberti nepote Ademari Roberti Archiepiscopi Senonensis. Tertia Hugonis II. uxor fuit Margarita de Palisas, cujus nominis locus extat in Lemovicibus haud procul castro Ventedornensi, ex qua puto eum non reliquisse liberos. Ioannes de Cosnaco filius Hugonis II. relicto clericali habitu ut Guillelmo fratri sine liberis mortuo succederet ex testamento patris, uxorem duxit anno MCCCLXIX. Marham filiam Bertrandi de Borno Militis domini de Altaforte & de Theno, quæ proaviam ciebat Mariam de Combornio filiam Guidonis Vicecomitis Combornensis. Ipse testamentum condidit anno MCCCLXXXII. & decennio pòst, ut videtur, extinctus est. Etenim anno MCCCXCII. tutores dati sunt Raymundo & Petro filiis ejus impuberibus. Ceterùm quamvis illi soli nominentur in actis de tutela eorum, certum est tamen Ioannis filias & Raymundi ac Petri sorores fuisse Ioannam ante annum MCCCXCII. nuptam Guillelmo de Favariis filio, ut arbitror, Bertrandi de Favars & Galienæ de Chanaco, Helidem nuptam anno MCCCXCIV. Ioanni de Pompadorio, & Antoniam, quam reperio ante annum MCCCCVII. fuisse uxorem Hugonis Peregrini Domicelli domini de Vicano apud Cadurcos. Raymundus videtur aliquantisper dubitasse an seculari militiæ sese addiceret, an verò clericali. In actis quippe celeberrimæ illius congregationis Ecclesiæ Gallicanæ factæ Parisiis anno MCCCXCVIII. pro substractione obedientiæ facienda Benedicto XIII. reperio Raymundum de Cosnaco Licentiatum in legibus ei interfuisse ut vicarium Petri de Cosnaco Episcopi Tutelensis. Postea uxorem duxit ex veteri nobilitate Petragoricensi eorum qui dicebantur de Baynaco, ex qua genuit Heliam de Cosnaco, quem anno MCCCCXXXIII. constat fuisse dominum de Cosnaco seque vocasse heredem universalem avi sui Boionis de Baynaco. Helias ex Ludovica de Gimello filia Guidonis de Gimello & Ioannæ de Malomonte suscepit Petrum, Guillelmum matrimonii vinculo conjunctum anno MCCCCLIV. cum Cathatina Faydita filia & herede Stephani Fayditi de Briva domini Bordarum, Antonium monachum; Margaritam uxorem Bertrandi aliàs Hugonis de Tutre domini sancti Iusti, & Blancham nuptam Ioanni Faydito domino de Tersac. Petrus de Cosnaco à patre Helia emancipatus est anno MCCCLXI. eodemque anno uxorem duxit Ludovicam de Noalliis filiam Francisci de Noalliis & Margaritæ de Roffinhaco. Ludovicæ de consensu Petri viri sui condidit testamentum anno MCCCCLXXXVI. in quo ita nominantur eorum liberi, Guillelmus III. in primis, tum Antonius monachus Majoris monasterii Turonensis & Abbas Beaniæ in diœcesi Santonensi, Bertrandus monachus sanctorum Sergii & Bacchi apud Iuliomagum

Andegavorum & Præpositus de Ladornaco, Carolus Prior de Croissia & Consiliarius regius in Parlamento Burdegalensi, Guido Prior de Vezunnes, Franciscus, Leonardus, & Petrus. Tum eorum filiæ hoc ordine commemorantur, Ludovica nupta Domino de la Bastida, Margarita nupta primùm Philippo condomino de sancto Amantio, deinde Ludovico Combarello domino Gibanelli ex gente quæ protulit Hugonem Combarellum Episcopum Tutelensem, Biterrensem, & Pictaviensem, Ioannam uxorem Gabrielis de Millac domini de Vernolio in diœcesi Lemovicensi, & Leonam & Catherinam moniales ordinis Cisterciensis apud Coyrosium in inferiore provincia Lemovicensi. Guillelmus III. de Cosnaco duxit anno MCCCCLXXXIV. Margaritam de Turribus ex antiqua nobilitate Lemovicensi quæ protulit celeberrimum illum Gulferium cujus præclara gesta commemorantur à scriptoribus prioris belli sacri. Ex eo matrimonio prodiere Ludovicus, Dionysius Præpositus de Ladornaco, Clemens rector Ecclesiæ de Martello, Margarita nupta Petro Roberti domino de Lignevraco, & Ioanna nupta Guidoni Faydito domino de Tersac. Ludovicus accepit in matrimonium anno MDXVII. Claudiam de Baynaco filiam Goffridi Baronis de Baynaco & Mariæ de Monte Berulphi. Idem testamentum condidit anno MDXXII. in quo se vocat *Premier Escuyer trenchant de la Reyne, & l'un des cent Gentilshommes de la Maison du Roy*. Liberos ex Claudia uxore habuit primò Franciscum, qui relicto clerici gradu matrimonium contraxit cum Catherina de sancto Michaele de Bugnieres in finibus Cadurcorum, Galiotum, Franciscam nuptam Domino de Sireul, Margaritam uxorem Domini de Champanhaco, & Magdalenam & Ioannam moniales apud Coyrosium. Galiotus heres à patre Ludovico institutus anno MDXXXII. duxit anno MDXLVII. Antoniam de Planis, vulgò *des Plas*, filiam Anneti de Planis & Mariæ de Stampis, vulgò *D'Estampes*, sororem verò Leodegarii Episcopi Lectorensis. Ex eo matrimonio orti sunt Annetus nomine avum maternum referens, Franciscus Præpositus Acuti montis, vulgò *Gumond*, Armandus, Claudius, Ioannes, Clemens, Clementia, Margarita, Ioanna, Philippa. Annetus duxit anno MDLXXXII. Ioannam de Luyé filiam unicam Sebastiani de Iuyé, qui legatum Regis Francorum egerat apud Hispanum, proneptim verò Ioannis de Salva primi Præsidis Parlamenti Parisiensis, consanguineam germanam Christophori de Lestang Episcopi Carcassonensis. Annetus de Cosnaco gener Sebastiani d Iuyé testamentum condidit anno MDXCVIII. die XXIV. Martii, & anno MDCVI. extinctus est. Ex Ioanna uxore sua reliquit Franciscum natum anno MDXCI. mortuum admodum puerum, alium Franciscum natum anno MDXCII. qui continuavit genealogiam, Claudium natum anno MDXCIV. Clementem natum anno MDXCVI. Christophorum natum anno sequenti, Annetum natum MDCVI. post mortem patris, Antoniam natam anno MDLXXXIX. Honoratam anno MDXCIII. Ioannam anno MDXCVIII. Franciscam anno sequenti, Clementiam anno MDCI. & Margaritam anno MDCIV. quæ fuit monialis apud Vrsulinas urbis Lemovicensis. Franciscus I. matrimonio sibi sociavit anno MDCXVIII. Leonoram Talayrandam filiam Danielis Talayrandi Principis Chalesii & Franciscæ Monluciæ filiæ Blasii Monlucii Franciæ Marescalli. Obiit autem anno MDCLXII. bonam sui memoriam posteris relinquens. Liberi ejus fuere Armandus, Clemens, Daniel primùm Episcopus Valentinus, dein translatus ad metropolim Aquensem, Carlota, Ioanna Francisca, & Honorata. Armando obtigit anno MDCXLVIII. par conjux Maria de Veilhan de Penacors proles unica Rigaldi de Penacors & Carlotæ Gueslex; ex eoque matrimonio orti sunt Franciscus istius nominis secundus, Gabriel Præpositus Ecclesiæ Aquensis, & Maria Susanna Abbatissa Vernezonis in diœcesi Valentina. Armandus obiit anno MDCXCII. in urbe Parisiorum. Franciscus II. anno MDCLXXI. sibi junxit Margaritam Ludovicam d'Esparbez de Lussan d'Aubeterre filiam Ludovici Comitis de la Serre, qui natus erat ex Francisco d'Esparbez de Lussan Marescallo Franciæ. Obiit autem Franciscus anno MDCLXXIV. unicam prolem relinquens Mariam Angelicam de Cosnaco.

Bertrandus igitur ille de quo nunc agimus fuit filius Guillelmi II. de Cosnaco, qui vocatur Domicellus & Locumtenens Vicecomitis

Ibid. l n. 31. *lege*, nepotem suum, *& dele vocem* fortè

Pag. 1072. *linea* 22. *lege*. Hoc est verum ejus nomen, ut indicant vetera exemplaria. Ipse in declaratione Cardinalium adversùs Bartholomæum Barensem se vocat Bertrandum Aegerii; cujus omnino nominis Bacallarium in decretis, & ipsum quoque dictum Bertrandum, reperio anno MCCCXCVI. inter sodales collegii sancti Martialis Tolosæ. Et tamen Clemens

Ibid. lin 30. *adde*. Escharpiti tamen cognomine appellabatur per illa tempora gens apud Lemovices nobilis eorum qui de sancta Eulatia, vulgò *saint Aulaire*, dicebantur; è quibus Guido Escharpit Miles habuit in matrimonium ante annum MCCCXLI. Guillelmam sororem Bertrandi de Cosnaco Cardinalis.

Pag. 1082. *lin.* 41. *lege*, in codice Victo-

rino, apud Boninsegnium pag. 569. historiæ Florentinæ, & in diario

Pag. 1085 extrema lege.

GVILLELMVS DE CHANACO] Nobilissimæ gentis ex qua Guillelmus iste prodiit sedes erant apud Alassacum vicum inferioris provinciæ Lemovicensis. Arbitror autem illi nomen antiquitus fuisse de Cannaco, & postea additam aspirationis notam in prima syllaba ex usu linguæ Franciciæ, ut in plerisque aliis locis provinciæ Lemovicensis, ut dulcior esset nominis illius pronuntiatio, adeoque Channacos & Chanacos postea dictos esse qui primò vocabantur Cannaci. Nam & posterioribus seculis Channacum quoque interdum scribebant, ut liquet ex actis à nobis editis in libro secundo miscellaneorum nostrorum pag. 273. ex actis venditionis civitatis Avenionensis, & ex codice 756. bibliothecæ Colbertinæ, in quibus nominatur Bertrandus de Channaco clericus cameræ apostolicæ, ille nimirum qui postea fuit Patriarcha Hierosolymitanus & Presbyter Cardinalis tituli sanctæ Pudentianæ. Idem apud Bzovium an. 1216. pag. 248. vocatus *de Caunaco*, cùm sit scribendum *Cannaco*. Error enim fuit hominis malè legentis. Et in testamento Guillelmi Cardinalis de Chanaco pag. 967. & seq. nominantur Guido de Channaco nepos ejusdem Cardinalis & Helias de Channaco frater ejus. Præterea Fulconis nomen, quod erat gentilitium Chanacorum, Cannacorum quoque genti familiare fuisse probant acta vetera quæ extant in chartulario monasterii Tutelensis, ex quibus nos Cannacorum genealogiam eruimus hoc modo.

Circa annum Christi millesimum, quo tempore nimirum regnabat in Gallia Rex Robertus & Petrus istius nominis primus Abbas erat Tutelensis, vivebant Bernardus de de Cannaco & Hisla uxor ejus. Ex iis orti sunt Bernardus & Petrus, quos constat produxisse ætatem usque ad pontificatum Vvidonis Episcopi Lemovicensis, Geraldus monachus Tutelensis, & Fulco, quem vixisse tempore Iterii Episcopi Lemovicensis compertum est ex testamento Fareldis Albuconiæ uxoris Ademari de Roca, is ipse nimirum, ut arbitror, qui anno MXCI. vocatur Fulco de Chanaco in actis concordiæ initæ inter Abbatem Vsercensem & Petrum de Tutela. Istius Fulconis filius, ut ego quidem abitror, fuit Fortudinus de Cannaco, quem reperio fuisse patrem alterius Fulconis & Petronillæ uxoris Hugonis de Valle viventium tempore Vvidonis Episcopi Lemovicensis. Eorundem Fulconis & Petronillæ fratres fuere Petrus monachus Tutelensis & Vvillelmus, quorum ultimum vixisse constat anno MCVI. & usque ad annum MCLVI. ætatem produxisse. Istorum sorores fuere Almodis uxor Rigaudi Hugonis, Alais nupta G..... Alboino, & Aimelina. Vvillelmi filios fuisse puto Vvillelmum de Chanaco & Petrum Guidonis fratres, quorum ad annum MCLXXXI. mentio est in chartulario monasterii Dalonensis. Ex his, interrupta paululùm serie, puto ambigi non posse quin orti sint ii quos sequens genealogia demonstrabit, quæ ita mihi videtur posse constitui ex fide veterum monumentorum, quorum magnam partem debeo humanitati viri clarissimi Domini Ioannis Baptistæ Pradillonii monachi Fuliensis.

In primis existimo gentem Chanacorum in duos ramos fuisse divisam statim post Vvillelmum & Petrum Guidonis fratrem ejus. Etenim cùm certum sit Guillelmum de Chanaco Episcopum Parisiensem & Patriarcham Alexandrinum obiisse anno MCCCXLVIII. ætatis suæ centesimo ferme exacto, adeoque natum eum esse oporteat anno MCCXLIX. aut superiore, non nominetur autem inter filios Dulciæ, de qua mox dicturi sumus, in testamento ejus condito anno MCCLXV. neque in actis Tutelensibus anni MCCLVI. quibus Petrus & Guido de Chanac Domicelli ejus filii in monasterium Tutelense transferunt bona quædam ad eos pertinentia in urbe Tutelensi, videtur ambigi non posse quin hi quos extra liberos Dulciæ ex ea gente fuisse comperimus ex alio ramo fuerint quàm ex eo ex quo orti sunt Petrus & Guido filii Dulciæ. Rursum cùm videam hunc Guillelmum Patriarcham vocari patruum Guidonis de Chanaco fratris Fulconis Episcopi Parisiensis in pactionibus matrimonii Heliæ de Chanaco & Galienæ de Donzenaco, in testamento verò Guillelmi de Chanaco Cardinalis iidem Guillelmus Patriarcha & Fulco Episcopus vocentur patrui istius Cardinalis, cogor existimare Patriarcham fuisse fratrem mariti Dulciæ, istum porrò mortuum esse admodum juvenem, cùm constet illum ante annum MCCLVI. fuisse extinctum. Conjecturæ sunt istæ, sed quibus nihil hactenus habemus majoris auctoritatis.

Primùm ergo exequar eam partem quæ pertinet ad Patriarcham, postea rediturus ad Dulciam & liberos ejus. Itaque suspicor, ut antea dixi, illum fuisse fratrem mariti Dulciæ, fratres rursum ejus fuisse Ademarum & Leonardum, qui in veteribus actis anni MCCLXV. vocantur Domicelli. Patriarchæ quoque fratres fuisse arbitror Raymundum dominum de Seillaco Militem & Petrum Domicellum, qui fratres esse dicuntur in veteribus actis anni MCCLXXX. in quibus nominatur etiam Almodis uxor Raymundi. Raymundus vivebat adhuc anno MCCCXX. reliquitque fortean filium Petrum de Chanaco Domicellum sic vocatum anno MCCCXXXIX. in actis cujusdam emptionis factæ apud Seillacum post festum

assumptionis *ad opus Domini Guillelmi de Chanaco Episcopi Parisiensis & suorum heredum & successorum.* Nescio autem an ea Chanacorum Scillacensium familia tum extincta fit. Certè nihil ultra de ea reperi. Et tamen certum est hinc ad Pompadorios transiisse Seillacum & reliquas possessiones Chanacorum, cùm in unam deinde gentem rursum, ut arbitror, coaluissent. Nunc redeamus ad Dulciam ejusque posteros.

Erat illa filia Bernardi Roberti Militis defuncti ante annum MCCLXV. avi, ut arbitror, Ademari Roberti Cardinalis. Mariti ejus nomen in obscuro est. Illud certè constat, mortuum illum esse ante annum MCCLVI. & liberos habuisse Petrum & Guidonem de Chanac Domicellos. Habuit præterea Seguinam uxorem Petri de Netzio, Alamandam uxorem Petri de Tutela Militis, & aliam filiam sanctimonialem in monasterio des Alois apud Lemovices. Petrus de Chanaco Domicellus erat mortuus anno MCCLXXX. ut liquet ex testamento Alaidis Fulcheriæ, quæ ejus uxor fuit. Filium habuit Petrum de Chanac Domicellum, filiam Almodiam uxorem Petri Arnaldi. Petrus de Chanac uxorem habuit Dalphinam, quam in suo testamento, quod condidit anno MCCCVI. die XXVII. Maii, jubet liberorum suorum dominam & gubernatricem esse quandiu vidua fuerit. Heredem instituit filium suum Guidonem. Habuit tamen præterea ex Dalphina Dulciam, Aliardam monialem, Gilbertum monachum, Bertrandum, Fulconem, & Bernardum. Hos tres ultimos jussit monachari. Et Bertrandum fuisse monachum sancti Martialis Lemovicensis hinc facilè colligitur quòd in testamento Guidonis fratris ejus videmus illum fuisse Præpositum sancti Vincentiani. Bernardus quoque monachus fuit in monasterio Tutelensi. Quippe in eodem testamento vocatur Præpositus de Marco. Fulconem puto non fuisse monachum. Etenim fuit Episcopus Parisiensis. Et in bulla Clementis VI. qua eum fecit Episcopum vocatur Decanus Bellovacensis. Quod indicat illum non fuisse factum Episcopum ex monacho.

Guido Filius & heres Petri contraxit matrimonium anno MCCCVII. die XVII. Ianuarii cum Isabella, quæ Belota quoque dicitur haud dubiè propter formæ pulcritudinem & elegantiam, orta ex gente clarissima de Monte Berulphi apud Engolismenses, quæ marito videtur fuisse superstes. Erat illa filia Roberti de Monte Berulphi & Isabellæ Ventedornensis Chronicon sancti Martialis Lemovicensis ad annum MCCLXXVI. *Eodem anno tollitur de hoc mundo pius & amator pauperum Baro Robbertus dominus de Monte Berulphi: & Robbertus nepos ipsius, vivente adhuc avo ipso, eodem anno duxit Isabellam filiam Vicecomitis Ventadorensis in uxorem.* Copiosam ex Isabella sobolem sustulisse Petrum ostendit testamentum ab illo conditum Parisiis anno MCCCXLVIII. die XII. Augusti, in quo jubet ut eadem Isabella sit tutrix liberorum & bonorum suorum. Hi ergo liberi nominantur, Guido junior, de quo postea dicetur, Helias sive Heliotus, Guillelmus & Bertrandus Cardinales, alter Bertrandus, de quo postea dicetur, Robertus Decanus Bellovacensis & Canonicus Parisiensis & Meldensis, Fulco monachus sancti Martialis Lemovicensis, postea, ut arbitror, Episcopus Aurelianensis, Comptor nupta Ludovico Faidello Domicello domino de Millaria in diœcesi Pictaviensi, Dionysia & Dalphina moniales monasterii sancti Pardulphi de Riparia in diœcesi Petragoricensi, & Superana monialis monasterii de Regula in urbe Lemovicensi.

Bertrandus filius Guidonis, qui diversus est à Bertrando Cardinale, fuit Decanus Bellovacensis & Canonicus Parisiensis post Robertum fratrem, ut arbitror. Quippe eum fuisse Decanum Bellovacensem anno MCCCLXXXII. reperio in veteri regesto archivi regii Parisiensis, & Canonicum Parisiensem in Necrologio illius Ecclesiæ. Verùm postea ex clerico factus est Miles, ut patet ex literis Karoli VI. Regis Francorum datis apud sanctum Dionysium anno MCCCLXXXV. mense Februario. Is ergo matrimonii vinculo junctus fuit cum Margarita de Rupecavardi filia Aymerici & Ioannæ de Archiaco, ut tradit Adamus in genealogia Rupicavardensi.

Guido junior filius Guidonis tot liberorum parentis uxorem habuit anno MCCCXVIII. Eustachiam filiam secundogenitam Bernardi de Combornio Militis domini de Bellomonte & de Chamboliva. Obiit ante annum MCCCXLIII. quo, uti notatum est in veteri regesto parlamenti Parisiensis, Guido de Chenaco Miles dicitur habere ballum liberorum defuncti Guidonis de Chenaco Domicelli filii sui. Ex Eustachia, quæ ei superstes fuit, suscepit duas tantùm filias, Galienam & Blancham. Galiena nupsit anno MCCCXLVIII. Bertrando de Favars Domicello, deinde anno MCCCLV. Ramnulpho Heliæ de Pompedorio Militi. Blancha verò matrimonii fœdere juncta est est cum Ioanne Fulcherii prognato ex eadem gente quæ antè protulerat Alaidam suprà commemoratam.

Helias sive Heliotus filius Guidonis senioris, frater Guidonis junioris, anno MCCCXXVIII. mense Novembri contraxit matrimonium cum Galiena filia Geraldi Ventedornensis domini de Donzenaco, & ex ea filium habuit Guidonem patrem Isabellæ dictum in testamento Bertrandi Cardinalis, Heliam, & Galeiam nuptam Petro Channeti. Vivebat adhuc Helias eo

tempore quo frater ejus Bertrandus condidit testamentum. Ejus filius fuisse videtur Helias sive Helionus Miles, quem Ludovicus Dux Aquitaniæ fecit Senescallum Lemovicensem anno MCCCCX. Neque ultra, quod quidem ego sciam, progressa est ea genealogia.

Pag. 1094. lin. 53. adde. Huic eidem historiæ fidem etiam adstruit testimonium Fernandi Petri Decani Tirasonensis, quod suprà pag. 1419. relatum est. Bido Prior sanctorum in sua depositione dixit quòd cùm populus Romanus tumultuaretur & imperiosa voce peteret Papam Romanum vel Italum, *tunc dixit Dominus Iacobus de Vrsinis: Do fili mei, quare vultis facere scisma sicut aliàs fecistis. Legatis chronicas vestras, & videbitis quid fecistis. Nos sumus pro eligendo summum Pontificem; & videtur vobis quòd nos habemus eligere Dominum ad tabernas sicut vos facitis.*

Pag. 1095. post lin. 8. adde. Idem habetur in casu secundi electi diviso per articulos; in quo scriptum est cap. 55. & 56. aliquos Cardinales dixisse se eligere Barrholomæum Barensem *animo & proposito quòd ipse esse verus Papa, timore tamen mortis in eorum animis continuò perdurante; excepto uno Domino Cardinale Italico Romano, qui dixit quòd propter notoriam impressionem quam videbat nec sibi nec alteri daret vocem suam, nisi primò cessaret impressio & esset in sua libertate.* Vide etiam suprà pag. 1001. testimonium Petri Flandrini Cardinalis sancti Eustachii. Guillelmus Noelleti Diaconus Cardinalis sancti Angeli de misera quæ tum erat Cardinalium conditione agens in sua depositione ait: *Et Dominus de Vrsinis dixit quòd non daret vocem suam alicui donec esset in libertate.* Ipse quoque Episcopus Lucerinus Thomas de Acervo, homo parti Vrbani addictissimus, id ipsum professus est in sua depositione: *Cùm venit electio seu vox ad Diacones Cardinales, Cardinalis de Vrsinis dixit: Ego hodie non eligam Papam.* Et mox: *Et sic omnes elegerunt eum, duobus exceptis, Domino Iacobo de Vrsinis, qui noluit eligere, & Domino Florentino, qui elegerat Dominum sancti Petri.* Item Angelus Episcopus Pisaurensis interrogatus super casu secundi electi: *Item dixit quòd Dominus Iacobus de Vrsinis dixit sibi quòd nunquam voluit eligere in illo tumultu stante impressione, nec vocem suam alicui voluit dare nec dedit.*

Pag. 1097. post lin. 6. adde. Illic eum consistentem adivit frater Angelus vicarius generalis ordinis fratrum Minorum, ut ipsemet testatur in epistola anno MCCCLXXX. die XXIX. Maii scripta ad Ioannem Regem Castellæ: *Item antequam ego accederem ad capitulum generale ordinis nostri Neapolim celebratum ivi Tallacotium ad videndum Dominos Cardinales Italicos, videlicet Florentinum, Mediolanensem, & Dominum Iacobum de Vrsinis; quibus narravi accessum meum ad capitulum generale, eisque placuit, quantum potui judicare. Imò promisi Domino Iacobo de Vrsinis, quantum erat mihi possibile, procurare quòd esset protector ordinis nostri; & judicio meo libenter voluit & audivit.* Extat hæc epistola in codice Harlæano, itemque in codice quarto Vaticano collectaneorum de schismate, ut Vvaddingus testatur an. 1379. §. 3.

Pag. 1098. lin. 6. post vocem Papa *adde.* Frater Angelus minister generalis ordinis fratrum Minorum interrogatus anno MCCCLXXX. die XIX. Februarii super additione XXV. casus primi electi, in qua scriptum est Ioannam Reginam Apuliæ effectam esse inimicam ejus quia sibi suggestum fuit contra veritatem quòd dictus primus electus intendebat eam privare dicto regno, respondit se scire *ipsam esse hostem publicam & apertam dicti Barensis, sed utrum ex causa tacta in articulo, hoc ignorat. Audivit tamen dici quòd dicta Domina Regina, antequam esset hostis publica dicti Barensis, voluit scire à Domino Iacobo de Vrsinis olim Cardinali, ipsumque viva vocie oraculo requisivit in castro Ovi, ubi dicta Regina morabatur, ipsumque adjuravit omni modo sibi possibili coram suo consilio si Barensis erat verus Papa. Qui Dominus Cardinalis respondit sibi in fide qua tenebatur sibi, & nescit sub quibus aliis juramentis, quòd dictus Barensis non erat Papa. Et ex tunc Regina est effecta publica persecutrix prædicti Barensis.*

Pag. 1099. lin. 7. adde. Petrus de Sortenaco Cardinalis Vivariensis interrogatus à legatis Regis Castellæ dixit quòd in electione Clementis *Italici non fuerunt locuti aliquid, sed post actum illum Dominus de Vrsinis fuit protestatus coram isto Cardinali*, id est, coram Cardinale Vivariensi, *& coram Domino sancti Eustachii quòd si ipsum ire Romam contingeret, non intendebat per quoscunque actus quos faceret Romæ habere B. in Papam nec in eum consentire. Item Dominus de Florentia similem protestationem fecit coram aliis duobus Cardinalibus. Item quòd illi duo Cardinales intraverunt cum Domino Papa Clemente post illam electionem in loco secreto, & promiserunt sibi quòd numquam alteri adhærerent, & juraverunt, & sic fecerunt, & statim recesserunt, nec iverunt Romam.* Petrus Flandrini Cardinalis sancti Eustachii de eadem Clementis electione agens asserit illum concordibus Cardinalium suffragiis electum fuisse, *exceptis illis tribus*, id est, Italicis, & mox addit: *Tunc Dominus de Vrsinis dixit quòd ad supplicationem & instantiam sui nollent publicare illam electionem usque in crastinum, aliàs ponerent eum & attinentes sibi in periculo. Et sic factum fuit. Et protestatus*

protestatus fuit Dominus de Ursinis ad partem quòd si iret ad alium, non intendebat consentire us in Papam, & promisit venire ad Dominum Clementem.

Ibid. lin. 16. *post vocem* conferremus *adde.* Idem Petrus Flandrini in depositione sua sic scripsit: *Item constat mihi quòd Dominus Florentinus & Dominus de Ursinis se declaraverunt pro parte Domini nostri in castro sancti Iohannis de Charte, præsentibus Domino meo de Luna, me, & Domino Nicolao de Neapoli Cancellario regni Cecilia, & scripserunt Domino nostro ut Papa manibus propriis.*

Ibid. lin. 20. *post vocem* eum *adde.* Gilabertus de Thedimgen Alemannus, de diœcesi Morinensi oriundus, literarum apostolicarum abbreviator & scriptor, eandem historiam confirmat in depositione sua, in qua sic legitur de his quæ gesta sunt post electionem Clementis: *Item dixit quòd post illam nominationem, quando Cardinales Italici recesserunt ad castrum de Tallacoz facta jam electione Domini Papa Clementis, iste miserat quandam litteram Domino Cardinali de Ursinis si dignaretur recipere istum Gilabertum in illo castro. Tunc Cardinalis rescripsit sibi quòd ires ad eum. nam si alibi [non] posset, saltem reciperet eum sub pectore. Et tunc iste ivit ad eum; & invenit ibi Dominum de Ursinis Cardinalem prædictum & alios Dominos Cardinales Italicos. Et postquàm exposuit eis quòd intendebat ire ad Papam Dominum Clementem, qui erat in villa Fundorum, dixerunt sibi Domini Cardinales de Ursinis & de Florentia quòd recommendaret eos in gratia Domini Papa Clementis. Et quotiens loquebantur de illo Clemente, semper vocabant eum Papam. Et quando nominabant Barensem, non appellabant eum Papam, sed dicebant, ille qui est Roma. Et secundùm illa qua vidit eos loquentes credit quòd ipsi Domini Cardinales Italici reputant Dominum Clementem verum Papam & alium intrusum.* Denique Petrus de Crosso S. R. E. Camerarius in sua depositione ita locutus est: *Item dixit quòd illi duo Cardinales Italici, scilicet de Ursinis & Dominus Florentinus, juraverunt & promiserunt nunquam ire ad B. nec audebant venire ad Dominum C. propter consanguineos & propter bona qua ipsi & sui habebant in partibus Italia. Attamen nunquam postea accesserunt ad B. quia sciebant quòd non esset verus Papa.*

Pag. 1106. *post lineam* 7. *adde.*

Miserabilis tum fuit status Cardinalis sancti Eustachii. Narrat enim Artaudus Episcopus Grassensis in depositione sua se post electionem Urbani iuisse ad sanctum Petrum cum Abbate sancti Bartholomæi, sed propter metum ex Romanis, *quia populus erat in furore,* quia dies declinabat, & adhuc longum erat erat iter, declinasse à via, & abduxisse eos retro longè capita ardua ab ictu, ut ait Virgilius, id est, retro abscessisse, 'ceuto'qu. fuisse Cardinales sancti Eustachii & de Ursinis, qui incedebant inter cuneos armatorum & furiosorum. *Cùm fuimus,* inquit Artaudus, *in domo Domini de Ursinis, & Dominus sancti Eustachii esset in camera paramenti, vidi ipsum valde afflictum mirè afflictissimum, & verè fuit mihi visum quòd esset quasi alienatus à mente. Petiit à me ad quid veneram. Respondi si aliqua volebat præcipere, & subjunxi in vulgari: He! Pater reverendissime, estis bene afflictus. Dixit ipse: Verè sic; sed vos, qui fuistis in rebellionibus Italia, videtis remedium? Verè, Pater reverendissime, non, quia nisi à se ipso sedatur tumultus, non videtur mihi modus. Verum est quòd audio quòd illi nostri qui sunt in castro sancti Angeli exeunt contra Romanos: & si casu aliquem interficiant, nos omnes erimus mortui. Quare placeat paternitati vestra mittere ad illum locum & hortari eos ne ad aliquod illicitum prorumpant. Tunc respondit mihi quòd bene dicebam. Et subjunxit: sed credatis quòd iste ludus non remanebit sic.*

Pag. 1107. *lin.* 6. *adde.* Quod nesciebat frater Angelus, id scivit Marcus Ferrandi Abbas de la Vanza in Ecclesia Palentina. Quippe in responsione ejus ad articulum 85. casus primi electi scriptum est illum respondisse nescire se si Cardinales miserunt literas collegialiter vel particulariter aliquibus Principibus. *Tamen dixit quòd Cardinalis de Aragonia existens Anagnia dixit sibi quòd dictus electus mandaverat sibi Roma scribere Regibus Hispania de creatione sua, & dictus Cardinalis dixit sibi quòd jam fecerat, ut sibi videbatur. Et post ivit dictus Cardinalis ad palatium, & electus dixit sibi: Scripsistis litteras pro Regibus Hispania, ut vobis mandavi? Et ille respondit quod sic. Et tunc dixit sibi dictus electus quòd mitteres pro eis. Et ille respondit sibi: Non possunt haberi donec ego vadam ad domum, quia sunt in studio meo. Et mandavit sibi quòd ires statim pro eis. Et ivit tunc Cardinalis ad hospitium suum. & quòd fecerat illa nocte dictas litteras aliter quàm antè fecisset eas. Et altera die de mane apportavit eas ad ostendendum eas dicto electo.*

Pag. 1132. *post lineam* 29. *adde.*

Anno MCCCLXIV. præfuit conventui Galliæ Narbonensis habito apud coloniam Nemausensem, uti scribit Guillelmus Bardinus in historia chronologica parlamentorum provinciæ occitanæ his verbis: *Anno Domini* MCCCLXIV. *& die* XVI. *mensis Aprilis Arnulphus Marescallus Francia gubernator & capitaneus generalis patria occitana convocavit apud Nemausum conventum trium ordinum prædicta patria. Cui cœtui præerat Archiepiscopus Narbonensis, non obstante contradictione*

Episcopi Nemausensis, qui præsidentiam asserebat pertinere ad Episcopum in cujus diœcesi cœtus convocabatur.

Pag. 1135. *lin.* 24. *adde.* Ita quidem Vghellus de tempore quo Simon factus est Archiepiscopus Mediolanensis. In quo puto illum errasse. Etenim Simon in testamento Gregorii XI. condito anno MCCCLXXIV. die quinta Maii vocatur tantùm electus Mediolanensis.

Pag. 1140. *lin.* 3. *adde.* Idem testatus est Franciscus Fernandi Cantor Palentinus, qui interrogatus super articulo 89. casus primi electi *dixit quòd quadam die, & credit quòd esset dies corporis Christi, vidit in quodam sermone qui fuit factus coram Papa quòd mandavit dictus Dominus prædicatori, non recordatur quis erat, quòd denuntiaret ex parte sua omnes simoniacos excommunicatos, & quòd tunc accesserat ad eum Cardinalis de Aragonia & dixerat sibi si intendebat de Cardinalibus, & quòd respondit sibi dictus Papa quòd ita bene intendebat de Cardinalibus sicut de aliis, & etiam de se ipso, si esset possibile, & tunc dixerat sibi Cardinalis Mediolanensis quòd faciebat contra decretalem, & respondit sibi Papa quòd dictus Cardinalis non intelligebat decretalem.*

Ibid. post lineam 13. *adde.* Ex eadem haud dubiè gente orta erat Francisca de Broſano ſive Botſano, ex qua, ut Corius ait, celeberrimus ille Petrarcha filium suscepit qui admodum puer obiit in civitate Ticinensi anno MCCCLXVIII. ibidemque sepultus est cum epitaphio quod ejus tumulo pater imposuit. Verùm Iacobus Philippus Tomasinus in Petrarcha redivivo cap. 22. rem aliter narrat, nimirum Petrarcham, Mediolani cùm esset, consuetudinem habuisse cum femina clarissima de Beccatiorum domo, ex eaque suscepisse filiam elegantis formæ atque indolis cui inditum Franciscolæ nomen, Franciscolam porrò nupsisse Francisco de Brossano, istorum verò filium fuisse hunc Franciscum cui Petrarcha posuit epitaphium.

Ibid. lin. 56. *lege.* Obiit Niciæ in Provincia anno MCCCLXXXI. die XXVII. Augusti, ibidemque sepultus est apud fratres Prædicatores, ubi etiamnum cardinalitium ejus galerum ac gentilitia insignia conspici testatur Petrus Ioffredus in catalogo Episcoporum Niciensium.

Pag. 1143. *lin.* 26. *lege.* Nam *cùm esset intus*, ut ipsemet ait in sua depositione, *venerunt Romani*

Ibid. lin. 37. *lege* & in responsione Ægidii Sancii Munionis Præpositi Valentinensis ad articulum 61. casus primi electi, in quo hæc verba habentur: *Ad aliud quod dicitur de remanentibus in hospitiis, quia subdit tutè & pacificè, respondit quòd Cardinalis de Britannia fuit deprædatus & perdidit majorem partem bonorum quæ habebat, & etiam anuli fuerunt extracti violenter de manibus ejus, prout dictus deponens dixit se audivisse ab eodem Domino Cardinali. Vnus etiam familiaris suus fuit interfectus ante portam hospitii sui per Romanos.* Eadem historia sic enarratur in responsione Alfonsi Azero Archidiaconi de Metina in Ecclesia Salmanticensi ad articulum 54. casus primi electi, in qua sic scriptum est: *Item dixit quòd cùm esset ipse supra gradus sancti Petri, vidit exire Cardinalem de Britania de turrali dictæ Ecclesiæ sancti Petri, & veniebant in circuitu ejus multi Romani, & cùm accederet dictus Cardinalis ad gradus pro descendendo, vidit quòd illi qui veniebant in circuitu ipsius injecerunt manus in manus illius, & vidit quòd extendebant sibi eas, & audivit tunc quòd extraxerunt sibi anulos, tamen ipse non vidit eos extrahere, sed vidit manus sibi extendi malo modo, & vidit quòd tenebant enses & cultellos super eum, & ipse erat in roqueto sine capa & capucio, & vidit eum statim ire pedes ad suum hospitium, quod erat ibi prope gradus, & vidit exire suos de ejus hospitio, & dicebant sibi: Domine, fugite, quia omnia vestra derraubantur. Et cùm accederet iste testis ad portam dicti Cardinalis, vidit aliquos Romanos qui extrahebant aliqua supellectilia de dicto hospitio, veluti banealia & pannos de parsete. Et pòst cùm rediret iste testis ad hospitium suum & transiret prope Ecclesiam sancti spiritus, vidit quòd unus Romanus aportabat unum breviarium cum suis clausuris argenteis, & vendebat illud isti testi; & ipse interrogavit eum unde habuerat illud, & ille dixit sibi quòd de domo Cardinalis qui hospitabatur in platea sancti Petri.* Item in depositione

Ibid. lin. 59. *post hæc verba*, in castrum S. Angeli, *adde.* Immo inventus est testis qui diceret illum in magno tum vitæ suæ periculo fuisse. Legimus enim in responsione Bonifacii de Amanatis ad articulum 88. casus primi electi quosdam Romanos in die fracturæ conclavis ingressos esse domum Cardinalis Britanniæ; *& deprædati eum fuerunt, & occidissent, ut dicebatur, nisi quia se occultavit super tectum dictæ domus.* Aufugit itaque hinc ad castrum sancti Angeli cum aliis quibusdam Cardinalibus, ut dictum est. Postea cum iisdem rediit ad Vrbanum, & interfuit inthronizationi & coronationi ejus.

Pag. 1153. *post lineam* 34. *adde.*

Postea Cardinalis Pictaviensis profectus est Avenionem, ubi eum fuisse anno MCCCCIV. die penultima Octobris docent acta edita in tomo quinto historiæ Vniversitatis Parisiensis pag. 110.

Pag. 1161. *lin.* 15. *post verbum* advenisse *adde.* Confirmantur ista auctoritate ipsiusmet

Ioannis de Rupescissa, qui in commentario super prophetiam Cyrilli eremitæ Presbyteri in codice 5695. bibliothecæ regiæ pluribus agens de antichristo venturo, quem in variis locis asseverat tunc emersurum cùm Reges Franciæ & Angliæ in oriente bellabunt adversùs infideles, fol. 90. 91. 116. 195. scribit eo tempore quo antichristus extolletur sedem Romanam vacaturam per annum cum dimidio, quia in illo spatio fiet tyrannorum persecutio. Nam si prophetia illa Ioannis explicanda esset de schismate quod fuit inter Vrbanum & Clementem, non insulsè dici posset illum digito monstrasse Vrbanum tanquam falsum Papam. Ait enim fol. 150. *Nam falsus Papa fortiùs versabitur in partibus tyrannorum Italorum, & fulcietur fortè per antichristum tunc Imperatorem electum; & quia antichristus adversabitur Regi Franciæ, puto quòd falsus Papa parum de pace Regum memoraternum curabit.* Quippe Vrbani partes secuti sunt principes Itali, qui seculo illo vocari solebant tyranni, ut docet etiam apertè idem Ioannes fol. 91. ubi nominat *tyrannos Mediolani, Bononiæ, Romandiolæ, & Marchiæ.* Præterea tum Vvenceslaus erat electus Imperator, quem constat propterea adversatum esse Regi Franciæ quòd adhæreret Vrbano. Certum est autem Vrbanum parum curasse de revocanda concordia inter Reges Franciæ & Angliæ. Rursum si prophetia illa explicanda est de hoc schismate, adversùs Vrbanum & sequaces ejus afferri poterit auctoritas ex eodem codice fol. 95. in quo ita scriptum est: *Veri Cardinales repugnabunt antichristo electo. Ipse antichristus Romæ processu temporum, sicut fecit Bavarus, constituet pseudopapam, sicut inferius distinguetur, & tunc fient multi pseudocardinales.* Vrbanus enim sedit Romæ, illic aliquo modo constitutus per Vvenceslaum partibus ejus faventem; & postea quàm veri Cardinales ab eo discesserunt, ipse multos creavit Cardinales, qui rectè vocari possent pseudocardinales ab iis qui hæc Ioannis verba interpretari vellent de hoc schismate. Annon etiam de hoc schismate explicari poterunt sequentia verba ex folio 110. ubi cùm auctor tractasset de schismate Innocentii II. & Anacleti II. quorum primus confugit ad protectionem incliti Regis Franciæ, alter Romæ sedit fultus præsidio tyrannorum, addit: *Sed istud scandalum erit majus, quia antichristus partem Antipapæ instinctbit, qui fortè erit bestia ascendens de terra, ideoque faciet Romanum imperium Antipapæ obedire, & quia antichristus adversabitur tunc Regi Franciæ, ipse Rex non poterit ita efficaciter juvare partem tunc Christi veri vicarii. Ideo quasi profugus erit, cùm decem partes Christianitatis sequantur Antipapam. Nec aliquis ausus erit confiteri Christi vicarium verum Papam in publico, nisi fortè in dominio Regis Franciæ.* Item istud fol. 114. *Ex quo necessariò sequitur quòd curia ante electionem antichristi de Avinione recedet & ibit in Italiam ad sustinendam antichristi pressuram.* Gregorius enim XI. de Avenione recessit & in Italiam profectus est. Et mox secuta est violenta electio Bartholomæi Archiepiscopi Barensis. Postea sequitur in eodem vaticinio apud Odoricum Raynaldum: *Fiet autem*

Pag. 1164. *lin.* 22. *post vocem* Februarii *adde.* Idem reperitur fuisse gubernator Delphinatus & maritus Ioannæ de Castrovillano, pater verò Ioannæ d'Eudin uxoris Ludovici domini de Bouberch, ut docent acta vetera quæ inter probationes historiæ gentis de Castrovillano pag. 46. & seq. edidit Andreas Duchesnius. Nunc redeamus ad Cardinalem Ambianensem.

Pag. 1180. *post lineam* 8. *adde.*

Insignia ejus gentilitia isthic addita sumpta sunt ex sigillo ejus quod servatur in archivo Archiepiscopi Narbonensis.

Pag. 1182. *lin.* 9. *post vocem* laudabatur *adde.* In epistola quatuor sodalium ad Petrum Episcopum Meldensem Regis Christianissimi ad sanctæ matris Ecclesiæ reintegrationem procurandam ambaxiatorem deputatum scripta anno MCCCCVIII. ita legitur in veteri codice Ms. bibliothecæ Harlæanæ: *O mi Petre de Luna, qui per aliquos Benedictus & per multos nominaris Maledictus, unde hoc tibi? Ab ineunte enim ætate dies tui laude communi & fama magna radiarunt.* Ioannes Nyder

Ibid. lin. 28. *post illa verba* Cardinalem de Luna *adde.* In eadem sententia perstitit idem Menendus respondens articulis casus secundi electi, ubi legitur quòd propter discordiam quæ erat inter Cardinales *orta est opinio quòd Cardinalis de Luna, quia non erat Gallicus nec Lemovicensis, & quia reputabatur bona persona & bona fama, & ab omnibus dilectus Romanis & ultramontanis, debebat fieri Papa; de quo multùm contentabantur Romani.* Hæc ultima verba, quæ aliquam habent obscuritatem, explicat Fernandus Petri Decanus Tirasonensis interrogatus super articulo 84. casus secundi electi; ubi loquens de tumultu Romanorum & de vi facta Cardinalibus *dixit se credere quòd sine periculo personarum non potuissent eligere alium quàm Italicum vel Romanum, quem intelligit sub nomine Italici, tamen nescit de certo si dominus suus Cardinalis de Aragonia fuisset electus, quia fuit nominatus, ut audivit, in consilio Romanorum, an fuisset dictum periculum evitatum; tamen de credulitate credit quòd sic, quia erat dilectus à Romanis. Interrogatus si scit vel credit quòd*

si dictus Cardinalis dominus suus fuisset tunc electus, an consensisset electioni, dixit se credere quòd non acceptasset propter rumorem, quia ipse dixerat sibi illud die Mercurii ad ingressum conclavis quasi media nocte medicum plus, & respondit quòd si Romani postulassent eum cum illo rumore sicut postulabant Romanum vel Italicum, antè sustinuisset mortem quàm acceptasset.

Pag. 1186. *lin.* 4. *post vocem* capella *adde.* Tanta autem adeoque densa tum fuit populi & furentium montanariorum multitudo post simulatam electionem Cardinalis sancti Petri ut vita Cardinalis de Luna, qui è conclavi egrediebatur, in magnum discrimen adducta sit. Testem hujus rei profero Ioannem Sancii portionarium Ecclesiæ Toletanæ, qui interrogatus super articulo 49. casus secundi electi ita respondisse reperitur: *Item audivit tunc à pluribus Romanis ibi existentibus: Bonus amicus fuit Dominus Laurentius Sangrino Cardinali de Luna. nam nisi propter ipsum, attenta magna pressura quæ ibidem erat & sua debili complexione & delicata, illic fuisset suffocatus, & ipsum extraxit sub brachio dictus Dominus Laurentius. Et quæsivit iste testis quomodo tanta erat pressura & ita inordinatè procedebat illa gens. Et responderunt sibi sic: Nam isti ebrii montanarii non respiciebant quid faciebant.* Fugiebat ergo Petrus de Luna cum ceteris Cardinalibus, ut se subtraheret immanitati horum barbarorum. Ex quo colligitur cessisse eum tandem opinioni collegarum suorum. Primò enim ipse & Geraldus de Podio Cardinalis Majoris monasterii contestati erant nolle se decedere de conclavi, indecoram quippe turpemque esse fugam illam. Istud ego legi in responsione fratris Menendi Episcopi Cordubensis ad articulum 70. casus secundi electi, ubi tractans de agitatione & motu Cardinalium inter minas populi Romani, ait plerosque existimasse fuga consulendum sibi esse, sed quosdam audaciores hoc consilium multùm improbasse. Et mox additur in eadem responsione: *Specialiter audivit nominari inter audaces Cardinales de Luna & Majoris monasterii, qui multùm increpabant fugam illorum qui volebant fugere arguendo sic: Vel nos debemus mori vel vivere? Si mori, meliùs moriemur in capella quàm in vinea. Si vivere, videtur mihi quòd una species mortis est quod fugiemus propter verecundiam & vituperium quod sequitur ex fuga, & maximè nobis, qui sumus Cardinales.* Veniamus nunc

Pag. 1187. *lin.* 24. *post illa verba* expediens Ecclesiæ Dei *adde.* Lellus quoque Magdalenus civis Romanus idem magnificis verbis testatus est in sua depositione, ubi exponens fabulam de exulceratis Romanorum animis propter electionem Vrbani, quia non erat Romanus, & quomodo ipse accesserat ad Cardinalem de Luna ut modus reperiretur quo obviam iretur malis quæ ex hac populi Romani offensione oriri possent, inmuens rejiciendam esse eam electionem quæ facta fuerat de Vrbano, alium verò eligendum qui Romanus esset, ait Cardinalem de Luna sibi dixisse: *Priùs Romani possent mihi membra omnia frustratim incidere quàm revocaremus quæ fecimus & alium faceremus Papam, quia nos fecimus & habemus verum Papam.* Vide etiam Odoricum Raynaldum an. 1378. §. 13. 1379. §. 15. & sequentibus. Verùm ista omnia falsò jactata esse in vulgus testis est omni exceptione major, quippe qui Vrbano addictissimus erat, frater Menendus ordinis fratrum Minorum Episcopus Cordubensis factus per eundem Vrbanum, ut ipsemet Menendus agnoscit in initio responsionum suarum ad articulos casus primi electi. Verba ejus, quamvis paulò prolixiora, merentur heic referri ad perpetuam memoriam rerum gestarum. Illis enim inest plurimum artis. Et tamen tanta est vis veritatis ut eam in fine fateri coactus sit. Hæc sunt igitur ejus verba in responsione ad articulum 40. ejusdem casus, in quo agitur de electione Vrbani, quam ait factam esse communi omnium Cardinalium consensu: *Interrogatus si hoc audivit ab aliquo Cardinali vel alio de illis qui fuerunt intus in conclavi dixit quòd audiverat à Cardinali de Luna quòd Archiepiscopus Barensis fuerat canonicè & concorditer electus & erat verus Papa & pro tali habebat eum & intendebat habere toto tempore vitæ suæ, si sciret serrari per medium. Et hoc dixit sibi solus inter se & ipsum Romæ, existentibus omnibus Cardinalibus Romæ, & etiam postquàm aliqui Cardinales recesserant de Roma. Et recordatur distinctè quòd hoc dixit sibi tribus vicibus repetendo & dicendo sibi dubia aliquarum personarum quæ audierat & aliqua colloquia mala quæ fiebant de dicta electione per aliquas personas ultramontanas. Quæ verba dixit dictus testis quòd dixerat sibi in facie dicto Cardinali statim cùm iste testis fuit captus & præsentatus sibi in sua galea, allegando sibi quòd ipse cum doctrina & suis verbis & sua firmitate baptizaverat eum in hac fide, specialiter dicendo sibi non semel sed ter vel quater dicta verba. Et ipse negavit, dicendo sibi: Caveatis ne dicatis ista verba, quia per sanctam Mariam haberem multùm pro malo. Nam vos & alii discurritis dicendo talia verba.*

Pag. 1191. *post lineam* 24. *adde.*

Ceterùm id seriò dictum à Cardinale de Luna fuisse quod de ipso suprà pag. 1182. retulit Alvarus Martini, nimirum illum studere voluisse ut videret quid juris haberet Vrbanus sic electus in summo pontificatu, ostendit etiam Fernandus Petri Decanus

Tiraionensis interrogatus super articulo 80. casus secundi electi: *Item dixit quòd una die, credit quòd esset de mense Aprilis, post coronationem, sed de die non bene recordatur, cùm esset dictus Cardinalis dominus suus in studio, intravit iste testis, & vidit quòd tenebat Decretum apertum, & scribebat in papyro. Et ut vidit dictus Cardinalis istum testem, cessavit scribere & abscondit papyrum in qua scribebat. Et iste testis dixit sibi: Quare absconditis ea quæ scribitis? Nam credo quod divinabo ego illud quod scribitis, & credo quòd sit de facto Papæ & Cardinalium. Et Cardinalis dixit sibi: Amore Dei non dicatis: quia licet ita sit ut dicitis, tamen oportet quòd non sciatur. Nam si ipse vel alii Romani scirent quòd ego vel aliquis ex Dominis meis dubitaremus de sua electione, nullus nostrum evaderet. Et mandavit dicto testi quòd de hoc non faceret verbum alicui personæ viventi, pro eo quòd solus ipse sciebat, & non alius.*

Pag. 1187. *lin.* 24. *post hæc verba* expediens Ecclesiæ Dei *adde*. His omnibus testimoniis addere lubet testimonium. Francisci Fernandi Cantoris Palentini, qui interrogatus super articulo 31. primi electi *dixit quòd postquàm Cardinales iverunt Anagniam, & creato Antipapa, audivit ab aliquibus personis de quibus non recordatur, loquendo de ista materia, quòd cùm essent omnes Cardinales in conclavi, Cardinalis Aragoniæ dixerat Cardinali Lemovicensi, Domine, videtur mihi quòd esset necessarium & utile statui Ecclesiæ quòd eligeremus Italicum, & quòd tunc dixerat dictus Cardinalis Lemovicensis, Domine, de quo vobis videtur, & quòd dictus Cardinalis nominaverat tunc Archiepiscopum Barensem, & responderat Lemovicensis, Pro certo bene & sancte dixistis, & tunc idem Lemovicensis locutus fuerat cum aliis Cardinalibus, & pro majori parte concordaverant cum eo. Item audivit Romæ in Ecclesia sancti Petri à quodam clerico familiari dicti Cardinalis de Aragonia quòd dominus suus Cardinalis fuerat qui plus laboraverat ut Archiepiscopus Barensis esset Papa.*

Pag. 1193. *lin.* 15. *adde*. Ejusdem bibliothecæ cum laude meminit Nicolaus de Clemangis epist. 38.

Pag. 1206. *post lineam* 14. *adde*. In depositione Ioannis de Baro Subdiaconi Papæ ita legitur: *Item audivit dici à Baronibus Romanis & à pluribus aliis quòd ante ingressum dicti conclavis dicti officiales urbis edici & proclamari fecerunt quòd omnes Principes, Barones, & alii magnates nobiles Romani exirent urbem sub pœna corporis & aliis magnis pœnis de quibus non recordatur, & quod dicti Principes, Barones, & nobiles metu dictarum pœnarum urbem exiverunt ante ingressum dicti conclavis, qui aliàs non exivissent, ut dicebatur.* Petrus de Crosso S. R. E. Camerarius ita dixit in sua depositione: *Item dixit quòd expulerunt de urbe Comitem Nolanum & Comitem Fundorum & alios Dominos per quos furor populi poterat deprimi. & fecerunt venire montanarios & alios rusticos in magna multitudine.* Marcus Fernandi Canonicus Palentinus interrogatus super XVI. articulo casus secundi electi *dixit quòd audivit gridam, & scit quòd nobiles qui ibi erant recesserunt extra civitatem, inter quos fuerunt Comes Nolanus & Dominus Iordanus de Marino & Lucas Sabello; & audivit altera die Mercurii ingressos conclavis Romæ ab uno Romano qui cognominatur Sarrazinus quòd si Comes Fundorum remansisset post gridam, illa nocte amputatum fuerat sibi caput.* Addit Fernandus Episcopus Legionensis in responsione ad eundem XVI. articulum audivisse se *quòd talis erat consuetudo Romæ quando accedebant similes casus*, nimirum ut nobiles expellerentur. Sed istud alibi non legi. Nuspiam autem ita expressa vidi nomina nobilium qui Romæ erant eo tempore quo Gregorius XI. mortuus est quàm in depositione fratris Menendi Episcopi Cordubensis, in qua sic scriptum est: *Interrogatus si quando obiit Papa Gregorius, si erant aliqui Principes in vicinio Romano qui essent amici Ecclesiæ & Cardinalium ultramontanorum, dixit quòd sic, scilicet Comes Fundorum, & Dominus Iordanus de Marino, & Lucas Sabello, & Comes Nolanus, & Petruchii, & Franciscus de Columna, & Reynaldus de Ursinis.*

Pag. 1214. *lin.* 28. *adde*. Nicolaus Martini Archidiaconus Salamantinus interrogatus super articulo 102. casus secundi electi *dixit quòd postquàm Cardinales iverunt Anagniam mulieres Romanæ dicebant suis maritis: Tristo dexaurato. & increpabant eos dicentes quòd malum factum fecerant. & nescit quid tunc mariti responderint. Et audivit dicit expòst quòd aliqui Romanorum colloquebantur inter se & dicebant quòd pœnitebat eos mali facti in fractura conclavis & aliorum quorumcunque perpetratorum per eos.* Pœnitentiæ Romanorum mentionem alii quoque fecere, in primis verò frater Ioannes monasterii sancti Isidori Hispalensis, qui interrogatus super articulo 82. casus secundi electi *dixit quòd audivit ab aliquibus Hispanis, de quibus non recordatur, quòd audierant à pluribus Romanis quòd pœnitebat eos injuriasse Cardinales, asserendo quòd dubitabant quod Roma esset propter hoc iterum destructa.* Ioannes Remigii de Guzman Archidiaconus del Alcor in Ecclesia Palentina dixit in sua depositione audivisse se dici die sequenti post electionem Urbani *qu d pœnitebat Romanos de his quæ fecerant & dixerant contra Cardinales, & invi[...] arguebant se-*

de illis. Fernandus Petri Decanus Tirasonensis interrogatus super articulo 82. casus secundi electi dixit se audivisse à Nicolao Doctore legum cive Romano *quòd aliquos bonos Romanos & ipsum pœnitebat de iis qua facta fuerant Cardinalibus.* Rodericus Fernandi portionarius Ecclesiæ Hispalensis interrogatus super eodem articulo 82. *dixit quòd audivit ab aliquibus curialibus quòd pœnitebat Romanos rumoris jam facti, & quod ipse audivit ab aliquibus Romanis: Heu me! Quid fecimus? Fecimus verecundiam Cardinalibus. Propter quod erimus destructi: quia si permisissemus eos facere ad suam voluntatem, nos essemus beati. Et dicebant ultra: Hoc nobis fecerunt montanarii, ut compleatur prophetia qua dicitur quòd Roma erit destructa. Et hoc accidit propter pecuniam quam dedit Abbas montis Cassini & alii sanguinolenti, qui dederant pecunias & mulas Romanis.* Frater Petrus de Guadalfajara in sua depositione sic testatus est: *Item audivi dici quòd statim ipsa nocte rumoris vel sequenti die pœnitebant aliqui Romanorum propter ea qua fecerant, & dicebant, & dicebant: Miseri nos, non sumus digni bono.* Frater Ferrarius de Vergos ordinis fratrum Minorum interrogatus super capitulo 82. casus secundi electi *dixit quòd ipse audivit à quodam barbitonsore & ille sibi exposuit quòd multi alii Romani sibi dixerant quòd pœnitebant eorum qua fecerant.*

Itaque cùm statim post electionem Vrbani distracta in varias partes essent hominum judicia, plerisque censentibus illam propterea nullam esse quia facta fuerat per vim ac metum, aliis putantibus esse validam quia, ut ipsi aiebant, sedatus statim fuerat tumultus post eam peractam & publicatam, quæsivere postea viri quos Rex Castellæ miserat ad investigandam veritatem *an Roma aliquod murmur vel dubium super dicta electione postquàm Cardinales egressi sunt conclavo emerserit, & quando, & quid dicatur super hoc, & à quibus*, ut legitur in casu secundi electi diviso per articulos. Ad quam interrogationem ita respondit frater Petrus Cordubensis monachus sancti Bartholomæi de Lupiana ex relatione, ut ipse profitetur, Alfonsi eremitæ olim Episcopi Gienensis: *Interrogatus super LXXX. dixit se audivisse & est certus quòd post dictam electionem statim die sequenti, nescit tamen si sequenti vel tertia, prædicavit quidam frater Minor in Ecclesia sancta Maria de Ara cali, qua est monasterium Minorum, & inter cetera dixit quòd dictus Papa Vrbanus non erat Papa.* Idipsum in sua depositione ex eadem Alfonsi relatione antea dixerat frater Petrus de Guadalfajara: *Item statim secunda vel tertia die post creationem dicti Vrbani unus frater sancti Francisci prædicavit Roma publicè in suo monasterio vocato sancta Maria de Ara cali quòd iste Vrbanus non erat Papa.* Sed ille non fuit solus qui ita prædicaret. Etenim frater Ioannes Roderici Episcopus Neopatrarum interrogatus super eodem articulo 80. casus secundi electi *dixit se audivisse Roma quòd unus frater Gallicus magister in theologia ordinis Carmelitarum dixerat quòd Vrbanus non erat Papa, & propter hoc fuit positus in scala & condemnatus ad carcerem perpetuum.* Franciscani temeritas fuit felicior. Nulli quippe pœnæ addictus est, ne quidem raptus in jus, æquitate Vrbani erga bona malaque documenta.

Pag. 1216. lin. 16. post hæc verba, de Baro, *adde.* Idem testatus est in depositione sua frater Bartholomæus procurator generalis ordinis Carmelitarum. *Vnde*, inquit, *cùm semel pòst Romani se excusarent coram B. quia non immediatè venerant ad reverentiam ei exhibendam, ipse sic respondit: Ego habeo vos excusatos, quia vos credebatis dum dicebatur de Barensi quòd esset Dominus Iohannes de Baro. Ideo non venistis. Quoniam si scivissetis de me, libenter venissetis.*

Pag. 1227. lin. 41. adde. Puto autem illos fuisse filios Bertrandi, eorumque sorores fuisse Helionoram, Margaritam, & Martham, quas Raymundus de Agrifolio Episcopus Ruthenensis in suo testamento vocat neptes suas, filias verò Bertrandi de Veyraco Domicelli: *Item lego Helionori filia Bertrandi de Veyraco Domicelli nepti mea quinquaginta florenos auri restantes ad solvendum de CCXXX. florenis quos dudum promisi in subsidium maritandi eandem; quos quidem quinquaginta florenos auri volo & ordino assignari dicto patri suo. Item lego simili intuitu pietatis Margarita & Martha filiabus ejusdem Bertrandi de Veyrace neptibus meis in adjutorium maritandi easdem cuilibet earum centum florenos auri, quos volo tradi dicto Bertrando patri earum pro ipsis.* Hoc loco se ingerit gravis difficultas. Etenim Raymundus, qui fuit patruus Guillelmi de Agrifolio junioris Cardinalis, filias hujusce Bertrandi vocat neptes suas, ob hoc haud dubiè quòd ortæ essent ex sorore sua amita Guillelmi. Et tamen suprà pag. 1012. vidimus hunc Bertrandum fuisse vocatum sororium ejusdem Cardinalis. Quod verum esse non potest, si Bertrandus habuit in matrimonium sororem Episcopi Ruthenensis. Ceterùm Bertrandi frater fuisse videtur Guillelmus de Veyraco Præceptor Ecclesiæ Agathensis, quem Clemens VI. commendavit Raymundo Pelegrini sedis apostolicæ Nuntio in Anglia.

Pag. 1228. lin. 9. adde. Multùm autem variant in hoc loco depositiones testium quos Ioannes Rex Castellæ examinari jussit apud Medinam de Campo. Etenim Petrus Alfonsi

isthic ait capam impositam fuisse Cardinali sancti Petri à Domicello Cardinalis Gebennensis. Alius, scilicet frater Michael monachus monasterii sancti Bartholomæi de Lupiana, dixit factum id esse à Cardinalibus: *Cardinales timore perterriti, ut dicebatur, induerunt capam Cardinali sancti Petri, & dixerunt populo quod erat Papa.* Item fratrer Alfonsus de Melide tertii ordinis frattum Minorum: *Audivit dici quòd Cardinales rogarunt Cardinalem sancti Petri quòd diceret se esse Papam, & posuerunt eum in cathedra, & vestierunt capam, & imposuerunt sibi mitram.* Idem dixit frater Petrus Cordubensis monachus sancti Bartholomæi de Lupiana. Contrà Garsias Martini electus Auriensis respondit credere se *quòd Romani induerunt sibi capam.* Et Ioannes Columbi clericus Avenionensis de se loquens in tertia persona: *Et tunc ipse vidit quòd Romani assumpserunt dictum Cardinalem sancti Petri, quidam per caput, alii per pedes, alii per manus, & adduxerunt eum super humeros quasi mortuum donec collocaverunt eum super altare capellæ secreta ubi cotidie communiter audiebat Papa Missam, & ibi tenebant eum aliqui, & alii induebant eum capa rubea & ponebant sibi mitram.* At istud, non à populo, sed à Cardinalibus factum esse ait Stephanus Episcopus Tudertinus in sua depositione: *Audientes & videntes Cardinales rumorem populi clamantis una voce Mora mora, dixerunt ad Dominum sancti Petri, prout audivi: Si tu non liberes nos, omnes mortui sumus. Et tunc per violentiam imposuerunt sibi mantum & inthronizaverunt eum in altari.* Contrà illum sponte & non abnuentem positum esse in sede fidem facit Rodericus Fernandi portionarius Ecclesiæ Hispalensis: qui loquens de vi & seditione Romanorum, addit Cardinales tantum timuisse *quòd rogaverunt Cardinalem sancti Petri quod reciperet mitram & salvaret eos à morte, & ipse respondit quòd placebat sibi facere quantum ipsi vellent; & tunc recepit mitram, & posuerunt eum in cathedra tanquam Papam.* Petrus Archipresbyter de Fita Toleranæ diœcesis interrogatus super articulo LXII. casus primi electi *dixit se credere quòd quando Cardinales viderunt Romanos armatos intrantes conclave dixerunt Cardinali sancti Petri: Domine, recipiatis istam mitram: quia si per vos non liberamur, non poterimus hinc evadere mortem. Et audivit iste testis quòd Cardinales ita fecerant, & audivit dici quòd illa de causa receperat mitram dictus Cardinalis libenter.* Contrà Nicolaus Martini Archidiaconus Salamantinus interrogatus uper eodem articulo *dixit quòd bene audivit quòd Cardinales rogaverunt & induxerunt Cardinalem sancti Petri quòd pro salvatione eorum se indueret cappa papali & consentiret quòd poneretur sibi mitra & vocaret se Papam, & audivit dici quòd Cardinalis dixerat quòd nolebat.* Rursum non convenit inter testes illum in sede positum fuisse à Cardinalibus. Sunt enim qui asserant istud factum esse à populo tumultuante, ut frater Ioannes Abbas monasterii sancti Isidori ordinis Cisterciensis Hispalensis diœcesis, in cujus depositione leguntur verba sequentia: *Item quis posuit eum in cathedra, dixit se audivisse quòd Cardinales rogarant eum, ut prædixit, quòd se poneret in cathedra ut ipse & ipsi evaderent periculum mortis. Et etiam audivit quòd Romani ab inde receperant eum & posuerant super altare.* Item Franciscus Fernandi Cantor Palentinus dixit audivisse se *quòd quando intraverunt Romani in conclave, aliqui Cardinales dixerant ei quòd ipsi elegerant Cardinalem sancti Petri, tamen nolebat consentire, & tunc aliqui Romani posuerunt dictum Cardinalem in cathedra & imposuerunt sibi capam ad modum Papæ.* Philippus Martini de Gomera alumnus Episcopi Legionensis: *Et Romani fecerunt sedere dictum Cardinalem sancti Petri in sede papali, & vestierunt eum capam, & adoraverunt ut Papam.* Inventi sunt etiam qui testarentur illum in cathedra positum esse à quodam Domicello Cardinalis Gebennensis, nimirum Alfonsus Azero Archidiaconus de Metina in Ecclesia Salmanticensi, in cujus depositione ita scriptum est: *Item dixit quòd audivit quòd unus Domicellus Cardinalis Gebennensis tempore quo Cardinales fugerunt de conclavi receperat Cardinalem sancti Petri & posuerat eum in sede.* & Thomas Gundisalvi Thesaurarius Compostellanus; qui interrogatus quis Cardinalem sancti Petri posuerat in cathedra, *dixit se audivisse quòd unus Domicellus Cardinalis Gebennensis qui vocabatur Pesanal de mandato Cardinalium, specialiter de mandato dicti Cardinalis Gebennensis.* Ioannes Sancii Canonicus Toletanus in sua depositione loquens de simulata electione ejusdem Cardinalis: *Et audivit quòd unus Domicellus Cardinalis Gebennensis, qui vocabatur Persaval, tenebat dictum Cardinalem sancti Petri planè in sede ut non surgeret.* Iam de mitra seu corona ei imposita ingens quoque controversia est, nonnullis illi volenti & acquiescenti impositam fuisse scribentibus, aliis invito & renitenti, ut suprà vidimus. quod & multis aliis testimoniis confirmari posset. Impositam autem ei fuisse à Geraldo Cardinale Majoris monasterii legimus in depositione frattis Ioannis Abbatis sancti Isidori: *Et audivit quòd Cardinalis Majoris monasterii imponebat ei mitram, & dicebat omnibus timore mortis: Iste est noster Papa.* Frater Petrus Cordubensis monachus monasterii sancti Bartholomæi de Lupiana interrogatus super

articulo LXXVI. casus secundi electi, in quo agitur de simulata electione & inthronizatione Cardinalis sancti Petri, testatur se audivisse *quòd Cardinales posuerunt eum in sede, & populus cogebat eum stare in sede, & Cardinalis Majoris monasterii tenebat tunc sibi unam manum inter scapulas & aliam in mitra.* Istud ipsum habet depositio fratris Petri de Guadalfajara his verbis. *Cardinales timentes receperunt Cardinalem sancti Petri, & posuerunt eum in sede & mitram in capite, ut dicebatur, & dixerunt populo quòd ille erat Papa. Et dictus Cardinalis, quando poterat levare manum, deponebat mitram de capite, & dicebat: Ego non sum Papa. Et populus adorabat eum credens eum esse verum Papam. Sed Cardinalis Majoris monasterii, qui timebat multùm Romanos, cum una manu tenebat mitram, & cum alia tenebat eum ut non surgeret.* Rem stetisse in obscuro usque ad diem sequentem, adeoque dubium fuisse an re vera Cardinalis sancti Petri esset electus, an verò Bartholomæus Archiepiscopus Barensis, testatur in sua depositione Stephanus Episcopus Tudertinus, homo partium Urbani. Propter hanc ergo causam Petrus de Crosso S. R. E. Camerarius, qui satis intelligebat quanto in periculo posita esset res Romana, panem & vinum utrique ministrari jussit æqualiter, ut eo modo negotium ipse quoque relinqueret in ambiguo. Bonifacius de Amanatis interrogatus super LXVIII. articulo casus primi electi dixit *quòd die Veneris hora prandii venit de dicto castro* (sancti Angeli) *ad dictum palatium quidam Dominus Iohannes Rigaldi panneterius Domini Gregorii, notus dicto deponenti; quem idem deponens fuit in effectu allocutus quid venerat facturus seu facturus; & tunc sibi respondit: Dominus Camerarius misit me de castro ut ego ministrem panem & vinum & alia quæ pertinent ad officium meum ut paneterium æqualiter Domino Cardinali sancti Petri & Domino Archiepiscopo Barensi.*

P. 464. *Pag. 1231. lin. 10. adde.* Frater Ferrarius de Vergos ordinis Minorum provinciæ Arragoniæ interrogatus super casu primi electi, an Cardinales omnes interfuissent coronationi ejus, & *si habebant facies latas, vel quos gestus ostendebant, dixit quòd sibi videbatur quòd habebant facies depressas & inclinatas ad terram tanquam tristes sicut cùm alicui fluit sanguis de naribus, & inter ceteros plus tristis erat Cardinalis Mediolanensis. Tamen, quando equitavit, ipsa die coronationis, vidit quòd Cardinalis de Ursinis quasi cum vultu hilari dicebat aliquando populo: Clamate Vivat Papa.* At si ista postrema verba comparentur cum rebus gestis & dictis à Cardinale Ursino, planè constabit illa non fuisse seria, & irrisisse eum Romanos per hunc jocum.

SINE CRUCE PRÆCED.] Quippe veteri more solet Romanis Pontificibus iter agentibus anteferri signum crucis dominicæ. Qua de re peculiarem tractatum edidit Romæ anno MDXCII. Augustinus Fivizanius apostolici tum palatii Sacrista.

SINE CORPORE CHRISTI] Si Angelus Rocca, qui Romæ anno MDXCIX. edidit tractatum de corpore Christi præferendo Romanis Pontificibus iter agentibus, vidisset hunc locum, magnum inde adjumentum habuisset ad stabiliendam antiquitatem illius ritus. Et ille quidem tamen id probat exemplo Gregorii XI. proficiscentis Anagniam, deinde verò multis exemplis eorum Pontificum qui post Gregorium sedi apostolicæ præfuerunt. Sed insignis est profectò locus Paridis de Grassis magistri ceremoniarum sacri palatii: qui loquens de itinere Florentino Leonis X. deque ejus reditu in urbem Romam anno MDXVI. ait illum decrevisse *ire sine sacramento, quod Pontifex nunquam deberet facere,* & corpus Christi præmisisse Romam per duodecim dies antè quàm ipse in eam adveniret.

COMITE FUNDOR.] Honorato Gaytani rectore provinciarum Campaniæ & maritimæ, uti vocatur in literis encyclicis Cardinalium Anagniæ existentium apud Odoricum Raynaldum an. 1378. §. 50. & in tomo quarto historiæ Universitatis Paris. pag. 477. Hunc hominem præpotentem, qui de genere Bonifacii VIII ortus erat, Urbanus VI. in ipsis sui pontificatus initiis à se abalienavit per nimiam intemperantiam & cupidinem dominandi. Quippe ab eo abstulit administrationem Campaniæ, eamque transtulit ad inimicum ejus capitalem Thomam de sancto Severino. Hinc graves inimicitiæ inter eum & Urbanum; quarum auctorem fuisse Urbanum satis constabat, in primis propter contumeliam adjunctam dejectioni. Hinc historiam enarrat in sua depositione homo partium Urbani Thomas de Acervo Episcopus Lucerinus his verbis: *Et quia Anagnia erat Comes Fundorum, qui debebat habere à Domino viginti millia florenorum, quos mutuaverat Domino Gregorio prædecessori suo, & Dominus noster nolebat sibi dare, quia credebat se non teneri de jure, quia non apparebat quòd mutuum fuisset conversum ad commodum & utilitatem sanctæ matris Ecclesiæ seu papatus, & Dominus noster non plenè confidens de ipso Comite, qui erat Rector seu Comes Campaniæ, privavit eum illo officio, & fecit Comitem Campaniæ Dominum Thomasium de sancto Severino inimicum Comitis Fundorum. Propter quod ipse Comes fuit graviter dedignatus contra Dominum nostrum & cœpit facere rebellionem contra eum, & cœpit tenere fortalicia castrorum Campaniæ pro se seu pro illis viginti millibus florenorum.*

Hanc

Hanc narrationem confirmat frater Menendus Episcopus Cordubensis, & ipse homo partium Urbani: qui interrogatus super casu primi electi diviso per articulos, in quo scriptum est Urbanum VI. paulò post creationem suam cassasse & revocasse Comitem Fundorum ab officio rectoratus Campaniæ sibi commissi per sanctæ memoriæ Dominum Gregorium, & ibidem rectorem instituisse Dominum Thomam de sancto Severino, respondit se audivisse dici ut illic continetur, *& quòd propter hoc Comes Fundorum rebellavit cum Campania & Anagnia contra Papam Urbanum, & idem Urbanus loco dicti Comitis fecit Comitem de Campania Dominum Thomam de sancto Severino magnum Baronem regni Neapolitani, qui est inimicus capitalis Comitis Fundorum, & revocavit dictum Comitem Fundorum de comitatu Campaniæ antequam recederent Cardinales de Roma, ut sibi videtur.* Addit Thomas Gandisalvi Thesaurarius Ecclesiæ Compostellanæ Honoratum propterea excessisse urbe Roma. Sic enim legitur in ejus depositione: *Dixit se audivisse quòd dictus electus revocaverat de rectoratu Campaniæ Comitem Fundorum, cui illum dederat Papa Gregorius, & iste dedit eum Domino Thomæ de sancto Severino. Et ob hanc causam dictus Comes recessit de Roma, & fuit effectus inimicus dicti electi, & noluit tradere possessionem dicti rectoratus dicto Domino Thomæ, prætendendo excusationes quòd tenebatur sibi suus prædecessor in una quantitate pecuniæ, & non traderet donec restitueret sibi pecuniam.* Petrus verò Roderici Canonicus Ecclesiæ Cordubensis interrogatus super eodem casu primi electi tradit ideo illum restitisse Urbano reposcenti Anagniam, quam Comes habebat in potestate, quia *civitatem Anagniæ hypothecaverat dicto Comiti Fundorum Papa Gregorius pro decem millibus florenorum.* Intellexit deinde Urbanus quantam perniciem sibi creavisset quum Honoratum de magistratu Campaniæ dimovit. Itaque illum postea studuit in partes suas retrahere. Sic enim legitur in depositione Alexii Petri Pauli Henrici civis Romani: *Item dicit quòd ipse fuit deputatus per dominos istius urbis ut iret ad Comitem Fundorum si posset facere cum eo ut haberet amicitiam cum Roma; & dixit sibi quòd summè mirabatur populus Romanus quare volebat facere sibi damnum, cùm ipsi & alii nobiles de districtu deberent stare pro honore Romanorum. Item promisit sibi iste unum comitatum & alia ex parte Romanorum & ex parte Papæ. Ille respondit quod ipse habebat animam & volebat stare pro veritate. nam omnes Italici non possent animam ejus salvare. Et promittebat & jurabat Deo quòd ipse non movebatur ex alia causa nisi quia sciebat quod iste non esset verus Papa, & si Romani non faverent sibi nec defenderent eum, tunc ipse Comes haberet pacem & amicitiam cum Romanis.* Ob eam itaque rationem adhæsit Cardinalibus adversùs Urbanum. Quam ob rem Urbanus illum collocans inter filios iniquitatis, ipsum excommunicavit & anathematizavit ac declaravit privatum quibuscunque dignitatibus, honoribus, gradu & cingulo militiæ, ejusque bona publicavit & direptioni exposuit. Vide bullam ejus apud Odoricum Raynaldum an. 1378. §. 108. & Theodericum à Niem lib. 1. de schism. cap. 9. Deinde, tanquam Honoratus verè privatus esset comitatu suo, comitatum Fundorum contulit in nepotem suum Franciscum Prignanum, cujus elogia suprà pag. 1127. 1390. relata sunt. Honoratus tamen se nihilo minùs ferebat Comitem Fundorum, & infeudationem illam comitatus Fundorum ab Urbano factam Francisco Prignano aspernabatur ut frivolam & inanem, ut docet ipse Odoricus Raynaldus an. 1381. §. 25. ex diario Hectoris Pignatelli.

Superest ut illam quoque partem historiæ explicemus quæ spectat ad Honorati expulsionem ab urbe Roma eo tempore quo Romani cogitabant de vi, seque adversùs potentiam virorum principum, qui obstituri putabantur violentiæ eorum, præmuniebant. Certum est, uti suprà pag. 1205. dictum est, nobiles ex urbe egredi coactos à populo furente post mortem Papæ Gregorii, & inter hos etiam hunc Honoratum. Ioannes Episcopus Castrensis in depositione sua sigillo suo sigillata & nomine suo subscripta ita testatus est. *Et fuerunt expulsi*, inquit, *ab urbe Comites & Barones & nobiles ex parte populi, & fecerunt venire montanarios armatos de castris & de comitatu urbis.* Et paulò pòst: *Quia Domini Cardinales petebant habere in sua custodia, & volebant Comitem Fundorum & Nolanum vel alios nobiles amicos suos, de quibus confidebant, & cognoscebant de electione quomodo debebat fieri, magis quàm populares & rusticos montanarios. Sed Romani noluerunt, sed quòd nobiles expellerentur & rustici venirent. Et sic factum est.* Aliam tamen causam expulsionis ejus affert in sua depositione Iacobus Camerarius Petri Cardinalis sancti Petri in hæc verba; *Item iste audivit à certo quòd dixerat Comes Fundorum Cardinalibus ante ingressum conclavis: Videte, si ponitis vos hic in conclavi sub potestate Romanorum, oportet quòd eligatis ad voluntatem ipsorum; sed si volebant liberè facere electionem suam, quod transferrent se ad Campaniam, & ipse teneret eos ibi securos. Et cùm hoc sentirent Romani, mandaverunt illi Comiti quod recederet de urbe sub pœna capitis.*

Pag. 1234. lin. 12. adde. Hîc addere lubet testimonium Lini Colutii ex epistola ad Franciscum Bruni summi Pontificis secretarium scripta IV. Kal. Februarii anno MCCCLXXI.

in qua hæc leguntur de eodem Papa Gregorio: *De moribus enim ejus, ne parum dicam, consilium puto silentio pertransire, dummodo pauca verba subnectam, quod totus vir iste nunc patrum pater prudentia, circumspectio, modestia, fides, caritas, amor, benignitas, & quod in principe tali splendidissimum approbatur, veritas & constantia dictorum factorumque est: quæ cùm in eodem adhuc Cardinali celebriter elucerent, ita ut ex iis divino miraculo de tam juvenili ætate videatur ad apicem apostolatus assumptus, quid debemus nunc de illo ad Christi vices erecto cum tanta virtutum supellectile judicare?*

Pag. 1243. *lin.* 33. *scribe.*

RAYNULPHUS CARDINALIS Sistaricensis, ut suprà pag. 935. dictum est, erat nepos Petri de Monteruco Cardinalis Pampilonensis. Illum ego communem errorem secutus vocavi de Monteruco, ac propterea existimavi filium fuisse Stephani de Monteruco, quem constat Petri fratrem fuisse. Aliter tamen se res habet. Verum quippe nomen ejus reperi in excerptis è regesto Urbani V. ad me Roma missis & in excerptis è codice homagiorum Episcopi Lemovicensis mecum communicatis à R. P. Ioanne Baptista Pradillonio, ubi vocatur Raynulphus de Gorsa. Ex quo necessariò colligitur illum fuisse filium sororis Petri Cardinalis Pampilonensis, quam certum est nuptam fuisse domino de Gorsa in Lemovicibus haud procul oppido Donzenaco. Præterea insignia gentilitia Raynulphi sunt diversa ab insignibus Monterucorum. Quod ostendit illum ex alia gente fuisse. Error itaque eorum qui eum vocarunt de Monteruco profectus est ab Onuphrio Panvinio, qui primus omnium ita scripsit. Sed hoc cognomen agnoscere noluit Contelorius. Et certè in epitaphio Raynulphi, quod Romæ extat, vocatur tantùm Presbyter Cardinalis tituli sanctæ Pudentianæ, & dicitur esse de genere Innocentii Papæ sexti. Nulla illic mentio gentis ex qua ille prodiit. Sed adversùs ea quæ hactenus diximus de nomine ejus afferri potest auctoritas pactionum matrimonii Mariæ de Monteruco; quæ cùm se dicat filiam nobilis Petri de Mouteruco, patruum suum vocat Raynulphum de Monteruco Cardinalem. Harum ego pactionum vetus exemplar non vidi, sed novum tantùm, idque minimè authenticum. Ad conciliandam porrò hanc discrepantiam videretur dicendum Gorsas, deficientibus Monterucis, in eorum nomen transiisse, ut sæpe fit, juxta testamentum cujusdam è Monterucis, adeoque Mariam non fuisse verè ex eorum gente, sed propter substitutionem tantùm. Quo casu Petrus ejus pater non fuisset filius Stephani de Monteruco, sed sororis Petri Cardinalis Pampilonensis.

Pag. 1245. *lin.* 23. *post vocem* laudatus *adde.* Hanc historiam confirmant literæ Gregorii XI. ad Karolum V. Regem Francorum apud Odoricum Raynaldum an. 1375. §. 29. & literæ ejusdem Karoli datæ anno MCCCLXXV. quibus, ut legitur in Chartulario Archiepiscopi Rothomagensis, *omnia attentata contra jurisdictionem ecclesiasticam per Oudardum d'Attavilla Baillivum Rothomagensem tempore Domini Philippi de Alenconio annullantur.*

Pag. 1264. *lin.* 52. *post ista* pag. 466. *adde.* Quamquam Episcopus Reatinus in sua depositione ait Urbanum electionem Wenceslai in Regem Romanorum & futurum Imperatorem approbasse & confirmavisse *instantibus ejus legatis.*

Pag. 1271. *lin.* 23. *post vocem* horribilitatis *adde.* Denique Ladislaus Rex Siciliæ scribens ad Gregorium XII. apud Theodericum à Niem tractatu 4. Nemoris unionis cap. 6. & in codice Harlæano notat Urbani VI. inhumanam severitatem res omnes orbis commiscuisse & attrivisse. Quos triumphos

Pag. 1279. *lin.* 56. *adde.* Thomas Iamesius testatur extare apud Cantabrigiam in bibliotheca collegii Emanuelis librum dialogorum hierarchiæ subcælestis inter orthodoxum & catechumenum, sed absque nomine auctoris.

Pag. 1303. *lin.* 53. *adde.* idque circa mensem Maium, ut diximus. Cùm enim ex testamento Gregorii XI. constet Petrum fuisse adhuc Archiepiscopum Biturigum anno MCCCLXXIV. die quinta Maii, manifestum est illum nondum fuisse translatum ad Ecclesiam Arelatensem, adeoque Guillemum adhuc ei præfuisse.

Pag. 1309. *lin.* 48. *post vocem* Ruthenensium *adde.* Sed id verum non est. Ex testamento quippe ejusdem Raymundi liquet Fayditum fuisse fratrem ejus germanum.

Pag. 1312. *lin.* 54. *adde.* Erravit ergo Oldoinus scribens illum Benedicti XIII. partes secutum esse post obitum Clementis & in illius obedientia è vita migrasse.

Pag. 1323. *post lineam* 11. *adde.*

INFIRMITATE] Cùm Antonius Luschus Vicentinus acerbissimam invectivam edidisset adversùm Florentinos, & ut eos ureret per commemorationem malorum eventuum, inter cetera exprobrasset iter Italicum Ludovici Andegavensis ac miserabilem ejus mortem, eamque imputasset virtuti Karoli III. Regis Neapolitani, Linus Colutius Salutatus Antonii maledicentiam refellens, de morte Ducis Andegavensis ita scripsit: *Quòd inclitus Rex Ludovicus Dux Andegavensis parum profecerit tam magnifico, sicut memoras, apparatu, non ignavia gentis, crede mihi, sed hominis infelicitas fuit. Invictus enim armis, morbo confectus est. Nusquam victor nec victus peste, proh dolor, absumptus est.* Ex codice 5122. bibliothecæ Colbertinæ.

Pag. 1333. *lin.* 21. *adde.* Neque verò tum primùm ea cogitatio intraverat in animos Cardinalium, sed ab ipsis statim Vrbani pontificatus initiis. Testis est nobis hujusce rei vir partium Vrbani Nicolaus Misquinus Cardinalis sancti Cyriaci, qui in depositione sua facta coram legatis Regis Castellæ testatus est Nicolaum Eymerici Inquisitorem Arragoniæ sibi dixisse scire se quòd illi ipsi Cardinales qui declararant Vrbanum non esse Papam *vellent pro removendo scismate condescendere quòd iste Barensis maneret Papa, dummodo vellet recipere aliquos de istis Cardinalibus in curatores, quia ipse est fatuus.* Thomas quoque de Acervo Episcopus Lucerinus in sua depositione ait Cardinales significasse eidem Vrbano *quòd si volebat quòd ipsi essent cum eo, volebant dare sibi unum condjutorem, quia ipse non bene regebat Ecclesiam Dei nec eos.*

Pag. 1335. *lin.* 5. *lege* de Monte Berulphi *& adde.* Quamvis autem constet illum esse ortum è gente Chanacorum de Alassaco, non videtur tamen natus esse in eo loco, sed in alio quopiam ad eam gentem pertinente qui esset in diœcesi Tutelensi. Quippe in codice 756. bibliothecæ Colbertinæ extant acta quædam confecta apud Villamnovam Avenionensis diœcesis anno MCCCXLIV. die ultima Iulii, quibus interfuit Bertrandus de Channaco clericus cameræ Domini Papæ, & in subscriptione ipse se docet oriundum esse è diœcesi Tutelensi. Ait enim: *Et ego Bertrandus de Chennaco Tutellensis diocesis &c.*

Ibid. post lineam 12. *adde.*

Eodem anno, die ultima Iulii, interfuit ut testis & Notarius apud Villamnovam, ut diximus, iis quæ acta sunt inter Papam Clementem VI. & legatos urbis Assisiensis postulantes à Papa relaxationem interdicti cui subjecta erat eadem urbs quia *Mutius de Assisio & multi alii sui in hac parte complices, qui tunc præerant regimini civitatis prædictæ, thesaurum Ecclesiæ Romanæ jamdudum depositum in sacristia beati Francisci dictæ civitatis, quæ dicitur capella apostolica sedis, fuerant depradati.* Dicitur autem in iis actis rector Ecclesiæ de Samatano Lombariensis diocesis & cameræ Domini Papæ Clericus & Notarius.

Pag. 1336. *lin.* 15. *post vocem* Hierosolymitanus *adde.* Itaque pro insigni gerebat scutum quadripartitum, in cujus primo & ultimo angulo erat crux Hierosolymitana, uti vocant rei heraldicæ periti, in secundo & tertio insignia gentis de Chanaco; ut patet ex codice 3852. bibliothecæ regiæ, in quo ille pictus est veste cardinalitia indutus, & supra iconem habetur scutum ejus quadripartitum. Frustra porrò est

Pag. 1342. *post lineam* 42. *adde.*

Anno MCCCC. idem Cardinalis misit ad urbem Monspeliensem in Gallia Narbonensi os è cranio sancti Cosmæ martyris reponendum in Ecclesia sanctorum Cosmæ & Damiani, cujus Prior erat Heliseus nepos ejus. Vide Gariellum in serie præsulum Magalon. part. 2. pag. 118.

Pag. 1356. *post lineam* 20. *adde.*

Anno MCCCCXI. die quarta mensis Iunii erat Romæ, quemadmodum patet ex literis ejus in codice 1393. bibliothecæ Colbertinæ fol. 101. verso.

Ibid. post lineam 31. *adde.*

Anno MCCCCIX. die sexta Martii erat apud Salonem castrum diœceseos Arelatensis. Qua die ut perpetuus administrator Ecclesiæ Arelatensis vicarium in ea diœcesi suum in spiritualibus & temporalibus instituit Hugonem Episcopum Vasionensem. *Ex codice* 1393. *bibliotheca Colbertina fol.* 73.

Demum Gebennensis quoque episcopatus administrationem

Pag. 1366. *lin.* 43. *post hac verba* consanguinei germani *adde.* Vir ergo tanti fastigii, natus in domo regnante, non erat consanguinitate propinquus Guillelmo Ferrarii Notario seu Grafario civitatis Valentinæ & Constantiæ Miguel parentibus celeberrimi illius sancti Vincentii Ferrarii, ut imperitè tradit in ejus vita Petrus Rausanus Episcopus Lucerinus. Præterea ordo temporum valde repugnat, uti rectè observavit Godefridus Henschenius.

Pag. 1371. *lin.* 24. *adde.* Vide etiam Franciscum Didacum in historia provinciæ Arragoniæ ordinis Prædicatorum lib. 1. cap. 26.

Pag. 1375. *lin.* 6. *adde.* Quamquam Trithemius in chronico Hirsaugiensi tom. 2. pag. 259. observat beatam virginem Mariam varia de hoc argumento responsa dedisse, & Brigidæ quidem Suecicæ dixisse se conceptam fuisse sine aliquo nævo peccati originalis, Catherinæ verò Senensi se conceptam fuisse in originali peccato more ceterorum.

Pag. 1377. *lin.* 21. *post vocem* Christi *adde.* Denique etiam post hanc gravissimam & celeberrimam concertationem festum conceptionis beatæ Mariæ virginis non fuit connumeratum inter ceteras festivitates ejusdem virginis. Quippe Benedictus XIII. in bulla indulgentiarum quas anno MCCCCIII. concessit capellæ B. Mariæ fundatæ in Ecclesia parrochiali sancti Symphoriani castri Lugdunensis diœcesis nominat quidem quatuor festivitates quas nos suprà retulimus ex Ioanne Andreæ, nullam conceptionis mentionem facit. Item Eugenius IV. commemorans anno MCCCCXXXIII. festivitates beatæ Mariæ, cùm ceteras numeret, de conceptione silet. Ejus bulla extat apud Vvaddingum tom. v. in regesto pag. 210.

Pag. 1383. *dele lineam* 30. *& duas sequentes usque ad vocem* Deinde cùm Philippus de Alen-

conio, cui Gregorius XI. commendaverat Ecclesiam Auscitanam, uti suprà pag. 1245. dictum est, se addixisset Vrbano

Pag. 1388. post lineam 25. adde.

Certum est illum fuisse summum pœnitentiarium Ecclesiæ Romanæ. Ceterùm habuisse eum consocium in eo officio Antonium Caietanum Episcopum Portuensem usque ad annum MCCCCXII. docet ipse in codice 1393. bibliothecæ Colbertinæ fol. 151. verso Quod haud dubiè contigerat post unionem duorum collegiorum in Concilio Pisano, quia Antonius erat summus pœnitentiarius in parte Italorum jam inde ab initiis pontificatus Gregorii XII.

Pag. 1398. post lineam 9. adde.

SATIS BREVEM INFIRM.] Contrà in veteri narratione mortis ejusdem Clementis edita in tomo quarto historiæ Vniversitatis Parisiensis pag. 952. scriptum est illum obiisse *post longam corporis infirmitatem.*

IN ECCLESIA MAIORI] *in proprie loco in quo D. Vrbanus V. etiam depositus fuit, videlicet in capella D. Ioannis Papæ* XXII. ut legitur in eadem narratione. Postea corpus ejus translatum fuit ad Ecclesiam Cælestinorum, ut docet excerptum quod mox sequitur editum ex veteri codice Colbertino.

Pag. 1399. lin. 8 post vocem Faventinus *adde.* Immo non omnes Diaconos sacram communionem recepisse de manu ejus, sed Cardinalem de Vrsinis tantùm, testatus est in sua depositione Poncius Beraldi literarum apostolicarum corrector his verbis: *Item dixit in festo in quo ipse coronatus fuit fuit consilium utrum Cardinales deberent communicare ab eo, quia oportebat quòd dimitteret, si volebat equitare; & ipse tantum habebat cordi equitare quod voluit quòd omitteretur communio, & tantùm communicavit de manu ejus Dominus de Vrsinis.*

Pag. 1400. lin. 12. post vocem Mediolanensis *adde.* Præterea Iacobus Philippus Tomasinus in catalogo bibliothecæ MS. Ecclesiæ cathedralis Patavinæ ait illum fuisse Mediolanensem, tanquam si id esset extra controversiam. Inclaruit

Pag. 1405. lin. 14. post vocem amicitiæ *adde.* quem librum de pace & amicitia inscriptum esse in veteri codice Cantabrigiensi domus sancti Petri testatur Thomas Iamesius.

Ibid. lin. 29. post vocem ait *adde.* Tomasinus quoque in loco paulò antè laudato admonet extare in bibliotheca Ecclesiæ cathedralis Patavinæ quinque volumina MSS. commentariorum ejus in decretales & volumen in Clementinas. Citat sanè

Ibid. lin. 54. adde. Præterea in codice 821. ejusdem bibliothecæ reperitur oratio per eum habita ad Gregorium XI. nomine Karoli V. Regis Francorum, in cujus fronte hæc scripta sunt: *Anno Domini* MCCCLXXVI. *die* XXI. *Augusti misit Rex ad Dominum nostrum Papam magistrum Iohannem Fabri Abbatem sancti Vedasti Attrebatensis & Dominum Ferricum de Metis legum Doctorem occasione processuum contra Florentinos editorum per Papam in regno Franciæ publicandorum. Et recepit dictus Iohannes Fabri decretorum Doctor pro exordio in primis Papæ propositione quæ sequitur: Nos præcedentes patres sequimur, quia auctore Deo ab eorum doctrina non discordamus &c.* In eodem codice sic legitur de eodem Abbate: *Anno Domini* MCCCLXXV. die XXII. *Maii fecit Karolus Rex Franciæ publicari per magistrum Iohannem Fabri Abbatem sancti Vedasti Attrebatensis Doctorem in decretis solemnem quandam legem quam condiderat. Et ibidem in parlamento erant præsentes Dominus noster Rex Karolus, Dominus Delfinus ejus filius primogenitus, Dominus Dux Andegavensis frater Regis, & plures alii. Et proposuit verbis Gallicis. Et pro introductione recepit hanc propositionem: Audite verbum Domini, Principes; auribus percipite legem, populi.*

Pag. 987. lin. 32. post vocem Trenchaleonis *adde.* In codice 1393. bibliothecæ Colbertinæ fol. 75. extant literæ Ioannis de Broniaco Cardinalis & administratoris perpetui Ecclesiæ Arelatensis datæ Avenioni anno MCCCCXIX. die septima Ianuarii, in quibus continetur collatio cappellaniæ ad altare beati Bartholomæi ac sanctarum Margaritæ & XI. millium virginum sitæ in Ecclesia Arelatensi, cujus præsentatio pertinebat ad *nobilem virum Guillelmum de Gardia Domicellum dominum temporalem locorum de Gardia & de Trenchelione Tutellensis & Lemovicensis diocesum, dominum etiàm in parte Montis Dracenis Aurasicensis & condominum Biturrita Avinionensis diocesum.* Reliquit is filium

Pag. 1056. post lineam 56. adde.

ECCLESIA S. CRVCIS] Hanc narrationem confirmant literæ Petri Gerardi Cardinalis Aniciensis & Episcopi Tusculani datæ Romæ anno MCCCCXIII. mense Aprili; in quibus remittit conventui fratrum Carthusiensium sanctæ crucis in Hierusalem de urbe pensionem sibi debitam *ratione locagii palatii nostri sive domus Ecclesiæ sanctæ Mariæ in monasterio de urbe ad nos ratione dicti nostri episcopatus Tusculanensis pertinentis.* Eam tamen conditionem huic dono adjecit: *Volumus autem & vobis occasione præmissorum quantum possumus injungimus ut pro ipsorum aliquali recompensatione nos faciatis tam in vita quàm post mortem vestri & fratrum dicti vestri ordinis Missarum, orationum, & aliorum divinorum officiorum piis suffragiis fieri participes & etiam aggregari. Super quibus vestram conscientiam oneramus.* Conveniunt ista cum iis quæ suprà pag. 1388. retulimus de Carthusiensibus. Epistola porrò illa Petri Gerardi extat in codice 1393. bibliothecæ Colbertinæ fol. 59.

FINIS.



INDEX
TOMI PRIMI.

INDEX

B

D

E

co.

G

H

INDEX

K

Coronatur

M

S

V

Vvaldemarus

Emendanda & addenda in Præfatione.

Pag. 1. *in margine lege*, 1118.
Pag. 3. *lin.* 28. *lege*, XXII.
Pag. 8. *lin.* 40. *dele vocem* rectè
Pag. ult. post lineam 17. *adde.* Quoniam verò necesse nobis fuit tractare causam miserabilis illius schismatis quod per illas tempestates Ecclesiam divisit, operæ pretium fuit consulere veteres codices in quibus extant collectanea, uti vocant, variorum tractatuum qui tum editi fuere ab utraque parte eorum qui de summo pontificatu contendebant. Horum ergo codicum magnam multitudinem habuimus, XXI. nimirum è bibliotheca Colbertina, quinque è Victorina apud Lutetiam, unum è regia, alium ex archivo regio Parisiensi, tres ex bibliotheca viri superillustris Achillis Harlæi Principis senatus Parisiensis; inter quos eminet præstantissimus ille codex in quo continentur acta conventus habiti anno MCCCLXXXI. apud Medinam de Campo, cujus synopsim exhibemus inter Notas nostras. E Carthusia quoque majori unum habuimus. Alium servant in sua bibliotheca monachi Gemeticenses, in quo nihil extat quod in lucem emissum non sit in historia Vniversitatis Parisiensis aut alibi.

Errata Tomi Primi.

Pag. 51. *lin.* 5. *lege* pecunia
56. -- 23. -- Arrufati
59. -- ult. -- Murone
78. -- 19. -- Mandagoto
82. -- 13. -- nutum
16. -- 12. -- Duce
254. -- 28. -- terribile
288. -- 36. -- Bernardum
403. -- 28. -- volarent
488. -- 28. -- modo
494. -- 33. -- securiùs
561. -- 23. -- MCCCLXXVIIII.
591. -- 35. -- tomo X.
608. -- 55. -- videtur
666. -- 33. *dele vocem* ubi
675. -- 34. Bernardo de Liposea.
679. -- 29. -- Canonissarum S. Saturnini Tolosæ
716. -- 40. -- argumento,
717. -- 58. -- ordine
723. -- 45. -- Illud etiam
727. -- 41. -- acerba r. p. morte
749. -- 1. -- MCCXXXIV.
754. -- 36 -- Post aliquot exinde menses
779. -- 4. -- & Comites Valentinenses
-- 56. -- illique
Pag. 798 *lin.* 52. *lege* expedita
815. -- 44. -- MCCCLIV.
830. -- 33. -- 1372.
-- 52. *dele hac verba*, Constat præterea *usque ad* consanguineos
831. -- 22. -- Almodiam uxorem Guillelmi de Bessa
839. -- 27. -- Eo autem anno
903. -- 7. -- MCCCXLVII.
950. -- 38. -- exagitavit
952. -- 2. -- Pro quo reponendum
969. -- 45. -- est Papa
-- 59. -- novem
971. -- 51. -- ante nos
1000. -- 45. -- fecit
1008. -- 22. -- die octava
1012. -- 31. Fernandus Petri
1028. -- 18. -- *Royne*
1032. -- 60. -- MCCCLXVIII.
1038. -- 28. Ansoisij, vulgò *Ansoüis*
1048. -- 45. -- Episcopum Zamorensem
1054. -- 51. -- pluralitate
1084. -- 11 -- *Ce jour*
1087. -- 54. -- Monte Betulphi'
1110. -- 5. -- relatione Catalanica

Pag. 1170. lin. 11. lege laceraverit.
1177. -- 3. -- Majoris montis
1181. -- 60. -- ita se bene
1197. -- 6. -- attentata
1220. -- 12. -- nune
1227. -- 21. -- Fernandi Petri
1305. -- 22. Die deinde secunda Aug.

Pag. 1316. lin. 38 lege Bonifacium de Amanatis
1332. -- 60. -- quia consultaverant non Papæ nimis negligenti aut inutili ad regendum & qui adeo innit.
1335. -- 5. -- Monte Berulphi
1379. -- 27. -- Guadalfajara
1399. -- 59. -- lib. 1. de schism.

Novæ additiones ad Tomum Primum.

PAg. 831. lin. 17. lege, asserimus hunc Nicolaum & Guillelmum Rogerii Domicellum dominum de Roserio, quem ex actis anni MCCCXIII. constat fuisse patrem uxoris Iacobi de Iudicia, fuisse fratres, Guillelmi verò liberos Guillelmum Comitem Bellifortis, Clementem Papam, Hugonem Cardinalem, Almodiam uxorem Guillelmi de Bessa, & Guillelmam uxorem Iacobi de Iudicia.

Pag 854. *lin.* 25. *lege*, matre Guillelma Rogeria, quæ fuit soror Clementis V I. Papæ, filia Guillelmi Rogerij Domicelli, quem constat extinctum fuisse anno MCCCXIII. quo Guillelma in matrimonium collocata est cum Iacobo. Sic enim legitur in veteribus actis ad me missis à viro clarissimo Ioanne Baptista Pradillonio: *Officialis Lemovicensis &c. Notum facimus quòd anno* MCCCXIII. *die luna post festum beata Magdalena constitutis Geraldo de sancto Martiale Domicello & Domina Geraldo d'Agrofolha Milite parrochia de Champanhaco prope villam de la Roche & Petro la Crosilha aliàs dicto Ramnach Domicello ex una parte, & Geraldo Iudicis patre ac legitimo administratore Iacobi filij ipsius Geraldi parrochia d'Ayren ex altera, dicti nobiles promiserunt in dotem dicto Geraldo Iudicis ad opus dicti Iacobi cum Guillelma Rogeria filia quondam Guillelmi Rotgerij Domicelli futura sponsa dicti Iacobi sexaginta solidos renduales & sexaginta libras semel.* Iacobi & Guillelmi filij fuere Nicolaus sive Colinus.

Ibid. lin 39. *lege*, nupta anno MCCCXXXIX. Guidoni Almoyni Domicello, aliàs de Podiovalle vulgò *Puydeval*,

Pag. 1278. lin. 55. post vocem *Boemia* adde. Leonardus quoque de Giffono Cardinalis istud quoque testatur in tractatu quem scripsit paulò post electionem Benedicti XIII. in quo loquens de Vrbano ita scribit: *Primò namque intrusionis principia intrusus fuit monitus & advisatus per duos Cardinales, unum Italicum, & alium Gallicum, qualiter ipse non erat Papa electus canonicè, & quòd provideret suo statui salutique animæ. Qui audire eos noluit. Secundariò testes ad hoc sunt adhibiti, dum essent Anagnia; cui offerentes seu proponentes viam Concilij, repudiavit eam penitùs allegans se nolle jus suum certissimum in dubium vertere.*

Pag. 1430. *lin.* 54. *repone*, oriundus è loco de Fonte parrochiæ de Champanhaco juxta parrochiam d'Eyren in diœcesi Lemovicensi, haud procul à Rupe sancti Pauli, ut docent acta vetera de matrimonio Iacobi de Iudicia & Guillelmæ Rogeriæ.

Errata Tomi Secundi.

PAg. 178. lin. 35. lege, dimitteret
301. -- 1. -- Agoonenses
641. -- 27. -- Bertrando
736. -- 5. -- Stephanum Episcopum Helen.
780. -- *in margine*, Ex archivo Ecclesiæ Narbon.

Pag. 869. lin. 32. lege dicta
881. *adde in margine*, Vide Vvadding. an. 1379. §. 5.
890. *in margine*, Ex codice 814.
911. -- 32. -- cuidam sancto